3 1761 07978340 3

V. OF
ONTO
RARY

LL
C5684ny
Ym

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

ORATIONES

CVRAVIT

CHRIST. GOTTL. RICHTERVS

LIPSIAE

APVD WEIDMANNI HEREDES ET REICHIVM

A. cIↄIↄcclxxxiii

23250
1/6/92

LECTORI BENIVOLO
S.

Quam nos triennio abhinc, cum Paulli Manutii commentarium in M. Tullii Ciceronis epiſtolas ad Diuerſos, noſtra qualicumque cura expolitum, eorumque, qui ſtudia humanitatis ac litterarum colunt, vſibus magis, quam antea, adcommodatum edebamus, ſpem concipere auſi ſumus, fore, vt, quam olim elaborandis in Ciceronem commentariis apud intelligentes ſuae aetatis homines Manutius gratiam iniit, eamdem poſt ducentos annos, nouo cultu ornatus, apud Latinarum litterarum cultores noſtri temporis, pauciores licet, quorum illud ſaeculum tam laetum prouentum tulerat, inueniret, atque adeo inſtituti noſtri ratio Manutianos commentarios typis renouandi, et ab innumeris, quibus laborabant, vitiis liberandi viris doctis, elegantiorisque doctrinae ſtudioſis haud improbaretur: eam minime fallacem fuiſſe, benigna atque honorifica iudicia, quae de opera elegantiſſimo Tullianorum ſcriptorum interpreti a nobis tributa publice priuatimque experti ſumus, ſatis ſuperque declarant, vt, quidquid huius laboris, moleſti ſane ac taedio pleni, ſumſeramus, non modo non poeniteret, ſed dulcem etiam optatumque eius fructum caperemus. Quo alacriores facti ſumus ad recognoſcendos ceteros commentarios, in reliqua epiſtolarum Ciceronis ad Atticum, ad Brutum, et ad Quintum fratrem volumina a Manutio ſcriptos, et ab eo ipſo aliquoties editos: quos, eadem ratione a nobis emaculatos, niſi quid impedimenti aliunde nobis

ſuiſſet obiectum, iam mercatu vernali ſuperioris anni foras dare, promiſſisque adeo noſtris, nulla mora interpoſita, ſtare poteramus. Cuius quidem cunctationis neceſſitas, quam declinare per nos non ſtetit, effecit id, vt ad recenſendos in Tullianas orationes commentarios animum adiiceremus, eosque nunc abſolutos, commentariorum in ceteros epiſtolarum libros editione in aliud tempus dilata, cum Tullianae eloquentiae, cuius vis atque perfectio in orationibus cum maxime conſpicua eſt, cultoribus, quibus, liberalioris doctrinae ſtudio flagrantibus, et ad ſolidam germanae eloquentiae laudem graſſantibus, Manutius his commentariis conſcribendis praeclare conſultum voluit, communicamus. Quos quo tempore ſcribere intenderit, quo conſilio ad explanandum acceſſerit, qua ratione ſusceptam interpretis perſonam ſustinuerit, quid in eo, remota nimiae laudis ſuſpicione, vere praedicari, quid contra, ſine peruerſa vituperandi malignitate, recte reprehendi poſſit, quando, ipſo ante editionem vita defuncto, primum lucem viderint hi commentarii, quo fato ſubſequenti tempore ad noſtram vsque aetatem fuerint vſi: more inſtitutoque noſtro prius debemus paullo diligentius commemorare, quam de repetita hac editione, noſtrisque in ea adornanda conatibus verba faciamus.

Iam primum Manutium noſtrum in eo omne tempus ſtudiumque ſuum collocaſſe, omnesque ingenii ſui vires exercuiſſe, vt Ciceronem, quem legendo penitus imbiberat, imitandoque feliciter expreſſerat, adcuratiſſime vulgaret, eiusque intelligentiam, ieiuna atque illiberali ſuperiorum interpretum explicatione exploſa, cultiore interpretandi ratione iuuaret; repetitae editiones, quae ex eius officina prodierunt, doctiſſimique commentarii, vel ab eo ipſo, dum adhuc

adhuc in viuis erat, emiſſi, vel, poſt eius e vita diſceſſum, ab Aldo filio in lucem protracti, abunde teſtantur. Cuius quidem laboris, per integram aetatem profligati, breuem hiſtoriam texere tribus abhinc annis, cum commentario in epiſtolas ad Diuerſos praefabamur, ſumus conati. Iam quod ad orationes Tullianas, a Manutio elegantiſſimis commentariis illuſtratas, adtinet, quae tum, pro inſtituti noſtri ratione, paullo preſſius dicta ſunt, vberius nunc curatiusque perſequemur. Igitur cum Manutii aetate copioſi quidem in Ciceronis orationes commentarii exſtarent, ſed a rebus ad intelligendum neceſſariis nudi, contra ea vero magna ineptiarum farragine referti, turpiſſimisque inſcientiae maculis inquinati, atque adeo Ciceroniana eloquentia prorſus indigni: Manutius, iuſta tandem indignatione abreptus, apud animum ſuum conſtituit, hanc Ciceroni, Romanae eloquentiae principi, ab inſulſis commentatoribus indigniſſime illatam ignominiam vindicare, melioribus et Ciceroniano nomine dignioribus commentariis concinnandis. Cuius quidem quidquid conſilii fuit, Bernardino Maffeio, viro reconditae eruditionis, ac multarum litterarum, Manutiique amantiſſimo, expoſuit, eumque, quid facto opus eſſet, conſuluit. Qui quamquam illud vehementer probauit, maximisque, vt par erat, laudibus extulit; eum tamen amiciſſime admonuit, vt antiquitates Romanas prius diligentius excoleret, quam inſtitutum illud exſequeretur, hortatus ſimul, vt interim, vsque dum maioribus antiquitatis Romanae praeſidiis inſtructus eo felicioribus progreſſibus arduum illud opus abſolueret, vt quaſi ex vnius partis forma de toto aedificio coniicere liceret, vna aliqua Ciceronis oratione exponenda ingenii vires periclitaretur. Cui ſaluberrimo conſilio Manutius obſecutus ſum-

ſit orationem pro Sextio commentario explicandam, paucisque poſt eum ſermonem cum Maffeio habitum menſibus commentarium in orationem illam abſolutum, et poſt Maffeii, cui eum deſtinauerat, obitum Antonio Aelio, Polae epiſcopo, inſcriptum edidit Venetiis A. CIↃIↃLVI. octonis, et triennio poſt eumdem iterum praelo ſubiecit. Quae autem de hac pro Sextio oratione *Lib. II. epiſt. 22.* ad quemdam, quem Petr. Victorium eſſe ſuſpicatur Krauſius *not. ad hanc epiſtolam p. 1097, ſeq.* his verbis ſcripta leguntur: *De Sextiana oratione, ſi ſcriptam contuleris cum impreſſa, quaeque loca varia ſunt, miſeris; amabo te: idque vt facias, rogo:* ante huius commentarii editionem, an eo iam edito, Manutius ſcripſerit, in tanta rei ambiguitate atque obſcuritate certo adfirmare non poſſum. Hoc egregio ſpecimine edito, de praeclaro illo aedificio a Manutio poſtea exſtruendo coniecturam capere licebat. Ille vero, optimis Maffeii monitis commotus, totus deinceps in eo fuit, vt rem Romanam publicam priuatamque, ex antiquitatis tenebris erutam, noua luce illuſtraret, hisque laboribus adſidua induſtria exantlatis, ad totum illum multarum rerum adparatum, Ciceronis orationibus comprehenſum, eo facilius ac melius intelligendum, aliisque interpretationis facem praeferendam, expeditiorem ſibi viam muniret. Inſtituit igitur decem libris antiquitatum Romanarum corpus abſoluere, quorum quatuor dumtaxat, de ciuitate, de ſenatu, de comitiis, et de legibus, reliquis ad vmbilicum non perductis, ab ipſo et filio editos habemus. Succedente tempore, abſoluto in Ciceronis epiſtolas, quae tunc familiares vulgo, licet minus recte, dicebantur, commentario, neque tamen, vt conſtat, edito, Manutius, quod ante plures annos ſibi iam propoſuerat, omnes curas ſuas contulit cogitationesque ad vniuerſas

Cice-

Ciceronis orationes explanandas. Suſcepto igitur A. cIↄIↄLXXI. valitudinis nimiis laboribus adtritae cauſſa, itinere, menſe Octobri cum primum Genuam, propter amoenitatem atque ſalubritatem loci petiiſſet, poſtea vero per totam hiemem Mediolani apud Bartholomaeum Capram conſtitiſſet; ibi tantum otii nactus, quantum optauerat, et propter vrbis celebritatem vix ſperare auſus erat, omni adſiduitate in explanandas Ciceronis orationes incubuit. Qua de re in patriam redux XI. Kal. Mai. A. cIↄIↄLXXII. ad Io. Cratonem Viennam, *Lib. XI. epiſt. 9.* in haec ſcripſit verba: *Mediolani abditus in litteras vixi. ſi quaeris, quo ſtudiorum genere: explanandis Ciceronis orationibus: quod mihi propoſitum fuit ante multos annos.* Sequenti anno Romam reuerſus commentarium in Ciceronis orationes indefeſſo ſtudio conficere perrexit, ſupellectile libraria, et in rebus ad iurisprudentiam pertinentibus doctrina Caeſaris Orlandi maximopere adiutus. Quod ipſe teſtatur litteris ad eum ex aedibus prid. non. Dec. A. cIↄIↄLXXII. datis, *Lib. XII. epiſt. 13.* Verba haec ſunt: *Amari ab homine excellentis ingenii, ſummae probitatis, cogitationes curasque ſuas omnes ad vnam virtutem referente, iuriſconſulto denique eruditiſſimo, non ex recenti barbarie, ſed ad illam doctrinae veteris elegantiam exculto; amari, inquam, abs te, tali viro, et frui beneuolentia tua, ipſum per ſe optabile eſt. cum vero ab eadem beneuolentia multa mihi quotidie commoda naſcantur: quid eſt, quod me tibi debere non confitear? mitto reliqua: illud omnium maximum nec meminiſſe, nec praedicare vmquam deſinam, quod mihi non ſolum bibliotheca tua omni prope referta librorum genere, ſed ea, qua excellis, doctrina ita patet, vt, ſi quem ex his commentariis, quos in Ciceronis orationes diu noctuque texo, poſteritas fructum colliget, eum tibi ex aliqua parte acceptum refer-*

re debeat. Sunt enim quaedam, amiſſis duodecim tabulis, omni paene formularum, reſponſorum, edictorum exſtincta memoria, ita complicata, et inuoluta, vt, niſi ſingularis iurisconſulti ſcientia, vſu confirmata, aucta ingenio, adhibeatur, explicari, et euolui vix, aut ne vix quidem interdum poſſint. Romae igitur conſtitutus, et diurno nocturnoque labore, ipſo fatente, huic operi perficiendo intentus, commentarium in orationem pro Archia poeta edidit, ex aedibus prid. Kal. Octobr. Iac. Boncompagno inſcriptum. Quo quidem edito, XII. Kal. Mart. A. cIɔIɔLXXIII. ita ſcripſit ad Camillum Palaeottum Bononiam, *Lib. XII. epiſt. 4. Orationem pro Archia cum meo commentariolo, ſcire cupio, an acceperis. abſolui iam in reliquas omnes, duabus exceptis, pro Ligario, et Deiotaro: quam bene, alii iudicabunt, magno certe cum labore, opera numquam, niſi per morbum, intermiſſa.* Sed et has duas transacta hieme commentariis explicuit, atque adeo totum opus, biennio ante coeptum, ad exoptatum finem feliciter perduxit. A quo quidem tempore nihil intermiſit, quin operi trium annorum vltimam limam adderet, ſummamque, quantum poſſet, perfectionem conciliaret. Hinc ad Iac. Boncompagnum epiſtola, qua ei Hippolyti Capilupi Verſus dedicauit, *Lib. I. praef. 30. p. 938, ſeq. edit. Krauſ.* ſcripſit his verbis: *Ego interim commentarios meos in Ciceronis orationes, biennio ante inchoatos, hieme proxima ſuperiore ad exitum adductos, perpolire conor, et ita corrigere, vt addam multa, nonnulla detraham, pauca quaedam mutem. res eſt magni ſane laboris, mihi praeſertim, numquam intermiſſa tot menſium opera iam defatigato, ac paene confecto: ſed addit vires Maximi Pontificis egregia benignitas, meque etiam, in praeclaro munere pergentem antiquitatis illuſtrandae, et eam, quam ſuſcepi, Spartam pro viribus ornantem, poſteri temporis haud exigua ſpe ſuſtentat.*

ſuſtentat. Sic igitur intra triennii ſpatium, aduerſa valitudine ſaepe vexatus, et modo huc, modo illuc profectus, commentarios ſuos in Tullianas orationes conſcripſit, conſcriptos perpoliuit, perpolitos filio, vita cum morte commutata, cum illis in epiſtolas familiares, ante hos inchoatos iam perfectis, edendos reliquit.

In quibus quidem tanta laborum adſiduitate concinnandis quid ſecutus diligentiſſimus interpres, et, quod ſecutus erat, an re ipſa adſecutus fuerit, quidque omnino praeſtiterit, age, iam paullo adcuratius conſideremus. In quo operae pretium erit, nonnullos commentariorum locos ſimul laudare, quibus paſſim ipſe conſilii ſui rationem breuiter expoſuit. Ac primum quidem non doctis modo, ſed etiam ſtudioſis litterarum, veraeque eloquentiae, cuius Ciceronem et magiſtrum optimum, et exemplum perfectiſſimum atque imitatione digniſſimum eſſe, vt quisque fuit omni tempore intelligentiſſimus, ita maxime iudicauit, et Manutius ſuo ipſius exemplo praeclare comprobauit, hoc commentandi labore prodeſſe voluit. Quod igitur in commentariis in epiſtolas ad Diuerſos ſibi propoſuit, vt iuuenes acrioris ingenii praeclaris artificii Ciceroniani exemplis egregie ad imitationem, ſi velint, erudiret, vero pulchritudinis venuſtatisque ſenſu imbueret, et Latinae linguae proprietatem atque elegantiam doceret: id et in his in Tullianas orationes in primis et praeſtare ſtuduit, ac re ipſa, omnibus, qui ſapiunt, vno ore fatentibus, feliciſſimo cum ſucceſſu praeſtitit. Hac mente cum ad explanandum accederet, quae ſuperiores interpretes ad vanam vmbraticae eruditionis oſtentationem vulgaria eloquentiae praecepta, aliaque inania atque inutilia congeſſerant, vt eſt *orat. pro Roſcio Amer. c. XXXVI. orat. pro domo argum.*

in fine, et *pro Sextio init.* ea, quia ſatis patent ex rhetorum libris, vel plane omiſit, vel admodum paucis locis ſtrictim et modice adtigit, ac potius in eo elaborauit, vt diuinam illam ingenii Ciceroniani in omni orationis genere vim vbertatemque oſtenderet, et quam paene innumerabiles in Cicerone lateant virtutes, commonſtraret, quibus patefactis, largiſſimi veteris et verae eloquentiae fontes, vnde multa ad imitationem praeclara manarent, aperirentur. Hinc in primis ſimilia ſimilibus contulit, quam interpretandi rationem, vt vere eſt, optimam ſemper iudicauit. Ac quoniam illa aetate erant tam maligni ac vitio creati Ciceronianae eloquentiae cenſores, vt nec noſtris temporibus ieiuni huius generis homines deſunt, qui diſertiſſimum Romanorum nimiae et otioſae dicendi copiae peruerſa ratione inſimularent: id in primis ſibi agendum putauit Manutius, vt, ſingulorum verborum vi ac poteſtate demonſtrata, oſtenderet, quanta iniuria talia in Ciceronem conuicia ab imperitis indigniſſime coniiciantur. Quam in rem iuuat ipſius verba adſcribere, quae *orat. pro Sextio c. III.* leguntur. *Non ſine cauſſa*, inquit, *copioſus Cicero. cuius verba, qui non intelligunt, quo ſpectent, et quam apte in ſententiam conueniant: verboſum, ſi diis placet, appellant. quibus ipſis quia deeſt, quod loquantur, aut ſcribant; aut, ſi quid habent, non ſuppetit, vnde ornent: diuitias orationis, inopiae ſuae conſcii, in aliis ferre non poſſunt.* Quorſum etiam pertinet alius locus, eadem indignatione plenus, *ibid. c. LXIX Otioſa eſſe multa*, inquit, *in Cicerone imperiti putant. non ita eſt. nam, quae ſuperuacanea videri poſſunt, ad augendum inducta ſunt. ſed homines inepti, vel quia Romanae linguae vim, et propriam ſignificationem ignorant, vel quia diligenter ſingula non examinant, optima faſtidiunt, ac reſpuunt.* Quam egregie vero iuuentuti ad interiorem et exquiſitam latinitatem cognoſcendam viam

ape-

aperuerit, tot fere habemus teſtimonia, quot ſunt huius commentarii paginae. Quem, vna cum ceteris illius commentariis, vtinam hoc nomine totum prius perlegant, ſibique familiariſſimum reddant, qui nunc, Latinae linguae rudes, neſcio quam Ciceronis explicandi, et vero etiam emendandi ſcientiam iactant, quam in poſterum ad interpretandum ſe corrigendumque Ciceronem dare ſustineant. Inſurgunt enim noſtra aetate, qua licet audacia pro ſapientia cum maxime vti, quidam homunculi, magna de ſe opinione inflati, qui, ſumto criticorum ſupercilio, magni Erneſti noſtri Manibus temere inſultare haud erubeſcunt, viroque de Cicerone immortaliter merito ignorantiam exprobrare, omnibusque Erneſtini nominis cultoribus, quorum non poteſt non magnus eſſe numerus, grandem dicam ſcribere conantur; cum tamen illis ipſis ſcriptiunculis, inuita Minerua in publicum protruſis, craſſam Latini ſermonis ignorantiam turpiter prodant, omnibusque adeo deridendos ſe explodendosque propinent. Quos quidem temperare mihi non poſſum, quin per hanc occaſionem amice moneam, vt in poſterum cautius agere diſcant. Sed, vt e diuerticulo in viam regrediamur, ſi a verborum explicatione diſceſſeris, Manutio ſumma cura ſententiarum illuſtrandarum fuit. Nam, vt ipſe ait *ibid. c. LI. interpretis officium eſt, ſi modo, quas ſuſcepit partes, eas cum laude ſustinere vult, tria conſiderare, verba, ſententiam, ſententiae cauſſam.* In quo genere ita verſatus fuit, vt breuitatem, quantum liceret, more veterum interpretum ſequeretur, neque nihil omnino, neque pauciora, quam res poſtularet, adtingeret. Sunt tamen commentarii in quasdam orationes multo copioſius ac diſertius ſcripti, quam in ceteras, maxime quos viuus edidit in Sextianam, et pro Archia. Praeterea id ſuarum eſſe partium duxit,

omnia

omnia momenta, quae ad intelligendas orationes pertinent, ex hiſtoria collecta exponere, et ſeparatim, vbi neceſſe eſſet, ſingula oſtendere, ne lectori laborem et difficultatem ordo hiſtoriae confuſus adferret, vt ſibi ſaepe adtuliſſe fatetur *argum. oratt. Catil.* Quod tum in explanatione, tum praecipue in argumentis orationum praeclare effecit. In quo tamen indignum ſua perſona cenſuit, tritas ac peruulgatas hiſtorias recitare, quibus copioſe enarrandis miſera ſuperiorum interpretum diligentia maxime occupabatur. In ſuppeditanda denique rerum Romanarum notitia, cuius expertes in Tullianis orationibus tamquam in tenebris oberrant, hunc modum tenuit, vt antiquitates non larga quaſi manu effunderet, ſed tantum modo adferret, quantum ad cuiusque loci ſenſum indagandum atque percipiendum ſufficeret, ne, vt ait *orat. pro Quintio c. V.* ſi longior eſſet, antiquitatem alieno loco explicare voluiſſe, ſi breuior, mutila quaedam et obſcura tradidiſſe videretur. In quibus quidem, aliisque, quas praetermitto, partibus omnibus ſuſceptam perſonam tam egregie ſuſtinuit, vt boni ac diligentis interpretis laudem iure optimo maximo mereatur.

Quamquam vero tot tamque inſignia ſint commentariorum Manutianorum ornamenta; in tanta tamen rerum, quae Ciceronis orationibus continentur, ex interiore antiquitatum ſcientia, eo tempore nondum ſatis exculta, eruendarum abundantia, et in tot deprauatis corruptisque locis, qui in eis adhuc ſupererant, Manutium humani quid interdum paſſum eſſe, ſane mirari non debemus. Neque igitur diffitendum eſt, eum multis in locis a vera Ciceronis mente aberraſſe, plurima ex antiquitate atque hiſtoria non ſatis adcurate propoſuiſſe, locisque exulceratis, qua erat in emendando religione et timiditate, neceſſa-

neceſſariam medelam non adtuliſſe; quae felicia ſubſequentium temporum ingenia melius explicuerunt, in clariore luce collocarunt, adfectisque criticam manum proſperrimo cum ſucceſſu admouerunt. Quae diligentius hic pertractare, cum praefationis anguſtiae non permittant, praeter alios recentioris aetatis interpretes, praecipue eo nomine conſulendus, et perpetuo fere cum Manutio coniungendus eſt popularis eius Marcus Antonius Ferratius, cuius exſtant *Epiſtolarum Libri ſex, in quibus omnia fere, quae in orationibus M. Tullii dubia occurrunt, polemice illuſtrantur*, Venetiis A. cIↄIↄccxxxvIII. quaternis impreſſi. In primis autem, quae ad adcuratiorem iuris antiqui explicationem pertinent, apud Manutium nimis manca atque imperfecta, nonnumquam etiam iuri antiquo plane contraria reperiuntur; vt mihi non ſemel in mentem venerit dubitare de Caeſaris illius Orlandi, quem Manutius in rebus ad ius pertinentibus a ſe conſultum eſſe loco ſupra dicto ingenue fatetur, iuris ſcientia. Vnum modo, omiſſis aliis, memorabo exemplum, quod eſt *orat. pro Caecina c. IV.* vbi verba, *vt frueretur vna cum filio*, ſic explicat: *Hoc niſi eſſet additum, ex vſufructu detractus eſſet triens. Nou. Conſt. Iuſtiniani lib. IV.* Quod quam ridiculum ſit, qui vel mediocri iuris Romani cognitione imbuti ſunt, ſatis cognitum perſpectumque habent. Quare equidem iuuenibus auctor ſuaſorque ſum, vt in rebus ad ius antiquum ſpectantibus ſemper ad partes vocent duumuiros eius iuris conſultiſſimos: alterum Iac. Menardum, ex Franciſci Balduini diſciplina profectum, cuius in priores ſex orationes commentarium, ab Hieronymo Bignonio acceptum, primum publici iuris fecit Graeuius *Oratt. Tom. I. P. I.* adiectum, qui quid in hoc genere praeſtiterit, Graeuius *praeſ. oratt.*

praedi-

praedicat: alterum Franc. Hotmanum, cuius commentarius in Ciceronis orationes plerasque pleniſſime exſtat *Operum eius Tom. III.* quibus in conſilium adhibitis, et ab erroribus cauere, et adcuratam earum rerum cognitionem ſibi parare quisque poteſt. Sed hi defectus tanti profecto non ſunt, vt Manutius iis, quae in eum cadunt, laudibus priuari, ſine praua vituperandi cupiditate, iure poſſit.

Quos igitur in omnes Ciceronis orationes abſolutos perfectosque Manutius reliquerat commentarios, eos Aldus filius in maiore illa Ciceronis operum editione, Venetiis A. cIↃ IↃ LXXXIII. abſoluta, qua *Tom. III. IV.* et *V.* continentur, primum cum litteratis hominibus communicauit. Primum orationum volumen cum patris commentariis, ad Gregorium XIII. Pont. Opt. Max. liberalium diſciplinarum Maecenatem, A. cIↃ IↃ LXXVII. alterum, ad Illuſtriſſimum Principem Aloyſium Eſtenſem, Cardinalem Ampliſſimum, A. cIↃ IↃ LXXIX. tertium denique, ad Sereniſſimum Franciſcum Medicem, Magnum Etruriae Ducem, eodem anno fuit emiſſum. Cuius editionis vſura ad perficiendum hunc recenſionis laborem ex bibliotheca Erneſtina, hoc librorum genere inſtructiſſima, frui mihi contigit, quae nunc cum reliquo adparatu Ciceroniano in ſplendidiſſimam Ampliſſimi huius vrbis ſenatus bibliothecam peruenit, Muſisque Lipſicis in poſterum inſeruire poteſt. Iam, quod ad commentarium in orationem pro Sextio adtinet, a Manutio, vt paullo ante narrauimus, bis, dum viueret, publicatum, primam quidem eius editionem oculis numquam perluſtraui; alteram vero, ex eadem collectione Ciceroniana Erneſti ab herede beniuole mecum communicatam, cum Aldina ſedulo contuli, plurimaque mutata, certius definita, addita atque detracta reperi. Cuius rei, vt hoc vtar, documento eſſe poſſunt,

ſunt, quae c. *XXIX.* ad verba, *templo a collega occupato,* Manutius copioſe aduotauit, qui totus locus ab altera editione prorſus abeſt. Sic etiam commentarius in orationem pro Archia poeta in Aldina editione procul dubio paullo diverſus eſt a prima, A. cIↄ Iↄ LXXII. Romae publicata, quam, neque in collectione Erneſtina, neque in vlla omnino bibliotheca publica priuataque in regionibus noſtris, omni licet opera adhibita, a me repertam, nondum videre mihi licuit. Poſt primam autem editionem, exemplis forte breui distractis, mox alteri manum admouiſſe Manutium, Fuluius Vrſinus me docuit, qui ad c. *VIII.* illius orationis ſic ſcribit: *Octauius Pantagathus, homo diuini ingenii, correxerat olim Varronis verſiculum, qui eſt apud A. Gellium in lib. XIII. c. II. in quo male legebatur* ariete, *pro* Ietae: *ea vero correctio occaſionem dedit Ant. Auguſtino mutandi hoc loco aduerbium* itaque, *in nomen* Ietaeque, *quae lectio et probata a Pantagatho olim fuit, et a Paullo Manutio nuper vulgata in eo commentario, quem in hanc ipſam pro Archia orationem edidit Romae. ſed Manutius de Strabonis loco a me admonitus, qui huic emendationi repugnaret, in ſecunda eius commentarii oratione, quam parabat, et antiquam lectionem reſtituit, et Strabonis verba ex libro XVI. quae Graeco etiam quodam numiſmate confirmantur, ad eam ſtabiliendam lectionem adduxit.* Quae ſecunda eius commentarii editio ea eſſe videtur, quam paratam a patre Aldus filius ſecundo orationum volumine publicauit. Nam dicto c. *VIII.* in eo loco: *Itaque etiam delubrum eius in oppido dedicauerunt,* recitatis Strabonis verbis, nunc haec adſcripta leguntur: *Ita Fuluio Vrſino, perelegantis ingenii viro, magnaeque doctrinae, placebat: ita nobis quoque, teſtimonio Strabonis commotis, videbatur.* Primam igitur editionem quoniam oculis vſurpare datum mihi

non

non fuit, epiſtolam ad Iac. Boncompagnum, qua ei hunc commentarium conſecrauit, ſciant lectores ex editione epiſtolarum Manutii Krauſiana *Lib. I. praef. 29.* a me petitam eſſe, ac reliquis dedicationibus adiectam.

Vix primum orationum volumen cum Manutii commentario Alpes transierat, cum ecce in Germania minutiore typo et forma, quae octaua dicitur, noua editio, Wechelianae commentarii in epiſtolas familiares fere ſimilis, Coloniae Agrippinae apud heredes Arnoldi Birkmanni paratur. Cuius quidem primum volumen prodiit A. cIↄIↄLXXIX. ſecundum A. cIↄIↄLXXXI. et anno ſequenti tertium. Hanc Colonienſem editionem, rationibus ſuis in Germania contrariam, aegre tuliſſe Aldus videtur. Verumtamen, cum licentia alienam poſſeſſionem inuadendi inter librarios diuerſarum etiam rerumpublicarum illa aetate tam late atque impune, vt noſtris temporibus, nondum graſſaretur, lite transactione ſopita, impetratoque, conſentiente Italo, priuilegio, librarii Colonienſes in fronte ſecundi et tertii voluminis poſuerunt: *Cum priuilegio Sacrae Caeſareae Maieſtatis permiſſu Aldi Manutii pro Germania.* Atque ſic illis temporibus eorum commodis, qui, non bene de rebus domeſticis conſtituti, tantos ſumtus, quantos ſplendidior et maioris molis Aldinae editionis adquiſitio poſcebat, facere non poterant, ſine iniuſta rei alienae, inuito domino, contrectatione, ſatis prouiſum erat. Videtur autem vir doctus curandae huic editioni praefuiſſe, quia, vt ex diligenti eius contentione intellexi, multa, quae in Aldinam irrepſerant, vitia, maxime in primo volumine, feliciter correcta fuerunt, licet complura, non minus emendanda, vt infra oſtendemus, adhuc remanſerint. Interdum etiam talia emendata inueni, quae emendatione vel omnino non indigebant,

gebant, vel aliter ſaltem emendari debebant. Ceterum, quae Veneta editione comprehenduntur, in ea omnia integra atque illibata reperiuntur. Habet autem vtraque editio id incommodi, quod explanatio, ſingulis orationum particulis ſubiecta, continua ſerie perducitur. At enim cum Aldina carior ſit, quam pro multorum facultatibus, Colonienſis vero non minus, quam illa, hodie perquam rara: beatiores contenti eſſe debebant editione Graeuiana, magna licet vitiorum copia referta; pauperiores vero, et praecipue iuuenes, eloquentiae Ciceronianae cupidi, et neceſſario diligentis interpretis auxilio indigentes, eo plane carere cogebantur.

Edidit Io. Georg. Graeuius poſt epiſtolas ad Diuerſos, et ad Atticum, Ciceronis orationes tribus tomis, quorum ſinguli in duas rurſus distributi ſunt partes, Amſtelodami A. cIↃIↃcxcix. octonis, et, vt in epiſtolis fecerat, ſic ſingulis orationum partibus Manutii commentarium in calce adiecit, argumentis vnicuique orationi praefixis. De qua quidem commentarii Manutiani editione quid, longo vſu expertus, ſentiam, libere nunc dicam. Primum igitur laudem meretur Graeuius, quod, ſingulas adnotationes ſeparando, capita orationum adſcribendo, locosque Ciceronis, aliorumque ſcriptorum a Manutio recitatos typi diuerſitate exprimendo, lectorum commoditati vehementer conſuluit. Sed in hac ipſa typi diuerſitate ſimul valde vituperandus eſt, quod eam non vbique obſeruauit, quin in medio ſaepe loco recitato typi genus variauit, et Manutii verba, laudato loco, neque tamen adſcripto, quaſi ſcriptoris veteris eſſent, litteris vulgaribus expreſſit, quod mihimet ipſi aliquoties fraudi fuiſſe non infitior: vt, quidquid huius rei fuit, vel imperito adoleſcentulo, vel operis ipſis commiſiſſe videatur. Iam

 porro

porro non ſingulas modo voces, et enunciationes, ſed integras adeo adnotationes, aliaque omiſit, quae omitti non debebant. Sic, cum argumenta Manutii omnibus orationibus praemiſſa fuerint, neſcio quo caſu factum ſit, vt ſtatim initio argumentum Quintianae praetermitteretur. Sic et ea, quae *de genere et ſtatu orationis pro Sextio*, et *de exordio orationis* in prima editione Manutius praemiſit, in ſecunda ſeruauit, ab Aldo etiam impreſſa, et inde in Colonienſem translata, apud Graeuium plane deſiderantur. Tum diuerſas adnotationes, omiſſis aliquot verſiculis, in vnam contraxit, quod, ne temere dixiſſe videar, probat ille locus *orat. pro Flacco c. XXXIII.* in his: *Feciſti et tu, et populi ſermo, ne exciperes*, vt comparatio docere quemque poteſt; vnam vero in duas pluresue distraxit, quale quid factum eſt *ibidem c. III.* et *Phil. I. c. 2.* Pleraque denique ſuperiorum editionum menda non modo ſustulit, ſed nouis etiam auxit atque locupletauit. Verum enim vero tam ſupinae negligentiae non in his ſolum Manutianis commentariis recudendis Graeuius ſe reum fecit, ſed in aliorum quoque interpretum notis et commentariis textui orationum ſtatim ſubiectis. Sic, vt hoc vtar, perlegenti mihi aliquando orationes agrarias in Rullum, et ad manus ſimul ſumenti ſiue Lauredani ſiue Sigonii commentarium, Venetiis A. cIↄ Iↄ LVIII. quaternis impreſſum, plurima tam miſere diſcerpta atque dilacerata, et ſine omni ſenſu ſubiecta reperi, vt Graeuianam editionem indignabundus tandem abiicerem, in ſequentibusque ſola Veneta vterer. His experimentis ſaepius factis, alia edoctus tantum non amplius tribuo Graeuianis veterum ſcriptorum editionibus, quantum vulgo tribuitur: quamuis alioqui magna ſit, vt eſſe debet, apud me Graeviani nominis auctoritas atque veneratio. Eamdem Graeuii negligen-

negligentiam in rebus criticis iam notauit venerandus praeceptor noſter Erneſti *praef. oratt. praemiſſa p. XV.* Solent viri docti, laboribus obruti, aliorum opera in his rebus vti, qui, mercede conducti, neque adcuratae diligentiae gloria incitati, prouincia ſibi demandata vtcumque funguntur, et ſic ſplendidae ceteroqui editiones multis vitiis commaculantur, quae illi, qui nomen ſuum in fronte profeſſus eſt, cunctaque adeo praeſtare debet, merito tribuuntur.

Poſt Graeuium nemo nouae editionis commentarii Manutiani in vniuerſas Ciceronis orationes auctor exſtitit. Qui enim poſtea Ciceronis opera cum variorum notis ediderunt, vt Verburgius et Oliuetus, delectum modo Manutianarum obſeruationum inſtituerunt. Edidit autem Io. Fridl. Stubelius, illuſtris ſcholae Portenſis quondam magiſter, Philippicas orationes cum Paulli Manutii argumentis et commentariis Lipſiae cIↄIↄccxxxviii. forma, quam dicunt, octava. Et argumenta quidem cuilibet orationi ad modum Graevii praepoſuit, explanationem vero Ciceronis verbis ſingulis paginis ſtatim ſubiecit. Quae cum ex Graeuiana editione depromſerit, omnia fere vitia, quae illi ineſſe diximus, et quibus Philippicarum explanationes praecipue redundant, ne manifeſtiſſimis quidem exceptis, in hac editione fideliter repetita rurſus obueniunt. Quo quidem nomine Stubelius, qui hac editione diſciplinae ſuae alumnis maxime conſultum cuperet, praeſertim cum orationes ipſae mendis ſcateant, magnam reprehenſionem iure meretur.

Quae cum ita ſint, quid e re iuuentutis bonarum litterarum ſtudioſae melius ac fructuoſius, ſtudiorumque meorum rationi, qua humaniores diſciplinas, a multis mei ordinis hominibus vel leuiter modo deguſtatas, vel turpiter adeo contemtas, cum iurisprudentia arctiſſimo vinculo coniun-

gendas ſemper copulandasque exiſtimaui, conuenientius et aptius ſuscipere potui, noua, eaque, quantum fieri poſſet, adcurata Manutiani in Tullianas orationes, iuris Romani publici priuatique copiis refertiſſimas, commentarii editione adornanda? In qua quid praeſtare ſtuduerim, quidue, ipſa neceſſitate coactus, interdum mihi ſumere auſus fuerim, ſine adrogantia paucis ediſſeram, inſtitutique rationem reddam mei. Primum igitur id ſedulo operam dedi, vt hic commentarius emendatiſſime atque integerrime prodiret. Itaque Graeuianum exemplum cum Veneta et Colonienſi editione eadem cum cura, qua in commentario in epiſtolas ad Diuerſos verſatum me eſſe intelligentes harum rerum arbitri adgnouerunt, collatum ab omni vitiorum labe purgaui, magna patientia ad perferendum hunc moleſtiſſimum, ſed, vt re ipſa intellexi, ſumme neceſſarium laborem armatus. Neque vero ad multas maculas eluendas oculorum modo acie, ſed ingenii etiam auxilio opus fuit. Plures igitur grauioris leuiorisue momenti emendationes contra editionum conſenſum tentaui, quas iam ad certa quaedam genera reuocatas exponere, ab hoc loco non alienum eſſe videtur. Nam et ad rectius iudicandum de noſtra in hoc recenſendi negotio diligentia proderit, et ad ſuperiorum editorum eodem in genere negligentiam dilucidius perſpiciendam. Sunt autem mutationes a me ſusceptae quadruplicis generis: vel enim prauae, et interdum abſurdae lectiones correctae, aut e verborum vicinia, aut ex ingenio: vel obſeruationes inepte traiectae ſuo loco reſtitutae: vel omiſſa ſuppleta: vel ſuperuacaneae earumdem adnotationum geminationes ſublatae ſunt. Quas iam per ſingula cuiusque generis exempla ordine proponemus.

Ac

Ac primi generis noſtrarum correctionum, quibus deprauatis, et nonnumquam idoneo ſenſu deſtitutis locis medelam adferre ſumus conati, haec fere ſunt exempla, quae ſequuntur. *Orat. pro Roſcio Amer. c. II.* ad verba, *adoleſcens vel potentiſſimus hoc tempore noſtrae ciuitatis*, omnes editiones in hac lectione conſpirant: *Singula verba ad inuidiam Chryſogono valent.* Deeſſe aliquid, vnde dandi caſus regatur, nemo eſt quin videat. Quapropter addendum exiſtimaui, *concitandam*, quod et ſenſus requirit, et Manutius tantum non ſemper vſurpare hoc in genere ſolet. *Diuin. c. IX.* ad verba, *nimis acutum et ſuſpicioſum*, in Aldina pariter ac Graeuiana adnotatio ſic legitur: *E Siculorum ingenii argute capit argumentum contra Caecilium.* Quae cum mendoſa eſſe intelligeret, qui Colonienſem editionem curauit, pro, *ingenii*, repoſuit, *ingeniis.* Nos vero, ſeruato generandi caſu, inſerta voce, *acumine*, ex eo, quod ſequitur, lacunam explendam duximus. *Lib. I. in Verr. c. 41.* ad illud, *legem Voconiam*, in Aldina et Colonienſi editione haec leguntur: *Subaudi, heredem ab eo filiam inſtitui nolle, qui conſul non ſit. haec enim legis Voconiae ſententia fuit.* Quae cum manifeſto mendo laborent, Graeuius, licet ea retinuerit, tamen ſub aſteriſco adſcripſit: *credo Manutium ſcripſiſſe*, qui cenſus ſit. Ego vero, Manutium ita ſcripſiſſe, neque aliter ſcribere potuiſſe, non credo, ſed iis, quae paullo ante ad verba, *neque cenſus eſſet*, et infra *c. XLIII.* ad illa, *qui cenſus ſit*, adnotauit, cum hoc loco diligenter collatis, mihi plane perſuaſum habeo. Itaque, ſublato mendo, veram Manutio ſcripturam, ex antecedenti et ſubſequenti explanatione petitam, ac Graeuio probatam, reddere nullus dubitaui. *Eodem libro c. 51.* ad illud, *M. Marcellum*, in omnibus editionibus haec habentur: *Iudicem in oratione pro Quintio, C. Marcelli Aeſernini, qui lib. IV. nominatur: vt*

in Bruto. Deeſſe vocem, *patrem*, locus in Bruto *c. XLII.* docet, eamque igitur adieci. *Lib. II. in Verr. c. 1.* ad verbum, *firmus*, manifeſto turpique errore, antea legebatur haec adnotatio: *Non ab initio, ſed aliquanto poſt: quae autem ab initio, in amicitia perpetuo manſerunt.* Quae quidem voci, *firmus*, ſcilicet *accuſator*, quam inepte conueniant, quilibet, vel me non monente, illico animaduertit. Nihilo tamen minus in Aldina ſic expreſſa et Colonienſis editor, et Graeuius ad verbum typis deſcribenda curarunt. Nihil autem probabilius eſt, quam, quae Manutius ad verbum, *firmus*, adſcripſerat, operarum incuria omiſſis, ſequentem obſeruationem, quae ad Siciliae ciuitates pertinet, cum voce, *firmus*, antecedenti praepoſita, abſurda ratione coaluiſſe. Quae quoniam verbo, *pleraeque*, et ſequentibus adprime congruit; illud praefigendum eſſe putaui. Integra igitur obſeruatio ad verbum, *firmus*, deſideratur. Cui ſimile mendum ſtatim addam, quod, conſentientibus omnibus editionibus, *orat. pro Milone c. XXVIII.* inuenitur. Vbi cum ad verbum, *conſule*, Manutius adſcripſiſſet, *Pompeio;* inepta ratione connectitur locus Quinctiliani *Lib. V. c. vlt.* Verba enim praeſcribenda erant, ad quae ille locus a Manutio laudatus pertinet, nimirum illa *c. XXIX. eius igitur mortis ſedetis vltores.* Itaque locum mutilum emendaui. *Agrar. II. c. 30.* vbi Cicero de P. Lentulo, principe ſenatus, loquitur, eum, qui, Catilinariae coniurationis particeps, indigno ſua dignitate mortis genere periit, Manutius intelligere profecto non potuit. Nihilo tamen minus ad illud, *P. Lentulus*, omnes editiones in hac ſcriptura conſentiunt: *Is, qui cum Catilina coniurauit.* Quod cum abſurdum ſit, et a doctrina Manutii plane alienum, ſollertiſſimum interpretem ex ſemet ipſo emendare, atque ex alio loco, nempe *Diuin. c. XXI.* vbi idem occurrit, idemque locus *Catil. III. c. 5.* laudatur,

ita

ita exhibere neceſſitas plane flagitabat: *Auus eius Lentuli, qui cum Catilina coniurauit.* Quid enim? num talem ſcripturam feramus, qualem auctor ipſe, tamquam perſona indignam ſua, reiiceret? Talis religio, ſiue potius ſuperſtitio mentem numquam occupauit meam: praeſertim in recognoſcendis eiusmodi ſcriptis, quibus auctor ante eorum editionem morte fuit ereptus. Multa ſaepe commiſit deſcriptorum ſiue inſcitia, ſiue ſocordia: multa operarum typographicarum incuria: quae prouida ſollertique cura eorum, qui recognitionem ſcriptorum inſtituunt, tollenda ſunt atque eliminanda. *Orat. pro Rabirio perd. reo c. V.* ad verba, *clariſſimi patrui tui*, in editione Aldina, et eam etiam in mendis minime dubiis vbique fere ſequenti Graeuiana, vitioſe haec leguntur: *Rectius videtur*, cariſſimi, *vt ſit amore Labieni deriſio*, *qui patruum hoſtem reipublicae*, *amore et caritate adductus*, *exitio Rabirii conetur vlciſci.* Manifeſtum vitium aduertit editor Colonienſis, adeoque pro, *amore Labieni deriſio*, dedit, *amoris Labieni deriſio.* Sed ne ſic quidem laboranti Manutio, licet iam minus vitioſe loquenti, ſatis ſuccurritur. Quare duplex expediendae rei gratia ratio in mentem venit: aut vt illud, *amore*, prius inepte poſitum, et forte operarum culpa, vt haud raro fieri ſolet, ex inferiore verſu in ſuperiorem translatum, plane tollamus, aut pro, *amore*, exigua neque improbabili litterarum mutatione, reponamus, *amara*, quam vocem et alibi deriſioni addere Manutius ſolet. Quorum cum hoc lenius illo remedium viſum eſſet, operis praeſcripſi, *amara Labieni deriſio.* Ceterum non adeo meae mihi placent ſiue coniecturae, ſiue hariolationes, quin aliis, qui acutius vident, liberam earum reiiciendarum poteſtatem libens permittam. Emendandi certe cauſſam neceſſariam fuiſſe, quisque videt. *Orat. pro Flacco c. VI.* verborum, *recenti ac noua*, haec explanatio ſubiicitur:

 tur:

tur: Recenti, *ad propinquum tempus*, noua, *ad vniuerſum refertur. proxime: Inique lata eſt lex eſt, quae lata numquam fuerat.* Sic habet Veneta. Colonienſis editor verbum, *eſt*, priore loco, Graeuius poſteriore poſitum deleuit. Ipſe primum, typorum vitio deceptus, verba illa, *inique lata lex eſt, quae lata numquam fuerat*, Ciceronis eſſe, in oratione proxime pronunciata, exiſtimabam. Quae cum nusquam reperiſſem, poſt varias coniecturas, feliciter tandem ſuccurrit, quod ſolum verum eſſe, neque ab ipſo Manutio aliter ſcriptum, a deſcriptore vero vel operis typographicis ita, vt nunc legitur, deprauatum, quouis pignore certare auſim. Poſuerat Manutius, *recenti*, ad propinquum tempus, *noua*, ad vniuerſum referri. Nunc, quod crebro facere ſolet, mentem ſuam clarius exprimit, et verba Ciceronis ſic interpretari pergit: *proxime, inquit, lata lex eſt, quae lata numquam fuerat.* Verba igitur Manutii ſunt, non Ciceronis a Manutio laudata. Iam vero cum ex, *inquit*, facili in deſcribendo lapſu, factum ſit, *inique*, vt vnus error ſaepe gignit alium, vox, *proxime*, fraudi fuit editoribus, vt ſequentia verba Ciceronis eſſe arbitrarentur, adeoque Graeuius more ſuo ea litteris vulgaribus, quas curſiuas vocant, exprimeret. Atque ſic expreſſa licet commodum ſenſum praebeant, a mente tamen Manutii ſunt plane aliena. Neque enim de iniqua legislatione, ſed de nupera et inaudita recte accipit. Locum autem non vacare mendo, medicaque indigere manu, vel verbum, *eſt*, bis poſitum ſatis, niſi fallor, indicare videtur. Quae cum ita ſint, non poteſt non noſtra corrigendi ratio eſſe quam certiſſima. *Orat. ad Quir. poſt red. argum.* in Aldina editione impreſſum erat ſic: *Cum haec ſimul omnia recuperauerit, primum liberos, patrem,* et reliqua. Quod quam vitioſum ſit, vel tironibus ſtatim in oculos incurrit. Cicero enim, patriae reſtitutus, *patrem* recuperare non

non potuit, diu ante amiſſum: *fratrem* vero iucundiſſimum ſibi redditum eſſe maximopere laetatur. Quo magis ſum miratus, neque ab editore Colonienſi, neque a Graeuio tam abſurdum mendum fuiſſe ſublatum. Itaque nos tandem ſustulimus. *Orat. de haruſp. reſp. argum.* non ſolum in omnibus editionibus commentarii, ſed apud eos etiam orationum editores, qui Manutii argumentis vſi ſunt, conſtanter legitur: *Octo ſunt haec haruſpicum reſponſa*, licet ſtatim ante, et in ſubſequentibus ſeptem dumtaxat Manutius recitauerit. Itaque, licet omnes a Veneta editione vitium traduxerint, tamen pro numero octonario, qui cum antecedenti et ſubſequenti oratione pugnat, ſeptenarium reponere nullus dubitaui. *Orat. pro Sextio c. XXVII.* ad illud, *a Lucullo*, haec notata leguntur: *Qui Mithridatem, atque etiam Tigranem ita iuuit, vt Pompeio, qui ſucceſſit, non difficiles belli reliquias tradiderit.* Sic altera editio, Aldina, et Colonienſis exhibent. Verbum autem, *iuuit*, cum ſenſui plane repugnet, Graeuius pro eo repoſuit, *fregit;* apte quidem, quoad ſenſum, ſed paullo audacius. Nos igitur modeſtiore criſi ex ſimilitudine litterarum pro, *iuuit*, ſubſtituimus, *vicit:* quod, niſi me omnia fallunt, procul dubio Manutius poſuit. *Orat. pro Rabirio Poſt. c. XIII.* ad illum locum: *Tum temporis, credo, cauſſa*, Aldus ſic impreſſit: *Tunc, vt reum Gabinium ſubleuarent: nunc, vt reum Poſtumum.* Ita et Colonienſis habet. At cum verbum, *ſubleuare*, ſubaudiri non poſſit, imo contrarium intelligatur; Graeuius recte addidit, *premant*, quod ſenſus requirit, et nos recepimus. *Orat. pro Ligario c. VI.* in eo loco: *Liceat eſſe miſeros*, Aldina ſic habet: *Liceat per te, Tubero, in exſilium, ac miſeriam Ligarium viuere.* Ibi Colonienſis editor pro, *viuere*, repoſuit, *ire.* At enim iam exſulabat Ligarius, et, vt Manutius ſtatim addit, aliquid

 vltra

vltra exſilii miſeriam accuſator quaerebat. Hinc, Graevium ſecutus, pro accuſandi caſu, reponere auferendi caſum haud dubitaui. *Orat. pro Deiotaro c. XIV.* ad verbum, *ſanctum*, conſentiens eſt editionum lectio, *vnde illa Caeſaris verba apud Suetonium in oratione, qua matrem mortuam laudauit.* Eſſe autem pro, *matrem*, corrigendum, *amitam*, vel tironibus patet. *Phil. II. c. 18.* ad verba, *muliebrem togam*, mendum vel Catoni ridiculum occurrit. In Aldina enim, quacum Colonienſis conſpirat, haec interpretatio exhibetur: *Infames, et libertini generis toga, publicae, et honeſto loco natae ſtola vtebantur.* Iam Graevius copulam, *et*, mutauit in, *at:* Stubelius vero, *toga publice, at*, pingui Minerua, vt aiunt, emendauit. Sed criticam ita tractare, quid aliud eſt, niſi nugas vendere? Ecquid autem facilius eſſe ſanitate loco reſtituenda poteſt? Sunt enim in oppoſitione *infames*, et *pudicae*, *libertini generis*, et *honeſto loco natae.* Quod cum omnes editores non animaduerterent, inde portentum natum, quod inſigne ad deformitatem tollere neceſſe erat. *Phil. XIII. c. 16.* ad verbum, *contraxiſtis*, in omnibus editionibus verbum, *contraxerat*, bis legitur, nempe ſic: *qui veteranos contraxerat, et ad quem legio Martia et Quarta contraxerat.* Poſteriore loco repoſui, *transierat*, quod reponendum eſſe quis non videt? Ne quid autem ineptiarum per omnes editiones traductarum hoc loco omnino deſit, nec haec ſilentio praetermittam, magis ioci cauſſa, quam quod ea vllius eſſe ponderis arbitrer. *Orat. pro domo c. XIX.* in eo loco: *Accuſare non eſt auſus*, in Aldina pro, *Ligur*, impreſſum eſt, *legitur: orat. de haruſp. reſp. c. XVIII.* ad verba, *eiulatus et gemitus*, *Atticus*, exhibetur, pro, *Attius: orat. pro Plancio c. XIV.* in eo, *tu Druſe, quid agis, lege Licinia et Muſica*, pro, *Mucia*, profertur: quibus, et huius farinae aliis

men-

mendis odorandis tametſi naſo rhinocerotis haud opus erat; eadem tamen, ne vna quidem litterula mutata, in Colonienſi ac Graeuiana editione ſeruata reperiuntur.

Progredimur ad alterum genus mutationum contra editionum conſenſum a nobis ſusceptarum, quibus inepte traiecta ſuo quaeque loco reſtituenda putauimus. Cuius generis primum, et valde memorabile exemplum offert *orat. pro Roſcio Amer. c. L.* vbi in omnibus editionibus, praefixo verbo, *derogetur*, haec adnotatio legitur: *Minuatur. alibi*, abrogare fidem. Iam cum id verbum ibi plane non occurrat, in *Quintiana* vero *c. XXIII.* in eo loco: *fides huius multis locis cognita, ne perſidia Sex. Naeuii derogetur, laborant*, reperiatur: neſcio quo caſu illa adnotatiuncula in aliam plane orationem transmigrauerit. Quam, ſede pulſam ſua, in locum priſtinum nunc a me reſtitutam eſſe, nemo, opinor, erit, qui reprehendere ſustineat. Simili transpoſitione, intra eiusdem tamen orationis fines, opus fuit *orat. pro Milone c. II.* et *XX.* Etenim quae ad verba, *cum alter veheretur in rheda penulatus*, ex Quinctiliano adſcripſit Manutius, *c. II.* collocata ſunt, cum tamen ad *c. XX.* pertineant: contra vero adnotatio ad verba, *equidem ceteras tempeſtates et procellas*, ad *c. II.* referenda, praepoſtere *c. XX.* fuit conſtituta. Cuius perturbationis, in omnibus editionibus deprehenſae, vitandae cauſſa ſuo vtramque loco repoſuimus. Praeter integras vero obſeruationes vel in aliam plane orationem, vel in alium eiusdem orationis locum translocandas, plures etiam in vicinia traiectionum ineptiae, a nullo editore animaduerſae, occurrebant, a nobis iam ſublatae, quarum exempla iam commemorabo. Sic *Lib. III. in Verr. c. 9.* traiectione perturbata eſt explanatio. Ibi enim ad vocem, *corpore*, additum erat, *magno*, ad, *ore*, autem, *obeſo:* quod

con-

contra oportuit. Quamuis enim recte dici poteſt, *corpus magnum* et *obeſum;* quis tamen vmquam, *os obeſum*, dixit? Quod quomodo diligentiam editorum effugere potuerit, vix comprehendere poſſum. Non minus abſurda transpoſitio *orat. pro Coelio c. XXX.* habetur, vbi voce, *caſtiſſimo*, per, *integerrimo*, explanata, locus pro Plancio: *Fuit in Creta contubernalis Saturnini*, inepta ratione ſubiunctus reperitur, quem, a Manutio ad marginem fortaſſe adſcriptum, nemo non videt praecedenti adnotationi, qua vox, *contubernalis*, explicatur, eſſe inſerendum. Atque ita locum, in omnibus editionibus corruptum, reſtituere ſum conatus. *Orat. pro Sextio c. LXIX.* ad illud, *ſuperior annus*, ſeries orationis Manutianae, inſertis nonnullis, interrupta, neceſſaria transpoſitione connectenda mihi eſſe videtur. Illa enim, *vide etiam Iulium Caeſarem annos natum XVII. flaminem dialem, patre amiſſo, deſignatum. Suetonius in principio*, quae ab altera Sextianae cum Manutii commentario editione plane abſunt, Manutius fortaſſe ad marginem notauerat, quae in Aldina operarum inſcitia incongruo loco ſunt inſerta. Dixerat, Lentulum adoleſcentulum, annum XVII. agentem in augurum collegium eſſe cooptatum. Poſtea exemplum Iulii Caeſaris adſcripſit, quem annos natum XVII. flaminem dialem deſignatum eſſe, Suetonius narrat. Iam in vniverſum notat, ſacerdotia maturius dari ſolita, quam magiſtratus. Quam inepte poſt quaeſturam memoratam flaminii rurſus fit mentio? Nemini igitur dubium eſſe poteſt, quin ſententiae eo ordine a nobis collocatae fuerint, quo ex mente Manutii collocari debebant. Praeterea vero etiam, *vide*, in, *videmus*, mutare neceſſe erat, quoniam antecedit, *legimus*. Atque ſic et ſine vitio, et congruo ordine diſpoſita omnia cohaerent. Huius generis

ris denique et hoc eſt, quod *Phil. III. argum.* vltima periodus de habitae orationis tempore ab argumento auulſa explanationis initio fuit conſtituta. Cum vero perpetuus Manutii mos ſit, ſicut in epiſtolis ad Diuerſos fecit, tempus cuiusque orationis in argumento definire; quae hic de tempore in omnibus editionibus explanationis principio reperi, loco ſuo reſtituere non dubitaui.

Nunc ad tertium genus noſtrarum emendationum, quibus omiſſa ſupplentur, veniamus, cuius tria dumtaxat exempla habemus. Primum occurrit *orat. poſt red. in ſen. c. V.* vbi in Veneta et Colonienſi ad illud, *tribunus plebis*, vncinula licet adpoſita, nomen a Manutio adſcriptum, operarum negligentia fuit omiſſum. Hinc Graeuius hanc adnotatiunculam plane neglexit. Addidi igitur, *P. Clodius*, qui intelligitur. Alterum inueni *orat. pro Sextio c. LII.* vbi in Aldina et reliquis adnotatio ad illa, *in quo tamen*, deſinit in his: *dicit igitur*, illo ore, *impuriſſimo ac foediſſimo, quo virorum obſcoena membra concipere ſolitus.* Reliqua autem verba cum in editione ſecunda reperiſſem, propterea adiicienda duxi, quod Manutius, qua fuit in emendando religione atque modeſtia, veterem lectionem numquam ſilentio praetermittere conſueuit. Quae veriſimile eſt operarum culpa fuiſſe neglecta. Tertium eſt *Phil. I. c. 4.* in eo loco: *Si quid mihi humanitus accidiſſet*, vbi, recitatis Ciceronis verbis, *Lib. II. de Inuent. c. 21. Si quid pupillo accidiſſet*, ſubiiciuntur haec: *Quod Graeci dicunt*, apud Graeuium litteris vulgaribus, vt antecedentia Ciceronis verba, expreſſa. Sed lacunam hic eſſe, et verba, *quod Graeci dicunt*, ſine adiectione ſtare non poſſe, ſatis patet. Manutius igitur aut Graecam loquendi rationem adſcribere neglexit, aut operarum culpa quaedam interciderunt.

derunt. Graeci autem dicunt, (liceat ſine reprehenſione omnia effari) *εἴ τι πάθοιμι, εἴ τι πάθοις, εἴ τι πάθοι*, quae Latini exprimere ſolent, *ſi quid mihi accidiſſet, ſi quid tibi accidiſſet, ſi quid ei accidiſſet.* Sic, vt hoc vno vtar, occurrit apud Aeſchinem *Axioch. c. XIV.* Verba haec ſunt: *ὥστε οὔτε περί σε νῦν ἐστιν, οὐ γὰρ τέθνηκας, οὔτε εἴ τι πάθοις, ἔσται περί σε, σὺ γὰρ οὐκ ἔσῃ.* Quae Clericus bene ſic vertit: *Itaque ad te nunc non pertinet, neque enim mortuus es; nec ſi quid tibi humanitus contigerit, ad te pertinebit, tu enim non eris.* Et locis Ciceronis a Manutio recitatis commode addi poteſt alius *Tuſc. I. c. 43.* vbi haec leguntur: *Praeclare Anaxagoras: qui cum Lampſaci moreretur, quaerentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, ſi quid ei accidiſſet, adferri: nihil neceſſe eſt, inquit. vndique enim ad inferos tantumdem viae eſt.* Graeca igitur adſcribenda erant, vt loco mutilo integritas conciliaretur. Sunt quidem adhuc aliae quaedam in hoc commentario lacunae, quas vero indicare tantum mihi, non explere licet. Sic, praeter eam, cuius ſupra mentionem feci, *Lib. II. in Verr. c. 1.* ad vocem, *firmus*, *Catil. I. c. 1.* in eo loco: *Habemus ſenatus conſultum in te, Catilina, vehemens et graue*, quatuor ſenatus conſulta in cauſſa coniurationis facta eſſe, cum initio adnotationis Manutius dixiſſet, tribus deinde expoſitis, quartum deſideratur. Ita etiam *orat. in Piſonem c. IX.* ad illud, *eodem in templo*, non ſine lacunae ſuſpicione haec adnotatio legitur: *Vbi Clodius de me rogationem ferebat. Sit vnum.* Poſtrema enim verba neque ſenſum habent, neque huc quadrant. Hinc, quantum mihi coniicere licet, deeſſe aliquid videtur.

Reliquum eſt, vt quarti generis, quod ſuperuacaneas earumdem adnotationum iterationes complectitur, exempla in medium adferamus. Ac primum quidem *orat. pro*

Quin-

Quintio c. XXX. adnotatio ad verbum, *Naeuii*, mea quidem ſententia, abundare videtur. Nihil enim fere continet, niſi quod iam in proxima ſuperiore aliis verbis Manutius dixit. Suſpicionis autem cauſſam maxime praebuit, quod in Aldina editione alieno collocata loco illa comparet, vt dubium non ſit, quin, priore illa, vt nos, ſeruato verborum ordine, has obſeruationes collocauimus, adſcripta, hanc Manutius voluerit inducere. Sed et haec, et aliae in ſequentibus, contra illius mentem, remanſiſſe videntur. Quas quidem ſuperuacaneas geminationes etſi poſtea tollere, neceſſitate ſic vrgente, minus dubitauimus; hanc tamen, cum verba non plane eadem ſint, quod in ſequentibus aliquoties animaduertimus, eaque quodam modo ferri poſſit, e ſuperioribus huc translatam ſeruare voluimus. Quas vero, quibusue cauſſis compulſi ſuſtulerimus, age, iam breuiter exponamus. *Orat. pro Cluentio c. XX.* ad verba, *rem enim integram*, omnes editiones duplicem adnotationem exhibent. Alteram, quae priore poſita erat loco his verbis: *Nullo dum iudicio damnatam*, vtpote poſteriore clarius expreſſam, eaque de cauſſa a Manutio haud dubie adiectam, ne bis idem iisdem fere verbis contra mentem Manutii legeretur, quid retinere nos poterat, quominus proſcriberemus? *Rem* enim, antea non expoſitam, nunc interpretatur, *cauſſam Scamandri;* et cum, *integram*, antea, *nullo dum* iudicio *damnatam*, explicuiſſet, poſtea, *praeiudicio* ſubſtituto, adcuratius ſcribere voluit. Quare cum ex voluntate Manutii, tam clare indicata, prior illa inducenda eſſet, atque abiicienda, nihilo tamen ſecius incuria Aldi filii vtraque typis fuit expreſſa. Nemine igitur deinceps inutilem repetitionem animaduertente, noſtrum erat animaduertere. *Orat. pro Plancio* duplex occurrit

currit eiusdem adnotationis geminatio: quarum altera eſt *c. XXVIII.* in eo, *ſuo nomine*, quod cum Manutius ſic explicaſſet: *Quia rempublicam ſeruaſſet*, poſtea aliam explicationem adſcripſit, quae modum reipublicae ſeruandae clarius exprimeret, nempe, *quod C. Gracchum pro communi otio necaſſet.* Priorem igitur, tamquam ſuperfluam, alii editores ante me omittere debebant, et, quoniam id factum non eſt, ego omiſi. Altera paullo poſt *c. XXXIV.* conſpicitur, vbi illud, *mea lege*, ita interpretatur: *Quam conſul tulit, aucta poena, et irrogato ordini ſenatorio decem annorum exſilio.* Sequitur ſtatim: Mea lege: *quam de ambitu conſul tuli, irrogato decem annorum exſilio.* Quae igitur prius tertia perſona pronunciauerat, iisdem fere verbis proxime elocutum eſſe prima perſona, quis credat? Nulla dubitatio eſt, quin prior ex mente Manutii delenda ſit, et ita feci. Similiter *orat. pro Sextio* duplex repetitio occurrit: quarum vna *c. XIII.* ad haec verba: *Non ſuo, ſed meo nomine*, quae ſic explicat: *Non quod ipſe deliquerit, ſed quod me inique pulſum reſtituerit.* Iam, quae ſequitur obſeruatio ad eadem verba, latinitate tantum variata, eadem continet. Quare licet ea et in altera editione ſic reperiatur, nihilo tamen ſecius eam delendam putaui. Altera eſt *c. XXIX.* ad illud, *a collega:* vbi haec adnotatio legitur: *Q. Metello Nepote, qui, vt iniquam legem ferret, templum occupauit. non tulit autem, Catone cum vitae periculo reſiſtente. Plutarchus in eius vita.* Eadem initio praecedentis obſeruationis leguntur. Nunc geminationis ratio haec eſt. Adnotatio, cuius verba proxime recitaui, ſola eſt in altera editione. Eam poſtea Manutius vberiorem fecit, adeoque prior illa in Aldina editione plane noua eſt. Poſterior igitur, neceſſario inducenda, incuria remanſit, et ſic ab illa in Aldinam, et

ab

ab hac in omnes ſequentes, nemine ſuperfluum adtendente, migrauit.

Videorne ſatis, quam ſollerti cura atque diligentia in recognoſcendis commentariis Manutianis verſatus fuerim, demonſtraſſe? Quorſum vero haec omnia tam copioſe disputaui, et vero ad has tales minutias interdum deſcendi? quorſum? nempe vt in rem praeſentem lectores ducerem, iisque ob oculos ponerem, quam negligenter hi commentarii primum impreſſi, poſteaque ſemel iterumque recuſi fuerint, et quantopere huius negligentiae nomine maxime Graeuius ſit culpandus: quem, ſi ipſe iis renouandis ſupereſſe non potuit, magis idoneum atque intelligentem hominem huic negotio praeficere oportebat, vt ſic pulcherrima haec Manutiani ingenii monimenta a maculis, quae illis inhaerebant, purgarentur, neque nouis, iisque, vt ſupra probatum dedimus, ſaepe multo maioribus conſpurcarentur.

Neque vero diligentia noſtra his adcuratioris textus Manutiani recenſionis finibus coerceri ſe coarctarique paſſa eſt, ſed vlterius progreſſa locis cum Ciceronis, tum aliorum veterum ſcriptorum, a Manutio laudatis, euoluendis, et vero etiam curatius notandis ac definiendis fuit occupata. Et in Ciceronis quidem locis recitandis quamquam in commentario in epiſtolas ad Diuerſos eam rationem ſumus ſecuti, vt Erneſtinam lectionem, quantum ſalua Manutii ſententia fieri poſſet, vbique referremus: tamen cum, quantum incommodi inde neceſſario oriretur, ſi, vno loco recepta, alio rurſus deſerenda eſſet, intelligeremus, mutato conſilio, Manutianam vbique ſeruauimus, notata tamen vsquequaque Erneſtinae lectionis varietate. Id tamen liquido confirmare poſſumus, nullum Ciceronis locum, quin euolveremus, et verbis etiam integritatem daremus, a nobis eſſe

praetermiſſum. Quae quidem noſtra diligentia tantum abeſt, vt ſuperuacanea videri poſſit, vt mirifice proſit iis, qui ſeuera lege in hoc genere proficere cupiunt. Cum vero Manutius memoria nonnumquam lapſus, non modo alium Ciceronis librum laudet, quam quo verba recitata continentur, ſed etiam longe aliter, quam alibi legantur: noſtrae neque incuriae, neque oſcitantiae tribui debet, quod pauci quidam loci ſine adcuratiore notatione remanſerunt. Sic, quoniam hoc ſtatim mihi ſuccurrit, *orat. pro Sextio c. LI.* in eo loco, *ornamenta confecit*, laudatur epiſtola ad D. Brutum lib. X. Iam epiſtolas ad D. Brutum non decimo, ſed vndecimo libro contineri, vel pueris notum eſt. Deinde verba recitata: *Equeſtrem dignitatem vix ſuſtinet*, hac forma, niſi me mea penitus fallit memoria, in toto epiſtolarum ad Diuerſos volumine non occurrunt. Videtur autem Manutius in mente habuiſſe locum *Lib. IX. epiſt. 13. ad Dolabellam*, vbi, *res familiaris*, inquit, *alteri eorum valde exigua eſt*, *alteri vix equeſtris.* Grauior memoriae lapſus, niſi quid mendi ſubeſt, reperitur *orat. pro Deiotaro c. XI.* in eo loco: *Conſulem cenſorem*, *pontificem maximum*, vbi quae verba ex oratione pro domo laudantur, ea ipſa ſunt, quae ibidem explicantur. Similes aliquot huius generis errores, vt tempori et chartis parcam, praetermittam. Quam vero in Ciceronis locis curatius definiendis operam adhibuimus, eamdem et aliorum ſcriptorum locis crebro a Manutio vel laudatis modo, vel etiam recitatis ſumus impertiti. In quo quidem neminem fore arbitror, qui et in Latinis, et in Graecis diligentiam noſtram deſideret. Eadem tamen memoriae errata in his quoque a Manutio interdum commiſſa obſeruaui. Sic *orat. pro Milone argum.* locus Velleii *Lib. II.* laudatur de trecentis iudicibus in iudicio Miloniano a Pompeio e ſingulis

gulis

gulis ordinibus propoſitis, quod nusquam apud Velleium me legere memini. Non minus *orat. pro Ligario c. III.* in eo loco: *Quid enim Tubero*, et quae ſequuntur, in laudando Quinctiliano hallucinatur. Quinctilianus enim hunc locum Ciceronis quidem recitat *Lib. VIII. c. 6.* et *Lib. IX. c. 2.* hiſtoriam autem de commoto, his verbis a Cicerone pronunciatis, Caeſaris animo, narrat Plutarchus. Haud dubie etiam in loco Plautino *orat. pro Murena c. XII.* in eo, *vtrisque ſuperſtitibus praeſentibus*, laudato errauit. Neque enim in vlla fabula Plautina, neque in fragmentis, omni adhibita opera, verba illa, *ſuperſtitem vtrumque monui, ne iniuſſi abeant*, reperire mihi licuit, nec Geſnerus in Theſauro, quem hoc nomine conſului, licet eadem verba exhibeat, locum curatius indicauit. Quod vero neque in his commentariis, Plutarchi, Strabonis, Dionis, Appiani aliorumque loci aliter, quam libro dumtaxat indicato, laudati reperiuntur, eamdem habet cauſſam, quam in praefatione ad commentarium in epiſtolas ad Diuerſos commemorauimus: quam ſiue probet quis, ſiue improbet, noſtra magnopere non intereſt. Ceterum hos, aliosque huius generis ſcriptores ad manus nos habuiſſe, neque laboris fuga neglexiſſe, bona fide teſtamur.

Indicem denique rerum et verborum nouum et adcuratum confecimus. In quo quidem digerendo, rebusque omnibus commentario comprehenſis, et notatu dignis apte et concinne collocandis non parum moleſtiarum nobis fuit deuorandum. Nam in Aldina quidem editione ſingulis orationum voluminibus duplex index locupletiſſimus adiectus eſt, alter rerum et verborum, quae in quoque orationum volumine, alter eorum, quae in Manutii commentario continentur. Hi indices deinceps et Colonienſi, et Grae-

vianae editioni adiecti ſunt atque adcommodati. Vtrumque vero non mancum modo et imperfectum, ſed etiam ſine omni ſenſu ac iudicio ſaepe confectum deprehendi. Alter igitur tamquam plane inutilis erat omittendus, alter vero ita purgandus ac locupletandus, et in tres partes diſſectus, et omnino male ordinatus, ita conglutinandus ac meliori ordine diſponendus, vt nouus dici haberique iure poſſit. Id vnum aegre tuli, in rebus ad Ciceronem pertinentibus enunciationes, operis non adtendentibus, praepoſtero ordine fuiſſe collocatas. Reliqua omnia ita quisque ordinata inueniet, vt in euoluendo ac peruolutando commentario commodiſſimum vſum praebere poſſint.

Haec fere ſunt, quae de hac parte noſtrae commentariorum Manutianorum recenſionis in ſumma temporis anguſtia, medioque mercatus ſtrepitu, feſtinabundus, crebroque interpellatus dicere habui. Cum igitur neque nos vllum genus diligentiae atque laboris ſubterfugerimus, quominus doctiſſimus Tullianarum orationum interpres adcuratiſſime et emendatiſſime operis traderetur, neque librarii vllis ſumtibus pepercerint, quin elegantiſſimo atque ornatiſſimo cultu in publicum rurſus prodiret: non dubitamus, quin plurimos ad emendum ſit legendumue adlecturus. Qui vt vberrimos inde fructus capiant, ex animi ſententia optamus, nobisque, tot tantisque cum difficultatibus ſaepe luctatis, ſi qua humanae imbecillitatis veſtigia deprehenderint, vt benigne veniam impertiantur, obſeruantiſſime etiam atque etiam rogamus. Scribebam in vniuerſitate litterarum Lipſica a. d. XVII. Mai. A. C. cIↄIↄcclxxxiii.

GRE-

GREGORIO XIII

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

LIBERALIVM DISCIPLINARVM MAECENATI

In communibus miſeriis ea praecipue ſum moleſtia conflictatus, GREGORI XIII. quod Sanctitati Tuae promiſſum a patre meo primum, poſtea a me quoque hoc animi noſtri ſignum in hoc vsque tempus differre ſim coactus. Nam, cum ad liberos res paterna pertineat; quae ipſi, dum viuerent, promiſerunt, praeſtari a filiis par eſſe cenſeo. Verum, quid ego promiſſum hoc appello? debitum potius appellare debeo, immo certe erat. Cum enim Tu patri meo honorificum ſtipendium eo praecipue nomine aſſignaſſes, vt, quo modo ei placitum eſſet, ad praeclara litterarum ſtudia incumberet, et ſtudioſis hominibus emolumento eſſe poſſet; quae ipſe ex ingenio ſuo prompſiſſet, omnia, tamquam Tibi debita, et a Te profecta, Tibi optimo iure, et merito eſſe conſecranda, quis dubitet? Qua de re et Sanctitati Tuae plurimum ipſe debebat, id aſſecutus, quod in omni vita expetierat, vt omne otium, tempusque in ſcribendo contereret, et vero ſtudioſi omnes, qui ex eius ſcriptis maximum laborum leuamentum ſentiebant, ſingulari Tuo beneficio ita deuincti erant, nemini vt plus vmquam ſe debere faterentur. Inuidit hoc Fortuna, magnarum rerum aſſidua, et acerrima aduerſaria; et, ei vitam eripiens, ſtudioſis lumen exſtinxit, meque quo parente? orbauit. Hinc ego nunc, triennio poſt eius obitum, ſerius certe, quam promiſeram, verum ita temporibus non modo poſtulantibus, verum exigentibus quoque, et publicis, et priuatis acerbitatibus ſemper afflictus, atque exagitatus, vixque reſpirans, tandem ad Te hunc in M. Tullii Ciceronis Orationes Commentarium, Tibi, tamquam vero liberalium diſciplinarum Maecenati, debitum, προσφωνέω. Et certe, niſi Tua eximia benignitas perculſis iam, et fere proſtratis liberalibus diſciplinis opem, et ſubſidium aliquod afferat, vereor, ne, hominibus ſeſe abripientes, exſulatum abeant: ſummo Italiae noſtrae, quae olim litteratos viros ſummis praemiis ad praeclara ſtudia incitabat, atque adeo totius Europae cum dedecore. Multos iam annos, errantes, ſupplicesque, modo ad hunc, modo ad illum Principem adeunt,

adeunt, modoque ab hoc, modo ab illo (dictu miſerabile) non repulſam tantum, ſed ignominiam, et calamitatem referunt. Quare ego, qui ab initio aetatis ad eas ſemper omni animi mei vi inflammatus fui, cum videro eas non eum obtinere locum, quem iure debent, verum in poſtremis eſſe, genus vitae mutare in animum induxi: ne vna cum iis exſulare cogar. Hoc igitur, quidquid eſt, Sanctitati Tuae offero: eas Tibi commendans, ſuppliciterque exorans, vt, laudabilem vitae Tuae curſum retinens, eis auxilio, et praeſidio eſſe, cadentesque erigere, et ſuſtentare velis. Quod cum omnes Principes deceat, Sanctitatem Tuam maxime decet, quae in terris Chriſti vices gerens, exemplo magnorum Regum, et Principum animos ad eas ſubleuandas commouere, et excitare poterit: qui, Te ducem, et auſpicem ſecuti, et poterunt, ſi volent, et debebunt, ſi ſe ipſos amant, tam honeſtam cauſſam amplexari. Quod ſi contigerit, illuſtris omnino erit gloriae Tuae fama, et aeternum laudum Tuarum praeconium admirabitur, et colet poſteritas omnis; ſin minus, immortalis tamen erit conatus Tuus, et, qui ab omnibus dilaudetur, ad caelumque laudibus efferatur, digniſſimus. Vtut autem erit; exclamaſſe me earum nomine, et affatim, abundeque, quantum in me eſt, ſatis ipſis feciſſe, vti debeo, laetabor. Deus Opt. Max. felicem, et incolumem Te nobis ſeruet. Venetiis Kal. Sext. CIↃIↃLXXVII.

SANCTITATIS TVAE

humillimus ſeruus,
Aldus Manutius,
Paulli F. Aldi N.

ALOYSIO

ALOYSIO ESTENSI

CARDINALI ILLVSTRISSIMO

ET

PRINCIPI EXIMIO

Vt diuerſa ſunt hominum ingenia, Princeps Illuſtriſſime, ſic ii varias ſequuntur artes, ac profitentur. quorum fines licet inter ſe multum differre videantur; neceſſe eſt tamen omnes in primis vel honeſtatem ſpectare, vel vtilitatem. Atque vnde haec ſtudiorum ingeniorumque varietas oriatur, quaeue quibus praeſtent, in praeſentia non eſt meum aut definire, aut disputare. tantum hoc loco dicam, non omnes omnia, verum alia principes viros, alia priuatos homines decere. Nam, vt de eo ſtudii genere loquar, quo et ad humanitatem animi informari ſolent, et recta ad veram nobilitatem, gloriamque via graſſantur: virtutem colere, multarum rerum cognitionem, et doctrinam ſibi comparare, pulchrum eſt, ac nemini non expetendum: etiam, eos, qui ſcientia clari ſunt, fouere, diligere, amplecti, praeclarum videtur. et qui illud adſecuti ſunt, et qui hoc, cum poſſent, praeſtitere, multi laudantur. illud, etiam infimae ſortis hominibus, ſi modo ingenio valeant, propoſitum eſt: hoc iis ſolum, qui Tui ſimiles ſunt, id eſt, principibus nobilitate, atque opibus fortunae viris, conuenit: conuenit? immo vero ab iis, tamquam debitum, exigi ſolet. Atque ita ſeſe rem habere, ſi non facile ratio probet, exempla tamen omnis memoriae ſatis nos docere poſſunt: eruditiſſimos viros optimi quique et magnificentiſſimi principes omni tempore in honore ſibi habendos exiſtimarunt, ſuiſque opibus adiuuarunt. illi, qui ſe foveri, et ornari omni officiorum genere videbant, eorum facta moresque ſcriptis mandarunt ſuis, ac merito nominis memoriam effecerunt ſempiternam. quod cum in quandam veluti conſuetudinem vertiſſet, ſi quando aut princeps aliquis viro alicui de litteris bene merito, aut hic principi defuit, alteri alterum accuſare ſuo quodam iure ſi licuit, mirum videri non debet. Atque ego, qui cum praeſtantibus doctrina viris conferri nec debeo, nec auſim, iniuria, qua plerique ſtudioſi homines afficie-

bantur, cum deſerti iacerent, commotus, veniam mihi dandam puto, ſi non tam meam, quam eorum vicem olim ſum miſeratus, temporumque conditionem deploraui. quod enim ad me ipſum attinet, ego, ſi mea, quae nulla eſt, vel certe perexigua, ſpectetur virtus, ſatis amplum, atque vberem tuli fructum induſtriae meae, ſummorum virorum benignitate ſubleuatus, quam ſine turpi ingratitudinis nota nullo loco ſilere mihi fas eſt. Neque modo ingentem, qua in me GREGORIVS XIII. Pontifex Optimus Maximus, vſus eſt, liberalitatem, ac munificentiam reticere poſſum, qui liberalium omnium artium non ſolum fautor, ſed etiam mirificus eſt amplificator: qui erigendis aere ſuo collegiis, quo nullum maius Romana ciuitas ornamentum vmquam habuit, Chaldaeorum, Graecorum, Germanorumque adoleſcentium, acriter incumbit, et quae eis opus ſunt, abunde omnia ſuggerit. huius praeclariſſima veſtigia dum ſequitur Illuſtriſſimus atque Excellentiſſimus IACOBVS BONCOMPAGNVS, nullum ſubterfugiens laborem, nullique parcens rei, quae ſtudioſorum commoda adiuuare poſſit, numquam perituram ſibi laudem, ac gloriam aucupatur. Et ſane Romani haec eſt caeli natura, ac vis, vt ii fere omnes, qui diutius hic degerunt, egregia, ac diuina propemodum auxilia ornatis virtute aliqua viris praeſtiterint. Inter quos ſuperioribus annis emicuit HIPPOLYTVS ESTENSIS Cardinalis, qui domi ſuae innumerabilem ſtudioſorum copiam aluit, magnisque praemiis cohoneſtauit. ex his vnus eſt M. Antonius Muretus, ingenuarum diſciplinarum lumen ſplendidiſſimum. horum ſcriptis et monumentis HIPPOLYTI, immortalitate digni, cui Tu ſanguine coniunctus, virtute ſimillimus es, nomen viget, ac perpetuo vigebit. cuius Tu animum, ac voluntatem, ALOYSI Illuſtriſſime, et ore, et factis exprimis; dum ſingularis illius viri ſapientiae, animique altitudinis cultor, atque imitator, id praecipue ſtudes, vt clariſſima tanti viri memoria nulla vmquam obliuione deleatur: laus autem Tua tam late ſeſe effundat, nullis vt coerceri gloriae finibus, aut circumſcribi poſſit. Quocirca ego patris exemplum ſecutus, qui librum ei de Romanis legibus inſcripſit, paternas haſce lucubrationes Tibi dedico, Tuoque ampliſſimo nomini commendo; quibus mihi ad Tuam gratiam, a quo diligi cupio aeque ac pater ab HIPPOLYTO diligebatur, aditus pateſiat. quis autem ab eo diligi non maximopere cupiat,

quem

quem non Italia noſtra ſolum, ſed exterae quoque nationes colunt, atque obſeruant? Ea ſunt enim animi Tui ornamenta, eae virtutes, vt Gallia omnis, dum illic fuiſti, maximum ſibi in Te praeſidium ſitum eſſe, perſpicue cognorit, et cognoſci ab aliis voluerit. Ex qua Te abeuntem, et in Italiam ad Vrbem reuertentem, permulti tum ſecuti confluxerunt, et quotidie confluunt, qui in Tuo vnius vultu atque adſpectu mirum in modum recreantur. Hoc igitur, quod Tibi offero, ſi, vt ſpero, hilari fronte ſusceperis, erit cur mihi valde laeter, mecumque praeclare actum putem, qui id abs Te, quod tantopere cupio, ſim conſecutus, vt me in Tuorum numerum, hac animi Tui ſignificatione, non inuitus recepiſſe videare. Deus Opt. Max. Te incolumem diu ſeruet. Romae id. Sext. MDLXXIX.

ILLVSTRISSIMAE ET REVERENDISSIMAE
DIGNITATI TVAE

addictiſſimus
Aldus Manutius,
Paulli F. Aldi N.

SERENISSIMO
FRANCISCO MEDICI
MAGNO ETRVRIAE DVCI

Id, quod in plerisque rebus inſitum eſſe natura videmus, Magne Dux Sereniſſime, vt habeant non ſolum quibuscum affinitate quadam coniungantur, verum etiam a quibus longe diſſideant, iisque penitus aduerſentur; idem in amicitia, qua nihil fere, dum in terris ſumus, aut expetendum magis, aut magis cum honeſtate ſimul, et vtilitate coniunctum eſt nobis a Deo tributum, euenire intelligimus. cum enim nihil aliud ſit, niſi diuinarum, atque humanarum rerum cum beneuolentia, et caritate (quemadmodum vere apud Ciceronem definit Laelius) ſumma conſenſio; duas habere eam conſtat acerrimas hoſtes, inimicitiam, inquam, et adulationem. quarum adulatio quo propius abeſſe ab amicitia videtur, quam inimicitia, ſaepe tamen plus obeſt; danda eſt ei opera, qui verae amicitiae ſtudio tenetur, vt eo diligentius caueatur, eoque maiori, quam apertae inimicitiae ſolent, odio digna iudicetur. etenim poſſe nos ab inimicis, ſi ſapiamus, non vulgarem interdum capere vtilitatem, et quotidianus rerum vſus, et doctiſſimorum praecepta virorum conſignata litteris abunde docent: ab hoc autem hominum genere, nulli non inuiſo, ecquis vmquam vel minimus ad quemquam manauit fructus? immo vero vtinam deteſtabilis haec humanae ſocietatis peſtis non maximas nobis ſaepe clades attuliſſet. Ac mihi in praeſens conſilium non eſt, quae ſint adulatorum artes, quae item amicorum, pluribus diſſerere; neque illorum probris, horum laudibus enumerandis diutius immorari: cum hoc ſatis ſuperque doctrina politiſſimi, longoque rerum vſu peritiſſimi homines praeſtiterint, quorum ea de re copioſe ſcripti libri exſtant. Tantum hoc loco dicam, me tam eſſe huic hominum generi infenſum, quam qui maxime. talem enim me primum natura finxit, dein etiam ratio confirmauit, vt ab hoc vitio, libero homine indigno, et ſtudiis, et voluntate prorſus abhorream: quod ei, qui non ſolum rerum antiquarum monumenta eruere e tenebris, verum etiam nouarum propagare memoriam ſcriptis profiteatur ſuis, (quod ego pro mea virili dies noctesque conor,

conor, an adhuc aliquid aſſecutus ſim, neſcio) tamquam ſcopulus vitanda ſit adulatio. in quem, bone Deus, quam offendunt multi? Fatebor quod res eſt. cum ego nuper multas laudes legerem, quibus eruditiſſimi viri clariſſimos memoriae noſtrae Principes exornarunt, non mehercule id ſic abire ſinebam, ni prius, et quales laudati illi viri, et quo illi, qui tam eos laudarent, ingenio forent, cognouiſſem: quo plane perſpicerem, an horum facta tantam illorum mereri laudem, an item illorum ſcripta factis horum exaequari iure viderentur. deprehendi autem res a nonnullis geſtas longe fuiſſe minores, quam litterarum monumentis celebrarentur. quare, cum inter tot, tantosque noſtrae aetatis ampliſſimos viros, quorum laus in illuſtri loco ſita eſt, mihi frequentius aliis, longeque vberiores COSMI, parentis Tui, laudes occurrerent, tanto rerum ab eo geſtarum ſplendore illuſtres, vt mihi diuinus ille vir omnium, qui nunc viuunt, quique ante vixerunt, gloriam viciſſe paene ſolus videretur; coepi egomet initio vereri, ne partem earum laudum agnoſcerent res geſtae illius, partem autem aſſentantium compoſita ad gratiam oratio ſibi vindicaret. eo accedebat id, quod mihi cum omnibus fere commune eſt, vt, vbi de magna virtute, gloriaue bonorum praedices, quae ſibi, quemadmodum ille inquit, facilia quisque factu putet, aequo animo accipiat; quae maiora ſuis viribus intelligat, ficta ducat. Cum autem ego id operam dediſſem aliquando, vt tanti Viri facta, quae ſcripta ab aliis legeram, melius cognoſcerem, propiusque inſpicerem; ſcitarique ſolitus eſſem ab iis, qui rebus nonnullis ab Eo gerendis interfuiſſent, aut ab aliis, qui ipſi interfuerant, cognouiſſent, atque etiam ab iis, quibus illius herois colere amicitiam domi licuiſſet; mirum mihi quiddam contigit, vt vno omnes ore, quae ego longe tenuiora, longeque humiliora, quam aut fama ferrentur, aut ſcriberentur, exiſtimabam, ea non ſolum multo ampliora, dignioraque fuiſſe dicerent, verum etiam eiusmodi, vt capi cuiusquam mente, aut cogitatione vix poſſent. Quamobrem, cum hoc mihi nobiliſſimum ad ſcribendum argumentum ſeſe offerret, nempe huius, immortalium laudum gloria, ſaeculorum omnium, et aetatum Principis res geſtae, quae meis dare ſplendorem ſcriptis potius, quam ab iis capere vllum poſſent; ſumpſi mihi hoc negotii, vt, quantum conſequi diligentia valerem, Eius Vitam, vnicum illuſtris, glorioſaeque vitae exemplar, non

expreſſam

expreſſam mea, quod *ἀδύνατον* puto, ſed adumbratam potius oratione in lucem proferrem. In hoc totus nunc ſum: et, vt ſe dant principia, fore ſpero, ſi vires ingenii ſtudio animi non deerunt, vt Tibi, etſi non abunde, aliqua ſaltem ex parte ſatisfiat. Sed, dum ego in hoc opus tempus illud impendo, quod mihi domeſticis ſurripere occupationibus licet, quibus longe plus, quam mea et voluntas, et natura fert, diſtineri me fortuna non ſatis ampla, ſimul ac pietas cogit; ſemper in animo mihi Tui clariſſimi nominis amplitudo verſatur; qui, Parentis Tui cum bonorum, et dignitatis, tum etiam laudis, et gloriae verus heres, tantas, ac tam praeſtantes eius virtutes aequauiſſe omnes, nonnullas etiam exſuperaſſe videris. ex quo, quae Tibi laudes, ab ingenuis, et ab omni prorſus adulationis ſuſpicione vacuis hominibus tribui ſolent, cum eiusmodi ſint, vt numquam eis maiores acceperimus, longe tamen virtutibus Tuis minores deprehenduntur. Nec deſpero fore, modo vita longior obtingat, vt Tui memoriam nominis, immortalitate digniſſimi, celebrare ſcripto aggrediar: quam et eſſe velim, et futuram coniicio iure ſempiternam. Iam diu me ego Tuae amplitudinis patrocinio tradidi, ac dicaui: qua animi propenſione, quo ſtudio, non dicam; illud audacter dicam, ſi inter eximias virtutes Tuas id Tibi eſſet diuinitus datum, vt noſtrorum animorum intimos ſinus, atque receſſus luſtrare mente, et cogitatione poſſes, eam amoris vim, eum in Te ſtudii ardorem, eum de Te ipſo ſenſum offenderes in animo meo, vt, qui Tibi maiora vellet, qui de Te rectius ſentiret, inuenires fortaſſe neminem. Verum, cum id ne optare quidem nobis, nedum aſſequi, liceat, qua homines ſumus, naturamque ducem habemus, (etſi vniuerſis ingenita ſit cupiditas quaedam, abditos aliorum ſenſus cognoſcendi) cupienti mihi, Tibi ſtudium hoc animi in Te mei probare, quaerenda ſunt ſigna quaedam, quae Tibi meam incredibilem in Te obſeruantiam, ſummamque voluntatem declarent, teſtatamque aliis relinquant. Sed, cum me ipſe paullo ante collegiſſem, et meas lucubratiunculas (ſic enim recte eas appellem) recenſuiſſem, comperi me hoc tempore nihil habere de meo abſoluti, quod Te dignum foret; et, ſi quid apud me eſſet, id aut penitus alienum, aut, ſi domi noſtrae natum, patris tamen mei, non meum eſſe. Huius Commentariis in Ciceronis epiſtolas, Familiares dictas, ſuperioribus menſibus editis, eiusdem explanationes in tria Ciceronis

ronis Orationum volumina continuo edere aggreſſus fui. Primum volumen Pontifici maximo, atque ſanctiſſimo, GREGORIO XIII. nuncupaui. in quo, meis fractis, ac debilitatis opibus, quas horrida illa peſtilentiae vis modo non abſumpſerat, vnicum inueni praeſidium: ex quo illum, vt alterum parentem, iure colo, ac veneror. Secundum huic et dignitate, et religionis gradu coniunctiſſimo ALOYSIO ESTENSI, Cardinali ampliſſimo, dicatum volui. Tertium erat: in quo, ſi genus Orationum ſpectes, id aut Tuum, aut certe alicuius, Tibi non multo et voluntate, et dignitate inferioris Principis nomen inſcriptum ferre debebat. Illuſtri pleraeque ſunt argumento. fere enim huius voluminis Orationes ſunt vel pro republica ipſa Romana, vel pro iis, qui publicam cauſſam amplecti, ac tueri profiterentur. Dignum igitur mihi munus hoc viſum eſt, quod ad Te praecipue deſtinarem, et ad meam in Te ſignificandam obſeruantiam admodum etiam opportunum. ſic enim ſentio: nec primum illud volumen alii, quam Pontifici; nec tertium hoc alii, qui ſecundum Pontificem a me magis eſſet obſeruandus, magisque colendus, inſcribere me rectius potuiſſe: praeclareque cecidiſſe, vt, qui religione, ac pietate Pontifici inter omnes alios Principes eſſet coniunctiſſimus, idem a me proximus eſſet patronus adlegendus. Norunt enim omnes, quantum illi Tibi, quibus imperas, populi, religionis, et pietatis nomine, quam eos colere, ſancteque tueri, legibus iubes, hortaris exemplo; quantum item reliqui Chriſtiani nominis debeant. Facis enim, quod pauci admodum conſueuere, vt omnes et Chriſtiani, et Principis partes cumulate impleas, atque ita impleas, ius vnicuique ſuum ſancte, et conſtanter tribuendo, vt ab hoc officio nullo vel damni, vel iniuriae metu declinare, vel abduci poſſe videaris. Hae potiſſimum iuſtitiae ſunt partes, quae eorum, qui praeſunt, atque imperium in alios habent, vel ſola, vel certe praecipua virtus eſt; cum ea nihil ſit magis ad conſeruandam humani generis ſocietatem neceſſarium. quibus item partibus quae virtutes iure optimo affines iudicantur, eas quis vnquam in ſumma iſta poteſtate Te ipſo magis eſt amplexus, cumque his coniunctius vixit? Quarum vt aliae taceantur, tantam manſuetudinem, tantam facilitatem, affabilitatemque ſermonis, qui, vt audio, ſummis, mediis, infimis Tui copiam aeque facias, et patientiſſimas aures Tuas praebeas: tantam, tamque prolixam omnes

omnes omnium ordinum homines, eosque praecipue, qui litterarum ſtudium profitentur, voluntatem Te, opibus, conſilio, et auctoritate iuuandi: haec, inquam, ſilentio praeterire quis poſſit? Tantam igitur, quam dixi, iuſtitiam, tot, alia quoque animi, corporis, et fortunae bona nec aetas vlla ante hanc in vllo vidit, et haec noſtra ſe in Te vno ſuſpicere iure gloriatur; poſteritas vero omnis et ſaepe meminerit, et, quoties meminerit, admirabitur. Hae me plurimum cauſſae permouerunt, vt Tuum in primis patrocinium expeterem: ſed illa me tandem cauſſa compulit, quod viderem Te ſemper eximiam quandam beneuolentiam in hanc Venetam Rempublicam, atque etiam in omnes, qui eiusdem gentis, et Imperii forent, oſtendiſſe; et nuper eam communi bonorum omnium laetitia, illuſtri, ſingularique amoris nota declaraſſe, cum Tu lectiſſimam feminam, et omni florentem laude, quae in mulierem, iſto loco, cadere poſſit, Venetam patriciam, Sereniſſimam BLANCAM CAPPELLIAM, quam honoris cauſſa nomino, ab Ampliſſimo Venetae Reipublicae Ordine filiam adoptatam, Tibi vxorem adiunxiſti. Quam coniunctionem omnes boni et Tibi, et nobis, et vniuerſo Chriſtiano nomini, vt voluptati nunc eſt, ſic quoque non vulgari ornamento, et vtilitati ſperant fore. Quod reliquum eſt igitur, hoc quidquid eſt mei in Te animi ſignum; dum maius illud opus paro, Tibi a me, poſteritatique iam pridem debitum, Patris Tui ſcilicet res geſtas; qua ſoles, benignitate ſuſcipias, et me inter Tuos numerari velis. Id ſi, vt ſpero, facies; erit, cur mihi ipſi ſummopere gratuler; et ad eas laudes celebrandas longe ſiam alacrior; quae tantum meo nomini nobilitatis allaturae ſint, vt videar inter ſummos etiam ſcriptores aliquo numero futurus. Deus Optimus Maximus Te nobis diu ſeruet. Venetiis, id. Dec. MDLXXIX.

CELSITVDINI TVAE

addictiſſimus
Aldus Manutius,
Paulli F. Aldi N.

ANTONIO

ANTONIO AELIO

POLAE EPISCOPO

PAVLLVS MANVTIVS

S. D.

Cum alia multa, quae vigebant olim, rerum laudandarum ſtudia periiſſe, atque exſtincta prorſus eſſe, dolendum eſt, Aeli, vir optime, ac doctiſſime: tum hanc, in qua ſitam omnes vel maximam vtilitatem intelligunt, interpretandi rationem ita amiſimus, vt ex eorum, quibus noſtra patrumque memoria ſuam hoc in genere induſtriam locare ſtudium fuit, magno ac infinito prope numero, non tamen ita multos, qui tolerabiles videantur, qui vero excellant, quam pauciſſimos, aut fortaſſe neminem liceat inuenire. atque huius quidem incommodi culpa vnde manauerit, exponam. Primum illud in controuerſiam non cadit, quo quidque praeſtantius, eo laborioſius, ac difficilius eſſe. alioqui nihil iam excelleret. quod enim conſequerentur multi, in eo dignitas non eſſet, et ex copia vilitas exſiſteret. eſt igitur in magnis rebus magna, quae nos ab earum quaſi poſſeſſione arcet, conſtituta difficultas. haec porro ſimplex non eſt, ſed in duo genera diuiditur. quaedam enim, ſicuti exiſtimantur, ita difficilia ſunt: quaedam, cum non exiſtimentur, tamen ſunt. vbi difficultas et eſt, et apparet; inde multitudo voluntatem, et ſtudium libenter abducit. rem quidem ipſam, quanti eſt, opinione aeſtimamus, et vehementer expetimus: magnis vero laboribus, et vigiliis vt ematur, non facile quisquam a ſe ipſo impetrat. amat enim hominis natura moderatam quietem, eaque alitur, et creſcit; nimias contentiones, quibus frangitur, et minuitur, recuſat. vbi vero facile in ſpeciem aliquid oſtenditur, difficultas incluſa latet; cuiusmodi non eſſe pauca, inanis multorum docuit experientia: eo frequentes, bona ſpe inuitati, accurrunt; facileque ad eas res aggrediuntur, in quibus vel mediocrem operam ſi ponant, futurum, vt ex animi ſententia ſuccedat, arbitrantur. quos deinde, graui temeritatis infamia, refellit euentus. huius generis haec eſt, de qua orationem inſtituimus, ratio interpretandi. quis enim eſt, qui ſe non exiſtimet Liuium poſſe, Salluſtium,

Virgili-

Virgilium, ipſum mehercule Ciceronem ita commode explicare, vt deſiderari ab eruditis, beneque intelligentibus viris nihil queat? atque hi, cum in C. Marii, aut in L. Sullae nomen inciderint; ſi Marii, aut Sullae vitam, a Plutarcho ſumtam, in ſua ſcripta totam transtulerint; tum ſe ſuas praeclare partes abſoluiſſe exiſtimant: cum interim, in quo doctrinae, quae paullo ſit occultior, appareant notae, in quo ingenii lumen eluceat, in quo prudentiae vis, aut iudicii ſigna cernantur, nihil afferunt. exire videmus quotidie, a poſtremi ordinis hominibus factos, ſpecioſis magnaque pollicentibus titulis inſignes, minimi pretii commentarios: quos non modo qui ſcribunt, falſa de ſe ipſis opinione decepti, verum etiam qui typis impreſſos edunt, iis, qui hoc de genere iudicare poſſunt, inconſultis, quodam modo deformant praeclara ſtudia litterarum, et de poſteritate ipſa peſſime merentur. ſed cetera, quae ferenda non ſunt, feramus tamen, ac diſſimulemus, ſane multa: commentarios vero illos, qui paſſim leguntur, in Ciceronis orationes, (quem librum? latinorum omnium facile principem) grauem, inquam, illam immenſi voluminis molem quis eſt qui ferre vllo modo poſſit? loca ſunt in Ciceronis orationibus male mendis affecta quamplurima: ſanari nullum videas. ſunt ob antiquitatis obſcuram notitiam difficilia: quis eſt, de tot interpretum numero, qui lumine explanationis illuſtret? denique communia tantum, quaeque omnibus paene patent, ea ſumunt ad explicandum: ex abditis, quo ſine labore et ingenio acceſſus non eſt, doctrinae fontibus nihil hauriunt. contraque, multa corrumpunt magis, dum emendare conantur; multa exponendo peruertunt, et pulcherrimas ſaepe ſententias turpiſſimis inſcientiae maculis inquinant. Quae me ita commouit indignitas, itaque meum animum, vt vere dicam, miſeratio quaedam affecit, quaſi ob illatam viro optimo, egregieque de litteris merito, Ciceroni, qui Romanae terminos eloquentiae longiſſime protulit, ignominiam; vt ſtatuerim, ſi cum vita valetudo, et cum valetudine otium ſuppetat, triennium, aut quod omnino res exiget ſpatii, in hoc omnium pulcherrimo libro interpretando, ſtudioſorum gratia, conſumere: non quod ego is ſim, qui mihi tantum arrogem, vt aliis detractam ſcientiae laudem ad me transferam: abeſt hoc a conſuetudine mea, abeſt a natura plurimum: ſed neque rurſus is ſum, qui, cum ceteros probe nouerim, ipſe me prorſus ignorem; et qui, cum alios accuſem

cuſem propterea, quia non praeſtant ea, quae ab eorum ſtudio poſtulantur, ego me, ſi quid praeſtare poſſe mihi videor, velim contemnere. non ita laudem fugio: etſi nec nimis appeto. alterum ſtupidae cuiusdam ſapientiae, alterum inſanae ambitionis eſſe vitium ſemper duxi. neque vero, ſi quid mihi elegantioribus in litteris aſſumſero, longe admodum ab iis finibus, quos modeſtiae ratio praeſcribit, diſcedere mihi videbor. ſcis tu, Aeli, pro noſtra vetere amicitia, et familiaritate, per quot annos, quibus laboribus haec, quae ab humanitate nomen acceperunt, ſtudia coluerim. ſciebat optime omnium, et mihi, cum viueret, hoc nomine tribuebat plurimum, Bernardinus Maffeus Cardinalis, meus ille in omni mihi vita deflendus Maffeus, Vrbis deliciae, lepor, humanitas, exemplum antiqui officii, flos omnium virtutum. is amabat haec ſtudia mirifice, eaque quibus poterat rebus (poterat autem plurimis) tuebatur, et fouebat. bene autem de hac, quaecumque in nobis eſt, vel potius quantulacumque eſt, latinae orationis facultate exiſtimabat: meque quotidie, quantum poſſem, vt latine ſcriberem, vrgebat, et ſcribebat ipſe, vt ſcis, luculenter, et egregie. probabat omnino meum conſilium, et efferebat maxime, de commentariis in Ciceronis orationes: ſed exerceri malebat prius induſtriam meam in Antiquitatibus Romanis, ipſo potiſſimum auctore inſtitutis. interim, vt quaſi ex vnius partis forma de toto liceret aedificio coniicere, vnam aliquam, quae ſpecimen ingenii mei praeberet, orationem ſubſiciuis horis vt exponendam ſuſciperem, hortatus eſt. ego ſumſi pro Sextio: nec multis poſt eum ſermonem menſibus hunc, qui nunc in tuo nomine, Antoni Aeli, apparebit, commentarium abſolui. et quod, ille ſi viueret, feciſſem, vt hoc ei, quidquid eſt, muneris deferrem, ſtudio meo commotus, illius virtute impulſus; idem nunc, iisdem adductus cauſſis, tecum facio libentiſſime. nam cum amicitia inter nos eſt, quanta inter duos, quorum et voluntates, et iudicia conſentiant, eſſe poteſt maxima: tum habes virtutem, non eam, quae petitur a libris, quae vno ſcientiae nomine definitur, ſed eam, quae oritur ex animi praeſtantia, et multas in ſe laudes continet, ſtudium in ſuſcipiendis Eccleſiae cauſſa laboribus, conſtantiam in perferendis; humanitatem in excipiendis hominibus, benignitatem in ſubleuandis; comitatem in conſuetudine familiarium, grauitatem in congreſſu et ſermone clarorum tuique ſimilium virorum; denique voluntatis propenſionem ad optima quaeque ſingularem.

 itaque

itaque te ſummus ille artium honeſtarum patronus, decus Italiae, Alexander Farneſius Cardinalis in oculis fert; tibi arcana communicat; tuis in conſiliis, ſi quid deliberandum eſt, multum, ſi quid perficiendum, in vigilantia plurimum ponit. tu, quo apud illum Maffeus olim loco fuit, eodem ipſe nunc es: rectiſſimamque laudandarum actionum viam, obſeruatis Maffei veſtigiis, ingreſſus, pergis eo fauentibus hominibus, approbante Deo, vbi debitum iis, qui bene ac laudabiliter vixerint, praemium, ſumma dignitas perſoluitur. Mouit etiam me vehementer illa ratio; quod erat inter vos coniunctio animorum arctiſſima; conueniebant ſenſus, congruebat voluntas: praeterea ſimplices animi, et puri, nulla ſimulationis arte obducti, nulla inuidiae aut maleuolentiae labe ſuffuſi. quare, quoniam illa Maffei ſuauitas, illud ingenium, illa virtus erepta morte, nimium iniquo fato, nobis eſt; (tametſi memoriam illius viri neque mihi mors, neque omnino dies vlla vmquam eripiet) et quando, quae illius erant partes in ornandis liberalibus diſciplinis, eae translatae ad te videntur, praeclarique muneris quaſi vicarius relictus es: ego quoque, quod in illum ſtudii, quod habui voluntatis, ac beneuolentiae, (id erat tantum, vt accedere nihil poſſet) totum illud in te vnum, illi quamſimillimum, contuli: et qui te antea, multis erga me meritis, multis ingenii tui ſuauitatibus adductus, vnice dilexiſſem, tamen id, quod in amore ſummum videbatur, auctum, cum hoc acceſſit, etiam atque etiam, pleniſſimeque cumulatum intelligo. Tibi igitur offero, fructum ingenii mei, in orationem pro Sextio commentarium, operis vniuerſi, quod maiores a me vigilias poſtulat, imaginem: quod ipſum Maffeo promiſſum, idem tibi, qui eius in locum ſucceſſiſti, iam nunc animo dicamus. verum hoc ſerius fortaſſe praeſtabitur. de re enim, quod ad me attinet, conſtitutum eſt, et, vt vides, aggreſſus iam ſum: de tempore, is, a quo noſtrorum conſiliorum pendet euentus, rerum omnium moderator viderit Deus. Habeo nunc in manibus Antiquitates. eas niſi pertexuero, nihil inſtituere in animo eſt. pertexere autem vt poſſim, duo ſunt optanda, valetudo, et otium: quod vtrumque, aſſiduis annorum ſuperiorum ſtudiis infirmatus, et rei familiaris cura impeditus, nunc quidem magna ex parte deſidero. accipe interim hoc, quod adeſt, argumentum obſeruantiae in te meae; et illud, quod aliquando, vt ſperamus, futurum eſt, ſuo tempore exſpecta.

ILLVSTRIS.

ILLVSTRISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO
IACOBO BONCOMPAGNO
PAVLLVS MANVTIVS
S. D.

Cum mihi tuae primum virtutis, ac dignitatis, deinde eius, qua me es complexus, beneuolentiae in mentem venit: (venit autem ſaepiſſime) tibi quidem animo ac mente pro meo erga te ſingulari ſtudio vehementer gratulor: ego autem, vt eius felicitatis, quae in hominem cadere poſſit, haud minimam partem aſſecutus, laetitia fruor tanta, quantam animus meus capere maximam poteſt. rurſus cùm recordor, omnibus ad te quotidie honoris cauſſa confluentibus, quorum ego in te colendo atque obſeruando nemini concedo, me vnum tribus fere menſibus ad te non veniſſe: quamquam intermiſſi cauſſas officii, vt opinor, habeo ſatis iuſtas, vel calores perpetuos, quibus maiores non meminimus, vel aetatem imbecillitatemque meam; quarum altera quidem poſtulat: altera non modo poſtulat, verum etiam flagitat; peccaſſe tamen mihi videor; et, quaſi excuſationem accuſatio vincat, ita ſenſibus angor intimis, et in grauiſſimo dolore verſor. Atque haec quidem aliquanto etiam acerbior cogitatio eſſet, niſi perſpecta mihi et cognita naturae tuae facilitas, et ſingularis humanitas certam plane ſpem afferret, nihil mihi obeſſe apud te, nihil detrahere prorſus aut de amore tuo, aut de iudicio abſentiam meam. quod quidem abs te, artium optimarum a pueritia ſtudioſiſſimo, eo facilius debeo impetrare, quia non ego, vt alii, feriatus aeſtu maximo ſum, non me languori, non inertiae, aut deſidiae tradidi, nec rurſus quibusdam voluptatibus, quae cum ab aetate mea, tum etiam a voluntate abhorrent, operam dedi, ſed ad explanandas Ciceronis orationes ex inſtituto meo totus incubui. quid autem his tribus menſibus, quibus vacationem ſibi quandam a negotiis plerique ſumunt, ego in hoc negotii genere, omnium, vt arbitror, nobiliſſimo, praeſtiterim, cum cuperem te intelligere, vt quaſi rationem otii mei reddem,

rem, feci vt ad te mitterem, non quas, a quo die ad te veni, orationes explicaui; ne moleſta fortaſſe in magnis occupationibus, aut parum iucunda tibi copia eſſet; (decem enim illae omnino ſunt) ſed vnam tantum, eamque ſatis breuem, pro Archia poeta, ſane luculentam, et ornatam: in qua ſtudia illa, quae ab humanitate nomen acceperunt, quibus vterque noſtrum mirifice delectatur, in caelum laudibus extolluntur. Equidem ſpero fore, vt, quemadmodum ego, cum interpretabar, voluptate me perfundi maxima ſentiebam; ſic tu, cum et ipſam orationem, et meam ſimul interpretationem leges, (ſimul enim vtramque mitto) non minorem animo voluptatem capias. quod ſi ita erit, vberrimum tuliſſe me fructum induſtriae meae putabo: et quod operis ſupereſt, ad id eo fiam alacrior, quo tibi magis, multas virtutes cum litterarum gloria coniungenti, quam ceteris, haec ſtudia colentibus, placere, et probari mea ſcripta velim. Opto vt valeas, meque, vt facis, perpetuo diligas. Ex aedibus, pridie Kal. Oct. MDLXXII.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

ORATIONES

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

ORATIONEM

PRO

P. QVINTIO

ARGVMENTVM

Haec priuata cauſſa eſt, quam adoleſcens egit Cicero, Decula et Dolabella coſſ. annos natus, vt recte contra Cornelium Nepotem Gellius lib. XV. c. 28. probat, viginti ſex. nam, cum Sulla victor nouis legibus et moribus rempublicam conſtituiſſet, Cicero ad cauſſas priuatas, et publicas adire coepit, dixitque pro Quintio apud C. Aquillium Gallum: quam orationem idem Gellius illuſtriſſimam *appellat. Nec tamen cauſſam hanc egit primam: quod illa verba c. 1. non obſcure ſignificant:* Ita ſe res habet, vt ego, qui neque vſu ſatis, et ingenio parum poſſum, cum patrono diſertiſſimo comparer. *Et illa etiam apertius:* Quod mihi conſueuit in ceteris cauſſis eſſe adiumento, id quoque in hac cauſſa deficit. *Argumentum orationis ex ipſo Cicerone colligitur. Sed, quia diffuſum, multisque verbis explicatum laborem et difficultatem ſtudioſis afferre poteſt; ſumma rerum quaſi decerpam, breuiterque perſtricta proponam, quo facilius comprehendantur. Sex. Naeuius praeco biennio ante, Scipione et Norbano coſſ. Gallicanum P. Quintii fundum occupauerat, impetrata Burrieni praetoris edicto bonorum eius poſſeſſione, quod eum ex ſocietate pecuniam ſibi debere, et vadimonium deſeruiſſe diceret. Neque hac iniuria contentus, multis poſt menſibus Quintio ſuum ius perſequente, a Dolabella praetore poſtulauit, vt ſibi Quintius iudicatum ſolui ſatisdaret, ex formula, quod ab eo peteret, cuius bona dies*

triginta ex edicto praetoris poſſeſſa eſſent. Recuſante eam conditionem Quintio, vt ignominioſam; quia, ſi poſſeſſa ex edicto praetoris bona ſua fateretur, ſimul, deſertum a ſe vadimonium eſſe, fateri cogebatur; praetor tamen, nullo iure, nullo more, iuſſit Quintium aut ſatisdare ſolum, aut ſponſionem cum Naeuio facere, ſi bona ſua ex edicto Burrieni praetoris dies triginta poſſeſſa eſſent. Cum vtraque periniqua conditio videretur; ſponſionem Quintius facere maluit; et, quamquam reus eſſet, priore tamen loco contra conſuetudinem cauſſam dicere. Iudicem ſumſit, id eſt, ab vrbano praetore datum accepit, C. Aquillium Gallum, virum optimum, priuatique iuris et publici bene peritum. iudicis enim reiiciendi reo poteſtas erat. is autem Gallus in hac ipſa cauſſa iudex antea fuerat: quod illa verba declarant: M. Iunius, qui hanc cauſſam, Aquilii, aliquoties apud te egit, homo et in aliis cauſſis exercitatus, et in hac multum, et ſaepe verſatus, hoc tempore abeſt, noua legatione impeditus. *Agebat igitur Quintius ex ſponſu, iuſſu Dolabellae praetoris, et in eo cauſſa poſita erat, poſſeſſa nec ne eſſent a Naeuio ex Burrieni praetoris edicto bona Quintii. Id Cicero tribus refellit argumentis: primum, non fuiſſe, cur a praetore poſtularet Naeuius, vt bona Quintii poſſideret: deinde, ex edicto poſſidere non potuiſſe: poſtremo, non poſſediſſe. Ita nihil omittit, quod ad obtinendam victoriam pertineat. Nec dubitandum, quin ea diſputatio Aquillium adduxerit, vt ſecundum Quintium litem daret. nam propterea laudat hanc orationem Gellius, quia, liberato moleſtia Quintio, Naeuii opibus paene oppreſſo, fructum Cicero tulit eloquentiae ſuae. Priuata cauſſa eſt, ſed capitis ideo dicitur, quia damnatum infamia ſequebatur. nihil enim turpius, quam vadimonium deſerere. deſertum autem Quintius negare non poterat, ſi bona ſua ex edicto praetoris poſſeſſa eſſe conſtaret. qua de re, ſponſione facta, iudicauit Aquillius. Pro Naevio Q. Hortenſius, clarus ingenii, et eloquentiae fama; pro Quintio egit Cicero, octo annis minor natu, quam Hortenſius, anno tantum ſuperiore ad cauſſas defendendas ad forum profectus: vt ipſe in Bruto c. 94. auctor eſt.*

EXPLANATIO

CAPVT I.

Q*uae res in ciuitate duae plurimum poſſunt, eae* (Ern. *hae*) *contra nos ambae faciunt in hoc tempore, ſumma gratia, et eloquentia*] Vbi de re aliqua in iudicio contenditur, magni refert, quibus initiis ad cauſſam ingrediatur, quaque primum opinione iudicum animos imbuat orator. nam cum victoriae ſpes duabus maxime rebus nitatur, innocentia rei, et eloquentia patroni; innocentia ſi obruitur gratia, patronus accuſatoris ingenio, et eloquentia ſi vincitur: his incommodis ita occurrere, ne cauſſæ noceant, non minimæ artis eſt. nocere autem poſſe non videntur, ſi ſtatim pateſiant, et aduerſarii gratiae, accuſatoris

cuſatoris eloquentiae, iudicis aequitas et ſapientia opponatur. Hoc artificio nunc vtitur Cicero: Naeuii vim et gratiam contra Quintii ſolitudinem, atque inopiam, in inuidiam adducit: dicendi facultatem ſibi adimit, Hortenſio ſummam tribuit: in vna veritate, in Aquillii iudicis prudentia, fide, conſtantia ſpem reponit. *Quae res in ciuitate duae. In civitate*, dixit, cum judicia ſignificet: ſed, *in ciuitate*, maluit, ne de iudiciorum fama detrahere videretur. Poterat autem hoc modo: *Quae duae res in ciuitate plurimum poſſunt:* ſed, interpoſito verbo, *ciuitate*, hoc modo, *quae res in ciuitate duae plurimum poſſunt*, quaſi curſum orationis, et numeri iucunditatem quaeſiuit. *Eae*, indicantis eſt: quod aliquam vim affert: et ideo ſæpe Cicero ita loquitur, non requirente ſententia. infra: *Quod mihi conſueuit in ceteris cauſſis eſſe adiumento, id quoque in hac cauſſa deficit. Contra nos:* contra reum. nam rei perſonam ſuſcipit patronus. *Ambae faciunt:* ambae nobis aduerſantur. vſitatus ſermo: vt contra: *mecum facit*, pro, *mecum ſentit.* infra c. 30. *Cum veritas cum hoc faciat, plus huius inopia poſſit ad miſericordiam, quam illius opes ad crudelitatem.* Sic, *facere ab aliquo*, lib. I. de Inuent. c. 48. *Commune eſt, quod nihilo magis ab adverſariis, quam a nobis facit.*

In hoc tempore] Addita particula, *in*, non tam tempus, quam partem temporis deſignat: vt ſi dicat, *in eiusmodi tempore, in hac cauſſa.*

C. Aquilli] Appellatio iudicis, orationis initio, ſignum quoddam obſeruantiae videtur eſſe, et ad beneuolentiam conciliandam aliquid valet. Iudices, a praetore dati, *recuperatores* vocabantur, ideo, quia ius ſuum per eos vnusquisque recuperabat. ii fuerunt hac in cauſſa quattuor, C. Aquillius Gallus, qui primum locum obtinet, L. Lucilius, P. Quintilius, M. Marcellus. nam in priuatis cauſſis praetor ipſe non iudicabat, ſed ius dicebat, id eſt, iudicem, iurisque formulam dabat, vel iis conſcriptam verbis, quibus contrahentes inter ſe vſi eſſent, vel aliis, pro rei, quae ageretur, natura, poteſtate iudicis auguſtis finibus incluſa, ſic, vt a praeſcripto ne latum quidem vnguem diſcederet, et de facto tantum cognoſceret. Iudicia tamen quaedam erant, in quibus arbitrio iudicis cauſſa committebatur: vt in iudicio fiduciae, rei vxoriae, emtiònis, venditionis, locationis, conductionis, tutelarum, ſocietatum. addente praetore in formula fiduciae, *vt inter bonos bene agier oportet*, et *ſine fraudatione:* rei vxoriae, *quod aequius melius:* in aliis, *ex fide bona.* Quibus verbis, aequitatem potiſſimum iudici ſpectandam, non de ſolo facto cognoſcendum eſſe, ſignificabatur. propterea modo iudicia, modo arbitria, cum tamen eadem ſint, vocantur: quia formula ſtricte non praeſcribit, vt in reliquis iudiciis, ſed arbitrio judicis rem permittit. Huius generis formulam in cauſſa Quintii, Aquillius a Dolabella praetore non habuit, ſed illam ſtricti iuris, quae iubebat Quintium cum Naeuio ſponſionem facere, ſi bona ſua ex edicto Burrieni praetoris dies XXX. poſſeſſa eſſent. Eſt autem hic Aquillius, ille, qui formulas de dolo malo compoſuit, iuris prudentia clarus,

rùs, cui Ser. Sulpicius operam dedit. ſic enim de eo ſcriptum eſt in Bruto c. 42. *Cum diſcendi cauſſa duobus peritiſſimis operam dediſſet, L. Lucilio Balbo, C. Aquillio Gallo; Galli, hominis acuti et exercitati, promtam et paratam in agendo, et in reſpondendo celeritatem ſubtilitate, diligentiaque ſuperauit.* Collega Ciceronis in prætura fuit: vt lib. III. de Offic. c. 14. & pro Cluentio c. 53. Senatorem et ipſum, et qui illi in conſilio aderant, fuiſſe, conſtat ex eo, quod hoc tempore Sulla dominabatur. is autem equitibus Romanis, quia Marianis in partibus fuiſſent, infenſus, priuauit eos iudicandi iure, cum per annos XL. lege C. Gracchi, pari cum ſenatoribus numero, vt ait Plutarchus, id eſt, trecenti, iudicaſſent, et ad ſenatorium ordinem, excluſis equitibus, iudicia tranſtulit. iudicaruntque ſoli ſenatores lege Sullae per annos decem, vsque ad Pompeium, et Craſſum conſules. quo anno L. Aurelius Cotta praetor, offenſus iudiciorum infamia, flagitante populo Romano, legem tulit, vt tres ſimul ordines, ſenatores, equites, tribuni ærarii iudicarent. Quod ſi ſenator Aquillius: ſequitur, vt lectus in ſenatum ſit nondum quæſtorius a Philippo, et Perperna cenſoribus, quinquennio ante, quam hac in cauſſa iudex fuerit: cum quæſturam geſſerit anno ſequenti, Cinna IV. Carbone II. coſſ. vt infra c. 4. licet conjicere, in eo loco, *niſi a quaeſtoribus quaeſiſſet.* Haec autem ideo dicenda putauimus, quia Plinius lib. XVII. c. 1. hunc Aquillium vocat equitem Romanum: cum ſignificet, vt opinor, hominem equeſtri loco natum: vt quaſi molli brachio inſolentiam eius obiurgaret, qui magnificas aedes, patre natus equite Romano, poſſideret. Quid Cicero ipſe, dicet aliquis, vtrum eques, an ſenator, cum Quintium defendit? Eques omnino. nondum enim erat aetate ſenatoria, natus, vt iam dictum eſt, annos XXVI. vt omittam, quod ſenatus ante quadriennium lectus erat, cenſoribus Philippo, et Perperna. de aetate vero ſenatoria ſuo loco dicetur.

Impediat] Deterreat. nam priore loco Cicero dicturus erat, quod infra queritur; poſteriore Hortenſius.

Nonnihil commoueor] Timet a Naeuio potius, quam ab Hortenſio, nam de Hortenſio, *nonnihil*, inquit, *commoueor;* de Naeuio, *non mediocriter pertimeſco.*

Gratia Sex. Naeuii] Cuius advocati tunc aderant homines nobiliſſimi, ac potentiſſimi, praeſertim L. Philippus conſularis, et cenſorius.

Id vero] Quod ad ſententiam attinet, hoc abundat; ſed profecto non abundat, quod auget, aut ornat.

Saltem mediocria] Minora tantum ſi eſſent, minus querendum videretur; ſed ita minora ſunt in nobis, vt ne mediocria quidem ſint. noſtram igitur infirmitatem tua, C. Aquilli, ſubleuet aequitas et ſapientia.

Qui neque vſu ſatis, et ingenio parum poſſum] Solet interdum neganti copulae affirmantem ſubiungere. vt ad Plancum lib. X. Fam. epiſt. 1. *Furnium noſtrum tanti a te fieri, quantum ipſius humanitas et dignitas poſtulat, nec miror, et gaudeo. Neque vſu ſatis:* et

et modeſte loquitur, et vere. non enim vſu ſatis valere poterat, cum ad cauſſas adire coepiſſet anno tantum ſuperiore, iudiciis auctore Sulla conſtitutis, eo ipſo anno Marii partibus ad internecionem deletis. *Ingenio parum poſſum:* hoc quidem modeſte potius, quam vere. nam, quantum omnibus antecelluerit ingenio, ſcripta illius indicio ſunt.

Cum patrono diſertiſſimo comparer] Verſatus erat Hortenſius in foro ſumma cum laude ante annos duodecim: de quo teſtimonium illud exſtat in extremo lib. III. de Orat. *Vellem, vt meus gener, ſodalis tuus, Hortenſius affuiſſet: quem quidem ego confido omnibus iſtis laudibus, quas tu oratione complexus es, excellentem fore. Et Craſſus, Fore dicis? inquit: ego vero eſſe iam iudico, et tum iudicavi, cum, me conſule, in ſenatu cauſſam defendit Africae, nuperque etiam magis, cum pro Bithyniae rege dixit.* Et in Bruto c. 64. *Q. Hortenſii admodum adoleſcentis ingenium, ut Phidiæ ſignum, ſimul adſpectum, et probatum eſt. Is, L. Craſſo Q. Scaeuola conſulibus, primum in foro dixit, et apud hos ipſos quidem conſules, et cum eorum, qui affuerunt, tum ipſorum conſulum, qui omnes intelligentia anteibant, iudicio diſceſſit probatus. Vndeuiginti annos natus erat eo tempore. Eſt autem L. Paullo, C. Marcello conſulibus mortuus: ex quo videmus, eum in patronorum numero annos quattuor et quadraginta fuiſſe.*

Qui hanc cauſſam, Aquilli, aliquoties apud te egit] Aliquoties igitur ampliata eſt: & Iunio, in legationem profecto, ſtatim Cicero ſucceſſit.

In aliis cauſſis exercitatus] Cum ego non ſatis vſu valeam.

In hac multum, et ſaepe verſatus] In qua non verſatus ego ſum: et, vt eam poſſim cognoſcere, tot praeſertim controuerſiis implicatam, temporis vix habui ſatis. *Multum et ſaepe:* horum alterum ad temporis diuturnitatem, ex quo agi cauſſa coepta eſt, alterum ad cauſſam, ſaepe actam, refertur.

Noua legatione] Profectus in prouinciam cum aliquo proconſule. rectores enim prouinciarum quaeſtoribus, legatis, tribunis militum, praefectis, et aliis vtebantur: quae *cohors praetoria* vocabatur.

Vt ſumma haberem cetera] Quae ſibi ſumma non eſſe, dixit in eo, *qui neque vſu ſatis, et ingenio parum poſſum.*

Tot controuerſiis implicatam] Sic, vt eam nec Aquillius ipſe, ſcientia iuris ciuilis excellens, aliquoties auditam a Iunio, explicare, et perfecte cognoſcere potuerit.

Id quoque] Non modo vſus, et ingenium.

Subſidio mihi diligentiam comparaui] Infirmitatem ingenii ſubleuare diligentia ſoleo.

Intelligi non poteſt] Diligentiam nemo patronus oſtenderit, niſi tempus et ſpatium habuerit cauſſae cognoſcendae.

Hos, qui tibi in conſilio adſunt] L. Lucullum, P. Quintilium, M. Marcellum, recuperatores ſimul cum iudice Aquillio a praetore datos, qui nominantur infra c. 17. nam praetor ipſe priuatis in cauſſis non iudicabat, ſed iudices, et, quam ſequerentur, iuris formulam, dabat.

Multis incommodis] Propter opes Naeuii.

Veritas] Vt ſaepe *verum* vſurpatur pro aequo: vnde illud infra c. 15. *Continuone verum fuit poſtulare, vt ex edicto bona poſſidere liceret:* ſic *veritas* pro aequitate. infra c. 2. *Cum tot, tantisque difficultatibus affectus, atque afflictus, in tuam, C. Aquilli, fidem, veritatem, miſericordiam P. Quintius confugerit.* In Verr. act. I. c. 1. *Sin iſtius ingentes diuitiae iudiciorum religionem, veritatemque perfregerint.*

Tandem] Poſt biennium, a Scipione, et Norbano coſſ.

Tu iudex] Quattuor ſententiam laturi erant: ſed illi recuperatores potius, quam iudices, vnus autem, qui iudicio praeerat, Aquillius dignitatis gratia *iudex* appellatur.

Fuiſſe videbere] Mollius, quam ſi dixiſſet, *fueris*; ne iudicis animum laedat.

Contra vim] Contra potentiam. quidquid enim in iudicio plus, quam veritas, et religio valet, vis eſt. infra c. 2. *Cum adhuc ei, propter vim aduerſariorum, non ius par, non agendi poteſtas eadem, non magiſtratus aequus reperiri potuerit.* Lib. V. in Verr. c. 67. *Si qua vis iſtum de veſtra ſeueritate eripuerit.*

Solitudini] Quae opponitur gratiae.

Inopiae] Cum Naeuius contra opibus plurimum valeat.

Apud hoc conſilium] Emphaſis eſt in, *hoc.* iudicum enim probitas et ſapientia declaratur.

Profecto nihil eſt iam ſanctum, atque ſincerum in ciuitate] Aut in vobis ſanctitas, et integritas eſt, aut in ciuitate non eſt.

Humilitatem cuiusquam] Statum et fortunam indicat Quintii, cum de quouis homine loqui videatur: vt in eo, quod ſequitur, *grauitas et virtus*, ex communi ſententia propriam Aquillii, et eorum, qui illi in conſilio aderant, laudem quaerit.

CAPVT II.

Non eo dico, C. Aquilli] Correctio ſuperiorum. nam ſi ei, qui cauſſam agit, venire in dubium ſuam fidem et conſtantiam intelligit, offenditur.

Quid ergo eſt] Modus loquendi, pro, *cur igitur ita ſe res habet?* quamquam non ad hanc plane ſententiam exempla referuntur omnia.

De fortunis omnibus] De tota incolumitate. amiſſa enim exiſtimatione, quae agitur in hoc iudicio, quid ei reliquum erit?

Decernit] Cum Naeuio contendit, periclitatur.

Propterea quod omnes] Ne proprium eſſe Quintii vitium videatur, quod non minus de poteſtate Aquillii, quam de aequitate cogitet, communicat eum timorem vt non naturalem cum omnibus hominibus.

Homines diſertiſſimos] L. Philippum, et Q. Hortenſium, de quibus infra. Philippum inter oratores poſt Craſſum, et Antonium Cicero numerat in Bruto c. 47. vt illis proximum, ſed longo tamen interuallo proximum.

Fortiſſimos] Propter virtutem.

Ornatiſſimos] Propter honores.

Summis opibus] Quantas eſſe neceſſe eſt in hominibus diſertiſſimis, fortiſſimis, ornatiſſimis ciuitatis.

Quo is facilius, quem velit, iniquo iudicio opprimere poſſit] Acerbius, quam ſi dixiſſet, *quo is Quintium facilius opprimere poſſit.* nam, *quem velit,* quaſi dominationem quandam oſtendit Naevii, cuius in poteſtate ſit, talium praeſertim virorum ope, iniquo iudicio, quem velit, opprimere.

Aut commemorari] Longior oratio ſignificatur in, *commemorari*, quam in, *dici.* ſic infra c. 3. *His de rebus non neceſſe habeo dicere ea, quae me P. Quintius cupit commemorare.*

Caput, famam, fortunasque] Amplificat: nam ſupra dixit breuius, *de fortunis omnibus decernit.* Et in extrema oratione exiſtimationem Quintii commendat Aquillio: de capite, et fortunis nihil dicit. Sed quia cum exiſtimatione ſimul agi videntur omnia, ideo modo fortunas eius, modo et caput et fortunas, oratorie quidem, vere tamen agi dicit.

Qui hoc iudicio partes accuſatoris obtinet] Non dicit, accuſator eſt, ſed accuſatorem agit, qui conatur Quintium opprimere. ſupra patronum eum appellauit. hic autem, quo magis Quintio miſericordiam conciliet, partes eum accuſatoris dicit obtinere: vt oſtendat, accuſatorum more dicere eum priore loco debuiſſe. dicet autem ſecundo loco, quod actionem adiuuabit, eius praeſertim, cui ſummam copiam, facultatemque dicendi natura largita eſt. Infra liberius *accuſatorem* nominat: *Ita conſtituit id ipſum iudicium, vt reus ante quam verbum accuſatoris audiſſet, cauſſam dicere cogeretur.* Aliquanto poſt c. 9. *Cum maiores ita conſtituerint, vt, qui pro capite diceret, is poſteriore loco diceret: nos, inaudita criminatione accuſatorum, priore loco cauſſam dicere intelligis. eos porro, qui defendere conſuerunt, vides accuſare.*

Natura largita eſt] Studii, et induſtriæ laude Hortenſium non priuat: ſed naturam nominat: quia, ſi quis hac vna excellit, non admodum induſtriae deſiderat adiumenta. nam laborem et induſtriam Hortenſius non omiſit, vt illud ipſum bonum, quod acceperat a natura, excoleret, augeretque diligentia: ut in Bruto c. 88. quo magis autem Hortenſium laudat, eo clarius indicat, non illum, ſed ſe, cui ſummam copiam, facultatemque dicendi natura largita non ſit, ſecundo loco dicere debuiſſe.

Tela depellere] Tamquam defenſor.

Vulneribus] Ab accuſatore illatis. *Tela*, pro argumentis, vſurpat, *vulnera*, pro damno, quod cauſſae argumentis infertur. et eſt praeclara translatio, ab initio ſententiae ad extremum perducta.

Poteſtas ademta nobis erit] Cum enim poſt me dixerit Hortenſius, mihi reſpondendi poteſtas non erit: quae deberet eſſe tamquam pro reo dicenti: cum Hortenſius partes accuſatoris obtineat.

Id quod parati ſunt facere] Tacite monet iudicem, ne, quae dicturus eſt Hortenſius, vera putet. quoniam quidem ipſe ea refellere non poterit, ademta reſpondendi facultate.

Medicinae faciendae] Ne venenatum telum obeſſe innocentiae poſſit.

Praetoris] Cn. Cornelii Dolabellae, praetoris vrbani, qui, propoſito annuo edicto, ius dicebat inter ciues in priuatis cauſſis, id eſt, iudicem, iuriſque formulam dabat: ipſe vero non iudicabat. eodem modo praetor peregrinus ius dicebat inter ciues et peregrinos, non iudicabat. De toto praetorum numero quod affirmem, certi nihil habeo. modo enim decem, modo octo videntur fuiſſe. decem lege Sullae creari coeptos eſſe, cum ſex antea fuiſſent, quaeſtioneſque perpetuas, et ordinarias tunc primum inſtitutas eſſe, legitur apud Pomponium L. 2. §. 32. D. de orig. iur. eius opinionem confirmare videtur Cicero in Cluentiana c. 53. vbi, ſex praetoribus nominatis, qui publicas quaeſtiones exercerent, ſubiunxit: *Quid reliquae quaeſtiones?* duos praeterea ſignificans: quorum vnum fuiſſe P. Caſſium, qui de maieſtate praetore Cicerone quaeſiuit, Pedianus docet. quod ſi quaeſitores octo ſunt, duobus additis, vrbano, et peregrino, quorum non quaeſtio, ſed iuris dictio erat; decem fuiſſe, cogimur credere. Quid de octo? vllane ratione comprobantur? vtar ipſo teſte Cicerone: eius verba, quid ſentire nos oporteat, oſtendent: iudicium quidem, quod ad me attinet, aliis permitto. is igitur ſic in Piſonem c. 15. *De me, cum omnes magiſtratus promulgaſſent, praeter vnum praetorem. a quo non fuit poſtulandum, fratrem inimici mei, praeterque duos de lapide emtos, tribunos plebis, legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus conſul de collegae Q. Metelli ſententia.* Non obſcure loquitur de cunctis praetoribus, vno excepto Appio, P. Clodii fratre. horum numerus qui fuit? de decem ratio dicta iam eſt: de octo quis dubitare poſſit, cum in orat. poſt red. in ſen. c. 9. ſeptem videat, omiſſo Appio, nominari? L. Caecilium, M. Calidium, C. Septimium, Q. Valerium, P. Craſſum, Sex. Quintilium, C. Cornutum. ſingulis enim praetoribus, vt ſingulis tribunis plebis, gratias agit: et tribunos octo, praetores ſeptem appellat: cum in orat. in Piſonem ex omni magiſtratuum numero, de ſua ſalute promulgantium, duos tantum tribunos, vnum praetorem excepiſſet. Haec patere arbitror: ſed quanto illud illuſtrius in ea pro Milone c. 15. *Septem praetores, octo tribuni plebis, illius aduerſarii, defenſores mei.* Nec de mendo ſuſpicari licet: cum in verbo, *ſeptem*, veteres libri conſentiant omnes. Sero autem praetor, qui ius diceret inter ciues, nec niſi anno vrbis CCCXC. creatus eſt: quia iuris dictio, cum finitima bella minus vrgerent, conſulum erat. auocatis ad bella conſulibus, nouo magiſtratui, qui *praetor*, quia iuri praeeſſet, dictus eſt, vrbana iuris dictio mandata. Aliquanto poſt, peregrinis in vrbem confluentibus, alter praetor, qui ius diceret inter ciues et peregrinos, factus eſt. Poſtea cum opibus aucta vitia ſunt: itaque praetores, qui de criminibus quaererent, adiecti. qui ſiue decem, ſiue octo cuncti fuerint, geſto in vrbe magiſtratu, in prouincias ibant: quae, a praetoriis adminiſtratae, praetoriae vocabantur; a conſularibus, conſulares. non enim aut praetoria, aut conſularis eadem ſemper fuit, vt exemplo Macedoniae, aliarumque cognouimus.

Lictori-

Lictoribus, et viatoribus vtebantur, quia non modo poteſtatem, vt tribuni plebis, verum etiam imperium, vt conſules, habebant. quamquam praetoribus bini tantum lictores, conſulibus duodeni cum faſcibus praeibant: vt praetoris imperium conſulis imperio concedere videretur. in prouinciis tamen non binos, ſed ſenos lictores habebant: credo, quia non, vt in vrbe, plures, ſed vnus tantum cum imperio erat: vel vt diſtinguerentur a ſenatoribus, cum binis lictoribus liberas legationes obeuntibus: qui cum in prouincias praetorias irent priuati negotii cauſſa, pares praetoribus fuiſſe viderentur: vel etiam, quia prouincialibus maior imperii ſpecies maieſtatem augebat populi Romani.

Iniquitate et iniuria] *Iniquitate*, quia contra conſuetudinem omnium decreuit; *iniuria*, in Quintium. quod vtrumque ſtatim oſtenditur. oritur autem ex iniquitate iniuria. Mirari hic aliquis poſſit, tam libere loqui Ciceronem, et hic, et infra, contra praetorem Dolabellam. Quid ageret? ita cauſſa poſtulabat: cui niſi ſeruiret, officio, fideique deeſſet. Quis autem hoc miretur, ſi praetori non parcit, cum idem anno ſequenti in cauſſa publica contra gratioſiſſimum ac potentiſſimum Sullae libertum Chryſogonum liberius multo, quam ratio temporum ferre videbatur, accuſare non dubitauerit? fuit hoc vel hominis ingenium, vel gloriae ſtudium, in ea praeſertim aetate, quae, dum laudem aſſequatur, magnopere nihil metuit.

De probro] Id enim agitur in hoc iudicio, poſſeſſane ſint ex edicto Burrieni praetoris bona P. Quintii, id eſt, deſertumne ſit a Quintio vadimonium: quod probroſum eſt.

De re] De pecunia, quam ſibi Naeuius a Quintio deberi dicebat. de qua iudicem praetor dare debuit, cum ea formula, quae dari ſolet iis, qui pecuniam a ſocio petunt.

Reus] *Reus* dicitur is, vnde petitur.

Accuſatoris] Hortenſii: quem ſupra dixit partes accuſatoris obtinere: quia re vera accuſator non eſt, ſed eſſe videtur, cum agit aduerſus Quintium, cuius caput, fama, fortunaeque in diſcrimen adducuntur.

Eorum gratia et potentia] Quos paullo ante diſertiſſimos homines, fortiſſimos, ornatiſſimos appellauit.

Cupiditati] Bonam enim cauſſam Naeuius non habet, ſed gratia fretus cupiditate mouetur, vt iniquo iudicio adimat Quintio cum fortunis omnibus exiſtimationem, et honeſtatem.

Morem gerunt] *Obtemperare cupiditati*, ſupra dixit.

In eiusmodi rebus] Contra innocentiam, virtutis ac nobilitatis praeſidio vel ſubleuandam, vel certe non oppugnandam.

Affectus atque afflictus] Leporem in ſimilitudine nominum quaeſiuit.

Veritatem] Iuſtitiam, vt ſupra.

Miſericordiam] Hoc ad illud pertinet, *tot tantisque difficultatibus affectus atque afflictus:* et ad ea, quae ſunt infra, de Quintii miſerrimo ſtatu.

Vim aduerſariorum] Potentiam. *Vis* enim id ſignificat, vt ſupra diximus.

Non

Non ius par] Non aequa conditio: cum omnia Quintio propter Naeuii vim, et gratiam infeſta, atque inimica fuerint. C. Antonius, qui poſtea conſulatum cum Cicerone geſſit, appellauit tribunos plebis, quod aequo iure ſe vti non poſſe diceret. Aſconius, Cicero in orat. in togâ candida, Quintus Fr. de Pet. conſ. c. 2.

Non magiſtratus aequus] Poteſt loqui de pluribus magiſtratibus: cum dixerit infra c. 22. *Cui neque magiſtratus adhuc aequus inuentus eſt.* Et in extrema oratione: *Ab omni magiſtratu agitatus, atque perterritus, quem praeter te appellet, habet neminem.* quod ſi de pluribus: de Burrieno praetore primum, a quo poſtulauerat, impetraueratque Naevius, vt ex edicto bona P. Quintii, quandoquidem a quo deſertum eſſe vadimonium diceret, poſſidere liceret: deinde de tribunis plebis, quos cum appellaſſet Quintii procurator Alphenus, vt certum auxilium afferrent, ita tamen diſceſſum erat, vt idibus Sept. P. Quintium ſiſti Sex. Alphenus promitteret: poſtremo de Dolabella praetore, qui iudicium de probro prius, quam de re, fieri maluerit. Sin hoc dictum velimus oratorium, exaggerandi gratia, vnumque modo ſignificari magiſtratum: de Dolabella praetore accipiatur, neceſſe eſt.

Cum ei, ſummam per iniuriam, omnia inimica atque infeſta fuerint] Partibus enumeratis: *Cum adhuc ei, propter vim aduerſariorum, non ius par, non agendi poteſtas eadem, non magiſtratus aequus reperiri potuerit:* ſequitur concluſio vniuerſalis: *Cum ei, ſummam per iniuriam, omnia inimica atque infeſta fuerint.* Quae vim habent ſingula. nam, *omnia,* nihil praetermittit: *inimica,* plus eſt, quam, *contraria:* nec inimica ſolum, verum etiam *infeſta:* multa enim inimica, nec tamen infeſta: *per ſummam iniuriam:* non, per iniuriam tantum.

Vt multis iniuriis iactatam atque agitatam aequitatem, in hoc tandem loco conſiſtere, et confirmari patiamini] Quod ſupra c. 1. dixit: *Vt multis incommodis veritas debilitata, tandem aequitate talium virorum recreetur.* Et in extrema oratione: *Multis vexatus contumeliis, plurimis iactatus iniuriis.* *Conſiſtere:* iactatam. *Confirmari:* vel, *confirmari,* firmiter ſtatui: quod ſequitur, *conſiſtere,* vel, *confirmari,* quae debilitata ſit: cum ſupra dixerit: *Multis incommodis veritas debilitata.*

CAPVT III.

C. Quintius fuit] Vſitatum narrationis initium. vt in Diuin. c. 17. *Agonis eſt quaedam Lilybaetana, liberta Veneris Erycinae.* Lib. I. in Verr. c. 48. *C. Sulpicius Olympus fuit.* Lib. II. c. 28. *Sopater quidam fuit Halicienſis.* Lib. III. c. 21. *Nympho eſt Centuripinus.* c. 23. *Eubulides eſt Groſphus, Centuripinus.* c. 87. *Soſitenus eſt Entellinus.* Lib. IV. c. 22. *Cn. Pompeius eſt Philo, qui fuit Tyndaritanus.* Nec ſolum in orationibus, ſed etiam in epiſtolis: vt ad Acilium lib. XIII. Fam. epiſt. 30. *L. Manlius eſt Soſis.*

Attentus] Qui rem domeſticam curaret egregie. nam, *attentus,*

tus, hoc valet interdum: vt pro Roſcio Amer. c. 15. *Hac attenta vita, et ruſticana.* Terentius in Adelph. act. V. ſc. 8. v. 31.

— *Nimium ad rem in ſenecta attenti ſumus.*

Viro bono] Ironia: quae ſequentibus verbis aperitur.

Officia certi patrisfamilias] Quae qui ignorat, bonus eſſe non poteſt. ignorat autem Naeuius, quod ita inſtitutus eſt: non igitur vir bonus.

Non quo ei deeſſet ingenium] Laudare velle Naeuium videtur, et ſtatim vituperat: item vt ſupra, *viro bono, verumtamen non ita inſtituto, etc.*

Neque parum facetus] Caret hoc ignominia, ſi ſolum ponatur: ſed fit ignominioſum addito verbo *ſcurra:* vt quod ſequitur, *neque inhumanus,* habere laudem videtur, ſed amittit ſequente praeconis nomine. nam humanitatem praeco, ſi qua vtitur, ad ſuum quaeſtum totam confert.

Quid ergo eſt] Quid eſt, cur de C. Quintio dixerim: *vna in re paullo minus conſideratus, qui ſocietatem cum Sex. Naeuio fecerit.* Subiungit cauſſam: *Cum ei natura, etc.*

Nihil melius, quam vocem] Id eſt, nihil boni, praeter vocem.

Nihil praeter libertatem] Miſerrimus ergo Naeuius, quod ad rem familiarem attinet.

Vocem in quaeſtum contulit] Praeconem deſcripſit a voce, et libertate: quarum alteram Naeuio natura dedit, alteram pater non dedit, ſed vel, conſumtis reliquis bonis, vnam reliquit, quam adimere non potuit; vel ita pauper fuit, vt ei praeter libertatem nihil relinquere potuerit: qua difficultate coactus Naeuius, vocem in quaeſtum contulit. Videtur excuſare Naeuium, cum dicit: *Cum ei pater nihil praeter libertatem reliquiſſet:* ſed in re turpiſſima locum non habet excuſatio. quid autem turpius, quam vocem vendere? vnde infra c. 31. *Cuius vox praeconio quaeſtu proſtitit.*

Libertate vſus eſt] Opinor, hoc dicit: praeconium coepit exercere.

Quo impunius dicax eſſet] Quia dicacitas in praecone fertur, atque adeo delectat, in aliis odium excitat. Exſtat exemplum Granii praeconis: qui cum ne magiſtratibus quidem parcere ſoleret, id ei tamen impune fuit. vnde illa pro Plancio c. 14. *Conſuli P. Naſicae praeco Granius, medio in foro, cum ille, edicto iuſtitio, domum diſcedens rogaſſet Granium, quod triſtis eſſet, an quod auctiones eſſent? Immo vero, inquit, quod legiones. Idem tribuno plebis, potentiſſimo homini, M. Druſo, ſed multa in rempublicam molienti, cum ille eum ſalutaſſet, vt fit, dixiſſetque, Quid agis, Grani? reſpondit, Immo vero, tu Druſe, quid agis? ille L. Craſſi, ille M. Antonii voluntatem aſperioribus facetiis ſaepe perſtrinxit impune.*

Quod ſocium tibi eum velles adiungere] *Tibi*, de quocumque dixit, pro, quod eum ſibi quisquam ſocium vellet adiungere.

In tua pecunia] Cum ipſe de ſuo nihil ad communem fructum conferre vellet.

Qui pecuniae fructus eſſet] Vt ex tua, non vt e ſua pecunia fructum caperet.

Comparabantur] Acquirebantur.

Tollitur] Spe lucri, quaſi aliqua vi: vt illud, quod ſequitur, *trans Alpes vsque transfertur.* quod magnum ac perdifficile fuit in Naeuio, in atriis Liciniis ſedere ſolito: ſed omnem itineris moleſtiam, ac difficultatem vicit auaritia.

Ab atriis Liciniis] Locus in vrbe, vbi praecones verſabantur, quod aut ibi, aut non longe auctiones fierent. infra c. 6. *Suos neceſſarios ab atriis Liciniis, et a faucibus macelli corrogat.*

In Galliam] Transalpinam: quod vt exprimeret, ſubiunxit, *trans Alpes.*

Sine impendio] Cum ipſe de ſuo nihil impenderet, qui voce tantum ad quaeſtum vteretur.

Neſcio quid] Minus videlicet, quam C. Quintius: id autem ex eo, quod praeconio quaeſierat. nam pater ei, praeter libertatem, nihil reliquerat.

Nec mirum, ſi is, qui vocem venalem habuerat, ea, quae voce quaeſierat, magno ſibi quaeſtui fore putabat] Recte argumentatur. nam ex vna turpitudine ſequitur altera: et, qui pudorem ſemel abiecit, eum deinde, impudentem eſſe, quis miretur?

Ita diligens erat] Non caret lepore. nam laudari diligentia ſolet, ſed honeſtis in rebus: at Naevius ita diligens erat in fraudanda ſocietate, quaſi furtum honeſta res eſſet; qui vero ſocietatem fideliter adminiſtrarent, condemnari ſolerent.

Arbitrium pro ſocio] In iudicio, quod pro ſocio conſtituitur. quod ideo vocatur *arbitrium,* non quia re vera ſit, ſed quia, cum in ea formula, quam praetor iudici dat, additur, *ex fide bona,* id eſt, vt ex aequo bonoque iudicet, arbitrii ſimile videtur. in arbitriis autem, quae vere arbitria ſunt, non accipitur a praetore formula. Haec de ſententia: quod attinet ad verba, vix mihi, nihil deſiderari, quisquam perſuaſerit. vnde enim regitur, quo modo conſiſtit per ſe, *arbitrium pro ſocio?* quod ſi legatur, *ad arbitrium pro ſocio:* fortaſſe, quo lector offendatur, non erit.

Cupit commemorare] Non ſolum ea me cupit dicere, ſed etiam *commemorare,* id eſt, copioſe dicere. ego autem ne dicam quidem, quia neceſſe non eſt.

Non flagitat] Non vehementer poſtulat.

CAPVT IV.

Cum annos iam complures ſocietas eſſet] Cum narrare videatur, oblique tamen veneficii crimen in Naeuium quinque coniicit argumentis: vno, ex diuturnitate ſocietatis, cum ſpatii iam ſatis habuiſſet ad ſeuocandum in priuatam domum, quidquid de communi potuerat: altero, quod ſe Quintio ſuſpectum eſſe intelligeret, nec iam, vt cenſuerat, arbitratu ſuo furari poſſet, ſuſpicione cautionem afferente: tertio, quod rationem earum rerum, quas libidine, non ratione, adminiſtrauerat, Naeuius reddere ſatis commode non poſſet: quarto, quod obierit Quintius, cum Naeuius adeſſet: quinto, quod obierit repentino. Quae ſi minus ad probandum crimen valent, ſignificatione tamen aliqua non carent. nec in iis diutius orator immoratur; ne, quae ſunt extra cauſſam, verae defenſionis inopia quaerere, et aucupari videatur,

deatur, ſed breui narratione, quaſi aliud agens, ingenioſe percurrit.

Summus honos] Significatione amoris, qui potiſſimum in morte declaratur. *Honoris* quoque mentio fit in oratione pro Caecina c. 4. propter vſumfructum bonorum teſtamento legatum. *Moritur*, inquit, *Fulcinius: teſtamento facit heredem, quem habebat e Caeſennia filium: vſumfructum omnium bonorum ſuorum Caeſenniae legat, vt frueretur vna cum filio. Magnus honos viri, iucundus mulieri fuiſſet, ſi diuturnum eſſe licuiſſet.*

Nec ita multo poſt] *Nec*, pro, *non*, vt *nec opinantem*, pro, *non opinantem.*

Cum iſto Naeuio] Suſpicor abundare, *Naeuio.*

Annum fere vna ſunt] Vere hoc, oratorie illud infra c. 11. *Annum, et eo diutius, poſt mortem C. Quintii fuit in Gallia tecum ſimul P. Quintius.*

De tota illa ratione, atque re Gallicana] Cum dicat, *illa*, ſine dubio nihil extra ſocietatem ſignificat, ſed, quae ad ſocietatem pertinent, omnia complectitur. quod ideo dicendum putaui, ne quis eum iis etiam de rebus loqui exiſtimaret, quae ipſius Quintii erant priuatae, vt infra.

Priuatim] Extra ſocietatem.

Eſſet relictum] Priuato C. Quintii nomine, non ſocietatis.

In Gallia] Vt deinde Romae ſolueret.

Se facturum eſſe] Certa et definita die. proſcriptio enim et res auctionantis, et diem auctionis nominabat.

Ibi tum] Ad rem ſpectat, *ibi*, non ad locum: quaſi dixerit, in eiusmodi re, cognito Quintii conſilio: vt lib. III. in Verr. c. 60. *Quid tu ibi tum? quid facis?* Et pro Caecina c. 10. *Cum Aebutius Caecinae malum minaretur, ibi tum Caecinam poſtulaſſe, vt moribus deductio fieret.* Et Terentius Andr. act. I. ſc. 1. v. 104.

— *Ibi tum exanimatus Pamphilus*
Bene diſſimulatum amorem et celatum indicat.

Deterret] Studioſe diſſuadet, ac dehortatur. hoc enim verbum ſaepe in bonam partem accipitur. vt ad Metellum lib. V. Fam. epiſt. 2. *Egi cum Claudia, vxore tua, et cum veſtra ſorore Mucia, — vt eum ab illa iniuria deterrerent.*

Non ita commode] Non ſine aliquo ſuo damno.

Si ſaperet] Admonentis eſt, non obiurgantis, aut non aſpere, non acerbe obiurgantis, ſed ita, vt obiurgatio ſit amoris index. Lib. III. in Verr. c. 28. *Summittebat iſte Timarchidem, qui moneret eos, ſi ſaperent, vt tranſigerent.*

Pro fraterna illa neceſſitudine] Pro illa neceſſitudine, quae ſibi cum C. Quintio, Publii fratre, fuerat.

P. Scapulae] Gentili ſuo. nam Scapula cognomen Quintiae gentis fuit: quod ex Plinio lib. VII. c. 53. ex Dione lib. LIII. cognoſcitur.

Per te] Arbitrum.

Propter aerariam rationem] Aliam aliis temporibus. non enim vel aurea, vel argentea moneta ſemper idem valet. de qua varietate ſic lib. III. de Offic. c. 20. *Ne noſter quidem Gratidianus officio boni viri functus eſt tum, cum praetor eſſet, collegiumque praetorum tribuni plebis adhibuiſſent, vt res nummaria de communi ſententia conſtitueretur. iactabatur enim*

enim temporibus illis nummus, ſic, vt nemo poſſet ſcire, quid haberet.

Niſi a quaeſtoribus quaeſiſſet] Quaeſiuit igitur Quintius a quaeſtore Aquillio. is autem annus, quo quaeſturam geſſit Aquillius, quantum e ſequentibus licet coniicere Carbone II. Ciuna IV. coſſ. fuit, quadriennio ante, quam haec dicerentur. *Quaeſtores* dicti a quaerenda pecunia publica. anno enim poſt eiectos reges, vt ait Plutarchus, duo, qui aerarium, in aede Saturni cuſtodiendae pecuniae publicae cauſſa conſtitutum, curarent, a populo creati. quamquam hunc magiſtratum multo ante, regum aetate fuiſſe, eodem tractandae publicae pecuniae munere, curiatis comitiis creatos, alii tradiderunt. Aucto imperio, ſimul augeri quaeſtorum numerum neceſſe fuit. duo primum additi, mox quattuor: cumque vsque ad Sullae dictaturam octo fuiſſent, Sullam viginti ſupplendo ſenatui, cui iudicia tradiderat, lege lata eſſe iuſſiſſe, Tacitus lib. XI. Annal. c. 22. auctor eſt. Eorum alii alia tractabant, vt cuique ſors obuenerat: aerarium, vt diximus, duo, qui *quaeſtores vrbani* vocabantur, et pecuniam publicam expenſam et acceptam in tabulas referebant. addit Liuius lib. VII. c. 23. eoſdem ex aerario ſigna promſiſſe imperatoribus ad bellum exeuntibus. Quaeſtoria prouincia erat Oſtienſis, id eſt, frumenti cura, quod e diuerſis regionibus aduehebatur: de qua mentio fit in orat. pro Murena c. 8. Erat ea, quae lege Titia dabatur: de qua in eadem oratione. Erat Puteolana, mercium peregrinarum cauſſa, de qua in Vatinium c. 5. Duo praeterea conſulibus operam nauabant, vt P. Sextius C. Antonio, T. Fadius Ciceroni. quod ex orationibus pro Sextio c. 3. poſt red. in ſen. c. 8. intelligitur. Alii cum proconſulibus, et propraetoribus, vel ſinguli, vel bini, in prouincias ibant, vt acceptam a ſenatu pecuniam in ſtipendium, frumentum, legatos, proquaeſtores, cohortem praetoriam diſtribuerent. Denique diuerſis muneribus, non ipſorum arbitrio, non ſenatus decreto, non populi iuſſu, ſed ſortis euentu, operam dabant. Vocatione eos, et prehenſione caruiſſe, id eſt, neque viatorem habuiſſe, neque lictorem, ſed ſeruis publicis vſos eſſe, docet Gellius lib. XIII. c. 12. Poteſtatem autem, vt aediles, tribunique plebis, non imperium, vt conſul, praetor, dictator, habere dicebantur. Iurisdictionem, et quaeſtionem ipſi quoque ſuam habuerunt, vt tribuni plebis, triumuiri, auctore Pediano: et Plutarchus, cognouiſſe eos de ſcribarum criminibus, memoriae prodidit in Catone Vticenſi. In prouinciis iurisdictionem habuiſſe, oſtendit Cicero in Diuin. c. 17. Caecilii Verris quaeſtoris exemplo, et Suetonius in Caeſare c. 7. Lictoribus etiam, quibus in vrbe vti non licuit, extra vrbem vſos eſſe, cognouimus lib. II. in Verr. c. 4. *Quaeſtores*, inquit, *vtriusque prouinciae, qui iſto praetore fuerant, cum faſcibus mihi praeſto fuerunt.* Et pro Plancio c. 41. *Simulac me Dyrrhachium attigiſſe audiuit: ſtatim ad me, lictoribus dimiſſis, inſignibus abiectis, veſte mutata, profectus eſt.* Erant et parici quaeſtores, rerum capitalium praefecti, ſed ab eo, de quo loquimur, genere differebant.

Primus

Primus gradus honoris quaeſtura fuit, tributisque comitiis, poſtea quam inſtituta ſunt, dabatur: non enim inter maiores magiſtratus fuit, qui centuriatis creabantur, vt praetor, conſul, cenſor: ac ne curulis quidem: patricius tamen, habita ratione primorum temporum, quibus patricii quaeſtores fuere. nam poſtremo magiſtratus omnes, interrege excepto, plebeiis gentibus communicati.

Decidis] Vt quaeſtor, et arbiter.

Quid iis ad denarium ſolueretur] Cum, *ad denarium* dicit, integrae ſummae ſolutionem ſignificat. Argenteus nummus fuit, argento primum rudi, pro denis aeris libris, id eſt, pro denis aſſibus, qui primo librales fuere. ſignari autem coeptus eſt annis tantum quinque ante primum Punicum bellum, auctore Plinio lib. XXXIII. c. 3. Bello Punico ſecundo, exhauſta ſumtibus republica, denarium ſedecim aſſibus permutari placuit, vetere nomine retento, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis. Septenos in vncia percuſſos eſſe ante imperatorum aetatem, auctor eſt Plinius: vt, quemadmodum in ceteris rebus, item in nummorum pondere Graecos anteirent. drachmae enim Atticae e Solonis inſtituto centenae in mina percutiebantur, id eſt, quattuor amplius, quam in libra Romana: quia mina non e ſolis duodecim vnciis, vt libra, ſed e duodecim, et ſemiſſe, id eſt, vnciae dimidio, conſtabat. ita fiebat, vt in dispari minae libraeque pondere, octonae drachmae in vncia minae, dimidia praeterea in ſemiſſe, ferirentur: pari autem pondere, octonae tantum drachmae. placuit igitur Romanis, e ſingulis vnciis denarios tantum ſeptenos cudere. Nam, quod vbique drachmam pro denario Graeca nominat hiſtoria, id cauſſae eſt, vel quia ſimiliorem nummum Graeci nullum habeant, vel quia, poſt reipublicae tempora, denarii pondus imminuerit principum auaritia, ſic, vt inter denarium et drachmam nihil intereſſet. quod eo mihi perſuadetur magis, quia non obſcure dixit Plinius lib. XXI. c. 34. *Drachma Attica denarii argentei habet pondus.* Et lib. XXXIII. c. 9. cum ait: *Alii e pondere ſubtrahunt, cum ſit iuſtum* LXXXIV. *e libris ſignari:* videtur indicare, aetate ſua non fieri quod iuſtum erat, ſed plures LXXXIV. e libra ſignari. Et Plutarchus in Camillo drachmam a denario non diſtinguit. Perſpicue autem Dio, drachmam a denario nihil differre, lib. LV. ſignificat, vbi aureum nummum drachmis XXV. aeſtimat. nam eundem nummum centum ſeſtertiis Tacitus lib. I. Hiſt. c. 24. aeſtimat: et centum ſeſtertiis denarios XXV. confici, nemo neſcit. Fuit et denarius aureus, is opinor, qui nummus aureus vocatus eſt, eo pondere, vt argenteis XXV. permutaretur. quod proxime teſtium locupletum copia probauimus. nam Plinii verba ſunt obſcuriora, quam vt ſententia cerni, cognoſcique poſſit.

CAPVT V.

Annuiſſet] Non modo poſtulaſſet.

Poſſe] Quia locuples.

Debere] Quia promiſerat.

Quod iterum iam dico, optimus] Paullo enim ante: *Ibi tum vir optimus, Sex. Naeuius, hominem multis verbis deterret, ne auctionetur.*

In ipſo articulo temporis] In ſumma neceſſitate: cum Quintius pecuniam Scapulis, nulla interpoſita mora, ſoluere cogeretur.

Aſſem ſeſe negat daturum] Nihil ſe daturum affirmat. as enim minimi pretii nummus fuit. et, *ad aſſem perdere*, dixit Horatius, vniuerſae pecuniae iacturam ſignificans, in iis verſibus: (lib. II. epiſt. 2. 26, ſeqq.)

Luculli miles collecta viatica multis
Aerumnis, laſſus dum noctu ſtertit, ad aſſem
Perdiderat.

Libet hic de aſſe pauca quaedam ſubſcribere, vt hos commentarios aliqua interdum rerum Romanarum adſperſa notitia iucundiores efficiat: admonitu praeſertim, hortatuque ſapientiſſimi viri, ad Sedis Apoſtolicae decus, et Chriſtianae Reipublicae ſalutem nati, IOANNIS MORONI Cardinalis: cuius optime de me meriti ſtudio non obſequi, nefas eſſe duco. modum tamen tenebo: ne, ſi ſim longior, antiquitatem explicare voluiſſe videar alieno loco; ſi breuior, mutila quaedam, et obſcura tradidiſſe. *As* dictus quaſi aes: nam ex aere rudi, libralis primum factus eſt: vnde aeris grauis poena dicta: manſitque rudis vsque ad Seruium regem: tunc ſignari coeptus eſt nota pecudum: vnde *pecuniae* nomen ortum. In hoc nummo, licet minimo, Romani tamen, ex omni re laudem aucupantes, bonitatem aeris adamarunt: Cyproque inſula cognita, aſſem perpetuo fecerunt ex aere Cyprio, quo pyropi igneſcens bractea conficitur. Minores nummi, (nam vno tantum vti, librali praeſertim, incommodum erat) tamquam partes aſſi ſubiectae, vndecim fuere, vncia, omnium minima: dextans, duarum vnciarum: quadrans, trium: triens, quattuor: quincunx, quinque: ſemis, ſex: ſeptunx, ſeptem: bes, octo: dodrans, nouem: dextans, decem: deunx, vndecim. quas omnes complectebatur vnus as. Bello Punico primo, non tam maioris commodi gratia, quam quod impenſis respublica non ſufficeret, conſtitutum, vt aſſes ſextantario pondere ferirentur, id eſt, vt duarum tantum vnciarum ſinguli eſſent: nam ſextans ſexta pars librae, id eſt, antiqui aſſis, fuerat. ita quinque partes factae lucri, diſſolutumque aes alienum. Quo tempore, ſigno pecudis omiſſo, nota aſſis coepit eſſe ex altera parte Ianus Geminus, ex altera roſtrum nauis. Eadem cauſſa fecit, vt bello Punico ſecundo vnciales fierent. neque hic minuendi ponderis finis fuit, in publicis quoque rebus, non modo in priuatis, noua lucra humano ſemper quaerente ingenio. ventum erat a libra ad ſextantem, a ſextante ad vnciam: vncia poſtremo ſemunciae locum dedit, aſſesque lege Papiriana ſemunciales facti: iisque populus Romanus ad Veſpaſiani tempora vſus eſt. nam poſtea mutatos, nulla docet hiſtoria. Eandem fuiſſe rationem in aſſis partibus, id eſt, in reliquis aereis nummis, vt, aſſe imminuto, ipſae quoque proportione minuerentur, credibile videtur: exempli gratia, quadrans, cum

as

as libralis eſſe deſiit, mutauit pondus, nec fuit amplius trium vnciarum, ſed aſſis tamen quarta pars et pondere, et pretio fuit, ſicuti primum fuerat. nec dubium eſt, cum Martialis lib. I. epigr. 60. dixit,

Dat Baiana mihi quadrantes ſportula centum,

quin aſſes XXV. qui ſunt Iulii fere duo Romanae monetae, ſignificauerit. Supra aſſem nummus aereus, praeter dipondium, qui duos aſſes pependit, nullus, vt arbitror, fuit. Nam Plinii verba lib. XXXIV. c. 2. de ſeſtertio aereo, vt carere mendo putem, vix vmquam adducar. Argentei nummi ſimul cum aereis fuere, ipſi quoque argento rudi. libella argentea aſſi aereo reſpondebat, accepto nomine a librali aſſe. itaque, quod hic Cicero, *aſſem ſeſe negat daturum*, idem lib. II. in Verr. c. 10. dixit, *quis Volcatio, ſi ſua ſponte veniſſet, vnam libellam dediſſet?* diverſo vocabulo eandem rem ſignificans. ſed argentum non eodem, quo aes, tempore ſignatum eſt: aes, vt diximus, regnante Seruio, argentum paucis ante primum Punicum bellum annis, diverſa ab aere nota, bigis, quadrigisque. Et, vt proportio eſſet aliqua inter aes, et argentum; redacto aſſe a duabus vnciis ad vnam, argenteos quoque nummos pluris, quam antea, valere placuit, ſeſtertium quaternis aſſibus, qui dipondio, id eſt, duobus aſſibus, cum ſemiſſe fuerat: vnde vetus nomen ſeſtertii, quod perpetuo manſit: quinarium octonis, qui fuerat quinis; vt ſeſtertium, ſicut antea, dimidio ſuperaret, denarium ſedecim, antiquo nomine, vt in reliquis nummis, conſeruato.

Quippiam promiſiſſet] Quod non ipſe, qui promiſiſſet, verum dominus, cuius iuſſu promiſerat, praeſtare deberet. Saepe corruptam praeconio quaeſtu Naeuii naturam Cicero carpit.

Aufert] Impetrat: vt interim curare pecuniam poſſit.

Difficiliore conditione] Aliqua pecuniae iactura.

Quam minima cum moleſtia] Per arbitros.

Nos] Loquitur ex perſona Quintii. nam ipſe cauſſam eius non defendebat eo tempore. ſic infra c. 28. *Conditionem tuli:* cum tamen ea conditio non ab ipſo, ſed ab aliis, qui tum Quintio aderant, lata ſit. Et c. 13. *Quod eſt hoc iudicium, in quo iam biennium verſamur?* cum tamen ipſe paullo ante in eo iudicio verſari coepiſſet, priore patrono Iunio noua legatione impedito. Eodem modo, quod ſequitur, interpretor, *propinquum noſtrum*, non ipſius Ciceronis, ſed Quintii: vt infra patet. Item illud c. 8. *Interea recuſantes noſtros aduocatos acerrime ſubmoveri:* pro, aduocatos Quintii. nam ipſe Cicero tum Quintio non aderat. dixit enim paullo ante de iisdem aduocatis: *Recuſabant, qui aderant tum Quintio.*

Res conuenire nullo modo poterat] *Rem conuenturam*, dixit Phil. I. c. 3.

Res eſſe in vadimonium coepit] Pro, *in vadimonio*: vt in Diuin. c. 20. *Quae in amicitiam populi Romani, ditionemque eſſent.* Lib. V. in Verr. c. 38. *Quo in loco maiores Syracuſanum quemquam habitare vetuerunt; quod, qui illam partem vrbis tenerent, in*

eorum poteſtatem portum futurum intelligebant. Pro lege Manilia c. 12. *Cum veſtros portus, atque eos portus, quibus vitam et ſpiritum ducitis, in praedonum fuiſſe poteſtatem ſciatis.* Plautus in Amphitr. act. I. ſc. 1. v. 25.

— *Numero mihi in mentem fuit.* Gellius lib I. c. 7. *Res* autem *eſſe in vadimonium* dicitur, cum per vadimonia litigatur, ſiue apud arbitros, ſiue apud iudices. arbitri autem erant Trebellius, et Alphenus.

CAPVT VI.

Ante diem IV. (Ern. II.) *Kal. Febr.*] Idem eſt, *ante diem* IV. *Kal. Febr.* quod, IV. *Kal. Febr.* et vtroque modo veteres loquebantur. de quo more ne multa colligam, vnum, alterumue recitabo locum: ne dixiſſe aliquid ſine teſte videamur. Ad Tironem, lib. XVI. Fam. epiſt. 3. cum ſcripſiſſet. *is dies fuit nonae Nou.* ſubiunxit, *inde ante lucem proficiſcentes, ante diem* VIII. *id. Nou. has litteras dedimus.* Et Gellius lib. XV. c. 28. natum eſſe Ciceronem ait *ante diem* III. *non. Ian.* qui ſe, natum III. *non. Ian.* ad Atticum lib. VII. epiſt 5. ſcribit. Opinor autem, vel hic, II, id eſt, pridie, vel infra c. 18. IV. legendum: vt in eadem re dies idem ponatur.

Scipione, et Norbano] Hic eſt L. Scipio, ſocer P. Sextii, a Cicerone defenſi. ciuili bello Marianarum partium fuit: deſtitutusque ab exercitu, ad Sullam deficiente, Maſſiliam, liberam ciuitatem, ſe contulit: vbi exſul aliquandiu vixit. vnde illa in Sextiana c. 3. *Duxit vxorem, patre viuo, optimi, at calamitoſiſſimi viri filiam, L. Scipionis. clara in hoc P. Sextii pietas exſtitit, et omnibus grata, quod et Maſſiliam ſtatim profectus eſt, vt ſocerum videre, conſolarique poſſet, fluctibus reipublicae expulſum, in alienis terris iacentem, quem in maiorum ſuorum veſtigiis ſtare oportebat: et ad eum filiam eius adduxit, vt illo inſperato adſpectu complexuque, ſi non omnem, at aliquam partem maeroris ſui deponeret: et maximis officiis et illius aerumnam, quoad vixit, et filiae ſolitudinem ſuſtentauit.*

L. Albius Sex. filius, Quirina] Sic legendum, non *Quirinas.* eſt enim, *Quirina*, pro ex Quirina tribu, antiquo more, quem Pedianus in eo loco, *C. Verrem Romilia*, act. I. in Verr. c. 8. oſtendit his verbis: *Romilia, nomen eſt tribus, ablatiui caſus: vt ſit, ex Romilia. tribus enim vrbanae ruſticaeque omnes XXXV. numerantur. ex quibus aliquam neceſſe eſt, cuiusque ordinis fuerit, ciuis Romanus obtineat. moris autem fuit, vt, cum aliquis ciuis Romanus oſtendendus eſſet, ſignificaretur aut a praenomine ſuo, aut a nomine, aut a cognomine, aut a cognatione, aut a tribu, in qua cenſeretur, aut a curia, aut a cenſu, vt, ſi erat ſenator, equesue Romanus. ſic alibi ait, C. Claudius, C. F. Palatina.* Haec Pedianus. Ego tribus nomen iis tantum addi ſolitum arbitror, qui parum alioqui noti eſſent, non geſtis honoribus, non maiorum dignitate, non ordine ſenatorio, cognoſcerentur: qualis ille, a Pediano proxime nominatus, *C. Claudius C. F. Palatina* deſcribitur lib. II. in Verr. c. 43. et act. I. c. 8. *Q. Verres Romilia*, vt homo improbus, et in corrumpen-

rumpendis tribubus exercitatus, cum probro appellatur. nam P. Rupilio, equiti Romano, qui nominatur lib. XIII. Fam. epiſt. 9. additam eſſe Meneniam tribum crediderim, vt ab altero P. Rupilio diſtingueretur. Nominatur et a Plinio lib. VII. c. 49. ex oppido admodum ignobili Velleiacio, qui CXL. vixit annos, *M. Mucius M. filius*, *Galeria*, *Felix*. Excipio ſepulcrorum quasdam inſcriptiones, non clarorum tamen hominum, et ſenatus conſulta omnia, in quibus addi ſolita tribus eſt ad eorum nomina, qui ſcribendo aderant, aut eorum, de quibus ornandis, cum pro republica mortem obiiſſent, agebatur: vt Phil. IX. c. 7. *Ser. Sulpicius, Q. F. Lemonia*, *Rufus*. De tribubus olim ſcripſi, cum obſcurae adhuc eſſent Romanae antiquitates. ea ſi putem iteranda: lector fortaſſe non faſtidiet: ei quidem viro, quem ſupra nominaui, hoc a me doctrinae genus poſtulanti, ſatisfiet. Romulus in tres partes, quas ideo *tribus* vocauit, ciuitatem diuiſit, Ramnenſes, Tatienſes, Luceres, id eſt, Romanos, quos ipſe ſecum adduxerat; Sabinos, qui cum T. Tatio rege in vrbem recepti erant; Lucumones, Etruriae populos, qui Romulo, cum Sabinis dimicanti, opem tulere: vnde ipſi quoque in vrbem recepti: et inde Tuſcus vicus. Poſtea Ser. Tullius, ſextus Romanorum rex, in maiore ciuium multitudine quattuor tribus fecit, et ab vrbis collibus appellauit, Suburranam, Palatinam, Collinam, Eſquilinam. Sequentibus deinde temporibus, aucta vrbe, prolatis imperii finibus, additae ſunt nouae tribus, aliae alio tempore, ſic, vt ad XXXV. peruenerint; quarum XXXI. ruſticae, vrbanae IV. vocabantur: ruſticae, laudatiſſimae, eorum, qui rura haberent; quae ingenuorum erant; cum vrbanae libertinorum eſſent; in quas transferri, vt ait Plinius lib. XVIII. c. 3. ignominiae fuit. vrbanae vero fuerunt, quas a Seruio rege inſtitutas eſſe dixi. In iis XXXV. tribubus cenſebatur vniuerſus populus Romanus, et in ſua quisque tribu ſuffragium comitiis ſerebat, nomenque dabat militiae cauſſa. Earum omnium nomina fuerunt haec, in quibus ordinem litterarum, non temporum, ſeruabo. Aemilia, Anienſis, Arnienſis, Claudia, Cluſtumina, Collina, Cornelina, Eſquilina, Fabia, Falerina, Galeria, Horatia, Lemonia, Maecia, Menenia, Oufentina, Palatina, Papiria, Poblilia, quae deinde Publilia dicta, vt ex Poblius Publius: Pollia, Pomptina, Pupinia, Quirina, Romilia, Sabatina, Scaptia, Sergia, Stellatina, Suburrana, Terentina, Tromentina, Veientina, Velina, Veturia, Voltinia. Vnde nomen acceperint, affirmare de omnibus difficile eſt. aliae quidem a partibus vrbis, a familiis multae, aliae aliunde. nam, quod ait Pedianus lib. I. in Verr. c. 5. de Sabinarum raptarum nominibus plures eſſe dictas: non aſſentior: cum a Sabinis mulieribus curiae, non tribus, Liuio lib. I. c. 13. et Feſto auctoribus, nominatae ſint; et Seruio regnante, multis poſt raptum Sabinarum annis, primae quattuor tribus inſtitutae, atque de nominibus collium, vt diximus, appellatae.

Cum primis honeſtus] Ciceronem arbitror ſeruire tempori: ne, cum teſtimonium de die, quo

 Quin-

Quintius Roma egreſſus eſt, Albius dicet, fides ei, vt homini parum honeſto, derogetur. infra quoque c. 18. *Profectus eſt vna L. Albius, homo cum primis honeſtus. dicet teſtimonium.* Haec ideo dixi, ne, quod iam dixeram de tribus nomine, ſolis ignobilibus addito, quaſi refelli videretur hoc Albii exemplo, quem Cicero hominem cum primis honeſtum vocat.

Pueros] Seruos, licet pueritiae eſſent annos egreſſi. notatur enim conditio, non aetas: et ita ſaepe Cicero locutus.

Circum amicos] Ad omnes amicos. et, *circum*, non paucos videtur indicare: vt in exemplis. Lib. II. in Verr. c. 70. *Cum praetorem circum omnia fora ſectaretur.* Lib. IV. c. 34. *Optimum quemque et nobiliſſimum ad ſe arceſſebat: circum omnia prouinciae fora rapiebat.*

Suos neceſſarios] Praecones. nam ad eos amicos, qui non in atriis Liciniis, nec in faucibus macelli verſarentur, id eſt, ad honeſtiores, non miſit ſuos neceſſarios, ſed pueros, id eſt, ſeruos.

Et a faucibus macelli] Locus non admodum ab atriis Liciniis disiunctus, qui nominatur lib. III. in Verr. c. 62. et ita quidem, vt parum honeſtus fuiſſe videatur: cum in eo ſederet Alba Aemilius, Verris familiariſſimus.

Ad tabulam Sextiam] Ad tabernam eius nominis: vt ibi tabulae, deſerti a Quintio vadimonii teſtes, conſcriberentur, et virorum nobilium annulis conſignarentur.

Hora ſecunda poſtridie] Hora ſecunda illorum temporum non reſpondet noſtrorum horae ſecundae. veteres enim diem in duodecim horas, ab ortu ſolis ad occaſum, et in totidem noctem, ab occaſu ad ortum, quacumque anni parte, diuidebant. diurnae tamen horae nocturnis diſſimiles erant. nam aeſtate, longioribus diebus, breuioribus noctibus, diurnae duodecim horae longiores, nocturnae breuiores: contra vero hieme, breuioribus diebus, longioribus noctibus, diurnae breuiores, nocturnae longiores. ita ſexta diei hora ſemper meridies fuit, ſexta noctis hora media nox: duodecima, diei noctisque ſemper vltima. vnde illud M. Craſſi, quod apud Plutarchum legimus, in Deiotarum regem, vrbem aedificantem extrema ſenectute: *Quid tu, Deiotare? duodecima hora aedificare coepiſti?* Hic autem dies naturalis erat, horarum duodecim, oriente ſole incipiens, occidente deſinens. nam ciuilis a media nocte ad mediam ſequentem, XXIV. horarum ſpatio, producebatur. vt Gellius lib. III. c. 2. auctor eſt. Hic Cicero, cum ait, *hora ſecunda*, de naturali die loquitur. et, quia menſis Ianuarius extremus erat; quod ipſa narratio docet; quo tempore dies eſt horarum XIII. hora ſecunda antiqua producitur in aliquam partem horae tertiae recentioris. De eodem dierum genere accipiendum eſt, quod Sulpicius ad Ciceronem ſcripſit lib. IV. Fam. epiſt. 12. *Circiter hora decima noctis P. Poſtumius ad me venit.* Nam, cum loquatur de die vigeſimo quinto menſis Maii, quo tempore decem horarum nox apud nos non eſt: neceſſe videtur intelligere, tum fuiſſe noctem duodecim horarum, quemadmodum erat per totum annum.

annum. Et, cum ſubiungit idem Sulpicius, *e veſtigio eo ſum profectus prima luce*, ibi quoque oſtendit duodecim fuiſſe noctis horas, et ſe ab hora decima, qua Poſtumius venerat, ad duodecimam, cogendis medicis, quos ad Marcellum vulneratum adduceret, operam dediſſe. Et Martialis lib. IV. epigr. 8. cum dixit,

Imperat exſtructos frangere nona toros,

oſtendit veteres cenare ſolitos eſſe tribus horis ante ſolis occaſum. quod ſi ſeruetur aetate noſtra, cenae tempus incideret in horam vigeſimam primam.

Teſtificatur iſte] Cum ſequatur, *et ſe ſtitiſſe:* aptius putaui, *teſtificatur iſte*, quam, vt antea, *teſtificantur iſti*. Nec vero de nobilibus viris, quibus et teſtibus, et tabularum obſignatoribus Naevius vſus eſt, diceretur, *iſti*. *Teſtificari* autem, eſt, teſtibus probare.

Non ſtitiſſe] Et hic perperam, *ſtetiſſe*, legebatur. *Siſtere*, ſimpliciter dicitur, et coniuncte: ſimpliciter, vt hic: coniuncte, cum accuſandi caſu, vt Cicero infra c. 8. *Venit Romam Quintius: vadimonium ſiſtit.* *Siſti* etiam *iudicio*, paſſiue dicitur: vt apud Iuſtinianum Nou. LXIX.

Et ſe ſtitiſſe] Falſum vtrumque. nam nec Quintius vadimonium deſeruerat, nec ad vadimonium Naeuius venerat. diſceſſum enim erat ſine vadimonio, nec Quintium Naeuio, nec Naeuium vadante Quintio. quod ſupra Cicero docuit.

Tabulae maximae] Teſtium plurimorum nominibus refertae. frequentes enim ad tabulam Sextiam conuenerant.

Hominum nobilium] Quo plus eſſet auctoritatis in fraude.

A Burrieno praetore] Etſi gentium Romanarum nomina in *ius* deſinere certum eſt, vt Iulius, Pompeius, Tullius: quaedam tamen excipiuntur, quae deſinunt in *ienus*, vt Vibienus, Matienus, Allienus, Vatienus. eiusdem generis eſſe Burrienus exiſtimo.

Ex edicto] Ipſius Burrieni praetoris vrbani. edictum enim praetor vrbanus, ante quam iniret magiſtratum, proponebat; vt annua quaſi lex a populo cognoſceretur, quam in iure dicundo ſeruaturus eſſet.

Bona poſſidere] Quod Quintius non ſtitiſſet, ipſe autem ſtitiſſet. de quo tabulas maximas, ſignis hominum nobilium conſignatas, proferebat.

Eius] Arguit ab inhumanitate: cum arguerit iam ab iniuſtitia.

Vanum] Mendacem. Virgilius lib. I. Aen. v. 392.

Ni fruſtra augurium vani docuere parentes.

Lib. II. v. 79.

— *Nec, ſi miſerum Fortuna Sinonem*
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Libellos] Proſcriptionis bonorum Quintii, publice propoſitos a Naeuio.

Alphenus] Cognomen Romanae gentis, quae mihi tamen adhuc quidem incomperta.

Quem iſte prehenderat] Vt eum quoque ex edicto poſſideret.

Aequum eſſe] Pro familiaritate, pro ſocietate, pro affinitate.

Imbiberit] In animum induxerit, omnino decreuerit. Male antea, *inhibuerit.* ego locum reſtitui ante multos annos, auctoritate adductus veterum librorum, et exemplis Latinae linguae. nam Lucretius verbum, *imbibere,* ſemel et iterum vſurpat, pro, ſtatuere cum quadam cupiditate, et quaſi cum ſiti appetere, vt lib. III. v. 1009.

Qui petere a populo faſces, ſaevasque ſecures
Imbibit.

Lib. VI. v. 70.

— Non quod violari ſumma deum vis
Poſſit, vt ex ira poenas petere imbibat acres.

Huius verbi vim Cicero ipſe infra c. 21. oſtendit his verbis: *Sin autem inimiciſſime, atque infeſtiſſime contendere perſeueret, ſe paratum eſſe omni recta atque honeſta ratione defendere, quod petat, non deberi.*

Contra ius, et (*et* abeſt ab Ern.) *conſuetudinem*] Nec fieri debet, nec ſolet, vt edicto praetoris quisquam, non deſerto vadimonio, de ſuis bonis per vim exturbetur.

De ſaltu agroque communi] *De ſaltu*, ad rem pecuariam refertur; *de agro,* ad ruſticam: quam vtramque C. Quintius, P. Quintii frater, quo tempore ſocietatem cum Naeuio fecit, ſolus poſſidebat; ſocietate facta, cum Naeuio communicauit. illud ſupra c. 3. oſtenditur his verbis: *Erat ei pecuaria res ampla, et ruſtica, ſane bene culta et fructuoſa.* Alterum obſcurum non eſt, cum dicat, *de ſaltu, agroque communi.* Exprimitur autem ſumma iniuria quattuor quaſi ſententiae partibus: prima, *de ſaltu agroque communi:* nam, quod commune eſt, cur proprie Naevius poſſideat? Altera, *a ſeruis communibus:* qui ſi ad Quintium, item vt ad Naeuium, pertinent, impelli eos vnius domini iuſſu ad inferendam alteri domino vim, aequum non eſt. Tertia, *vi,* non ratione, et ordine. Quarta, *detruditur:* non, mouetur, ſed, detruditur, et vi detruditur: vt omnis excluſa humanitas intelligatur. His ingenii luminibus orationem ſaepe ſuam Cicero diſtinguit, et hoc artificii genere ſuperiores vicit omnes, ne Graecis quidem exceptis.

CAPVT VII.

Modo] Temperate. pro Murena c. 34. *Hoc factum a Murena omnino, iudices, non eſt; ab eius amicis autem more et modo factum eſt.* Pro Cluentio c. 35. *Non fuit illud iudicium iudicii ſimile, iudices, non fuit: in quo non modus eſt habitus, non mos, conſuetudoque ſeruata, non cauſſa defenſa.* Lib. I. de Offic. c. 5. *In omnium, quae fiunt, quaeque dicuntur, ordine et modo, in quo ineſt modeſtia et temperantia.*

Recte atque ordine] *Ordine,* pro ſapienter; quo ſenſu Q. Fuſius Calenus accepit, cum in ſententia ſua dixit Phil. X. c. 2. *Litteras Bruti recte et ordine ſcriptas videri.* quamquam Cicero, quia verbum erat ambiguum, ad librarium transtulit, ſubiiciens: *Quid eſt aliud, librarium Bruti laudare, non Brutum?*

Expulſus atque eiectus] In vtroque iniuria, ſed maior in *eiectus.*

E praedio] E ſaltu, atque agro.

C. Flac-

C. Flaccum] Proconſulem transalpinae Galliae, eum fortaſſe, qui ante annos duodecim cum M. Herennio conſul fuerat. nec dubium eſt, quin viueret, dicente Cicerone, *quem, vt ipſius dignitas poſcit, honoris gratia nomino.* ſic pro Roſcio Amerino c. 10. *Seſe ad Caeciliam, Nepotis filiam, quam honoris cauſſa nomino, contulit.*

Qui tum erat in prouincia] Excuſatio Quintii, quod Romam non confugerit, vnde longe aberat: cum Flacci imperatoris iuſtitia propinquum remedium eſſet.

Ex decretis eius] In iudicium allatis.

Gladiatore vetulo] Fraudibus, et inſidiis aſſueto. gladiatorem appellat, propter verbum, *pugnabat.*

Vtebatur populo ſane ſuo] Sui ſtudioſo, qui cuperet eum vincere: vt in gladiatorum pugna fauere ſolebat populus vni potius, quam alteri.

Caput petere non deſinebat] Quintii caput, id eſt, ſalutem et vitam, non modo fortunas. Perſiſtit in ſimilitudine gladiatorum. breuis enim pugna populo non placebat: itaque oderat eos, qui, nimium eripiendae vitae cupidi, caput in pugna petere non deſinerent.

Vt procurator iudicatum ſolui ſatisdaret] Quandoquidem libellos deiecerat, et Quintii bona proſcribi vetuerat.

Quod reus ſatisdare non deberet] Quia ſatisdare debet is, qui vadimonium deſeruit: deſertum autem a Quintio negabat Alphenus.

Certum auxilium] Interceſſio, contra Burrieni praetoris decretum.

Ita tamen diſceditur] Non intercedentibus quidem tribunis plebis, cuius auxilii ſpe Alphenus ad eos confugerat, ſed M. Bruto, interceſſurum ſe, palam dicente, niſi quid inter Alphenum et Naeuium conueniret. itaque conuenit inter eos, vt Alphenus Naeuio promitteret, ſiſti Quintium idibus Sept.

Siſti] Adeſſe in iudicio, quaſi eum vadatus eſſet Naeuius, antequam in Galliam proficiſceretur. propterea ſequitur: *Venit Romam Quintius: vadimonium ſiſtit.*

CAPVT VIII.

Homo acerrimus] Cum eſſet homo acerrimus, cum bonorum poſſeſſor, expulſor, ereptor, mirum eſt annum, et ſex menſes cum nihil petiiſſe a Quintio. id autem aſtute fecit, donec praetorem nactus eſt, a quo impetraret id, quod poſtulabat. quod aperte infra c. 21. ſic exponit: *Iacet res in controuerſiis, iſto calumniante, biennium, vsque dum inueniretur, qua ratione res ab vſitata conſuetudine recederet, et in hoc ſingulare iudicium cauſſa omnis concluderetur.*

Annum et ſex menſes] Infra c. 21. *biennium*, dicit, oratorie amplificans.

Conditionibus] Non, quia conditiones proponeret, ſed quia per dolum et aſtutiam rem extraheret. quod Latine proprie dici poſſet, *calumniis.* nam infra de eadem re: *Iacet res in controuerſiis, iſto calumniante, biennium.*

A Cn. Dolabella] Quem poſtea M. Scaurus repetundarum e Cilicia accuſauit, et damnauit. de quo diximus lib. I. in Verr. c. 15.

Ex formula] In edictis praetoriis formulae continebantur: quarum in vna praetor pollicebatur, ſe eſſe iuſſurum, vt, iudicatum ſolui ſatisdaret is, cuius bona ex edicto praetoris dies triginta poſſeſſa eſſent. poſſediſſe autem Naeuium ex Burrieni praetoris edicto bona Quintii, non omnia quidem, Alpheno libellos deiiciente, ſed aliqua, vt ſaltum, et agrum in Gallia, ex ſuperioribus intelligitur.

Praetoris Romani (Romani abeſt ab Ern.)] Vt praetor peregrinus, qui ius diceret inter peregrinos, ſic praetor Romanus, qui inter ciues, appellabatur. infra c. 20. *Fateor, ſi ita eſt, procuratorem decreto praetoris Romani oportuiſſe parere.*

Si bona poſſeſſa eſſent ex edicto] Solum Quintium ſatisdare, id erat confiteri, bona eius ex edicto poſſeſſa eſſe. ita deſerti vadimonii ſubibat infamiam. quod ſi ſatisdaret his verbis, *ſi poſſeſſa ex edicto bona eſſent:* poſſeſſa eſſe non confitebatur. ita deſerti vadimonii probrum vitabat. fore autem confidebat, vt, vbi cognitum eſſet, poſſeſſa nec ne bona eſſent, vel neuter, vel vterque ſatisdaret. Huc illud ſpectat ſupra c. 2. dictum: *Id accidit praetoris iniquitate et iniuria: primum, quod, contra omnium conſuetudinem, iudicium prius de probro, quam de re, maluit fieri.* Infra vero: *Recuſabant, qui aderant tum Quintio. demonſtrabant de re iudicium fieri oportere, vt aut vterque inter ſe, aut neuter ſatisdaret: non neceſſe eſſe famam alterius in iudicium venire.*

Decernit] Praetor Dolabella, reiecta Quintii petitione, Naeuio gratificans: qui non ſine cauſſa annum et ſex menſes nihil petierat, opportunum improbitati, malitiaeque ſuae tempus exſpectans.

Nihil dico] Patet enim ipſum per ſe.

Vnum hoc dico] Quod omnibus fortaſſe non patet.

Nouum] Eſt aliquid iniquum, nec tamen nouum: rurſus aliquid et iniquum, et nouum: quod magis reprehendi ſolet: caret enim iniquitas exemplo. vnde illud ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 2. *Eius orationi vehementer ab omnibus reclamatum eſt. erat enim iniqua et noua.*

Iubet P. Quintium aut ſatisdare, aut ſponſionem cum Sex. Naeuio facere, ſi bona ſua ex edicto P. Burrieni praetoris dies triginta poſſeſſa eſſent] Id petebat Quintius, ſed vel cum ſatisdatione, vel ſine ſponſione. nam, ſi ſponſionem faceret, non reus, ſed actor eſſe videbatur: et priore loco, tamquam actor, cauſſam dicere cogebatur. quod ſupra, infraque Cicero conqueritur.

Qui aderant tum Quintio] Non tum aderat Cicero, ſed M. Iunius in prooemio appellatus. nec tamen ſolum Quintii patronum ſignificat, ſed aduocatos etiam homines Quintii ſtudioſos, qui ad praetoris tribunal venerant, vt reum, quacumque re poſſent, adiuuarent. vnde infra: *Aut ſatisdare, aut ſponſionem iubet facere; et interea recuſantes noſtros aduocatos acerrime ſubmoueri.*

De

De re] De poſſeſſione bonorum Quintii, id eſt, poſſeſſa nec ne eſſent a Naeuio bona Quintii ex edicto praetoris dies triginta. quod fateri Quintius non poterat, niſi, deſertum a ſe vadimonium ſimul fateretur. nam, ſi poſſeſſa non eſſent, tunc non ſolus Quintius iudicatum ſolui ſatisdaret, quod a Dolabella praetore Naevius poſtulauerat, ſed aut vterque inter ſe, aut neuter.

Famam alterius] Quintii: qui, ſi ſolus ſatisdaret, de fama et exiſtimatione ſua periclitaretur.

Ne videretur iudicaſſe, bona ſua ex edicto poſſeſſa eſſe] Nam, vt ſatisdaret, poſtulauerat Naevius ex formula, quod ab eo peteret, cuius ex edicto praetoris Romani bona triginta dies poſſeſſa eſſent.

Sponſionem porro] Vtraque erat iniqua conditio, vel ſi ſolus ſatisdaret ex ea formula, qua confitebatur bona ſua poſſeſſa eſſe; vel ſi ſponſionem faceret, nulla poſſeſſorum bonorum confeſſione: ſponſione enim facta, ſequebatur, vt, quamquam reus eſſet, priore tamen loco cauſſam diceret; et, cum poſt eum adverſarius dixiſſet, facultas ipſi nulla reſpondendi relinqueretur.

Homines nobiles] *Nobiles* vocabantur, qui claros geſtis honoribus maiores habuiſſent, ſiue patricii generis, ſiue plebeii eſſent. aeque enim vtrique generi aditus patebat ad honores: nec deſinebat plebeiae gentis eſſe, qui conſul aut dictator crearetur.

In vtroque excellunt] Commune verbum, non minus in malis rebus, quam in bonis. quamquam de malis, quod ſciam, exempla non exſtant.

Noſtro loco natus] Equeſtri. nam patre Cicero natus eſt equite Romano.

Aſſequi] Similiter excellere. nam illos in vtramque partem ſua nobilitas adiuuat.

Aut ſatisdare, aut ſponſionem facere] Animaduertendum, non decreuiſſe Dolabellam, neque quod Naeuius, neque quod Quintius petebat: cum Naeuius peteret, vt praetor ſatisdare ſolum Quintium iuberet, ex formula, quod ab eo peteret, cuius bona ex edicto praetoris dies triginta poſſeſſa eſſent: Quintius autem ſatisdare non recuſaret, ſed non ex ea formula, in qua erat bonorum poſſeſſorum, id eſt, deſerti vadimonii, confeſſio, verum hoc modo, *ſi bona ſua ex edicto praetoris dies triginta poſſeſſa eſſent*, quod infamiam deſerti vadimonii remouebat. quod enim Naeuius in ſua petitione factum dicebat, id Quintius factum negabat, et iudicio ſtatuendum oſtendebat his verbis: *ſi bona ſua ex edicto praetoris poſſeſſa eſſent.* Neutrum, vt dixi, Dolabella fecit, ſed fecit tamen, quod Naeuio gratum, Quintio permoleſtum eſſet, cum eum, aut ſatisdare ſolum iuſſit, aut ſponſionem facere, id eſt, priore loco cauſſam dicere.

Noſtros aduocatos] Ipſe tum Quintio non aderat. dixit enim proxime: *Recuſabant, qui aderant tum Quintio. Noſtros* igitur, id eſt, eius partis, quam ego nunc defendo. *Aduocati* dicuntur, qui reo fauent, licet eius cauſſam non agant.

Acerrime ſubmoueri] Quod praetoris non eſt, qui ſe aequum vtrique parti praebere debeat.

CAPVT

CAPVT IX.

Ipſe ſe capitis damnaret] Ipſe ſibi exiſtimationem, et honeſtatem adimeret. nam, ſi ſolus ſatisdaret, ex formula, quod eius bona dies triginta ex edicto praetoris poſſeſſa eſſent, deſertum a ſe vadimonium confiteretur.

Cauſſam capitis] Cauſſa, in qua ageretur exiſtimatio. cum enim ſponſionem ideo faceret, vt probaret bona ſua poſſeſſa non eſſe: ſequebatur, vt, id niſi probaret, deſertum a ſe vadimonium negare non poſſet.

Priore loco] Deteriore conditione, quam ſi, reorum more, poſteriore diceret. ſupra c. 2. *Quid hoc iniquius, aut indignius, C. Aquilli, dici, aut commemorari poteſt, quam me, qui caput alterius, famam, fortunasque defendam, priore loco cauſſam dicere?* Infra vero: *Cum maiores ita conſtituerint, vt, qui pro capite diceret, is poſteriore loco diceret: nos, inaudita criminatione accuſatorum, priore loco cauſſam dicere intelligis.*

In altera re] In ſatisdando.

Cauſſae nihil eſſet, qui ſecus iudicaret ipſe de ſe] Excuſatio afferri nulla poſſet, cur non ipſe de ſe male iudicaret. male enim iudicaſſe de ſe ipſe videretur, ſi ſolus ſatisdaret: quia deſertum a ſe vadimonium fateretur. *Secus* autem, pro male, ſatis vſitatum. Lib. I. ad Attic. epiſt. 19. *Affirmat, nihil a ſe cuiquam de te ſecus eſſe dictum.* Et ad Appium lib. III. Fam. epiſt. 6. *De tuo in me animo iniquis ſecus exiſtimandi videris non nihil loci dediſſe.* Salluſtius in Iug. c. 20. *Prius omnia pati decreuit, quam bellum ſumere: quia tentatum antea ſecus ceſſerat.* Eodem ſenſu dixit Livius lib. II. c. 37. *Inuitus, quod ſequius ſit, de meis ciuibus loquor.* Eſt enim, *ſequius*, pro *ſecius*. Et quod de *ſecus*, idem de *aliter* dictum intelligo. ſimile enim illud lib. V. in Verr. c. 67. *A me, tametſi ſatis habent, tamen, ſi res aliter acciderit, plus habebunt fortaſſe, quam poſtulant.*

Quod iudicium grauiſſimum eſt] Queri enim de alieno iudicio poſſumus, de noſtro non poſſumus.

Ad talem tamen virum, iudicem, veniendi] Qui nobis, poſteriore loco cauſſam dicentibus, ſapientia, et aequitate ſua ſubveniret.

Te iudicem, C. Aquilli, ſumſit] In quo Quintius reus eſt: nam ſumendi iudicis poteſtas penes reum, non penes actorem erat. quod autem priore loco cauſſam dicit, actor in eo, non reus, eſt.

Ex ſponſo egit] Venit in iudicium, vt cauſſam priore loco diceret, quemadmodum ſolent ii, qui ex ſponſo agunt, vel, vt hic arbitror legendum, *ex ſponſu*, id eſt, ex ſponſione. fecerat enim iuſſu Dolabellae praetoris cum Naeuio ſponſionem Quintius, ſi bona ſua ex edicto praetoris a Naeuio poſſeſſa eſſent. ex ea ſponſione agendum erat in iudicio: quod veteres dicebant, *ex ſponſu.* quod ſi bona Quintii poſſeſſa eſſe conſtaret: nihil erat cauſſae, quin, id quod iam petierat a praetore, Naeuius impetraret, vt ſibi Quintius iudicatum ſolui ſatisdaret, ex formula, quod ab eo peteret, cuius bona ex edicto praetoris dies triginta poſſeſſa eſſent. Quod ad loquendi

di genus attinet, verba Ser. Sulpicii ſunt apud Gellium lib. IV. c. 4. *Qui vxorem*, inquit, *ducturus erat, ab eo, vnde ducenda erat, ſtipulabatur eam in matrimonium ductum iri; cui daturus erat, itidem ſpondebat daturum. Is contractus ſtipulationum ſponſionumque dicebatur* ſponſalia. *Tum quae promiſſa erat*, ſponſa *appellabatur; qui ſpoponderat ducturum*, ſponſus. *Sed ſi poſt eas ſtipulationes vxor non dabatur, aut non ducebatur; qui ſtipulabatur, ex ſponſu agebat. Iudices cognoſcebant.* Quae Neratium quoque ſcripſiſſe in libro de Nuptiis, idem Gellius affirmat. Iam Varro lib. V. de ling. Lat. *Quod ſponſu erat alligatus.* Ibidem: *Neque agi poteſt cum eo ex ſponſu.* Et Paullus L. 7. D. de verb. ſignif. *Sponſio appellatur, non ſolum quae per ſponſus interrogationem fit, ſed omnis ſtipulatio, promiſſioque.*

Ea ingenia] Hortenſium notat; quem partes accuſatoris obtinere, ſupra dixit.

Quae antea verſabantur in ſalute] Infra c. 13. *Q. Hortenſius contra caput non didicit dicere.*

Illud etiam reſtiterat] Modus loquendi, iniqua, indignaque de re cum ſtomacho vſurpatus: quod quidem ex obſeruatione multorum exemplorum potuerim intelligere. huc enim ſpectat illud ex Phil. XI. c. 9. *At vero ita decernunt, vt liberato Bruto. id enim reſtabat: vt relicto, deſerto, prodito.* Et lib. VIII. ad Attic. epiſt. 7. *Vnum etiam reſtat amico noſtro ad omne dedecus, vt Domitio non ſubueniat.* Lib. XIII. ad eundem epiſt. 13. *Illud vtique ſcire cupio, quem intellexeris ab eo ζηλοτυπεῖσθαι, niſi forte Brutum. id hercle reſtabat.* Terentius in Adelph. act. II. ſc. 1. v. 36.

Nam hercle etiam hoc reſtat. — Ennius in Ephigenia apud Ruſenianum: *Menelaus me obiurgat. Id meis rebus regimen reſtat.* Recitat etiam ex incerto Ciceronis libro Priſcianus haec verba lib. VIII. *Hoc reſtiterat etiam, vt ad te factis aggrederer donis.*

In ius] Ad ipſum praetorem: vt, eo iubente, praeſtitueres nobis tempus, quamdiu diceremus. Infra c. 19. *In ius vocas.* Et aliquanto poſt c. 25. *Vt ſtatim de iure aliquis cucurrerit.* Eſt enim obſeruatione dignum, iuris mentionem ad praetorem, non ad iudices, pertinere. nam is non iudicat, ſed ius dicit, vnde *iurisdictio:* iudices autem, a praetore dati, non ius dicunt, ſed iudicant, ex formula praetoris, quae erat in edicto.

Quam rem facile a praetore impetraſſent] Non obſcure Dolabellae praetoris vel inſcitiam, vel iniquitatem accuſat: de quo etiam ſupra c. 2. dixit: *Id accidit praetoris iniquitate, et iniuria: primum, quod, contra omnium conſuetudinem, iudicium prius de probro, quam de re, maluit fieri: deinde, quod ita conſtituit id ipſum iudicium, vt reus, antequam verbum accuſatoris audiſſet, cauſſam dicere cogeretur.*

Docuiſſes] Oſtendiſſes, id ad praetorem non pertinere, partes illas eſſe tuas, tuumque ius, et officium.

Potentiam leuem] Hoc manifeſte coniicitur in Hortenſium, hominesque nobiles, Naeuii advocatos.

CAPVT

CAPVT X.

Tibi inſtat Hortenſius] Arroganter, quaſi ſuo quodam iure.

Vt eas in conſilium] Iudices, cauſſa vtrimque perorata, in conſilium ibant, vt, iudicandum quid eſſet, de communi ſententia deliberaretur. tres autem, cum quibus deliberaret, habebat Aquillius in conſilio, iuris peritos, L. Lucullum, P. Quintilium, M. Marcellum.

Priore patrono] M. Iunio.

Perorari] Vtrimque: vt poſt perorationem res iudicaretur.

Nos rem iudicari nolle] Quaſi cauſſae noſtrae diffidamus.

Neque excogitare] Propter inopiam ingenii.

Neque pronunciare] Quia parum exercitatus: cum in forum haud ita multo ante venerim.

Breuitas poſtulatur] Prolixa oratio non requiritur: cum ab illo, qui ante dixit, informata iam cauſſa ſit.

Quae mihimet ipſi amiciſſima eſt] Propter id, quod ſupra dixit: *Qui neque excogitare, neque pronunciare multa poſſum.*

Quod te ſaepe animaduerti facere, Hortenſi] Hanc partiendi laudem Hortenſio tribuit his verbis in Bruto c. 88. *Attulerat minime vulgare genus dicendi: duas quidem res, quas nemo alius: partitiones, quibus de rebus dicturus eſſet, et collectiones; memor et quae eſſent dicta contra, quaeque ipſe dixiſſet.*

Quia ſemper potes] Ob ingenii praeſtantiam.

Id mihi cauſſa dat, (Ern. *concedit*) *vt hodie poſſim*] Modeſte nihil ſibi arrogat ab ingenio, vt in prooemio: *Ita ſe res habet, vt ego, qui neque vſu ſatis, et ingenio parum poſſum, cum patrono diſertiſſimo comparer.* Ibidem: *Quo minus ingenio poſſum, ſubſidio mihi diligentiam comparaui.* Huiusmodi autem excuſationes in adoleſcentibus probantur, in robuſtioribus, non item. itaque in Meſſalla Coruino, cum alioqui floreret eloquentiae fama, illud eſſe reprehenſum Tacitus in dialogo de Orat. c. 20. ait, quod ordiri ſoleret in cauſſis ab excuſatione infantiae ſuae. at Cicero, quod iam diximus, cum Quintium defendit, annos natus erat viginti ſex.

In eo ſponſio facta eſt] Sponſionem fecit Quintius, ſi poſſeſſa ſua bona ſiat.

Veſtra exiſtimatione reuocabitis] Deterrebitis me auctoritate veſtra, ne extra hos cancellos egrediar, quos mihi ipſe circumdedi, recordantem, et quae propoſuerim, et quid vos, niſi eo ordine perſequar, exiſtimare poſſitis cum de cauſſa, tum etiam de me ipſo.

CAPVT XI.

Non fuit cauſſa, cur poſtulares] Malim, *poſtularet.* nam, ſi ſermonem ad Naeuium conuerteret, non ſubiungeret, *quia Sex. Naevio,* ſed, *quia tibi.* incipit autem Naeuium appellare paullo poſt, cum ait: *In hac re te, te, inquam, teſtem, Naeui, citabo.*

Annum, et eo diutius] Supra c. 4. dixit, *annum fere vna ſunt.* Locum recitabo, quia pertinet ad eandem ſententiam. *In Galliam proficiſcitur Quintius. Ibi cum iſto Naeuio familiariter vixit. annum fere vna ſunt, cum et de ſocietate inter ſe multa communicarent, et de tota illa ratione, atque*

atque re Gallicana: neque interea verbum vllum interpoſuit Naevius, aut ſocietatem ſibi quippiam debere, aut priuatim Quintium debuiſſe. Quod igitur ibi, *annum fere vna ſunt*, hic, *annum, et eo diutius, poſt mortem C. Quintii fuit in Gallia tecum ſimul Quintius.* hac enim lege non adſtringitur orator, vt ei non liceat, ſi cauſſa poſtulet, aliquid tempori vel addere, vel detrahere. Eadem licentia dixit infra: *Tecum plus annum vixit.*

Omnes litterae] Quidquid, vivo C. Quintio, de communi negotio ſcriptum fuerat. infra c. 18. *Litterae P. Quintii.*

Cum res ab eo receſſiſſet] Quaſi actionem tribuit rei, quae ſenſu caret: vt lib. I. in Verr. c 54. *Si res abiret ab eo mancipe* Et lib. III. in eundem c. 64. *Ne res abiret ab Apronio.*

Quicum contraxiſſet] Quicum ſocietatem feciſſet.

Appellaret] Verbum creditoris: vt ad Tironem lib. XVI. Fam. epiſt. 24. *Appellabis etiam Papiam.*

Summo iure] Litibus, in iudicio.

Experiretur] Iudiciale verbum.

Itane eſt? (eſt abeſt ab Ern.)] *Itane eſt? itane? itane vero? itane tandem?* indignantis notae ſunt, turpis et iniquae rei narrationem aut ſequentes, aut antecedentes. occurrunt haec exempla pro, *itane eſt?* Pro Roſcio Amer. c. 39. *Itane eſt? in minimis rebus, qui mandatum neglexerit, turpiſſimo iudicio condemnetur neceſſe eſt: in re tanta, cum is, cui fama mortui, fortunae viui commendatae ſunt atque concreditae, ignominia mortuum affecerit: is inter honeſtos homines, atque adeo inter viuos numerabitur?* Pro Cluentio c. 52. *Hoc perſaepe dixiſti, tibi ſic renunciari, me habere in animo, cauſſam hanc praeſidio legis defendere. Itane eſt? ab amicis videlicet imprudentes prodimur?* Pro, *itane?* Terentius in Andr. act. IV. ſc. 5. v. 7.

— *Saluus ſis, Crito.*

CR. *Itane Chryſis?*

Pro, *itane vero?* Lib. I. in Verr. c. 15. *Itane vero? tu, cum quaeſtor ad exercitum miſſus ſis, cuſtos non ſolum pecuniae, ſed etiam conſulis: particeps omnium rerum, conſiliorumque fueris, habitus ſis in liberum loco, ſicut mos maiorum ferebat: repente relinquas? deſeras? ad aduerſarios tranſeas?* In eundem lib. III. c. 8. *Itane vero? prudentiſſimi viri, ſumma auctoritate praediti, quibus ſenatus legum dicendarum in locandis vectigalibus omnem poteſtatem permiſerat, populusque Romanus idem iuſſerat, Siculo vno recuſante, cum amplificatione vectigalium, nomen Hieronicae legis mutare noluerunt: tu, homo minimi conſilii, nullius auctoritatis, iniuſſu populi ac ſenatus, tota Sicilia recuſante, cum maximo detrimento, atque adeo exitio vectigalium, totam Hieronicam legem ſuſtuliſti.* et c. 90. *Itane vero? Q. Catulus frumento eſt vſus, pecuniam non coegit.* et lib. V. c. 30. *Itane vero? tu tua pericula communi periculo defendes? tu ſupplicia, quae debentur hoſtibus victis, ad tuum, non ad populi Romani tempus conferes? populi Romani hoſtis priuatis cuſtodiis aſſeruabitur?* Pro, *itane tandem?* Terentius in Heaut. act. V. ſc. 2. v. 1.

Itane

Itane tandem, quaeſo, Menedeme, vt pater
Tam in breui ſpatio omnem de me eiecerit animum patris?

Quod viri optimi faciunt] Vt appellent eos, quibus deberi ſibi pecuniam putant; et vt, cur appellent, rationem afferant: praeſertim ſi cum propinquis ac neceſſariis res eſt, quos caros et honeſtos eſſe, atque haberi velint. quod idem de propinquo ac neceſſario ſuo P. Quintio Naeuius ſentire debuit.

Non faceret] Non appellaret Quintium Naeuius, ſi quid ab eo ſibi deberetur? non appellauit autem, quia deberi ſibi nihil ſciebat.

Feruet ferturque auaritia] Lepor eſt aliquis in ſimiliter incipientibus verbis, *feruet, ferturque*. eſt etiam aliqua vis, quia translatum vtrumque eſt: nam translata rem ante oculos ponunt exempli ſimilitudine. Sic Horatius lib. I. epiſt. 1. v. 33.

Feruet auaritia, miſeraque cupidine pectus.

De ira, Terentius in Adelph. act. IV. ſc. 1. v. 18.

Cum feruit maxime, tam placidum, quam ouem, reddo. —

Et lib. I. de Offic. c. 15. *Fortis animus et magnus in homine non perfecto, nec ſapiente, feruentior plerumque eſt.* *Fertur* autem plus etiam eſt, quam *feruet.*

Vt de ſuis commodis aliquam partem nolit amittere] Vt ita vel minimam ſuorum commodorum partem curet, vt nullam huic propinquo ſuo vllius ornamenti, non modo commodi, relictam partem velit.

Non peteret] Pro, *non petiiſſet*, donec in Gallia fuit.

Sanguinem, vitamque] Oratorie, pro famam, et honeſtatem: vt illud, quod ſtatim ſubiicit, *quem nunc interficere nefarie cupis.* Et paullo poſt c. 13. *ne numeretur inter viuos.* Et illud c. 15. *Is non modo ex numero viuorum exturbatur, ſed, ſi fieri poteſt, infra etiam mortuos amandatur.*

Huic tu moleſtus eſſe videlicet noluiſti] Ad exhilarandos iudicum animos argute ab iracunda narratione ad ſedatum ironiae genus tranſit. nihil enim perpetuum natura delectat. Ipſam vero ironiam contrariis exornat, ab hoc loco, *huic tu moleſtus eſſe videlicet noluiſti:* ad illa verba: *Credamus hoc, Sex. Naeuium, cuius caput oppugnet, eius auribus peperciſſe.*

Quem nunc reſpirare libere non ſinis] Ita vehementer vrges. Perturbatio animi ſumma declaratur his verbis: vt in Parad. II. *Quocumque adſpexiſti, vt furiae, ſic tuae tibi occurrunt iniuriae, quae te reſpirare non ſinunt.*

Pudenter (Ern. *prudenter*)] Pudore deterritus.

Cum ipſe te confirmaſſes] Aliquandiu non auſus, animo non ferente.

CAPVT XII.

Anno vertente] Sequentibus verbis, annum duodecim menſium ſignificari, ſatis conſtat. alii decem fuiſſe menſium putarunt.

Hominis admonendi] Pecuniae debitae: eſt enim verbum creditoris: vt ad Tironem lib. XVI. Fam. epiſt. 24. *Dolabellae procurato-*

curatores fac admoneantur. appellabis etiam Papiam.

Biennio iam confecto fere] A quo tempore ſimul in Gallia eſſe coeperant. inde enim huius biennii initium ſumo, non, vt alii, ab idibus Sept. id eſt. a quo tempore Romam ex Gallia rediit Quintius, vt, ex tribunorum plebis ſententia, quos Alphenus, Quintii procurator, appellauerat, vadimonium ſiſteret. Confirmant opinionem noſtram haec inferiora: *Debuit tibi C. Quintius. numquam petiſti. mortuus eſt ille: res ad heredem venit. cum eum quotidie videres, poſt biennium denique appellas.* Eodem ſpectat illud ſupra c. 4: *Quo mortuo, nec ita multo poſt in Galliam proficiſcitur Quintius. Ibi cum iſto Naeuio familiariter viuit. annum fere vna ſunt, cum et de ſocietate inter ſe multa communicarent, et de tota illa ratione, atque re Gallicana: neque interea verbum vllum interpoſuit Naeuius, aut ſocietatem ſibi quippiam debere, aut priuatim Quintium debuiſſe.*

Quis tam perditus ac profuſus nepos] Dicitur idem ſupra c. 11. his verbis: *Quis tam diſſolutus in re familiari fuiſſet, quis tam negligens, quis tam tui, Sexte, diſſimilis, qui, cum res ab eo, quicum contraxiſſet, receſſiſſet, et ad heredem perueniſſet, non heredem, cum primum vidiſſet, certiorem faceret? appellaret? rationem afferret? ſi quid in controuerſiam veniret, aut intra parietes, aut ſummo iure experiretur?*

Non adeſa iam, ſed abundanti etiam pecunia] Multi enim, adeſa iam pecunia, diſſoluti eſſe deſinunt, abundanti autem non facile. quis igitur vel in ſumma pecuniae copia tam diſſolutus fuiſſet, vt fuit Sex. Naeuius? qui biennio nihil petiit.

Cum hominem nomino, ſatis mihi video dicere] Nemo enim ignorat, eum in pecuniam minime diſſolutum eſſe.

In prouincia] Gallia transalpina.

Ius dicebatur] A proconſule.

Mirabimur] Cum ad rem ſoleas eſſe attentiſſimus.

Ridebimus] Vt in mendacio manifeſto.

CAPVT XIII.

In quo iam biennium verſamur] Loquitur ex perſona Quintii, non ſua: nam ipſe paullo ante cauſſam eam ſuſceperat. Et ex eadem perſona dixit ſupra c. 5. *Dat iſte amicum M. Trebellium: nos communem neceſſarium, — propinquum noſtrum, Sex. Alphenum.*

Tot] Quattuor, Aquillium, Lucilium, Quintilium, Marcellum,

Tales] Tali virtute.

Nunc denique] Poſt biennium.

Verumtamen petit (Ern. *petat*)] Concedamus, vt poſt biennium denique petat, nec obiiciamus illi moram temporis.

Ne in ciuitate ſit] Amiſſa exiſtimatione, quod explanatur ſequentibus verbis.

Ne locum ſuum] Ne, quo adhuc loco fuit, eo ſit in poſterum: id eſt, ne partem honeſtatis vllam teneat.

Ne numeretur inter viuos] Amplificat oratorie, de quo ſupra diximus.

Hoc quo pertinet] Cum hoc facis, quid ſpectas?

Iampridem actum eſſe poterat] Biennio ante, ſi petiiſſes.

Honeſtiore iudicio] Pro tua parte: cum Hortenſius pro te honeſtiore loco dicat: quod honeſtius eſt, quam priore.

Conflictere] Contendas. ſic ad Paetum lib. IX. Fam. epiſt. 25. *Noli pati litigare fratres, et iudiciis turpibus conflictari.*

Vt facilius iudicium ſit] Vt iudicii facilior quaſi via ſit, et id, quod agis, ad exitum facilius perducatur.

Contra caput non didicit dicere] Supra c. 9. *Ea ingenia converti ad perniciem, quae antea verſabantur in ſalute atque auxilio ferendo.*

Refertur] Affertur contra. ſic pro Caecina c. 29. *Ego enim tibi refero.*

Parata ſit] A Quintio.

Moleſtia] Quia, de capite alterius iudicare, tibi permoleſtum eſt.

Poſſumus ita rem noſtram perſequi] Acute in Naeuium, pro, poteſt ita rem ſuam perſequi Naeuius, vt hominis propinqui caput incolume eſſe patiatur?

Poſſumus petitoris perſonam capere, accuſatoris deponere] In Hortenſium: de quo ſupra c. 2. *Cum Q. Hortenſius, qui hoc iudicio partes accuſatoris obtinet, contra me ſit dicturus.*

CAPVT XIV.

Vnum illud] De re pecuniaria.

Vnde haec omnia naſcuntur] Nam pecuniae cauſſa, quam ſibi Naeuius a Quintio deberi affirmat, ideo ſuſcitauit haec iudicia, in quibus non pecuniam, ſed vitam, et ſanguinem petit. infra c. 28. *Quod omnia iudicia difficillima, cum ſumma ſua inuidia, maximoque periculo P. Quintii fieri mallet, quam illud pecuniarium iudicium, quod vno die tranſigi poſſet: ex quo vno haec omnia nata et profecta eſſe concedit.*

Inter tot annos] Oratorie, cum de biennio loquatur, *inter tot annos* dicit.

Agendi] In iudicio: vt ſupra: *In Gallia agi non potuit? At et in prouincia ius dicebatur; et Romae iudicia fiebant.*

Quotidie] Vel in Gallia, vel Romae.

Male agere] Agendo id petere, quod ei non debebatur. *Male* autem *agere* non ſolum is dicebatur, qui petebat id, quod ei non deberetur, ſed is etiam, qui, quod deberet, non ſolueret, et creditorem malitioſe falleret. primum hic patet: alterum infra c. 16. demonſtratur his verbis: *Qui permulta male agendi cauſſa fraudandique fecerunt.*

Poſtea quoque] Si ſic legatur, diſſoluta mihi ſententia videtur: eadem colligi, ſi pro, *poſtea quoque*, reponatur: *poſtea quam.*

Miſſum fecerit] Naeuii verba ſunt haec, ſupra c. 6. recitata: *Se iam neque vadari amplius, neque vadimonium promittere.*

Per inſidias] Supra c. 6. *Obſecro, C. Aquilli, vosque, qui adeſtis in conſilio, vt diligenter attendatis, vt ſingulare genus fraudis, et nouam rationem inſidiarum cognoſcere poſſitis.*

De agro communi deiecerit] De ſaltu, agroque communi, ſupra c. 6. *Haec dum Romae geruntur, Quintius interea contra ius et conſuetudinem, edicto praetoris de ſaltu, agroque communi a ſeruis communibus vi detruditur.*

De

De re] De pecunia, quam ſibi deberi diceret.

Agendi] In eo iudicio, quod fieri de pecunia ſolet.

De probro] De poſſeſſis Quintii bonis. ſupra c. 2. *Id accidit praetoris iniquitate et iniuria: primum, quod contra omnium conſuetudinem iudicium prius de probro, quam de re, maluit fieri.*

Cum reuocetur ad id iudicium] Ad iudicium pecuniarium. ſupra c. 13. *Pecuniam petit. negamus deberi. iudicium fiat ſtatim: non recuſamus. Numquid praeterea? ſi veretur, vt res, iudicio facto, parata ſit: iudicatum ſolui ſatis accipiat. quibus a me verbis ſatis accipiet, iisdem ipſe, quod peto, ſatisdet.*

Tam copioſa aduocatione] Tot aduocatis. Mire in hac parte, quae faceret Naeuius, eum quoque confitentem inducit.

Illum conſeſſum] Aduocatorum.

Exiſtimo] Tua fretus aequitate.

Vt tu ipſe praedicas] Non id quidem praedicabat Naeuius, ſed ſibi potius pecuniam a Quintio deberi: cum tamen reuocari nollet ad iudicium pecuniarium; et conditionem aequiſſimam ſatis accipiendi, et ſatisdandi repudiaret; fateri, et praedicare videbatur, ſibi nihil Quintium debere.

A praetore] A Burrieno. nam a Dolabella non petiit, vt bona poſſideret, ſed vt Quintius iudicatum ſolui ſatisdaret; quod ab eo peteret, cuius ex edicto praetoris Romani bona dies triginta poſſeſſa eſſent.

Neque cuiquam expedire] Vt in eiusmodi re ſtatim a praetore is, qui ſibi pecuniam deberi dicit, poſtulet, vt eius bona poſſideat.

CAPVT XV.

Ex officii ratione] Pro officio meo.

Ex omnium conſuetudine] Patronorum, an creditorum? nam de vtrisque poſſe video intelligi.

Quicum tibi affinitas, ſocietas, omnes denique cauſſae, et neceſſitudines veteres intercedebant] Eadem ſententia ſupra c. 6. his verbis explicata: *Iuſſit bona proſcribi eius, quicum familiaritas fuerat, ſocietas erat, affinitas, liberis iſtius viuis, diuelli nullo modo poterat. Omnes cauſſae*, valet: omnia, quae mouere debent.

Verum fuit] Aequum.

Quid viro miſerius] Diſtinguit ab homine virum. homini nihil turpius, viro nihil miſerius. turpe quidem eſt omnibus, exiſtimationem amittere: ei vero, qui ſit inter homines vir, id eſt, magno et excelſo animo praeditus, miſerrimum, et acerbiſſimum eſt. Antea legebatur, *quid vero miſerius.* nos, vt quaſi languentem ſententiam excitaremus, *viro*, putauimus eſſe reponendum.

Ignominia affectus] A cenſoribus notatus.

Iudicio turpi conuictus] Furti, tutelae, pro ſocio.

Bonis quidem ſuis vtitur] Amiſit honeſtatem, ſed bona ſua retinet, habet vnde viuat. Duo propoſuit exempla, vnum eius, qui rem amittat, incolumi exiſtimatione: de quo dicit, *facile conſolatur honeſtas egeſtatem:* alterum eius, qui honeſtatem amittit, ſalua re domeſtica: de quo ſubiicit, *hoc tamen in miſeriis adiumento*

iumento et ſolatio ſubleuatur. at Quintio non ita adimuntur bona, vt integra ſit exiſtimatio: nec ita eripitur honeſtas, vt bona relinquantur: ſed victus, veſtitusque neceſſarius cum dedecore et probro ſub praecone ſubiicitur.

Cuius bona venierunt] Pro, ſi Quintii bona venibunt non enim venierant, ſed id pugnabat Naevius, vt venirent.

Cum dedecore] Cum deſerti vadimonii probro.

Subiectus eſt] Deſignat calamitatem Quintii, et ait, *ſubiectus eſt*, pro, ſi ſubiicietur.

Infra etiam mortuos amandatur] Quia non ei conceditur, vt poſſit honeſte mori. non ei tantum vita, ſed ſimul honeſte moriendi poteſtas eripitur. ergo, ſi fieri poteſt, vt grauius morte aliquid ſit, id quoque ei contingit. Eodem verbo vſus eſt in Catil. IV. c. 5. *Homo mitiſſimus atque leniſſimus non dubitat P. Lentulum aeternis tenebris vinculisque mandare.* Pro Sulla c. 20. *Mandare in vltimas terras.*

Mors honeſta] Pugnantia videtur loqui. nam, ſi mors honeſta vitam etiam turpem poteſt exornare; ſequitur neceſſario, vt vita turpis honeſta morte poſſit exornari. at hoc negant illa verba: *Vita turpis ne morti quidem honeſtae locum relinquit.* verum hoc quidquid eſt difficultatis, plane tollitur, ſi, *ſaepe*, quod eſt in priore membro, ad poſterius quoque referatur, hoc modo: Saepe accidit, vt honeſta mors turpem quoque vitam exornet: ſaepe item, vt vita turpis exornari honeſta morte non poſſit. Quintius autem iniuria Naeuii eo redigitur, vt ne mori quidem honeſte poſſit. deſerti enim vadimonii fama adimit facultatem honeſtae mortis: ſicuti ſaepe contra contigit, vt, qui honeſte moritur, anteactae vitae ſordes eluat, et tollat.

Cuius bona ex edicto poſſidentur] Non quod factum ſit, (bona enim ex edicto poſſeſſa negat: neque aliud agitur in hac cauſſa) ſed quod factum eſſe Naeuius aiebat, id exempli cauſſa ponit.

Libelli in celeberrimis locis proponuntur] Quod fieri ſolebat in proſcriptione bonorum: et id Naeuius cum feciſſet, impetrata a Burrieno praetore bonorum Quintii poſſeſſione, libellos Alphenus deiecit.

Huic ne perire quidem certe tacite obſcureque conceditur] *Certe*, non abundat, vt creditur a nonnullis. id perſpicuum fiet, ſi, ordine paulliſper mutato, dicas: *Huic certe ne perire quidem tacite, obſcureque conceditur.*

Magiſtri] Qui venditioni bonorum praeſunt. lib. I. ad Attic. epiſt. 1. et alibi.

Domini] Auget: magiſtros enim adhuc ſignificat.

Qua lege, et qua conditione pereat] Quo modo vendantur eius bona.

Pretium conficit] Pro, pretium publice dicit. nam ipſe pretium proſcriptorum bonorum non conficiebat, ſed ab aliis confectum palam recitabat.

Viuo videntique funus ducitur] Tranſiit in adagium: vt in ea pro Sextio c. 27. et apud Terentium in Eun. act. I. ſc. 1. v. 28. et, quoniam hoc non ſolet euenire, ideo Quintius, euenire cui videtur, infra mortuos mandari paullo ante ad miſericordiam commouendam dictus eſt. nam hoc totum, ab eo loco, *ergo hercule*

cule, ſubiicitur ad confirmandum, quod proxime antecedit.

Ad reliquias vitae] Ad bona Quintii, tamquam vitae reliquias, quas in humano corpore lacerant, diſcerpuntque carnifices.

CAPVT XVI.

Raro id accidere] Quod iniuria Naeuii nunc accidit, vt abſentis Quintii bona proſcriberentur.

Comparauerunt] Nam in edictis ita ſcribunt: ne cuius poſſideantur bona, niſi qui fraudationis cauſſa latitarit, aut heres cui non exſtet, aut qui exſilii cauſſa ſolum verterit: vt infra c. 19.

Denique inimiciſſimos] Videtur addendum, *in:* et ad vim aliquid accedet: hoc modo, *denique in inimiciſſimos.* Quod ſi haec in homines alieniſſimos, denique in inimiciſſimos viri boni faciunt: cur non eadem in Quintium Naevius, non alieniſſimum, ſed propinquum; non inimiciſſimum, ſed ſocium fecit.

Hominum exiſtimationis] Ne cui bonam famam eripiant.

Res iſta] Vadimonii deſertio.

Male agendi] Iniuſte, et malitioſe litigandi. idem ſupra c. 16. loquendi modus: *Quo tempore primum male agere coepit.*

Si de praediis tuis (Ern. *dupondius tuus*) *ageretur*] Quorſum hic de praediis? docti viri, a quibus non diſſentio, legendum ex antiquis libris exiſtimarunt, *ſi dupondius vnus*, aut, quod malim, *ſi dupondius tuus.* qui minimus nummus erat, valore duorum aſſium. Maior autem, vt mihi videtur, Naeuii eſſet ignominia, ſi legeretur, *de pretiis tuis:* cum ſcilicet vocem tuam vendebas. quam opinionem confirmat illud ſupra c. 3. *Vocem in quaeſtum contulit.* Et infra c. 31. *Cuius vox praeconio quaeſtu proſtitit.*

L. Lucullum] Iuris peritum. quamquam, *L. Lucilium*, legerim libentius: qui iurisconſultus clarus aetate ſua fuit, docuitque Ser. Sulpicium, vt ait Cicero in Bruto c. 42. nam L. Lucullum, qui poſtea de Mithridate, et Tigrane triumphauit, iurisconſultum fuiſſe, nusquam legi.

Horae duae fuerunt] Inuidioſe in Naeuium. qui cum queri poſſet, deſertum a Quintio vadimonium, ab eo die, quo ille, profecturus in Galliam, Roma egreſſus eſt ante diem IV. Kal. Febr. quod non niſi quatriduo poſt ex Publicio, qui ad vada Volaterrana Quintio occurrerat: quatriduum tamen illud (nam ſpatii minus eſſe non potuit) Cicero contrahit in horas duas, atque adeo vix in vnam horam: infert enim paullo poſt: *Non in eam turpitudinem veniſſes, vt hoc tibi eſſet apud tales viros confitendum, qua tibi vadimonium non ſit obitum, eadem te hora conſilium cepiſſe, hominis propinqui fortunas funditus euertere.*

Reſpiraſſet cupiditas] Remiſiſſes paullulum de cupiditate: non ſtatim ad Burrienum praetorem veniſſes.

CAPVT XVII.

Oblitus es] Quaſi per iocum eum exagitat: vitiumque voluntatis, memoriae vitium facit.

M. Marcelle] Is eſt, quem iuris magis, quam eloquentiae, ſtudioſum

dioſum fuiſſe, Pedianus in Diuin. c. 4. auctor eſt.

Latitare] Quod verbum erat in edicto: vt infra c. 19.

Ad hanc rationem] Ad petendum a praetore, vt bona poſſidere liceat.

Extremam] Quae tibi extrema, non prima, eſſe debuit.

Neceſſariam] Ad quam non niſi neceſſario deueniendum fuit.

Rationem ſummi officii] Quam numquam in vita nouit.

Quibus rebus inuenerim] Bonis artibus partae diuitiae laudantur, et probitatis opinionem afferunt. at Naeuius, ne, quia diues, ideo putaretur bonus vir, fatetur ſe malis artibus ad diuitias perueniſſe. Eſt autem oratoriae calliditatis, tribuere ſermonem aduerſariis contra ſe ipſos. vt in Diuin. c. 7. Hortenſium inducit ita loquentem: *Non illud peto, quod ſoleo, cum vehementius contendi, impetrare. reus vt abſoluatur, non peto: ſed vt ab hoc potius, quam ab illo accuſetur, id peto.*

Multo facilius diuitem, quam patremfamilias, fieri poſſe] Scurrae multo facilius eſſe, quam patrifamilias, diuitem fieri. turpiter enim, vt ſcurra, paterfamilias rem facere, non vult. ſcurrae perſonam Naeuio ſupra quoque c. 3. impoſuit Cicero, dicens: *Neque parum facetus ſcurra Sex. Naeuius, neque inhumanus praeco eſt vmquam exiſtimatus.*

CAPVT XVIII.

Quoniam tu id tibi arrogas] Vt, deſerto vadimonio, bona proſcribere debueris.

Quo te nomine appellemus] Artificioſe, vt facinus augeat, ambigit de nomine, quo de genere diximus initio lib. IV. in Verr.

Etiam ſi deſertum vadimonium eſſet] Cum vero deſertum non ſit, improbum te ſi appellemus, non ſatis eſt: exprimi tuam culpam oportet grauiore nomine.

Improbiſſimus reperiebare] In proſcribendis eius bonis, quicum tibi affinitas, ſocietas, omnes denique cauſſae, et neceſſitudines veteres intercedebant: cum fieri a te plurima oporteret, antequam ad hanc rationem neceſſariam deuenires.

Negas (Ern. *non negas*)] Quaſi leui malitia peccatum indicet; cum tuo nihil ſit grauius.

Res autem] A te commiſſa.

Quam natura fert] Quia vix in hominem conuenire videantur.

Prid. Kal. Febr.] Dixi iam, aut ſupra legendum, *prid. Kal. Febr.* aut hic, *IV. Kal. Febr.*

Litterae P. Quintii] Ephemeris, a Quintio ſcripta.

Cum adſtipulatore tuo] Cum eo, qui tuam calumniam ſuo teſtimonio confirmat.

Vixit enim ſemper inculte, atque horride] Quia non de colligenda gratia laborauit, vt Naeuius.

Non ad ſolarium] Locus in ſuperiore domo, ſoli patens. Auguſti iocus eſt apud Macrobium lib. II. Saturn. c. 4. *Cum de Tyriae purpurae, quam emi iuſſerat, obſcuritate quereretur, dicente venditore, Erige altius, et ſuſpice: Quid?* inquit, *ego, vt me populus Romanus dicat bene cultum, in ſolario ambulaturus ſum?* Fuit et *ſolarium* horologium, anno vrbis CCCCLXXVII. in

in publico, ſecundum Roſtra, in columna conſtitutum: quo cum vti non liceret niſi ſereno die, Naſica cenſor aqua diuiſit horas dierum et noctium.

In campo] Martio, ludendi gratia, vt reliqua iuuentus. Lib. II. de Orat. c. 62. *Vt in illum Titium, quem, cum ſtudioſe pila luderet, et idem ſigna ſacra noctu frangere putaretur, gregalesque, cum in campum non veniſſet, requirerent, excuſauit Veſpa Terentius, quod eum* brachium fregiſſe *diceret.*

In conuiuiis] In luxu, et ſumtibus.

Obſoleuit] Obſcuratus eſt, euanuit, vt in pictura, aut in veſte, propter vetuſtatem.

Diſcedere] Exitus rei oſtenditur hoc verbo. non enim eſt hic, *diſcedere*, pro, abire, ſed eo ſenſu, quo dictum eſt lib. II. ad Attic. epiſt. 16. *Si poſſum diſcedere, ne cauſſa optima in ſenatu pereat.*

Non mediocriter conquerendum] Quia neminem in cauſſa pari aequum eſt inferiorem eſſe. par cauſſa ſi eſt, paria quoque reliqua ſint.

Nunc] Pro, *ſed*, Graeco more: vt pro Archia c. 11. *Nunc inſidet quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes et dies animum gloriae ſtimulis concitat.*

Dedatur] Accommodatum verbum cupiditati, crudelitatique Naeuii. quaſi dicat, tradatur inimico, bonis, fama, fortunis omnibus euertendus: vt pro Roſcio Amer. c. 3: *Non recuſamus, quin illorum libidini Sex. Roſcii vita dedatur.*

CAPVT XIX.

Ad iſtam rationem] Ad poſtulationem, et proſcriptionem bonorum: quam ſupra c. 17. *rationem extremam neceſſariam*, vocauit.

Ad negotium ſuum proficiſcuntur] Vt profectus eſt Quintius in Galliam, relicto Alpheno procuratore.

Ne is quidem] Cui ſupra liberos eſſe dixit.

Solum verterit] Mutilus locus. deeſt enim, quod ad haec edicti verba Cicero reſpondeat. Neque vero Ciceronis tantum verba deſiderantur, ſed, vt arbitror, etiam edicti. cum enim ſubiiciatur: *Quo tempore exiſtimas oportuiſſe, Naeui, abſentem Quintium defendi:* neceſſe omnino videtur, praeire edicti verba, quibus haec reſpondeant. apte autem congruerent in edicto: *Qui abſens iudicio non ſit defenſus.* Quod eo magis arbitror, quia videtur edicti verba iterare, cum ait infra c. 23. *Quis eſt, qui fraudationis cauſſa latuiſſe dicat? quis, qui abſentem defenſum neget eſſe Quintium?* Et c. 27. *Eum ipſum, qui fraudandi cauſſa latitet: eum ipſum, quem iudicio nemo defendat: eum ipſum, qui cum omnibus creditoribus ſuis male agat, inuitum de praedio detrudi vetat.* Et aliquanto poſt c. 28. *Ex edicto autem non potuiſſe bona poſſideri, demonſtraui: quod neque fraudandi cauſſa latitaſſet, neque exſilii cauſſa ſolum vertiſſe diceretur. Reliquum eſt, vt eum nemo iudicio defenderit. quod contra copioſiſſime defenſum eſſe contendi.*

Cum poſtulabas] A Burrieno praetore.

Neque quemquam attinebat id recuſare] Cur enim quisquam recuſaret, quod praetor non ex arbitrio ſuo, ſed ex edicto fieri iubebat?

Non fieri] Sic veteres libri: et maior vis eſt, quam ſi legatur, vt antea, *non modo fieri.*

Hominem P. Quintii] Seruulum: de quo ſupra c. 6.

In ius vocas] Ad praetorem. Eodemque ſenſu dixit iam c. 9. *vt te in ius adducerent.*

Iudicium poſtulas] Vt praetor iudicem, iudiciique formulam det.

Scurrae diuitis] Naeuii.

Eques Romanus] Equeſtris dignitas poſt ſenatoriam proxima, et equeſter ordo ſeminarium ſenatus fuit. inde enim cenſores in legendo ſenatu ſumebant, quos inter ceteros probitate, opibus, ingenio excellere arbitrabantur. et, vt eques Romanus eſſe nemo poterat, qui CCCC millia H-S, id eſt, ſcutatorum XII millia non poſſideret: vnde Horatius lib. I. epiſt. I. v. 57.

Si quadringentis ſex ſeptem millia deſunt,
Plebs eris:

ſic, niſi qui duplum, id eſt, DCCC millia, poſſideret, ab equeſtri ad ſenatorium ordinem tranſire non poterat. et, vt equiti Romano, ſi tueri ordinem vellet, CCCC millia, ſic, ſenator ſi eſſe vellet, DCCC millia habere neceſſe fuit. Aliud eſt autem, *eques*, dicere, aliud, *eques Romanus. eques* enim erat, quicumque ſuo militabat equo, qui nec dicebatur, nec erat equeſtris ordinis; neque hunc cenſu CCCC millium eſſe neceſſe fuit: *eques* autem *Romanus* vocabatur is, qui publico mereret equo, et equeſtris eſſet ordinis, a cenſore lectus, et CCCC millia poſſideret, et equeſtribus quoque ornamentis, vt annulo aureo, tunica anguſti claui, (nam latus clavus ſenatorum erat) phaleris etiam vteretur. hanc diſtinctionem auctore Cicerone Phil. I. c. 8. cognouimus: vt Liuii, Valerii, aliorum teſtimonia breuitatis cauſſa relinquantur. Nec vero, ſi quis ex equite Romano ſenator fieret, equum publicum amittebat, vt exemplo Neronis, et Salinatoris cenſorum docet Liuius lib. XXIX. c. 37. qui cum inter ſe diſſiderent, alter alterum equum publicum iuſſit vendere. Erant autem equites Romani tam plebeii generis, quam patricii: et, qui equitum, aut ſenatorum filii eſſent, nec equeſtri cenſu carerent, niſi tamen a cenſore legerentur, equites Romani non erant, ſed, qui equitum filii, equeſtri loco nati, et equeſtri loco eſſe, qui ſenatorum, ſenatorio loco nati, et equeſtri loco eſſe dicebantur. quemadmodum nec ſenatorum filii, licet DCCC millia, qui cenſus erat ſenatorius, poſſiderent, ſenatores erant, niſi a cenſoribus lecti eſſent in ſenatum. quod ſi ſenator equitem Romanum patrem habuiſſet, vt M. Cicero, Ser. Sulpicius, alii permulti: equeſtri loco natus, loco tamen eſſe non equeſtri, ſed ſenatorio dicebatur. Inſigne, nouumque fuit in Pompeio Magno, quod ex Africa primum, deinde ex Hiſpania, nondum ſenator, ſed eques Romanus triumphauit. Differebant a ſenatoribus veſtitu, non quod diuerſa toga vterentur: eadem enim erat omnium ordinum: ſed quod, praeter varietatem calceorum, tunica ſenatorum lato clavo purpureo erat intexta, equitum

tum anguſta. itaque dixit Velleius lib. II. c. 88. de Maecenate, qui ab ordine equeſtri ad ſenatorium, cum facile poſſet, transire numquam voluit: *Vixit anguſto clauo paene contentus.* Et Ouidius, in ordine ſe equeſtri conſtitiſſe, ad ſenatorium peruenire non potuiſſe, ſignificat lib. IV. Triſt. eleg. 10. his verſibus: (35, ſeq.)

Curia reſtabat: claui menſura coacta eſt:
Maius erat noſtris viribus illud onus.

Quo more ſum adductus, vt apud Suetonium in Othone c. 10. vbi legitur in peruulgatis libris, *Auguſti clauius* fuit, reponendum putarem, *anguſticlauius*, vnico verbo, ſuffragante antiquo libro bibliothecae Vaticanae: eadem ratione, quemadmodum dixit idem in Nerone c. 26. *A quodam laticlauio, cuius vxorem attrectauerat, prope ad necem caeſus eſt.* Nominibus non iisdem ſemper appellati ſunt, Celeres primum, deinde Flexumines, tum Troſſuli vltra C. Gracchum, poſtremo equites. quod a Plinio lib. XXXIII. c. 2. et Feſto memoriae mandatum, referre non alienum putauimus. De numero ſi quaeritur: tres tantum equitum centurias Romulus inſtituit, dénos capiens e ſingulis curiis, quae XXX erant: Ser. Tullius ad XVIII maioris praeſidii cauſſa, aucta iam ciuitate, perduxit. quorum terceni ſingulis in legionibus militarunt.

CAPVT XX.

Poſtulabam] A Dolabella praetore. ſupra c. 8.

Ita videbare (Ern. *iubebare*)] Malim ex ſententia: *Ita: iubebat pr.* id eſt, *praetor.* nam et ſtatim ſubiicitur: *Ita: verum praetor decernebat.* Prima Naeuii obiectio eſt: *Poſtulabam, vt ſatisdaret.* Reſpondetur: *Iniuria poſtulabas.* Altera: *Ita: iubebat praetor.* Reſpondetur: *Recuſabat Alphenus.* Tertia: *Ita: verum praetor decernebat.* Reſpondetur: *Tribuni igitur appellabantur.*

Iudicium pati] Quod paullo poſt dicit: *iudicium accipere:* id eſt, rei iudicatae acquieſcere, ὑπομένειν δίκην, Ariſtoteles lib. V. Polit.

Neque iudicio defendere] Quia nec ſtitiſſe Quintium, nec abſentem eſſe defenſum, Naeuius aiebat. Cui Cicero iam reſpondit in eo loco c. 19. *Quo tempore exiſtimas oportuiſſe, Naeui, abſentem Quintium defendi?*

Cum auxilium a tribunis petas] Tribuni plebis initio, flagitante plebe, creati ſunt, vt iniuſte vexatis, atque oppreſſis auxiliarentur.

Antea dixiſſe audio] P. Iunio Quintium defendente.

Cauſſam ipſam conſidero] Ea, quae procurator Alphenus in tuenda Quintii cauſſa fecit.

Quid aliud dicere poſſit] Pro Naeuio contra nos.

Vadimonium promiſiſſe] Idibus Sept. cum ita inter eum et Naeuium conueniſſet: quia M. Brutus, tribunus plebis, interceſſurum ſe palam dixerat, niſi quid inter ipſum Alphenum, et Naeuium conueniret.

Ita tamen] Cum eo tamen, ſi tribunis ita videretur.

Per eum magiſtratum] Per tribunos plebis, qui ſi auxilii cauſſa

inſtituti ſunt: cur eos contra inſignem iniuriam Alphenus appellare non debuit?

Aut C. Aquillius] Aut, cum facta eſſe conſtet, C. Aquillius, talis vir, iuratus, iniquum ius in ciuitate conſtituat, neceſſe eſt, hoc ſcilicet: cuius procurator non omnia iudicia acceperit, quae quisque in verbo poſtularit, cuius procurator a praetore, ac tribuno appellare auſus ſit, eum non defendi, eius bona recte poſſideri poſſe.

Quae quisque in verbo (Ern. *verba*) *poſtularit*] Hoc dicit, quia ſatisdare noluerat Alphenus.

Auſus ſit] Vt praetoris iudicium reſcinderet.

Ei miſero] Miſero, propter ea, quae ſequuntur.

Ignaro (Ern. *ignaro, omnia*) *fortunarum ſuarum*] Qui, quid in ſuis rebus ageretur, abſens neſciret.

Quod ſi probari nemini poteſt] Quintium abſentem iudicio non eſſe defenſum, eiusque bona recte poſſideri poſſe.

Ex edicto bona poſſeſſa ſunt (Ern. *non ſunt*)] Nam in edicto ſumtum eſt, qui abſens iudicio non ſit defenſus, eius bona poſſideri poſſe.

Ne audierunt quidem] Hoc dicebat Hortenſius, quia tribuni plebis, auxilii cauſſa appellati, non interceſſerant, nec Burrieni praetoris decretum infirmauerant.

Praetoris Romani (*Romani* abeſt ab Ern.)] Praetoris vrbani Burrieni, qui proſcribi bona Quintii abſentis iuſſerat ex edicto.

M. Brutus] Fortaſſe M. Bruti pater, qui Caeſarem occidit. is enim et Marianus fuit, et a Cn. Pompeio necatus eſt, auctoribus Valerio, Plutarcho, Appiano. haec autem, quae hic narrantur, facta ſunt, vt e ſuperioribus conſtat, Scipione, et Norbano coſſ. quo anno tribunus plebis M. Brutus fuit, Mariana factione dominante.

Ipſum Alphenum] *Alphenum*, gloſſema eſſe puto. iam enim dixit, *procuratorem:* quo refertur, *ipſum.*

Non morae] Non vt moram afferret, quod aduerſarii calumniabantur, quia tribuni plebis idibus Sept. Quintium ſiſti iuſſerant.

CAPVT XXI.

Huius] Abſentis Quintii: ne quis eum latitare, aut ſolum vertiſſe, ſuſpicaretur.

Pro communi neceſſitudine] Quintii, et Naeuii.

Sin autem inimiciſſime atque infeſtiſſime contendere perſeueret] Hoc eſt, quod ſupra c. 6. dixit: *Iſtum, aequum eſſe, famae fortunisque P. Quintii conſulere, et aduentum eius exſpectare. quod ſi facere nolit, atque imbiberit eiusmodi rationibus illum ad ſuas conditiones perducere, ſeſe nihil precari: et, ſi quid agere velit, iudicio defendere.*

Se iudicio (Ern. *iudicium*) *id, quod edat, accipere*] Malim, *iudicium:* vt paullo ante c. 20. *Iudicium quin acciperet in ea ipſa verba, quae Naeuius edebat, non recuſaſſe.*

Fit] Conuenit inter Alphenum et Naeuium. quod niſi conueniret, interceſſurum ſe eſſe, M. Brutus, tribunus plebis, palam dixerat.

Rebus omnibus integris] Hoc explanatur ſequentibus verbis: *Neque*

Neque proſcriptis, neque poſſeſſis bonis.

Siſti Quintium] Id. Sept.

Iacet res in controuerſiis] Iudicium non expeditur, Naeuio rem de induſtria protrahente: litigatur tamen dicis cauſſa. propterea infra c. 22. *Cui neque magiſtratus adhuc aequus inuentus eſt.* Et in extrema oratione: *Ab omni magiſtratu agitatus atque perterritus.*

Iſto calumniante] Rem variis artibus producente. quod ſupra c. 8. dixit: *Annum et ſex menſes nihil petit: quieſcit: conditionibus hunc, quoad poteſt, producit.* Eodem ſenſu ad Varronem lib. IX. Fam. epiſt. 7. *Quod antea calumniatus ſum, indicabo malitiam meam.* Ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 4. *Res ab aduerſariis noſtris extracta eſt variis calumniis.*

Biennium] Auget. nam ſupra c. 8. *annum et ſex menſes*, dixit.

Vsque dum inueniretur] Vsque dum praetorem nactus eſſet, qualem vellet.

Ab vſitata conſuetudine] Vſitata conſuetudo fuit, vt iudicium de re prius, quam de probro, fieret, quod contra Dolabella decreuit.

In hoc ſingulare iudicium] *Singulare* appellat, quia non vſitatum, et in vna Quintii cauſſa factum: vt ſcilicet ſponſionem P. Quintius cum Naeuio faceret, ſi bona ſua ex edicto poſſeſſa eſſent. quo genere iudicii cauſſam priore loco dicere cogebatur.

Illis dominantibus] Marianis: quibus anno proximo ſuperiore debellatis, dominari Sulla coeperat.

Quod ſi velim confiteri] Naeuio parem certationem cum Alpheno illo tempore non fuiſſe. Dicit autem, *quod ſi velim confiteri:* quaſi liceat ei non confiteri: cum et Naeuius ipſe Marianarum partium fuerit: vt infra c. 22. narratur.

Ad vincendum ſatis eſt] Nam, ſi abſens Quintius iudicio defenſus eſt, edictum eius cauſſae non nocet, in quo eſt, eius bona poſſideri poſſe, qui iudicio abſens non ſit defenſus.

Qualis is fuerit] Marianus, an Sullanus.

Si modo abſentem defendebat per ius, et magiſtratum] De quo loquitur edictum. *Magiſtratum*, dixit, pro, tribunos plebis.

Qui apud te eſſet educatus: quem tu a puero ſic inſtituiſſes] Si Marianus Alphenus ex educatione, et diſciplina tua fuit.

Vt nobili] Nobilitas pro Sulla, plebs pro Mario pugnauit.

Ne gladiatori quidem] Vt ita nobilitatem odiſſet, vt ne gladiatori quidem, multarum pugnarum victoria nobili, fauere vellet. Ludit in voce, *nobili.* eſt enim et in ciue nobilitas, et in gladiatore.

Summe concupiſti] Marianos vincere.

Par contentio] Non ille magis, quam tu, gratioſus erat, Marianis dominantibus.

Intercedebat] Interceſſurum ſe, niſi quid inter eos conueniret, palam dicebat.

Iniuriam decernebat] Antiquus liber, *iniuria:* quod probo.

Iſtos] Sullanos.

Quos aduocaſti] In quibus erat L. Philippus, conſularis, et cenſorius.

Eam rem] Ciuilem contentionem.

CAPVT

CAPVT XXII.

Impetrabat] A praetore: cum Alphenus a tribunis plebis non impetraſſet. quod iis intelligitur verbis c. 7. *Appellantur tribuni: a quibus cum eſſet certum auxilium petitum, ita tamen diſceditur, vt idibus Septembribus P. Quintium ſiſti Sex. Alphenus promitteret.*

Studium veſtrum] Aeque ſtudioſi eratis earundem partium.

Vetuſtate] Vſu diuturno, vetere malitia.

Viciſti] Quia ille interfectus eſt cum Marianis; tu gratia vales etiam apud iſtos, qui vt vincerentur, optabas.

Aliquem contra te aduocare poterat] Supra c. 8. *Noſtros aduocatos acerrime ſubmoueri.* Et c. 21. *Viros bonos complures aduocat.*

Magiſtratus aliquis] Vt tribuni plebis.

Conſiſteret] Agi poſſet.

Neque iudicium redditum eſt vſitatum] A praetore Dolabella: de quo ſupra c. 8. *Decernit: quam aequum, nihil dico: vnum hoc dico, nouum.* Et c. 21. *Iacet res in controuerſiis, iſto calumniante, biennium, vsque dum inueniretur, qua ratione res ab vſitata conſuetudine recederet, et in hoc ſingulare iudicium cauſſa omnis concluderetur.*

Non conditio] Vel vt ſatisdaret ſolus, vel vt ſponſionem faceret Quintius.

Non ſponſio] Qua cogitur Quintius priore loco cauſſam dicere.

Poſtulatio] Vt eius bona ex edicto poſſiderentur. ſignificatur apud Burrienum praetorem Naevii poſtulatio.

De re pecuniaria cupio contendere: non licet] Locus ad oſtendendam cauſſae iniquitatem, per quandam rei et aduerſarii contentionem inductus. exempla non deſunt eiusdem generis, vt a reo, quod nunc occurrit, lib. V. in Verr. c. 42. *Quid erat, quod quisquam diceret, aut defenderet? Cleomenem nominare non licet. At cauſſa cogit. Moriere, ſi appellaris. numquam enim iſte eſt cuiquam mediocriter minatus. At remiges non erant. Praetorem tu accuſas? frange ceruicem. Non licet.* cur non licet? quia iam ego a Burrieno praetore impetraui, vt ex edicto bona poſſiderem.

At ea controuerſia eſt] Ideo enim vadari me coepiſti, quia pecuniam deberi tibi a me diceres. Supra c. 14. *Profecto, ſi quid deberetur, peteret: non omnia iudicia fieri mallet, quam vnum illud, vnde haec omnia naſcuntur.*

Vbi ita neceſſe eſt] Quando ita neceſſe eſt. ſi cauſſa capitis nobis dicenda eſt, accuſa: nam reus poſteriore loco ſolet dicere.

Arceſſetur (Ern. *arcebitur*)] Ad praetorem: vt praeſtituantur horae ad arbitrium noſtrum. Significat id, quod ſupra c. 9. narravit: *Illud etiam reſtiterat, quod heſterno die fecerunt, vt te in ius adducerent, vt nobis tempus, quamdiu diceremus, praeſtitueres.*

Pro me] Aduocatus, non patronus.

Honore] Conſularis, et cenſorius.

Non illa] Querebatur Naeuius, iniquam ſibi, Marianis dominantibus, certationem cum Alpheno fuiſſe. Immo vero, inquit, Cicero,

cero, haec iniqua certatio eſt: non illa, qua, more velitum, contra Alphenum pugnabas. quae, ſi cum hac conferatur, non certatio, ſed velitatio quaedam erit appellanda. nec Alpheni ea contra te, ſed contra Alphenum tua.

Huic] Non Alpheno, ſed Quintio.

Ne vbi conſiſteret quidem] Paullo ante: *Cui neque magiſtratus adhuc aequus inuentus eſt.*

CAPVT XXIII.

Sponſores] Qui pro C. Quintio, P. fratre, ſpoponderant.

Ab hoc alieniſſimi] Nulla cum Quintio neceſſitudine coniuncti.

Violare P. Quintii exiſtimationem] Quam violauit affinis, ſocius, neceſſarius.

Qui cum ipſe vltro deberet] Non eſt in, *vltro,* promta voluntas, vt alibi, ſed contrarii ſignificatio, cum hoc dicat: tantum abeſt, vt ei Quintius, vt ipſe vltro pecuniam Quintio deberet. Virgilius lib. II. Aen. v. 145.

His lacrimis vitam damus, et miſereſcimus vltro.

Terentius in Adelph. act. IV. ſc. 3. v. 3.

Niſi ſi me in illo crediciſti eſſe hominum numero, qui ita putant,
Sibi fieri iniuriam vltro, ſi quam fecere ipſi expoſtulant,
Et vltro accuſant. —

Idem in Phorm. act. II. ſc. 3. v. 13.

O audaciam! etiam me vltro accuſatum aduenit?

Per ſe afflictum atque euerſum] Diu vexatum litibus a Naeuio, praetore non inuento, non modo a quo ius impetraret, ſed ne vnde arbitratu quidem ſuo poſtularet. In extremo: *Ab ipſo repudiatus, ab amicis eius non ſubleuatus, ab omni magiſtratu agitatus atque perterritus, quem praeter te appellet, habet neminem.* Poteſt etiam referri ad fundum Gallicanum: in quem nondum videtur Quintius fuiſſe reſtitutus: cum dicat Cicero in extrema oratione: *E fundo ornatiſſimo deiectus, ignominiis omnibus appetitus, cum illum in ſuis paternis bonis dominari videret, ipſe filiae nubili dotem conficere non poſſet, nihil alienum tamen vita ſuperiore commiſit.*

Quis eſt, qui fraudationis cauſſa latuiſſe dicat] Edicti verba ſunt, *qui fraudationis cauſſa latitarit.* c. 19.

Quis, qui abſentem defenſum neget eſſe Quintium] Et hoc ad edicti verba pertinet: quae tamen deſiderantur, vt ſupra docuimus.

Ratio] Negotium.

Derogetur] Minuatur. alibi, *abrogare fidem.*

In huiusmodi ſponſionem] Pro Naeuio contra Quintium facta, iuſſu praetoris Dolabellae.

Teſtes dare oportebat] Quos cum non dederit Naeuius, iniuſte ſponſio facta eſt.

A me nominis eius, quod infitiatus eſſet, diem petiuit] Niſi fallor, haec quoque edicti verba fuerunt: *Qui nominis eius, quod infitiatus ſit, diem petiuerit.*

Ita ſe graues eſſe] Graues illi quidem viri ſunt, quibus teſtibus vtetur Naeuius: ſed, niſi veritatem in teſtimonio retinebunt, grauitatem amittent, leuis eorum auctoritas erit: ſin autem verum dicent,

dicent, nihil eorum de grauitate detrahetur.

CAPVT XXIV.

Sex. Alpheni] Videtur pro Marianis contra Sullam pugnaſſe, et interfectus eſſe.

In hereditaria ſocietate] In ea ſocietate, quae tibi cum P. Quintio non voluntaria, ſed ideo fuerat, quia bona omnia fratris eius, C. Quintii, ad eum hereditate peruenerant: vt ideo ſocius eſſet, quia heres: at ei tu ſocius in emendis Alpheni bonis, tua ſponte eſſe voluiſti.

Quem ſpoliatum fama, fortunisque omnibus arbitrabare] Ex eo, quod eius bona ex edicto poſſediſſes.

Philippus] Aduocatus, non patronus.

Timore prolaberer] Quod initio dixit: *Eloquentia Q. Hortenſii ne me in dicendo impediat, nonnihil commoueor.*

Huic Q. Roſcio] Comoedo, pro quo exſtat Ciceronis oratio.

Suum propinquum] Sororis ſuae virum, P. Quintium.

Ore duriſſimo] Summa impudentia.

Contra talem artificem] Q. Hortenſium.

CAPVT XXV.

Quod habebat erga propinquum ſuum] Malim, *adhibebat.*

Cum artifex eiusmodi ſit, vt ſolus dignus videatur eſſe, qui in ſcena ſpectetur: tum vir eiusmodi eſt, vt ſolus dignus videatur, qui eo non accedat] Leporem habet haec ſententia, duabus diſtincta partibus, et mire valet ad laudandum. itaque lib. III. in Verr. c. 71. ſic de Chilone teſte: *Qui iſti ita amicus et neceſſarius eſt, vt, etiamſi vir bonus non eſſet, tamen, quod contra iſtum diceret, graue videretur: ita vir bonus eſt, vt, etiamſi inimiciſſimus iſti eſſet, tamen eius teſtimonio credi oporteret.* De iurisconſulto autem Aquillio pro Caecina c. 27. *Qui ita iuſtus et bonus vir eſt, vt natura, non diſciplina, conſultus eſſe videatur: ita peritus ac prudens, vt ex iure ciuili non ſcientia ſolum quaedam, verum etiam bonitas nata eſſe videatur.* Et lib. I. ad Q. Fr. epiſt. 1. *Cuius natura talis eſt, vt etiam ſine doctrina videatur moderata eſſe potuiſſe: ea autem adhibita doctrina eſt, quae vel vitioſiſſimam naturam excolere poſſit.* Qua in epiſtola vt natura primum ſeparatim a doctrina, deinde doctrina ſeparatim a natura laudatur: ſic in illa ad M. Brutum, (15.) ita ſeorſum ab ingenio extollitur induſtria, ſtudiumque Valerii Meſſallae, vt ingenium tamen in eo ſummum eſſe dicatur. *Tanta,* inquit, *induſtria eſt, tantumque euigilat in ſtudio, vt non maxima ingenio, quod in eo ſummum eſt, gratia habenda videatur.*

Qui eo non accedat] Scenicam enim artem agere, probro fuit. Similiter eum laudat in oratione, quam pro ipſo habuit, c. 6. *Quem populus Romanus,* inquit, *meliorem virum, quam hiſtrionem eſſe arbitratur: qui ita digniſſimus eſt ſcena propter artificium, vt digniſſimus ſit curia propter abſtinentiam.*

Quoad potuerit] Victam denique eſſe veritatem, et pudorem Quintii, cupiditate, et audacia Naeuii, ſignificat.

Ante

Ante v. *Kal. interkalares*] Non hoc videtur eſſe diem indicare, ſed tempus. dies enim ſic, v. *Kal. interkalares* ſignificatur. itaque, ſi ſuffragarentur antiqui libri, legerem libenter, *ante diem* v. *Kal. interkalares*, quem diem hic certe non oſtendit loquendi modus, *ante* v. *Kal.* Nihil autem refert, vtro modo loquamur, *ante diem* v. *Kal.* an, v. *Kal.* quod probaui iam in eo loco c. 6. *Roma egreditur ante diem IV. Kal. Febr.* dies autem hic eſt vigeſimus ſextus menſis Februarii, interkalaris appellati eo anno, cum dies vnus interponitur, quod quarto quoque anno fit: cum annus conſtet diebus CCCLXVI. ſenis horis additis in ſingulos annos. Neceſſe autem eſt, eum, quem dixi, diem ſextum ſignificari, vt triduo diſtet a pridie Kal. interkalares, qui poſtremus eſt menſis interkalaris dies, id eſt, vigeſimus nonus. quo vtitur Cicero contra Naeuii mendacium argumento.

Statim de iure] Statim vt aliquis a praetore in Galliam cucurrerit. nam, *de iure*, ad praetorem refertur, non ad iudices. id paullo ante oſtendit his verbis: *Bona, poſtulas, vt ex edicto poſſidere liceat.* Eodem modo explanauimus illud ſupra c. 9. *Illud etiam reſtiterat, quod heſterno die fecerunt, vt te in ius adducerent.* Et illud c. 19. *In ius vocas: ſequitur.*

Seu potius Pegaſos] Pegaſi, alati equi, ex Meduſae ſanguine, quam Perſeus interemit, nota vel pueris fabula eſt.

CAPVT XXVI.

Hanc cauſſam voles cum Hortenſio dicere] Aderat igitur vt aduocatus, non vt patronus.

Dominus] Quintius.

De ſuo fundo] *De ſaltu, agroque communi.* nam etſi, *de ſuo fundo*, et, *a ſua familia*, dicit: de fundo tamen communi, et de communi familia, eſt accipiendum: cum ſupra c. 6. dixerit: *Haec dum Romae geruntur, Quintius interea contra ius et conſuetudinem, edicto praetoris de ſaltu agroque communi a ſeruis communibus vi detruditur.* Eſt igitur, *de ſuo fundo*, de eo fundo, qui ad eum pro dimidia parte attineret: et, *a ſua familia*, cuius ipſe pro ſua parte dominus eſſet.

A ſua familia] A ſeruis communibus.

Vtrumlibet elige] Vel miſiſſe te in Galliam, poſtea quam poſtulaſti a praetore, vt ex edicto poſſidere bona liceret: vel miſiſſe ante quam poſtulaſti.

Alterum incredibile eſt] Si miſiſti, poſtea quam poſtulaſti; incredibile eſt, eos, qui miſſi a te ſunt, biduo, aut non toto triduo DCC millia paſſuum decurriſſe. poſtulaſti enim ante diem v. Kal. interkalares: deiectus eſt autem Quintius de ſuo fundo pridie Kal. interkalares.

Alterum nefarium] Si miſiſti, ante quam poſtulaſti, vt bona poſſideres.

Vtrumque inauditum] Vnum, biduo, vel non toto triduo DCC millia paſſuum eſſe decurſa: alterum, bona alicuius poſſidere aliquem eſſe auſum, antequam a praetore poſtularet, vt ex edicto poſſidere liceret.

Malo] Dicere te hoc, ante miſiſſe.

Si enim illud diceres] DCC millia paſſuum biduo, aut non toto triduo eſſe decurſa.

Cum hoc confiteris] Te ante miſiſſe, quam poſtulares.

Ne mendacio quidem] De DCC millibus paſſuum biduo decurſis. quod quia vides credi non poſſe, ideo confugies huc, vt miſiſſe te, ante quam poſtulares, fatearis. quod nefarium eſſe, negari non poteſt: nec ab Aquillio, talibusque viris vllo modo probabitur.

Quid haec amentia] Mittere in Galliam, vt bona poſſideantur, prius quam poſtulares, vt ex edicto poſſidere liceret.

Non latrocinium] In quo maius aliquid eſt, quam in ſcelere.

Poſt dies triginta] Exempli gratia. Quaenam, inquit, haec tua ratio eſt, ſi dicis, te poſtulaturum fuiſſe? non enim debebas, quamquam poſtulare cogitares, ante poſtulationem in Galliam mittere, qui de fundo Quintium expellerent.

Si nemo recuſaret, qui ex ipſius decreto et ſatisdaret, (Ern. *ſatisdare*) *et iudicium accipere vellet*] Nam, ſi nemo ſadisdaret, bona poſſideri iure poſſent. vnde illa L. 31. §. 3. D. de reb. auct. iud. poſſ. *Quod ſi, quaſi ſuſpectus, ſatisdare iuſſus, decreto praetoris non obtemperauerit; hunc bona hereditatis poſſidere, venumque dari ex edicto ſuo permittere iubebit.* Animaduertendum, ex, *nemo*, quod aperte negat, elici tamen ſignificationem, quae affirmat; vt conſequentibus verbis, *ſatisdaret, iudicium accipere vellet*, conſentiat. idem enim eſt, ac ſi dixiſſet: ſi non aliquis recuſaret, qui ſatisdaret, et iudicium accipere vellet. ita, *nemo*, non ſemper idem valet, ſed modo negat, modo affirmat, habita ratione compoſitionis. idque ſaepe eodem loco, vt pro Q. Roſcio Com. c. 2. *Aduerſaria in iudicium protulit nemo: codicem protulit, tabulas recitauit.* Ibidem c. 4. *Quis vmquam ad arbitrum, quantum petiit, tantum abſtulit? nemo. quantum enim aequius eſſet ſibi dari, petiit.* Et Horatius lib. I. Serm. ſat. 1. v. 1.

Qui fit, Maecenas, vt nemo, quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu fors obiecerit, illa
Contentus viuat? laudet diuerſa ſequentes?

Nam in, *viuat*, negatur; in, *laudet diuerſa ſequentes*, affirmatur. Eiusdem generis eſt verbum, *nolo*, ideo quia componitur ex, *non*, et, *volo*. exemplum habemus lib. XII. Fam. epiſt. 30. ad Cornificium: *Noli impudens eſſe, nec mihi moleſtiam exhibere.* Subauditur enim, *velis*, in poſterioribus verbis. Nec ab his disiungo verbum, *nego*, compoſitum ex, *nec*, et *aio*. negat enim, et affirmat ſimul Phil. VIII. in eo loco c. 6. *Et quidem, quo melior ſenator videatur, negat ſe illi amicum eſſe debere: cum ſuo magno eſſet beneficio, veniſſe eum contra ſe.* Haec enim poſtrema verba ad, *negat*, referri non poſſunt, ſed affirmationem neceſſario requirunt, quae ſumitur ab eodem verbo.

Corrigeres haec, ſcilicet, tu poſtea] Cum infecta, quae facta ſunt, fieri non poſſint.

De cuiusquam vita] Videtur Naeuius in Quintii vitam inuehi ſolitus.

Cum,

Cum, poſtea quid futurum eſſet, ignorares] Nam, ſi ais, *poſtulaturus eram:* reſponderi poteſt, accidere potuiſſe, vt aliquid impediret. ſi, *praetor iuſſiſſet:* certum hoc non erat. fortaſſe enim, aut nollet, aut non valeret, aut ius non diceret; aut procurator Quintii recuſaret, et ex ipſius praetoris decreto ſatisdaret, ac iudicium accipere vellet.

In incerto reliqui temporis euentu] Qui caecus cupiditate et auaritia, fore rata, et certa ſperares, quae tibi irrita, incertaque eſſe potuiſſent. ea vero erant, poſtulatio tua, et praetoris edictum. nam ita poſtulaturus eras, ſi te nihil impediret, ſi voluntas eadem maneret, ſi valeres, denique ſi viueres. praetor autem ita iuſſiſſet, ſi vellet, ſi valeret, ſi ius diceret, ſi Quintii procurator Alphenus ſatisdaret, nec iudicium accipere vellet.

Debueris, aut potueris] Si te praetor iuſſiſſet, ex edicto poſſidere, de ſuis tamen bonis Quintium deturbare nec debuiſti, nec potuiſti. longe enim aliter poſſediſti, quam praetor edixit.

CAPVT XXVII.

Praetor] Burrienus.

Sponſio] Iubente Dolabella praetore facta.

Poſſeſſa non ſint] Sic in quibusdam libris, mendoſe. nam abundat, *non*. totam ſententiam explicauimus in eo loco c. 8. *Iubet P. Quintium ſponſionem cum Sex. Naeuio facere, ſi bona ſua ex edicto P. Burrieni praetoris dies triginta poſſeſſa eſſent.*

Ex edicto veniſſe] In poſſeſſionem.

Male agat] Aſtute, malitioſe, de ſolutione non cogitans, permulta fraudandi cauſſa faciens. ſupra c. 14. *Quo tempore primum male agere coepit.* Et c. 16. *Qui permulta male agendi cauſſa, fraudandique fecerunt.*

Ius non auferatur (Ern. *vis ne afferatur*)] Rectius, *vis ne afferatur*, ſuffragante vetere libro, et ipſo Cicerone, qui ſubiungit: *Illud dico, dominum expulſum eſſe de praedio; domino a familia ſua manus allatas eſſe ante ſuos Lares familiares.*

Dominum] Vis additur ſententiae ſimilibus verbis, *dominum, domino, ſua, ſuos.*

Hoc dico] Et hic, et poſt verbum, *quotidie*, quin deſideretur aliquid, dubitari non poteſt: quid autem, diuinare non licet. Illa quidem verba, *deinde quod omnia iudicia*, cum ſuperioribus apte non coniunguntur; potius ad illa ſpectant inferiora: *Quo in loco conditionem tuli.*

CAPVT XXVIII.

Quo in loco] Cum illa queſtus eſſet, quae ſupra c. 13. exponuntur iis verbis: *Quid igitur pugnas? an, quod ſaepe multis in locis dixiſti, ne in ciuitate ſit? ne locum ſuum, quem adhuc honeſtiſſime defendit, obtineat? ne numeretur inter viuos? decernat de vita et ornamentis ſuis omnibus? apud iudicem cauſſam priore loco dicat: et, eam cum orarit, tum denique vocem accuſatoris audiat?*

Conditionem tuli] Cum dixit: *Quid a nobis autem, C. Aquilli, refertur? Pecuniam petit. negamus deberi. iudicium fiet ſtatim: non recuſamus. Numquid prae-*

 terea?

terea? ſi veretur, vt res, iudicio facto, parata ſit: iudicatum ſolvi ſatis accipiat. quibus a me verbis ſatis accipiet, iisdem ipſe, quod peto, ſatisdet.

Pari conditione vteretur] Vt Naeuius quoque ſatisdaret.

Oſtendi, quam multa ante fieri conuenerit] Id ſupra c. 17. oſtendit his verbis: *Profecto ſi recte veſtram bonitatem atque prudentiam cognoui, non multum me fallit, ſi conſulamini, quid ſitis reſponſuri: primum, exſpectare: deinde, ſi latitare, ac diutius ludificare videatur, amicos conuenire: quaerere, quis procurator ſit: domum denunciare. dici vix poteſt, quam multa ſint, quae reſpondeatis ante fieri oportere, quam ad hanc rationem extremam neceſſariam deuenire.*

Quo die hunc ſibi promiſiſſe dicat] Nonis Februarii. tota res narratur ſupra c. 18. his verbis: *Ais eſſe vadimonium deſertum. Quaeſiuit a te ſtatim, vt Romam rediit, Quintius, quo die vadimonium iſtuc factum eſſe diceres. reſpondiſti ſtatim, nonis Febr. Diſcedens in memoriam rediit Quintius, quo die Roma in Galliam profectus ſit. ad ephemeridem reuertitur. inuenitur dies profectionis, prid. Kal. Febr. Nonis Febr. ſi Romae fuit, cauſſae nil dicimus, quin tibi vadimonium promiſerit. Quid? hoc inveniri qui poteſt? profectus eſt vna L. Albius, homo cum primis honeſtus. dicet teſtimonium. Profecuti ſunt familiares et Albium, et Quintium. dicent hi quoque teſtimonium. litterae P. Quintii, teſtes tot, quibus omnibus cauſſa iuſtiſſima eſt, cur ſcire potuerint, nulla, cur mentiantur, cum adſtipulatore tuo comparabuntur?*

Eo die ne Romae quidem eum fuiſſe] Diſceſſit enim Roma Quintius pridie Kal. Febr.

Teſtibus] L. Albio, et iis, qui proſecuti ſunt Albium, et Quintium.

Quod contra copioſiſſime defenſum eſſe contendi] Modus loquendi, pro, cum ego contra contenderim. Sic in Catone c. 23. *Cuius a me corpus crematum eſt; quod contra decuit ab illo meum.* pro, cum decuerit contra cremari ab illo meum. Et in Laelio c. 24. *Peccaſſe ſe, non anguntur, obiurgari, moleſte ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, correctione gaudere.* Et lib. I. de Offic. c. 15. *In collocando beneficio, et in referenda gratia, ſi cetera paria ſint, hoc maxime officii eſt, vt quisque maxime opis indigeat, ita ei potiſſimum opitulari: quod contra fit a plerisque. A quo enim plurimum ſperant, etiamſi ille his non eget, tamen ei potiſſimum inſeruiunt.*

Ab equite Romano] Sex. Alpheno.

Propinquo et neceſſario ſuo] P. Quintii. ſupra c. 5. *Dat iſte amicum M. Trebellium: nos communem neceſſarium, qui iſtius domi erat educatus, et quo vtebatur iſte plurimum, propinquum noſtrum, Sex. Alphenum.*

Tum] Marianis dominantibus.

Tantummodo ſuperiorem fuiſſe] Non vsque eo tamen, vt reſpirandi poteſtatem nobis poſſet eripere, quam nunc eripit, Sullanis omnia tenentibus, quorum inimicus fuit.

CAPVT XXIX.

Quo modo nunc intendit] Vt quidem nunc agit in Quintium.

argu-

argumentum ex iis, quae cernuntur: vt lib. XIII. ad Attic. epiſt. 2. *Quo modo nunc eſt, pedem vbi ponat in ſuo, non habet.* Lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 2. *Quo modo res ſe habet, non eſt facillima.* Lib. II. de Orat. c. 32. *Quo modo nunc ſe iſtorum artes habent, pertimeſcenda eſt multitudo cauſſarum.*

Ne in viuorum quidem numero] Quia non venerit ad vadimonium.

Omnino autem bona poſſeſſa non eſſe conſtitui] Haec tota pars deſideratur. commemorat enim, quae ſupra dixit.

Ne adſpirarit quidem] Non modo non acceſſerit, ſed ne accedere quidem voluerit. hoc verbum voluntatem ſignificat ſine exitu rei: vt in Diuin. c. 5. *In huiusmodi re quisquam tam impudens reperietur, qui ad alienam cauſſam, inuitis iis, quorum negotium eſt, accedere aut adſpirare audeat?* Et in Bruto c. 21. *Ex bellica laude adſpirare ad Africanum nemo poteſt.*

Prohibitum fuiſſe] A procuratore Quintii Alpheno.

Priuata] Propria. venit enim in communia. ſupra c. 6. *De ſaltu agroque communi a ſeruis communibus vi detruditur.*

CAPVT XXX.

Etiam magis te iudice opus eſſe] Cui vitam Quintii magis probatum iri putauimus, quam Naevii. nam de cauſſa nullo iudice dubitandum ſtatuebamus.

Non ab afflicta amicitia transfugere] Quemadmodum Naeuius a Marianis, vbi partes eorum afflictas vidit, ad Sullanos florentes transfugit. de quo ſupra c. 21. *Tu, poſtquam, qui tibi erant amici, non poterant vincere; vt amici tibi eſſent, qui vincebant, effeciſti.*

Iſta] Quae Naeuii ſunt.

His moribus] Idem ſupra c. 18. *Antiquam officii rationem dilexit, cuius ſplendor omnis his moribus obſoleuit.*

Quid ergo eſt] Quid ex eo ſequitur? non vsque eo tamen ſuperiora eſſe iſta ſentit, vt &c.

Diſciplina] Quam ſemper coluit Quintius, officium, fidem, diligentiam rebus omnibus anteponens.

Quaeſtum] Indignum bono viro.

Sumtum Gallonii] P. Gallonium vt hominem nequam, profuſumque nepotem, Lucilius poeta nominat. Lib. II. de Fin. c. 8.

Praeclare Laeliu', et recte ſophos, illudque vere:
O Publi, o gurges, Galloni: es homo miſer, inquit.

Et c. 28. *Qui ad voluptatem omnia referens, viuit vt Gallonius, loquitur vt Frugi ille Piſo.*

Si licet viuere eum, quem Sex. Naeuius non vult] Miſeratio plurimum valet in epilogis. ea commouetur ex aduerſarii maxime potentia, et crudelitate, ex inopia rei, et calamitate. huic loco ſimilis ille pro Roſcio Amerino c. 52. *Si a Chryſogono, iudices, non impetramus, vt pecunia noſtra contentus ſit, vitam ne petat.*

Contra nutum ditionemque Naeuii] Summa potentia demonſtratur. Habet autem indignationem quandam Naeuii nomen ter varie pronunciatum, acerba praeſertim in re: *Quem Sex. Naeuius non vult: inuito Nae-*

vio: contra nutum ditionemque Naeuii.

Naeuii] Vim habet in fine membri idem nomen: ornatum quoque ſumit ex caſuum varietate. primum enim membrum terminat, *Naeuius;* alterum, *Naeuio;* tertium, *Naeuii.*

Te defendente] Te iudice, C. Aquilli.

Appellandus] Vt opem ferat.

Eſt] Vim habet, *eſt,* tribus locis in fine vſurpatum.

CAPVT XXXI.

Miſerum eſt, exturbari fortunis omnibus: miſerius eſt, iniuria] Modus exaggerandi per ſimilitudinem. nam, ſi illud eſt, multo magis hoc. illud conceditur ex communi ſenſu: hoc, adiecta cauſſa, concedatur, neceſſe eſt. ac neſcio, an vsquam hunc locum copioſius Cicero attigerit. vnam enim ſententiam, quae ad Quintii declarandam infelicitatem pertinet, in ſeptem partes diſtribuit: et ſimul vbertatem ingenii ſummam, eloquentiam, cupidis adoleſcentibus vtiliſſimam, oſtendit, eas ipſas partes diuerſis nominibus inducens: *Miſerum eſt, acerbum, calamitoſum, funeſtum, indignum, luctuoſum, horribile.* Idem ornamentum, non tamen eadem copia, lib. II. In Verr. c. 32. agnoſcitur. *Si illud eſt,* inquit, *tam flagitioſum, quod mihi omnium rerum turpiſſimum, maximeque nefarium videtur, ob rem iudicandam pecuniam accipere, pretio habere addictam fidem et religionem: quanto illud flagitioſius, improbius, indignius, eum, a quo pecuniam ob abſoluendum acceperis, condemnare: vt ne praedonum quidem praetor, in fide retinenda conſuetudinem conſeruaret? Scelus eſt, accipere ab reo: quanto magis ab accuſatore? quanto etiam ſceleratius ab vtroque?*

Cum dedecore] Cum probro, ignominiaque deſerti vadimonii.

Cuius vox (Ern. *in*) *praeconio quaeſtu proſtitit*] More meretricum. Acerbior in Naeuium ſententia, quam ſi legatur vt antea, *cuius vox in praeconio quaeſtum praeſtitit.*

Atque adeo ne vnde arbitratu quidem ſuo poſtularet] Statim reiectus, atque perterritus.

Iure contenderent] Vel vtroque ſatisdante, vel neutro, re delata ad iudicium pecuniarium, vnde reliqua omnia difficillima, cum ſumma Quintii inuidia, maximoque periculo, nata ſunt.

Aut iniuriam ſine ignominia ſibi imponerent] Tribuit amicis Naeuii, quae Naeuii ſunt. quod eorum potentia fultus, et petere iniuſta Naeuius auderet, et conſequeretur. quam vero Naeuius iniuriam Quintio imponebat, haec erat, quia peteret ab eo, qui nihil deberet: *ignominia,* quia cogeret Quintium, ſponſione facta, priore loco cauſſam dicere: quaſi bona eius ex edicto praetoris poſſeſſa eſſent, vadimonii deſerti cauſſa.

Vultum ſuperbiſſimum ſubiit] *Subire vultum* eorum eſt, qui aliquid humiliter petunt. vnde illud Coelii lib. VIII. Fam. epiſt. 12. *Malui collegae eius, homini alieniſſimo mihi, et propter amicitiam tuam non aequiſſimo, me obligare, quam illius ſimiae vultum ſubire.*

Propinquorum] Quia bona Quintii proſcripſerat Naeuius ex edicto Burrieni.

Homi-

Hominis] Proprie ipſius Quintii.

At humanitatis] Quae cuiuis homini a quouis homine hoc ipſo debetur, quo homines aeque ſunt, et alterum alteri communis omnium mater natura commendat.

Ab omni magiſtratu] Multis iudiciis conflictatum, et vexatum eſſe Quintium, ſupra intelligitur, vt in eo c. 2. *Cum adhuc ei, propter vim aduerſariorum, non ius par, non agendi poteſtas eadem, non magiſtratus aequus reperiri potuerit.* Et c. 22. *Quid hoc tempore Quintio ſtatuendum eſt? cui nec magiſtratus adhuc aequus inuentus eſt, nec iudicium redditum eſt vſitatum.*

Non turpis] Nullo inſignis crimine.

E fundo] Gallicano.

In ſuis paternis bonis] Fundus ille C. Quintii, P. fratris, fuerat: itaque, *fraternis*, non, *paternis*, magis fortaſſe aliquis probabit. ſed eum fortaſſe fundum pater vtriusque C. Quintio proprium reliquerat.

Nihil alienum tamen vita ſuperiore commiſit] Nihil turpe. propterea enim dixit, *non turpis ad te, ſed miſer confugit.*

Ex hoc loco efferre] Quam hic relinquet, ſi tu eum condemnabis.

Pro ſpoliis] Tamquam victor exſultans.

Ne per te ferat] Ne accidat ei per te iudicem, vt honeſtatem ſuam nunc amittat: quam ad hanc diem recta et laudabili ratione partam, atque conſeruatam, vt ad exitum vitae retinere liceat, ſupplex a te petit.

Ad rogum] Cremari Romae mos fuit corpora mortuorum. quidam tamen cremati non ſunt, ſed humi locati, et conditi, vt C. Marius, cuius apud Anienem ſitas reliquias diſſipari victor Sulla iuſſit. quod idem ne ſuo fortaſſe corpori accideret: primum ex Corneliis patriciis cremari voluiſſe, auctor eſt Cicero lib. II. de Leg. c. 22. et ideo Ennium ait de Africano, qui Corneliae patriciae gentis fuit, ſcripſiſſe: *Hic eſt ille ſitus.* quia ſiti dicantur ii, qui conditi ſunt.

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM
PRO
SEX. ROSCIO AMERINO

ARGVMENTVM

L. *Chryſogonus, Sullae dictatoris libertus, Sex. Roſcii Amerini interfecti bona, tamquam vnius e proſcriptorum numero, coemerat: cumque Roſcium a Sulla proſcriptum non fuiſſe, ſatis exploratum haberet, vereretur que, ne quando filius eius, pro quo haec habita oratio eſt, paterna bona repeteret; induxit C. Erutium, qui eum de parricidio accuſaret, parricidiique cauſſam afferret, quod eum pater, in praedia ruſtica amandatum, exheredare cogitaret. Roſcium Cicero defendit, non minore animo, quam ingenio. libere enim in Chryſogonum, Sullae libertum, valdeque gratioſum, eſt invectus. Calumniam autem refellit tribus argumentis: primum, quod Roſcio, cur patrem odiſſe, ac ſe tam nefario ſcelere adſtringere deberet, cauſſae nihil eſſet: deinde, quod in duos potius Roſcios, Capitonem, et Magnum, cum quibus patri Roſcio veteres inimicitiae fuerant, eius maleficii ſuſpicio caderet: poſtremo, quod Chryſogonus, potentia ſua fretus, Roſcii patris bonis ab haſta minimo emtis, omni vi, atque ope contenderet, vt, eius vnico filio, quo incolumi patrimonium tam amplum et copioſum ſe poſſe obtinere non arbitraretur, damnato, et eiecto, tutius ea bona, nullo litis metu, perpetuo poſſideret. Abſolutum eſſe Roſcium, nemo, vt arbitror, dubitabit, qui verba illa in Bruto c. 90. legerit:* Prima cauſſa publica, pro Sex. Roſcio dicta, tantum commendationis habuit, vt non vlla eſſet, quae non digna noſtro patrocinio videretur. *Et illa lib. II. de Offic. c. 14.* Max me autem et gloria paritur et gratia defenſionibus, eoque maior, ſi quando accidit, vt ei ſubueniatur, qui potentis alicuius opibus circumueniri, vrgerique videatur. vt nos et ſaepe alias, et adoleſcen-

leſcentes, contra L. Sullae dominantis opes pro Sex. Roſcio Amerino fecimus. *Acta cauſſa eſt L. Sulla II. Q. Metello Pio coſſ. quaeſitore M. Fannio, cum annos Cicero XXVII. natus eſſet, vt Gellius lib. XV. c. 28. Aſconium ſecutus, oſtendit.*

EXPLANATIO

CAPVT I.

Summi *oratores, hominesque nobiliſſimi ſedeant*] Sedebant in ſubſelliis rei, non vt patroni, ſed vt aduocati.

Neque auctoritate] Nullis dum geſtis magiſtratibus.

Iniuriam nouo ſcelere conflatam] *Iniuriam*, quae Sex. Roſcio infertur, cum de patris interitu accuſatur ab iis, ad quos maxime facinoris eius culpa pertinet. *Nouo ſcelere*, quia duo ſcelera ſunt: vnum, occidiſſe Roſcii patrem, tamquam proſcriptum a Sulla, qui proſcriptus non erat, et eius bona, tamquam proſcripti, ab haſta coemiſſe: alterum, innocentem, ac miſerum eius filium, paternis bonis iniuſte priuatum, ne quando ea recuperare poſſet, de parricidio accuſare.

Propter iniquitatem temporum] Metu Sullae dominantis. nam ſatis conſtabat, et gratia valere plurimum apud Sullam libertum eius Chryſogonum, et ab eodem liberto oppugnari in iudicio Roſcium propter paterna bona. Sic igitur excuſat oratores, Roſcii amicos, qui tacerent, vt ſtatum temporum accuſet, nullo metu Sullae. quamquam, hac oratione habita, in Graeciam ſe contulit, aduerſam valetudinem ſimulans, reuera quod Sullae odium timeret. Plutarchus in Cicerone.

Officium ſequuntur] Cauſſam Roſcii metu Sullae non agunt; ei tamen, iniuſte vexato, adducti officio praeſentes fauent.

Id quod in hac cauſſa fieri neceſſe eſt] Defendi Roſcius non poteſt, niſi contra Chryſogonum verba fiant. Chryſogonum autem accuſare, quid aliud eſt, quam Sullam ipſum, cuius ille gratia nititur, et praeſentem reipublicae ſtatum in inuidiam vocare?

Ego] Cuius nec auctoritas, nec amplitudo eadem eſt.

Nondum ad rempublicam acceſſi] Nondum honores geſſerat, ac ne aetate quidem erat ſenatoria, quae XXX. annorum fuit, vt alio loco diximus.

Non modo ignoſcendi] Hoc quoque contra Sullam, qui, quos ciuili bello aduerſarios habuerat, eorum poſt victoriam ignouiſſet nemini.

Cognoſcendi] *Cognoſcere* de criminibus praetores dicebantur. eam cognitionem, Sulla dominante, liberam non eſſe, non obſcure narrat. Iudicabant autem hoc tempore ſoli ſenatores, lege Sullae: qui, equitibus iratus, quod a Marianis partibus ſteterant, cum aliis eos affecit incommodis, tum vero iudicandi munere, quod lege C. Gracchi per annos XL. tenuerant, priuauit: vt veriſimile ſit, qui lege Sullae dominantis iudicia, equitibus erepta, adminiſtrarent, eius voluntatem, cuius beneficio hono-

rem illum ac poteſtatem eſſent adepti, in iudicando potiſſimum ſpectare debuiſſe. Notetur lepidum παράγραμμα, *non modo ignoſcendi, verum etiam cognoſcendi.*

Vt dicerent] Vt Roſcium defenderent.

Saluo officio] Quia non, vt a me, contenderunt ii, qui apud eos et amicitia, et beneficiis, et dignitate plurimum poſſent. ita licuit iis Roſcii cauſſam ſaluo officio non ſuſcipere. quod mihi non licuit.

Contenderunt] De illis dixit, *petitum;* de ſe, *contenderunt;* in quo vis maior.

Auctoritatem] Cum auctores mihi ſunt, vt aliquid agam, ſicuti auctores fuerunt, vt Roſcii cauſſam ſuſciperem.

Voluntatem] Quam pro Roſcio ſummam oſtenderunt.

CAPVT II.

Ne omnino deſertus] Tacite opem implorat ab aequitate iudicum; cum Roſcius infirmo defenſionis praeſidio nitatur.

Sexagies] Quae ſunt, nummo noſtro, ſcutatorum CLXXX millia. Quod autem Cicero, *ſexagies,* Plutarchus CCL talenta dixit, quod idem eſt. nam talentum Atticum (id enim ſignificatur in Latinis monumentis, cum nihil additur,) ſcutatis valet DCCXX.

De viro clariſſimo] A viro clariſſimo. nota locutio. ad Sextium lib. V. Fam. epiſt. 6. *Quod de Craſſo domum emiſſem.*

Quem honoris cauſſa nomino] Cum neſcirent, nominari, necne, aliquis vellet, hoc addebant, vrbanitatis gratia, *quem honoris cauſſa nomino.* et hoc de viuis tantum: nam, ſi cuius mortui mentio fieret, omittebatur, vt exemplis intelligitur. paullo poſt c. 6. de familiis nobiliſſimis, Metellis, Seruiliis, Scipionibus, *quas familias*, inquit, *honeſtatis amplitudinisque gratia nomino.* nec multo poſt c. 10. *Romam confugit, et ſeſe ad Caeciliam, Nepotis filiam, quam honoris cauſſa nomino, contulit.*

Duobus millibus nummum] Scutatis ſexaginta. nummus enim, et ſeſtertius, idem ſunt. Plutarchus emta dicit duobus millibus drachmarum, quadruplicata ſumma, id eſt, octo millibus nummum. nam drachma, Graecus nummus, denario fere Romano reſpondet. denarius autem quattuor complectitur ſeſtertios.

Dicit emiſſe] Nam, ſi dixiſſet, *emit*, inuidioſum erat, et querela quaedam eſſe de ſtatu reipublicae videbatur, cum ea bona, quae eſſent ſexagies, duobus millibus nummum a Sulla venderentur: ſed ait: *dicit emiſſe:* vt oſtendat, in ea, non emta, Chryſogonum ſua ſponte, nullo iure fretum, Sullae gratia, inuaſiſſe.

Adoleſcens vel potentiſſimus hoc tempore noſtrae ciuitatis] Singula verba ad inuidiam Chryſogono concitandam valent. *Adoleſcens:* qui luxuriae, libidinique ſeruiat, rationis et prudentiae propter aetatem expers. *Vel potentiſſimus:* quae potentia, ſi mediocris eſſet, in adoleſcente non probaretur, ea vel ſumma eſt. *Hoc tempore:* cum ad vnum referantur omnia. *Noſtrae ciuitatis:* miſerabiliter dictum: vt ſi dixiſſet. Videte noſtram ciuitatem: in qua vel liberti

berti licere ſibi volunt, quidquid libet.

L. Cornelius] Et praenomen, et nomen accepit a patrono Sulla, more libertorum.

Is a vobis, iudices, hoc poſtulat] Mire, ad oſtendendam Chryſogoni audaciam, iniquiſſima poſtulatione vtentem inducit.

In alienam pecuniam] Pecuniae nomine bona Sex. Roſcii comprehendit omnia. *patrimonium* infra vocat: et quod hic, *tam plenam, atque praeclaram;* ibi, *tam amplum, et copioſum:* et paullo poſt, *opimam, praeclaramque praedam.*

Quoniamque ei pecuniae vita Sex. Roſcii obſtare atque officere videatur] Cauſſam indicat, cur accuſandum Roſcium Chryſogonus curauerit, et cur eundem condemnari cupiat.

Per ſcelus] Per necem Roſcii patris.

Per luxuriam effundere] Naturam, et conſuetudinem notat Chryſogoni, qui per ſcelus adepta, per luxuriam effunderet.

Vt ad hanc ſuam praedam, tam nefariam, adiutores vos profiteamini] Turpis et iniqua poſtulatio, oratorie exagitata ad convertendos iudicum animos ad miſerationem affliĉti et innocentis rei.

Quo modo mihi perſuadeo] Modeſte fingit id ſe credere, quod qui non credat, vir bonus eſſe non poteſt.

CAPVT III.

A Chryſogono peto] Vt ab adoleſcente potentiſſimo.

Quod in omnes intenditur] Argumentum a communi. nam, ſi Roſcius damnatur, periculum fortunis communibus impendet. tale illud pro Deiotaro c. 1. *Non tam affliĉtam regiam conditionem dolebam, quam de fortunis communibus extimeſcebam.*

Cauſſa criminis] Cauſſa, cur patrem Roſcius necare debuerit.

In deferendo nomine] In Roſcio accuſando.

Non recuſamus, quin illorum libidini Sex. Roſcii vita dedatur] In verbo, *dedatur,* ineſt haec vis: vt agant in eum aduerſarii pro ſumma poteſtate, quidquid libeat. Similiter pro Quintio c. 18. *Inferiorem eſſe ſeſe patitur, dumtaxat vsque eo, ne cum bonis, fama, fortunisque omnibus Sex. Naeuii cupiditati, crudelitatique dedatur.*

Quibus ſatis nihil eſt] Ob luxuriam, in Chryſogonum: de quo paullo ante c. 2. *Sperat ſe poſſe, quod adeptus eſt per ſcelus, per luxuriam effundere atque conſumere.*

Vos idoneos habitos] Quia Roſcium apud vos de parricidio accuſandum putarunt, ſperantes veſtris eum ſententiis condemnatum iri.

Id aſſequantur] Vt aliena bona poſſideant.

Ex ſenatu in hoc conſilium delecti eſtis] Delecti a praetore, de parricidiis quaerente, ex iis iudicibus, quos ex ordine ſenatorio, trecentos, vt opinor, quemadmodum ante legem Gracchi, ſortito educi hoc tempore lex Sullae iubebat.

A vobis] Eo de crimine cognoſcentibus.

Spoliis Sex. Roſcii] Tamquam hoſte deuiĉto.

Ornati] More viĉtorum.

CAPVT IV.

Veſtra dignitas] Cum, apud quos viros dicam, animaduerto. *Commode*, ad ingenium; *grauiter*, ad auctoritatem; *libere*, ad iniquitatem temporum refertur. haec enim ſibi obſtare dicit omnia.

Bonaque cum venia] Si quid peccauero, ſi qua in re defecero, propter eas cauſſas, quas proxime expoſui.

Fide] Quia puto vos pro fide veſtra, iureiurando obſtricta, ſententiam laturos eſſe.

Alleuabitis] Benigne me audiendo.

Studio et induſtria] Quidquid ſtudii, induſtriaeque potero, ad dicendum conferam.

Id quod non ſpero] Id quod non metuo. Eodem ſenſu Virgilius lib. IV. Aen. v. 420.

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.

Deponere] Translationem, in eo coeptam, *plus oneris ſuſtuli, quam ferre me poſſe intelligo*, multis deinde verbis exornatam, hoc denique concluſit.

M. Fanni] Praetor.

Cum huic idem quaeſtioni iudex praeeſſes] Iudicia de ſicariis ciuili bello intermiſſa fuerant. Sulla victor et rempublicam, et iudicia reſtituit. praefuerat igitur Fannius ante bellum huic quaeſtioni, iudex tamen, non praetor. nam praetor non iudicat, ſed quaerit de crimine, vnde quaeſitoris nomen: contra iudex quaeſtionis non quaerit, ſed iudicat, et quaeſtioni praeeſt. itaque in eodem iudicio et praetor eſt, et iudex quaeſtionis, vt in cauſſa Verris repetundarum, praetor M'. Acilius Glabrio, iudex quaeſtionis Q. Curtius. quod ſi praetor Fannius ei quaeſtioni tunc praefuiſſet: bis praetorem fuiſſe, cogeremur credere: quod inuſitatum fuiſſe, vno tantum, quod ſciam, M. Marii Gratidiani exemplo, ſatis conſtat. Differre etiam iudicem quaeſtionis a praetore, argumento illud eſt, quod praetor, ſeruaturum ſe eſſe leges, non iurabat; quod ex multis locis intelligitur; iudex autem quaeſtionis iurabat: quod quia minus notum, probandum videtur. eſt igitur in oratione pro Cluentio c. 33. de quaeſtionis iudice C. Iunio: *Multam petiuit. Qua lege? quod in legem non iuraſſet.* Accedit illa cauſſa, quod, qui praeturam gereret, condemnari eum in magiſtratu, mos non fuit. nam poſt magiſtratum, non in magiſtratu, reddere rationem oportebat earum rerum, quae quis in gerendo magiſtratu contra leges commiſiſſe putaretur: at C. Iunius, cum eſſet iudex quaeſtionis, tum eſt condemnatus. Nam Pedianum non audio, act. I. in Verr. c. 10. dicentem: *Iunius quaeſitor fuit in Cluentii cauſſa, Verre praetore.* ex quo ſequeretur, duos quaeſitores in eadem cauſſa fuiſſe, Iunium, et Verrem. et ipſe Pedianus alio loco (lib. I. in Verr. c. 61.) principem iudicem Iunium appellat, non excludens eum a numero iudicum, ſed principem ei locum tribuens. Aut igitur errauit Aſconius: aut mendoſi libri ſunt: aut, *quaeſitor*, pro, *quaeſtionis iudex*, dictum putemus. Obiici poteſt, vt ex contraria quadam ratione, Q. Voconium Naſonem, cuius quaeſtio fuit de veneficiis, iudicem quaeſtionis dici, cum praetor ſit. ſic enim in eadem

oratione c. 54. ſcriptum eſt: *Iubet lex ea, qua lege haec quaeſtio conſtituta eſt, iudicem quaeſtionis, hoc eſt, Q. Voconium, cum iis iudicibus, qui ei obuenerint, quaerere de veneno.* Reſpondetur, legem communiter loqui, nec praetorem, nec iudicem proprie ſignificare, ſed eum, cui iudices obueniſſent, quique iudicio praeeſſet. praeerat autem in Cluentii cauſſa non iudex quaeſtionis, ſed Voconius praetor, quaeſtionem illam ſortitus. ideo ſubiungit Cicero, *hoc eſt, Q. Voconium.* At iudices praetori obueniebant, non iudici quaeſtionis. Qui probatur? fieri enim poteſt, vt interdum ſine praetore iudex quaeſtionis iudicio praefuerit, et quaeſierit. quod ſi ita eſt: defenditur Aſconius, qui Iunium *quaeſitorem* appellauerit. nam Verrem, praetorem vrbanum, quaeſiiſſe de veneno, mihi quidem veriſimile numquam fiet.

CAPVT V.

Longo interuallo] Dixi iam, aliquot annis propter ciuile bellum, cum ſumma eſſet in vrbe gladiorum licentia, caedesque maximae fierent, intermiſſa fuiſſe de ſicariis iudicia: quippe, cum dominarentur ii, quorum iuſſu, permiſſuue caedes fierent.

Hoc primum committitur] Gratia, et potentia Chryſogoni, Roſcium de medio tollere cupientis. *Committitur*, proprie, de re, cuius initium fit, vt *committere ludos*, apud Ciceronem; *proelium*, apud Caeſarem, *ſpectaculum*, apud Liuium, pro incipere.

Hanc quaeſtionem] Tibi hoc anno ſorte datam.

Quotidianoque ſanguine] Vt in victoria ſolet accidere, ſuum quemque inimicum, ſpretis legibus, vlciſcente.

Qui cauſſam dicimus] Qui rei ſumus. *cauſſam enim dicere*, reorum eſt: et, *cauſſam dixit de repetundis, de ambitu, de maieſtate*, quae crebro reperiuntur, nihil aliud eſt, quam, accuſatus eſt de repetundis, de ambitu, de maieſtate.

Hic in foro, ante tribunal tuum] In foro iudicia fiebant, in ea parte, quae comitium vocabatur, in baſilicis.

Inter ipſa ſubſellia] Trina ſubſellia erant, iudicum, reorum, accuſatorum. Aſconius in Diuin. c. 15. minorum quoque magiſtratuum, qui non ſederent in ſellis curulibus, vt tribunorum, triumvirorum, quaeſtorum, ait ſubſellia fuiſſe, tribunalia vero praetorum.

Bono fuit] Cum in eius bona inuaſerint. quod argumento eſt, ab ipſis occiſum eſſe. idque potiſſimum in cauſſis quaerendum eſſe, L. Caſſius ille, qui ſcopulus reorum ob nimiam ſeueritatem dictus eſt, exiſtimabat. infra c. 30. *L. Caſſius ille, quem populus Romanus veriſſimum et ſapientiſſimum iudicem putabat, identidem in cauſſis quaerere ſolebat, cui bono fuiſſet.* Pro Milone c. 12. *Illud Caſſianum, cui bono fuerit, in his perſonis valeat.* Quo loco Aſconius, *L. Caſſius,* inquit, *fuit ſummae vir ſeueritatis. quoties quaeſitor iudicii alicuius eſſet, in quo quaereretur de homine occiſo, ſuadebat, atque etiam praeibat iudicibus, hoc quod Cicero nunc admonet, vt quaereretur, cui bono fuiſſet perire eum, de cuius morte quaereretur.*

retur. Idem obiicit Antonio de morte Caeſaris Phil. II. c. 14. *Quod ſi te*, inquit, *in iudicium quis adducat, vſurpetque illud Caſſianum, cui bono fuerit: vide, quaeſo, ne haereas.*

Trucidetur] Nam, vt infra c. 11. dicitur, aduerſarii eius ad iudicium cum ferro, telisque venerant, freti potentia Chryſogoni, Sullae liberti.

Quos populus poſcit] Ad poenam, propter caedes, aliaque ſcelera. De Chryſogono maxime dictum videtur.

Reipublicae calamitatem] In qua haec impune fiant. in Sullam.

CAPVT VI.

Sui municipii] *Municipia* dicta, quia muneris partem caperent, ciuitate Romana donati. Sed a principio data ciuitas eſt ſine ſuffragio: poſtea ius quoque ſuffragii conceſſum. et ſua cuiusque municipii tribus erat, in qua cenſebatur, et ſuffragium ferebat. Aſconius act. I. in Verr. c. 18. *Conuenerat ex municipiis cuiuscumque modi multitudo, aut, propter comitia, ſuffragiorum cauſſa, aut vt cenſerentur.* Ex munucipiis autem multi Romam profecti, magiſtratus, etiam maiores, adepti ſunt, vt Tuſculo Ti. Coruncanius, et M. Cato ille cenſorius. ſed municipiorum triplex diuerſis temporibus conditio fuit. Primum ciuitas aliis cum ſuffragio, aliis ſine ſuffragio data fuit: quibus autem cum ſuffragio, iis magiſtratus petere licebat, et Romanis legibus vtebantur: quibus ſine ſuffragio, magiſtratus non petebant, ſuis, non Romanis legibus viuebant, vel ſua ſponte, quod ſeruandarum legum Romanarum onere libenter vacarent, vel quod ita populo Romano viſum eſſet. Hanc varietatem vsque ad legem Iuliam manſiſſe arbitror: quae ſocialis belli anno primo, in ſummo reipublicae diſcrimine, ſociorum irae placandae cauſſa a Sex. Iulio conſule lata, municipiorum, vt arbitror, omnium iura exaequauit, nullo ferendi ſuffragii poteſtate excluſo. Haec denique mutata conditio eſt, cum municipes libertatem ſuam, Romanis ſolutam legibus, ſuffragio, et magiſtratibus anteferrent. id perſpicue docet Gellius lib. XVI. c. 13. cum ait, *Praeneſtinos maximo opere a Tiberio Imperatore petiiſſe oraſſeque, vt ex colonia in municipii ſtatum redigerentur: idque illis Tiberium pro referenda gratia tribuiſſe, quod in eorum finibus, ſub ipſo oppido, ex capitali morbo reualuiſſet.* Quo loco ſubiungit haec: Municipes *ergo ſunt ciues Romani ex municipiis, legibus ſuis et ſuo iure vtentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes, a quo munere capeſſendo appellati videntur, nullis aliis neceſſitatibus, neque vlla populi Romani lege adſtricti.* Quis non videt, haec ab ea conſuetudine, quae poſt Iuliam legem fuit, admodum differre, et municipia Romanos honores contemnere coepiſſe, qua in ſententia ante legem quoque Iuliam nonnulla fuiſſe, ex Liuio, et Cicerone intelligitur.

Metellis, Seruiliis, Scipionibus] Metellis, Seruiliis, plebeii generis; Scipionibus patricii. erant autem hae tres familiae propinquitate coniunctae. Seruilios enim et Scipiones Metellarum

rum filios fuiſſe, auctor eſt Cicero in ea poſt réditum ad Quirites c. 3. poteſt autem ſignificare Q. Metellum Nepotem, patrem eius, qui cum Lentulo Spinthère conſul fuit, et Seruilium illum, qui ſequenti anno conſulatum cum C. Curione geſſit, et de Iſauris ex Cilicia triumphauit. vnde Iſaurici cognomen: Scipionem autem illum, cuius filius Pompeii Magni ſocer fuit, conſulatumque geſſit, cum ipſo Pompeio III conſule. horum enim filii adoleſcentuli, vel pueri potius erant hoc tempore.

Nobilitatis] Sullanarum partium. nam optimates pro Sulla, plebs, et equeſter ordo pro Mario pugnauit.

Hoc tumultu proximo] C. Marii filio, et Cn. Carbone coſſ. quo anno Sulla, caeſis, aut Italia pulſis inimicis, rerum potitus eſt.

Propter quos] Nam Metelli, Seruilii, Scipiones, paullo ante nominati, in Sullae partibus fuerunt.

Quorum alterum] T. Roſcium Magnum.

Alterum] T. Roſcium Capitonem.

Huiusce] Sex. Roſcii filii, qui reus erat.

Qui adeſt] Quem ſedere dixit in accuſatorum ſubſelliis.

Alter] Capito, qui aberat.

Plurimarum palmarum] Qui multas caedes commiſit. infra c. 30. *Alias ſuas palmas cognoſcet. Palmas* nominat, quia palmis gladiatores poſt victoriam coronabantur, auctore Gellio lib. III. c. 6. *Gladiatorem* vocat, vt peritum armorum tractandorum, et in caede verſatum.

Hic] Magnus, qui adeſt.

Se ad eum laniſtam contulit] Vt erudiretur ab eo, interficiendorum hominum ſcientia.

CAPVT VII.

Hic Sex. Roſcius] De quo coepi verba facere, cui duobus cum T. Roſciis inimicitias fuiſſe dixi.

Iſte] Magnus.

Voluntate patris] Non ablegatus ab eo, vt accuſatores obiiciunt, inde parricidii cauſſam ſumentes.

Iſte autem frequens Romae eſſet] Iterat idem de Roſcio Magno, vt ſuſpicionem iniiciat eius inſidiarum in vitam Sex. Roſcii. et haec eſt altera cauſſa, vnde ſuſpicio naſcitur: prima vero illa, quod Sex. Roſcii inimicus.

Ex hoc ipſo] Quod occiditur Sex. Roſcius, cum inimicus eius T. Roſcius Romae eſſet.

Hunc] Sex. Roſcium filium.

Manlius (Ern. *Mallius*) *Glaucia*] Ex antiquo Maffeiorum libro, *Mallius*, lego, non *Manlius*, item infra c. 34. eodemque modo legendum in ea pro Murena c. 17. *a Cn. Mallio*, non, *a Cn. Manlio:* et in ea pro Plancio c. 5. *Mallium*, non, *Manlium:* ſuffragantibus vbique antiquis libris, nec dubia veritate, cum nobiles Manlii, ignobiles admodum Mallii fuerint. Et hic ſubiicitur, vt de obſcurae conditionis homine, *quidam, homo tenuis, libertinus. cliens et familiaris iſtius T. Roſcii.* Irrepſit hoc mendum in alios quoque libros. nam quod eſt lib. XIII. Fam. epiſt. 30. ad Acilium: *L. Manlius eſt Soſis*, legitur in antiquis, *L. Mallius.*

Tenuis] Pauper: vt eum ad facinus paupertas impuliſſe videatur;

deatur; qui praeſertim et cliens, et familiaris T. Roſcii Magni, qui Romae erat, cum illa commiſſa caedes eſt. infra c. 31. *Quid ſi accedit eodem, vt tenuis antea fueris?*

Libertinus] Locus poſtulat, vt de libertis, et libertinis dicamus aliquid, communis intelligentiae cauſſa. *Libertus, et libertinus* interdum differunt, interdum idem ſunt. vtrumque patet, ſi tempora diſtinguantur. nam priſcis temporibus, id eſt, ante Appium Caecum cenſorem, et aliquanto poſt *liberti* vocabantur, qui manumiſſi fuerant, *libertini* autem ex his nati. Ciceronis vero aetate, et ante aliquanto, et poſt, *liberti* et *libertini* iidem dicti, id eſt, qui manumiſſi fuerant. quam diu autem libertini vocabantur ii, qui ex libertis nati erant, tunc ingenuitas incipiebat in libertinorum filiis, nepotibus eorum, qui aliquando ſervitutem ſeruierant. Sed, vbi libertinorum nomen ad ipſos, qui ſeruierant, tranſiit, tunc ingenui erant, non libertinis, vt antea, ſed libertis nati. ex quo emergit, habita duarum aetatum ratione, duplex libertini, duplex item ingenui definitio: libertini, vt: *Libertinus eſt liberti filius.* quae definitio in ſuperiorem aetatem conuenit. item: *Libertinus eſt, qui manumiſſione libertatem conſequitur.* quae definitio ad poſteriorem aetatem pertinet. Duplex libertini definitio, duplicem ingenui definitionem parit. nam, ſi vna tantum eſſet, vnam ſimiliter ingenui definitionem oporteret eſſe. Prior haec: *Ingenuus eſt, qui libertinum patrem habuit.* quae definitio priorem ſequitur libertini definitionem. Poſterior: *Ingenuus eſt, qui ex liberto natus eſt.* quae definitio ad poſteriorem accedit libertini definitionem. Primum igitur non *libertini*, ſed *liberti* vocabantur, qui aliquando ſervierant, *libertini* autem eorum filii: poſtea *libertini* illi ipſi, qui ſeruierant. qua de re, quod in Claudio c. 24. ſcripſit Suetonius, operae pretium eſt ſcire. *Latum clauum*, inquit, *quamuis initio affirmaſſet, non lecturum ſe ſenatorem, niſi ciuis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit: ſed ſub conditione, ſi prius ab equite Romano adoptatus eſſet. Ac ſic quoque reprehenſionem verens, etiam Appium Caecum cenſorem, generis ſui proauctorem, libertinorum filios in ſenatum allegiſſe docuit: ignarus, temporibus Appii, et deinceps aliquandiu, libertinos dictos, non ipſos, qui manumitterentur, ſed ingenuos, ex his procreatos.* Quem locum ita interpretor. Affirmauerat Claudius, nolle ſe quemquam in ſenatum legere, niſi antiquo more: poſtea tantum abeſt, vt antiquam conſuetudinem ſeruauerit, vt recentiorem etiam, quae aliquid amplius concedebat, neglexerit. Antiquus mos hic fuerat, ne ſenator eſſe poſſet, qui abavum ſuum ciuem Romanum nominare non poſſet: vt quam longiſſime a ſeruili ſorde et faece diſtaret. per hos enim quaſi gradus ad ingenuitatem adſcenſus olim dabatur. Libertus ciuis erat, ſed publico nullo, niſi apparitoris, aut coactoris fungebatur munere. apparitores autem erant ſcribae, praecones, interpretes, accenſi, lictores, viatores, ſtatores. haec enim veteres munera, vt Ciceronis ad fratrem epiſtola declarat,

clarat, libertis deferebant, excepto tamen ſcriptu: poſtea vero ſcribae quoque liberti fuere. In quattuor autem vrbanis tribubus, quas ruſticis ignobiliores fuiſſe Plinius lib. XVIII. c. 3. docet, ſuffragium libertos tuliſſe conſtat, ne cum ingenuis confunderentur. Libertinus, liberti filius, eodem iure. Libertini filius, liberti nepos, ingenuus erat, ideoque iure meliore: ferebat enim ſuffagium in tribu ruſtica vt ingenuus; magiſtratus tamen non capiebat; neque ſenatorii, neque equeſtris erat ordinis, ſed tertii, id eſt, de plebe. huius generis priſca aetate ſcribas fuiſſe, exemplo cognoſcitur Cn Flauii ſcribae, libertino patre nati: qui creatus aedilis non fuiſſet, niſi tabulas poſuiſſet, ſcriptu ſeſe abdicaſſe. creatum autem nobilitas aegerrime tulit, vt prae dolore annulos depoſuerit. Liuius lib. IX. c. 46. Plinius lib. XXXIII. c. 1. Gellius lib. VI. c. 9. Ingenuus, ingenui filius, libertini nepos, liberti pronepos, meliore, quam pater, iure. eques enim Romanus eſſe poterat, ſed aditum in curiam non habebat. quod e Suetonii verbis elicitur: qui ſenatorium ordinem tribui ſolitum a veteribus oſtendit, non ciuium Romanorum pronepotibus, verum abnepotibus. Ingenuus, ingenui filius, et nepos, libertini pronepos, liberti abnepos, meliore, quam pater, et auus, iure. in ſenatum enim legi poterat, et honores, magiſtratusque capere. Eſt igitur hic ingenuus, poſtremo nominatus, ciuis Romani abnepos. ex hoc genere lecturum ſe ſenatores, et ex antiquo inſtituto, Claudius affirmauerat: ſed ita ſententiam mutauit, vt non modo pronepotem, aut nepotem, ſed filium eius Romani ſenatorem legerit, cuius pater aliquando ſeruitutem ſeruierat. mox agnovit culpam, et vitari eam a ſe credidit, ſi is, quem lecturus erat, ab equite Romano prius adoptatus eſſet. Ita videbatur, cum legeret equitis Romani filium adoptiuum, legere ciuis Romani abnepotem. nam eques, vt oſtendi iam, non poterat eſſe, qui pronepos ciuis Romani non eſſet: ita filius equitis, abnepos erat ciuis Romani. Sed, quoniam pater adoptiuus, et naturalis non idem ſunt: ideo veritus Claudius, ne lectionem illam ſuam aliquis, vt inuſitatam, reprehenderet, quod malitioſa fraus in quaeſito per adoptionem equeſtris ordinis patre cerneretur, alia quadam ratione ſuum factum excuſare conatus eſt: dixit enim, ſe Appii Caeci exemplo ſenatorem legiſſe, libertini filium, ignarus, non eosdem aetate Appii Caeci, qui erant aetate ſua, libertinos fuiſſe. nam Appii temporibus, et deinceps aliquandiu, libertinus dicebatur liberti filius: poſtea vero, quaſi via breuiore ad ingenuitatem patefacta, libertinus appellatus eſt, qui antea libertus vocabatur, id eſt, is, qui ſeruitutem aliquando ſeruierat, et manumiſſus libertatem adeptus erat. ita veteris libertini filius a ſeruitute longius, quam noui libertini filius, aberat: cum ille auum liberum nominare poſſet, hic non poſſet. Quod autem ſubiunxit Suetonius, *libertinos dictos, non ipſos, qui manumitterentur, ſed ingenuos, ex his procreatos:* contraria loqui videtur: quia, ſi erant ingenui, qua ratione libertini dicebantur? Verum in eo rationem habuit

habuit eius temporis, quo ipſe haec litteris mandabat. quaſi diceret: *Libertini* tunc vocabantur, qui hodie ſunt ingenui, ex manumiſſis procreati. quem morem idem Suetonius confirmat in Auguſto c. 74. *Valerius*, inquit, *Meſſalla tradit, neminem vmquam libertinorum adhibitum ab eo cenae, excepto Mena, ſed aſſerto in ingenuitatem.* Inter libertinos nominat Menam; quem libertum fuiſſe Pompeii Magni, notum eſt. Idem in vita Otacilii rhetoris de clar. Rhet. c. 3. vocat eum libertinum, quem ſerviſſe iam dixerat. Et in vita Saevii Nicanoris de illuſtr. Grammat. c. 5. *Fecitque, praeter commentarios, quorum tamen pars maxima intercepta dicitur, ſatiram quoque: in qua, libertinum ſe, ac duplici cognomine eſſe, hoc indicat.* At is in ſatirae verſibus, qui ſubiunguntur, *libertum* ſe nominat. Et Valerius Max. lib. VI. c. 2. Aelium Manciam libertini filium appellat, eundemque paullo poſt redolere ait paternam ſervitutem. Varro lib. VII. de ling. Lat. *Alii nomina habent ab oppidis; alii aut non habent, aut non, vt debent, habent. habent plerique libertini a municipio manumiſſi. Libertinos* appellat manumiſſos. Quinctilianus etiam lib. V. c. 10. *qui ſeruus*, inquit, *eſt, ſi manumittatur, ſit libertinus, non itidem addictus.* Idem lib. VII. c. 3. *Seruus, cum manumittitur, fit libertinus: addictus, recepta libertate, eſt ingenuus.* Et Martialis lib. III. epigr. 33. infra ingenuam ſtatim libertinam ponit, infra libertinam vero ancillam:

Ingenuam malo: ſed, ſi tamen illa negetur,
Libertina mihi proxima conditio eſt.
Extremo eſt ancilla loco: ſed vincet vtramque,
Si facie nobis haec erit ingenua.

Nec obſcure de libertinis Cicero loquitur lib. II. ad Attic. epiſt. 1. cum ait: *An libertinis, atque etiam ſeruis ſeruiemus?* Nam ſervis conditione proximi ſunt liberti, nihil intereſt medium. Ad hanc poſteriores iurisconſulti conſuetudinem reſpexere, ingenuum ſic definientes: *Ingenuus eſt, qui ſtatim vt natus eſt, liber eſt.* ſic enim ingenuitas datur ei, qui liberto natus ſit.

Ciſiis] Genus vehiculi fuit, duabus rotis velociſſime currentis. Phil. II. c. 31.

Volaterras] Quod municipium, Marianis amicum partibus, obſeſſum cum in deditionem accepiſſet, agrum eorum publicavit, neque diuiſit. ex quo illud ad Valerium Orcam lib. XIII. Fam. epiſt. 4. *Summo ſtudio populi Romani a me in conſulatu meo defenſi ſunt. Cum tribuni plebis legem iniquiſſimam de eorum agris promulgauiſſent: facile ſenatui populoque Romano perſuaſi, vt eos ciues, quibus fortuna peperciſſet, ſaluos eſſe vellent.*

Tiberim] Non ſub vrbe, ſed qua fluit ad vrbem verſus, in Amerino agro.

Societas coitur] Inter Chryſogonum, duosque T. Roſcios.

CAPVT VIII.

Cum iam proſcriptionis mentio nulla fieret] Deſierat iam proſcriptio,

ſcriptio, ſic, vt eius mentio nulla fieret.

Manceps ſit] Emit eius bona in auctione, tamquam proſcripti: cum neque tum proſcriptionis mentio vlla fieret, et nobilitatis, id eſt, Sullanarum partium, ſtudioſiſſimus fuiſſet Roſcius.

Deſpexerit] Oculos demiſerit.

Felix ſit] Quod ſibi cognomen adſciuerat.

Libertum] Tacite carpit Chryſogonum.

Ampliſſimae pecuniae] *Pecuniam* pro bonis poſuit, vt ſupra c. 2. *Quoniam in alienam pecuniam, tam plenam atque praeclaram, nullo iure inuaſerit.* infra c. 9. *Neque ſeſe arbitrari poſſe diutius alienam pecuniam, domino incolumi, obtinere.* Hermogenianus L. 222. D. de verb. et rer. ſignif. *Pecuniae,* inquit, *nomine, non ſolum numerata pecunia; ſed omnes res, tam ſoli, quam mobiles, et tam corpora, quam iura, continentur.*

Inſolens] Diſſolutus, profuſus. id enim valet, *inſolens.* ad Paetum lib. IX. Fam. epiſt. 20. *In Epicuri nos aduerſarii noſtri caſtra coniecimus, nec tamen ad hanc inſolentiam: ſed ad illam tuam lautitiam.* Phil. IX. c. 6. *Mirifice Ser. Sulpicius maiorum continentiam diligebat: huius ſaeculi inſolentiam vituperabat.*

CAPVT IX.

Ne iter quidem ad ſepulcrum patrium] Ne agrum quidem illum, per quem ad ſepulcrum patrium iter erat. ſepulcra tunc in vrbibus non erant, ſed in agris. ideo ſepulcrorum veterum inſcriptiones cum alibi circa vrbem Romam, tum in Appia via repertae ſunt plurimae.

T. Roſcium] Magnum, qui, praeter tria praedia, T. Roſcio Capitoni tradita, in reliquas omnes Sex. Roſcii fortunas Chryſogoni nomine inuaſerat.

Decurionum decretum] Senatus Amerini.

Decem primi] Legationis nomine creati, in quibus Capito fuit, qui collegis aditum ad Sullam praecluſit, ſuam potius cauſſam agens, quam publicam. infra c. 44.

In caſtra] Volaterras.

Vt mori mallet, quam de his rebus Sullam doceri] Sullam excuſat.

Homines antiqui] Minime callidi, probo ſimplicique ingenio, quales erant veteres illi.

CAPVT X.

Nepotis filiam] Duo Metelli Nepotes fuere, pater, et filius. pater cum T. Didio conſul fuit, filius cum Lentulo Spinthere, qui Ciceronem ab exſilio reſtituit. filius hoc tempore adoleſcens admodum fuerit, neceſſe eſt: itaque filia eius nullo pacto eſſe potuit. num igitur eius, qui cum Didio conſul fuit? dicam, quod ſentio. Balearici Metelli, qui Nepotis pater fuit, hanc eſſe filiam arbitror, Nepotis autem ſororem. in quam ſententiam ipſa me ducunt verba Ciceronis, quae ſunt infra c. 50. *Quaſi vero,* inquit, *neſcias, hunc et ali et veſtiri a Caecilia, Balearici filia, Nepotis ſorore, ſpectatiſſima femina.* Verba vero, quae ſequuntur, ſatis indicant, eam fuiſſe Balearici filiam, Macedonici nepotem, Nepotis ſororem. nam, cum ſubiungit,

git, *patrem clariſſimum*, de Baleārico loquitur, conſulari, ac triumphali viro: cum, *ampliſſimos patruos*, de tribus Balearici fratribus, Lucio, Marco, Caio, qui omnes, geſto conſulatu, triumpharunt, Lucius de Dalmatis, vnde Dalmatici cognomen eſt adeptus, Marcus de Sardis, Caius ex Thracia. quae ſi vera eſſe conſtat: dubitare iam non licet, quin, quod ſubiicitur, *ornatiſſimum fratrem*, de Nepote, Balearici filio, dicatur. Locus igitur hic omnino correctionem deſiderat: et corrigendi viam, ac rationem alter inferior locus non difficilem oſtendit.

Quam occiſus in proſcriptos] Vt pater eius; quem non proſcriptum tamen occiderunt; occiſum, vt eius bona iure poſſidere videantur, proſcriptum fuiſſe dicunt.

Tempore ipſo] Occaſione temporis, quod hic longo interuallo primus de parricidio cauſſam dicat.

Quod iudicia tam diu facta non eſſent] Propter bella ciuilia.

Qui primus] Non primus ex quocumque crimine, ſed primus de parricidio. nam, cum biennio ante Sulla victor et vrbe, et vniverſa republica potitus eſſet; quis credat nulla tot menſibus iudicia fuiſſe? adiuuant hanc opinionem, quae ſupra c. 5. dicta ſunt: *Longo interuallo iudicium inter ſicarios hoc primum committitur.*

De iſta ſocietate] Inter Chryſogonum, Capitonem, et Magnum: qui Sex. Roſcii fortunas inter ſe diuiſerant.

CAPVT XI.

Infeſta] Paſſiue dictum. vt pro Coelio c. 4. *Tempus aetatis aliorum libidine infeſtum.* Et de Prou. c. 2. *Via excurſionibus barbarorum infeſta.*

Ceruices] Saepe appetitas. hoc enim ad illud refertur: *Filii vita infeſta, ſaepe ferro atque inſidiis appetita.*

Roſcio] T. Roſcio Magno, qui aderat.

Supplicium parricidarum (abeſt ab Ern.)] Recte videntur ſentire, qui gloſſema putant.

Patronos] Eloquentia nobiles.

Deſunt] Quia metu tacent, cum tamen aduocati adſint. Modeſte ſe ipſum patronorum numero non adiungit.

Vim mihi maiorem adhibere metus] Eam vim, qua deterritus ab officio deſciſcam.

Quam fides] Fidei vis apud me maior erit, quam earum rerum, quae metum afferre videantur.

Patrem meum, cum proſcriptus non eſſet, iugulaſtis] Praeclara rei querentis inductio, vt infra c. 50. *Praedia mea tu poſſides; ego aliena miſericordia vivo: concedo: et quod animus aequus eſt, et quia neceſſe eſt. mea domus tibi patet, mihi clauſa eſt: fero. familia mea maxima uteris, ego ſeruum habeo nullum: patior, et ferendum puto. Quid vis amplius? quid inſequeris? quid oppugnas?*

CAPVT XII.

C. Fimbriam] Eius filium, qui cum C. Mario conſul fuerat.

Inſaniſſimum] In Bruto c. 66. *Qui omnia magna voce dicens, verbo-*

verborum ſane bonorum curſu quodam incitato, ita furebat tamen, vt mirarere tam alias res agere populum, vt eſſet inſano inter diſertos locus.

In funere C. Marii] Qui ſeptimi conſulatus menſe primo deceſſit.

Q. Scaeuola] Pontifex maximus, qui conſul fuerat cum L. Craſſo.

Diem Scaeuolae dixit] *Diem dicere*, id eſt, ad populum accuſare, priuati hominis non erat, ſed proprie tribunorum plebis, quo tum in magiſtratu Fimbriam fuiſſe crediderim. in Diuin. c. 20. *Nuper Cn. Domitium ſcimus M. Silano diem dixiſſe.* In Bruto c. 48. *M. Virgilius, qui tribunus plebis L. Sullae imperatori diem dixit.*

Poſſe viuere] Vſitatus loquendi modus. in epiſt. Sulpicii, lib. IV. Fam. epiſt. 12. *Duo vulnera accepiſſe, vnum in ſtomacho, alterum in capite, ſecundum aurem: ſperare tamen, eum viuere poſſe.*

Quo] Fimbriae facto.

Eiusdem viri mortem] Non periit Scaeuola ex eo vulnere, ſed triennio poſt. Damaſippi praetoris vrbani iuſſu, ex voluntate C. Marii Iunioris conſulis. Velleius lib. II. c. 26. Appianus lib. I. de bell. ciu. Cicero lib. III. de Nat. deor. c. 32.

Vt omnes ciues ſuos perdiderit atque afflixerit] Pacis auctore interfecto.

Hoc] Quod ab aduerſariis Sex. Roſcii committitur.

Non ſimillimum] Pro, *nonne eſt hoc illi dicto, atque facto Fimbriae ſimillimum?*

A Chryſogono] Liberto, qui tantum audet.

CAPVT XIII.

Roſcii] Capito, et Magnus.

Scelestum, ac nefarium facinus, atque eiusmodi] Cum nullo ſatis verbo id, quod volumus, exprimi videtur poſſe, ita concludimus, *atque eiusmodi.* Sic locutus et ad Craſſum lib. V. Fam. epiſt. 8. *Non enim fuit aut mediocre, aut obſcurum, aut eiusmodi, quod ſilentio poſſet praeteriri.*

Ne obiiciendi quidem cauſſa] Nedum vt iis argumentis parricidium probare conareris.

CAPVT XIV.

Eam quoque] Vt filio, cur patri mortem obtulerit; ſic patri, cur filium non amaret, cauſſam fuiſſe iuſtam, magnam, perſpicuam, neceſſe eſt.

Conſtantiſſimus] Qui leuioribus cauſſis, vt eum, quem genuerat, non amaret, adduci non poſſet.

CAPVT XV.

Accidebat] Cum Roſcium accuſaret.

Illius ordinis] Honeſtiſſimi, qualis fuit Sex. Roſcius.

Attenta] Augendae rei domeſticae dedita.

CAPVT XVI.

Senex ille Caecilianus] Quem Caecilius poeta comicus induxit.

CAPVT XVII.

Quid cenſes hunc ipſum Sex. Roſcium] In hoc ambitu verborum cur de mendo homines pereruditi

eruditi ſuſpicati ſint, mihi quidem cauſſa non videtur. nam, quod ſequitur, *quo ſtudio, et qua intelligentia eſſe in ruſticis rebus?* ſimiliter locutum eſſe video Ciceronem aliis in locis, vt lib. I. de Orat. c. 17. *Quid cenſes, ſi ad alicuius ingenium vel par, vel maius illa, quae ego non attigi, acceſſerint, qualem illum, et quantum oratorem futurum?* Et in Rullum II. c. 17. *Quid cenſetis, cum iſti decemuiri cum imperio, cum faſcibus, cum illa delecta finitorum iuuentute per orbem terrarum vagabuntur? quo tandem animo, quo metu, quo periculo miſeras nationes futuras?* Et lib. II. de Offic. c. 7. *Quid enim cenſemus ſuperiorem illum Dionyſium, quo cruciatu timoris angi ſolitum? qui cultros metuens tonſorios, candenti carbone ſibi adurebat capillum? quid? Alexandrum Pheraeum, quo animo vixiſſe arbitramur?*

Callidior] Peritior. ſupra c. 10. veterem accuſatorem vocavit.

Quoniam ita Chryſogono videtur] Amare in Chryſogoni potentiam.

Artificium] Quo excellit in agro colendo.

CAPVT XVIII.

Atilium] Qui primus a ſerendo Serranus dictus eſt. triumphauit de Poenis.

Qui miſſi erant] Vt conſulem eſſe factum nunciarent. Valerius Max. lib. IV. c. 4. Plinius lib. XVIII. c. 3.

Non alienos cupide appetebant] Vt Chryſogonus, et Roſcii.

Ad gubernacula reipublicae ſedere] Saepe vtitur Cicero hac translatione, vt ad Paetum lib. IX. Fam. epiſt. 15. *Catulum mihi narras, et illa tempora. Quid ſimile? ne mihi quidem ipſi tunc placebat, diutius abeſſe ab reipublicae cuſtodia. ſedebamus enim in puppi, et clauum tenebamus. nunc autem vix eſt in ſentina locus.* pro Sextio c. 9. *Clauum tanti imperii tenere, et gubernacula reipublicae tractare.*

CAPVT XIX.

Huiusce] Filii, qui nunc reus eſt.

Horum] Iudicum.

Quid eſt aliud, iudicio ac legibus, ac maieſtate veſtra abuti] Modus reprehendendi, Ciceroni familiaris, cum quadam iracundia. exempla de multis afferam pauca. in Piſonem c. 20. *Quid eſt aliud furere, niſi non cognoſcere homines, non cognoſcere leges, non ſenatum, non ciuitatem?* Phil. I. c. 9. *Quid eſt aliud adhortari adoleſcentes, vt turbulenti, vt ſeditioſi, vt pernicioſi ciues velint eſſe?* Phil. II. c. 4. *Quid eſt aliud, tollere e vita vitae ſocietatem, quam tollere amicorum colloquia abſentium?* Phil. V. c. 2. *Quid eſt aliud, omnia ad bellum ciuile hoſti arma largiri?* et c. 8. *Quid erat aliud, niſi denunciare populo Romano ſeruitutem?* Phil. X. c. 2. *Quid eſt aliud, librarium Bruti laudare, non Brutum?* Phil. XII. c. 6. *Quid eſt aliud, non pacem facere, ſed differre bellum?*

Legem Memmiam (Ern. *Remmiam*)] Lex Remmia de calumniatoribus nominatur L. 1. §. 2. D. ad SC. Turpil. L. 13. D. de teſt. Itaque libentius hic *Remmiam*, quam *Memmiam*, legerem. nam

nam Memmia contra calumniatores non fuit, ſed eorum, qui reipublicae cauſſa abeſſent, ſi quis eos accuſaret, recipi nomina vetabat.

CAPVT. XX.

Miſerum eſt] Innocentem accuſari.

Suſpicioſe] Ad commouendam in animis iudicum ſuſpicionem.

Anſeribus cibaria publice locantur] Quorum clangore noctu adſcendentes in Capitolium Galli proditi ſunt. nota hiſtoria ex Livio lib. V. c. 47. Plinio lib. X. c. 22. Plutarcho in Camillo, et de Fortuna populi Rom.

Canes aluntur in Capitolio] Hoc nulla traditur hiſtoria: contra potius, dormiſſe eos, legimus, cum, Gallis adſcendentibus, anſerum clangore vigiles excitati.

Cibaria vobis praeberi videmus] Mercedem accuſandi.

Sic agetis] Vt nunc agis, Eruti, qui Roſcium de parricidio innocentem accuſas.

Crura quidem vobis nemo ſuffringet] Vt ſuffringerentur canibus, ſi luce latrarent, cum deos aliqui ſalutatum veniſſent.

Hos] Iudices.

Litteram illam] Condemnationis notam, C. tribus enim inſcriptae litteris erant iudicum tabellae; A, cum abſoluerent; C, cum damnarent; N. L. in cauſſa dubia, cum non liqueret. Alii aliter hunc locum interpretantur: quorum ſententiae non accedo: cum ſatis conſtet, ſi quis accuſaretur de calumnia, in eius iudicio tres illas, quas nominaui, litteras neceſſarias fuiſſe. poterat enim item vt alii rei, vel abſolvi, vel damnari, vel, incerta ſententia, ad aliam diem, aliamque actionem differri.

Eas omnes] Vnius litterae cauſſa litteras omnes oderat. Reprehendit ignorantiam.

Ad caput affigent] Poena vos afficient grauiſſima.

Fortunas veſtras] Pecuniam, qua adducti eſtis ad calumniam. ſupra c. 19. *Sciunt, huiusce pecunia te adductum eſſe.*

CAPVT XXI.

Quid acceperim] Quantum pecuniae.

In iſtam fraudem] In hunc errorem. in Piſonem c. 1. *Vultus denique totus, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, hic in fraudem homines impulit.*

Operae pretium erat] Hoc non valet, vtile erat, ſed, alienum non erat, ab re non erat: vt exemplis perſpicuum fit.

Qui homines] Summi oratores, hominesque nobiliſſimi: de quibus in exordio.

Qui poſſunt, et ſolent] Qui vſu, et eloquentia valent. quod vtrumque mihi deeſt.

CAPVT XXII.

Si non commode] Si non vt oporteret, et vt diceretur ab his, qui in hisce ſubſelliis aduocati ſedent.

Dedi] Libidini, crudelitatique veſtrae. vt paullo ante c. 3. *Non recuſamus, quin illorum libidini Sex. Roſcii vita dedatur.*

Tradituros] Non orationem attente meam audituros, ſed, cauſſa neglecta, reum libidini, crudelitatique veſtrae tradituros.

Iudicare] Non, alias res agere, ſed, mihi cauſſam dicenti, aures

res benigne praebere, et iudicum officio fungi.

Reſtitue nobis aliquando] Patefac nobis, et oſtende, quamdiu occultaſti veterem illam tuam calliditatem.

Atque prudentiam] Quae tibi prudentia videtur, cum hoc digna nomine non ſit.

Latrocinium] Iudicibus reum prodentibus: quos tu nunc, contra quam putaſti, vides iudicare.

CAPVT XXIII.

Conclaue] Locus fuit in aedibus, vbi cenabatur, ſine camino.

CAPVT XXIV.

Supplicium de matre ſumſiſſe] Oreſtem deſignat, qui Clitemneſtram matrem, quae de Agamemnonis, viri ſui, nece, cum Aegyſtho adultero conſenſerat, occidit. Significare et Alcmaeonem putarem, qui Amphiarai patris interitum, interfecta matre Eryphile, vltus eſt: ſed ea verba, *cum deorum immortalium iuſſis atque oraculis id feciſſe dicantur*, ad Oreſtem potius, quam ad Alcmaeonem, pertinent. Euripides in Oreſte.

Ne pii quidem] Qui pietatis cauſſa, patrem vlciſcentes, id commiſerunt.

Summus furor atque amentia] Nam eos in inſaniam incidiſſe poetae fingunt. vnde illud ſupra: *Videtisne, vt eos agitent furiae, neque conſiſtere vsquam patiantur?*

CAPVT XXV.

Dum ea rerum potita eſt] Prudentiam enim cum imperio ſimul amiſit.

Eum] Indicantis eſt, nec ſine lepore: vt alibi ſaepe.

Qui leges ſcripſerit] Abrogatis propter nimiam ſeueritatem, quas Draco antea ſcripſerat, exceptis quae ad caedem pertinebant.

Admonere] In animos hominum inducere, quod alioqui non cogitaretur.

CAPVT XXVI.

Expiari putantur] Cum aquâ ſalſa maris adſperguntur.

Tam vulgare] Tam commune.

Etenim, quid tam eſt commune, quam ſpiritus viuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus eiectis] Recitat, atque etiam laudat haec verba in Oratore c. 30. vt ab adoleſcente exſultantis ingenii pronunciata. *Quantis*, inquit, *illa clamoribus adoleſcentuli diximus de ſupplicio parricidarum? quae nequaquam ſatis deferbuiſſe, poſt aliquanto ſentire coepimus. Quid enim tam commune, quam ſpiritus viuis.* et quae ſequuntur. Quibus recitatis, haec ſubiungit: *Sunt enim omnia, ſicut adoleſcentis, non tam re et maturitate, quam ſpe et exſpectatione laudati.*

Tanti maleficii crimen, cui maleficio] Dixi iam, iterationem eiusdem verbi concinnitate aliqua non carere. addamus tamen et hic exempla nonnulla. In Diuin. c. 1. *Si quod tempus accidiſſet, quo tempore aliquid a me requirerent.* In eadem c. 13. *Cum illius diei mihi venit in mentem, quo die, citato reo, mihi dicendum ſit.* Lib. V. in Verr. c. 11. *Scitote eſſe oppidum in Sicilia nullum ex iis oppidis, in quibus conſiſtere praetores, et conuentum agere ſolent, quo in oppido non iſti ex aliqua*

qua

qua familia, non ignobili, delecta ad libidinem mulier eſſet.

CAPVT XXVII.

In eo loco] In ſubſelliis accuſatorum. ſic pro Cluentio c. 24. *Audete negare, ab Oppianico Staleno iudici pecuniam datam: negate, negate, inquam, in eo loco.*

Poteſtatem faciam] Quam accuſator, niſi patrono permittente, non habebat.

Indidem] Ex eodem loco, vbi erat. addit, *Ameria*, explanationis cauſſa.

CAPVT XXVIII.

P. Scipio, te, Metelle] Dixi iam, ſignificari Scipionem eius patrem, qui Pompeii Magni ſocer fuit: Metellum autem eius Metelli, qui cum Lentulo Spinthere conſulatum geſſit. cur enim aliter credam; cum eos adeſſe, et ſedere Cicero c. 1. dixerit aduocatos Sex. Roſcii, in quibus auctoritas, atque amplitudo ſumma eſſet? Quae quidem in adoleſcentibus verba locum non habent. Quid illa, quae ibidem ſubiungit? *Ceterorum neque dictum obſcurum poteſt eſſe, propter nobilitatem et amplitudinem, neque temere dicto concedi, propter aetatem et prudentiam: ego ſi quid liberius dixero, vel occultum eſſe propterea, quod nondum ad rempublicam acceſſi, vel ignoſci adoleſcentiae meae poterit.* Aetatem iis tribuit, et prudentiam, viris certe, non adoleſcentulis. Infra vero c. 41. tollitur plane dubitatio, vbi de iisdem Scipione, et Metello haec dicuntur: *Poſtulabant homines nobiliſſimi atque integerrimi noſtrae ciuitatis: qui ita vixerunt, talesque a populo Romano putantur, vt, quidquid dicerent, nemo eſſet, qui non aequum putaret.*

Dubitate etiam nunc, iudices, ſi poteſtis, a quo ſit Sex. Roſcius occiſus] Indignatio, quod in re perſpicua dubitetur. tale illud lib. III. in Verr. c. 38. *Vos etiam nunc dubitate, ſi poteſtis, vtrum tantum numerum tritici Venerius apparitor iſtius acceperit, an huic exegerit.* Ibidem c. 55. *Exſpectate etiam, iudices, exſpectate, ſi poteſtis, auctoritatem accuſationis meae.* Non diſſimilis illa indignatio lib. II. c. 31. *Retinete, retinete hominem in ciuitate, iudices. parcite, et conſeruate: vt ſit, qui nobiscum res iudicet: qui in ſenatu ſine vlla cupiditate de bello et pace ſententiam ferat.*

CAPVT XXIX.

Quo, quaſi in portum, reiectus a ceteris ſuſpicionibus, confugere poſſes] Quo argumento contra Roſcium, ceteris deficientibus, vti poſſes. cum enim, per quem Roſcius parricidium admiſerit, commiſſa tibi non liceret: reſtabat vnum, vt admiſiſſe per ſeruos diceres. at ego cupere Roſcium oſtendi, vt de ſeruis quaeratur: nec tamen id licere, quia ſeruos ei Chryſogonus ademerit.

Scopulum] Apte, quia dixerat, *portum*, et, *reiectus*, tamquam a fluctibus.

Vna mercede] Cum a noſtris aduerſariis pecuniam acceperis, vt Sex. Roſcium, non vt eos ipſos, a quibus accepiſſes, accuſares.

Nos iudicio perfundere] Non dicit, nos accuſare: vt leue con-

tra Roſcium hoc eſſe Erutii argumentum ſignificet: ſed, *iudicio perfundere*, id eſt, leuiter adſpergere, aliqua nos iudicii moleſtia afficere.

A ſectoribus] Ab iis, qui proſcriptorum bona emunt. Chryſogonum deſignat.

Sectores collorum, et bonorum] Vt, quos occidiſſent, eorum bona tamquam proſcriptorum emerent. ideo autem colla ſecabantur proſcriptorum, vt, capitibus in Roſtra delatis, caedes omnibus pareret, praemiaque ſectoribus darentur. itaque in oratione contra competitores dixit Cicero de Catilina: *Populum vero, cum, inſpectante populo, collum ſecuit hominis maxime popularis, quanti faceret, oſtendit.* Eodemque referuntur illa pro Murena c. 26. *Deſcendi in campum cum firmiſſimo praeſidio fortiſſimorum virorum, et cum illa lata, inſigni que lorica, non quae me tegeret, (etenim ſciebam Catilinam non latus, aut ventrem, ſed caput et collum ſolere petere) verum, vt omnes boni animaduerterent, et cum in metu et periculo conſulem viderent, id quod eſt factum, ad opem praeſidiumque meum concurrerent.* Et proprie, *ſectores collorum, et bonorum*, vno verbo duabus rebus accommodato. nam, quod ad bona pertinet, ſatis conſtat, *ſectorem* a *ſecando*, id eſt, caedendo, dictum: quod in auctione ſeparatim ſingula vendi ſolerent, domus, praedia, ſupellex, nomina: vt quaſi ſecari bona viderentur. et quia, *ſecare*, et *caedere*, idem ſunt, propterea dixit L. Craſſus in prooemio lib. III. de Orat. *Non tibi illa ſunt caedenda, ſi Craſſum vis coercere: haec tibi eſt excidenda lingua: qua vel euulſa, ſpiritu ipſo libidinem tuam libertas mea refutabit.* Loquebatur Craſſus de ſectione auctionaria eorum pignorum, quae ſibi conſul Philippus abſtulerat.

Niſi forte exſpectatis] Vt illa diluam. Negat hic loquendi modus: eſt enim pro, *non exſpectatis*. infra c. 45. *Niſi hoc mirum eſt, quod vis diuina aſſequi non poſſit, ſi id mens humana adepta non ſit.* Et aliquanto poſt c. 50. *Niſi hoc indignum putas, quod veſtitum ſedere in iudicio vides.* pro, quod indignum putare non debes. Et lib. II. in Verr. c. 58. *Niſi forte id agimus, non vt magiſtratibus noſtris morem accipiendi, ſed vt ſociis cauſſam dicendi auferre videamur.* In Catone c. 6. *Niſi forte ego vobis, qui et miles, et tribunus, et legatus, et conſul verſatus ſum in vario genere bellorum, ceſſare nunc videor, cum bella non gero.* Idem valet, *niſi ſi*: quamquam id interdum eſt dubitantis, vt apud Terentium in Andr. act. I. ſc. 5. v. 14.

Repudiatus repetor. quamobrem? niſi ſi id eſt, quod ſuſpicor:
Aliquid monſtri alunt. —

Eodem pertinet, *niſi vero*: vt in Cat. II. c. 4. *Niſi vero ſi quis eſt, qui Catilinae ſimiles cum Catilina ſentire non putet.* Et pro Milone c. 3. *Niſi vero exiſtimatis, dementem P. Africanum fuiſſe, qui, cum a C. Carbone, tribuno plebis, in concione ſeditioſe interrogaretur, quid de Ti. Gracchi morte ſentiret, reſpondit, iure caeſum videri.*

Neque ad crimen parricidii] Ad nullam parricidii partem.

Neque

Neque ad eum, qui cauſſam dicit] Ad Roſcium.

Vt in ipſa cauſſa] In qua agenda paratiorem me reperit, quam putabat.

CAPVT XXX.

Alios potius] Nobiliores T. Roſcio; in quem cogor ea dicere, quae ſalus Sex. Roſcii, meaque fides poſtulat.

Ex quibus poſſem creſcere] In honoris locum altiorem adſcendere. Sic lib. V. in Verr. c. 67. *Si videor hic, id quod ego non quaeſiui, de vno iſto voluiſſe creſcere: iſto abſoluto, quod ſine multorum ſcelere fieri non poteſt; de multis mihi creſcere licebit.*

Dum vtrumuis licebit] Non licuit vtrumuis in cauſſa Verris, Siculis eius promiſſa commemorantibus, et vt fortunas eorum omnes defenderet orantibus.

Quoniam iſtic ſedes] In ſubſelliis accuſatorum.

Alias ſuas palmas cognoſcet] Alias caedes, me narrante. ſupra c. 6. *Plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator.* infra c. 35. *Audio praeterea, non hanc ſuſpicionem nunc primum in Capitonem conferri. Multas eſſe infames palmas: hanc primam eſſe tamen lemniſcatam, quae Romae deferatur.*

L. Caſſius] De quo ſupra diximus.

Quem populus Romanus veriſſimum et ſapientiſſimum iudicem putabat] Itaque praefecit eum iudicio virginum Veſtalium: quas omnes, nimia etiam, vt putatur, aſperitate vſus, damnauit. Aſconius in Milon. c. 12.

Sic vita hominum eſt] Terentianum in Adelph. act. IV. ſc. 7. v. 21.

Ita vita eſt hominum, quaſi cum ludas teſſeris.

Quaeſitorem ac iudicem] Quaeſitor iudicio praeerat: iudices quaeſitori parebant. recte igitur diſtinxit quaeſitorem, ac iudicem.

Natura non tam propenſus ad miſericordiam, quam implicatus ad ſeueritatem videbatur] Nihil ſimile inter, *propenſus*, et *implicatus*. quod ſi pro, *implicatus*, leges, *inclinatus*, translatio commode abſoluetur.

Praeeſt huic quaeſtioni] Praetor M. Fannius.

Contra audaciam] Accuſatorum, qui vel ad ipſa ſubſellia cum ferro teliſque venerunt.

Ab innocentia] Pro innocentia. opponuntur enim, *contra audaciam, ab innocentia.*

Clementiſſimus] Cognita Sex. Roſcii innocentia clementiſſimum ſe praebebit.

Illo ipſo] L. Caſſio.

Acerrimo iudice] Acerrime iudicia exercere ſolito.

Quaerente] Quaeſitore, loco Fannii.

Caſſianos] Caſſii ſeueritati ſimillimos.

CAPVT XXXI.

Illud quidem non quaererent] Quod ſatis patet.

Vt tenuis antea fueris] Contra T. Roſcium. *Tenuis* autem, pro, pauper, vt ſupra c. 7. *Mallius Glaucia quidam, homo tenuis.*

Cum alieniſſimo] Cum Chryſogono.

CAPVT XXXII.

Te pugna Cannenſis] Cannenſi pugna quot Romanorum millia caeſa ſint, nemo vel paullo humanior ignorat. *Cannenſem* a ſimilitudine vocat eam pugnam, qua Sulla Marianos quamplurimos occidit.

Accuſatorem ſat bonum] Caeſis reliquis Cannenſi pugna. Non tu, inquit, propter eloquentiam accuſator ſat bonus es, ſed quia periere, qui accuſare conſueuerant.

Non ad Thraſimenum lacum] Ad quem lacum Hannibal, ante Cannenſem pugnam, magno proelio, caeſo etiam Flaminio conſule, Romanos vicit. Nominat hunc lacum, quia ſimiliter ad lacum caedes magna Sullae iuſſu facta eſt.

Seruilium] A conditore vocatum. Romae fuit in principio vici iugarii, continens, vt ait Feſtus, baſilicae Iuliae. Haec hiſtoria reperitur apud Senecam in libro de prouidentia Dei c. 3. et Iulium Firmicum. Seneca ſic: *Viderint, inquit, hoc iſti, quos Romae deprehendit felicitas tua. Videant largum in foro ſanguinem, et ſupra Seruilium lacum (id enim proſcriptionis Sullanae ſpoliarium eſt) ſenatorum capita, et paſſim vagantes per vrbem percuſſorum greges, et multa millia ciuium Romanorum vno loco poſt fidem, immo per ipſam fidem, trucidata.* Firmicus autem his verbis: *Viſne aliquid tibi, quia in Sullanis temporibus immoramur, de lacu Seruilio referam? in quo multorum ſenatorum capita ad oſtentationem immaniſſimi facinoris, ſectis ceruicibus pependerunt.*

Quis ibi non eſt vulneratus ferro Phrygio] Non dubito, quin ſit verſus ex vetere tragoedia, translatus ad indicandam ciuium Romanorum caedem, ad Seruilianum lacum Sullae iuſſu commiſſam.

Curtios] Accuſatorum, qui ad Seruilium lacum caeſi ſunt, nomina commemorat.

Mamercos] Aemiliae gentis.

A proeliis auocabat] Hoc dicit, vt eos hoc ipſo tantum interfectos, quia eſſent accuſatores, oſtendat, non quia pro Marianis contra Sullam pugnaſſent.

Priamum ipſum ſenem] Comparat Antiſtium Priamo, quia, vt ille ſumma ſenectute, in magna Troianorum caede, occiſus eſſet, ſic Antiſtius, multis caeſis accuſatoribus, ſenex admodum ideo necatus eſt, ne quis eſſet, qui de quotidianis caedibus quemquam accuſaret. Priami autem mentionem induxit, quia dixerat, *ferro Phrygio*. De hoc in Bruto c. 63. *Coniunctus Sulpicii aetati P. Antiſtius fuit, rabula ſane probabilis, qui multos cum tacuiſſet annos, neque contemni ſolum, ſed irrideri etiam ſolitus eſſet, in tribunatu primum contra C. Iulii illam conſulatus petitionem extraordinariam, veram cauſſam agens, eſt probatus; et eo magis, quod eandem cauſſam cum ageret eius collega ille ipſe Sulpicius, hic plura et acutiora dicebat. Itaque poſt tribunatum primo multae ad eum cauſſae, deinde omnes, maximae quaecumque erant, deferebantur. Rem videbat acute, componebat diligenter, memoria valebat: verbis non ille quidem ornatis vtebatur, ſed tamen non abiectis. Expedita autem erat,*

et

et perfacile currens oratio. Et erat eius quidem tamquam habitus non inurbanus: actio paullum cum vitio vocis, tum etiam ineptiis claudicabat. Hic temporibus floruit iis, quibus, inter profectionem reditumque L. Sullae, ſine iure fuit, et ſine vlla dignitate respublica.

Leges pugnare prohibebant] Lex fuit, per quam vltra aetatis annum XLVI. non pugnare licuerit, auctoribus Cicerone in Catone c. 11. Polybio lib. VI. de rep. quae vero diſerte pugnare prohibuerit, nulla, quod ſciam, nominatur. et opinor, ait Cicero, *prohibebant*, pro, *non cogebant*: oratorie.

Qui ſuis vulneribus mederentur] Qui vel ſuos inimicos vlciſcerentur, vel eos, qui accuſare ſolerent, ſimulque iudices ipſos occiderent: ita fore ſperantes, vt ſuorum ſcelerum poenas effugerent.

CAPVT XXXIII.

Quae iſtum impellerent] T. Roſcium.

Qui in bonis erant occupati] Qui aliena bona appetebant.

Aliquem de ſocietate tua] Chryſogonum dicit.

CAPVT XXXIV.

Cuicuimodi (Ern. *cuiusmodi*) *es, T. Roſci*] Qualisqualis es, vel vir bonus, vel improbus.

Quod ſalua fide poſſim] Modo ne Sex. Roſcii cauſſae, et officio meo deſim.

Cum accuſatore] Erutio.

Mallius] Supra c. 7. nominatus, cliens T. Roſcii.

CAPVT XXXV.

In curru] *Ciſiis*, dixit ſupra c. 7.

Autumedontem] Glauciam, aurigae Achillis Autumedonti, qui curru celerrime ferretur, perſimilem.

Neſcio: niſi hoc video] Modus loquendi, Ciceroni, Terentio, Plauto familiaris. ad Memmium lib. XIII. Fam. epiſt. 1. *Equidem, ſi, quid ipſe ſentiam, quaeris, nec, cur ille tantopere contendat, video, nec cur tu repugnes: niſi tamen multo minus tibi concedi poteſt, quam illi, laborare ſine cauſſa.*

Video poſſidere] Abundare arbitror, *video.*

Infames palmas] Nobiles, et glorioſae in victoria palmae gladiatorum erant: huius gladiatoris infames fuere: ciues enim occidit. ſupra c. 6.

Lemniſcatam] Ceteris nobiliorem, propter lemniſcos, id eſt, faſciolos, vt ait Feſtus, e corona dependentes.

Quae Romae deferatur] Propter necem Sex. Roſcii.

Contra morem maiorum] Iocatur. nam more maiorum nemini poſt annos LX. ferre ſuffragium licebat. ii porro *depontani ſenes*, id eſt, de ponte deiecti, vocabantur: quia pontes erant lignei, ad tempus facti, in quibus ſuffragia ferebantur. Capito autem vere neſcio quem in Tiberim deiecerat. Notus eſt ille mos ex Feſto, Varrone, et Ouidio, Suetonio, Nonio, Cicerone, ſcriptore etiam Rhet. ad Herennium.

CAPVT XXXVI.

Alter ex ipſa caede] T. Roſcius Magnus.

Ad

Ad magiſtrum ſuum] Capitonem. ſupra c. 6. *Se ad eum laniſtam contulit.*

Alter] T. Roſcius Capito.

Si diis immortalibus placet] Quod mihi propoſitum initio fuit, onus hoc explanandarum Ciceronis orationum ſuſcipienti, vt ſententias obſcuriores, quantum in me eſſet, illuſtrarem, Latinique ſermonis proprietatem atque elegantiam oſtenderem, inania quaedam, et inutilia, quae nonnulli ad ambitionem congerunt, omitterem; id vt exſequar, accurate operam dabo; quam feliciter, alii viderint. Hic loquendi modus, *ſi diis placet*, tum ad indignationem, tum ad gratiarum actionem pertinet. Indignantis eſt, vt in hoc loco, et in Piſonem c. 16. *Appellatus eſt hic vulturius illius prouinciae, ſi diis placet, imperator.* Lib. II. de Fin. c. 10. *Quoniam, ſi diis placet, ab Epicuro loqui diſcimus.* Tuſc. V. c. 10. *Qua gloria commotus Epicurus exoritur, cui etiam, ſi diis placet, videtur ſemper ſapiens beatus.* Eodem ſpectat illud pro Flacco c. 38. *Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego, reuocemus eiectos: nimiae pietatis et ſummi amoris in patriam viciſſim nos poenas, ſi ita diis placet, ſufferamus.* Lib. III. de Orat. c. 24. *Etiam Latini, ſi diis placet, hoc biennio magiſtri dicendi exſtiterunt.* Terentius in Eun. act. V. ſc. 3. v. 10.

— Vide vt otioſus it, ſi diis placet!

Quo loco Donatus: *Proprium eſt exclamantis propter indignitatem alicuius rei, ſiue temeritatem, et indignantis.* Catullus carm. 57.

Deprendi modo pupulum puellae
Truſantem. hunc ego, ſi placet Dionae,
Protelo rigida mea cecidi.

Liuius quoque ſaepe eodem modo locutus eſt. Gratias agentis illud eſt apud Plautum in Capt. act. II. ſc. 3. v. 94.

Expediui ex ſeruitute filium, ſi diis placet.

Apud eundem in Truc. act. III. ſc. 1. v. 3.

Poſt illoc veni, quam aduenit, ſi diis placet,
Ad villam argentum meo qui debebat patri.

Africanus] Minor. nam de maiore cum ſit mentio, aliquid addi ſolet, vt, *Africanus ille maior.*

Tertiam partem orbis terrarum] Africam. Carthaginem enim ſtipendiariam fecit maior Africanus, euertit minor.

Is, qui et ſector eſt, et ſicarius] T. Roſcius Magnus. cur et ſector, et ſicarius, ſequentibus oſtenditur.

Quid tu, vir optime] T. Roſcium alloquitur.

Te iſtic ſedere] Cum accuſatore. Mendoſe antea, *te iſti credere.*

Muto] Si iſtic vt accuſator ſedes, cur ſiles? et, ſi ſiles, cur iſtic ſedes? muto enim accuſatore nemo vtitur.

Neque teſte] Ratio altera, cur ſedere T. Roſcius cum accuſatore non debeat. Si iſtic ſedes, teſtimonium tibi dicere non licet. at teſtimonium dicturus es: iſtic igitur ſedere non debes.

CAPVT

CAPVT XXXVII.

Volaterras] A Sulla obſeſſas, vt Marianarum partium. victis et agros ademit, et ius Romanae ciuitatis: pro domo c. 30. et lib. XIII. Fam. epiſt. 4.

Eundem, qui Ameriam] T. Roſcium Magnum, de quo ſupra c. 7. *Occiſo Sex. Roſcio, primus Ameriam nunciat Mallius Glaucia quidam, homo tenuis, libertinus, cliens et familiaris iſtius T. Roſcii.*

Hominem] Sex. Roſcium.

Rem] Eius bona.

At qui ei venit in mentem] Ironia: quia ſcilicet ei venire in mentem non potuerit, niſi ad eum duo Roſcii, Magnus, et Capito, rem illam detuliſſent.

Roſcios] Magnum, et Capitonem.

In Chryſogoni fidem et clientelam contulerunt] Quia gratioſiſſimus eſſet apud Sullam.

In iſta pugna] Qua occiſus eſt Sex. Roſcius. et, quia manubiae ſunt ex pugna, ideo ſubiungitur paullo poſt, *has manubias.*

CAPVT XXXVIII.

Aliqua fretus hora] Commoda ſententia non elicitur. reponi poſſet, vſitato genere loquendi: *Aliqua facta mora.*

Si accuſator voluerit teſtimonium eis denunciare] Nam reo denunciandi teſtimonii poteſtas non dabatur.

Non minus turpe, quam furti] Pro Caecina c. 3. *Qui per tutelam, aut ſocietatem, aut rem mandatam, aut fiduciae rationem fraudauit quempiam, in eo, quo delictum maius eſt, eo poena eſt tardior. Eſt enim turpe iudicium.* Lib. III. de Nat. deor. c. 30. *Inde tot iudicia de fide mala, tutelae, mandati, pro ſocio, fiduciae.*

CAPVT XXXIX.

Fama mortui] Exiſtimatio Sex. Roſcii, qui videtur occiſus eſſe, tamquam contra nobilitatem ſenſerit: cum tamen fautor nobilitatis perpetuo fuerit.

Fortunae viui] Roſcii filii, ſuis fortunis a duobus T. Roſciis, et a Chryſogono per iniuriam ſpoliati

Ignominia mortuum affecerit] Ignominia notatum reliquerit, quaſi necatus ideo ſit, quia proſcriptus fuiſſet vt hoſtis nobilitatis.

In crimen mandati, iudiciumque infamia reuocatur] Rectius, opinor, *iudiciumque infamiae*: pro, iudicium turpe, quod infamiam affert. nam ſupra c. 38. *Mandati conſtitutum eſt iudicium, non minus turpe, quam furti.*

Si recte fiat] Si fiat id, quod debet. non enim recte fiet, ſi neglexerit is, qui mandatum recepit.

Qui mandarit] Vbi enim mandauit, licet ei negligere: curare amplius eum non oportet.

Per arbitrum] Per iudicem. nam ea iudicia, in quibus adderetur, *ex fide bona*, quia ſimilia arbitriis eſſent, *arbitria* vocabantur. pro Quintio c. 3. *Quaſi ii, qui magna fide ſocietatem gererent, arbitrium pro ſocio condemnari ſolerent.* Pro Q. Roſcio c. 9. *Cur non arbitrum pro ſocio adegeris Q. Roſcium, quaero.* Lib. III. de Offic. c. 16. *Arbitrum illum adegit, quidquid ſibi dare facere oporteret ex fide bona.*

Quibus

Quibus in locis *arbitrium* pro iudicio, et *arbitrum* pro iudice accipi, ſatis conſtat. eadem enim lib. III. de Nat. deor. c. 30. appellantur *iudicia tutelae, mandati, pro ſocio.* Et in eodem libro de Offic. c. 15. *iudicia* vocantur, *in quibus adderetur*, EX FIDE BONA.

Roſcio] T. Roſcio Capitoni.

Tria praedia] Vel nobiliſſima.

Depactus eſt] Cum altero T. Roſcio, et cum Chryſogono.

CAPVT XL.

Atque illud] Mandati.

Proditor] In legatione: cum ſociorum conſilia aduerſariis enunciauit.

Ille laniſta] Ter iam Capitonem *laniſtam* vocauit.

A gladiis (Ern. *gladiatore*) *receſſiſſe*] Ab arte ſua. nam *laniſta* gladiatorum in gladiis perite tractandis magiſter eſt. itaque P. Rutilius Rufus, ex ludo C. Aurelii Scauri doctoribus gladiatorum arceſſitis, vitandi atque inferendi ictus ſubtiliorem rationem legionibus ingenerauit. Recte etiam legeretur, *gladiatura ceſſiſſe:* cum ſit in antiquis libris, *gladiatore ceſſiſſe.*

CAPVT XLI.

Fidem] In legatione a decurionibus ei mandata.

Ab iſtis] Ab aduerſariis: id eſt, nos ab aduerſariis poſtulaſſe.

Iſte] Sex. Roſcius.

Quos iam antea nominaui] Scipionem, et Metellum nominauit.

Vel ipſe ſeſe] Non modo ſeruos.

Neque arguo; neque purgo] Argui, ac puniri etiam iure poterant, quod, eorum dominus cum occideretur ipſis praeſentibus, opem non tuliſſent. propterea metu poenae ſeruos Marcelli fugiſſe, quod dominus eorum ante tabernaculum a Magio interfectus eſſet, ſcribit Sulpicius ad Ciceronem lib. IV. Fam. epiſt. 12. vide apud Iuſtinianum, titulo, qui eſt, de ſenatus conſulto Silaniano et Claudiano, L. 6.

Anne quaeritur] Non quaeritur, quia Sex. Roſcius reus eſt, vos illorum ſeruorum, qui ad ipſum pertinent, domini. quod tamen vos non dicitis.

Cum de hoc quaeritur] In iudicio: cum accuſatur.

Familiis] Seruorum. id enim interdum valet *familiae* nomen. infra c. 46. *Familiam vero quantam, et quam variis cum artificiis habeat, quid ego dicam?*

CAPVT XLIII.

Nomen aureum] Iocatur in Chryſogoni nomine. χρυσὸς enim aurum eſt.

Siue Valeria eſt, ſiue Cornelia] Eam tulit L. Valerius Flaccus interrex, ſiue L. ipſe Sulla. latam a Valerio Cicero ipſe lib. I. de Leg. c. 15. oſtendit his verbis: *Etiamne, ſi quae leges ſint tyrannorum? ſi triginta illi Athenis leges imponere voluiſſent? aut ſi omnes Athenienſes delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco hae leges iuſtae haberentur? nihilo, credo, magis illa, quam interrex noſter tulit, vt dictator, quem*

quem vellet ciuium, indicta cauſſa impune poſſet occidere.

Nouas] Valeriam, ſiue Corneliam.

CAPVT XLIV.

Ab initio] Cum dixit c. 8. *Haec omnia, iudices, imprudente L. Sulla facta eſſe. certo ſcio.*

Si per vos, iudices, licitum erit] Si me audire volueritis, ea, quae ad cauſſam puto pertinere, libere narrantem.

Ab iſto nebulone] A Chryſogono, qui ſeſe bona Sex. Roſcii de L. Sulla dicit emiſſe. ſupra c. 2.

Rediuiam (Ern. *reduuiam*) *curem*] Morbum, quo cutis extra vngues ſoluitur.

CAPVT XLV.

Cur tantulo venierint] Duobus millibus nummum.

Aliquid imprudentia praeteriri] Ab eo, qui rempublicam gubernat.

Pernicies (Ern. *pernicie*) *cauſſa*] Generandi caſu, *pernicii* Ciceronem dixiſſe, ait Gellius lib. IX. c. 14. Cariſius autem lib. I. non *pernicii*, ſed, *pernicies:* vt mirum ſit, illa quoque aetate ſcriptos libros a veritate interdum aberraſſe. Nobis, vtrum ſequamur, incertum eſt.

Diuino conſilio] Quod ita Iuppiter ipſe velit: quemadmodum nec Sulla fieri vult ea, quae fiunt.

Vi] Natura.

Magnitudine] Quod res ipſae pro ſua natura tantum poſſint.

Commoda, quibus vtimur] Haec addit ad colligendam Sullae gratiam: vt, ſicut a Ioue, item ab ipſo plura dari, atque impertiri commoda, quam inferri damna, videantur.

Niſi hoc mirum eſt] Diximus iam, hoc loquendi genus ad negandum vſurpari. eſt igitur, *niſi hoc mirum eſt*, pro, *mirum non eſt.*

Vis diuina] Vim in Ioue, mentem in homine ponit.

CAPVT XLVI.

Alter tibi deſcendit de palatio] Chryſogonum deſcribit: quem habere aedes in palatio, cum ſeruus fuerit; indigniſſimum videtur.

Tibi] Cum indignatione elatum.

Vaſis Corinthiis] Capta, incenſaque Corintho, aurum, argentum, aes igni corrupta, permiſtaque ſunt. inde aes Corinthium, et vaſa Corinthia primae nobilitatis, propter aurum et argentum: ſecundum locum Deliaca obtinebant. lib. II. in Verr. c. 34. *Supellectilem ex aere elegantiorem, et Deliacam, et Corinthiam.*

Quid marmoris] De ſignis locutus, intulit, *quid marmoris:* vt marmorea complecteretur omnia.

Lecticarios] Lecticam geſtare ſolitos, vt in epiſt. Sulpicii lib. IV. Fam. 12. *Coactus ſum in eadem illa lectica, qua ipſe delatus eram, meisque lecticariis in vrbem eum referre.*

Togatorum] Ciuium Romanorum, tempori ſeruientium, quia Chryſogonus apud Sullam gratia valeret.

CAPVT XLVII.

Viris fortibus] Metellis, Catulis, Lucullis, Seruiliis, Pompeiis.

Homines poſtremi] Obſcuri loci, infimae conditionis, vltimae ſortis. Marcus Brutus ad Ciceronem epiſt. 16. *Quod ſi Romanos nos eſſe meminiſſemus: non audacius dominari cuperent poſtremi homines, quam id nos prohiberemus.*

CAPVT XLVIII.

Ne ominis quidem cauſſa] Ne vt ominari quidem male in eos videar: nedum, quod iis graue aliquid imprecer.

Equeſtrem ſplendorem] Equeſtrem ordinem, iudicia adminiſtrantem.

Serui] Qui antea ſeruierat. nam tum quidem libertus erat Chryſogonus.

CAPVT XLIX.

Annulumque de digito ſuum tibi tradidit] Rectius, quam, vt antea, *annulumque dedit, os ſuum tibi tradidit.* Annulum autem non aureum, ſed ferreum. nam aureo ſenatoribus tantum, et equitibus Romanis vti licebat.

CAPVT L.

Praedia mea tu poſſides; ego aliena miſericordia viuo] Similis locus ad commouendam iudicum miſericordiam in ea pro Quintio c. 22. *De re pecuniaria cupio contendere: non licet. At ea controuerſia eſt. nihil ad me attinet; cauſſam capitis dicas, oportet.* et quae ſequuntur. Nec diſſimiliter lib. V. in Verr. c. 42. *Cleomenem nominare non licet. At cauſſa cogit. Moriere, ſi appellaris. At remiges non erant. Praetorem tu accuſas? frange ceruicem.*

Aliena miſericordia] Caeciliae, Balearici filiae. infra: *Quaſi vero neſcias, hunc et ali, et veſtiri a Caecilia, Balearici filia, Nepotis ſorore.*

Sin metuis] Ne tibi ille aliqua re noceat.

Ab ſeſe] A capite ſuo.

Quod praeter ceteros tu metuere non debeas] Apud Sullam gratioſiſſimus.

Ne quando liberis proſcriptorum bona patria reddantur] Quae ne redderentur, Valeria lege cautum erat.

In his rebus, quas L. Sulla geſſit] Quae ſunt eiusmodi, vt, quae ille poſt victoriam fecit, rata fore videantur.

Ne monumenti quidem cauſſa] In agro, quo mortuus inferatur. nam, vt diximus, extra vrbem ſepulcra erant. ſupra c. 9. *Cui de tanto patrimonio praedo iſte nefarius ne iter quidem ad ſepulcrum patrium reliquiſſet.*

CAPVT LI.

Summa reipublicae (Ern. *respublica*)] Nam, ſi hunc innocentem iudicio perderent homines nefarie: in ſummum respublica diſcrimen adduceretur. quis enim, quod liberet, id ſibi licere non putaret?

Quae domi gerenda ſunt] Quod ad Roſcii victum, veſtitumque attinet.

Meſſal-

Meſſalla] Valeriae gentis, patriciae: nam Valerii Flacci plebeii. iuniorem eſſe Cicerone, atque aliquot quidem annis, ea, quae ſequuntur, oſtendunt. itaque, cum duos Meſſallas poſt Ciceronem conſules fuiſſe videam, poſteriorem ſignificari crediderim, qui anno vrbis DCC. cum Domitio conſulatum geſſit.

Roboris] Quo pueri et adoleſcentes carent. vnde illud pro Coelio c. 30. *Cum autem paullum iam roboris acceſſiſſet aetati, in Africam profectus eſt.* Phil. X. c. 8. *Alter virtutis robore firmior, quam aetatis. Robuſtus* accipitur eodem ſenſu. pro Coelio c. 3. *Vellem aliquis ex vobis robuſtioribus hunc maledicendi locum ſuſcepiſſet.* Pro Sulla c. 16. *Quod ſi eſſes vſu, atque aetate robuſtior.* De haruſp. reſp. c. 20. *Deinde iam robuſtus, prouinciae ſe ac rei militari dedit.* Phil. V. c. 16. *Aetate multo robuſtior.* Vis eadem eſt in verbo. pro Sextio c. 4. *Recita, quaeſo, P. Sexti, quid decreuerint Capuae decuriones; vt iam virilis tua vox poſſit aliquid ſignificare inimicis noſtris, quidnam, cum ſe corroborarit, effectura eſſe videatur.* Pro Coelio c. 5. *Cum is iam ſe corroborauiſſet, ac vir inter viros eſſet.* In Laelio c. 20. *Omnino amicitiae, corroboratis iam confirmatisque et ingeniis, et aetatibus, iudicandae ſunt.*

Cupere ac debere] In priore amor oſtenditur, in poſteriore officium.

Auctoritate] Non ex geſtis magiſtratibus, cum eſſet adoleſcentulus, ſed ob nobilitatem.

Sectorum] Qui bona patris eius, tamquam proſcripti, ſe emiſſe dicunt. pertinet hoc primum ad Chryſogonum, deinde ad duos Roſcios, cum quibus ille praedam communicauit.

Qui eodem loco nati ſunt] In quibus par nobilitas eſt. ad Terentiam lib. XIV. Fam. epiſt 18. *Vos videte, quid aliae faciant iſto loco feminae.*

Ex inuidia] *Inuidia* opponitur gratiae: et eſt populi de aliquo mala quaedam opinio. alia porro *inuidia* eſt, cum alienis angimur bonis.

CAPVT LII.

Verum ſi a Chryſogono, iudices, non impetramus, vt pecunia noſtra contentus ſit, vitam ne petat] Mirabilis locus in epilogis inducendus ad miſericordiam iudicum commouendam. ſimilis ille pro Quintio c. 30. *Si licet viuere eum, quem Sex. Naeuius non vult: ſi eſt homini honeſto locus in ciuitate, inuito Naeuio: ſi fas eſt reſpirare P. Quintium, contra nutum ditionemque Naeuii: ſi, quae pudore ornamenta ſibi peperit, ea poteſt contra petulantiam, te defendente, obtinere: ſpes eſt, et hunc miſerum atque infelicem aliquando tandem poſſe conſiſtere. Sin et poterit Naeuius id, quod libet, et ei libebit, quod non licet: quid agendum eſt? qui deus appellandus eſt? cuius hominis fides imploranda eſt? qui denique queſtus, qui maeror dignus inueniri in calamitate tanta poteſt?*

Pecunia noſtra] *Pecuniam* pro bonis omnibus, vt alibi quoque, poſuit.

Actum eſt, iudices] Quod in oratione pro Quintio, loco a nobis proxime recitato, dixit:

 Quid

Quid agendum eſt? qui deus appellandus eſt? cuius hominis fides imploranda eſt?

Conſilium publicum] Senatorum, qui iudicia lege Sullae tractabant.

Proſcriptorum liberi] Quos petendorum magiſtratuum poteſtate Sulla priuauit, occidi tamen noluit. in Piſonem c. 2.

In veſtro iureiurando] Vt veſtris ſententiis condemnetis Sex. Roſcium contra leges, quas vos eſſe ſeruaturos iureiurando polliciti eſtis.

Ad quem maleficium pertineat] Vtrum ad filium, qui nunc reus eſt, an ad T. Roſcium Magnum, qui bona emit, qui inimicus eſt, qui ſicarius, qui hunc accuſat.

Venierunt] Quae ſe non putant, incolumi filio, retinere poſſe.

CAPVT LIII.

Senatus ſuſcipere noluit] Lata igitur ad populum lege Sulla obtinuit, vt in eos, qui contra ſe, ac nobilitatem arma ceperant, iure ſuo poſſet animaduertere. infra: *Populum Romanum domeſtica crudelitate laborare.*

Suſcipere noluit] Non probauit ſenatus conſulto.

More maiorum] Qui necare ciuem Romanum vetat.

Domeſtica] Contra ciues ipſos, qualis antea numquam fuerat, nec poſtea fuit, niſi Octauio, Antonio, Lepido triumuiris.

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM
PRO
Q. ROSCIO COMOEDO

ARGVMENTVM

Tradidit C. Fannius Chaerea Q. Roſcio, communemque cum eo fecit ſeruum ſuum Panurgum, ea conditione, vt illum arte hiſtrionica erudiret, deinde quaeſtus communis eſſet. aliquanto poſt Q. Flauius quidam Tarquinienſis Panurgum occidit. Flauium Roſcius iudicio perſequi cum vellet, cognitorem in eam rem Fannium dedit. lite conteſtata, iudicio damni iniuria dati conſtituto, decidit cum Flauio Roſcius, vt ipſe aiebat, pro ſua parte; vt Fannius, pro tota ſocietate; fundum accepit, non pecuniam. Poſt aliquot annos Roſcium Fannius arbitrum adegit. arbiter fuit idem, qui in hac cauſſa iudex eſt, C. Calpurnius Piſo. is de re ſententiam non tulit, ſed Roſcium rogauit, vt Fannio pro labore, quod cognitor fuiſſet, quod vadimonia obiiſſet, H-S CCIↃↃ *daret, cum eo tamen, vt Fannius repromitteret, ac reſtipularetur, ſi quid exegiſſet a Flauio, partem eius dimidiam ſe Roſcio daturum. ſpopondit ita ſe facturum Fannius: deinde Flauio litem intendit. iudex fuit C. Cluuius, eques Romanus. eius ſententia Flauius* H-S CCCIↃↃↃ *Panurgi nomine Fannio diſſoluit. cuius pecuniae pars dimidia cum ex reſtipulatione Roſcio deberetur: tamen tantum abeſt, vt ei quidquam Fannius dederit, vt eum etiam in iudicium vocauerit, tamquam ſua parte in vetere illa deciſione fraudatus. aeſtimabat enim fundum, quem a Flauio Roſcius acceperat,* H-S CCCIↃↃↃ: *inde petebat* H-S IↃↃↃ: *quaſi Roſcius pro ſocietate, non pro ſe tantum, decidiſſet. in quo lis tota vertitur. Et hoc maxime argumento ad criminationem Fannii refellendam Cicero vtitur, quod is, accepta a Roſcio pecunia, quia cognitor eius fuerat, repromiſiſſet, et reſtipulatus eſſet, ſi quid a Flauio exegiſſet, dimi-*

dium ei ſe daturum. quo ſibi nullam a Roſcio ex vetere deciſione deberi pecuniam indicauit. Acta cauſſa videtur poſt Aureliam legem, quae Pompeio et Craſſo coſſ. iudicandi poteſtatem reſtituit equitibus Romanis. nam ante, quam Fannius Roſcium in iudicium vocauit, iudex fuerat inter Fannium et Flauium C. Cluuius. De anno, iure dubitatur. nam, ſi eſt acta poſt Aureliam legem, vnus ei aſſignandus eſt ex tribus annis, qui ſunt ante conſulem C. Piſonem, qui hac in cauſſa iudex eſt. anno primo, quo lex Aurelia fertur, id eſt, Pompeio et Craſſo coſſ. acta non videtur. nam, cum dicat Cicero, Flauium iam pridem eſſe mortuum, qui cum Fannio litigauerat ad iudicem Cluuium: fieri non poteſt, vt eodem anno Fannius cum Flauio ad iudicem Cluuium, et cum Roſcio ad iudicem Piſonem litigauerit. Sequitur annus Hortenſio et Metello coſſ. quo anno cum aedilis curulis Cicero fuerit; veriſimile non videtur, priuatam cauſſam in illo magiſtratu eum agere voluiſſe. De tertio anno, quo Metellus, et Rex conſulatum geſſerunt, facile crediderim. nam, qui poſt hunc ſequitur, eo conſul fuit C. Piſo, huius cauſſae iudex. qui vero poſt Piſonem ſequitur, eo praeturam Cicero geſſit, vt Roſcii cauſſam omnino agere non potuerit. poſt praeturam vero ſuam non dixiſſet Cicero c. 15. magis mea adoleſcentia indiget illorum bona exiſtimatione, quam illorum ſeueriſſima ſenectus deſiderat meam laudem. *Quae ſi dicantur L. Metello, et Rege coſſ. biennio ante Ciceronem praetorem, ferri poſſunt. iis enim conſulibus annum aetatis XXXIX. Cicero agebat. qua aetate alios quoque appellatos eſſe adoleſcentes, alibi docuimus.*

EXPLANATIO

CAPVT I.

Is ſcilicet vir optimus] Ironia in Chaeream: cuius tabulis Cicero fidem abrogat, quia, quae in iudicium tabulae proferuntur, vt iis teſtibus aliquid probetur, eas oportet a viro optimo, et ſingulari fide praedito, ſcriptas eſſe.

Pecuniam expenſam tulerunt] Debitorem aliquem fecerunt.

Hoc nomen] H-S CCCIↃↃↃ, eiusque pecuniae dimidium Roſcio expenſum.

Non erit] Cur enim, quam ſuam eſſe pecuniam crederet, eius dimidium Chaereae ferret acceptam?

Iuſſu huius] Quaſi dixiſſet Chaereae Roſcius, communem illam pecuniam eſſe; eumque nomen illud in ſuas tabulas referre iuſſiſſet. quod ſi verum eſſet: certe in ſuas quoque tabulas nomen idem Roſcius retuliſſet. non retulit: ergo non ſuo iuſſu retulit Chaerea.

Quod non debeatur] Hoc ad Chaeream pertinet.

Quod debeas] Hoc ad Roſcium.

Qui verum non retulit] Qui, cum aliquid deberet, id acceptum in tabulas non retulit. in quo peccaſſet Roſcius, ſi Chaerea debuiſſet.

Qui falſum perſcripſit] Qui retulit in tabulas expenſum, quod ſibi non debebatur.

In ſuam rem, ſuo arbitratu ſcriptas] In quibus Chaerea ſcripſerit, expenſa Roſcio H-S ↀↀ.

A M. Perperna (Ern. *ante M. Perpernae*)] Hic ſedebat in conſilio C. Piſonis: non placet igitur dici, P. Saturii tabulas a M. Perperna petitas eſſe. cur enim ab hoc potius quam a Piſone? quem conſilio praefuiſſe, infra c. 3. oſtenditur his verbis: *Tu, C. Piſo, tali fide, virtute, grauitate, auctoritate ornatus, ex aduerſariis pecuniam petere non auderes.* Et paullo poſt c. 4. *Vtinam ſederet in conſilio C. Piſonis! Ipſe C. Piſo eſt.* Et c. 5. *Iudex eſt is, quem nos non minus bene de nobis exiſtimare, quam ſecundum nos iudicare velimus.* Et alibi. Malim igitur, deleta praepoſitione, *a*, *M. Perperna* vocandi caſu dictum eſſe, aut, ſi ne ſic quidem, vnum appellari iudicem ſine Piſone, placet; aut haec ſubita a Perperna ad Chaeream converſio ſermonis offendit, quae nec meis auribus, vt ingenue fatear, grata admodum accidit: legatur ſane, *a M. Perperna*, dum ab eo non tamquam a iudice, ſed tamquam a Roſcii pariter et Chaereae amico, extra iudicium petitas eſſe tabulas putemus. Huius autem Perpernae familiam, cum diu diligenterque perquiſierim, adhuc tamen ignoro.

P. Saturi] *Saturii*, legendum conſtat. is patronus erat Chaereae: cuius cum tabulae poſcebantur, nomen aliquod in iis, quod Chaereae tabulas refelleret, reperiri poſſe putabatur.

Tuas ſolius] Antiqua locutio. Terentius in Heaut. act. I. ſc. 1. v. 76.

> — *Hem, tot mea*
> *Solius ſolliciti ſunt cauſſa, vt me vnum expleant?*

In Vatinium c. 3. *Ciuitatis ſalutem cum mea vnius ſalute eſſe coniunctam?* In Piſonem c. 3. *Iuraui, rempublicam atque hanc vrbem mea vnius opera eſſe ſaluam.*

Flagitamus] Ante *poſcebamus*, nunc *flagitamus*: maiore enim ſtudio petendum, quod ad detegendam Chaereae improbitatem vel maxime pertinet.

Lis detur] Iudicetur, decernatur. Valerius Max. lib. II. c. 8. *Lutati, quamuis adhuc tacueris, ſecundum te litem do.* Gellius lib. V. c. 10. *Si contra te lis data erit.*

Extraordinaria] Neglecta nullo ordine.

Iacet] A te negligitur, quaſi leue quoddam ac tenue nomen.

Timeat] Quaſi falſum. timuit, inquit, ne ſuis ex tabulis falſi condemnaretur.

Iurare in litem] Litis cauſſa, ad litem obtinendam.

CAPVT II.

Indignari] Indignantis haec eſſe, quis non intelligit? *Pro dii immortales, eſſene quemquam tanta audacia praeditum, qui, quod nomen referre in tabulas timeat, id petere audeat?* Et reliqua. Quare, cur Budaeo magis placere debuerit, *indagare*, cauſſam eſſe nullam video

Vsque eone te diligis] Tantumne tibi tribuis.

Magnifice circumſpicis] Imaginem quandam retulit eorum, qui ſe ipſi nimis diligunt.

Aduerſaria] In quibus confuſe dierum ſingulorum acta perſcribuntur: et, ſi quis in eo peccet, fraudi ei non eſt: idem, ſi quid in tabulis, id eſt, in codice, committat, non impune fert. Quod veteres *aduerſaria, diarium* hodie dicimus.

Ordinem conſeruare] Qui non conſeruatur in aduerſariis.

Memoriae tradere litterarum vetuſtatem] Ideo enim ſcribuntur tabulae, vt perpetuo conſeruentur: aduerſaria vero, vt poſt menſem conſcindantur.

Apud omnes] Aduerſariis enim nemo credit.

Deiecta] Perturbata, ordine neglecto.

Codicem protulit] Verbum vnde pendeat, obſcurum videtur: ſed ex, *nemo*, quod proxime dictum eſt, elicitur affirmatio. ſic lib. III. de Orat. c. 14. *Nemo extulit eum verbis, qui ita dixiſſet, vt, qui adeſſet, intelligerent quid diceret, ſed contemſit eum, qui minus id facere potuiſſet.* Horatius lib. I. Serm. ſat. 1. v. 1.

Qui fit, Maecenas; vt nemo, quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu fors obiecerit, illa
Contentus viuat? laudet diuerſa ſequentes?

Nam, *laudet*, affirmationem perſpicue poſtulat. Plura attulimus exempla, in lib. XII. Fam. epiſt. 30.

CAPVT III.

Referri debuit] Si quidem adverſaria ſolent eſſe menſtrua.

CAPVT IV.

Pecunia tibi debebatur certa] H-S ɪↃↃↃ.

Quae nunc petitur per iudicem] Nam incerta petitur ad arbitrum.

Legitimae partis] Infra c. 5. *Cum tertia parte ſponſio facta eſt.* ſponſione autem is, qui actor erat, laceſſere dicebatur, et, ſi litem perdidiſſet, ſimul amittebat eam pecuniam, cuius facta ſponſio eſſet: quam fuiſſe ex lege tertiam eius partem, de qua litigaretur, oſtendit haec oratio.

Formulae] Quam praetor vel iudici dat, vel arbitro: iudici, *ſi paret,* H-S ɪↃↃↃ *deberi:* ſubaudi, *tantum ſoluat:* arbitro, *quantum aequius melius ſit, dari:* ſubaudi, *iube.* Iudicii formulam plura teſtantur exempla. in Divin. c. 17. *Iudicium dat ſtatim, ſi pareret, eam, ſe et ſua Veneris eſſe, dixiſſe.* lib. II. in Verr. c. 12. *Si paret, fundum Capenatem, quo de agitur, ex iure Quiritium P. Seruilii eſſe.* lib. III. c. 22. *Si pareret, iugera eius fundi eſſe plura, quam colonus eſſet profeſſus.* Ibidem c. 28. *Si pareret, aduerſus edictum feciſſe.*

Ad libellam] Ad aſſem. idem enim valent: materia differunt; quod as aereus, libella argenteus nummus eſt.

Quantum aequius melius ſit dari (Ern. *melius, id dari*)] Praetoris formulae verba, arbitro datae, hoc ſenſu: Iube, non quantum petitur, ſed, quantum tibi aequius melius videtur petitori tantum dari. Eiusdem formulae mentio fit lib. III. de Offic. c. 15. *Reliquorum autem iudiciorum haec verba maxime excellunt; in arbitrio rei vxoriae, melius, aequius.* Quibus verbis arbitro poteſtas dabatur

dabatur ex aequo et bono aeſtimandi, quid actori dari oporteret.

Alter cauſſae confidit] Qui ad iudicem agit.

Alter diffidit] Qui ſuam cauſſam arbitro committit.

De tuarum tabularum fide] Quam ipſemet in dubium vocas, vbi compromiſſum facis.

Arbitrum ſumſeris] Qui compromiſſum facit, et arbitrum ſumit, certam ſibi non deberi pecuniam indicat. quod Chaerea cum fecerit; cur poſtea certam pecuniam, H-S ı ɔ ɔ ɔ, ad iudicem petit?

Repromittiue] Vt ex arbitri ſententia, quantum aequius et melius eſſet, vel daret tibi Roſcius, vel ſe daturum promitteret: ſi modo pareret, eum debere. Addidit enim Cicero, *ſi pareret*, vt nihil prorſus debere Roſcium oſtenderet: quod illa formulae verba, *quantum aequius melius*, aliquid eum debere ſignificare videbantur.

Eidem] Arbitro.

Eundem] Iudicem.

Anguſtiſſimam] Remittendi enim poteſtatem iudex non habet, ſed ex formula ſponſionis, verbi gratia, *ſi paret, Chaereae H-S* ı ɔ ɔ ɔ *Roſcium debere*, vel omnino condemnare Roſcium cogitur, vel abſoluere.

Duae partes cauſſae] Prior deſideratur. nam de non adnumerata pecunia mentio ſupra nulla fit.

Reliquum eſt, vt ſtipulatum ſe eſſe dicat] Vt haec H-S ı ɔ ɔ ɔ ſibi a Roſcio deberi per ſtipulationem dicat. Stipulationum duo genera, vnum extra litem, alterum in lite. vtrumque fiebat per interrogationem, et ſponſionem. extra litem hoc modo. Chaerea Roſcium interrogat: *Spondesne, te mihi daturum* H-S ı ɔ ɔ ɔ? ille reſpondet, *ſpondeo.* Ita Roſcius per ſtipulationem Chaereae debet H-S ı ɔ ɔ ɔ. quod ſi Roſcius non ſpopondit, ſtipulatio eſſe non poteſt. ideo ſubiungit Cicero ex perſona Roſcii: *Quis ſpopondiſſe me dicit? nemo.* Altera ſtipulatio eſt in lite, hoc modo. Petit ad iudicem C. Piſonem a Q. Roſcio Fannius Chaerea H-S ı ɔ ɔ ɔ, ex formula a praetore data, *ſi paret Roſcium Chaereae debere* H-S ı ɔ ɔ ɔ. ſponſionem facit cum tertia parte, id eſt, ſi cauſſa cadat, Roſcio daturum tertiam eius pecuniae partem, de qua litem intenderat: ne ſcilicet calumniam impunitam ferret. eandem ſponſionem Roſcius quoque faciebat: ſic alter alterum interrogabat, Roſcius Chaeream: *Spondesne, te mihi eſſe daturum, ni pareat* H-S ı ɔ ɔ ɔ *tibi a me deberi, eius pecuniae tertiam partem, de qua me in iudicium vocas?* Chaerea reſpondebat, *ſpondeo.* Ruſus Roſcium Chaerea interrogabat: *Spondesne, te mihi eſſe daturum, ſi pareat* H-S ı ɔ ɔ ɔ *mihi a te deberi, eius pecuniae tertiam partem, de qua te in iudicium voco?* Roſcius reſpondebat, *ſpondeo.* ſic alter alteri. ſponſione vtrimque facta, per ſtipulationem debebat eam pecuniam, cuius facta ſponſio erat. Et, quia prior ſponſio actoris erat, poſterior rei: ideo ſtipulationis et reſtipulationis nomen locum habebat. reſtipulabatur enim, qui ſponſione prouocatus, eandem ſponſionem facere non recuſabat. vnde apud Valerium Max. lib II. c. 8. *Valerius ſponſione Lutatium prouocavit,*

vit, ni ſuo ductu Punica claſſis eſſet oppreſſa. Nec dubitauit reſtipulari Lutatius.

CAPVT V.

Petita eſt] Ad iudicem Piſonem.

Certa] H-S ıↃↃↃ.

Cum tertia parte ſponſio facta eſt] Vt, niſi Chaerea H-S ıↃↃↃ ad libellam probaret ſibi a Roſcio deberi, non modo litem perderet, ſed praeterea tertiam partem pecuniae a ſe petitae, cuius pecuniae ſponſio facta eſſet. ſupra c. 4. *Pecunia tibi debebatur certa. quae nunc petitur per iudicem: in qua legitimae partis ſponſio facta eſt.*

Stipulatam non eſſe] Stipulatione promiſſam non eſſe, ſtipulatione non deberi.

Quid ergo eſt] Quid igitur, quod agam, relinquitur?

Et reus is eſt] Sic olim ex ingenio correxi.

Aduocatio] Viri graues, qui ad reum ſubleuandum ad iudicium veniebant, non vt cauſſam agerent, ſed vt praeſentia ſua reo ſuffragarentur.

In hanc formulam] A praetore iudici datam, ex qua litigatur.

Legitima] Legibus conſtituta.

Honoraria] Sic *arbiter honorarius* Chryſippus vocatur in libro de Fato c. 17. aeque enim qui controuerſam rem arbitro committunt, ei honorem habent, bene de illius fide, ſcientiaque exiſtimantes.

Omnia officia domeſtica] Perinde ac ſi agatur de quocumque iudicio legitimo, arbitrio honorario, officio domeſtico, ita dicam, ea perſequens diligenter, quae videntur extra cauſſam eſſe; cum ea iam abſoluerim, quae in cauſſa ſunt.

Neceſſaria] Ad obtinendam litem.

Ad C. Piſonem] Vt optimum virum.

Pro Roſcio] De illius vita et moribus: vt appareat, vter vtrum fraudare voluerit, Chaeream Roſcius, an Roſcium Chaerea.

Bonae exiſtimationis] Vt bene de Roſcio homines exiſtiment. quod pluris etiam, quam ipſam victoriam, probi viri faciunt.

CAPVT VI.

Quorum alterum] Si pecunia, quae a te petitur, ex ſocietate debetur.

Grauius et odioſius] Quia nihil grauius et odioſius, quam ſocium fallere.

In alterutram partem] Vel fraudatum eſſe ſocium, vel non eſſe.

Q. Roſcius] Subaudi, *ſocium fraudauit?*

Referuens] Exſiſtens, ebulliens, quaſi ex quodam improbitatis feruore natum.

Caſtiſſimam] Nullius vitii labe contaminatam.

Quam artis] Cum tamen arte excellat. vnde adagium: *Geſtum agere ſpectante Roſcio, impudentis eſt.*

Curia] Ordine ſenatorio.

Contra hunc venis] Proprie de litibus. Phil. II. c. 2. *Contra rem ſuam me, neſcio quando, veniſſe, queſtus eſt.* Phil. VIII. c. 6. *Negat ſe illi amicum eſſe debere: cum ſuo magno eſſet beneficio, veniſſe eum contra ſe.*

Hone-

Honeſtiſſimo] Hoc refertur ad eius dignitatem, qui honoris cauſſa appellatur.

Laederes] *Laedere*, interdum eſt, ſermone detrahere, vt hic: nam, *laudares*, vt contrarium infertur. Sic ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Cum me diſputantem, non laceſſentem, laeſiſſet, exarſi.* Ad Appium lib. III. epiſt. 8. *Quadam diſſimilitudine inſtitutorum meorum, ac tuorum laedi te putat*, pro, minui exiſtimationem tuam. Trebonius lib. XII. epiſt. 16. *Cum, etiam ſi odio pari fuerit in eos, quos laeſit, tamen certe non magis dignos habuerit, in quos tanta libertate verborum incurreret.*

Gratiae] Cum Chaereae gratificareris.

CAPVT VII.

Timidum, dementem] Si Roſcius fraudaſſe aliquem diceretur, non Chaereae ſimilem, ſed eum, qui ob timorem, dementiam, diuitias, inertiam experiri, id eſt, litigare non poſſet: incredibile tamen eſſet. cum vero fraudaſſe Chaeream dicatur, multo minus credibile eſt.

Ne vllum pilum viri boni habere dicatur] Nam, ſi capite, ſuperciliisque raſis non eſſet: habere eum aliquod ſaltem boni viri pilum, dici poſſet. ita non carere penitus bonitatis laude videretur. nunc vere dici poteſt, nullum eum habere pilum boni viri.

Neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur] Quamquam Roſcius, cum improbiſſimum lenonem agit, agat Chaeream, et in eius moribus, natura, vitaque perſonam illam lutulentam, impuram, inuiſam exprimat: tamen, pro beneficio parem ei gratiam non refert, id eſt, ab eo grauiſſime laeſus, non plane reponit, quod deberet.

Ballionem illum] In Pſeudolo inductum a Plauto.

Niſi forte] Niſi putat, ſui ſimilem eſſe Roſcium in moribus, et vita, quia ſe imitatur egregie in perſona lenonis: in qua exprimenda Chaereae quidem ſimilis eſt, cum in moribus tamen, et vita diſſimilis admodum ſit.

Caſtus] Purus, incorruptae vitae. ſupra c. 6. *Puriſſimam et caſtiſſimam vitam.*

Per ſe] Neceſſaria eſt praepoſitio, *per:* vt ſeruetur in oppoſitis ordo. nam, vt dictum iam eſt, *per malitiam, per imprudentiam:* ſic debet ſubiungi, *per auaritiam, per breuitatem:* vt *bonitas* hic pro negligentia quadam ſumatur. Aut igitur locus emendandus: aut, *per ſe*, pro ſua ſponte, dictum puto.

CAPVT VIII.

Saturius] Qui pro Chaerea agebat.

Veterator] Aſtutus.

M. Perperna] Ante Piſonem iudicem appellatur, quia conſularis, et cenſorius. Alius autem eſt ab eo, qui Sertorium occidit. nam ille non diu poſt Sertorii necem, hic autem vixit ad annos XCVIII. vt ait Plinius lib. VII. c. 48.

Tanti non fuiſſet (Ern. *fuiſſent*)] Hoc lucrum. lib. IV. in Verr. c. 12. *Fuit tanti.* Ibidem c. 20. *Eſt tanti.*

In ſuis nummis verſabatur] Eodem libro c. 6. *In ſuis nummis multis eſſe ac ſemper fuiſſe.*

Noluit] Vel quod artis ſuae praeſtantia non dignum quaeſtum iudicaret: merebat enim diurna opera, auctore Macrobio lib. II. Saturn. c. 10. mille denariis: qui ſcutati ſunt CXX.: vel quia proximis decem ſuperioribus annis quaeſtum reiecerat. vt infra.

Dionyſia] Nota ſaltatricula: cuius nomine L. Torquatus, vir antiquae ſeueritatis, Hortenſium appellabat, quod in geſtu plus, quam deceret, haberet artis.

Acerba] Fraudato ſocio.

Haec in cauſſa, et in iudicio collocata] Dubium igitur, vniusne propria, an duorum communis.

H-S *ſexagies*] Subaudi, centena millia: ſcutatorum CLXXX. millia. loquitur non de ſingulorum annorum, ſed de totius decennii quaeſtu.

Seruire non deſtitit] In ſcena.

Et geſtum, et animam ageres] Geſtum ageres, quamdiu viueres ad extremam vitae horam: tum quoque geſtum ageres, cum animam ipſam ageres. Iocatur in verbo, *ageres*, duas res, pro adiuncto nomine indicante. nam, *agere animam*, eſt mori.

Circumſcriptum] Deceptum, fraudatum.

Errare poſſit] Nam, qui erraret, cauſſa caderet.

A praetore] Dabat enim actori praetor iudicium cum formula.

CAPVT IX.

Arbitrium pro ſocio adegeris] Pro, ad arbitrium egeris.

Iudicio graui] Ne Roſcii obeſſes exiſtimationi.

Laedis] Perfidiae notam illi conaris inurere.

Per arbitrum] Cui licebat, quidquid vellet.

Circumuenire] Quod per arbitrum facilius eſſet, quam per iudicem.

Nullum eſt arbitrium] Cum in anguſtiſſimam formulam ſponſionis concludatur: vt ſupra dictum eſt.

Vbi licet agere] Apud arbitrum, quod fecerat Chaerea, ſed, pactione interpoſita, litigare apud arbitrum deſierat.

Iacere] Obiicere.

Vbi non oportet] Apud iudicem.

Illa formula vti noluiſti] Coeptam litem ad arbitrum perſequi noluiſti. Quae ſit arbitrii, quae iudicii formula, iam dictum eſt; illa mitis, et moderata, *quantum aequius melius ſit dari;* haec directa, aſpera, ſimplex, *ſi paret* H-S ӀↃↃↃ *deberi.*

Fecit pactionem] Roſcius cum Fannio. id enim Fannius dicebat, vt oſtenderet, ab inſtituto iudicio diſceſſurum non fuiſſe, niſi Roſcius pactionem feciſſet.

Num tabulas habet] Argumentum contra Fannium. nam, ſi facta pactio eſſet, mentio fieret in tabulis, non ſit mentio, ergo nulla pactio.

Cur non nominas] Conuertit ſermonem a Saturio ad Fannium.

Vt abſolueretur] Ne iudicium perageretur: vt ab arbitro dimitteretur. abſolui enim videtur, qui dimittitur.

Abſolutus] Iudicii moleſtia liberatus. dimiſſus ab arbitro, litem auctore non perſequente.

Quod erat ſumma innocentia, et integritate] Quia ſciebas, ab eo tibi nihil deberi.

Satisfeciſti] Excuſaſti te, purgaſti te verbis. id enim eſt *ſatisface-*

facere. hinc *ſatisfactionem accipere:* pro, excuſationem probare. ad Trebatium lib. VII. Fam. epiſt. 13. *Hic tu me etiam inſimulas, nec ſatisfactionem meam accipis.*

In iudicium vt denunciaret] Subeſſe mendum, ſatis conſtat: de correctione diuinandum. mihi quidem placeret hoc modo: *Illi iudicium vt denunciaretur.* pro, vt in iudicium ad arbitrum vocaretur.

Res erat manifeſta] Ironia. nam, ſi res non manifeſta, cur metueret, ne condemnaretur? ſi non metueret, cur pactionem faceret?

CAPVT X.

Exorditur] Saturius.

Veteris hiſtrionis] Panurgi. cum ironia dictum. quo modo enim vetus hiſtrio, ſi eum Fannius Roſcio erudiendum tradidit, et communem gratis fecit? tota igitur irriſio eſt, magnificis prolata verbis, ad exprimendam Saturii oſtentationem, qui, quod magna cum exſpectatione exorſus eſt, pauciſſimis verbis abſoluit: tantum enim hoc dixit: *Panurgus fuit Fannii. is fuit ei cum Roſcio communis.* Qua narratione quid humilius?

Non erat H-S IↃↃↃ] Non vendi potuit, ſi facies ſine arte eſſet, H-S IↃↃↃ: ſed, quia comicum artificium didicerat, locari potuit amplius H-S CCCIↃↃↃ.

Duodecim aeris] Duodecim aſſibus: qui erant aerei. vſitata locutio.

Locabat ſe] In perpetuum ſi locatus eſſet Panurgus, eius operae pretium non minus H-S CCCIↃↃↃ fuiſſet.

Captioſam] Ex parte Fannii.

Indignam] Ex parte Roſcii.

Statilio] Peſſimo hiſtrione.

CAPVT XI.

Ad primos peruenit comoedos] Plus igitur eſt artis in comoedo, quam in hiſtrione. quamquam et comoedi hiſtriones dicantur.

Me cognitorem dediſti] Qui agerem in iudicio, et litem curarem.

Lite conteſtata] Inſtituta: cum ſcilicet praetor iudicium dedit.

Damni iniuria] Subauditur, *dati*, vt, *damni iniuria*, ſint formulae verba, quam praetor dabat: quaſi, propter iniuriam damni dati.

Vtrum pro dimidia parte] Loquitur ex perſona Roſcii.

Si ſit hoc vero] Roſcius non fatetur, ſe decidiſſe cum Flauio H-S CCCIↃↃↃ. accepit enim fundum, non pecuniam: accepit autem, quo tempore iacebant pretia praediorum, perturbata bellis ciuilibus republica. *Si ſit hoc vero:* pro, *ſi vere ſit.*

CAPVT XII.

Erant incertae] Quia victoris arbitrio, ac libidine, publica priuataque geruntur omnia.

Tum erat ager incultus ſine tecto] Quo tempore quanti erat, non aeſtimabat illum agrum Chaerea, ſed quanti, poſtea quam et cultiſſimus fuit, et optimam villam habuit, et, republica conſtituta, poſſeſſionibus omnium certis, non iacebant pretia praediorum.

Numquam iſta te moleſtia et cura liberabo] Perpetuo cruciaberis alieno bono.

Vertit

Vertit hic rationem] Quia duo propoſuerat: *Vtrum pro dimidia parte: an pro tota ſocietate?* et vnum abſoluit, licuiſſe Roſcio pro ſua parte decidere; aggreditur alterum, *pro tota ſocietate.* Vertit, inquit, Fannius rationem, non ait Roſcium pro ſe, ſed pro tota ſocietate decidiſſe.

Lites redemit] Roſcius, accepto fundo, liberauit Flauium litibus non ſuis, ſed ſocietatis. Obiectio Fannii.

Quid ita ſatis non dedit] Reſponſio Ciceronis. Si Roſcius fundum illum accepit ſocietatis nomine; cur non Flauio ſatisdedit, amplius ab eo neminem petiturum? aut, ſi non ſatisdedit; quis credat, ei Flauium fundum ſuum dediſſe pro tota ſocietate?

A ſe] Ab ipſo Flauio.

Sibi cauere] Per ſatisdationem, acceptis ſponſoribus.

Litem conteſtatam habebat] Ad arbitrum. paullo ante c. 11. *Me cognitorem dediſti. lite conteſtata, iudicio damni iniuria conſtituto, tu ſine me cum Flauio decidiſti.*

Cur igitur decidit] Flauius cum Roſcio.

Non reſtipulatur] Non alligat Roſcium promiſſione per ſtipulationem facta, neminem amplius petiturum. *Reſtipulari*, eſt hic idem, quod ſtipulari. ſed, *reſtipulari*, Cicero dixit, vt Flauius, qui fundum dabat, contra ſibi per ſatisdationem caueret.

Iudicio non abſoluitur] Litibus non liberatur, quae a Fannio, Roſcii ſocio, imminent.

Neque a Fannio] Qui poteſt ei litem intendere pro ſua parte.

CAPVT XIII.

Ab tuis ſubſelliis] Erant iudicum, actorum, reorum ſubſellia.

Repromittis] Apparet omnino aliquid pecuniae Fannium a Roſcio accepiſſe, et propterea repromiſiſſe, id eſt, ſpopondiſſe, ei ſe, ſi quid a Flauio accepiſſet, dimidium daturum.

Quid hic porro] Roſcius.

Nunc] Ab hinc triennium. loquitur vt de praeſenti tempore, quia multo ante Roſcius deciderat, et quia reſtipulationis verba proxime ſunt recitata.

Reſtipulatur] Cur ſtipulatione Fannium alligat Roſcius, ſi pro tota ſocietate, vt tu ais, ante annos quindecim cum Flauio decidit, et eum omni lite liberauit, omni iudicio abſoluit. Hoc verbum, *reſtipulari*, de Roſcio hic, per ſtipulationem alligante Fannium, vſurpatur, paullo ante de Fannio, ei repromittente, et ſe per ſponſionem obligante. infra c. 18. *Qua, malum, ſtultitia fuit Roſcius, qui ex iurisperitorum conſilio et auctoritate reſtipularetur a Fannio diligenter, vt, quod is exegiſſet a Flauio, dimidiam partem ſibi diſſolueret: ſiquidem, ſine cautione et repromiſſione, nihilominus id Fannius ſocietati, hoc eſt, Roſcio, debebat?*

Omne, quod debuit, diſſoluit] Haec enim criminatio tua eſt, Roſcium cum Flauio pro tota ſocietate decidiſſe.

Fannio daret H-S ccc i ɔɔɔ] Quis credat, Fannio pro opera, pro labore, quod cognitor fuiſſet, a Roſcio tantum eſſe datum, quantum ipſe accepit a Flauio pro damno Panurgi nece accepto? multo minus fuerit, neceſſe eſt: ita-

itaque, ſi reponeretur, H-S CCIↃↃ, moderata ſumma eſſet, ſcutati ſcilicet trecenti.

Exegiſſe nihil] Hoc ita refellebat Cicero: Nihil exegit, quia litem proſequi noluit, ſed cum Roſcio repromiſit, ei ſe, ſi quid a Flauio exegiſſet, partem eius dimidiam daturum, oſtendit Roſcium pro ſua tantum parte deciſiſſe.

Initium repromiſſionis] Originem, et cauſſam repromiſſionis Fannii. ideo enim repromiſit, quia Roſcium iudicabat pro ſua parte, non pro ſocietate, deciſiſſe.

CAPVT XIV.

Neque iudicio abſolueretur a Fannio] Supra c. 12. *Cur tam imperite facit, vt nec Roſcium ſtipulatione alliget, neque a Fannio iudicio ſe abſoluat?*

Addictus erat tibi] Traditus a iudice, qui eum condemnauerat H-S CCCIↃↃↃ. *Addicti* enim dicebantur, quos praetor damnatos creditori domum ducendos tradebat vnde lib. II. de Orat. c. 63. *Quanti addictus? mille nummum. Ducas licet.* Quam tamen conſuetudinem ad haec permanſiſſe tempora non arbitror. nam Sulla dictatore C. Pompilius praetor pro debitoribus legem tulit, vt, qui bonam copiam eiuraſſet, in eum creditoris nulla poteſtas eſſet. Varro lib. VI. de lingua Lat.

Teſtem exſpectatis (Ern. *ſpectabis*)] Si cum Fannio loquitur, *exſpectas*, rectius videtur, quam, *exſpectatis;* ſi cum Fannio, et eius amico Saturio, qui contra Roſcium venit, aut etiam ſi cum iudice Piſone, et iis, qui aderant in conſilio, recte legitur, *exſpectatis.* nam, *ſpectabis*, vt eſt in vulgatis libris, mendoſum eſſe conſtat. Nec placet, *exſpectabis:* quia vis in praeſenti tempore maior eſt, quam in futuro.

Ex cenſu] Equeſtris cenſus fuit CCCC. millia, id eſt, duodecim ſcutatorum millia.

Eques Romanus eſt] Ergo poſt legem Aureliam, quae iudicia inter tres ordines communicauit, acta cauſſa eſt.

Potuit et debuit] Quia iudex fuit.

Qui ex Cluuio audierunt] Apparet, cum haec ageretur cauſſa, Cluuium abfuiſſe. nam, ſi adeſſet, teſtimonium eius recitaretur, non eorum, qui ex ipſo audiſſent.

CAPVT XV.

Nihil mihi detraham] Qui adoleſcens, qui homines aetate grandes laudet, arroganter facit, et ſibi potius detrahit: cum ipſe magis illorum indigeat teſtimonio, quam illorum ſenectus eius laudem deſideret.

Concoquendum] Statuendum. translatio a cibis, qui comeduntur, et concoquuntur.

Cuius propter fidem] Ita coniunge: *Cuius iudicis propter fidem et religionem.*

CAPVT XVI.

Hic non maiore religione] Non plus huic in peierando, quam in mentiendo, religionis eſt: cui religio

religio non eſt, mentiri, eidem, peierare non eſt.

Deprecatione deorum] Qui deprecatione deorum in peierando, idem in mentiendo conſcientiae fide commouetur. *Deprecatur deos*, id eſt, alienat, a ſeque remouet is, qui peierat. ſic, *deprecari bellum, ignominiam*, et ſimilia, dicitur.

Nimis cupidus] Gratificandi Roſcio.

Caſtiſſimus] Integerrimus. ſupra c. 7. *caſtus* opponitur *periuro*.

Confirmauit] In hac tam improba cogitatione.

CAPVT XVII.

H-S *millies*] Tricies centena ſcutatorum millia.

In iudicium haberet] A iudicio exſpectaret: ſi H-S millies in iudicio ageretur. locutio parum vſitata: quamquam, *eſſe in poteſtatem*, ſimili fere modo dicatur.

A Ballione] Ab impuriſſimo illo lenone, qui eſt apud Plautum in Pſeudolo: de quo ſupra c. 7.

Altera penſio] A Roſcio ſoluenda Fannio. iam enim dictum eſt, conueniſſe inter eos, rogante Piſone, vt Roſcius Fannio, pro opera, pro labore, quod cognitor fuiſſet, quod vadimonia obiſſet, pecuniam ſolueret eius pecuniae ſoluta prima penſio erat, ſecunda reſtabat.

Non tum, cum prima] Nam, ſi ſubornare falſum teſtem Roſcius Cluuium voluiſſet, certe ſubornaſſet potius ante, quam primam penſionem ſolueret. non enim eam ſoluiſſet, niſi Fannius ei dimidium eius dediſſet, quod a Flauio exegiſſet. cuius reſtipulationis verba ſupra c. 13. recitata ſunt.

H-S ↀↀↀ] Vt in eo loco, *rogaſti vt Fannio daret* H-S CCCIↃↃↃ, videri pecuniae nimium dixi, et legendum potius, CCIↃↃ; ſic hoc in loco, vt ea pecunia diuidatur in penſiones duas, pro IↃↃↃ reponendum puto, IↃↃ.

In eodem veſtigio (*in* abeſt ab Ern.)] Statim. ſic, *e veſtigio*, dicitur.

Quemadmodum non ſibi exegit] Id eſt, ergo ſibi exegit, non, quod tu ais, ſocietati.

CAPVT XVIII.

Litem conteſtatur] Litem intendit: accipit a praetore iudicium, vt litiget.

Quod ſi quisquam petere poteſt alteri] Alteri nemo petit, niſi qui cognitor eſt factus: Roſcius cognitor non eſt factus: quo modo igitur tibi petiit?

Damni iniuria] Formulae verba: et ſubaudiendum, *dati*. ſupra c. 11. *Lite conteſtata, iudicio damni iniuria conſtituto.*

Quodcumque tibi peteres] Cum eſſes cognitor Roſcii.

Quodcumque tibi exigeres] Non cum eſſes cognitor Roſcii, ſed cum poſt aliquot annos ſponſionem illam feciſti: *Quod a Flauio abſtulero, partem dimidiam inde Roſcio me ſoluturum ſpondeo.*

Niſi

Niſi te in ſuam litem dediſſet cognitorem] Inde enim accidit, vt pro opera, pro labore, quod cognitor fuiſſes, quod vadimonia obiſſes, pecuniam tibi Roſcius, duabus penſionibus ſoluendam, rogante Piſone promitteret; tu autem contra, ſi quid a Flauio exegiſſes, dimidium eius te Roſcio daturum repromitteres.

Ab eo] A Flauio.

Huic eripere potes] Quod falſum eſt. nam, vt a Flauio Roſcii partem extorquere non poſſes, ſic eam Roſcio eripere non potes. quod, ſi poſſe te putas, perverſo more agis. aut enim vtrumque licet, aut neutrum. illud non licere conſtat, cur hoc licere vis?

Qua, malum, ſtultitia fuit Roſcius] Ante multos annos minima correctione, diſtinctione mutata, locum reſtitui. legebatur, et diſtinguebatur hoc modo: *Quae, malum, ſtultitia fuit? Roſcius, qui.*

Reſtipularetur a Fannio] Reſtipulationem ſumeret a Fannio.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM
QVAE
DIVINATIO
DICITVR
SIVE
DE
ACCVSATORE IN C. VERREM CONSTITVENDO

ARGVMENTVM

Argumenti loco pauca dicam: quia Pedianus admodum diligenter hoc munus exſecutus eſt. C. Cornelius Verres (nam Corneliae gentis eum fuiſſe, indicant lib. I. et III. libertorum nomina) per triennium Siciliae praefuit; vbi cum auare multa, crudeliter, libidinoſe geſſiſſet, repetundarum a Siculis poſtulatus eſt. ii ſibi patronum ob eas cauſſas, quae in hac oratione exponuntur, Ciceronem delegerunt. Sed, cum accuſandi munus ad ſe potius pertinere Q. Caecilius Niger Siculus, qui Verris quaeſtor fuerat, contenderet; orta contentione, Cicero hanc orationem habuit, quae Diuinatio *dicitur; quia iudices, remotis teſtibus, et tabulis, argumenta ſola ſequantur, et quaſi diuinent, vter debeat accuſare.*

EXPLANATIO

CAPVT I.

Si quis veſtrum, iudices] Qui de conſtituendo accuſatore iudicabant, eosdem iudicare poſtea de reo conſueuiſſe, exemplo cognoſcimus C. Marcelli: de quo ſic infra c. 4. *Scit is, qui eſt in conſilio, C. Marcellus.* De eodem autem lib. IV. in Verr. c. 42. *Dedit*

Dedit igitur tibi fortuna Siculorum C. Marcellum iudicem. Iudicabant adhuc ſoli ſenatores ex lege L. Sullae; qui et in equeſtrem ordinem, et in plebem, quia contra ſe pro Mario pugnaverant, victor acerbe in primis, ademta etiam iudicandi poteſtate, animaduertit. hoc autem anno a L. Aurelio Cotta praetore lata lex eſt de iudiciis inter tres ordines communicandis.

Aut eorum, qui adſunt] Iudicia fiebant in foro, ſpectante, et audiente populo, praeſertim vbi orator clarus eloquentiae fama cauſſam ageret.

Miratur] Non inutilis eſt ratio occupandi, quae videntur obſtare: quae πρόληψις dicitur. quod notauit Quinctilianus lib. IV. c. 1.

Tot annos] Cauſſa Verris acta eſt Cn. Pompeio Magno, M. Craſſo coſſ. ad hos conſules a L. Sulla, Q. Metello coſſ. quo anno primam cauſſam publicam egit pro Sex. Roſcio, vndecim numerantur anni: ſi duos comprehendamus, vnum, quo Sulla, et Metellus, alterum, quo Pompeius, et Craſſus conſules fuere: ſin vtrumque excipimus, quod mihi quidem non videtur: vtroque enim Cicero cauſſas publicas egit; anni nouem erunt. e quibus biennium ſi demas, quo Cicero in Graecia fuit, et annum, quo quaeſtor in Sicilia: ſex relinquentur, quibus Cicero in cauſſis, iudiciisque publicis verſatum ſe dicit. nam, etſi libro de clar. orat. c. 92. ita ſcriptum reliquerit: *Cum igitur eſſem in plurimis cauſſis, et in principibus patronis quinquennium fere verſatus, tum in patrocinio Siculienſi maxime in certamen veni deſignatus aedilis cum deſignato conſule Hortenſio:* non tamen ibi totum tempus ſignificat, quod agendis cauſſis ab adoleſcentia dederat, ſed illud tantum, quo, reuerſus e Sicilia, (reuertit autem L. Octauio, C. Aurelio Cotta coſſ.) verſatus eſt in principibus patronis. quod eo patet dilucidius, quia Cicero, *quinquennium fere,* dicit. nam ab Octauio et Cotta coſſ. quo anno, vt dixi, rediit e Sicilia, ad Pompeium, Craſſumque coſſ. anni ſunt integri quattuor. quibus addita duorum annorum parte, eius, quo rediit e Sicilia, et eius, quo Verrem accuſauit, quinquennium fere fiet.

In cauſſis iudiciisque publicis] *Iudicium publicum* Iuſtinianus §. 1. Inſt. de publ. iudic. definit, cuius actio cuiuis de populo permittitur, tum ſcilicet, cum respublica laeſa eſt, vt in crimine maieſtatis, ambitus, repetundarum, peculatus, inter ſicarios, quo parricidium includitur, veneficii, de vi publica. Atque in eo Iuſtiniani loco adſcribit acuti vir ingenii, ſummaeque doctrinae: *Publica ergo iudicia inde nomen trahunt, quod patent omnibus.* Et ſubiungit: *Eadem ratione popularia iudicia ſunt publica, ex quo efficitur, vt alia ſint iudicia publica ciuilia, alia criminalia.* Idem in ſuis Paratitlis in tit. D. de publ. iudic. *populares,* inquit, *actiones, et publica iudicia ſunt, et retro publica, etiam popularia ſunt. Sed in vſu popularia plerumque dicimus ciuilia ſiue forenſia, publica criminalia, quae ex populo quilibet ſubſcribens in crimen iure ordinario intendere poteſt in poenam certam et legitimam.* Video tamen eſſe, qui hanc Iuſtiniani ſententiam in dubium

bium vocarit; qua ratione adductus, mihi, non admodum acuto, parum conſtat. negat enim publici iudicii nomen inde natum, quod cuiuis de populo liceat experiri, potius ab eo deducit, quia cauſſa publica ſit. id eſt, quia quiuis de populo iniuriam acceperit. Quaſi vero, cum hoc dicit, Iuſtiniani opinionem refellat. verbis enim differunt, re ipſa, vt ego arbitror, conſentiunt. quando enim cuiuis de populo licet experiri? quod Iuſtinianus de publico iudicio dixit. nimirum, quando cuiuis de populo facta iniuria eſt. id autem accidit, cum respublica laeditur. laedi enim non poteſt, niſi ſimul laedantur omnes.. quod ſi ex hoc illud, id eſt, ſi ex publica iniuria priuata ſequitur actio: cur in eo falli Iuſtinianum exiſtimem, quia ſpectauit id, quod ſequitur, omiſit, quod antecedit? iſto ſane modo tollantur enthymemata, quia ſemper aliquid omittunt, vnde etiam nomen acceperunt. At lege Laetoria, in eos lata, qui adoleſcentes circumſcripſiſſent, publicum iudicium rei priuatae conſtitutum eſt. Quid refert? priuata illa fuit iniuria: ſed quia, decipere incautam aetatem, graue ſcelus viſum eſt, accuſandi iure neminem excludi, item vt in iis criminibus, quibus vniuerſa respublica laedebatur, populo iure placuit: nec coepit eſſe, Laetoria lege lata, publica res, quae priuata antea fuerat, vt iidem interpretantur: ſed priuatae rei coepit eſſe publicum iudicium. quod ipſa quoque lib. III. de Nat. deor. c. 30. Ciceronis verba perſpicue demonſtrant. Atque id tamen inſtitutum in republica Iuſtiniani temporibus obſeruatum vix crediderim. proditum quidem, vnde ſuſpicari liceat, nihil video. quo verecundius, ac timidius ad ea reprehendenda, quae vel ipſe, vel, vt creditur, eius nomine ſpectatae ſapientiae viri litteris mandanda cenſuerunt, accedere nos decet. Exſtitere alii, qui non definitionem, ſed etymologiam a Iuſtiniano tradi iudicarunt: ipſi tamen de publici iudicii nomine non vnam, vt in re certa, ſed quattuor, vt in dubia, cauſſas attulerunt: primam, quia leges eae, quibus publica iudicia conſtituta ſunt, publicae dicantur: alteram, quia populi ipſius cognitio et animaduerſio erat priſcis temporibus, auctore Pomponio cap. 2. §. 16. D. de orig. iur. tertiam, quia maxime ad rempublicam pertinet eorum facinorum vindicatio: quartam, quia legibus illis exſecutio, et accuſatio publica effecta, id eſt, cuilibet e populo permiſſa eſt. Quarum, ego, cauſſarum quae ſit maxime probabilis, non diſputo: hoc dico, quae cum eo, quod a Iuſtiniano ſcriptum legimus, pugnet, earum, vt mihi quidem videtur, eſſe nullam.

Verſatus] Aſſiduitas quaedam oſtenditur hoc verbo.

Laeſerim] Accuſauerim. *Laedere* enim dicitur, qui oratione detrahit, aut inuehitur in aliquem: vt lib. II. in Verr. c. 46. *Te, omnium Siculorum patronum, vna Mamertina ciuitas, ſocia furtorum ac flagitiorum tuorum, publice laudat: ita tamen, nouo more, vt legati laedant, legatio laudet.* Ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Cum me diſputantem, non laceſſentem, laeſiſſet, exarſi.* Pro Fonteio c. 11. et Phil. III. c. 7.

c. 7. *laedere*, *laudare*, opponuntur.

Subito] Praeter conſuetudinem meam.

Nunc] Annos natus XXXVII. decet enim adoleſcentes accuſatio, potius quam viros: et inter illa adoleſcentium officia, quae valeant ad gloriam adipiſcendam, accuſationem Cicero numerat lib. II. de Offic. c. 14. Accuſauerat autem L. Craſſus C. Carbonem annum agens XIX. C. Caeſar Cn. Dolabellam annum XXI. Tacitus in dialogo de Orat. c. 34.

Ad accuſandum deſcendere] Habuit rationem loci. nam ex collibus, in quibus habitabant ingenui ciues, praeſertim nobiliores, deſcenſio erat in forum, vbi iudicia fiebant. propterea ſaepe hoc verbum vſurpat Cicero, vt lib. III. in Verr. c. 3. *Et in hoc homine ſaepe a me quaeris, Hortenſi, quibus inimicitiis, aut qua iniuria adductus, ad accuſandum deſcenderim.* Phil. II. c. 6. *Hodie non deſcendit Antonius.* Phil. VIII. c. 2. *Conſul ſe cum praeſidio deſcenſurum dixit.* Phil. XIV. c. 5. *Scitis enim, per hos dies creberrimum fuiſſe ſermonem, me cum faſcibus deſcenſurum.* Pro Cluentio c. 4. *Quod certiſſimis criminibus et teſtibus fretus ad accuſandum deſcenderit.* Pro Murena c. 28. *Si quis hoc forte dicet, Catonem deſcenſurum ad accuſandum non fuiſſe, niſi prius de cauſſa iudicaſſet.* Pro Coelio c. 1. *Sic conſtituetis, iudices, nec deſcenſurum quemquam ad hanc accuſationem fuiſſe, cui, vtrum vellet, liceret.* Coelius lib. VIII. Fam. epiſt. 8. *Sine vllo ſubſcriptore deſcendit, et Tuccium reum fecit.* Horatius lib. III. Carm. ode 1. v. 11.

Deſcendat in campum petitor.

Aſconius in argumento pro Mil. *Sedebat eo tempore Cn. Pompeius ad aerarium, perturbatusque erat eodem illo clamore: itaque Domitio promiſit, ſe poſtero die cum praeſidio deſcenſurum.*

Cauſſam rationemque] Adiungitur ad cauſſam ratio, quia cauſſa, quae non probetur, eſſe poteſt, ratio non poteſt: recte enim fit, quod ratio tuetur, ac probat.

Vna] Vel, *vna mecum;* vel, *vna* ad res duas, quae ſubiiciuntur, et ad duo verba, *probabit, putabit*, referatur: vt ſit: vna et probabit, quod ad accuſandum deſcenderim, et actorem hac in cauſſa non modo Q. Caecilium, qui mecum contendit, ſed neminem prorſus mihi eſſe praeponendum putabit.

Cum quaeſtor in Sicilia fuiſſem] Ridenda potius, quam refellenda eorum opinio, qui putant Ciceronem in vrbe primum, deinde in Sicilia quaeſturam geſſiſſe: quaſi per biennium quaeſtor eſſe potuerit. mos enim fuit, vt quaeſtores deſignati ſortirentur, quae cuiusque cura vel in vrbe, vel extra vrbem in magiſtratu futura eſſet. iuiſſe autem ſtatim initio magiſtratus quaeſtorem Ciceronem in Siciliam, Plutarchus in eius vita ſignificat: nec vlla quaeſturae eius vrbanae actio, nulla vmquam oratio nominatur: cum et conſul Murenam, et praetor Cluentium defenderit, Maniliam quoque rogationem ſuaſerit. Reſtat illa dubitatio, potueritne Cicero duobus praetoribus in prouincia quaeſtor eſſe, Sex. Peducaeo, auctore Pediano, et M'. Curtio, ipſo auctore

ctore Tullio: qui ait in ea poſt red. in ſen. c. 8. *Iam T. Fadius, qui mihi quaeſtor fuit, M'. Curtius, cuius ego patri quaeſtor fui, ſtudio, amore, animo, huic neceſſitudini non defuerunt.* De qua dubitatione homines eruditi, optimeque de litteris meriti, cum in ſuis libris aliquid attigerint; mihi tamen, vt, quod ſentio, dicam, id, quod opinantur, haud ſatis probant. nam nec in prouincia quaeſtor, niſi poteſtas prorogetur, vltra annum eſſe; nec duo praetores, duoue proconſules eodem anno eandem prouinciam adminiſtrare poſſunt. At Cicero nec vltra annum quaeſtor in Sicilia fuit: et duos tamen, niſi mentitur Aſconius, quod equidem non arbitror, praetores habuit. Hoc ipſum eſt, vnde ego me non facile explico. nam, ſi dicam, Ciceronem dimidium anni in Sicilia fuiſſe Peducaeo praetore, ne Aſconio fidem abrogem; et dimidium alterius Curtio; ne teſtimonium Ciceronis infirmem: valde mihi videar errare. ſic enim neceſſe erit, ſortitum iam Siciliam Ciceronem ſediſſe per ſex menſes in vrbe, prouinciali munere neglecto. citius crediderim e Sicilia deceſſiſſe Peducaeum ante exitum anni, aliqua nobis obſcura cauſſa, ſenatu permittente, et ei ſtatim Curtium ſucceſſiſſe: ita Ciceronem eodem anno duobus praetoribus quaeſtorem fuiſſe. quam difficultatem (nondum enim ipſe mihi plane ſatisfacio) miror a Pediano animadverſam non eſſe.

Vt Siculis omnibus iucundam, diuturnamque memoriam quaeſturae, nominisque mei relinquerem] In oratione pro Plancio c. 26. et Plutarchus.

In veteribus patronis multis] Marcellis maxime, ortis ab eo, qui Syracuſas cepit, et ſeruauit. ſic Allobrogum ciuitatem Q. Fabii Sangae patrocinio vti ſolitam, ſcribit Salluſtius in Cat. c. 41. credo, quod eos Q. Fabius Maximus vicerat, a quibus etiam Allobrogici cognomen accepit. fuit enim haec Romanorum ducum humanitas, vt, quos bello ſuperaſſent, in clientelam acceptos perpetuo tuerentur. quae conſuetudo tamquam hereditas quaedam ad poſteros etiam pertinebat. quod Cicero ipſe lib. I. de Offic. c. 11. narrat.

Vti cum] Vſitata fuerunt, *cum, tum: cum, tum etiam: cum, tum vero: tum, tum: tum, tum etiam.* nec maiorem aut prius poſteriore, aut poſterius priore vim habuit.

Nonnullum etiam in me] Minuit arrogantiam, quia veteribus Siculorum patronis, nobilitate, et virtute claris, quodam modo ſe comparare coeperat.

Qui nunc populati atque vexati, cuncti ad me publice ſaepe venerunt, vt ſuarum fortunarum omnium cauſſam defenſionemque ſuſciperem] Totam hanc ſententiam oratorie amplificat. cum enim dicit, *populati, atque vexati*, oſtendit ſe miſericordia moveri debuiſſe: cum ſubiungit, *cuncti*, vniuerſae Siciliae voluntate: cum, *publice*, auctoritate ciuitatum: cum, *ſaepe*, precibus, et ſtudio: cum, *fortunarum omnium*, vita, ac ſalute. dicit enim infra: *Veniſſe tempus aiebant, non iam vt commoda ſua, ſed vt vitam, ſalutemque totius prouinciae defenderem. Populati:* patiendi ſignificatione: vt paullo poſt c. 3. *Populatae, vexatae,*

xatae, funditus euerſae prouinciae.

Defenſionemque ſuſciperem] Vitat accuſatoris nomen: vt infra c. 2. *Quae videtur eſſe accuſatio mea, non potius accuſatio, quam defenſio eſt exiſtimanda. Defendo enim multos mortales, multas ciuitates, prouinciam Siciliam totam.*

Saepe] Cum eſſet in Sicilia, et cum inde Romam decederet. nam in ſola deceſſione polliceri ſaepe non potuit.

Eſſe pollicitum] Fidem igitur implorabant: quam non praeſtare, flagitium eſt.

Saepe oſtendiſſe] Et hoc ad vniuerſum quaeſturae tempus pertinet, non ad illud ſolum, quo decedens orationem habuit Lilybaei. *Oſtendiſſe* valet, ſpem verbis attuliſſe, vt ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 1. *Is, hac regia cauſſa excepta, ceteris in rebus ſe acerrimum tui defenſorem fore oſtendit.* Et ad Varronem lib. IX. Fam. epiſt. 8. *Etſi munus flagitare, quamuis quis oſtenderit, ne populus quidem ſolet, niſi concitatus.*

Quo tempore] Quod ad ſententiam attinet, otioſum eſt, *tempore*, ſed profecto, ſi quid ornat, otioſum id non eſt. ornat enim, aut ſaltem blanditur auribus eiusdem verbi repetitio: vt infra c. 13. *Cum illius diei mihi venit in mentem, quo die, citato reo, mihi dicendum ſit.* Et lib. II. in Verr. c. 74. *Erant haec ex eo genere, quod ego maxime genus ex ſociorum litteris reperire cupiebam.* Lib. IV. c. 21. *Domus erat ante iſtum praetorem nulla paullo locupletior, qua in domo haec non eſſent.* Lib. V. c. 11. *Scitote eſſe oppidum in Sicilia nullum ex iis oppidis, in quibus conſiſtere praetores, et conuentum agere ſolent, quo in oppido non iſti ex aliqua familia, non ignobili, delecta ad libidinem mulier eſſet.* Lib. II. de Offic. c. 24. *Valetudo ſuſtentatur notitia ſui corporis; et obſeruatione earum rerum, quae res aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe.* Lib. III. ad Q. Fr. epiſt. 3. *Diem ſcito eſſe nullum, quo die non dicam pro reo.*

Vitam ſalutemque totius prouinciae] Quod ſupra dixit: *Suarum fortunarum omnium.*

Ne deos quidem] Nedum homines, ad quos confugerent in eiusmodi tempore. Act. I. in Verr. c. 5. *Deum denique nullum Siculis, qui ei paullo magis affabre, atque antiquo artificio factus videretur, reliquit.*

Eorum ſimulacra] Quaſi, ſublatis deorum ſimulacris, dii ſimul ipſi tollerentur: non quod re vera ſic eſſet: ſed quod, opem deorum imploraturi, ad eorum ſimulacra confugere ſolerent. quod hodie quoque ſit.

Luxuries in flagitiis] Quattuor ab eo, qui multis imperat, requiruntur, continentia, humanitas, benignitas, comitas. pro his quattuor virtutibus totidem eis contraria vitia contulit in Verrem: vt etiam lib. II. c. 3. *Cum perferre non poſſent luxuriem, crudelitatem, auaritiam, ſuperbiam.*

Eas omnes] Mire auget querelam Siculorum. nam et, *omnes*, dicit; et, *hoc vno praetore;* et, *per triennium:* et, *pertuliſſe.* quae vim habent ſingula.

Hoc vno praetore] Cum vnus praetor eſſe non ſoleat per triennium. ſed Verres, exſpectatione

 Arrii

Arrii ſucceſſoris, qui non ſucceſſit, vltra legitimum tempus, prorogato imperio, Siciliae praefuit. Praetorias prouincias, video eſſe qui credant, annuas ex ea lege fuiſſe, cuius mentio fit Phil. I. c. 8. ſed ea lex a C. Caeſare poſt euerſam rempublicam lata eſt, amplius viginti annis poſt accuſationem Verris. Quid igitur? non annuae, cum accuſatus eſt Verres, praetoriae erant prouinciae? Erant, itemque conſulares, ſed veteribus legibus. Quid igitur Caeſar tulit? ne praetoriae prorogarentur, conſulares autem in alterum dumtaxat annum prorogationem haberent: cum vtrarumque prorogatio longior iam eſſe coepiſſet, quam et mos maiorum, et reipublicae ratio poſtularet. atque hanc legem Cicero ait optima etiam republica ſaepius eſſe flagitatam.

Rogare et orare] Orantis preces plus ad mouendum valent, quam rogantis. oramus enim, cum ſuppliciter, et cum quadam reuerentia petimus: rogamus etiam blande, et familiariter. Aſconius interpres: *Rogare, vt hominem: orare, vt deos. iam enim, quibus id facerent, non habebant.* Id mihi non placet. Quaſi vero Ciceronem, vt cauſſam ſuſciperet, deorum loco Siculi orarent. Concedo, erepta illis a Verre ſimulacra. quid tum? reliquerit ea Verres: non ideo Ciceronem Siculi oraſſent? aut quis credat, Siculos, cum Ciceronem rogarent, atque orarent, ad ſimulacra deorum, ſibi ademta, reſpexiſſe? quam multos oramus, nihil de diis cogitantes? vt lib. III. in Verr. c. 28. *Flentes rogare atque orare coeperunt.* Et ad Seruilium lib. XIII. Fam. epiſt. 66. *Te rogo atque oro, vt eum in reliquiis veteris negotiationis colligendis iuues.* Eſt igitur *orare,* non tamquam a diis petere, ſed ſtudioſe, ac vehementer petere, quacumque de re, et a quocumque homine petatur.

Supplices aſpernarer] Ex perſona Siculorum exprimit a ſe accuſationis officium. nam aſpernari Siciliam prouinciam, contumelioſum eſt; ſupplicem, inhumanum.

Me incolumi] Qui eos defendere et poſſem, et deberem.

Supplices eſſe] In tali re. nam, in omni re, arroganter diceret.

CAPVT II.

Tuli grauiter et acerbe] Auget oratorie ſignificationem moleſtiae ſuae. nam grauia multa ſunt, quae non acerba: acerbum vero ſi quid eſt, idem non modo graue, ſed ita graue, vix vt ferri poſſe videatur. graue autem, acerbumque erat Ciceroni, vel ſupplices aſpernari Siculos, ſui amantiſſimos, quibus praeſertim ſaepe pollicitus eſſet, commodis eorum ſe non defuturum; vel, cum ad eam aetatem pro reis, non contra reos, dicere ſolitus eſſet, eorum rogatu ad accuſandum deſcendere. Aſconius diſtinguit: *Grauiter, quod accuſare nollet: acerbe, quod Siculorum iniuriis affligeretur.* Cum vtrumque Cicero coniunxerit ad indicandum dolorem ſuum, ex difficili, dubiaque deliberatione ſuſceptum.

Exſpectaſſent (Ern. *petiſſent*)] Promiſſis meis adducti.

Tempo-

Tempore atque officio coactus] Tempore Siculorum, officio meo.

Q. Caecilium] Nigrum, domo Siculum, vt ait Pedianus, libertinum hominem, vt Plutarchus.

Quaeſtor] Verre praetore.

In eadem priuincia] Vt eum aeque, ac me, noſſe potuiſſent.

Poſt me] Vt eius memoria recentior apud eos deberet eſſe.

Quo ego adiumento] Secundum argumentum in Caecilium, a Siculorum voluntate. nam primum eſt, quod ad ſe cuncti, opem, atque auxilium petentes, publice ſaepe venerint.

Si iſtum non noſſent] Nam quia nouerant, nec probitati confidere, nec in eius eloquentia victoriae ſpem locare poſſe videbantur.

Aut ſi iſte apud eos quaeſtor non fuiſſet] Amare in Caecilium. nam quaeſtura, innocenter geſta, conciliat animos prouincialium, et vinculo quaſi quodam beneuolentiae coniungit. quod Siculis Cicero ſignificauerat, cum diceret: *Qui praeſertim quaeſtor in eadem prouincia poſt me quaeſtorem fuiſſet.*

Officio] Quod iis a me deberi videtur, apud quos quaeſtor fui.

Fide] Quia ſaepe ſum pollicitus, me commodis eorum non defuturum.

Miſericordia] Propter acerbiſſimas iniurias, quas Verre praetore per triennium pertuliſſent.

Multorum bonorum exemplo] L. Craſſi, M. Antonii, clariſſimorum oratorum, L. Luculli, et Marci fratris eius, L. Caeſaris Strabonis, P. Sulpicii, L. Fufii: quos nominat lib. II. de Offic. c. 13. 14.

Veteri conſuetudine, inſtitutoque maiorum] Quos imitatione dignos eſſe, nemo negat. in iis, vt ceteri mittantur, M. Cato ille Cenſorius accuſauit Ser. Sulpicium Galbam.

Laboris atque officii] Quia laboris, moleſtum eſſe poterat: ſed, quia ſimul officii, non moleſtum. lib. III. in Verr. c. 2. *Hoc ego plus oneris habeo, quam qui ceteros accuſarunt: ſi onus eſt id appellandum, quod cum laetitia feras ac voluptate.*

Non ex meo] Non quia perſequar iniurias meas: non enim ego laeſus a Verre ſum, aut mihi vllae cum eo priuatim intercedunt inimicitiae.

Quo in negotio tamen] Hactenus probauit, recuſare ſe accuſandi onus non potuiſſe: nunc oſtendere conatur, potius defendere ſe, quam accuſare. Laudat autem ipſe lib. II. de Offic. c. 14. eas accuſationes tantum, quae vel reipublicae cauſſa, vel patrocinii ſuſcipiuntur: et huius accuſationis in Verrem vtitur exemplo.

Vnus] Confert vnum cum multis: inde colligit argumentum. Si vnum accuſo, defendo multos: quid cauſſae eſt, quin actio mea defenſio potius, quam accuſatio, vocetur?

Quod ſi hanc cauſſam] Primam accuſationis cauſſam ab officio, fide, miſericordia deduxit; alteram ſumit ab ipſa republica, quae nunc exponitur,

Tam idoneam] Hoc ad aequitatem cauſſae refero: *tam illuſtrem*, ad prouinciae Siciliae nobilitatem: *tam grauem*, ad maxima Verris crimina.

Non petiſſent] Qui et petierunt, et cuncti, et publice, et ſaepe.

Cauſſa tantae neceſſitudinis] Orta ab eius quaeſtura: in qua negotiatoribus comem, mercatoribus iuſtum, municipibus liberalem, ſociis abſtinentem, omnibus in omni officio diligentiſſimum ſe praebuit. quod in ea pro Plancio c. 26. alibi etiam ſimile aliquid, de ſe ipſo ſcriptum reliquit.

Singulari cupiditate, audacia, ſcelere] Summae improbitatis deſcriptio quaſi per gradus ad ſummum perducitur. nam, qui cupit, is ſi non audet, nihil turpe committit. ſi vero ad cupiditatem accedat audacia, tum facile ſcelus erumpit. *Cupiditate:* verbum medium, quod ad bonas, malasque res aeque accommodatur. *Audacia:* proprie de malis rebus. *Scelere:* generale de omnibus vitiis C. Verris, ſupra nominatis, luxurie in flagitiis, crudelitate in ſuppliciis, auaritia in rapinis, ſuperbia in contumeliis. Eiusdem generis eſt id, quod proxime ſequitur, *furta, atque flagitia.* nam, cum vnum Verris crimen, *furta,* nominaſſet, ſubiunxit, *flagitia,* non luxuriem tantum notans, de qua dixit ſupra c. 1. *quas res luxuries in flagitiis efficere potuiſſet,* ſed omnia ſimul Verris crimina comprehendens. Facit hoc interdum Cicero, vt ex parte totum intelligat. nam, vt flagitium a luxurie ad omnia crimina, ſic ſcelus ab ea culpa, quae committitur in deos, ad nefaria quaeque deducit, quod, ſi cui propria ſceleris ſignificatio in dubium venit; audiat haec in Verrem conie̲cta lib. IV. c. 41. *Vnum hoc crimen videtur eſſe, et a me pro vno ponitur, de Mercurio Tyndaritano: plura ſunt. ſed ea quo pacto diſtinguere, ac ſeparare poſſim, neſcio. Eſt pecuniarum captarum, quod ſignum a ſociis pecuniae magnae ſuſtulit. Eſt peculatus, quod publicum populi Romani ſignum, de praeda hoſtium captum, poſitum imperatoris noſtri nomine, non dubitavit auferre. Eſt maieſtatis, quod imperii noſtri gloriae, rerumque geſtarum monumenta euertere atque aſportare auſus eſt. Eſt ſceleris, quod religiones maximas violauit. Eſt crudelitatis, quod in hominem innocentem, in ſocium noſtrum atque amicum, nouum ac ſingulare ſupplicii genus excogitauit.*

Praeditus] Vſurpatur tam de malis, quam de bonis rebus.

In Achaia, Aſia, Cilicia, Pamphylia] Hae quattuor prouinciae non omnes ad imperium Dolabellae proconſulis, cum quo Verres legatus profectus eſt, ſed Cilicia tantum, et Pamphylia pertinebant: vt act. I. c. 1. *Vexatorem Aſiae atque Pamphyliae.* Nam interdum *Aſiae* nomen vſurpat pro ipſa Cilicia: vt etiam lib. I. c. 19. *Seſe, cum eſſet trierarchus, et Verrem ex Aſia decedentem proſequeretur, iuſſu Dolabellae fuiſſe vna cum iſto Sami.* Et lib. III. c. 3. *Qui ſociorum iniuriis, prouinciarumque incommodis doleat, is in te non expilatione Aſiae, vexatione Pamphyliae, ſqualore et lacrumis Siciliae concitetur?* Ciliciae vero praefuiſſe Dolabellam, Cicero docet lib. I. in Verr. c. 16. *Poſtea quam,* inquit, *Cn. Dolabellae Cilicia prouincia conſtituta eſt: o dii immortales! quanta iſte cupiditate, quibus allegationibus illam*

Iam ſibi legationem expugnauit? Vellem quidem hoc in loco paullo vberior, ac dicam etiam paullo accuratior Pediani fuiſſet interpretatio. nam, quod ait, Verrem in his quattuor prouinciis legatum et proquaeſtorem Dolabellae flagitia multa commiſiſſe: id ex parte verum, ex parte falſum eſt: verum, ſi de legato Verre; falſum, ſi de proquaeſtore accipiatur. nam legatus erat, non proquaeſtor, cum per Achaiam, Aſiamque tranſiuit, in Ciliciam cum proconſule ſuo Dolabella proficiſcens. proquaeſtor autem fuit aliquanto poſt, quam in Ciliciam peruenit, Malleolo quaeſtore mortuo.

Romae denique. ante oculos omnium] Argumentum. nam, ſi Romae, ante oculos omnium improbus, praeſertim cum praetor eſſet vrbanus, quanto magis apud exteras nationes, longe ab oculis noſtris? procliuiores enim ad peccandum ſumus, impunitate propoſita.

Maxima turpiſſimaque] Quaedam maxima, quae neceſſe eſt eadem eſſe turpiſſima: quaedam ſi non maxima, ſaltem turpiſſima.

Me agente] Me accuſante. Honeſtiore vocabulo rem eam ſignificat, quae, veretur, ne reprehendatur: vt ſupra c. 1. *In hac cauſſa profecto neminem praeponendum eſſe mihi actorem putabit.*

Noſſemus] Vt explorata, ac certa. verbo enim vti voluit dubitationem excludente.

Meum factum aut conſilium] Et accuſationem ipſam, et accuſandi cauſſam. *Accuſationis* nomen, vt odioſum, vbique vitat. itaque, *meum factum*, dixit, et ſupra c. 1. *id, quod facio.*

CAPVT III.

Proh deum, hominumque fidem] Vtrum admiratur, an affirmat? vtrumque ſimul: et in vtroque teſtes adhibet deos, atque homines: quorum fidei non credere, nefas eſt.

Hoc tempore] Quo vel non accuſantur, qui ſocios noſtros populantur, vexant, euertunt; vel abſoluuntur. Hoc enim tacite ſignificat, et idem infra paullo apertius.

Populo Romano] Non contento ſenatoriis iudiciis. Infra: *In populi Romani quotidiana querimonia, iudiciorum infamia.*

Magis accommodatum ſit] Quam vt homines idonei, atque integri cauſſam reipublicae iudiciorumque ſuſcipiant. Hoc enim latius patere voluit, quam vt aut de ſe ipſo tantum actore, aut de vno reo C. Verre acciperetur. paullo poſt.

Populatae, vexatae, funditus euerſae] Saepe amplificat orator. amplificatio autem vel ſimplex eſt, vel duplex: ſimplex, vt hic, et ad Balbum lib. VI. Fam. epiſt. 12. *Omnia promiſſa, confirmata, certa et rata ſunt.* Ibidem: *Vidi, cognoui, interfui.* Lib. III. in Verr. c. 3. *Qui quaeſtor conſulem ſuum, conſiliis commiſſis, ſpoliare, relinquere, prodere, oppugnare auſus ſit.* In Catil. II. c. 1. *Abiit, exceſſit, euaſit, erupit.* Eadem ex coniunctis, vt infra c. 4. *Siciliam prouinciam C. Verres per triennium depopulatus eſſe, Siculorum ciuitates vaſtaſſe, domos exinaniſſe, fana ſpoliaſſe dicitur.* Et ſubiungit:

Me defenſorem calamitatum ſuarum, me vltorem iniuriarum, me cognitorem iuris ſui, me actorem cauſſae totius eſſe voluerunt. Et act. I. in Verr. c. I. *Depeculatorem aerarii, vexatorem Aſiae atque Pamphyliae, praedonem iuris vrbani, labem atque perniciem prouinciae Siciliae.* Et in Catil. II. c. I. *Furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriae nefarie molientem, vobis, atque huic vrbi ferrum flammamque minitantem.* Atque huius quidem generis legentibus Ciceronis orationes prope innumerabilia occurrunt. Duplex illa pro Milone c. 4. *Eſt igitur haec, iudices, non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus.*

Socii, ſtipendiariique] Stipendiarii diſtinguuntur a ſociis, non quod ipſi quoque inter ſocios non eſſent, ſed, vt arbitror, quia conditione omnium deterrima. fuere enim ſociorum tria genera, immunes, vectigales, ſtipendiarii. id mihi videor ex ipſo Cicerone poſſe colligere. nam lib. IV. in Verr. c. 6. *maiores*, inquit, *noſtri facile patiebantur haec eſſe quam plurima apud ſocios, vt imperio noſtro quam ornatiſſimi florentiſſimique eſſent.* Hoc de ſociis immunibus dici, quis non putet? cum ſequatur: *Apud eos autem, quos vectigales, aut ſtipendiarios fecerant, tamen haec relinquebant, vt illi, quibus ea iucunda ſunt, quae nobis leuia videntur, haberent haec oblectamenta, et ſolatia ſeruitutis.* Haec Cicero: qui et in ea pro Balbo c. 9. diſtinguit ſtipendiarios a foederatis. Vectigal autem exigebatur ex decuma, portorio, pecore publico: vnde publicani, qui exigebant, decumani, portitores, pecuarii vocati: eorumque tota ratio, *ſcriptura*, vt ait Aſconius: de quo poſtea conſiderabimus. Stipendium grauius, quam vectigal. non enim certum, et inaequale, ſed arbitrio populi Romani pendebatur. et in eadem prouincia ciuitates erant aliae vectigales, aliae ſtipendiariae. vtriusque generis apud Plinium leguntur multae.

Non ſalutis] Quam penitus amiſerunt.

Exitii ſolatium] Quod ſolatium? vt condemnentur ii, quorum ſcelere afflicti perditique ſunt.

Queruntur, accuſatores ſe idoneos non habere] Vt infamia ſe liberent, culpam autem in accuſatores conferant. *Idoneos:* infra referri videtur ad ingenium, diligentiam, eloquentiam, non ad probitatem. dicit enim: *Vt homines idonei, atque integri cauſſam reipublicae legumque ſuſciperent.* Hic ſignificantur omnia, quae ab accuſatore poſtulantur: vt act. I. in Verr. c. 16. omnia, quae a iudice: cum ait: *Hic ſi quid erit offenſum, omnes homines non iam ex eodem ordine alios magis idoneos, quod fieri non poteſt, ſed alium omnino ordinem ad res iudicandas quaerendum arbitrabuntur.*

Multis incommodis] Ademerat Sulla tribunis plebis poteſtatem capiendi alios magiſtratus, quam eis poſtea C. Cotta conſul reſtituit. ademerat et ius ferendarum legum, intercedendi tamen reliquerat. qua de re ſic Caeſar lib. I. de bell. ciu. c. 5. *Nec tribunis plebis ſui periculi deprecandi, neque*

que etiam extremi iuris interceſſione retinendi, quod L. Sulla reliquerat, facultas tribuitur. Idem paullo poſt c. 7. *Sullam, nudata omnibus rebus tribunicia poteſtate, tamen interceſſionem liberam reliquiſſe: Pompeium, qui amiſſa reſtituiſſe videatur, bona etiam, quae ante habuerit, ademiſſe.* Tranſtulit idem Sulla ad ordinem ſenatorium iudicia, reiectis equitibus, qui lege Sempronia C. Gracchi cum ſenatoribus iudicabant. Ademit etiam populo comitia ſacerdotum omnium, et eos collegiorum arbitrio cooptari voluit, vt augures ab auguribus, flamines a flaminibus.

Iudiciorum deſiderio tribunicia poteſtas efflagitata eſt] Eam poteſtatem hoc ipſo anno conſul Pompeius reſtituerat. Efflagitata eſt autem a populo, vt eſſent tribuni plebis, qui ſenatoribus iudicibus, male iudicantibus, diem ad populum dicerent. exemplum exſtat in oratione pro Cluentio L. Quintii tribuni plebis, qui C. Iunium, propterea quod minus honeſte iudicaſſet, in concionem arreptum condemnauit. Et act. I. in Verr. c. 15. *A populo Romano,* inquit, *contemnimur, deſpicimur: graui diuturnaque iam flagramus infamia. Neque enim vllam aliam ob cauſſam populus Romanus tribuniciam poteſtatem tanto ſtudio requiſiuit: quam cum poſcebat, verbo illam poſcere videbatur, re vera iudicia poſcebat. Neque hoc Q. Catulum, hominem ſapientiſſimum atque ampliſſimum, fugit, qui, Cn. Pompeio, viro fortiſſimo et clariſſimo, de tribunicia poteſtate referente, cum eſſet ſententiam rogatus, hoc initio eſt ſumma cum auctoritate vſus: Patres conſcriptos iudicia male et flagitioſe tueri: quod ſi in rebus iudicandis populi Romani exiſtimationi ſatisfacere voluiſſent, non tantopere homines fuiſſe tribuniciam poteſtatem deſideraturos.*

Leuitate] *Improbitate,* non dixit, vt iudicum animos verbo molliore minus offenderet. *Leuis* autem *iudex* eſt, qui facile mouetur, et de recta iudicandi via deflectit. ſic contra, *grauis iudex*, in tuendo iure firmus, et conſtans.

Ordo quoque alius] Equeſter: ſed, praeter equeſtrem, additus eſt tertius, tribuni aerarii, Aurelia lege. Et hic, vt leuius afficiantur iudices, non dicit, *ordo alius*, (excluderentur enim iudiciis ſenatores) ſed, *ordo quoque alius:* id eſt, qui vobiſcum ſimul iudicet.

Ad res iudicandas] Modus loquendi. act. I. in Verr. c. 16. *Alium omnino ordinem ad res iudicandas quaerendum arbitrabuntur.* Ibidem c. 15. *Quod ſi in rebus iudicandis populi Romani exiſtimationi ſatisfacere voluiſſent.* Lib. II. c. 71. *Quos ii, qui ſeueriora iudicia deſiderant, arbitrantur res iudicare oportere.* Vbi antea, *reos iudicare*, mendoſe legebatur. Phil. I. c. 8. *Viri fortiſſimi atque honeſtiſſimi, qui ordines duxerunt, res et iudicant, et iudicauerunt.* Coelius lib. VIII. Fam. epiſt. 14. *In hac discordia video, Cn. Pompeium ſenatum, quique res iudicant, ſecum habiturum.* Et alibi ſaepe.

Iudicum culpa atque dedecore] Hic minus parcit iudicibus, quam ſupra: quia ſubiungit, quaſi medicinam vulneris, cenſoriae ſpem reuocandae poteſtatis: quam ſenatui

natui gratiorem fuiſſe, quam populo, ſequentibus intelligitur: vel quia legerentur e ſenatu; vel quia, moribus cum praeeſſent, vnde *magiſtri morum* vocabantur, et in omnes pro cuiusque culpa animaduerterent, maiorem populo, qui eſt ad peccandum procliuior, quam ſenatui, metum iniiciebant.

Id nunc poſcitur] Aliquot annis intermiſſum. reſtitutum eſt hoc anno a Pompeio, et Craſſo coſſ. cenſoresque creati Gellius et Lentulus.

Totius ordinis] Senatorii, penes quem iudicia ſunt.

Idonei atque integri] *Idonei*, ad agendum; *integri*, ne corrumpantur. nam in eo, qui accuſat, ſimul cum eloquentia requiritur integritas.

Reipublicae] Vt prouinciarum, ſociorumque ſaluti, condemnanda hominum nocentiſſimorum libidine, conſulatur.

Legumque] Poenas nocentibus irrogantium.

Fateor] Vide modeſtiam, vel potius artificium oratoris. qua enim in re ſibi laudem deberi, proximo oſtendit ſuperiore membro, in ea re ſubiungit, *fateor:* quod eſt verbum excuſantis, ac tuentis id, quod veretur, ne cui turpe videatur. et ſequentibus quoque verbis accuſationis nomen euitat, cauſſam rei pro ipſa re ſubiiciens. poterat enim ſententiam ita concludere: Fateor me ſalutis omnium cauſſa ad accuſandum deſcendiſſe: ſed, vt dixi, maluit cauſſam, cur accuſet, ſubſtituere: et hoc modo concluſit: *Fateor, me, ſalutis omnium cauſſa, ad eam partem acceſſiſſe reipublicae ſubleuandae, quae maxime laboraret.* ſic lib. I. in Verr. c. 2. *Mihi videor magnam, et maxime aegram, et prope depoſitam reipublicae partem ſuſcepiſſe: neque in eo magis meae, quam veſtrae laudi exiſtimationique ſeruiſſe.*

Quibus rebus adductus] Quattuor eſt adductus, officio, fide, miſericordia, reipublicae cauſſa.

Neceſſario] Excuſari vult neceſſitate, propter ea, quae cum de ſe ipſo, tum contra Caecilium maxime, dicturus ſit.

Quod ſequi poſſitis] Vtroque noſtrum cognito, habebitis, quod ſequi poſſitis in accuſatore deligendo.

Cum de pecuniis repetundis nomen cuiuspiam deferatur] Quaerat aliquis, cur hoc vno de crimine, non ſimul de ambitu, de maieſtate, et reliquis: poteſt enim, delato cuiuspiam nomine, non tam de repetundis, quam de quouis alio crimine, oriri certamen inter eos, qui accuſare cupiunt: vt inter P. Sullam, qui Gabinii nomen de ambitu detulerat, et L. Torquatum: de quo ſic lib. IV. ad Attic. epiſt. 16. *Candidati conſulares omnes rei ambitus. accedit etiam Gabinius: quem P. Sulla, non dubitans quin foris eſſet, poſtularat, contradicente, et nihil obtinente Torquato.* Et lib. III. ad Q. Fr. epiſt. 3. *Gabinium de ambitu reum fecit P. Sulla, ſubſcribente priuigno Memmio, fratre Caecilio Sullae filio. Contradixit L. Torquatus, omnibusque libentibus non obtinuit.* Quibus in locis operae pretium eſt animaduertere, *poſtulare*, et, *reum facere*, idem eſſe, quod, *reum deferre.* id quod ex epiſtola quoque M. Coelii, lib. VIII. Fam. 8. licet intelligere. Sed, vt ad quaeſtionem

ſtionem redeam; ſi de quouis crimine Cicero locutus eſſet, locum non haberet id, quod ſequitur, *quem maxime velint actorem eſſe ii, quibus factae eſſe dicantur iniuriae:* quod proprie pertinet ad crimen repetundarum.

Nomen cuiuspiam deferatur] Nominis delationem ſequebatur accuſatio. accidebat autem interdum, vt, qui nomen detulerat, non accuſaret. *Ille nouitius Ligur,* ait in oratione pro domo c. 19. *venalis adſcriptor et ſubſcriptor tuus, cum M. Papirii, ſui fratris, eſſet teſtamento et iudicio improbatus, mortem eius ſe velle perſequi dixit: nomen Sex. Propertii detulit, accuſare, alienae damnationis ſcelerisque ſocius, propter calumniae metum, non eſt auſus.* Et Coelius lib. VIII. Fam. epiſt. 6. *Inter poſtulationem, et nominis delationem vxor a Dolabella diſceſſit.* Quo loco videtur Coelius pro accuſatione poſtulationem vſurpaſſe. Cicero tamen, *poſtulauit,* pro, nomen detulit, interdum dixit: vt monui ſupra.

Cui potiſſimum delatio detur] Cuius delatio probetur, id eſt, quis accuſator conſtituatur. nam, delatione probata, ſequitur accuſatio.

CAPVT IV.

Vtrumque eſſe arbitror perſpicuum] Nam et Siculi, et Verres ipſe, ſuae voluntatis non obſcura ſigna dederant. de Siculis dictum eſt ſupra; de Verre ſic infra c. 7. *At enim ſolum id eſt, vt me Siculi maxime velint: alterum illud, credo, obſcurum eſt, a quo Verres minime ſe accuſari velit. Ecquis vmquam tam palam de honore, tam vehementer de ſalute ſua contendit, quam ille, atque illius amici, vt ne haec mihi delatio detur?*

Quorum cauſſa] Quia ſociorum cauſſa conſtitutum erat iudicium de pecuniis repetundis.

Domos exinaniſſe] A ſummis ad infima deſcendit: alibi ab infimis adſcendit ad ſumma. quod vtrumque valet ad ornandum. Hic igitur a prouincia ad ciuitates, a ciuitatibus ad domos, id eſt, a toto ad partes, a partibus ad particulas: at ſupra, ab vna iniuria ad multas, a multis ad exitium: cum dixit: *Populatae, vexatae, funditus euerſae prouinciae.*

Spectatam iam, et diu cognitam] In quaeſtura. Non ſatis videbatur, *ſpectatam,* niſi adderet, *cognitam:* quam multa enim ſpectantur, quae non cognoſcuntur. plena vero, minimeque dubia cognitio eſt, quae tempore confirmatur. ideo addidit, *diu.*

Legibus petunt] Date hoc legibus, non Siculis.

Cognitorem iuris ſui] Procurator abſentem, cognitor praeſentem defendit. et videtur in quacumque re, maxima, minima, procurator fuiſſe; cognitor in maiore tantum. teſtem habeo Ciceronem ipſum. nam lib. I. in Verr. c. 5. *credet,* inquit, *iis equitibus Romanis populus Romanus, qui ad vos antea producti teſtes, ipſis inſpectantibus, ab iſto ciuem Romanum, qui cognitores homines honeſtos daret, ſublatum eſſe in crucem dixerunt.* Ibique Pedianus: *Hoc genus defenſionis in iure* cognitor *dicitur, maxime cum de alicuius ſtatu agitur.* ſic Cicero Siculorum iuris in re maxima cognitor eſt: equites

tes Romani cognitores eius erant, quem ſi ciuem Romanum eſſe teſtimonio ſuo probarent, ſperabant a turpiſſimo mortis genere poſſe liberari. Nam, quod Pedianus dixit, *maxime cum de alicuius ſtatu agitur:* habuit rationem eius loci, quem interpretabatur: agebatur enim de ſtatu, et conditione hominis in ſummo vitae diſcrimine conſtituti: ſed omnem ſignificationem, quae cadit in cognitoris nomen, haud omnino comprehendit. non enim, vt arbitror, ad ſtatum Siculorum Ciceronem reſpexiſſe, cum dixit, *me cognitorem iuris ſui*, quisquam putabit, ſed ad iniurias, quas Verre praetore pertulerant. quamquam Pedianus excuſatione prorſus carere non videtur: aliquam enim ſignificationem excludit, cum ait, *maxime.*

Non praeiudicium, ſed plane iudicium] *Praeiudicium* interdum eſt ſignum, et iudicium iudicii futuri. nam, ſi conſtat, Siculos omnes actorem ſuae cauſſae quaeſiſſe: apparet, vniuerſam Siciliam a Verre populatam, atque vexatam. interdum eſt iudicium, quod in vno factum, alteri, qui reus eodem crimine futurus eſt, vehementer nocet. huius generis eſt illud pro Cluentio c. 22. *Quid eſt, quod iam de Oppianici cauſſa plura dicamus? Apud eosdem iudices reus eſt factus, cum is duobus praeiudiciis iam damnatus eſſet.* Ibidem: *Qui ceteros, nullo praeiudicio facto, tamen ex ipſa cauſſa condemnaſſent: hunc, quem bis condemnatum iam acceperant, liberarent?* Paullo poſt: *Quod ſi hoc videtis, illo iudicio reum condemnari, praeſertim ab iisdem iudicibus, qui duo praeiudicia feciſſent, neceſſe fuiſſe: ſimul illud videatis, neceſſe eſt, nullam accuſatori cauſſam eſſe potuiſſe, cur iudicium vellet corrumpere.* Eodem ſenſu Suetonius in Iulio c. 23. *Quaeſtor eius in praeiudicium aliquot criminibus arreptus eſt.*

Actorem ſuae cauſſae] Modeſte: cum dicere debuerit, *me actorem ſuae cauſſae.* nam illud refellit: *Si id audebis dicere, Siculos hoc a me non petiſſe.* Et infra ſubiungit: *Hi ſciunt, hoc non modo a me petitum eſſe, ſed ita ſaepe, et ita vehementer eſſe petitum, vt aut cauſſa mihi ſuscipienda fuerit, aut officium neceſſitudinis repudiandum.* Quod tamen ipſe omiſit, intelligitur.

Nimium familiariter] Non vt eum decet, qui accuſat. Videto, inquit, ne, cui te inimicum eſſe profiteris, ei amicus eſſe videaris. Idem ſupra: *Cauſſam inimici tui ſubleuabis.*

C. Marcellus] Cum eſſent alii Marcelli, Siculorum patroni; tamen hic ſolus nominatur, et quia iudex erat, et quia dignitate praeſtabat: praeturam enim geſſerat, et ex praetura in Siciliam cum imperio iuerat: quo tempore multa in Siculos officia contulerat. Lib. III. in Verr. c. 91. *C. Marcelle, te appello. Siciliae prouinciae, cum eſſes proconſul, praefuiſti.* Et lib. IV. c. 40. *Equeſtres ſunt medio in foro Marcellorum ſtatuae, ſicuti fere ceteris in oppidis Siciliae: ex quibus iſte C. Marcelli ſtatuam delegit: cuius officia in illa ciuitate, totaque prouincia recentiſſima erant et maxima.* Is igitur C. Marcellus pater eius fuit, qui cum L. Paullo conſulatum geſſit. augurem fuiſſe, ex lib. II. de Diuin.

Diuin. c. 35. cognoſcitur: et Ciceronis ad eum epiſtola lib. XV. Fam. 8. *Collegae*, inſcripta eſt. Erat, cum haec Cicero dixit, alter C. Marcellus, cognomine Aeſerninus adoleſcens, quem ab eo, qui iudex hac in cauſſa ſedit, diverſum fuiſſe, ex lib. IV. in Verr. c. 42. ſatis patet.

Cn. Lentulus Marcellinus] Corneliae gentis, qui conſulatum geſſit cum L. Philippo. transiuit per adoptionem a Claudiis Marcellis ad Cornelios Lentulos: itaque duobus cognominibus vſus eſt. ideo dixit Pedianus, Marcellum, et Marcellinum, gentiles inter ſe fuiſſe.

Quorum] Quia Marcellinus, item vt Marcellus, a vetere Siculorum patrono, qui Syracuſas victor ſeruauit incolumes, a M. Marcello originem ducebat.

Praeſidio] Virtutem ſignificat.

Ab ſuo iudicio] De me enim iudicant, id quod eorum preces declarant, non modo Caecilium potius, quam me, ſed omnino, praeter me, actorem ſuae cauſſae quemquam a vobis non eſſe deligendum. Huc pertinet illud, dictum ſupra c. 1. in oſtendenda Siculorum voluntate: *Rogare et orare, ne illos ſupplices aſpernarer, quos, me incolumi, nemini ſupplices eſſe oporteret.*

Praeter duas ciuitates] Verris praedarum, furtorumque ſocias: quae non modo contra Verrem legationes non miſerant, verum etiam pro ipſo miſerant. eae fuere Mamertina, et Syracuſana. de Mamertina ſic lib. IV. c. 7. *Mamertina ciuitas iſtum publice communi conſilio ſola laudat: omnibus ipſe ceteris Siculis odio eſt: ab his ſolis amatur.* Et ibidem c. 10. *Haec ciuitas iſti praedoni ac piratae Sicilienſi Phaſelis fuit. huc omnia vndique deportabantur; apud iſtos relinquebantur: quod celari opus erat, habebant ſepoſitum ac reconditum: per iſtos, quae volebat, in navem clam imponenda, occulte exportanda curabat: nauim denique maximam, quam onuſtam furtis in Italiam mitteret, apud iſtos faciendam, aedificandamque curauit.* Et paullo poſt: *Hinc illa crux, in quam ciuem Romanum iſte, multis inſpectantibus, ſuſtulit: quam non auſus eſt vsquam defigere, niſi apud eos, quibuscum omnia ſcelera ſua ac latrocinia communicaſſet.* De Syracuſana autem ſic eodem libro c. 61. *Exiſtimabam, vt Romae ex iſtius amicis acceperam, ciuitatem Syracuſanam, propter Heraclii hereditatem, non minus eſſe iſti amicam, quam Mamertinam, propter praedarum ac furtorum omnium ſocietatem.* Et paullo poſt c. 62. *Reſpondi, neque Romae in conuentu Siculorum, cum a me auxilium communi omnium legationum conſilio petebatur, cauſſaque totius ad me Siciliae deferebatur, legatos Syracuſanorum affuiſſe.* Et proxime: *Eosdem Romae fuiſſe legatos, illius adiutores improbitatis, ſocios furtorum, conſcios flagitiorum.*

Duo crimina] Vnum cum Mamertinis, alterum cum Syracuſanis communicatum. in quo recte Pedianus: *Duo crimina, generaliter: nam multa ſunt.*

A me potiſſimum] Omiſſis veteribus patronis.

Oculis iudicare] Quod mentis eſt, ad oculos transfert: alibi, quod eſt animi, ad oculos: vt ad

ad Lucceium lib. V. Fam. epiſt. 12. *Cerno iam animo, quanto omnia vberiora atque ornatiora futura ſint.*

Detrimento] Apud vos in actore deligendo.

Et hoc non modo in oratione mea non pono, ſed ne in opinione quidem cuiusquam relinquo] Simile illud infra c. 8. *In quo ego quid eniti, aut quid efficere poſſim, malo in aliorum ſpe relinquere, quam in oratione mea ponere.*

Omnibus patronis] De patronis tantum Siculorum, ac de ſolis etiam Marcellis loquitur, non de omnibus, qui ſunt in ciuitate: quod ſequentibus intelligitur.

Temporis, valetudinis, facultatis ad agendum] Egregie Pedianus: Temporis, *Marcelli iudicantis tunc:* valetudinis, *Marcellini. quod erat tunc infirmior valetudine corporis:* facultatis, *alterius Marcelli, iuris magis ſtudioſi, quam eloquentiae.* Alterum Marcellum, cuius nomen Pedianus omittit, arbitror eſſe M. Marcellum, qui cum C. Aquillio, L. Lucilio, P. Quintilio de cauſſa P. Quintii tamquam iurisconſultus iudicauit. et, vt arbitror, idem eſt, qui lib. I. in Verr. c. 51. nominatur, et qui C. Marcelli Aeſernini pater fuit: vt in Bruto c. 36.

Ducta ratio eſt] A Siculis: qui non contemſere veteres patronos, ſed variis cauſſis, ne opem et auxilium ab iis peterent, adducti ſunt. Marcellinus inter Siculorum patronos numeratur, quia Marcellus, ante quam adoptaretur, fuerat, et Marcellini cognomen, vt Marcellus fuiſſe videretur, aſſumſerat. ſupra quoque, cum eum Cicero vt Siculorum patronum nominaſſet, ſubiecit: *Omnino Marcellorum nomini tota illa prouincia adiuncta eſt.* Et ad C. Marcellum conſulem lib. XV. Fam. epiſt. 10. Marcellos, Marcellinosque coniungit; in mentione Marcellorum, genus cognoſcens; in Marcellinis, Marcellorum nomen. nam ſubſtituit: *Mirificus enim generis ac nominis veſtri fuit erga me ſemper animus.*

Voluntas] Quod ad me attinet, alienus ab accuſando ſum: ſed officio, fide, miſericordia vincor.

Sententia] Debere eos iudicabam ab aliis hoc petere potius, quam a me.

De iis, qui eſſent idonei] Quorum in numero Caecilius non eſt.

Quam neminem] Cum omnino eos, nullo defenſore, deſtitutos, et abiectos iacere, neque vellem, neque aequum eſſe iudicarem. nam, quod Caecilius actionem ſibi poſtulat: idoneorum excluditur numero.

CAPVT V.

In ſuo iure repetundo] Cum iudicium repetundarum poſtulant, ſuum ius repetunt: nam ſociorum cauſſa iudicium illud legibus eſt conſtitutum.

Lex] Cornelia L. Sullae de pecuniis repetundis. lata primum eſt a L. Calpurnio Piſone tribuno plebis ante annos centum, Cenſorino et Manilio coſſ. vt lib. II. de Offic. c. 21. et lib. III. in Verr. c. 84. et in Bruto c. 27.

Ciuili fere actione] Ciuis enim cum ciue ad praetorem vrbanum contendit.

Priuato

Priuato iure] Non publico iudicio: cum et inter priuatos, et de re priuata controuerſia ſit.

Hanc habent arcem] Quae vexatos accipiat, ac defendat.

Nunc quidem] Quia iudicia turpiter, et flagitioſe fiunt.

Munitam] Apte: quia dixerat, *arcem.*

Quam antea] Cum equites vobiscum lege C. Gracchi iudicarent.

In hac lege] Reſtituit ſibi animos iudicum, parumper offenſos antecedentibus verbis. quamquam in eo quoque modum tenuit. non enim dixit, *minus munitam*, ſed *aliquanto minus.*

Non modo a populo Romano] De quo ſupra c. 3. *Quid eſt, quod aut populo Romano gratius eſſe debeat, aut ſociis exterisque nationibus optatius eſſe poſſit?* Hic Pedianus, quod equidem miror, populum Romanum a ſociis non diſtinguit.

Vltimis nationibus] Vltimi imperii noſtri. quo modo *vltimas terras* vocat Hiſpaniam ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Recordare*, inquit, *quibus laudationem ex vltimis terris miſeris.*

Hoc diceret] Haec alienae perſonae loquentis inductio mire non ſolum ornat, ſed etiam quodam modo excitat orationem. vſus eſt ea Cicero lib. V. in Verr. c. 47. *En quod Tyndaritani libenter praedicent: Nos in ſeptemdecim populis Siciliae non eramus: nos ſemper in omnibus Punicis, Sicilienſibusque bellis amicitiam fidemque populi Romani ſecuti ſumus: a nobis omnia populo Romano ſemper et belli adiumenta, et pacis ornamenta adminiſtrata ſunt.* Ibidem paullo poſt c. 52. *Ipſe pater ſi iudicaret, per deos immortales! quid facere poſſes, cum tibi haec diceret: Tu in provincia populi Romani praetor, cum tibi maritimum bellum eſſet adminiſtrandum, Mamertinis, ex foedere quam deberent nauem, per triennium remiſiſti.* In Catil. I. c. 11. *Si mecum patria, quae mihi vita mea multo eſt carior, ſi cuncta Italia, ſi omnis respublica loquatur: M. Tulli, quid agis?* Et illa Appii Caeci ad P. Clodii ſororem, in oratione pro Coelio c. 14. *Mulier, quid tibi cum Coelio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno?* Nec inconcinne Porcius Latro in Catil. c. 25. *Per deos immortales oro te, Catilina, ſi patria tecum his vocibus vteretur, quid eſſes illi, quaeſo, reſponſurus? Ego te paruulum, Catilina, cum in primis ornatiſſimo genere naſci voluiſſem*, &c.

Sedibus] Quid, ſi, *aedibus?* vt ſit tranſitus ab vrbibus ad domos: deinde ſequantur delubra. quem ordinem ſupra c. 4. ſeruavit in eo: *Ciuitates vaſtaſſe, domos exinaniſſe, fana ſpoliaſſe.* Et lib. IV. in Verr. c. 1. *Nihil in aedibus cuiusquam, ne in oppidis quidem: nihil in locis communibus, ne in fanis quidem: nihil apud Siculum, nihil apud ciuem Romanum, denique nihil iſtum, quod ad oculos animumque acciderit, neque priuati, neque publici, neque profani, neque ſacri, tota in Sicilia reliquiſſe.*

Beneficio ſenatus (Ern. *ſenati*)] *Senati*, legit Cariſius lib. I.

H-S millies] Subtilior numerandi ratio, et examinatum diligenter auri pondus, tricies centena ſcutatorum, ſignificari demonſtrat. Eſt autem, *H-S millies*, conciſum, quod et, *millies*, diceba-

dicebatur, vt in Philippicis, *ſeptics*, pro, *ſepties millies centena millia.* breuitatis enim cauſſa omittebant, *centena millia.* Auget hic ὑπερβολικῶς, quia loquitur ex perſona Siciliae. nam ipſe act. I. in extremo, Verrem e Sicilia quadringenties H-S contra leges abſtuliſſe, dicit.

Aut adſpirare] Cupiditas hoc verbo cum inani conatu oſtenditur: vt infra c. 16. *De iſto custode toto ſic vobis breuiſſime reſpondebo: non eſſe hos tales viros commiſſuros, vt ad cauſſam tantam, a me ſuſceptam, mihi creditam, quisquam ſubſcriptor, me inuito, adſpirare poſſit.* Et lib. V. in Verr. c. 37. *Quo neque Carthaginienſium glorioſiſſimae claſſes, cum mari plurimum poterant, multis bellis ſaepe conatae, vmquam adſpirare potuerunt.* Et in Bruto c. 21. *Ex bellica laude adſpirare ad Africanum nemo poteſt.* Ad Trebatium lib. VII. Fam. epiſt. 10. *Subinuideo tibi, vltro te etiam arceſſitum ab eo, ad quem ceteri, non propter ſuperbiam eius, ſed propter occupationem, adſpirare non poſſunt.* Tuſc. V. c. 9. *Occupaui te fortuna atque cepi: omnesque aditus tuos intercluſi, vt ad me adſpirare non poſſes.* Quibus exemplis, (vt alia omittantur) quae ſit huius verbi proprietas, intelligitur.

CAPVT VI.

Vtrumque ſe noſſe] Aeque contra Caecilium, quia Siculis notus ſit, vt ſi notus non eſſet. ſententia ſimilis pro Deiotaro c. 8. *Quem profecto is, qui optime noſtros homines nouit, vel quia noſſet, vel quia non noſſet, contemneret.* Eſt autem Caecilii maior vituperatio, quia reiicitur a Siculis vt notus, quam ſi reiiceretur vt ignotus.

Deſertos potius] Abundare omnino videtur, *potius*, cum ſequatur, *malunt:* ſed alibi quoque modus idem loquendi reperitur.

Neque velle ſua cauſſa (Ern. *ſuam cauſſam*)] Infra: *De quibus in prouincia non optime es meritus.*

Conaris euertere] Aut, quod accuſare vis; cum ea tibi, quae ad accuſandum requiritur, facultas deſit: aut, quod accuſatorem te fingis, cum praeuaricator futurus ſis.

Deplorandae calamitatis] In iudicio. te enim cauſſam agente, Siculi non aderunt.

Te ipſum] Ad ea, quae in Sicilia quaeſtor commiſiſti.

CAPVT VII.

At enim ſolum id eſt, vt me Siculi maxime velint: alterum illud, credo, obſcurum eſt, a quo Verres minime ſe accuſari velit] Mirum eſt, quam iucunda varietate tranſitum ſibi Cicero quaerat ad aliam rem. Vtitur hic quidem ironia, et lib. I. in Verr. c. 24. cum ait: *At, credo, in hisce ſolis rebus indomitas cupiditates atque effrenatas habebat: ceterae libidines eius ratione aliqua, aut modo continebantur. Quam multis iſtum ingenuis, quam multis matribus familias, in illa tetra atque impura legatione, vim attuliſſe exiſtimatis?* Habet illud quoque ironiae ſimilitudinem, cum interrogatione ſubiecta, lib. IV. c. 39. *At hoc ſolum Africani monumentum violaſti? quid? a Tyndaritanis non eiusdem Scipionis*

pionis beneficio poſitum ſimulacrum Mercurii, pulcherrime factum, ſuſtuliſti? Illa ſimplex eſt, infra c. 15. *Eſto: ipſe nihil eſt, nihil poteſt: at venit paratus cum ſubſcriptoribus exercitatis et diſertis.* Et illa, praeclaro in primis exemplo, lib. V. c. 17. *Eſto: nihil ex fugitiuorum bello, aut ſuſpicione belli laudis adeptus eſt, quod neque bellum eiusmodi, neque belli periculum fuit in Sicilia, neque ab iſto prouiſum eſt, ne quod eſſet. at vero contra bellum praedonum claſſem habuit ornatam, diligentiamque in eo ſingularem. itaque, iſto praetore, praeclare defenſa prouincia eſt.* Vtitur affirmatione ſimplici, vt act. I. c. 5. cum furta Verris attigiſſet, haec ſubiunxit: *In ſtupris vero et flagitiis nefarias eius libidines commemorare, pudore deterreor.* Affirmatione miſta, id eſt, cum interrogatione ſubiecta, vt lib. III. c. 27. *Priuatim hoc modo: quid? publice ciuitates quemadmodum tractatae ſunt?* Et ad Appium lib. III. Fam. epiſt. 10. *Atque haec domeſtica. Quid illa tandem popularia?* Interrogatio ſimplex multis cognoſcitur exemplis, quorum pauca, vitandae ſatietatis cauſſa, recitabo. infra c. 11. *Quid illa, Caecili, contemnendane tibi videntur eſſe?* Lib. IV. c. 57. *Quid? ſignum Paeanis ex aede Aeſculapii praeclare factum, ſacrum et religioſum, non ſuſtuliſti? quod omnes propter pulchritudinem viſere, propter religionem colere ſolebant. Quid? ex aede Liberi ſimulacrum Ariſtei non tuo imperio palam ablatum eſt?* Quibus in locis, et aliis prope innumerabilibus, per interrogationem ad aliam rem transiicitur oratio.

In vtroque noſtrum ſunt (Ern. *ſint*)] Malim, *ſint.*

Magnus ille defenſor] Qui dominetur in iudiciis. Cum probro dictum: vt infra.

Amicus eius] Aculeus in Hortenſium. amicitiam enim gignit morum ſimilitudo.

Hoc ſe honeſte, ſine vlla inuidia] Cum alia non honeſte, nec ſine inuidia ſoleam contendere. Fatentem inducit Hortenſium, quae in iudiciis corrumpendis agere ſolitus erat.

Cum vehementius contendi] Non auctoritate, vel gratia, ſed pecunia.

Da mihi hoc] Hortenſii verba ad iudicem, pro Caecilio petentis, pro Verre laborantis.

Vt is abſoluatur] Accuſante enim Caecilio, me defendente, facile Verres elabetur.

Vt aliquis metus] Si promiſſum non ſeruauerit.

Ad gratiam] Quae futura eſt in ſeruando promiſſo.

Ferre ſententias] Sua quemque tabella.

Vniuerſos conſtituere] Simul omnes, non ſeparatim ſingulos, conſtituere tabellas in ciſta, vnde poſtea exceptae dirimebantur, et ex maiore numero vel abſolvebatur, vel condemnabatur reus.

Cera legitima] Non illa diſcolore, quae corrupti fidem iudicis ei, qui corruperat, oſtendebat. quod cum fieri iam non poſſet, ex infamia ſuperiorum iudiciorum, in quibus Hortenſius a corruptis iudicibus ceram in tabella diſcolorem pro ſigno promiſſae voluntatis exegerat: neceſſe erat, vt certis hominibus tabellas ipſas, priusquam in ciſtam coniicerentur, emti iudices inſpi-

ciendas offerrent: vt ex inſcripta tabellae littera A, quae abſolutionis index erat, promiſſi fides oſtenderetur.

Non illa infami] Cui locus iam non eſſet.

Ac nefaria] Vere nefaria: ſed fateri Hortenſium fingit, quod negari non poterat, re perſpecta. Haec eadem cera, non ſine Hortenſii probro, ſignificatur act. I. c. 6. *Nulla nota, nullus color, nullae ſordes videbantur his ſententiis allini poſſe.* Et lib. V. c. 68. *Nolo eos iudices, quos ego probarim atque delegerim, ſic in hac vrbe notatos, iſto abſoluto, ambulare, vt non cera, ſed coéno obliti eſſe videantur.*

A pueris nobilibus] Adoleſcentibus, qui gloriae cupiditate claros viros accuſauerant. in iis numerat Aſconius Ap. Claudium, C. Caeſarem, M. Scaurum. Ego autem de Appio, et Caeſare aſſentior: de Scauro cogor ambigere. nam, cum Cicero ſubiungat, *quos adhuc eluſit:* apparet, quos defendit Hortenſius, abſolutos eſſe: quod in Appium, et Caeſarem conuenit, quibus accuſantibus, Varro, et Dolabella ſunt abſoluti. Scaurus autem et accuſauit alterum Dolabellam, eum ſcilicet, cui Verres legatus fuit, et damnauit. quod Aſconius ipſe in oratione pro illo demonſtrat. Et lib. I. in Verr. c. 30. *Iam iam, Dolabella, neque tui, neque tuorum liberum, quos tu miſeros in egeſtate atque in ſolitudine reliquiſti, miſereri poteſt.* Perſpicue vero in eodem libro, paullo poſt c. 38. *M. Scaurus, qui Cn. Dolabellam accuſauit, iſtum in ſua poteſtate ac ditione tenuit.* Nam, quem Caeſar Dolabellam accuſauit, eum abſolutum eſſe, non Aſconio ſolum, ſed Suetonio quoque in Caeſare c. 4. et Plutarcho auctoribus probatur. quamquam ab Aſconio diſſentire Suetonium video. nam, cum duo quidem eiusdem praenominis eodem tempore Dolabellae fuerint, vnus autem conſularis, et triumphalis: hunc Aſconius a Scauro, Suetonius ait a Caeſare accuſatum. quam Cicero controuerſiam dirimit. non enim conſularem, ſed praetorium accuſatum eſſe Dolabellam a Scauro, et Verrem, qui legatus ei fuerat, teſtimonium in eum dixiſſe, narrat lib. I. in Verr. c. 38. quod etiam verba ex eodem libro proxime recitata declarant. Sed, vt ad propoſitum reuertar: non video, qui poſſint illa verba, *quos adhuc eluſit*, ad Scaurum pertinere: qui, ſi victor ex iudicio diſcedit, certe non eluditur.

A quadruplatoribus] Sordido, et infami accuſatorum genere, qui accuſabant eos, quibus damnatis quartam partem, vt ait Aſconius, de bonis eorum conſequebantur.

Non ſine cauſſa] Nam ad accuſandum idonei minime ſunt.

Ad viros fortes] Vt poſthac viri fortes, non pueri, quos adhuc eluſit, ſpectati homines, non quadruplatores, quos non ſine cauſſa contemſit ſemper, ad accuſandum deſcendant.

CAPVT VIII.

Totam] Quaſi nulla ex parte honeſtam.

Eſſe mutandam; et ita tamen mutandam] Habet elegantiam eiusdem verbi repetitio, vt pro lege Manilia c. 3. *Annum iam tertium*

tertium et viceſimum regnat: et ita regnat, vt ſe non Ponto, neque Cappadociae latebris occultare velit, ſed emergere e patrio regno, atque in veſtris vectigalibus, hoc eſt, in Aſiae luce verſari. Ibidem c. 4. *De Lucullo dicam alio loco, et ita dicam, Quirites, vt neque vera laus ei detracta oratione noſtra, neque falſa afficta eſſe videatur.*

Qua ipſe eſſe vult] Cogam eum eſſe bonum virum, contra quam adhuc fuit, et eſſe vult. me enim actore, ſpem deponat oportet iudicii corrumpendi.

Quos ipſe vidit] Antonium vidit Cicero, et audiuit: Craſſum audire non potuit. annum enim agebat XVI, cum ille deceſſit, Philippo et Caeſare coſſ. vtrumque autem vidit, et audiuit Hortenſius, octo annis maior, quam Cicero.

Multorum] Quos ego, quia pecuniam ob rem iudicandam acceperint, accuſabo.

Receptam] Pro officio, fideque mea, ipſis rogantibus.

Suſceptam] Vt, quod populus Romanus iam diu flagitat, huius accuſationis exemplo et iudices, et corruptores prorſus omnes ab improbitate deterream. Hoc igitur ſuſcepi, flagitante populo, quaſi totum quiddam, pro patria contra omnem improbitatem: illud recepi, Siculis rogantibus, quaſi partem, pro vna prouincia contra vnum hominem improbum.

In oculis conſpectuque omnium] Eorum, qui adſunt. non enim, *omnium*, ad iudices referri poteſt, de quibus iam dixit, *in animis iudicum:* ſed, vt arbitror, ad populi coronam pertinet. Hanc vero facultatem, quam hic adimit Caecilio, ſibi tribuit act. I. c. 3. iisdem fere verbis: *Intelligit, me ita paratum atque inſtructum in iudicium venire, vt non modo in auribus veſtris, ſed in oculis omnium, ſua furta, atque flagitia defixurus ſim.*

CAPVT IX.

Hoc primum tempus diſcendi nactus es] Duplex vituperatio. nam et notatur inſcitia Caecilii, qui nihil antea didicerit, et eiusdem temeritas, qui tamen accuſationem ſibi depoſcat. ſimiliter in oratione pro Caecina c. 33. ad irriſionem aduerſarii, fingit eum docere ſe velle tamquam diſcipulum ſuum. *Vt ex me*, inquit, *ea, quae tibi in mentem non veniunt, audias.*

Niſi a Siculis] Apud quos quaeſturam geſſiſti.

Dicis] Cum reuera non ſis. ſupra c. 4. *Cui te inimicum eſſe ſimulas.* Suſpicionem praeuaricationis incipit afferre.

Ex me non audies] Parco enim exiſtimationi tuae.

Hos] Iudices.

Quod neceſſe eſt] Ideo Siculos ad iudicium non affuturos, quia, qui ſis, et quid praeſtare poſſis, probe nouerint.

Nimis acutum et ſuſpicioſum] E Siculorum ingenii acumine argute capit argumentum contra Caecilium. Acumine ingenii Siculos valuiſſe oſtendit etiam in Bruto c. 12. *Ait Ariſtoteles, cum, ſublatis in Sicilia tyrannis, res priuatae longo interuallo iudiciis repeterentur, tum primum, quod eſſet acuta illa gens, et controuerſa natura, artem et praecepta Siculos, Coracem et Tiſiam conſcripſiſſe.* Et lib. III. in Verr. c. 8.

 Ita

Ita acute, vt Siculum: ita ſeuere, vt tyrannum. Et lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 13. *Siculus ille, capitalis, creber, acutus, breuis, paene puſillus Thucydides.* Et Coelius apud Quinctilianum lib. VI. c. 3. *Siculi quidem, vt ſunt laſciui, et dicaces, aiebant in delphino ſediſſe, et ſic, tamquam Ariona, transuectum.*

Aſportare] Ne tibi, qui furtorum Verris non modo conſcius, ſed etiam particeps fuiſti, nocere poſſint.

Te velle ex Sicilia litteras] Iterata verba quiddam hic habent, quo fruantur aures: vt illa quoque ſimilitudo, *deportare*, *aſportare*, ſenſu tamen admodum diſſimili: et in priore membro, *arbitrantur;* in poſteriore, *ſuſpicantur.* omnino, cum in Caecilium peracerba ſententia ſit, ſale tamen et lepore periodus redundat omnis.

Firmum verumque] Eloquentia, et integritate praeditum. Supra c. 3. *Vt homines idonei atque integri cauſſam reipublicae legumque ſuſciperent.* Et c. 7. *Si accuſandi voluntas ad viros fortes, ſpectatosque homines translata ſit.*

Nec ea dico] Quae tamen dicit, ſed ita breuiter, ac ſummatim, vt ea quaſi negligere videatur.

Potamonem] L. Papirium Potamonem, cuius mentio fit lib. III. c. 60. et 66. et lib. IV. c. 20.

Retentum eſſe] Vt communem amicum. qui ſi te cum Verre inimicitias non ficte, ſed vere exercere cognouiſſet, non remanſiſſet in prouincia te decedente.

Cum tu decederes] Verres triennio Siciliam rexit: quaeſtores autem ſingulis annis mutati ſunt: vt lib. II. in Verr. c. 20.

Lectiſſimum atque ornatiſſimum adoleſcentem] Veram eſſe laudationem, Pedianus ait, quod a fratre non diſſentiat, quem ſciat amicum eſſe Verri. ſed eane cauſſa eſſe debuit, cur lectiſſimus, atque ornatiſſimus adoleſcens diceretur? quae communis, et ampla quaedam laus eſt, non ad germanitatis officium, vt exiſtimaſſe videtur Aſconius, proprie pertinet. Ego argumentum quidem agnoſco de praeuaricatione Caecilii, quod eius frater cum Verre ſit: ſed ironiam abeſſe non arbitror, cum eum egregie laudat, qui cum homine perditiſſimo Verre, contra quem Sicilia tota teſtimonium dicat, familiariſſime, et amiciſſime viuat.

Hoc dico] Haec ſi coniunges, quae ſatis longe diſtant: *Nec ea dico:* venuſtatem quandam, leporemque ſenties.

Si maxime cupias] Quem ſcio minime cupere, et praeuaricatorem eſſe velle.

CAPVT X.

Sibi in cellam] In vſum ſuum.

H-S II] Seſtertiis binis, id eſt, aſſibus octo. alii interpretantur, *ſeſtertium duobus.* quod miror. aliud eſt enim dicere, *ſeſtertiis duobus;* qui ſunt, vt diximus, aſſes octo: aliud *ſeſtertium duobus:* vbi, *millibus*, ſubaudiri, Latini ſermonis conſuetudo poſtulat, quo modo fient ſcutati ſexaginta, quae ſumma ſi pretium eſſe putetur in ſingulos modios, quid abſurdius? At in frumentaria ſaepe Cicero vtitur hoc genere loquendi. Vtitur ſane: ſed cum de ſingulis modiis non agi-

agitur, quorum eſt minimum pretium. Quod aiunt, *ſeſtertium duobus*, apud Nonium legi in verbo *Exigere:* ſi eſſet hoc mendum in Nonio, tollendum omnino cenſerem: ſed in eo quidem, quo ego vtor, Nonio non eſt.

Duodenos ſeſtertios] Et hoc infirmat coniecturam illam, *ſeſtertium duobus.* nam eadem ratione, *duodecim ſeſtertium*, hic legi oporteret.

Exegiſſe] Quatternos a ſenatu, quibus frumentum tibi emeres, octonos ab aratoribus. id agnoſcitur ex lib. III. in Verr. c. 85. *Quatternos ſeſtertios, inquit, quos mihi ſenatus decreuit, et ex aerario dedit, ego habebo, et in ciſtam transferam ex fiſco. Quid poſtea? quid? pro ſingulis modiis, quos tibi impero, tu mihi octonos ſeſtertios dato.* Ita Verres primum a ſenatu, deinde ab aratoribus non debitam pecuniam colligebat: a ſenatu, pro frumento ſibi in cellam emendo, quatternos ſeſtertios in ſingulos modios, cum tamen modius binis tantum ſeſtertiis eſſet: ab aratoribus octonos pro binis.

Emtum eſt ex S. C. frumentum] Transit ad aliud crimen. nam hoc frumentum, praeter decumanum, populus Romanus emit, vt annonae grauitas in vrbe leuaretur.

Deductio] Deminutio: quae facta eſt a Verre diuerſis nominibus, pro ſpectatione, pro collybo, pro neſcio quo cerario, pro ſcriba: vt lib. III. in Verr. c. 78.

Mancipes] Publicani, qui *decumani* vocabantur a redemtis decumis.

Pro frumento pecuniam exegerunt] Quae dabatur aeſtimatio praetori pro frumento in cellam, mancipibus autem non dabatur. propterea Cicero vt crimen obiicit.

Quemadmodum defenſurus eſſet] Commune crimen erat inter mancipes, et Verrem. illi pro frumento pecuniam exigebant, quod non licebat: hic, furtorum, praedarumque particeps, permittebat iis, vt, quanti vellent, decumanum frumentum aeſtimarent, id eſt, quantam vellent ab aratoribus pecuniam exigerent.

CAPVT XI.

Retardaret] Ab accuſando.

Cum quaeſtore ſuo benigniſſime communicauit] Laudare videtur, et vituperat. praetorem enim decet erga quaeſtorem ſuum benignum eſſe: verum haec benignitas, furtorum communicatio eſt.

Si id lege permittitur] Non permittebatur, ait Pedianus, in cauſſa repetundarum.

Iis] Vitat arrogantiam, ad multos transferens, quod de ſe ipſo ſignificat itaque de indicio dixerat, *concedo*, de accuſatione, quae integritatem requirit, non dixit, *concedas oportet mihi*, ſed, *concedas oportet iis.*

Nullo ſuo peccato] Nulla criminum ſocietate.

Ac vide] Ingreſſus non exſpectatae ſententiae, vt lib. II. ad Attic. epiſt. 21. *Ac vide mollitiem animi. non tenui lacrimas, cum illum ante VIII. Kal. Sext. vidi de edictis Bibuli concionantem.* Modus autem loquendi ſimilis occurrit infra c. 19. *At vide, quid differat inter meam opinionem ac tuam.* Et lib. V. in Verr. c. 32. *Vide, quid interſit inter tuam libidinem, ma-*

iorumque auctoritatem: inter amorem furoremque tuum, et illorum conſilium atque prudentiam.

Praeſertim tanta] In qua maxima et acerbiſſima crimina ſunt explicanda.

CAPVT XII.

Familiariter tecum loquar] Monitoris et amici partes ſumit. quod irridendi genus eſt.

Quae C. Verres in quaeſtura, quae in legatione] Cum eſſet quaeſtor Carbonis, et legatus Dolabellae. lib. I. in Verr. c. 12. *Hi ſunt anni conſumti in quaeſtura, et legatione Aſiatica, et praetura vrbana, et praetura Sicilienſi.* Quo loco ſatis conſtat, de quaeſtore Carbonis Verre ſermonem eſſe. itaque falluntur, qui ad hanc quaeſturam ea referunt, quae commiſit Verres in Achaia, cum Verri quaeſtori contigerit Gallia prouincia: vt lib. I. c. 13. dilucide patet.

In praetura] Primo loco Sicilienſem Verris praeturam oſtendit, dicens: *Putasne, te poſſe de maximis acerbiſſimisque rebus, cum cauſſam ſociorum, fortunasque prouinciae,* &c. Nunc praeturam attigit vrbanam, in qua Romae, et in Italia Verres multa patrauit. quae licet ad crimen repetundarum, id eſt, ad Siculos, non attineant, omittenda tamen ab accuſatore non ſunt.

In Achaia, Aſia] Alienis provinciis, per quas cum ſuo proconſule Dolabella transiuit Verres, et rurſus ſine proconſule per Aſiam, ad regem Nicomedem, et Sadalam proficiſcens: vt lib. I. c. 24.

Pamphylia] Suae prouinciae parte. nam Dolabellae Cilicia conſtituta eſt. lib. I. c. 16.

Magna ſunt ea, quae dico] Haec tamquam imperito dixit: ait Donatus in illud Terentii in Adelph. act. I. ſc. 2. v. 21. *Non eſt flagitium, mihi crede.*

Grauiter copioſeque] Sequitur ratio, cur grauitas, et copia requiratur.

Non Lilybaei] Vbi deterius, quam in reliqua Sicilia, Graece loquebantur. erat autem Siculorum vtraque mendoſa lingua, ſiue Graeca, ſiue Latina. vtraque enim vtebantur, ſed Graeca communiter inter ipſos. itaque litteras Syracuſanorum lib. V. c. 57. Graece ſcriptas fuiſſe, ex verbo, ἐδικώθησαν, apparet. ac de Latina quidem, quo modo in Siciliam transierit, Diodorus Siculus lib. I. c. 4. his verbis: *Διὰ τὴν ἐπιμιξίαν τοῖς ἐν τῇ νήσῳ πολλὴν ἐμπειρίαν τῆς Ρωμαίων διαλέκτου περιπεποιημένοι.* De Graeca vero ſic idem lib. V. c. 6. *Ἀναμιγνύμενοι δ' ἀλλήλοις, καὶ διὰ πλῆθος τῶν καταπλεόντων Ἑλλήνων, τήν τε διάλεκτον αὐτῶν ἔμαθον.*

Cum in eas ingrederis] Vſum et exercitationem hic adimit Caecilio, ſtudium vero, et diligentiam, cum dixit, *numquam cogitaſti.* quae vero adimit adverſario, ea ſibi tribuit in ſequentibus: et ſe tamen cauſſarum magnitudine commoueri vehementer dicit.

CAPVT XIII.

Illius diei (Ern. *temporis*)] Lepide ſubiungit, *quo die,* vt ſupra c. 1. *Si quod tempus accidiſſet, quo tempore aliquid a me requirerent.*

Non

Non ſolum commoueor animo] Idem ſibi contingere ſolitum eſſe, L. Craſſus, orator ille ſummus, fatetur lib. I. de Orat. c. 26. *Equidem*, inquit, *et in vobis animaduertere ſoleo, et in me ipſo ſaepiſſime experior, vt exalbeſcam in principiis dicendi, et tota mente, atque omnibus artubus contremiſcam. Adoleſcentulus vero ſic initio accuſationis examinatus ſum, vt hoc ſummum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuo conſilium dimiſerit, ſimul ac me fractum ac debilitatum metu viderit.* In Cluentiana vero c. 18. *Semper equidem magno cum metu incipio dicere.*

Nihil cogitas] Tantum abeſt, vt haec metuas, vt ne cogites quidem: aut, ſi cogitas, non laboras: non cogitare autem, ſtulti hominis eſt; non laborare, impudentis.

Ex vetere aliqua oratione] Vt Catonis Cenſorii, qui ſolitus eſt in omnibus orationum ſuarum prooemiis deorum mentionem facere. auctor Seruius in illud Virgilii lib. VII. Aen. v. 259. *Dii noſtra incepta ſecundent.*

Differendum] Acute, et ſubtiliter.

Pugnandum] Grauiter, et copioſe. *Differere*, ad ingenium, *pugnare*, ad vim, copiamque pertinet orationis.

Ita laudo] Laudare coepit, vt Caecilium deterreat: ipſe cur non timeat, ſubiungit.

Quam decipi] Hoc pertinet ad illud: *Quicum modo differendum.* proptereaque ſubiungit: *Numquam ille me opprimet conſilio: numquam vllo artificio peruertet.*

CAPVT XIV.

Labefactare atque infirmare] Hoc ad illud reſpicit: *Modo omni ratione pugnandum.* eiusdem enim ingenii eſt, et differendo decipere, et pugnando labefactare. quo in vtroque Hortenſium ita laudat, vt eum ſibi non anteponat.

Petitiones] Apte: quia dixerat, *modo omni ratione pugnandum certandumque ſit.* iam illa verba, *opprimet*, *peruertet*, *labefactare*, *infirmare*, ſimilitudinem quandam pugnae referunt.

Iudicium fieri] Ex ingenii mei comparatione.

Videre iam videor] Modus futurae rei repraeſentandae, vt in Laelio c. 12. *Videre iam videor populum a ſenatu disiunctum, multitudinisque arbitrio res maximas agi.* Dicitur etiam de re praeſenti, vt lib. XII. ad Attic. epiſt. 5. *Mecum eſſe te puto; non ſolum quod meam rem agis, verum etiam quod videre videor, quo modo agas.*

Homini minime malo] Quaſi miſereatur eius, cui tot ac tantae difficultates impendeant. quod ad irridendum valet.

Diuidere] Quam ei laudem Cicero tribuit in Bruto c. 88.

Expedire] *Expedire*, plus eſt, quam *transigere*; minus, quam *abſoluere*. ideo dixit, *transigere, expedire, abſoluere.* poſſunt enim multa transigi, nec expediri; poſſunt expediri, nec abſolui.

In te traiicere] Non vt communicetur crimen, ſed vt totum in te conferatur.

Neceſſitudinem] Quaeſtor enim praetori loco filii, praetor quaeſtori loco parentis debet eſſe. Infra c. 19. *Sic a maioribus noſtris*

ſtris

ſtris accepimus, praetorem quaeſtori ſuo parentis loco eſſe oportere. Et ad Brutum lib. XIII. Fam. epiſt. 10. *Cum ad te tuus quaeſtor, M. Varro, proficiſceretur, commendatione egere eum non putabam. Satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipſo more maiorum: qui, vt te non fugit, hanc quaeſturae coniunctionem liberorum neceſſitudini proximam voluit eſſe.* Tres contra Caecilium cauſſas ex ipſius quaeſtura Cicero ſumit, ipſam quaeſtoris cum praetore coniunctionem, liberorum neceſſitudini proximam; morem maiorum, per quem accuſare praetorem ſuum quaeſtori non licebat; ſortis religionem, id eſt, voluntatem deorum, vnde ſors ipſa pendet. ideo *ſortem diuinam* Phil. III. c. 10. vocat. nam prouinciae quaeſtoribus ſorte contingebant. Haec autem Cicero colligit, vt, quod ſibi Caecilius ad impetrandum accuſatoris locum adiumento ſperabat eſſe maximo, quia ſcilicet quaeſtor Verris fuiſſet, id ipſum oſtendat aduerſarium ei vehementer eſſe.

Subire inuidiae (Ern. *inuidiam*)] Quam ille, quaeſtoris cum praetore neceſſitudinem, morem maiorum, ſortis religionem commemorans, in te commouebit? *Inuidiae*, legit Aſconius, et addit exemplum, *magno ponderi ſubire:* quod proprium eſt: translatum autem, *inuidiae ſubire.*

Vide modo] Hoc monentis eſt. non enim, *modo*, accipitur pro, nunc. tale illud Coelii, lib. VIII. Fam. epiſt. 2. *Vide modo; inquis.*

Mihi] Qui illum probe noui. tibi fortaſſe non videtur, homini imperito, qui nec illum, nec omnino cauſſas, iudiciaque noſti.

Geſtu ipſo ac motu corporis] Non minus hoc ad deridendum Hortenſium, quam ad deterrendum Caecilium, pertinet. geſtus enim Hortenſii plus habebat artis, quam deceret: vt hiſtrioni ſimilior, quam oratori, videretur. ideo L. Torquatus, homo ſeuerus, et grauis, geſticulariam Dionyſiam, notiſſimae ſaltatriculae nomine, appellabat. Gellius lib. I. c. 5. Idem notauit Cicero de clar. orat. c. 88. parce tamen, ac modeſte. Sed lib. III. in Verr. c. 19. *Tamenne putamus*, inquit, *patronum tuum in hoc crimine ceruiculam iactaturum?*

Praeſtringat aciem ingenii tui] Vt ea, quae cauſſa poſtulat, quaeque iam cogitaueris, videre non poſſit.

Ab inſtitutis tuis cogitationibusque] Ab iis, quae contra Verrem domi commentatus es.

CAPVT XV.

Cum ſubſcriptoribus exercitatis et diſertis] Ironia: vt e ſequentibus colligitur. erant autem *ſubſcriptores*, actores eiusdem cauſſae, quam primo loco agebat is, cui ſubſcribebant: quos oportebat agere ſummiſſius, quam ille, qui princeps erat in agendo. Subſcriptores autem habet accuſator, non defenſor. nam accuſator dicitur is, qui nomen detulit, quique in agendo princeps eſt. qui vero ei ſubſcribunt, eique ſe adiutores fore, et eandem ſimul cauſſam acturos eſſe profitentur, *ſubſcriptores*, vocantur. hi quattuor omnino videntur fuiſſe. nam ſub-

ſubiungitur: *Quartum quem ſit habiturus, non video, niſi quem forte ex illo grege oratorum, qui ſubſcriptionem ſibi poſtularunt, cuicumque vos delationem dediſſetis.* et M. Coelium a quattuor accuſatum eſſe conſtat, Atratino, Herennio, Clodio, Balbo. Differunt igitur accuſator, et ſubſcriptor nomine, non re. nam et ſubſcriptor, vt dixi, agit eandem cauſſam: itaque ſubiicitur: *Ne is quidem tantum contendet in dicendo, quantum poteſt: ſed conſulet laudi et exiſtimationi tuae: et ex eo, quod ipſe poteſt in dicendo, aliquantum remittet.* Ipſum quoque ſubſcriptorem Cicero vocat accuſatorem, quia ſit particeps eiusdem muneris: *Iam hoc*, inquit, *conſiderate*, *cuius modi accuſatores in tanto iudicio ſimis habituri: cum et ipſe Allienus ex ea facultate, ſi quam habet, aliquantum detracturus ſit: et Caecilius tum denique ſe aliquid futurum putet, ſi Allienus minus vehemens fuerit, et ſibi primas in dicendo partes conceſſerit.* Vnius exemplum ſubſcriptoris habemus infra c. 21. *P. Lentulus, is, qui princeps ſenatus fuit, accuſabat M'. Aquillium, ſubſcriptore C. Rutilio Ruſo.* Trium lib. III. ad Q. Fr. epiſt. 3. *Gabinium de ambitu reum fecit P. Sulla, ſubſcribente priuigno Memmio, fratre Caecilio, Sulla filio:* quattuor, vt dixi iam, in ea pro Coelio. Hoc genus hominum in iudiciis vſitatum potius videtur fuiſſe, quam neceſſarium. nam hic ſubſcriptores Caecilius iam duos habet, qui, cum Verris nomen detulit, ſubſcripſerant: at Cicero nullum habet. Et Sempronius Rufus, vt eſt in epiſtola Coelii, lib. VIII. Fam. 8. ſine vllo ſubſcriptore Tuccium reum fecit. Hoc nomen, atque adeo hic ſubſcribendi mos locum in defenſionibus non habebat: et, quicumque eandem cauſſam agerent, patroni pariter appellabantur. De numero non conſtat. ante L. Domitium, et Ap. Claudium coſſ. raro quisquam, auctore Pediano, pluribus quam quattuor vtebatur. iis conſulibus defenſus eſt Scaurus a ſex patronis: poſt bella ciuilia ante legem Iuliam ad duodenos eſt peruentum. De ordine, ſi plures erant, vt fere in reis defendendis eſſe ſoliti ſunt, perorandi locus, in quo plurimum pollet oratio, a reliquis patronis ei dabatur, qui ceteris antecellebat eloquentia. quem honorem Ciceroni habuit Hortenſius. nam in libro de clar. orat. c. 51. ita loquitur Brutus: *De te ipſo nonne, quid optarent rei, quid ipſe Hortenſius iudicaret, videbamus? qui cum partiretur tecum cauſſas, perorandi locum, vbi plurimum pollet oratio, ſemper tibi relinquebat.* Quod ſi hoc Hortenſius, qui propter eloquentiam rex cauſſarum dictus eſt: quis dubitet, quin idem alii fecerint? itaque Balbum Cicero poſt Pompeium et Craſſum vltimo loco defendit. Ipſe tamen in eodem libro c. 57. nihil ait eſſe vitioſius, quam vt cauſſae ſingulae defenderentur a pluribus. Numerum patronorum, et ordinem agendi, aeque reprehendit Antonius lib. II. de Orat. c. 77. *Illos quoque*, inquit, *errare arbitror, qui, ſi quando, id quod mihi numquam placuit, plures adhibent patronos, vt in quoque eorum minimum putant eſſe, ita eum primum volunt dicere. Res enim hoc poſtulat, vt eorum exſpecta-*

ſpectationi, qui audiunt, quam celerrime occurratur. Sentit igitur de numero patronorum Antonius idem, quod Cicero: de ordine diſſentit, cum agi cauſſas primum velit a melioribus. quamquam ipſe quoque, quod laudat, non ſeruauit. nam in iisdem cauſſis ante L. Craſſum dicere ſolitus eſt: ne, ſi poſt eum audiretur, minus placeret. quod fatetur lib. I. de Orat. c. 48. Princeps igitur in agendo, quia locus accuſandi a iudicibus ei datus eſt, et quia primus agit cauſſam, accuſator dicitur: defenſor autem, vel ſi omnibus, eandem cauſſam agentibus, eloquentia praeſtet, princeps tamen in agendo, quia poſtremo loco dicit, nec eſt, nec appellatur.

Eſt tamen hoc aliquid] Ad inſcitiam Caecilii ſubleuandam.

Ornatiſſimus] Inſtructiſſimus: vnde *ornare claſſem, ornare prouinciam.*

Paratiſſimus] Ab eloquentia. Phil. II. c. 32. *Inuectus eſt copioſius multo in iſtum et paratius Dolabella, quam nunc ego.*

Allienum] Gemina L ſcriptum eſt in antiquis lapidibus. nomen hic eſſe proprium, infra cognoſcitur. in quo miror Aſconium ſentire cum iis, (ſic enim videtur) qui, *Alienum,* non *Allienum,* legebant.

A ſubſelliis] Satis in iudiciis exercitatum. Subſellia erant in foro, in quibus ſedebant iudices, ſiue priuata, ſiue publica cauſſa ageretur. de bis Cicero loquitur, id eſt, de iudiciis, non de ſubſelliis minorum magiſtratuum. de quibus proprie loqui non poteſt: cum *ſubſellia* commune ſit nomen, non ad eos magis, quam ad iudices, pertinens. Apparet autem hoc quaſi contrarium ad id referri, quod proxime de Appuleio dixerat, *vſu forenſi, atque exercitatione tironem.* ideo ſubiungit: *In hoc ſpes tuae ſunt omnes.* Aſconius quoque ad Allieni laudem dictum accipit: vt maior irriſio ſit Caecilii, qui nec a ſubſelliis fuerit aliquando.

Quod ipſe poteſt in dicendo] Subaudiri malim, *in dicendo,* quam pronunciari.

Actoribus Graecis] Qui palliatas fabulas agunt, quales Plauti, Terentiique ſunt.

Primarum] *Primas partes* agere dicitur, qui ſaepius ad agendum regreditur: *ſecundas,* qui minus, quam ille, qui primas: *tertias,* quam qui ſecundas.

Lenocinabitur] Vt tu volueris, vt tibi placere intellexerit, ita cauſſam aget.

Cuiusmodi accuſatores] Caecilium, Appuleium, Allienum.

Ex illo grege oratorum (Ern. *moratorum*)] *Grege,* dixit, vt oratorum nomini dignitatem detraheret. boni enim oratores pauci: grex vero conſtat e multis. Alii legunt, *moratorum,* Aſconii verbis in eam opinionem adducti. quod equidem non improbo: neceſſaria tamen mutatio non videtur.

Poſtularunt] A quibus? a iudicibus, opinor. at Caecilius Appuleium, et Allienum ipſe delegerat: ſed mos erat, vt quattuor adhiberentur. quas partes qui ſibi a iudicibus poſtulabant, non ab eo, qui princeps in agendo eſſet, deligebantur, apparet eos maioribus in cauſſis verſari ſolitos non eſſe.

Cuicumque vos delationem dediſſetis] Iam delatum erat nomen Verris: ea delatio niſi iudicum ſenten-

ſententia comprobaretur, irrita erat. delatione confirmata, (id enim eſt, *delationem dare*) ſequebatur accuſatio. Hoc autem ideo dicit, vt id hominum genus admodum leue ſignificet, qui nulla cauſſa, ſed temere, ſibi ſubſcriptionem poſtulent, parum laborantes de exitu iudicii. nam, ſi Verrem condemnatum cuperent, non petiiſſent ſubſcriptionem, cuicumque vos delationem dediſſetis, ſed ſi dediſſetis ei, qui maxime ad accuſandum idoneus eſſe videretur.

Alieniſſimis] Nemo paratus eſſe poteſt ex alieniſſimis, id eſt, iis, quos minime nouit. deridet igitur Caecilium, qui, fretus hominibus alieniſſimis, paratum ſe fore in iudicio credat.

Hoſpes aliquis] Inopiam oſtendit ſubſcriptorum: qui, cum ſint alieniſſimi, Caecilio tamen eorum aliquis, vt amicus, propter ſubſcriptionis beneficium, hoſpitio recipiendus erit. Haec mihi placebat interpretatio: cum tamen, quae Pedianus, aliique ſcripſere, non contemnam.

Quae dixerint] Cum ſibi ſubſcriptionem poſtularunt. tempus enim praeteritum ſignificari, ſatis oſtendunt ea, quae ſequuntur.

Reſpondeam] Vt, eos mihi addendos non eſſe, iudicibus oſtendam.

Non conſulto, ſed caſu] Et hoc ad contemtum eorum dixit.

Satisfaciam vniuerſis] Dicam, quod ſufficere omnibus poſſit. Et ſtatim cum indignatione quadam orditur: *Tantane vobis inopia videor eſſe amicorum, vt mihi non ex his, quos mecum adduxerim, ſed de populo ſubſcriptor addatur?*

CAPVT XVI.

Vobis] Aderant igitur.

Quos mecum adduxerim] Quorum fidei, et diligentiae poſſem confidere: ſi modo ſubſcriptore indigerem: quo non indigeo. Id enim tacite ſignificat.

De populo] Ex alieniſſimis, ex illo grege.

Addatur] Non poſtulanti, non indigenti, recuſanti potius, et invito. Plautus Aul. act. III. ſc. 6. v. 19.

Quos ſi Argus ſeruet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Ioui Iuno cuſtodem addidit,
Is numquam ſeruet. —

Cauſſam praeripere] Quae mihi vni tradita eſt, ad vos transferre. verbum, *praeripere*, fidem eorum in dubium adducit. non enim dicit, *vt eandem cauſſam mecum ſimul agere*, ſed, *praeripere mihi*, obſiſtere, et impedire, ne reus accuſante me condemnetur.

A columna Menia] Ad quam in foro infames rei, ſortis infimae, et obſcurae conditionis, vt fures, et ſerui nequam, (hos enim exempli cauſſa Pedianus nominat) accuſabantur. in oratione pro Sextio c. 8. qui graui aere alieno premerentur, ad eam columnam a creditoribus vocari ſolitos eſſe, inuehens in Gabinium ſignificare Cicero videtur his verbis: qui *olim, ne Scyllaeo illo aeris alieni in freto ad columnam adhaereſceret, in tribunatus portum perfugerat.* Eiusdem columnae apud Sex. Pompeium eſt mentio.

Veſtri ordinis] Nullius exiſtimationis.

Cuſto-

Cuſtodem, inquit] Fingit aliquem dicere, ſi ſubſcriptoris locum obtineat, vtilem in eo quoque cauſſae futurum, quia, ne praeuaricari Tullius poſſit, diligenter animaduertet.

De iſto cuſtode toto] De toto ſubſcriptorum genere.

Hos tales viros] Iudices: quorum de ſubſcriptoribus addendis poteſtas hoc loco perſpicue demonſtratur.

Reformidat] Ne, ſi quis conſilia mea nouerit, enunciet iis, quibus vt occulta ſint, opera danda eſt.

Hunc librum] De quo ſupra c. 14. *Quem tibi magiſter ludi neſcio qui, ex alienis orationibus compoſitum dedit.*

Te] Qui Siculus et ipſe es.

Vnum eximium fuiſſe] Vnum exceptum eſſe. non ille te vnum exemit, cum omnibus Siculis iniurias faceret. Terentianum loquendi genus, in Hec. act. I. ſc. I. v. 9.

Vtin' eximium neminem habeam? —

Per te] Qui accuſationem tibi dari poſtulas.

Id quod non potes] Non enim facultatis in te tantum eſt, vt iniurias tuas ipſe per te perſequi poſſis.

Sint impunitae] Nam te actore reus elabetur. ita nec tu iniurias tuas, nec Siculi ſuas vlciſcentur.

Qui debeat] Qui maximam acceperit iniuriam.

Adoptauit] Adſciuit, delegit. infra c. 20. *Illa erat cauſſa iuſtiſſima, quod eum ſibi Achaei patronum adoptarant.* Et Vatinius ad Ciceronem lib. V. Fam. epiſt. 9. *Quem potius adoptem, aut inuocem, quam illum, quo defendente, vincere didici?*

CAPVT XVII.

Niſi plane nihil ſapit] Simul enim proferret improbitatem ſuam.

Agonis eſt quaedam, Lilybaetana] Vſitatum narrationis initium, de quo diximus in ea pro Quintio c. 3. ad illud, *C. Quintius fuit P. Quintii huius frater.*

Ante hunc quaeſtorem copioſa plane et locuples] Furtum Caecilii iam incipit indicare. Mos hic Ciceronis eſt, criminis oſtendendi, ante quam rem ipſam exponat. Sic lib. II. c. 14. *Heraclius eſt, Hieronis filius, Syracuſanus, homo in primis domi ſuae nobilis, et ante hunc praetorem vel pecunioſiſſimus Syracuſanorum.* Lib. III. c. 27. *Agyrinenſis eſt in primis honeſta ciuitas Siciliae, hominum ante hunc praetorem locupletium, ſummorumque aratorum.* Lib. IV. c. 2. *Ea domus ante aduentum iſtius ſic ornata fuit, vt vrbi quoque eſſet ornamento.* Ibidem c. 21. *Domus erat ante iſtum praetorem nulla paullo locupletior, qua in domo haec non eſſent, etiamſi praeterea nihil eſſet argenti, patella grandis cum ſigillis, ac ſimulacris deorum, patera, qua mulieres ad res diuinas vterentur, turibulum.* Cum enim dicit, *ante hunc praetorem*, expilatas a Verre, exinanitasque Siculorum domus indicat.

Antonii] Lib. II. c. 3. *Poſtea M. Antonii infinitum illud imperium ſenſerant.* Hic poſt praeturam

turam curam habuit, infinito cum imperio, totius orae maritimae: et, indicto Cretenſibus bello, morbo periit. vnde lib. III. in Verr. c. 91. *Antonium, cum multa contra ſociorum ſalutem, multa contra vtilitatem prouinciarum et faceret, et cogitaret, in mediis eius iniuriis, et cupiditatibus mors oppreſſit.* Aſconius, epitome lib. XCVII. Velleius lib. II. c. 31. alii. Filius fuit M. Antonii oratoris, pater eius, qui cum Octauiano, et Lepido rempublicam oppreſſit.

Venereorum] Qui ſe Veneri conſecrarunt.

Si liberauerunt] Hi ſunt Veneris liberti, in quibus erat Agonis: Venerei vero ſerui, non liberti.

Viro optimo, et homini aequiſſimo] Ironia: vt e ſequentibus patet.

Iudicium dat ſtatim] Dat recuperatores, in haec verba: *Si pareret, eam ſe, et omnia ſua Veneris eſſe dixiſſe. Dare iudicium,* veteres dicebant, pro, iudices dare, certa quadam verborum formula, a qua diſcedere non liceret. exemplum formulae a Caecilio datae, hoc eſt: *Si pareret, eam ſe, et omnia ſua Veneris eſſe dixiſſe.* Legendum autem, *ſi pareret*, non, *ſi pateret:* cum tamen ſenſus idem ſit. ſed multis in locis, vbi, *paret*, fuit, repoſitum eſt, *apparet*, ignoratione veterum formularum; in quibus, *paret,* fuiſſe, pro, comparet, apparet, auctor eſt Feſtus. ideo lib. II. in Verr. c. 12. lego: *Si paret, fundum Capenatem.* lib. III. c. 22. *Si pareret, iugera eius fundi.* Lib. V. bis. Et pro Roſcio Com. c. 4. *Si paret, H-S* ꟾↄↄↄ *deberi.* Inſtit. lib. III. tit. 15. §. 1. *Perinde ei condici poteſt, ſi paret eum dare oportere, ac ſi mutuum accepiſſet.* Et lib. IV. tit. 6. §. 14. *Certum eſt, non poſſe actorem ſuam rem ita ab aliquo petere, ſi paret eum dare oportere.* Et ibidem proxime: *Si pareat eos dare oportere.* Et tit. 13. §. 3. *Qua de cauſſa efficax eſt aduerſus cum actio, quam actor intendit, ſi paret eum dare oportere.* Theophilus, εἰ φαίνεται, dixit: et addidit lib. IV. tit. 6. κατάδίκασον ὦ δικαςά: quod eſt, *condemna eum iudex.* apud Latinos ſubauditur: vt exemplis intelligitur.

Lilybaeum] Vbi iudicium dederat Caecilius. quaeſtor enim Lilybaetanus erat: cum eſſet alter Syracuſanus.

Q. Mucius] Qui pontifex max. fuit, collega L. Craſſi oratoris in conſulatu. eum Damaſippus praetor, ex voluntate C. Marii iunioris conſulis, cum aliis optimatum principibus, occidit. Velleius lib. II. c. 26. Appianus lib. I. de bell. ciu. Cicero lib. III. de Orat. c. 3. Aſiam rexit ita innocenter, vt ſenatus deinceps in eam prouinciam ituris magiſtratibus exemplum Scaeuolae adminiſtrationis decreto ſuo proponeret. Valerius Max. lib. VIII. c. 15. Eiusdem innocentia lib. II. in Verr. c. 10. laudatur his verbis: *Quis erit vmquam poſthac reus tam perditus, qui non ad Q. Mucii innocentiam referatur, ſi cum iſto conferatur?* Ibidem paullo poſt c. 13. *Cohors, non Q. Scaeuolae, qui tamen de cohorte ſua dare non ſolebat; ſed C. Verris.*

Recente

Repente e veſtigio] Venit in mentem ſuſpicari, ne alterutrum abundet.

Factus eſt Verres] Iocatur ambiguo Verris nomine. quaſi, factus eſt ſus: cum in reddenda Agonidi pecunia homo viſus eſſet. ſus autem ita repente factus, tamquam Circaea potione. nam Circe ſocios Vlyſſis, vt fabulatur Homerus, in ſues mutabat.

CAPVT XVIII.

Defendam et negabo] Refellam, quod obiicis Verri; et negabo tibi iniuriam eſſe factam. laedimur enim et iure, et iniuria. laeſus es iure, ergo iniuriam non accepiſti.

De iniuria, quae tibi facta ſit] Quam tu iniuriam appellas, tibique factam eſſe dicis. Et, *facta ſit*, non *facta eſt*, Cicero dixit, quia, *eſt*, affirmabat iniuriam Caecilio eſſe factam: *ſit*, non affirmat ex perſona Ciceronis, verum ex perſona Caecilii: vt ſi dixiſſet, *de iniuria, quam tibi factam eſſe dicis.*

Perfidioſum] Si eum vehementer accuſabis; perfidioſus eris: cum te in gratiam poſtea cum illo rediiſſe, negare non poſſis. ſin remiſſe, ac leuiter: praeuaricatoris culpam ſubibis.

Ne iniuriae quidem cauſſa remanet] Iniuriae cauſſa pecunia fuit ademta tibi, et Agonidi reddita. quod ſi Verres rurſus eam pecuniam ad te transtulit, iniuriae cauſſa non remanet. Hoc Cicero ſignificat, nec tamen perſpicue narrat; quia probare non poterat, quod inter ſolos Verrem, et Caecilium, nullo teſte, transactum erat. itaque ſatis habet, iudices coniicere, incertum eſſe de pecunia Caecilio data, vel non data: quod infra quoque oſtendit his verbis: *Cum incertum ſit de iniuria, quemquam eſſe horum putas, qui non malit, te ſine vituperatione, quam cum ſcelere, diſcedere?*

Te ſine vituperatione] Si non accuſas praetorem tuum: vituperatio nulla eſt. ſi accuſas, cum de iniuria ſit incertum: ſcelus a te committi, homines fortaſſe credent, ob eam neceſſitudinem, quae inter quaeſtorem, et praetorem eſt. quod igitur e re tua eſt, id ſtatuent iudices, actorem te non eſſe deligendum: vt ſine vituperatione potius, quam cum ſcelere, diſcedas.

CAPVT XIX.

Coniunctionem ſortis] Supra c. 14. *ſortis religionem.* Sors igitur, vt a diis immortalibus profecta, religione coniungit. et Phil. III. c. 10. *ſors diuina* appellatur.

Iure] Vt iniuriam tibi illatam perſequereris.

Neque iniuriam acceperis] Hic negat iniuriam Caecilio a Verre eſſe factam: ſupra incertum eſſe dixit.

Cn. Pompeio] Straboni, Pompeii Magni patri.

T. Albucium] Qui poſt praeturam Sardiniae praefuerat: vt in orat. de Prou. c. 7. et in Piſonem c. 38. et lib. II. de Offic. c. 14.

Atque ille Cn. Pompeius] Gloſſema eſſe, *Cn. Pompeius*, quis non videt?

C. Iu-

C. Iulio] Strabone, qui lepore, et facetiis excelluit: vt lib. I. de Offic. c. 30. ideo de ridiculis diſputat lib. II. de Orat. c. 58. ſeqq. accuſauit pro Sardis Albucium: vt lib. II. de Offic. c. 14.

CAPVT XX.

In P. Gabinium] Qui Achaiam adminiſtrauerat.

Deorum hominumque] *Deorum*, ob ſortem: *hominum*, ob morem maiorum, qui hanc quaeſturae coniunctionem liberorum neceſſitudini proximam voluit eſſe.

Quae in amicitiam populi Romani, ditionemque eſſent] Pro, *in amicitia, ditioneque.* ſic locutus pro Quintio c. 5. *Ex eo tempore res eſſe in vadimonium coepit.* Pro lege Manilia c. 12. *Cum veſtros portus, atque eos portus, quibus vitam et ſpiritum ducitis, in praedonum fuiſſe poteſtatem ſciatis.* Animaduertit hoc Gellius lib. I. c. 7.

Apud quos conſul fuerat] Ex quibus etiam triumphauit.

Nuper] C. Mario, C. Fimbria coſſ. vt ait Aſconius in Corneliana, id eſt, ante annos XXXIII.

Cn. Domitium] Tribunum plebis. Sed, *nuper*, dixit, habita ratione ſuperiorum temporum. exemplum enim attulerat M. Catonis, qui multis annis ante Domitium fuerat. ſic lib. II. c. 47. *Fecerunt hoc multi apud maiores noſtros: fecit etiam nuper homo clariſſimus, Cn. Domitius, qui M. Silanum, conſularem virum, accuſauit, propter Egritomari, transalpini hoſpitis, iniurias.*

M. (Ern. D.) *Silano*] Conſulari, qui cum Cimbris male rem geſſit: vnde accuſatus a Domitio. Aſconius in Corneliana.

Diem dixiſſe] *Diem dicere*, eſt id quidem accuſare, ſed in hoc differt, quod accuſant priuati homines, et magiſtratus, diem vero dicunt ſoli magiſtratus: idque proprium tribunorum plebis fuit. in Bruto c. 48. *Nec ſane plus frater eius M. Virgilius, qui tribunus plebis L. Sullae imperatori diem dixit.* Pro Milone c. 14. *Diem mihi, credo, dixerat: multam irrogarat.* Pro Flacco c. 32. *Veridicas adiungis cauſſas inimicitiarum, quod patri L. Flacci, aedili curuli, pater tuus, tribunus plebis diem dixerit.* Lib. III. de Offic. c. 31. *L. Manlio A. F. cum dictator fuiſſet, M. Pomponius, tribunus plebis, diem dixit, quod is paucos ſibi dies ad dictaturam gerendam addidiſſet.* Lib. I. ad Q. Fr. epiſt. 2. *Si diem nobis Clodius dixerit; tota Italia concurret.* Liuius lib. III. c. 56. *Cum diem Appio Virginius dixiſſet, et Appius ſtipatus patriciis iuuenibus in forum deſcendiſſet; redintegrata extemplo eſt omnibus memoria foediſſimae poteſtatis, cum ipſum ſatellitesque eius vidiſſent.* Et lib. XXXVIII. c. 50. *P. Scipioni Africano, vt Valerius Antias auctor eſt, duo Q. Petillii diem dixerunt.* Suetonius in Caeſare c. 12. *Subornauit etiam, qui C. Rabirio perduellionis diem diceret.* Huc ſpectaſſe videtur Plautus, cum in Capt. act. III. ſc. 1. v. 34. dixit:

His diem dicam, irrogabo multam: vt mihi cenas decem
Meo arbitratu dent.

CAPVT XXI.

Non inertiſſimum] Modeſtius laudare ſe ipſum non potuit: ſicuti cum ſubiungit, *qui videbatur poſſe defendere.* nam, *videbatur*, non affirmat. Et cum ait, *fide, diligentiaque ſua:* omiſſa ingenii mentione. Simile illud in vituperando lib. II. c. 14. *Heraclium hominem eſſe maiorem natu, non promtiſſimum.*

Homines] Nocentes videlicet.

Adoleſcentulos] Idem ſupra.

Non poenitebat] Fructum enim eius conſuetudinis capiebant maximum ex amore ſociorum: qui nunc afflicti, ac perditi iam non ſalutis ſpem, ſed exitii ſolatium quaerunt.

P. Lentulus] Auus eius Lentuli, qui cum Catilina coniurauit: vt in Catil. III. c. 5.

Princeps ſenatus] *Princeps ſenatus* dicebatur, quem cenſores in recitando primum legiſſent. ſic *princeps equeſtris ordinis*, quem in recitandis equitum centuriis primum legiſſent.

M'. Aquillium] Duo M'. Aquillii fuere, vterque conſularis: prior a P. Lentulo, alter, eius, vt opinor, filius, a L. Fufio accuſatus, et, M. Antonio defendente, ob ſeruilis belli memoriam, ab eo feliciter in Sicilia confecti, liberatus. lib. II. de Offic. c. 14. lib. V. in Verr. c. 1. lib. II. de Orat. c. 45.

P. Africanus] Minor, Paulli filius.

L. Cottam] Conſularem. deſſum eſſe a Metello Macedonico, ſcriptum eſt in Bruto c. 21. ſepties ampliatum, in Valerio lib. VIII. c. 1. abſolutum, in oratione pro Murena c. 22.

Simulant ſeſe mirari] Non mirantur, ſed ideo mirari ſe ſimulant, quia moleſte ferunt. cur autem, quod Africano licuit, id mihi non liceat, homini paruis opibus, ac facultatibus praedito?

Paucorum vitio] Corruptelam ad paucos redigit: ne vniuerſo ordini ſenatorio, qui tum res iudicabat, notam inurat improbitatis.

Quam honeſtiſſimos] Ad dignitatem refertur. fere enim homines dignitate praediti a turpitudine deterrentur. itaque ſubiungit: *Nulla ſalus reipublicae maior eſt, quam eos, qui alterum accuſant, non minus de laude, de honore, de fama ſua, quam illos, qui accuſantur, de capite ac fortunis ſuis pertimeſcere.* Haec autem ad excludendum accuſatione Caecilium pertinent.

CAPVT XXII.

De quo nulla vmquam opinio fuerit] Quem nemo vmquam in patronorum numero poſuit.

Collectam famam] Quam nullam collegit.

Spem] Quae de eo nulla eſt.

Non nimis hanc cauſſam ſeuere] Parum ſeuere, minus ſeuere, quam oporteat. *Non nimis*, videtur id, quod nimium eſt, excludere, ſed ita minuit, propemodum vt neget.

In offenſione] Si quid peccauerit.

Vt turpiſſime flagitioſiſſimeque diſcedat] Quamuis in accuſando Verre turpiſſime, id eſt, nulla diligentia, et flagitioſiſſime, id eſt, nulla fide, ſe geſſerit. Sic locutus

tus ſupra c. 18. *Cum ſcelere diſcedere.* Similiter lib. II. ad Attic. epiſt. 16. *Si poſſum diſcedere, ne cauſſa optima in ſenatu pereat.* Id eſt: Si poſſum eum exitum habere.

Veteribus ornamentis] Quae nulla ſunt.

Requiret] Amittet. nemo enim amittit, quod non habet.

Non arbitrabor] Aeque enim et Caecilium noui, et me ipſum.

Populus Romanus] Monet iudices, vt infamiam vitent et ſuam, et vniuerſi ordinis ſenatorii.

Tam honeſtam] Pro Sicilia prouincia contra reum nocentem, ac perditum.

Tam ſeueram] Quam exſpectare a me potius, quam a Caecilio, debetis. Hoc ad illud opponitur, ſupra dictum: *Non nimis hanc cauſſam ſeuere, non nimis accurate, non nimis diligenter acturum.*

Neque vobis placuiſſe] Vt a Verre corruptis.

Neque ordini veſtro placere] In eandem ſuſpicionem adducit, ſi ſibi Caecilius praeferatur, vniuerſum ordinem ſenatorium, male iam audientem iudiciorum nomine. itaque paullo poſt de iudiciis inter tres ordines communicandis legem promulgauit, et pertulit L. Aurelius praetor.

Prouidete] Veſtra cauſſa, non mea. nam ego me dignitate ſuperatum non arbitrabor.

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ACTIONEM I.
IN
C. VERREM

ARGVMENTVM

Reuerſus e Sicilia Tullius, quo, poſt victum Caecilium, impetratumque a iudicibus accuſandi locum, ad colligendas in Verrem litteras, denunciandaque teſtimonia profectus erat, hanc orationem habuit. in qua, ſumto a vita Verris initio, quae ille primum Cn. Carbonis conſulis quaeſtor, deinde Cn. Dolabellae, Ciliciae prouinciae praetoris, legatus, et proquaeſtor, tum in praetura vrbana, poſtremo in Sicilienſi per triennium patrauerat, ita percurrit, vt ſingulorum tamen criminum magnitudinem patefaciat. Hac narratione Verre in odium iudicum adducto, aggreditur alteram partem; in qua ſpes Verris oſtenditur de cauſſa in annum ſequentem producenda: non ſolum, vt Glabrionem praetorem, ſingulari praeditum integritate, ac ſapientia, ſimulque iudices, viros optimos, atque iuſtiſſimos, effugiat, quos pecunia ſua corrumpi poſſe non confidit: verum etiam, vt ope, auctoritate, ſtudio Q. Hortenſii, patroni ſui, et Q. Metelli, amiciſſimi, qui iam deſignati conſules erant, praeterea M. Metello praetore, ſui ſtudioſiſſimo, de pecuniis repetundis quaerente, aliis iudicibus, elabatur. quod ſi accidat; iis, quorum culpa ſuorum ſcelerum impunitatem Verres erit aſſecutus, inimicum ſe, accuſatorem, aduerſarium odioſum, aſſiduum, acerbum fore profitetur: ſed, ne accidere poſſit, conſilio et ratione iam prouidiſſe: nolle, quod fieri ſolet, in explicandis criminibus operam, tempusque conſumere, et oratione perpetua eloquentiae laudem quaerere: nouo ſe vſurum agendi genere, quod vnicum eſſe contra Verris inſidias remedium putet, vt cum tabulis, teſtibus, litteris, auctoritatibus accuſet: ita fore, vt, omiſſo legitimo tempore, ad dicendum dato, teſtibus ad ſingula crimina citatis,

tota

tota celeriter ad exitum accuſatio perducatur. Nec eum feſellit opinio. nam Verres, noua accuſandi ratione fractus, ac debilitatus, amiſſa patrocinii ſpe, in exſilium ſua ſponte abiit. Conſilii ſui expoſita neceſſitate, monet iudices, atque hortatur, operam dent, vt conceptam per aliquot annos, paucorum culpa, turpitudinem, atque infamiam iudiciorum, opportunitate temporis diuinitus dati, in vno reo, omnium, qui vmquam in iudicium adducti ſint, nocentiſſimo, pecunioſiſſimo, audaciſſimo, ſua aequitate, integritate, ſapientia deleant, atque tollant. Minas addit: paratum ſe eſſe, ſi Verris opes plus, quam veritas legesque valuerint, ad corrupti iudicii dedecus omni vi, ac ſeueritate perſequendum. Praetorem Glabrionem ad ſuscipiendam integritatis, fidei, religionis cauſſam, liberandum infamia ſenatum, tuendam domeſticam laudem, vehementer excitat. qui ne ſibi cum conſilio mutetur, quod ſpectabat Verres, conaturum ſe, atque effecturum eſſe confirmat.

EXPLANATIO

CAPVT I.

Quod erat optandum] Quid enim optabilius ordini ſenatorio, quam accuſationem dari, qua conceptam per annos decem turpitudinem, infamiamque iudiciorum delere liceat, ac tollere?

Maxime] Venuſtatis quiddam habet, *quod erat optandum maxime, et quod vnum ad inuidiam veſtri ordinis, infamiamque iudiciorum ſedandam maxime pertinebat.* aures enim interdum delectat iteratio eiusdem verbi.

Iudiciorum] Quae cum ab equeſtri ordine lege C. Gracchi adminiſtrarentur, L. Sulla victor ea transtulit ad ſenatum.

Summo reipublicae tempore] Extremo: cum id respublica vehementer poſtulabat.

Vobisque periculoſa] Timendum enim, ne propterea equeſtris ordo ad iudicandum vocetur.

Quae nunc ſint] Quae nunc per ſenatores fiunt.

Concionibus] Tribunos plebis ſignificat, occaſionem ſemper aliquam aucupantes de ſenatorio ordine detrahendi.

Legibus] De iudiciis ad equites transferendis. quam legem tulit hoc anno L. Cotta praetor. de quo ſic lib. III. c. 96. *Quid poſſumus contra illum praetorem dicere, qui quotidie templum tenet, qui rempublicam ſiſtere negat poſſe, ni ad equeſtrem ordinem iudicia referantur?*

Non vt augerem inuidiam ordinis] Non vt praeuaricarer: non vt quemquam aut ipſe corrumperem, aut a reo, eiusue ſuffragatoribus corrumpi ſinerem. quae commiſſa ſunt antea, magna veſtri ordinis inuidia, cum eiusmodi cauſſae a pueris nobilibus, quos eluſit Hortenſius, vel a quadruplatoribus, quos idem non ſine cauſſa ſemper contemſit, agerentur.

Depeculatorem aerarii] Cum eſſet Cn. Carbonis conſulis quaeſtor. lib. I. in Verr. c. 13.

Vexatorem Aſiae atque Pamphyliae] Cum legatus, et proquaeſtor Dolabellae. *Aſia* enim hic pro Cilicia, Dolabellae prouincia, ponitur, vt lib. I. c. 12. *Hi ſunt anni conſumti in quaeſtura, et legatione Aſiatica.* Ibidem c. 19. *Seſe, cum eſſet trierarchus, et Verrem ex Aſia decedentem proſequeretur, iuſſu Dolabellae fuiſſe vna cum iſto Sami.* Et infra c. 37. *Cum tibi ſe tota Aſia ſpoliandam ac vexandam tradidiſſet: cum tibi expoſita eſſet omnis ad praedandum Pamphylia: contentus his tam optimis rebus non fuiſti?* Lib. III. c. 3. *Qui ſociorum iniuriis, prouinciarumque incommodis doleat, is in te non expilatione Aſiae, vexatione Pamphyliae, ſqualore et lacrymis Siciliae concitetur?*

Iuris vrbani] Cum praetor vrbanus.

Prouinciae Siciliae] Cum ei praetor per triennium praefuit.

In vobis remanere] Non ad alium ordinem transferri.

Haerebit] Permanebit, non auferetur. Minatur tacite mutationem iudiciorum, ſi Verres abſolvatur.

Religionem veritatemque] Cum dixerit: *Si vos ſeuere religioſeque iudicaueritis:* hic ſubiungendum videtur, *religionem, ſeueritatemque*, vt eadem referantur. Et infra c. 15. *Nulla in iudiciis ſeueritas, nulla religio, nulla denique iam exiſtimantur eſſe iudicia.* Nec me tamen fugit, *veritatem* pro iuſtitia, ac ſeueritate ſolere vſurpari, vt lib. IV. c. 51. *Agitur exiſtimatio veritasque iudiciorum.* Et pro Quintio c. 3. *Cum in tuam, C. Aquilli, fidem, veritatem, miſericordiam P. Quintius confugerit.* Religionem autem a iudicibus poſtulat, quia iurati ſententiam ferebant. Infra c. 17. *Suſcipe cauſſam religionis.* Et lib. II. c. 73. *Si facultatem vere atque honeſte iudicandi fide et diligentia mea fecero.* Quare, ſi cui, *veritatem*, placet; aut ſi quis, *vere, religioſeque* ſupra legere malüerit, vt locus loco iisdem verbis reſpondeat: non contendam.

CAPVT II.

Terra marique] Cum e Sicilia, collectis tabulis, litteris, auctoritatibus in Verrem, Romam rediit. Inſidias alias, eius videlicet exiſtimatione factas, et praemia praeuaricationis propoſita, non putabit hic ſignificari, qui perpendet quod proxime ſequitur, *quas partim* &c. quod ideo dictum volui, quia mihi verba Pediani ſcrupulum iniecerunt. Tranſiit autem a Vibone Veliam, vt eas inſidias vitaret. Lib. II. c. 40. *Non ego a Vibone Veliam paruulo nauigio, inter fugitiuorum ac praedonum, ac tua tela veniſſem.*

Qui ita dictitat] Oratoris eſt, ea dicentem reum inducere, quae iudices illi infenſos inimicosque reddant. hoc artificio ſaepe Cicero vtitur: vt infra: *Semel ait ſe in vita pertimuiſſe.* Et paullo poſt c. 3. *Vt hoc palam dictitet, non ſine cauſſa ſe cupidum pecuniae fuiſſe, quoniam tantum in pecunia praeſidium experiatur eſſe.*

Non recenti] Argute. Recens quidem ipſe erat prouincia, non tamen recens ea, qua flagrabat, inuidia.

Flagraret] Apud iudices, populumque Romanum. cum hoc verbo

verbo conſentit illud ſupra c. 1. *Qui hanc inuidiam ſenatus inflammare conentur.*

Tempus alienum] Quia reus a me factus eſſet: quo actore, non erat, quod in ſuis diuitiis vllam ſpem collocaret: cum ego is eſſem, cuius diligentia nefariis illius inſidiis poſſet occurrere.

Perexiguam] Centum et decem dies. lib. I. c. 11.

Biduo breuiorem] Centum et octo dies.

Poſtularet] Vt ita mihi vel agendi locus adimeretur; vel, ſi ille, id quod accidit, neminem accuſaret, ſaltem mihi dies multos, ad agendum in primis oppoſitos, eriperet, dum illius ex Achaia reditus exſpectaretur, quem exſpectari neceſſe erat, quia breuiorem, quam ego, diem inquirendi poſtulaſſet. Prior autem accuſabat is, qui breuiorem ad inquirendum diem poſtulauerat. cuius generis exemplum hoc eſt apud Pedianum in orat. pro Scauro. Caepio Scaurum reum fecit repetundarum. Scaurus tanta fuit conſtantia animi, et magnitudine, vt Caepionem contra reum detulerit, et breuiore die inquiſitionis accepta, effecerit, vt ille prior cauſſam diceret. Verrem ille Achaicus inquiſitor neminem accuſare cogitauit; quod res ipſa oſtendit; ſed Ciceroni tempus eripere. quam iniuriam lib. I. c. 11. queritur his verbis: *Interpoſuiſtis accuſatorem, qui, cum ego mihi centum et decem dies ſolos in Siciliam poſtulaſſem, centum et octo ſibi in Achaiam poſtularet. menſes mihi tres cum eripuiſſetis, ad agendum maxime appoſitos, reliquum omne tempus huius anni me vobis remiſſurum putaſtis.*

Non vt is idem conficeret] Qui ſibi in Achaiam biduo breuiorem diem poſtulauit, non id ei propoſitum fuit, quod ego meo labore, meisque vigiliis in Sicilia praeſtiti, vt in Achaia inueſtigaret, et colligeret ea, quae ad reum condemnandum pertinebant: non enim accuſare quemquam voluit: ſed id ſpectauit, a Verre ſcilicet inductus, vt mihi tempus eriperet.

Non qui reum ſuum adduceret] Non qui reuera accuſare eum vellet, quem reum feciſſet, et cuius cauſſa tempus illud in Achaiam eundi poſtulaſſet: ſed qui reditus *meum tempus obſideret,* id eſt, obſiſteret, atque impediret, ne ego ante ad agendam cauſſam poſſem accedere, quam illi centum et octo dies, ab ipſo in Achaiam poſtulati, omnes praeteriiſſent. lib. I. c. 11.

CAPVT III.

Nunc] Alia Verris malitia.

Homo audaciſſimus atque amentiſſimus] Vitii plus eſt in amentia, quam in audacia. nam audacia non deſeritur a mente: amentia vero furor eſt, vnde abeſt omnis ratio, et a quo homines ad omne facinus, inopia mentis, et cogitationis, impelluntur. pertinet ad hanc ſignificationem, quod lib. I. c. 20. dicitur: *Quae, malum, eſt iſta tanta audacia, atque amentia?* Et lib. III. c. 16. *An tu decumas, homo audaciſſime atque amentiſſime, vendidiſti?* Ibidem infra c. 54. *His te litteris, homo audaciſſime atque amentiſſime, iugulatum eſſe non ſentis?* Et lib. IV. c. 45. *Audite etiam ſingularem eius, iudices, cupiditatem, audaciam, amentiam, in* iis

iis praeſertim ſacris polluendis, quae non modo manibus attingi, ſed ne cogitatione quidem violari fas fuit.

Hoc cogitat] Id, quod infra palam eum dictitantem inducit, ideo ſe tempus emiſſe iudicii ſui, quo cetera poſſet facilius emere.

Non modo in auribus veſtris, ſed in oculis omnium] Quod ab accuſatore poſtulari, dixit in Divin. c. 8. his verbis: *In mentem tibi non venit, quid negotii ſit, cauſſam publicam ſuſtinere? vitam alterius totam explicare? atque eam non modo in animis iudicum, ſed etiam in oculis, conſpectuque omnium exponere?*

Eſſe teſtes audaciae ſuae] Quibus inſignes fecerit iniurias in Sicilia.

Ab amiciſſimis ciuitatibus] Amiciſſimis populi Romani.

Perdita profligataque] Videtur, quod Aſconius quoque animaduertit, plus hic eſſe, *profligata*, quam *perdita:* cum tamen profligata recuperari poſſint, perdita non poſſint. itaque alibi idem Cicero *profligata* primum, deinde, ad maiorem vim indicandam, *perdita* ſubiecit, vt pro Amerino c. 13. *Omnia ad perniciem profligata atque perdita.* Et in Verrem lib. III. c. 26. *Omnium mortalium profligatiſſime ac perditiſſime.*

Tempus emiſſe iudicii ſui] Pecunia effeciſſe, vt res ita duceretur, vt anno ſequenti apud M. Metellum, ſui amantiſſimum, cui quaeſtio repetundarum obtigerat, cauſſa diceretur.

Cetera] Iudices ipſos, qui tunc erunt.

Facilius] Facilius anno ſequenti: quod hoc anno, tali praetore, tali conſilio, non modo difficilius eſſet, verum etiam fieri nullo modo poſſe videretur.

Criminum vim] Quae a me proferentur.

Procellam temporis] Impendentem ab optimo praetore, optimisque iudicibus. Et apte, *procellam*, quia dixerat, *ſubterfugere:* vt translationem abſoluat.

In cauſſa] In ſua innocentia.

Non haec omnia colligeret] Quae colligit ad cauſſae tempus extrahendum.

Arbitratu eius] Vel nocens, vel innocens.

Qui reus fieret] Ab illo, qui ſibi in Achaiam biduo breuiorem, quam ego in Siciliam, diem poſtulauit.

Dum hic, quae opus eſſent, compararet] Quae opus eſſent ad protrahendum actionis meae tempus, aut ad corrumpendum iudicium: quod eum ſperare miror, hoc praetore, et hoc conſilio.

In reiectione iudicum] Vtrimque iudices reiiciebantur: ſed Verres, qui maxime iuſtitiae laude praeſtabant, eos reiecit. Lib. I. c. 7.

CAPVT IV.

Adoleſcentiae maculas] Quae leuiora ſunt, aut etiam ignorantur, ea fingit orator a ſe praeteriri: vt lib. I. c. 12. *Nihil a me de pueritiae ſuae flagitiis, peccatisque audiet.* Et paullo poſt: *Lucretur indicia veteris infamiae; patiatur eius vita reliqua, me hanc tantam iacturam criminum facere.* Et in Vatinium c. 5. *Atque illud tenebricoſiſſimum tempus ineuntis aetatis tuae patiar latere.*

Cn. Carbonem] Iterum conſulem. Lib. I. c. 12. *Quaeſtor Cn. Papi-*

Papirio conſuli fuiſti abhinc annos quattuordecim.

Relictam prouinciam] Hanc hiſtoriam expoſuit pluribus verbis lib. I. c. 13.

Religionemque] Quam cum neceſſitudine ſors affert. In Diuin. c. 14. *Commemorare quaeſtoris cum praetore neceſſitudinem conſtitutam? morem maiorum? ſortis religionem?*

Legatio] Cum Dolabella.

Aſiae] Cui Nero praeerat: in qua, et in Achaia, (per has enim prouincias in ſuam prouinciam Ciliciam proficiſcens cum Dolabella transiit, ac poſtea quoque e Cilicia in Aſiam rediit) quae ſcelera Verres commiſerit, lib. I. c. 17, ſeqq. narratur.

Quaeſtorium] Qualis in Carbonem fuit, cui quaeſtor erat: talem ſe praebuit in Dolabellam, cui legatus, et proquaeſtor fuerat: vt conſulem prodiderat, ita praetorem prodidit.

In ipſis periculis] Cum accuſaretur a Scauro.

Oppugnauit ac prodidit] Lib. I. c. 38. *M. Scaurus, qui Cn. Dolabellam accuſauit, iſtum in ſua poteſtate ac ditione tenuit.*

Aedium ſacrarum, publicorumque operum] Quae ad curam praetoris vrbani pertinebant. Lib. I. c. 50.

Addictio] Addixit, ac tradidit quibus voluit, pro imperio, neglectis aliorum praetorum inſtitutis.

Tenuerunt] Contra Verris libidinem Siculis neque ſuae leges, neque noſtra ſenatus conſulta, ne communia quidem iura opem vllam attulerunt.

Imprudentiam ſubterfugit] Recte ſic, non, vt aliis placuit, *imprudentia.* Propter imprudentiam, inquit, Verris, aut propter eiusdem ſatietatem, aliquid Siculis relictum eſt. Proprie vero, et eleganter, *ſubterfugit imprudentiam, ſuperfuit ſatietati.* Nec minus eleganter lib. III. c. 43. eodem ſenſu: *Si cui quid aut remiſſum, aut relictum ſit, id fuiſſe tantum, quantum ex eo, quo iſtius auaritia contenta fuit, redundarit.*

CAPVT V.

Ad nutum iſtius] Praetor enim ipſe non iudicabat, ſed recuperatores dabat, a quibus iudicetur. ii vero ad nutum Verris omnia iudicarunt.

Ex aratorum bonis] Percurrit hic breuiter, quae fuſius exponit in accuſatione, ſuis locis.

Regum] Agathoclis, et Hieronis.

Aut dederunt, aut reddiderunt] Dedit, id eſt, conſeruauit Marcellus, Syracuſis captis: quae vero Carthaginienſes e Sicilia asportauerant, ea, illis deuictis, in Siciliam relata ſuis ſedibus reſtituit maior Africanus.

Deum denique nullum Siculis] In Diuin. c. 1. *Seſe iam ne deos quidem in ſuis vrbibus, ad quos confugerent, habere: quod eorum ſimulacra ſanctiſſima C. Verres ex delubris religioſiſſimis ſuſtuliſſet.*

At enim haec ita commiſſa ſunt ab iſto, vt non cognita ſint ab omnibus] Obiectio per ironiam duobus modis inducitur, vel cum, *at enim*, vt hic, et in Diuin. c. 7. *At enim ſolum id eſt, vt me Siculi maxime velint: alterum illud, credo, obſcurum eſt, a quo Verres minime ſe accuſari velit.* Vel cum, *at credo*, vt lib. I. c. 24.

 At,

At, credo, in hiſce ſolis rebus indomitas cupiditates atque effrenatas habebat: ceterae libidines eius ratione aliqua, aut modo continebantur.

CAPVT VI.

Proponit] In quo ſimulat: nam aliud quiddam tamdiu machinatur.

Inania nomina] Quaſi virtus abſit. Ad Appium lib. III. Fam. epiſt. 7. *Quaeſo, etiamne tu has ineptias, homo, mea ſententia, ſumma prudentia, multa etiam doctrina, plurimo rerum vſo, addo vrbanitatem, quae eſt virtus, vt Stoici rectiſſime putant, vllam Appietatem, aut Lentulitatem valere apud me plus, quam ornamenta virtutis, exiſtimas? Cum ea conſecutus nondum eram, quae ſunt hominum opinionibus ampliſſima: tamen iſta veſtra nomina numquam ſum admiratus: viros eſſe, qui ea vobis reliquiſſent, magnos arbitrabar.*

Nobilitatis] Hominum nobilium, qui Verri fauebant. ii erant, Q. Hortenſius, patronus eius, conſul deſignatus; tres Metelli; quorum Quintus conſul erat deſignatus; Marcus, praetor deſignatus; Lucius, Siciliae praeerat; C. Curio, conſularis; Q. Metellus Pius Scipio a Metello Pio, Numidici filio, adoptatus, qui poſtea Magni Pompeii ſocer fuit. quamquam non vnus ei ſuffragatus eſt Scipio, ſed Scipiones omnes, propter gentilitatem: erat enim Corneliae gentis Verres. hoc et Pedianus in Diuinationis prooemio ſignificat, vt plurium Metellorum, ſic plurium quoque Scipionum, qui Verrem defenderent, mentione facta. *Acceſſit*, inquit, *non ignobilis futura de Verre victoria, quia a Metellis, Scipionibus, et multis aliis nobilibus viris, et praecipue ab Hortenſio ipſo defenderetur.*

Hominum arrogantium] Nihil verius. nam arrogantia, et ſuperbia, commune nobilitatis malum eſt. Lib. I. c. 60. *Tantum dicam, paucos homines, vt leuiſſime dicam, arrogantes, hoc adiutore, Q. Opimium per ludum et iocum fortunis omnibus euertiſſe.* Et Salluſtius in Iug. c. 64. Metellum Numidicum, alioqui virum integerrimum, communi nobilitatis malo ſuperbia laboraſſe dicit.

Quod noti ſunt] Id eſt, infames. nam *notus* opponitur *nobili*: vt pro Coelio c. 13. *Res eſt omnis in hac cauſſa nobis, iudices, cum Clodia, muliere non ſolum nobili, ſed etiam nota.* Et pro Flacco c. 22. *Ceteri homines apud nos noti, inter ſuos nobiles.*

Redemtio eſt huius iudicii facta] Dedit negotium corrumpendi peritis hominibus, qui ſibi iudices emerent; facta vero iudicum ſortitione, et reiectione, cum ii iudices remanſiſſent, apud quos religio, et veritas plus, quam pecunia, poſſe videretur, renunciata eſt a redemtoribus, de corruptione deſperantibus, tota illa conductio.

In ſortitione] Conſcribebantur e ſenatu iudices. eorum nominibus in vrnam coniectis, praetor vrbanus eum numerum ſortiebatur, qui neceſſarius eſſet. ſortitionem reiectio, reiectionem ſubſortitio ſequebatur.

Fortuna] Fortunae munus fuit, quod optimi ſenatores, de Verre iudicaturi, ex vrna ſint educti.

Mea

Mea diligentia] Quia, ſi quis mihi ſuſpectior eſſet, eum reieci.

Nulla nota, nullus color, nullae ſordes] Acerbe in Hortenſium: cuius opera, corrupto iudicio, discoloribus ceris tabellas abſoluentium iudicum notatas fuiſſe, dixit in Diuin. c. 7.

His ſententiis] Talium iudicum.

Comitiis conſularibus factis] VI. Kal. Sext. accuſationis vero primus dies fuit nonae Sext. vt infra c. 10. *Nonae ſunt hodie Sextiles.*

CAPVT VII.

C. Curio] Pater eius, qui Caeſaris partes ciuili bello defendens, in Africa periit.

Pedetentim] Non impulſus odio, non incitatus iracundia, ſic prorſus, vt de meo nihil addam.

In turba] Quae Hortenſium e campo domum reducebat.

Quid igitur? quod tota Sicilia] Tota haec inducitur narratio ad iudicum animos contra Hortenſii, conſulis deſignati, pro Verre pugnantis, gratiam, auctoritatemque confirmandos.

Negotiatores] Ciues Romani.

Nihil, inuito conſule deſignato] Loquitur ex perſona Verris amicorum.

Moderatione] Gubernatione, adminiſtratione.

CAPVT VIII.

Ita loquebatur] Non quae ſupra dicta ſunt. quae ab iis, qui Verri fauerent, dicta finguntur: ſed quae ſubiiciuntur ſtatim.

Hominis ampliſſimi] Curionis, conſularis, et triumphalis.

In hac ſorte] M. Metelli: cum is non hoc anno, ſed ſequenti, quaeſiturus eſſet de repetundis.

Cum pecunia Sicilienſi] Quam Verres in Sicilia furatus, tradidit ſenatori, vt is eam ad equitem Romanum, exercitatum in primis in pecunia tribubus diuidenda, transferret.

Comitiorum meorum nomine] Vt aedilitate deiicerer. Aedilis deſignatus erat, cum haec diceret: vt infra c. 13.

Diuiſores omnium tribuum] Qui in legibus permittebantur. vnde illud lib. I. ad Attic. epiſt. 18. *Sextus, pater eius, nummos vobis diuidere ſolebat.* Plautus etiam in Aul. act. I. ſc. 2. v. 30. *Diuidere nummos in viros.*

Conſularibus praetoriisque] Vt Hortenſius et Q. Metellus conſules, M. Metellus praetor deſignaretur.

Si me aedilitate deieciſſent] Aedilicia comitia poſt conſularia, praetoriaque fiebant.

Fortem] Qui auderet negotium ſuſcipere.

Romilia] Tribu: de qua, et reliquis iam diximus.

Diſcipulum] In nummis populo, etiam contra leges, diuidendis.

H-S quingentis millibus] Scutatorum quindecim millibus.

CAPVT IX.

Minabantur] Verebar, ne quem corrumperent.

Ratio non erat] Nihil enim profeciſſem: cum intelligerent, occupatum me iudicio repetundarum eos accuſare non poſſe.

Blando et gratioſo] Laudare videtur, et vituperat. probos enim adoleſcentes blanditiae, laſciua-

ſciuarum mulierum propriae, non decent. gratiam vero ſignificat aetatis flore collectam. quo ſpectat illud lib. II. c. 59. *Syracuſana ciuitas dedit ipſi ſtatuam. eſt honos: et patri: bella haec pietatis et quaeſtuoſa ſimulatio: et filio: ferri hoc poteſt: hunc enim puerum non oderant.*

Fecit animo libentiſſimo populus Romanus, vt] Sic locutus et lib. II. c. 4. *Fecerunt, vt me, cuius fidem continentiamque cognouerant, prope de vitae meae ſtatu dolore ac lacrymis ſuis deducerent.* Alibi.

De fide] Fingit Verrem praeuaricationis praemia ſibi detuliſſe.

Poſtea quam] Poſtea quam aedilis deſignatus ſum.

Praerogatiuam] Significationem, et iudicium.

Pro praerogatiuis] Quas ei Verres comitiis conſularibus pecunia ſua dederat. locatur in ambigua ſignificatione praerogatiuae. Bina comitia, vtraque tributa, de iisdem candidatis fieri ſolita, et ideo praerogatiuas duas hic ſignificari, vnam, quae primis, alteram, quae ſecundis comitiis ſuffragium ferret, quarum iudicium reliquae fere tribus omnes ſequerentur, in Pediano legimus. quod probari poſſe vix puto. nam hic non de tributis comitiis, quibus creabantur minores magiſtratus, ſed de centuriatis, quibus maiores, agi conſtat. itaque praerogatiuas centurias, non tribus, a Cicerone dici arbitror, vnam, qua comitiis conſularibus creatus eſt conſul Q. Metellus, alteram, qua praetoriis frater eius M. Metellus praetor. iisdem enim comitiis conſules, et praetores, qui maiores erant magiſtratus, creabantur.

Arceſſit alter conſul deſignatus Siculos] Haec eſt praerogatiua, quam ſupra datam a Q. Metello dixit.

CAPVT X.

Erunt ex illius voluntate] Anno ſequenti.

Collega noſtri accuſatoris] Aedilis curulis cum Tullio deſignatus. itaque, cum inierit magiſtratum, aedilicio diſtrictus munere iudex eſſe non poterit.

In rebus iudicandis] Modus loquendi, pro, *in iudicando.* Infra c. 13. *Eos pecuniam ob rem iudicandam accepiſſe.* Et c. 15. *Si in rebus iudicandis populi Romani exiſtimationi ſatisfacere voluiſſent.* Et c. 16. *Alium omnino ordinem ad res iudicandas quaerendum arbitrabuntur.* Et lib. II. c. 31. *Parcite, et conſeruate, vt ſit, qui nobiſcum res iudicet.* Ibidem c. 71. *Quos ii, qui ſeueriora iudicia deſiderant, arbitrantur res iudicare oportere.* Et alibi ſaepiſſime.

In Iuniano conſilio] Cum Oppianicus, iudice quaeſtionis Iunio, damnatus eſt. tunc enim Caeſonius iudex et vacauit ipſe culpa, et, qui corrupti erant iudices, vt Stalenus, Bulbus, Gutta, eos indicauit. pro Cluentio c. 28.

Iudices non habebimus] Non modo poſt Kal. Ian. ſed etiam poſt IV. id. Dec. quo die magiſtratum inibant tribuni plebis, vt docet Dionyſius.

Triſtis et integer] Seuerus, et probus. ornat eum eadem laude, qua duos ſuperiores.

Nonii

Nonis Dec.] Et hunc tribunum plebis eſſe deſignatum, Pedianus oſtendit: ſed miror primum magiſtratus diem non eundem eſſe, quem Dionyſius aſſignat.

Illa equeſtri familia] Equeſtri loco natum. nam nunc ſenatorem eſſe Crepereium, ex eo liquet, quia iudex eſt.

Diſciplina] Iudicandi, tum, cum iudicia penes equeſtrem ordinem erant.

Ex familia ad iudicandum ſeveriſſima] Ex qua fuit ille Caſſius, de quo ſic in orat. pro Sex. Roſcio c. 30. *L. Caſſius ille, quem populus Romanus veriſſimum et ſapientiſſimum iudicem putabat, identidem in cauſſis quaerere ſolebat, cui bono fuiſſet.*

Homines veteres] Antiquae ſeveritatis in iudicando.

M. Metelli] Praetoris deſignati, cui quaeſtio de repetundis obuenerat.

Decem dies] Qui cum tam pauci ſint, a me quidem perorari, ſed agi vtrimque cauſſa non poterit. Infra c. 18.

Ludos votiuos] Ob Sertorium deuictum.

Continuo] Oratorie. nam, quattriduo interiecto, conſequebantur.

Prope XL diebus interpoſitis] XXXVIII erant, vt faſti dierum veteres declarant. nam ludi Romani, prid. non. Sept. commiſſi, prid. id. abſoluebantur. ita dies nouem auferebant. In faſtis veterum dierum poſt hos ludos Romanos, biduo interiecto, alii ludi Romani, in circo per quinque continuos dies habiti, leguntur: quos arbitror inſtitutos eſſe poſt hoc tempus, quo Verres accuſatus eſt. alioqui Cicero eos ante ludos Victoriae nominaſſet. nec vero nominari poſſunt, cum Cicero dicat, *prope XL diebus interpoſitis:* qui plures eſſent, quam XL, ſi ad eos accederent quinque dies, aut etiam quattuor. nam quintus poſt annos multos additus eſt in honorem Caeſaris dictatoris: vt in Phil. II. c. 43. ſcriptum eſt. Praeterea, quod infra c. 11. dicitur: *Tua ratio eſt, vt ſecundum binos ludos mihi reſpondere incipias*, oſtendit, binos tantum, non trinos eſſe ludos a nonis Sext. ad ludos Victoriae.

Quae a nobis dicta erunt] Dicta diebus illis, qui ſunt ante ludos votiuos, et qui poſt, ante Romanos.

Ludos Victoriae] Qui committebantur VI. Kal. Oct. et per quinque dies ſiebant. inſtituit eos L. Sulla, Teleſino, Samnitum duce, dubia pugna victo. Velleius lib. II. c. 27.

Plebeios eſſe coniunctos] Et hoc oratorie: quattriduum enim intereſt.

Aut nulli, aut pauci] Propter ferias, feſtosque dies. lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 1. *Senatus fuit frequentior, quam putabamus eſſe poſſe menſe Decembri, ſub dies feſtos.* De feriis autem, feſtisque ſimul diebus, lib. II. de Leg. c. 12. *Feriarum, feſtorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium et iurgiorum, in ſervis, operum et laborum.*

Iurato ſuam] Iudices iurabant, praetor non iurabat.

CAPVT XI.

Res omnis mihi tecum erit, Hortenſi] Hoc quale ſit, interpretatur infra pluribus verbis.

Binos

Binos ludos] Votiuos, et Romanos.

Comperendinem] Vt acta ſemel vtrimque cauſſa, iterum vtrimque agatur. nam ea *comperendinatio* eſt. actione priore defenſor accuſatori reſpondebat, poſteriore defenſori accuſator. ita bis vterque cauſſam agebat, ſed accuſator primus, et vltimus. quae colliguntur ex lib. I. Hoc autem non oratione perpetua, ſed teſtibus ad ſingula crimina editis, Cicero conſecutus eſt: qua arte facultatem ademit Hortenſio cauſſae protrahendae: cum in teſtibus interrogandis haerere, et conſiſtere cogeretur. et ipſe Verres, cui conſilia non procederent, ſponte in exſilium diſceſſit.

CAPVT XII.

Periculum facere] In accuſando Verre.

Innocentiae, abſtinentiaeque] In prouincia, cum apud eos quaeſtor fuit.

Sunt homines] Iudices eos deſignat, qui de ſua infamia, deque odio et offenſione populi Romani minimum laborantes, religionem, fidem, veritatem pecunia venderent.

Irruere] Cum impetu, nullo pudore, nullo metu legum retenti.

Ex eo loco] E Roſtris.

Potentiam] Nobiles quosdam, Verri ſuffragantes, carpit, Curionem, Scipionem, Hortenſium, duos Metellos.

Impudentiam] In corrumpendo.

CAPVT XIII.

Agentur] Vt ab accuſatore.

Translata] A Sulla.

Prope quinquaginta] Auget oratorie. anni enim quadraginta, vno amplius, aut altero, a ſecundo C. Gracchi tribunatu, quo iudicia transtulit ad equites, ad Sullam iterum conſulem numerantur. quamquam videtur mihi Sulla ſtatim poſt victoriam, cum dictator eſt factus, pro inſigni contra equites odio iudicia mutare debuiſſe, non biennium exſpectare, dum conſul iterum fieret. quod ſi ita ſit: anni quadraginta erunt, eoque maior Ciceronis oratoria licentia.

Nullo (Ern. *iudice*) *equite Romano iudicante*] Duriuscule dictum videtur, pro, *numquam, vllo equite Romano iudicante.* Nam, quod alii magis probant, *nulla:* quaero, qui poſſit illud per ſe conſiſtere, *equite Romano iudicante?*

Sublata] A Sulla: qui prouocationem ad populum ſuſtulit. quo turpius deinde ſenatores, metu poenae liberati, iudicarunt.

Minoris H-S XXX M (Ern. *H-S tricies*)] Si de vniuerſa pecunia, in iudicii corruptionem erogata, loqueretur, crederem legendum, *H-S tricies millies:* quae ſunt, ſcutatorum nonaginta millia. ſin de pretio ſingulorum iudicum: *H-S triginta millia*, ferri poteſt: vt cuiusque iudicis merces nongenti ſcutati ſint.

Honeſte] Vt culpa iudicum ſaltem excuſaretur magnitudine mercedis.

Sena-

Senatore damnato] Senatorum iudicia vituperat, non Hortenſium, quo de repetundis quaerente, Septimius damnatus eſt.

Lis aeſtimata ſit eo nomine] Accuſatus eſt, et damnatus crimine repetundarum Septimius: ſed aeſtimatio litis eo grauior, et acerbior fuit, quod eum conſtabat ob rem iudicandam pecuniam accepiſſe. nam eam quoque pecuniam ad litis aeſtimationem addi iudices voluerunt.

Senatores] Ad maiorem ſenatorii ordinis ignominiam, *ſenatores*, dicit: cum vnus ille ſenator fuerit Fidiculanius Falcula: vt in orat. pro Cluentio c. 37.

C. Verre praetore vrbano ſortiente] Praetor vrbanus iudices, qui ſederent in cauſſa publica, ſortiebatur: reiectione facta, ſubſortiebatur iudex quaeſtionis: eorumque nomina idem praetor in tabulas referebat: vt lib. I. in extremo. Dicit autem facinus illud, Verre praetore vrbano ſortiente, contigiſſe, vt aliqua ipſum quoque Verrem notaret infamia.

In eum reum] In Oppianicum, accuſante Cluentio damnatum.

Incognita cauſſa] Ergo ſuppoſiti vltimo iudicii die.

Inuentus eſt ſenator] C. Aelium Stalenum ſignificari, docet oratio pro Cluentio c. 24.

Ab reo] Oppianico.

Ab accuſatore] Cluentio. in ipſa tamen, qua Cluentium defendit, oratione, a reo tantum pecuniam Staleno datam, qua iudices corrumperet, ſtudet probare. Seruit igitur cauſſae, quod oratorum eſt, in vtroque loco, hic, vt infamia notentur ſenatores; illic, vt abſoluatur Cluentius.

Diſcoloribus ſignis] Diuerſi coloris cera tabellis corruptorum iudicum illita. In Hortenſium: cuius opera, id agentis, vt nocentes rei ipſo patrono abſoluerentur, factum id eſſe credebatur. vnde in Diuin. c. 7. *Ceratam vnicuique tabellam dari cera legitima, non illa infami ac nefaria.* Et huc ſpectat illud ſupra c. 6. dictum: *Nulla nota, nullus color, nullae ſordes videbantur his ſententiis allini poſſe.*

CAPVT XIV.

Hominem potentem] Aut Hortenſium dicit: aut hoc fingit, vt ſolet, ad infamandum Verrem.

Victoriae] Quae multo plus exigat, quam quod ſibi ac liberis ſuis vel auariſſimus homo cupiat.

In auaritia] In capienda contra leges pecunia.

Scelere] In ipſo abſoluendo, homine nocentiſſimo.

Periurio] Contemnendis legibus, in quas iuraſtis. iurabant enim iudices omnes, in ferenda ſententia nihil ſe commiſſuros eſſe contra leges.

CAPVT XV.

Cui loco conſulite, ac prouidete] Cui rei: vt paullo poſt: *Ei rei ſe prouidere ac conſulere velle.*

Contemnimur] Loquitur vt ſenator, quia cenſores eum Gellius, et Lentulus, qui tunc erant, in ſenatum legerant. anno autem ſuperiore ſenator non fuerat. nam a cenſoribus Philippo,

et

et Perperna, qui ante annos quattuordecim cenſuram geſſerant, in ſenatum legi non potuit, cum aetate ſenatoria nondum eſſet. de qua ſuo loco dicemus.

Requiſiuit] Qualis ante Sullam fuerat. nam is valde eam minuit, lege lata, ne, qui tribunus plebis fuiſſet, ei poſtea magiſtratus alios capere liceret.

Q. Catulum] Eius filium, qui cum C. Mario conſul fuit. Simultatem aliquam cum Pompeio geſſit, quod eius ope, ac ſtudio conſul priore loco deſignatus erat collega eius M. Lepidus.

Cn. Pompeio] Conſule.

De tribunicia poteſtate] Quam, inito conſulatu, reſtituerat: itaque paullo poſt legis tribuniciae, ab eo latae, mentio fit.

Ad vrbem] Cum adhuc eſſet cum imperio: nam vrbem ingredientes imperium deponebant. Pompeius autem ad vrbem manſerat, vt triumphans ingrederetur, Sertoriano bello confecto.

Ei rei ſe prouidere ac conſulere velle] Reſtituenda tribunicia poteſtate.

CAPVT XVI.

In ſpeculis ſunt] Quia vos, ſi quid offenderitis, vocari ad populum a tribunis plebis noua lege poſſe intelligunt.

Poſt legem tribuniciam] Latam a Pompeio de vetere poteſtate tribunis plebis reſtituenda.

Vnum ſenatorem] Miror hunc ab Aſconio Dolabellam putari, qui multo ante legem tribuniciam, id eſt, ante Pompeium conſulem, damnatus erat: cum oppugnatus ac proditus in iudicio ſit a Verre, vt lib. I. c. 38. conſtat: id autem contigiſſe neceſſe ſit ante quam Verres in Siciliam iret, vbi per triennium fuit. vt omittam, quod e prouinciis, quibus praefuerant, reuerſi ſtatim accuſabantur, non poſt aliquot annos.

Niſi ea, quae turpiſſima eſt] Abſolutum eſſe videlicet ſua pecunia.

Aliquo mediocri vitio] Mediocre vitium eſſet, abſolui gratia, cognatione aliis recte factis: maximum autem, abſolui corrupto iudicio. quae in vobis haerebit culpa.

Per gratiam conetur corrumpere (Ern. *contendere*)] Nemo enim audebit, cum obiici videat eiusmodi res.

Non modo aures] Vt eorum conſilia populus Romanus non modo auribus accipiat, ſed oculis cernere videatur.

Poſt haec conſtituta iudicia] Senatoria, lege Sullae conſtituta.

Hoc ſplendore] Propter integritatem, honoresque praeclare geſtos, nulla turpi macula vitam obſcurante.

Quod fieri non poteſt] Hic a iudicibus beneuolentiam captat: cum vero ſubiungit, *ſed alium omnino ordinem*, metum iniicit mutandorum iudiciorum. ita duabus cauſſis impellit eos ad ſeuere iudicandum.

CAPVT XVII.

Praeter eum] Praeter ipſum Verrem.

Qui iampridem inuentus eſt] Cuius nota iampridem improbitas eſt.

Potes

Potes prouidere] Ne quis eorum, qui tibi in conſilio adſunt, corrumpatur.

Et in laude, et in gratia] Qui nunc et in infamia, et in odio propterea eſt, quia iudicia male flagitioſeque adminiſtret.

Qui ſis] Praetorem te eſſe.

Quo loco ſis] Summa dignitate. *Locum* pro dignitate vſurpat alibi quoque vt lib. I. c. 48. *Hominem ornatiſſimum loco, ordine, nomine, virtute, ingenio, copiis.* Ad Terentiam, et Tulliam lib. XIV. Fam. epiſt. 18. *Vos videte, quid aliae faciant iſto loco feminae.* Opinionem Pediani de tribunalibus non probo. nam in eo, *qui ſis*, praeturae ſignificatio continetur: vt addere de tribunalibus non ſit neceſſe.

Quid dare populo Romano] Qui tibi praeturam mandauit.

Quid reddere maioribus tuis] Quam ab iis laudem accepiſti, eandem redde.

Paternae legis Aciliae] De repetundis: quae comperendinationem adimebat, ampliandi poteſtatem dabat. lib. I. c. 9.

Auum] Scaeuolam, auum maternum. nam Glabrio gentis Aciliae, Scaeuola Muciae fuit. In Bruto c. 68. *M'. Glabrionem, bene inſtitutum aui Scaeuolae diligentia, ſocors ipſius natura negligensque tardauerat.*

Scauri conſtantiam] Scauri conſtantiae multa ſuppetunt exempla: quorum nonnulla Pedianus commemorat in orat. pro Scauro. Cicero ipſe ad Lentulum, lib. I. Fam. epiſt. 9. *eſt vero, inquit, probandum, qui et ſumma voluntate ceſſerit, et egregia animi alacritate abfuerit, neque ſane redire curarit, eum ob id ipſum fractum fuiſſe, in quo cum omnes homines, tum M. illum Scaurum, ſingularem virum, conſtantia et grauitate ſuperaſſet.* Ejusdem conſtantia laudatur in orat. pro Fonteio c. 7. Principem ſenatus fuiſſe, ſignificat in oratione pro ſilio.

CAPVT XVIII.

XL diebus interpoſitis] A nonis Sext. quo die agi coepta eſt cauſſa, ad vltimum diem ludorum Romanorum. ſupra c. 10.

A quoque] A quoque teſte. quod ſequentibus intelligitur.

Omnium] Vt omnes aeque ſciamus, et memoria teneamus, quid a quoque dictum ſit.

Qui nunc principes noſtrae civitatis ſunt] L. et M. Lucullos ait Pedianus eos fuiſſe, qui teſtibus ad ſingula crimina in accuſando L. Cotta ſtatim vſi ſint.

Vt crimen totum explicem] Senſus hic videtur eſſe. ita teſtes conſtituam, vt, cum eos interrogabo, omnes cuiusque criminis partes explicem: vt, vbi crimen totum interrogatione, argumentis, oratione firmauero, tum eosdem teſtes ad crimen accommodem, et Hortenſio defenſori interrogandos tradam: vt, poſt interrogationem, ipſe quoque argumentandi, ac dicendi facultatem habeat. Hoc infra apertius.

Illis] Qui Verrem defendent.

Eadem] Quae mihi.

Altera actione] Dixi iam, comperendinatione iterum agendae cauſſae poteſtatem eſſe datam, non eodem tamen ordine. nam actione prima primus accuſatori ad dicendum locus dabatur: tum defenſor reſpondebat. actione vero altera, prior locus erat defenſoris, poſterior accuſatoris. Cum igitur ait, *altera actione:* ſuam poſteriorem accuſationem, dicta iam bis a defenſore cauſſa, ſignificat.

Ea ratione facimus] Dele, *facimus;* vitii nihil erit in ſententia. quod Aſconius animadvertit.

Quadringenties] Duodecies centena ſcutatorum millia.

Vacuosque dies] Qui ludis occupabuntur.

Dixi (abeſt ab Ern.)] Finis orationis, non tamen actionis, quam teſtes, tabulae, priuatae publicaeque auctoritates, contra reum prolatae, abſoluebant.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

ACTIONIS II.

IN

C. VERREM

LIBRVM I.

ARGVMENTVM.

Malitiam Verris, et Hortenſii Ciceronis conſilium vicit. Illi, cauſſae diffiſi, ſpem omnem in ſequentis anni praetore M. Metello, et in ipſo patrono Verris, Hortenſio, Quintoque Metello, qui futuri conſules erant, reponentes, curam omnem induſtriamque ſuam in eximendo tempore, ducendaque re defixerant. Contra Cicero, cognitis inſidiis, omiſſa oratione perpetua, cauſſam per teſtes, tabulas, auctoritates egit: interrogandi teſtes, argumentandi, dicendique facultate Hortenſio tradita, orationem illi quoque perpetuam eripuit. quo deterritus Hortenſius, deſperato patrocinii ſui exitu, agendae cauſſae conſilium abiecit: Verres autem ipſe, tamquam conuictus, in exſilium ſponte diſceſſit. Sequentes igitur quinque libros Cicero, quaſi praeſentem Verrem altera actione accuſaret, ad eloquentiae laudem conſcripſit. huius autem primi libri prooemio nihil aliud agit, quam vt Verres adeſſe, defendique iterum ab Hortenſio, comperendinationum more, videatur. deinde ad accuſandum aggreditur, a quaeſtura Verris initio ſumto.

EXPLANATIO

CAPVT I.

R*eſponſurum non fuiſſe* (Ern. *eſſe*)] Reſpondet non reus, ſed perſonam rei ſuſtinens defenſor: reſpondet autem actione prima criminibus obiectis, altera verò iterum iisdem criminibus: poſtremus accuſatoris locus eſt. nam, vt dixi iam, in comperendinatio-

dinatio-

dinatione bis vtrimque cauſſa agebatur. *Reſponſurum* igitur accipio, pro, affuturum, vt pro eo reſpondeat Hortenſius. Et infra, cum ait: *reſpondet: defenditur:* reſponſionem, et defenſionem Hortenſii ſignificat. Et cum ſubiungit: *ſi reticeat:* itidem ad defenſorem refero, pro, ſi non defendatur. nam reus in iudicio tacebat, defenſor autem pro eo loquebatur. Aliter Aſconius.

Euictus] Actione prima.

Ora iudicum adſpicere] Quibus crimina ſua tam multis teſtibus nota eſſe intelligeret.

Populo Romano] Circa iudicium ſtanti.

Proiectus] Quem nulla ratio, quo minus in omne facinus rueret, continere potuiſſet.

Ad audiendum] Ea, quae commiſit.

Ipſe ſibi conſuluiſſe] Quia, vitato iudicio, impudentiae ſuae pudentem tamen exitum quaeſiſſe videretur.

CAPVT II.

Diligenter reiectis ab accuſatore iudicibus] Quod iam antea factum erat. vnde illud act. I. c. 6. *Et in ſortitione iſtius ſpem fortuna populi Romani, et in reiiciendis iudicibus mea diligentia iſtorum impudentiam vicerat.*

Abiudicari] Abiungi, amoueri, auferri.

Prope depoſitam] Pergit in translatione, quia dixerat, *aegram:* et quia, *prope depoſitam*, hic dicit, ſubiungit, *ſuſcepiſſe*. *Prope*, autem non addidit ſine cauſſa, ſed vt ſpem tamen aliquam oſtenderet ſanandae reipublicae. nam ſi, *depoſitam*, ſimpliciter dixiſſet; interitum demonſtraſſet. Similiter in Diuin. c. 3. *Fateor me, ſalutis omnium cauſſa, ad eam partem acceſſiſſe reipublicae ſubleuandae, quae maxime laboraret.*

Partem] Iudicia, vere magnam reipublicae partem, non tamen totam rempublicam.

Haec res] Quae nunc in iudicium venit, cauſſa ſcilicet Verris.

Aliqua ex parte] Seruit modeſtiae ſuae. nam ad iudices quoque pertinet eadem laus.

Conſtituta] Ne labet, vt antea.

Vt eſſet hoc iudicatum] *Vt*, pro vbi, vel poſtquam. quod ſi ita accipitur, vt omnino accipiendum videtur, non eſt, cur de mendo ſuſpicari quiſquam poſſit. hoc enim dicitur: Acceſſi ad hanc cauſſam, vt, vbi de Verre iudicatum eſſet, nulla id de iudiciis inter populum Romanum, ordinemque ſenatorium controverſia ſupereſſet.

Iudiciariae controuerſiae] Verris enim, hominis et nocentiſſimi, et pecunioſiſſimi, aut abſolutione, aut condemnatione iudicabitur, vtrum populus Romanus, qui mutari iudicia vult, an ſenatus, qui recuſat, recte ſentiat.

Nec populus Romanus metuit] Cognitis iam eius criminibus actione prima.

Pro cetera eius audacia atque amentia] Supra quoque *audacem, amentem, impudentem* vocauit.

Et in deos, et in homines] Propterea dicit infra c. 4. *Iſtum abſolutum, diis hominibusque inuitis. In deos* autem, quod eorum

rum ſanctiſſima ſimulacra e delubris abſtulit.

A mente conſilioque deducitur] Inde naſcitur eius impudentia. vbi enim et mens, et ratio eſt, ibi pudor.

CAPVT III.

Agunt eum praecipitem] Ne quis eum adeſſe, et reſpondere, deſperata abſolutione, miretur.

Quos partim] Vide lib. V. c. 53, ſeqq.

In crucem ſuſtulit] Vt ſeruos. P. Gauium, municipem Conſanum, ſignificat.

Ab iſto retruſa atque abdita] Obſcuris occultata locis, ne ſacrilegium pateat.

Auaritiae] Ob crimen repetundarum.

Supplicio communi] Aeſtimatione litis, et exſilio.

Sed ereptorem] Quaſi legum poenas contemnentem. Verris crimina omnia ad apertam vim, oratorio more exaggerans, Cicero deducit.

Cui damnari expediret] Impendente, niſi damnetur, grauiore poena.

CAPVT IV.

Diis hominibusque inuitis] Qui contra deos impie, contra homines crudeliter, auare, libidinoſe multa commiſerit. Rebus proſperis dicitur, *Diis, hominibusque approbantibus.*

Ex manibus]. Non dixit, *ex ſententiis*, ſed, *ex manibus*, quaſi diſcerpendum propter ſcelera ab irato populo. quod infra confirmatur iis verbis: *Si iſtum viuum ad aliud iudicium perducere poterimus.*

Nobiscum] Cum ordine ſenatorio.

Contentus erit (Ern. *fuerit*)] Lata enim hoc anno per Pompeium conſulem lege tribunicia, arripere tribunis plebis quoscumque vellent, et ad populum attrahere licebat. de qua lege act. I. c. 16. his verbis: *Vident, adhuc poſt legem tribuniciam vnum ſenatorem vel tenuiſſimum eſſe damnatum.*

Tot, tantis, tam nefariis ſceleribus] Augent ſingula, vt lib. II. c. 5. *Tot, et tantae, et tam graues ciuitates.*

Non eſt, non eſt in hoc homine cuiquam peccandi locus] Peccare in hoc reo licet nemini. Iteratio, *non eſt, non eſt,* et vim auget, et quaſi ad minandum pertinet. tale illud pro Fonteio c. 7. *Fuit, fuit illis iudicibus diuinum ac ſingulare, iudices, conſilium.*

Non id tempus] Laborat enim nunc vel maxime ſenatorius ordo infamia iudiciorum. itaque iudicibus danda opera eſt, vt conceptam turpitudinem deleant potius in hac cauſſa, quam augeant.

Non id conſilium] Iudicum integerrimorum: itaque corruptores, quod ſperent, non habent.

Viuum] Elapſus enim iudicum ſententiis ex hoc iudicio, manibus fortaſſe populi diſcerpetur.

Ad aliud iudicium] De peculatu: vt apud alium praetorem, aliosque iudices eum accuſem.

Cn. Carboni] Iterum conſuli, Marianarum partium duci: cui Galliam prouinciam ſortito quaeſtor Verres obtigit. Infra c. 13.

 Carbo

Carbo grauiter ferebat, ſibi quaeſtorem obtigiſſe, hominem ſingulari luxuria atque inertia. verum tamen ornabat eum beneficiis, officiisque omnibus. Ne diutius teneam: pecunia attributa, numerata eſt. profectus eſt quaeſtor in prouinciam. venit in Galliam exſpectatus ad exercitum conſularem cum pecunia. ſimul ac primum ei occaſio viſa eſt, (cognoſcite hominis principium magiſtratuum gerendorum et reipublicae adminiſtrandae,) auerſa pecunia publica; quaeſtor conſulem, exercitum, ſortem prouinciamque deſeruit.

Alieno nomine] *Carbonis nomine*, Pedianus ait: quod aperte falſum. nam de pecunia, quam Carboni datam auertit Verres, proxime dictum eſt. Idem ſubiungit veriorem, vt arbitror, interpretationem. *Alieno nomine:* ſumtam a quaeſtoribus ad emtionem frumenti, quod Siculis non perſoluit.

Quod priore actione didiciſtis] Non ex ipſa oratione, quae nihil habet eiusmodi, ſed ex teſtibus a Cicerone productis, qui ad priorem actionem pertinent. itaque dixit iam c. 1. *Nemo quemquam tam audacem, tam amentem, tam impudentem fore arbitrabatur, qui tam nefariis criminibus, tam multis teſtibus euictus, ora iudicum adſpicere, aut os ſuum populo Romano oſtendere auderet.* Eiusdem generis eſt illud infra c. 5. *Meminerit, ſe priore actione, clamore populi Romani infeſto atque inimico excitatum, confeſſum eſſe* &c. Et illud: *Credet iis equitibus Romanis populus Romanus, qui ad vos antea producti teſtes, ipſis inſpectantibus, ab iſto ciuem Romanum, qui cognitores homines honeſtos daret, ſublatum eſſe in crucem dixerunt.*

De capite] De toto frumento decumano, a decumanis promiſſo ad leuandam annonam populi Romani. Fecit autem id Verres non tam eorum gratia, qui ab ipſo decumas redemerant, quod exiſtimaſſe videtur Aſconius, quam vt id, quod aliquot nominibus, id eſt, fictis adumbratisque cauſſis, de capite frumenti decumani detrahebat, ad ipſum quadam ex parte perueniret. quod ex lib. III. perſpicue cognoſcitur.

Quantum commodum fuerit] Quantum ei libuerit. Quo ſenſu inſignem Verris audaciam oſtendit: vt ſummam Philodami liberalitatem, cum dixit infra c. 26. *Rogat Rubrium, vt, quos ei commodum ſit, inuitet:* pro, quoscumque velit. Et ſummam Verris iniuſtitiam in eo c. 44. *Cur hunc dolorem cineri eius, atque oſſibus inuſſiſti, vt liberis eius bona patria, voluntate patris, iure, legibus tradita, eriperes, et, cui tibi eſſet commodum, condonares?* Lib. II. c. 13. *Eum iudicem, quem commodum erat, praeconem, haruſpicem, medicum ſuum dabat.* Lib. III. c. 14. *Cum is, non quantum debetur, ſed quantum commodum eſt, aufert?* Ibidem c. 70. *Si cui ciuitati ſoluit; tantum detraxit, quantum commodum fuit.* Et c. 97. *Neque enim id, quod debebatur, ſed quantum commodum fuit, imperauit.*

M. Marcelli, et P. Africani monumenta] Act. I. c. 5. *Idem iſte praetor monumenta antiquiſſima partim regum locupletiſſimorum, quae illi ornamento vrbibus eſſe*

eſſe voluerunt, partim etiam noſtrorum imperatorum, quae victoribus ciuitatibus Siculis aut dederunt, aut reddiderunt, ſpoliauit, nudauitque omnia. De his monumentis lib. IV. c. 33, ſeqq.

CAPVT V.

De ducibus hoſtium] Hoc ad maieſtatis iudicium pertinet.

Liberauit] Haec tota res lib. V. c. 25, ſeqq. narratur.

Priore actione] Cum teſtes interrogarentur.

Priuatum hominem] Laeditur maieſtas publica, cum homo priuatus duces hoſtium domi ſuae tenet.

Per me] Qui, vt in publicam cuſtodiam traderentur, effeci.

Quo me iam pridem vocat populus Romanus] Nam et peculatus, et maieſtatis crimina ad praetores pertinent: ius autem libertatis imminutae populus Romanus, vt ad ſe pertinens, perſequitur.

Vi ſua] Vi pecuniae ſuae.

Conſilia ſenatoria] Iudices, qui ſedent, aut ſedebunt in eum, de repetundis, peculatu, maieſtate.

Quaeſtiones] De publicis criminibus.

Euolet] Translatis verbis, eodem ſpectantibus, vtitur, *confringat, vi, perrumpat, euolet, tenebitur.*

Qui cognitores homines honeſtos daret] Qui teſtimonio probaret hominum honeſtorum, ſe ciuem Romanum eſſe. lib. V. c. 64.

Omnes V. et XXX. tribus] Quae de reo Verre ſuffragium ferent. Populus Romanus de vno perduellionis crimine centuriatis comitiis iudicabat; de ceteris autem, tributis.

M. Annio] Hoc, et quae ſequuntur, cognoſce ex lib. V. c. 57, ſeqq.

Beneficio populi Romani] Qui me aedilem creauit.

De loco ſuperiore] De Roſtris.

Vllum munus aedilitatis] Munera aedilium curulium erant ludi: et Cicero ipſe trinos ludos dedit: vt in oratione pro Murena c. 19.

CAPVT VI.

In praeteritis rebus] Quae ſtatim exponentur. Prima eſt: *Ego meum ſtudium in rempublicam iam illo tempore oſtendi.* Altera: *In Siciliam ſum inquirendi cauſſa profectus.* Tertia: *Ita reieci iudices.*

Mea quidem ratio] Id, quod ad me attinet. Huius vocabuli vis intelligi magis, quam exprimi poteſt. intelligitur autem obſeruatione multorum exemplorum, vt ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Mea ratio fuit alia, quod, neque deſipiente populo, neque integra re mihi ad conſulendum, capeſſeremne rempublicam, implicatus tenebar.* Ad Appium lib. III. epiſt. 5. *Quo mea ratio facilior, et ſolutior eſſe poſſet.* Ad eundem epiſt. 8. *Mea ratio in tota amicitia noſtra conſtans, et grauis reperietur.*

Explorata] Certa.

Prouiſa] Munita conſilio, et fide.

Veterem] Vt homines idonei, atque integri ad accuſandum deſcenderent.

Quo in numero e vobis complures fuere] Mutatio conſilii, vt arbitror, facta non erat: ſed poſt reiectio-

reiectionem non omnes, qui de accuſatore legendo iudicauerant, iidem in iudicando Verre ſederunt. reiectio autem, poſtquam e Sicilia Cicero rediit, non ante contentionem de accuſatore conſtituendo, facta eſt: vt paullo poſt exponitur.

Vim in inquirendo] Curam, et diligentiam.

Quantam mihi lex dabat] Dabat, vt ea tantum colligerem, quae ad repetundarum crimen pertinent.

Lauti et vrbani] Ironia: quaſi turpiter, et inurbane ſe geſſerint, cum eiusmodi ſermones de ſe immerente diſſiparent.

CAPVT VII.

P. Galbam] Virum integerrimum.

M. Lucretium] Cum Galba non conferendum. quem Cicero poſtea reiecit. Haec ſubiunguntur, vt refellatur illud: *Quam iſte laudem communem ait ſibi eſſe mecum.*

Eius patronus] Hortenſius.

Reiici paſſus eſſet] Aſconius reiectionem fieri primum a reo, deinde ab accuſatore putat: quod veriſimile videtur: itaque, *reiici paſſus eſſet*, interpretatur, reieciſſet ipſe. nam, ne reiicerentur ab accuſatore, qui poterat obſiſtere?

Vobiscum eſſe commune] Vt ego diligenter accuſarem, vos ſeuere iudicaretis. infra c. 8. *Ego, quod ad me attinet, vici.* Et poſt: *Vos, quod ad veſtram famam, exiſtimationem, ſalutemque communem pertinet, iudices, proſpicite atque conſulite.*

Non ſolum notis, ſed etiam ignotis] Et qui me norunt, et qui ignorant. ſic ad Lucceium lib. V. Fam. epiſt. 12. *Corporis ſimulacra ignotis nota faciebant*: pro iis, qui non nouerant.

Fidem et diligentiam] Quae duae res ab accuſatore poſtulantur. Hoc eſt, quod in Diuinatione c. 3. dixit: *Cum hoc vnum his tot incommodis remedium eſſe arbitrarer, vt homines idonei atque integri cauſſam reipublicae legumque ſuſciperent.*

Comitiis meis] Aediliciis.

Largitione] Qua vſus iam erat conſularibus, praetoriisque comitiis, vt Q. Metellus conſul, M. Metellus praetor deſignaretur.

Nihil potuiſſet] Se quoque tentatum Verris pecunia ſignificat, vt act. I. c. 2. cum dixit: *Iſtius inſidiae nefariae, quas vno tempore mihi, vobis, M'. Glabrioni praetori, ſociis, exteris nationibus, ordini, nomini denique ſenatorio facere conatur.* Et ibidem c. 9. apertius: *Fecit animo libentiſſimo populus Romanus, vt, cuius diuitiae me de fide deducere non potuiſſent, ne eiusdem pecuniis de honore deiicerer.*

Diligentiae] Qua vſus eſſem in reiiciendis iudicibus.

His ludorum diebus] Fingit reſpondiſſe Verrem poſt binos ludos.

CAPVT VIII.

Non enim ſpolia C. [*Verris*] Tamquam de hoſte deuicto. quae autem ſpolia? vt, eo condemnato, litem ei aeſtimatam viderem.

Exiſtimationem populi Romani] Vt bene de me populus Romanus exiſtimaret, quem videret cum cauſſa acceſſiſſe ad accuſandum,

dum, id eſt, reum nocentiſſimum in iudicium adduxiſſe, eumque ita accuſaſſe priore actione, vt neque fidem meam, neque diligentiam deſiderare quisquam poſſet.

Totus ordo] Senatorius.

Et in laude, et in gratia] Dixit idem act. I. c. 17. *Suſcipe cauſſam ſenatus, vt is hoc iudicio probatus, cum populo Romano et in laude, et in gratia eſſe poſſit.*

Vos, quod ad veſtram famam, exiſtimationem, ſalutemque pertinet, iudices, proſpicite atque conſulite] Nam ego, quod ad me attinet, vici. Quod ſupra dictum eſt.

Splendor veſter] Veſtra dignitas: vt paullo ante c. 7. *Cum in eo veſtra mihi dignitas fructum diligentiae referret.*

Facit] Similiter locutus ad Matium lib. XI. Fam. epiſt. 27. *Dignitas tua facit, vt animadvertatur, quidquid facias.*

Aliud genus hominum] Equites Romanos. Act. I. c. 16. *Conſtat inter omnes, poſt haec conſtituta iudicia, quibus nunc vtimur, nullum hoc ſplendore, atque hac dignitate conſilium fuiſſe. Hic ſi quid erit offenſum, omnes homines non iam ex eodem ordine alios magis idoneos, quod fieri non poteſt, ſed alium omnino ordinem ad res iudicandas quaerendum arbitrabuntur.*

CAPVT IX.

Nouo querimoniae genere] Quis enim in vllo vmquam iudicio queſtus eſt, quod accuſator contra reum pauca diceret. Notat hic quoque inſidias Hortenſii, qui cauſſam producere ad annum ſequentem omni arte ac ratione conaretur.

Ne aliter, quam ego velim, meum laudet ingenium] Non enim ex eo laudari cupio, quod reum prodiderim, quia pauca dixerim. in quo me laudaret Hortenſius, ſiquidem diceret, id quod ab eo dici non patiar, (vtar enim oratione perpetua: morem illi geram) me, ſi multa dixiſſem, reum ſubleuaturum fuiſſe. nam, etſi reum, agente me, condemnari cupio: non tamen ex breuitate orationis, ſed ex copia potius, et accurata ſingulorum criminum explicatione ingenii laudem peto.

Non quoniam hoc ſit neceſſe] Cum ex priore actione ſatis conſtet, reum abſolui non poſſe.

Adimo enim comperendinatum] Quod ad me attinet, priore contentus actione ſum: nec video, cur tu id queri debeas, Hortenſi. adimo enim tibi comperendinatum, id eſt, cauſſae iterum agendae moleſtiam.

Lex] De repetundis, Cornelia, quam L. Sulla tulit. nam ceterae vetuſtiores, Seruilia, Acilia, Calpurnia.

Accuſatoris cauſſa] Qui cum vltimo loco in comperendinatione dicat, defenſorem redarguit. ita melior eius, quam defenſoris, conditio eſt.

Glaucia] C. Seruilius Glaucia, is, qui cum Saturnino tribuno plebis in populari ſeditione praetor eſt interfectus.

Primus] Ergo idem poſtea latum eſt, hac videlicet lege, qua cauſſa Verris agebatur.

Tulit] Aut praetor, aut tribunus plebis.

Vel iudicari primo poterat] Putat Aſconius, *iudicari*, eſſe *abſolui:*

ſolui: cum ſequatur: *vel cito abſolui, vel tarde condemnari:* ſed ampliationem credit eſſe neceſſariam, quae tamen ex voluntate iudicum pendebat, et ex cauſſae obſcuritate naſcebatur.

Illam veterem] Quae fuerat ante legem Seruilii Glauciae. nam, etſi comperendinationem non habebat, in eo tamen erat mollior, quam Seruilia, quia iudicibus vel cito abſoluendi, vel tarde condemnandi poteſtatem dabat. Ea fuit Acilia lex, quam tulit pater M'. Acilii Glabrionis, qui praetor erat in cauſſa Verris. Act. I. c. 17. *Fac tibi paternae legis Aciliae veniat in mentem.*

Illam Aciliam legem] Seruilia molliorem.

Semel dicta cauſſa] Ergo, ſine ampliatione, condemnari reus Acilia lege poterat. Cur igitur dixit: *Qua vel cito abſolui, vel tarde condemnari licebat?* Vt oſtendat, non neceſſariam, ſed in poteſtate iudicum ampliationem fuiſſe. nam, *licebat*, non eſt, neceſſe erat, aut oportebat, ſed poterat: ſi modo cauſſa poſtularet. itaque multi ſine ampliatione condemnati: quod infra dicitur: alii cum ampliatione abſoluti, vt, accuſante Africano minore, L. Cotta: cuius cauſſam septies ampliatam, poſtremo abſolutum, ſcripſit Valerius lib. VIII. c. 1. Nec moueor, quod hic de Acilia lege ſermo eſt, iudicium autem Cottae non Acilia, ſed Calpurnia, quam de repetundis primus omnium L. Piſo Frugi tribunus plebis Marcio et Manilio coſſ. tulit, eſſe factum, hiſtoriae peritis facile eſt intelligere. conſtat enim, vtriusque legis ampliationem fuiſſe: cum aliis tamen rebus Acilia differret a Calpurnia, vt recentiores omnes leges a ſuperioribus.

Hac tam atroci] Cornelia L. Sullae, qua tunc vtebantur. *Atrocem* vocat, quia poſteriores quaeque leges duriores, cum omnes, temporibus admoniti, auctis quotidie vitiis, aliquid adderent.

Illa] Acilia, molliore non ſolum, quam Cornelia, omnium poſtrema, ſed etiam quam Servilia, ante Corneliam proxima.

Ita mittam in conſilium] Iudices, ad ſententiam ferendam. Dicit autem, *ita mittam*, pro; ita cognita ex teſtibus cauſſa, mittam.

Ampliandi faciat poteſtatem] Hic quoque locus, licuiſſe iudicibus Acilia lege non ampliare, demonſtrat.

CAPVT X.

Commiſſam eſſe] Debitam. *Committi* dicitur hereditas, cum ab eo herede, qui teſtamentum non obſeruauit, ad alium deuoluitur. Lib. II. c. 14. *Petant hereditatem, quod eam palaeſtrae commiſſam eſſe dicant.* Sic ad Thermum lib. XIII. Fam. epiſt. 56. *commiſſae hypothecae*, alieni iuris factae, debitore ad diem non ſoluente.

H-S decies centena millia] Triginta ſcutatorum millia.

Certiſſimam] Quam perdere nullo iure poſſet.

Nomina ſua] Quod ei debebatur.

Sicut audiſtis] Ex teſtibus priore actione.

CAPVT

CAPVT XI.

Veſtra iniuria] In Verrem, et Hortenſium.

Menſes tres] Qui ſunt ante nonas Sext. quo die agi cauſſa coepta eſt.

Eripuiſſetis] Accuſatore interpoſito. cuius ex Achaia reditum oportebat exſpectari: quod eius prior erat accuſandi locus, quia biduo breuiorem, quam ego, diem inquirendi poſtulaſſet. ſed ille tantum abeſt vt in Achaiam iuerit, vt ne Brundiſium quidem peruenerit: vt ex eo facile paterent inſidiae Verris, qui Achaicum iſtum inquiſitorem induxiſſet, non vt quemquam accuſaret, ſed vt mihi, exſpectatione reditus eius ex Achaia, tres menſes eriperentur, ſicuti erepti ſunt. nam accuſatio coepta eſt nonis Sext. Hac de re ſic ait act. I. c. 2. *Ille Achaicus inquiſitor ne Brundiſium quidem peruenit; ego Siciliam totam quinquaginta diebus ſic obii, vt omnium populorum, priuatorumque litteras, iniuriasque cognoſcerem: vt perſpicuum cuiuis eſſe poſſet, hominem ab iſto quaeſitum eſſe, non qui reum ſuum adduceret, ſed qui meum tempus obſideret.*

Me vobis remiſſurum] Me vobis eſſe donaturum, hoc modo, vt ego meis legitimis horis in dicendo vterer, tu autem, Hortenſi, binis ludis interpoſitis, poſt XL dies reſponderes: tum ita tempus duceretur, vt in annum ſequentem integra res ad Metellum praetorem, aliosque iudices veniret. quae nos fefellit opinio, nam priore actione meis horis non ſum vſus: teſtibus, tabulis, litteris, auctoritatibus, quod ad me attinet, cauſſam peregi.

Quem nemo prima actione defendere auſus eſſet] Quia Cicero, omiſſa perpetua oratione, Verrem accuſauit teſtibus, tabulis, litteris, auctoritatibus: ita materiam reſpondendi Hortenſio nullam dedit.

Meum conſilium] Perpetuae orationis omittendae.

Qui iſtum eripiendum redemerunt] Accepta a Verre pecunia, promiſerunt iudicii corruptionem, ſi poſt Kal. Ian. de eo iudicaretur.

CAPVT XII.

Ex eo] Ex eius filio.

Produxit] In iudicium.

Recognoſcere] Qualem enim filium videtis, talem fuiſſe patrem, intelligere vobis licet.

Perductorum] Qui variis artibus ad ſtuprum perducunt.

Damna, dedecora] *Damna*, quae res patris eius; *dedecora*, quae aetas ipſius, cum eſſet adoleſcens, pertulit.

Lucretur] Me largiente, id eſt, non commemorante.

Iudicia] Quae per me occulta erunt: quae ſi proferrem, veterem infamiam cerneretis.

Conſule (Ern. *conſuli*)] Iterum conſule.

Quaeſtura] Cum Carbonis conſulis quaeſtor fuit.

Legatione] Cum legatus Dolabellae.

Aſiatica] Cilicienſi. nam Dolabellae prouincia fuit Cilicia cum Pamphylia, vtraque minoris Aſiae pars. Et initio actionis primae *Aſiam* pro Cilicia poſuit, in eo, *vexatorem Aſiae atque Pamphyliae.* Et haec infra c. 19. *Verrem ex Aſia decedentem;* id eſt, e Cilicia.

CAPVT

CAPVT XIII.

Conſularis] Gallia, quam ſortitus eſt Carbo conſul, Cinnae collega.

Ciuium] Ciuili bello, quod Sulla geſſit cum Mario primum, eo deinde mortuo, cum Mariana factione, Cinna, Carbone, Scipione, aliis.

Ac ſorte] Cum ſorte tibi Gallia, Carbonis conſulis prouincia, obtigiſſet, violare ſortem non debuiſti, nec, prodito conſule tuo, relicta prouincia, auerſa pecunia, ad Sullanas partes transfugere. Hoc Cicero tacite ſignificat: perſpicue rem narrare non audet, quia hoc tempore Sullana factio dominabatur, et ipſa iudicia ſenatoria a Sulla erant conſtituta. itaque, Verrem aperte reprehendere, hac quidem de re, ſine iudicum offenſione non poterat.

Ornabat eum] Vt quaeſtorem, cuius opera, fore videbat, vt maximis in rebus vti cogeretur.

Pecunia attributa, numerata eſt] Attributa quaeſtoribus vrbanis a tribunis aerariis, deinde Verri a quaeſtoribus, vt eam militibus pro ſtipendio ſolueret.

Principium magiſtratuum gerendorum] Nam quaeſtura primus gradus honoris eſt.

Auram poſſe aliquam afflari] Opem aliquam afferri poſſe. haec enim translatio ſtudium ſignificat: et refici ſolemus, ac recreari, cum aurae quaedam afflantur.

Odio ſit] Nam Carbo Marianus fuerat: ciuitas autem nunc a Sullanis et magiſtratibus, et ordinibus regebatur.

Nobilitatis] Quae ciuili bello Sullam ſequebatur.

Eſt enim obſcurum, et eiusmodi] Vbi ſententiam nullis explicari poſſe verbis intelligit, hoc ſolet addere, *et eiusmodi.* vt lib. II. c. 34. *Accipite nunc aliud eius facinus nobile, et multis locis ſaepe commemoratum, et eiusmodi, vt in vno omnia maleficia ineſſe videantur.* Et ad Craſſum lib. V. Fam. epiſt. 8. *Non enim fuit aut mediocre, aut obſcurum, aut eiusmodi, quod ſilentio poſſet praeteriri.*

Nouos homines] Marianos. nam et Marius, et, eo mortuo, duces illarum partium, nobilitatem oderant, nouos homines, infimique ordinis, ad honores extollebant.

Ad nobilitatem, hoc eſt, ad ſuos] Ad eos, quos amabat: cum ipſe nouus homo non eſſet, verum antiquae gentis Corneliae.

Rationes quemadmodum retulerit] Quaeſtores acceptae ab aerario pecuniae rationem referre cogebantur.

CAPVT XIV.

Vicies ducenta triginta quinque millia] Sexaginta ſeptem millia et quinquaginta ſcutatos.

Quadringentos XVII nummos] Scutatos duodecim, et vnius prope dimidium.

Cohorti praetoriae] *Cohors praetoria* dicebantur domeſtici conuictores conſulis, aut proconſulis.

H-S ſexcenta millia] Haec, et quae proxime numerata ſunt, conficiunt acceptae pecuniae ſummam vicies ducenta triginta quinque millia, XVI nummos.

Aut ego, aut tu] Qui quaeſtores fuimus.

Reliqua

Reliqua facta ſunt] Superfuerunt, poſt ea, quae ſe dediſſe dixit.

Neque in aerarium relata ſunt] Qua ratione igitur probabis, ea te Arimini reliquiſſe?

Oppreſſum direptumque erat] Ne quis exigere poſſet eius pecuniae rationem, quae in eiusmodi oppido relicta eſſet.

In hanc rem] Qui ſe de illa pecunia, quam a te Arimini relictam in rationes retuliſti, nihil ſcire dicent.

Quaeſtoribus vrbanis] Ad quos Verres rationes retulit.

Res rationum relatarum] Locum mendoſum eſſe omnes intelligunt. *Rationes relatae*, placeret, vt infra c. 21. *rationes relatae P. Seruilii.*

Sullanus repente factus eſt] Vt, cum arma valerent, nihil iure, nihil more fieret.

Reſtitueretur] Ademta a Marianis, dum Sulla Mithridatico bello diſtineretur.

Illinc] A Marianis.

Inanis] Sine pecunia. ſed cum pecunia profugiſſe: quo licet intelligere, proditum a te conſulem pecuniae cauſſa, non ſtudio partium.

Idem feciſſes] Modus loquendi, pro, idem facere debebas. Infra c. 42. *Voconia lex te videlicet delectabat? imitatus eſſes ipſum illum C. Voconium, qui lege ſua hereditatem ademit nulli neque virgini, neque mulieri.*

L. Scipioni] Velleius lib. II. c. 25. *Felici deinde circa Capuam euentu Scipionem, Norbanumque conſules ſuperat: quorum Norbanus acie victus, Scipio, ab exercitu ſuo deſertus ac proditus, inuiolatus a Sulla dimiſſus eſt.* Hic Scipio P. Sextii, pro quo exſtat Ciceronis oratio, ſocer fuit, et Maſſiliae exſulauit: vt ea docet oratio c. 3.

CAPVT XV.

Coniunctio] Quaeſtoris cum praetore, vel coniunctio ſecundae, dubiaeque fortunae.

Non vt amico fidem] Vſus enim eo non eſt. confirmat, quod proxime dixit: *Nemo vmquam ſapiens proditori credendum putauit.*

Opprimit, ante quam proſpicere, atque explorare potueris] Sententia ſimilis in epiſtola Planci lib. X. Fam. epiſt. 18. *Non poſſum non exhorreſcere, ſi quid intra cutem ſubeſt vulneris, quod prius nocere poteſt, quam ſciri curarique poſſit.*

Itane vero] Modus obiurgandi, de quo diximus in ea pro Quintio c. 11.

Hoc vno ſcelere eſſe contenta] Eſt igitur, ne quid ſimile poſſit committere, in vltimas terras, vt portentum aliquod, exportandus.

C. Malleolo] Quaeſtore Dolabellae.

Occiſo] Suſpicioſum verbum in Verrem: nam, *mortuo*, dicere debuit. ſic infra c. 36. de eodem locutus eſt.

Ad inimicos, accuſatoresque] Ad M. Scaurum. in quo turpiter Aſconius errauit, qui ait: *Caeſarem dicit: nam Scaurus Dolabellam alium accuſauit, nec damnare potuit.* Non enim, vt ſupra docuimus, hunc Dolabellam Caeſar, ſed Scaurus accuſauit: vt hoc ipſo in libro infra c. 38. narratur.

Ille, miſer cum eſſet] Neque hic mihi placet Aſconius. accipit enim,

enim, *miſer*, pro innocente. cum ſit, *miſer*, id eſt, afflictus, et calamitoſus, quia reus. ad quam miſeriam acceſſit proditio Verris, teſtimonium, furta, et flagitia, quorum inuidia multo magis, quam ſuorum conflagrauit. Locus autem in Catilinam, cuius vtitur teſtimonio, aduerſatur opinioni. Et de Philodamo infra c. 29. *Ille miſer defenſorem reperire neminem poterat.*

CAPVT XVI.

Quid hoc homine faciatis] Antique: pro, de hoc homine. Infra c. 35. *Dicent, et religione adducti, et domeſticarum legum metu, quid illo myoparone factum ſit.* Et lib. II. c. 64. *Quid te futurum eſt?* Similiter Plautus in Mil. act. IV. ſc. 1. v. 26.

— *Quid illa faciemus concubina, quae domi eſt?*

In Merc. act. II. ſc. 3. v. 78.

Sed quid illa nunc fiet? —

In Truc. act. II. ſc. 4. v. 63.

Quid me futurum eſt, quando miles venerit?

Et infra act. IV. ſc. 3. v. 25.

CA. *Loquere tu. quid eo feciſti puero?*
AN. *ad meam heram detuli.*
CA. *Quid eo puero tua hera fecit?* —

Terentius quoque in Andr. act. III. ſc. 5. v. 8.

Nec, quid me nunc faciam, ſcio. —

Infra act. IV. ſc. 2. v. 26.

— *Quid me fiet?*

Ibidem act. V. ſc. 4. v. 33.

— *Nunc primum audio,*
Quid illo ſit factum.

Et in Heaut. act. II. ſc. 3. v. 92.

— *Cedo, quid hic faciet ſua?*

Interdum etiam dandi caſu, vt lib. II. c. 16. *Quid huic homini facias?* Et lib. V. c. 40. *Quid Cleomeni fiet?* Pro Caecina c. 11. *Quid huic tu homini facias?*

Furto et ſcelere] *Furto*, in auertenda pecunia: *ſcelere*, in conſule prodendo, cui quaeſtor eſſet.

Proſcriptionum ac rapinarum] Supra c. 15. *Bona quaedam proſcriptorum in agro Beneuentano diripienda conceſſit.*

Ex communi calamitate] Culpam enim in tempora, bellique ciuilis victoriam, conferre poſſet.

Circumſcripto] Sublato, excepto.

Cilicia] Minoris Aſiae pars. ideo dixit ſupra c. 12. *legatione Aſiatica*, id eſt Cilicienſi. et act. I. c. 1. *vexatorem Aſiae;* id eſt, Ciliciae.

Allegationibus] Interceſſionibus, et precibus communium amicorum. Infra c. 51. *Cum ſibi omnes ad iſtum allegationes difficiles, omnes aditus arduos, ac potius interclufos viderent.* Et ad Catonem lib. XV. Fam. epiſt. 4. *Extremum illud eſt, vt, quaſi diffidens rogationi meae, philoſophiam ad te allegem.*

Profectus eſt] Cum Dolabella.

CAPVT XVII.

In Achaia] Quae tamen Dolabellae prouincia non erat.

Ex quo genere] Nam improbum vocare ſatis non eſt.

Eſt

Eſt alius mihi locus] In iudicio de peculatu, non, vt putauit Aſconius, in libro de ſignis, in quo de ſignis, tabulisue ex Achaia ſublatis verbum non fit.

In Cn. Dolabellae iudicio] Cum accuſaretur repetundarum.

Dictum? etiam aeſtimatum] Locus amplificandi, qualis ille pro Plancio c. 21. *Nihil eſt, mihi crede, Laterenſis, de te detractum: detractum dico? ſi mehercules vere, quod accidit, interpretari velis, eſt aliquid etiam de virtute ſignificatum tua.*

Etiam aeſtimatum] Quod Verres abſtulit, id Dolabellae damnato aeſtimatum, quaſi abſtuliſſet ipſe.

Ad Dolabellam ipſum] Qui aderat.

CAPVT XVIII.

Signa illa Apollinis] Quae fuerant in Apollinis templo. infra: *Apollinemne tu Delium ſpoliare auſus es?*

CAPVT XIX.

In Aſiam] Non Ciliciam, ſed eam Aſiae partem, cui C. Nero praeerat.

Chio per vim ſigna pulcherrima dico abſtuliſſe] Signum Apollinis: de quo in peroratione lib. V. c. 72. *Etiam te, Apollo, quem iſte Chio ſuſtulit.*

In Comitio] Ab aedilibus curulibus ornato. is enim mos erat. nam et lib. IV. c. 3. *C. Claudius*, inquit, *cuius aedilitatem magnificentiſſimam ſcimus fuiſſe, vſus eſt hoc Cupidine tamdiu, dum forum diis immortalibus, populoque Romano habuit ornatum: et, cum eſſet hoſpes Heiorum, Mamertini autem populi patronus, vt illis benignis vſus eſt ad commodandum, ſic ipſe diligens fuit ad reportandum.* Congruit cum hoc loco locus ille pro domo c. 43. *Tanagraea quaedam meretrix fuiſſe dicitur. eius non longe a Tanagris ſimulacrum e marmore in ſepulcro poſitum fuit. Hoc quidam homo nobilis, non alienus ab hoc religioſo Libertatis ſacerdote, ad ornatum aedilitatis ſuae deportauit.*

Expugnatio] Vt ab hoſte deorum. leniore verbo, *direptio*, vti noluit.

Non ad praetorem] Vere. nam in publicam perſonam animaduertere, praetoris non eſt, ſed populi Romani.

Obſignandi gratia] Quae poteſtas erat accuſatoris.

In ſilua] Aedibus adiuncta.

Alium praetorem] Sequentis anni, amiciſſimum tuum. ſupra c. 9.

Subſortitus es (Ern. *ſubſortiturus eras*)] Quod re ipſa fieri nondum poterat, feciſti tamen animo, vt in horum iudicum locum, quaſi cauſſa in annum ſequentem reiecta, ſubſortireris. Ita loquitur de futura, vel potius de cogitata re; quo maior in Verrem, ob eius audaciam, inuidia concitetur.

Horis tuis] Quae te delectabant, quibus nos vti, quo tempus duceretur, optabas. verum teſtibus vti, quam horis ad dicendum lege conceſſis, maluimus. Placuit autem haec Ciceroni quaſi contrariorum ſimilitudo, *noſtris teſtibus, horis tuis:* cum tamen de ſuis horis, ac ſuo legitime dicendi tempore, loqueretur.

CAPVT

CAPVT XX.

Hos] Iudices.

Quaeſtorem] Ad quem ex damnati bonis referri pecuniam oportet, vt ea deinde ſociis redderetur.

Sectoremque] Qui emeret in auctione poſt litem aeſtimatam. emebat autem cum aliqua ſpe lucri, eoque maiore, quo plura bona venderentur. ideo contra eum quoque, ſubtractis ſignis, Verres pugnabat. Infra c. 23. *Quae ſectorem exſpectant, relicta ac deſtituta a ceteris ſignis.*

Ex Aſia] E Cilicia: vt ſupra c. 16. docuimus.

Oppidum Samum] Nam, praeter expugnatum Samiae Iunonis fanum, multas ex oppido tabulas, multa ſigna ſuſtulit. ſupra c. 19.

Legati Samiorum] Chium ea de re profecti.

Aſpendum] Transit ab Aſia, Neronis prouincia, ad Aſiam, prouinciam Dolabellae.

Intus canere] Siniſtra manu tantum neruos carpentem: cum alii plectro quoque dextra vterentur.

Intimis] Iocatur in duobus verbis, *intus*, et *intimis*. ille intus proprio quodam artificio, canebat; iſte cum in intimis ſuis aedibus poſuit. ergo illum iſte artificio ſuo ſuperauit.

CAPVT XXI.

L. Scipione] Africani maioris fratre.

Flaminino] T. Quintio.

P. Seruilius] Iſauricus, ab Iſauro, Ciliciae arce, capta.

CAPVT XXII.

Iudiciorum dominos] Manifeſte in Hortenſium: a quo aedile ornatum ſignis, tabulisque pictis, a Verre ſumtis, forum, Comitiumque ſignificat.

Quoniam quidem] Ironia ex indignatione orta. Quaſi vero, inquit, legatus in prouinciam cum imperio, ac ſecuribus ideo ſit miſſus, vt ſigna, tabulasque pictas emeret. ſed emiſſe nego. ſic lib. IV. c. 4. *O dii immortales! praeclaram defenſionem! mercatorem cum imperio ac ſecuribus in prouinciam miſimus: qui omnia ſigna, tabulas pictas, omne argentum, aurum, ebur, gemmas coemeret, nihil cuiquam relinqueret.*

Achaiam] Non quia Verris prouincia fuerit, ſed quia Verres ex ea quoque ſigna, ac tabulas pictas abſtulerit.

Cum imperio, et ſecuribus (ab Ern. abeſt)] Imperium igitur et legatus habebat, et lictoribus vtebatur. id et ex lib. XII. Fam. epiſt. 30. ad Cornificium cognoſcitur.

CAPVT XXIII.

Antonio] Oratore ſummo, eius Antonii patre, cui totius orae maritimae infinitum imperium eſſe commiſſum, et Cicero ipſe lib. II. c. 3. et alii prodiderunt.

Falſa] Ipſo teſte Antonio lib. II. de Orat. c. 23. redarguit enim opinionem eorum, qui ab ſe tabulas non fieri credebant.

Si hoc genus aliquod] Hic ſubdiſtinguo: vt, hoc ipſum genus reperiri poſſe non neget, minime tamen probandum.

M. Te-

M. Terentium] Hic eſt M. Lucullus, Lucii frater, adoptatus, vt apparet, a M. Terentio Varrone: vnde nomen, cognomenque ſumſit, vetere tamen cognomine de more conſeruato. quod oſtendunt faſti Capitolini. Horum conſulum lex Terentia et Caſſia nominatur lib. V. c. 21.

CAPVT XXIV.

Quam aduentus ſui] Pedum veſtigia fiunt in aduentu, eoque plura, quo plures veniunt. at eo pauciora legatus Verres adueniens reliquit, quam furtorum, et flagitiorum ſuorum. *Veſtigia*, proprie ſubiunxit Cicero, quia dixerat, *ecquo in oppido pedem poſuit.*

Etiam haec] Pro, *haec*, malim, *ea*: vel, *haec*, abundare crediderim. cur enim dicat, *haec*, cum nulla nominentur?

Lampſaceni] Gloſſema puto.

Sedati et quieti] Hoc, et quod ſequitur, ideo dicit, vt culpa tumultus in Verrem concitati non in eos conferatur, homines natura, conſuetudine, diſciplina leniſſimos, (ſic enim appellantur infra c. 32.) ſed in ipſum Verrem, vim ac ſtuprum liberis eorum inferre conantem.

Praeter ceteros] Otioſi enim, ac deſides tum Graeci omnes habebantur.

Regem Nicomedem, regemque Sadalam] Nicomedem Bithyniae, Sadalam Thraciae.

CAPVT XXV.

Nequid in ipſo ſe offenderit (Ern. *offenderetur*)] Ne quid Verres in ſe offenſus ſit. Hoc verbum patiendi ſignificationem interdum habet, vt in Caeſare lib. II. de bell. ciu. c. 32. *Si quid in me offendiſtis:* pro offenſi eſtis. Et in epiſt. Lucceii lib. V. Fam. epiſt. 14. *Cum duae res iſtae contrariae me conturbent: ex quibus aut in altera mihi velim, ſi potes, obtemperes; aut in altera non offendas.*

Summa vi] Quacumque ratione potuit, quantum in ipſo fuit, pro virili.

Parum laute] Non ſatis commode.

Cum ſuae partes eſſent hoſpitum recipiendorum] Cum accideret, vt hoſpites recipiendi ſibi eſſent: cum id ſui muneris eſſet, quod nunc non eſſet. quid enim ſibi cum Rubrio? quid cum ipſo Verre?

CAPVT XXVI.

Retineret] Venuſtatem quaeſivit in ſimilibus verbis, *obtinere, retineret.*

Homo] Sic ſaepe ſententiam exorditur. paullo ante c. 25. *Homo, vt haec audiuit, ſic exarſit ad id.* Et paullo poſt: *Homo, qui et ſumma grauitate, et iam id aetatis, et parens eſſet.* Et infra c. 50. *Homo, qui ſemper ita palam dictitaſſet.* Lib. II. c. 29. *Homo, quamquam erat et Siculus, et reus.*

Quos ei commodum ſit] Quos ei libeat: vt ſupra c. 4. *De capite, quantum commodum fuerit, frumenti decumani detraxerit.*

Graeco more] Ad ſingulas potiones diis, et amicis, quos quisque vellet, nominatis. quod Tibullus lib. II. eleg. 1. oſtendit his verſibus: (31, ſeq.)

Sed bene Meſſallam ſua quisque ad pocula dicat,
Nomen et abſentis ſingula verba ſonent.

Quem fortaſſe morem et Plautus retulit in Stich. act. V. ſc. 4. v. 27. dicente Sangarino ſervo:

Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene noſtram etiam Stephanium.
Bibe, ſi bibis.

Satis calere res] Vbi vino ſatis conuiuarum commotae mentes viſae ſunt.

Lictor iſtius Cornelius] Lictores erant liberti. hunc igitur a Verre liberatum transiſſe in eius gentem exiſtimo, vt medicum quoque, et pictorem: de quibus lib. III. c. 28. *Iampridem improbi, repente Cornelii.* Quo ſum admonitus, gentis Corneliae fuiſſe Verrem. cuius comites, Graeci homines, et improbi, repente fierent Cornelii: a quo enim, praeterquam ab ipſo, repente fieri poſſent?

CAPVT XXVII.

Ignem ſubiicere] Omiſſa copula, vis orationis maior eſt.

Hadrianus] Fabiae gentis, praetor Africae, vt ait Cicero lib. V. Pedianus addit, *Cinnanis temporibus.* Lib. V. c. 36. *Neque quidquam propius eſt factum, quam vt illud Vticenſe exemplum de Hadriano transferretur Syracuſas, vt duo ſepulcra duorum praetorum improborum, duabusque in prouinciis conſtituerentur.*

Animaduerſio] In Africanos.

CAPVT XXVIII.

Frugaliſſimus] Apta, et propria laude libertum ornauit. ſignificatur enim in frugalitate probitas. itaque ad Sextium lib. V. Fam. epiſt. 6. de libertō Decio dixit: *Quamquam illum hominem frugi, et tibi amicum exiſtimabam.* Accenſos autem libertos fuiſſe, cum aliis locis, tum eo declaratur ad Appium lib. III. Fam. epiſt. 7. *A Pauſania, Lentuli liberto, accenſo meo, audiui.*

Interpellauit] Pro, *interpellans*, dixit.

A C. Nerone eſſe damnatos] Ex quo ſequi videretur, nocentes fuiſſe.

CAPVT XXIX.

De ſua prouincia decedat] Lex Cornelia maieſtatis, Iulia de repetundis vetabat. in Piſonem c. 21.

Prouinciam] Ciliciam.

Bellum] Fortaſſe cum iis, qui Amanum montem incolebant, cum quibus et Cicero, Ciliciae proconſul, poſtea bellum geſſit.

Praefectos] Turmarum equeſtrium, quos et Cicero habuit in eadem prouincia: et quibusdam praefecturam ab eo petiit M. Brutus: vt lib. V. ad Attic. epiſt. 21.

Amplius, pronunciaretur] Ex quo iterum agi cauſſam oportebat.

CAPVT XXX.

Quid ego nunc in altera actione Cn. Dolabellae ſpiritus, quid huius lacrymas, et concurſiones proferam] Locus amplificandi

vt lib. II. c. 8. *Quid ego hic nunc Sex. Pompeii Chlori teſtimonium recitem, qui cauſſam egit Dionis?*

Spiritus] Contentiones: cum ita laboraret, vt in eam rem vires, opesque ſuas conferret omnes.

Concurſiones (Ern. *concurſationes*)] Quod eorum eſt, qui de maxima re multos rogant: vt modo ad hunc, modo ad illum concurrere ſit neceſſe. ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 1. *Libonis et Hypſaei non obſcura concurſatio et contentio.*

Niſi forte] Hic affirmantis eſt: vt ſi dixiſſet: potuit quod omnes optabant, eam rem agere ſine Verre, et Dolabella. Alibi negantis eſt. vt lib. II. c. 7. *Niſi forte exiſtimatis, ei quadruplatores ad fretum praeſto fuiſſe.*

Laodiceae] Ciuitas hoc tempore prouinciae Neronis, poſtea Cilicienſis prouinciae pars fuit Cicerone proconſule.

Nemo iam, (Ern. *iam, iam*) *Dolabella*] Artis oratoriae eſt, poſt narrationem vti apoſtrophe vel ad reum, vel ad iudices, vel ad quemuis: ad reum, vt ſupra, cum ſcelus Verris in Carbonem conſulem, cui quaeſtor fuerat, expoſuiſſet, ad Verrem conuerſus, tamquam eius ſcelere commotus, haec dixit c. 15. *Itane vero? tu, cum quaeſtor ad exercitum miſſus ſis, cuſtos non ſolum pecuniae, ſed etiam conſulis: particeps omnium rerum, conſiliorumque fueris: habitus ſis in liberum loco, ſicut mos maiorum ferebat: repente relinquas? deſeras? ad aduerſarios transeas? O ſcelus! o portentum in vltimas terras exportandum!* Et abſoluta narratione furti, quod Verres Deli commiſerat, ad ipſum oratione traducta c. 18. *Non dubito*, inquit, *quin, tametſi nullus in te ſenſus humanitatis, nulla ratio vmquam fuit religionis, nunc tamen, in metu periculoque tuo, tuorum tibi ſcelerum veniat in mentem. Poteſtne tibi vlla ſpes ſalutis commoda oſtendi, cum recordaris, in deos immortales quam impius, quam ſceleratus, quam nefarius fueris?* Et alio loco c. 20. cum ab eo fanum Dianae ſpoliatum dixiſſet, ſubiunxit ſtatim: *Quae, malum, eſt iſta tanta audacia atque amentia?* Apoſtrophe ad iudices illa praeclara c. 16 *Quid hoc homine faciatis? aut ad quam ſpem tam perfidioſum, tam importunum animal reſeruetis? qui in Cn. Carbone ſortem, in Cn. Dolabella voluntatem neglexerit ac violarit, eosque ambos non ſolum deſeruerit, ſed etiam prodiderit atque oppugnarit.* Hac ad Dolabellam, cuius in Philodamum et filium inſignis fuerat iniuria, nihil opportunius. Illa vero, quae communem ſpectat vtilitatem, atque ad omnium fortunas porrigitur, nulla praeſtantior: vt de Verre pupilli bona, cui tutor erat, eripiente c. 37. *En, cui tuos liberos committas: en memoria mortui ſodalis: en metus viuorum exiſtimationis.* Sunt aliae prope innumerabiles, vnde vim, et acrimoniam non mediocrem ſumit oratio: quae ſuis locis attente legentibus occurrent. nobis hoc genus ornamenti, quo mirabiliter Cicero excellit, indicaſſe ſatis eſt.

Egeſtate] Bonis tibi ademtis, repetundarum damnato. Lib. IV. c. 35. *Ne nunc quidem, in*

tanto tuo liberorumque tuorum periculo, perhorreſcis?

Quaeſtoris in locum] Malleolo quaeſtore mortuo.

Auxiliis] Pecunia.

Ad inimicos tuos] Ad eum, qui te accuſauit, M. Scaurum.

Niſi damnato te] Verebatur enim, ne tu eas praeſens refelleres: cum ille in eas falſa multa retuliſſet.

CAPVT XXXI.

Tantaene tuae, Verres, libidines erunt] Haec apoſtrophe familiam ducit.

Non modo] Pro, *nedum:* vt alibi ſaepe Cicero.

Niſi publice ſatisfactum ſit] Eius criminis poena ſoluta, aut iis, qui deliquerant, populo Romano traditis.

Bellum indici atque inferri ſolere] Indictum, illatumque Corinthiis, ac Tarentinis hiſtoriae narrant.

CAPVT XXXII.

Leniſſimis] Quos tamen iniuriae tuae magnitudo ad furorem impulit. Hoc et ſupra c. 24. Cicero ſpectauit, in eo: *Homines ipſi Lampſaceni tum ſumme in omnes ciues Romanos officioſi, tum praeterea maxime ſedati et quieti, prope praeter ceteros ad ſummum Graecorum otium potius, quam ad vllam vim aut tumultum accommodati.* Eam vero lenitudinem eis natura datam, confirmatam conſuetudine, auctam diſciplina dicit. haec enim tria ſunt eiusmodi, vt ab iis omnia, quae ſunt in nobis, ſiue bona, ſiue mala, naſcantur. Duo nominavit ad Catonem lib. XV. Fam. epiſt. 4. naturam, et, pro diſciplina, rationem, atque doctrinam. *Si quisquam,* inquit, *fuit vmquam remotus et natura, et magis etiam, vt mihi quidem ſentire videor, ratione atque doctrina, ab inani laude, et ſermonibus vulgi, ego profecto is ſum.*

Voluntate ſupplicibus] Ad fortunam voluntatem adiunxit, quia multi fortunae neceſſitatem iniquo animo ferunt. graue enim illud erat, *fortuna ſeruis:* ſecuta correctio eſt, *voluntate ſupplicibus.*

In eum locum] Eo furoris, et iracundiae.

Hoc vti perfugio] Vt vi, et armis iniurias vlciſcantur ſuas.

Erras. vt huc incideres, non vt hic conquieſceres, illi te viuum exire paſſi ſunt] Locum de Clodio, ex lib. I. ad Attic. epiſt. 16. ad notandam ſimilitudinem confer. *Erras,* inquit, *Clodi, non te iudices vrbi, ſed carceri reſeruarunt; neque te retinere in ciuitate, ſed exſilio priuare voluerunt.*

CAPVT XXXIII.

M. Aurelio Scauro] Eo fortaſſe, qui Cn. Dolabellam accuſauit.

Poſtulante] Accuſante Epheſios.

CAPVT XXXIV.

Propemodum in ſuo genere non leuius] Prope ita ſummum hoc in auaritia, vt illud in libidine, crimen fuit.

Myoparonem] Piraticae nauis genus.

Ad omnes populi Romani hoſtes] Dianium ad Sertorium, Sinopem

nopem ad Mithridatem. inter quos legati fuere, de ſocietate contra populum Romanum coeunda.

CAPVT XXXV.

Decem naues] Quibus L. Murena bello Mithridatico vteretur. De Mithridate, Murena, eius, quem Cicero defendit, pater, triumphauit.

Menſem Februarium] Hi legati Mileſiorum erant: legationibus autem audiendis Februarium menſem dari ſolitum, Cicero docet lib. I. Fam. epiſt. 4. et lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 3.

Conſulum deſignatorum] Hortenſii, et Metelli, Verris amiciſſimorum.

Exſpectant] Vnde ſibi impedimenta, et damna, ſi Verrem ſuo teſtimonio laeſerint, exſpectant. Non video, cur hic *extimeſcunt*, pro *exſpectant*, reponere ſit neceſſe: quod alii opinantur. nam in verbo, *exſpectant*, metus ineſt. Exſpectant enim vt aduerſarios ſuos, et vnde timere aliquid poſſint.

Religione] Iurisiurandi. teſtimonium enim a iuratis dicebatur.

Domeſticarum legum] Quibus in eas animaduerteretur, niſi de illo myoparone verum teſtimonium dicerent.

Quid illo myoparone factum ſit] Venditum ſcilicet a Verre. ſupra ſic locutus c. 16. *Quid hoc homine faciatis?*

Aedificata ſit] Iuſſu L. Murenae.

Piratam ipſum] Quia, piratarum more, myoparonem abſtulerit, et vt ſuum vendiderit.

CAPVT XXXVI.

Occiſo] Iterum iam dixit, *occiſo*. nam, *mortuo*, ſi dixiſſet, naturalem mortem ſignificaſſet. ſuſpicioſo igitur verbo vſus eſt, vt eo quoque crimine Verrem notaret, cui, mortuum eſſe Malleolum, bono fuit. quod L. ille Caſſius in iudiciis quaerendum cenſebat.

Occuparat] In quaeſtum contulerat: populis commodauerat, vt fructum penderet, id eſt, vſuram. Pro Flacco c. 21. *Pecuniam adoleſcentulo, grandi foenore, fiducia tamen accepta, occupaviſti.* Ibidem c. 25. *Ac tum quidem Tralliani, cum ipſi graui foenore iſtam pecuniam multos annos occupauiſſent, a Flacco tamen omnia, quae voluerunt, impetrauerunt.* Et Nonius c. 4. 328.

Syngraphas fecerat] Creditae pecuniae. nam *ſyngrapha*, vtriusque manu facta, creditori cavebat. Phil. II. c. 37. *Syngrapha H-S centies per legatos, viros bonos, ſed timidos et imperitos, ſine noſtra, ſiue reliquorum hoſpitum regis ſententia facta in gynaeceo.* Pro Poſtumo c. 3. *Suppeditata pecunia a Poſtumo eſt, factaeque ſyngraphae ſunt in Albano Cn. Pompeii.* Et ad Trebatium lib. VII. Fam. epiſt. 17. *Tamquam ſyngrapham ad imperatorem, non epiſtolam, attuliſſes; ſic, pecunia ablata, domum redire properabas.* Eſt igitur *ſyngrapha*, ex qua creditor agendi cum debitore poteſtatem habet.

Nam ille quoque, ſodalis iſtius, erat in hoc morbo (Ern. *ille quoque ſodalis iſtius erat in hoc morbo*)] Sic diſtinguo, non, vt alii, *ſodalis iſtius erat in hoc morbo.*

morbo. Laborabat, inquit, hoc morbo ille quoque, ſodalis iſtius. Infra c. 37. *En memoria mortui ſodalis.* Et: *Manus a ſodalis filio abſtinere non potuiſti?*

Familiam magnam] Seruos quamplurimos, et in iis multos artifices, multos formoſos homines. Nepos in Attici vita c. 13. *Vſus eſt familia, ſi vtilitate iudicandum eſt, optima; ſi forma, vix mediocri. Namque in ea erant pueri litteratiſſimi, anagnoſtae optimi, et plurimi librarii; vt ne pediſſequus quidem quisquam eſſet, qui non vtrumque horum pulchre facere poſſet. Pari modo artifices ceteri, quos cultus domeſticus deſiderat, apprime boni.*

H-S XX quinquies] Vicies quinquies. ſcutatorum ſeptuaginta quinque millia.

Circum pedes] Qui numquam a domino diſcedant, parati ad omnia, quae imperentur.

H-S decies] Scutatorum triginta millia.

Extrema cera] Extrema parte.

Litura] Corrupti codicis duo ſigna, et quod in extrema cera, et quod in litura nomen illud factum eſt: quod autem nomen? id, quod ſequitur: *Expenſa Chryſogono ſeruo H-S ſexcenta millia.* quae ſunt, ſcutatorum decem et octo millia.

Accepta pupillo Malleolo retulit] Creditorem ſcribit in codice pupillum eius pecuniae, debitorem eundem, quia Chryſogono data ſit.

Quadrarint] Vt neque plura, neque pauciora eſſent.

De Cn. Carbonis pecunia] Retulit enim in rationes, Arimini a ſe relicta H-S ſexcenta millia. ſupra c. 14.

Quo modo] Cuius iuſſu, qua cauſſa.

Infimum] In extrema cera.

Cum accepta retuliſſet] Hic locus, vt mihi videtur, oſtendit, hanc ſententiam eſſe debere ſuperiorum verborum, *accepta Malleolo retulit;* ita expenſa Chryſogono; quaſi ea Malleolus accepiſſet. ita ſe Verres H-S ſexcentorum millium ſolutione liberabit: cum tamen ea non Chryſogono dediſſet, ſed ſibi retineret. Aut igitur ſic explanandum, aut hic legendum, *cum expenſa retuliſſet.*

H-S quinque millia ſoluta non ſunt] Si H-S ſexcenta millia perierant, ſaltem, quod ex decies reliquum erat, id eſt, *quadringenta millia,* (ſic enim, vt ratio quadret, legendum videtur) ſolui oportuit. at ne id quidem reliquum ſolutum eſt. Haec eſt omnino huius loci ſententia: quid alii ſenſerint, omitto.

Homines] Artifices, et circumpedes illi, ex familia Malleoli, quos ſuos eſſe, a ſeque emtos dixerat.

Peculia omnium vicariique retinentur] Quod eorum ſeruorum labore, et induſtria lucri fit, (id eſſe *peculium,* oſtendit Feſtus) ab eo retinetur. retinentur et *vicarii*, id eſt, eorum ſeruorum ſerui: quae pars eorum peculii fuit.

CAPVT XXXVII.

En, cui tuos liberos committas: en memoria mortui ſodalis: en metus viuorum exiſtimationis] Poſt narrationem indignatio. vt lib. V. c. 47. *En, quod Tyndaritani libenter praedicent.* Et pro Sextio c. 27. *En, cur ceteri reges*

ges ſtabilem eſſe ſuam fortunam arbitrentur, cum, hoc illius funeſti anni perdito exemplo, videant, per tribunum aliquem, et ſexcentas operas, ſe fortunis ſpoliari, et regno omni poſſe nudari.

Aſia] Cilicia: vt ſupra docui.

CAPVT XXXVIII.

Milyadum] Ciuitas Pamphyliae Milyas fuit.

Lyciam, Pamphyliam, Piſidiam, Phrygiamque totam] Ciliciensis prouinciae partes.

Imperando, aeſtimando] Primum frumentum imperabat, deinde frumento pecuniam exigebat, aeſtimatione iniquiſſima, eadem, qua poſtea vſus eſt in Sicilia.

Tricies] Scutatorum nonaginta millia.

Per iſtum tamen omnia gerebantur] Ergo non ſine iſtius lucro.

In vno nomine] In rebus imperatis, neque ſumtis, ſed aeſtimatis.

Homo adoleſcens] Qui, cupiditate adductus, nihil praetermitteret, quod valere ad reum condemnandum exiſtimaret.

In inquirendo] Dum in Dolabellam inquirit.

Eius rerum geſtarum] Rerum a Verre commiſſarum. *Res geſtas* appellat, per ironiam extollens.

Iſti oſtendit] Vt eum, metu poenae deterritum, haberet, ſicut habuit, in poteſtate ac ditione ſua.

Non audet referre] Ne quid a Dolabella praeſente reprehenderetur. ſupra c. 30. *Rationes ad aerarium, niſi damnato te, referre noluit.*

CAPVT XXXIX.

Quaeſtoriam rationem] Pecuniae tunc adminiſtratae, cum Carbonis quaeſtor eſſet.

Tribus verſiculis] Pauciſſimis verbis. ſupra c. 14.

Praeturae] Sicilienſis.

Quaeſtorem] Syracuſanum: is enim potius, quam Lilybaetanus, qui longius a praetore aberat, rationes cum Verre tractavit. quamquam et Lilybaetanus adminiſtratae a ſe pecuniae rationes referebat. itaque ſupra c. 14. dixit Cicero, qui Lilybaetanus quaeſtor fuerat: *Hoc eſt rationes referre? hoc modo aut ego, aut tu, Hortenſi, aut quisquam hominum retulit?* Quare, ſi, *quaeſtorem*, legimus: quod probant illa verba: *Perinde quaſi non, vt quaeſtor ſine praetore, poſſet rationem referre, eodem modo ſine quaeſtore praetor:* malim, vt dixi, de Syracuſano accipere. ſin, *quaeſtores:* quamquam neque ex antiquis libris, neque ex ſententia mutationis cauſſam habeo: de vtroque intelligamus.

Dolabellam] Cum e Cilicia Romam rediiſſet.

Omen] Quaſi ominaretur Verres, cum idem peteret, quod Dolabella impetrauerat, fore, vt idem quoque ſibi, quod illi contigerat, in iudicio repetundarum eueniret. damnatus enim erat crimine repetundarum Dolabella.

Cauſſa] Quam offerebat Verres, quod ſerius rationes referret: quia ſcilicet quaeſtorem exſpectaret: quod Dolabella quoque impetraſſet. cauſſa ſenatui non placuit, omen placuit: ideo, propter omen, cauſſam probavit,

vit, id eſt, petenti Verri veniam dedit.

Quaeſtoriaeque] Cum Dolabellae proquaeſtor fuiſti.

Neceſſario] Quia patebant furta: quae tamen ad ſordidiſſimam potius legationem, quaeſtoriamque procurationem tuam pertinebant.

Verri acceptum retulit] Scripſit in ſuis tabulis, a Verre ſe accepiſſe.

Illi expenſum tulerit] Illi ſe dediſſe ſcripſerit.

H-S quingenta triginta quinque millia] Scutatorum ſedecim millia, quinquaginta.

H-S ducenta triginta duo millia] Sex millia, nongentos, ſexaginta ſcutatos.

H-S decies et octingenta millia] Scutatorum quinquaginta quattuor millia.

Homo caſtiſſimus] Purus ab omni ſcelere: cuius tabulis ob vitam innocenter actam habenda fides eſt.

Pecuniae] Tuae, quarum originem non reperimus: ducem enim, quem ſequamur, non habemus: inueſtigamus tamen eas, et quaerimus, ſi non omnes, ex aliqua tamen particula.

Redundarunt] Quod enim relatum tibi acceptum minus eſt in tabulis Dolabellae, aut quod plus tibi expenſum, quam in tuis, id totum furtum tuum eſt, inde redundant illae pecuniae extraordinariae: quas vnde habeas, non conſtat ex tabulis tuis: cum tamen eas tractent Q. et Cn. Poſtumi Curtii.

Poſtumiis] Soli Curtii infra nominantur: itaque lego, *Poſtumi*: vt ſint duo Curtii, vtroque *Poſtumi* cognomine. Infra: *Cum tot tibi nominibus acceptum Curtii referrent.*

Multis nominibus] In tabulis Curtiorum nomina multa ſunt, quibus illi pecunias tibi acceptas referunt: at eorum nominum in tuis tabulis nullum eſt: patere enim noluiſti, vnde ea pecunia ad te venerit.

H-S quater decies] Scutatorum centum viginti millia. Hic ego ſuſpicor de mendo. nam vnico verbo veteres dicebant, *vicies*, *tricies*, *quadragies*, pro, bis decies, ter decies, quater decies. in Aſconio legitur, XIV. quod fortaſſe valet, decies quater centena millia, multo minore ſumma, quam ſuperiore. ſunt enim ſcutatorum quadraginta duo millia.

- *P. Tadio*] Ei fortaſſe, qui legatus eius fuerat.

Aſſiduitate] Officio affectationis.

Alia porro pecunia] Aliam dedit, vt praetor fieret, id eſt H-S octuaginta millia: aliam praetor factus, ne de ambitu accuſaretur, H-S trecenta millia. lib. IV. c. 20.

Extraordinaria pecunia (Ern. *extraordinariae pecuniae*)] Niſi fallor, *extraordinariae pecuniae*, poſtulat ſententia.

CAPVT XL.

Sartorum tectorum exigendorum] Quae cura pertinuit ad cenſores: ſed cum, Verre praetore, cenſores nulli eſſent, neque adeo per aliquot annos fuiſſent, ei muneri praetor vrbanus Verres extra ordinem praefuit.

Auſpicato] Facete. nam auſpicia auibus fiebant. Chelidon autem

autem Verris amica fuit: cuius ex nomine iocus naſcitur.

Surrexiſſet] E lectulo, vbi cum Chelidone iacuerat. egregium auſpicium deſignati praetoris. ideo ſortem nactus eſt vrbanae prouinciae: non vt quaereret de criminibus: quod aliis praetoribus contigit: ſed vt eſſet praetor vrbanus, in qua prouincia furari plurimum poſſet. ideo ſubiungit Cicero: *Magis ex ſua, et Chelidonis, quam ex populi Romani voluntate.*

Nactus eſt] Ex animi ſui ſententia, cum vrbana prouincia quaeſtuoſa in primis eſſet.

In edicto conſtituendo] Praetor vrbanus initio magiſtratus edictum, quod in annua iurisdictione ſeruaret, componere ſolebat. ideoque C. Cornelius tribunus plebis legem tulit, vt praetores ex edictis ſuis perpetuis ius dicerent, et decernerent.

CAPVT XLI.

C. Sacerdote] Qui praetor fuerat vrbanus ante Verrem. Liciniae gentis fuit, vt ex oratione pro Cluentio c. 48. cognoſcitur.

Neque cenſus eſſet] Vel quia, cum cenſores, qui ante aliquot annos fuerant, ciuitatem cenſerent, rem non habuiſſet; vel quia tum Romae non fuiſſet. quam ob cauſſam heredem inſtituere filiam potuit. nam, ſi cenſus eſſet, per legem Voconiam non potuiſſet.

Admonitus] Ab improbo homine, qui Verris ingenium noſſet.

Tentatus] Lucri cauſſa, ab aliquo, qui ſibi hoc initio aditum ad alia lucra vellet patefacere.

Appellat] Alloquitur hac de re.

Edicto] Quod nondum de ſua iurisdictione compoſuerat, cum adhuc deſignatus praetor eſſet.

Improbum et inhumanum] *Improbum*, contra leges; *inhumanum*, contra parentum voluntatem, ipſamque naturam, quae liberos nobis ita commendat, vt carius eſſe nihil velit.

In rationem inducerent] In tabulis rationum ſcriberent. Eodem verbo vſus eſt ad Appium lib. III. Fam. epiſt. 10. *In eo ipſo me non perſeueraſſe, teſtes ſunt rationes ciuitatum, in quibus, quantum quaeque voluit, legatis tuis datum induxit.*

Ad arbitrum eius] P. Annii, ſecundi heredis.

Legem Voconiam] Subaudi, heredem ab eo filiam inſtitui nolle, qui cenſus ſit. haec enim legis Voconiae ſententia fuit. qua ratione ad excludendam Anniam paterna hereditate vſus eſt Verres. Hanc legem, et Furiam, quae non permittebant ciuibus legare quidquid vellent, abrogauit Falcidia lex tribunicia, auctore Dione in Auguſto lib. XLVIII. Voconia nominatur et lib. II. de Fin. c. 17. in Catone c. 5. pro Balbo c. 8.

Cupiditati hominum ait ſe obuiam ire] Ita Verres in edicto ſcripſerat.

Cenſoribus] Cenſuram geſſerant ante annos centum. Voconius legem tulit quinquennio poſt, Philippo, et Caepione coſſ. vt in Catone c. 5.

Poſtue ea] Antique, pro, *poſteaue.* dicebant etiam, *poſt illa.*

Fecit, fecerit] *Heredem filiam.* ſic enim ſcripſiſſe Verrem puto. idque confirmatur infra c. 43. in

eo: *Scribis, ſi quis heredem fecit, fecerit.*

Quae neque poſt edictum] Quo modo enim, quod factum eſt ante edictum, id poſt edictum provideri potuit? quo modo autem ante edictum: cum edicti, nondum facti, occulta ſententia eſſet?

CAPVT XLII.

Cornelia] L. Sullae.

Teſtamentaria] De ratione condendi teſtamenti.

Nummaria] De nummis adulterinis. vtraque Cornelia eſt.

De iure vero ciuili] De eo, quod antea ſancitum, ad ciues pertinet, diuerſum a iure praetorio, quod a praetoris voluntate pendet.

Rata eſſe non patietur (Ern. *rata eſſe patitur*)] Ita legiſſe videtur Aſconius, et recte.

Furias] Furiam, dixi iam, Voconiae ſimilem fuiſſe.

CAPVT XLIII.

Si plus legarit] Si, quod aliis legetur, plus ſit, quam ad heredem, heredesue perueniat.

Qui cenſus ſit (Ern. *non ſit*)] Qui cenſus non eſt, filiam heredem poteſt inſtituere: qui eſt, non poteſt, niſi ſi plus legarit, quam heredi relinquat.

Hominis] L. Annii, ſecundi heredis.

Hoc] Quod in vrbano ſcripſeras de mulierum hereditatibus.

Quam poſt a tu tibi defenſionem relinquebas] Vt opinor, hoc dicit. Si quid in Sicilia de mulierum hereditatibus decreuiſſes, eius decreti defenſionem hanc tibi reliqueras, quod in edicto tuo vrbano ita ſcriptum eſſet. in quo non animaduertebas, edicti vrbani auctoritatem imminutam a te eſſe prouinciali edicto, in quod transferre caput illud noluiſti, quia tibi ipſi iniquum eſſe videretur. *Relinquebas:* quaſi aliam non haberes. quod enim iure, et aequitate defendere non poſſes, id vrbani tamen edicti auctoritate tueri cogitabas.

CAPVT XLIV.

Qui ſimili ſenſu, atque indulgentia filiarum commouemini] Vſus eſt infra c. 58. eodem commiſerationis loco. *Habemus*, inquit, *liberos paruos. incertum eſt, quam longa noſtrum cuiusque vita futura ſit. conſulere viui, ac proſpicere debemus, vt illorum ſolitudo, et pueritia quam firmiſſimo praeſidio munita ſit.*

Cui tibi eſſet commodum] Cui tu velles. de hoc loquendi genere ſupra c. 4. diximus.

Partimur] Re enim noſtra nobiscum ſimul liberi fruuntur: multo magis debent, cum mortui ſumus. at id per Verrem non licuit.

Petitionem] Petendi facultatem.

Dabo] In edicto Verris ita ſcriptum erat: *Si quis heredem fecit, fecerit filiam: nec petitionem, nec poſſeſſionem dabo.*

Togam praetextam] Feminae antequam nuberent, mares ante annum XVII. toga praetexta vtebantur.

Ornamenta] Quid, ſi hoc ad bullam referatur? quae appendebatur in collo infantibus, ingenuis aurea, libertinis ſcortea. de bulla vt accipiam, facit illud infra c. 58. *Neque te tam commovebat,*

vebat, *quod ille cum toga praetexta*, *quam quod ſine bulla venerat. veſtitus enim neminem commouebat is*, *quem illi mos*, *et ius ingenuitatis dabat. quod ornamentum pueritiae pater dederat*, *indicium atque inſigne fortunae*, *hoc ab iſto praedone ereptum eſſe*, *grauiter et acerbe homines ferebant.*

At ego concedo] Sed alii non concedunt. nemo eſt enim, qui te audiat: nemo, qui tibi dicto audiens eſſe velit.

Ita ſecundum eum poſſeſſio daretur] Aeque ei poſſeſſio daretur, ſi tabulae teſtamenti non proferrentur, ac ſi is inteſtato mortuus eſſet.

Translatitiumque] Quod in alia, quae deinceps fiunt, edicta transfertur.

CAPVT XLV.

Lege ageret in hereditatem] Bonorum poſſeſſionem a praetore peteret: aut, ſi non impetraret, ſponſione facta litigaret, ſic tamen, vt poſſeſſor prius ei ſatis daret, nihilo ſe deteriorem poſſeſſionem facturum, dum litigaretur. *Sponſionem facere* dicebatur, qui certam pecuniam deponebat, quam, ſi cauſſa caderet, amitteret. Quod autem legitur, *pro praede*, malim, *per praedes:* vt legiſſe Pedianus etiam videtur: quia, praedes qui ſint, interpretatur. Dixit igitur, *per praedes litis vindiciarum*, id eſt, per eos, qui pro lite vindiciarum ſatisdant. *Lis* autem *vindiciarum*, lis poſſeſſionis eſt.

Si poſſeſſor, *ſponſionem non faciet*] Si poſſeſſor eſt, non litigabit. quod ſponſione fieri ſolebat.

Pro qua pecuniam acceperas] Contra Minuciam gentem: vt poſſideret is, qui occupauerat hereditatem, cum ad eum lege non veniret.

Translatitium eſt] Sumtum ex aliis edictis.

Illo edicto] De mulierum hereditatibus.

CAPVT XLVI.

Qui aequo iure vteremur] Docti homines, et ingenioſi, *vterentur.* placet.

Contra illud edictum] Inde lata lex a C. Cornelio tribuno plebis, vt praetores ex edictis ſuis perpetuis ius dicerent.

L. Piſo] Alter praetor, qui ius dicebat inter peregrinos.

Interceſſit] Obſtitit, eius decreta reſcidit.

Quod vos oblitos eſſe non arbitror] Pro, *ſed vos oblitos non arbitror.* non enim eſt, *quod*, pro, quam rem. Eiusdem generis eſt illud lib. II. c. 26. *Quod ego niſi meo aduentu illius conatus aliquantulum repreſſiſſem*, *et apud Siculos non Metelli*, *ſed Glabrionis litteris ac lege pugnaſſem: tam multos huc euocare non potuiſſem.* Et lib. IV. c. 66. *Quod vbi intellexi*, *multum apud illum recentes nuncios*, *multum tabulas non commendaticias*, *ſed tributarias valuiſſe: admonitu ipſorum Syracuſanorum impetum in eas tabulas facio*, *in quibus ſingula perſcripta erant.* ſic ad Terentiam lib. XIV. Fam. epiſt. 4. *Quod vtinam minus vitae cupidi fuiſſemus.* Et pro Coelio c. 32. *Quod cum huius vobis adoleſcentiam propoſueritis*, *conſtituitote vobis ante oculos etiam huius miſeri ſenectutem.*

A qua

A qua muliere] Non ab ipſa, ſed eius nomine ab iis, quos illa mittebat.

Ius tam nequam eſſe Verrinum] Ius enim ex verrina carne non probatur. Iocatur in ambiguo et *iuris*, et *Verris* nomine. Miror hoc, vt frigide dictum, a Tacito in dialogo de Orat. c. 23. condemnatum: quaſi vero, vt ſalſe dictum, a Cicerone referatur: cum ſubiiciat: *Neque enim perfacete dicta.*

Sacerdotem] Cui Verres in Sicilia ſucceſſerat. hic quoque iocus eſt in *Sacerdotis*, et *Verris* nomine. nam a ſacerdote mactari ſus ſolebat.

CAPVT XLVII.

Hos] Populum, qui aderat.

Virgis plebem Romanam concidere] Contra veteres leges.

Cuius rei] Cuius in plebem Romanam crudelitatis.

Suo tempore] Cum de ſuppliciis agam.

Contemſerit, deſpexerit] Plus eſt *deſpicere*, quam *contemnere*. ſic enim auget hic Cicero ſuperbiam Verris, vt act. I. c. 15. infamiam auget ordinis ſenatorii: quo loco dixit: *A populo Romano contemnimur, deſpicimur: graui diuturnaque iam flagramus infamia.*

Liberum eſſe numquam duxerit] Cum tenuiſſimis numquam egit, vt cum liberis hominibus agi ſolet: ſeruorum eos loco duxit. Infra c. 48. *Quo denique ore, quos numquam liberos putauit, libertinos homines, ſolitus ſit appellare.* Hinc illud lib. I. ad Attic. epiſt. 18. *Agamemnonem liberum non putauit.*

Bonos] Communi opinione. nam re vera non boni, qui iurare noluerint ex mortui voluntate, lucrum officio anteponentes.

Corneliam] A Sulla latam, in eos, quos ipſe victor proſcripſit.

Etenim erat iniquum] Ironia. nam aequum in primis erat.

Et (Ern. *at*) *ille libertus*] Ex comparatione libertini hominis fit maior eorum vituperatio, quos viros bonos, et honeſtos appellauit.

Patronum ſuum proſcriptum] Cum duobus fratribus, P. et A. Treboniis ſeruiſſet, ab vtroque manumiſſus erat.

Quid ad eum, qui ius dicit] Quod aequum eſt, id praetor debet decernere, non de Cornelia lege cogitare: quae poenam irrogat non ei, qui ius dicit, ſed ei, qui proſcriptum iuuat.

Summum beneficium] Libertatem, et hereditatem.

O modeſtum ordinem] Libertinorum.

CAPVT XLVIII.

C. Sulpicius Olympius (Ern. *Olympus*) *fuit*] Sic locutus in Diuin. c. 17. *Agonis eſt quaedam, Lilybaetana.* et ſaepe in his libris.

M. Octauium Ligurem] Senatorem. vt lib. II. c. 7.

Quod edictum] Quod edicti caput in edicto ſuo Sacerdos non habuerat.

Patroni] Eius, qui Olympium liberauerat.

Ire iuſſurum] Sulpicii patroni filiam.

L. Gellius] Qui biennio ante conſul fuerat, et hoc anno cenſuram geſſit.

Aduenticia] Non exſpectata, quae non veniret a propinquo.

Hereditaria] Nullo labore parta.

Suam quoque rationem ducere] De ſe quoque cogitare, cui multa opus eſſent.

Canibus] Quos ali oporteret, quandoquidem eorum opera multis in rebus vteretur. *Canes* vocauit, quia circa ſe, vt canes circa dominum, eſſent aſſidue, et quia, tamquam canes, vbi praeda praetoris eſſet, odorarentur. lib. III. c. 11. *Quid? iſta cohors quorum hominum eſt? Voluſii haruſpicis, et Cornelii medici, et horum canum, quos tribunal meum vides lambere.* Et lib. IV. c. 13. *Quo poſteaquam venerunt, mirandum in modum (canes venaticos diceres) ita odorabantur omnia et perueſtigabant, vt, vbi quidquid eſſet, aliqua ratione inuenirent.* Lib. V. c. 56. *Non enim Charybdim tam infeſtam, neque Scyllam nautis, quam iſtum in eodem freto fuiſſe arbitror. hoc etiam iſte infeſtior, quod multo ſe pluribus et maioribus canibus ſuccinxerat.*

L. Liguri] M. Octauii fratri.

Nihil leuius] Ironia. nihil enim eſt, quod minus ferri poſſit.

Loco] Dignitate. Act I. c. 17. *Cogita, qui ſis, quo loco ſis.*

Ordine] Quod ſenator.

Nomine] In ipſo ordine clari nominis.

Poſcere pecuniam] Cum dixit: *Debere eum ſuam quoque rationem ducere; multa ſibi opus eſſe, multa canibus ſuis, quos circa ſe haberet.*]

CAPVT XLIX.

Qui ſenſerunt] Quorum interfuit: a quibus Verres contra omnia iura pecuniam expreſſit.

Frater germanus Q. Titinii] Quo modo? cum ſint ex diuerſa gente. adoptatum neceſſe videtur credere in Titiniam gentem, qui frater germanus C. Fabii fuerat.

Quid eſt aliud] Sic in Catone c. 2. *Quid eſt aliud, gigantum more bellare cum diis, niſi naturae repugnare?*

In oculis] Erat enim in foro templum Caſtoris.

CAPVT L.

Locauiſſent] Tuendas, ac reficiendas, vt deinde, quibus eſſent locatae, ab iis ſartae tectae exigerentur.

Verumtamen] Verumtamen dicam: quamquam ex Fannio, et Tadio cognouiſtis. ſic locutus eſt lib. II. c. 11. *Africani eſt hoc, hominis liberaliſſimi, verumtamen: Ea liberalitas eſt probanda,* &c.

Homo, qui ſemper ita palam dictitaſſet] Sic ſupra c. 25. *Homo, vt haec audiuit.* Et c. 26. *Homo, qui ſemper hoſpitaliſſimus amiciſſimusque noſtrorum hominum exiſtimatus eſſet.* Et: *Homo, qui et ſumma grauitate, et iam id aetatis, et parens eſſet.*

Sine vllo intertrimento] Sine vllo alterutrius partis damno.

CAPVT LI.

Nam mehercule] Sic ex antiquo libro, non, *iam, hercule.* idque probat conſuetudo Latini ſermonis. ſic enim hic, *nam*, vim habet

habet affirmandi, non rationis reddendae, vt lib. II. c. 29. *Nam hercule, inquit Q. Minucius, me quoque Petilius, vt ſibi in conſilio adeſſem, rogauit.* Et lib. III. c. 85. *Nam ſperaueram, inquit arator, me ad denarios peruenturum.* Terentius in Adelph. act. II. ſc. I. v. 34.

Leno ſum, fateor, pernicies communis adoleſcentium,
Periurus, peſtis: tamen tibi a me nulla orta eſt iniuria.
AE. *Nam hercle etiam hoc reſtat.* —

Legem] De ſartis tectis. *legem* autem, id eſt, pactionem cenſoriam. Lib. III. c. 7. *Eundemque te memini cenſorias quoque leges in ſartis tectis exigendis tollere et commutare.* lib. V. c. 21. *Qui publicos agros arant, certum eſt, quid ex lege cenſoria dare debeant.* Hic autem infra c. 55. *lex* appellatur, quam in locanda Caſtoris aede Verres praetor conſcripſit.

Modeſtum, et minime pertinacem] Rabonium carpit vt auarum, et qui lucri cupiditate victus ab officio deſciuerit.

M. Marcellum] Iudicem in oratione pro Quintio, C. Marcelli Aeſernini, qui lib. IV. c. 42. nominatur, patrem: vt in Bruto c. 36.

Pro ſua fide] Quia pupilli tutor erat.

Exacturum eſſe] Ad perpendiculum.

Allegationes] Amicorum, aut hominum auctoritate praeſtantium. ſupra c. 16. *Quibus allegationibus illam ſibi legationem expugnauit?* infra c. 53. *Primo neceſſarios iſtius ad eum allegatos eſſe dicebat.*

Praefuit] Tamquam praetor vrbanus. Vſus eſt eo verbo, vnde praetor dictus eſt.

CAPVT LII.

M. Iunius, patruus pueri, frugaliſſimus homo] De plebe: vt infra c. 58. *P. Iunii erat, hominis de plebe Romana, filius.* Frugalitas autem plebeiorum hominum propria laus: tametſi ad equeſtrem quoque ordinem transfertur. nam de Potitio quod ſequitur, *homo ſummo honore, ſpectatiſſimus ordinis ſui:* certe dictum videtur de equite Romano potius, quam de homine, qui de plebe eſſet: quem tamen paucis ante verſibus c. 51. *frugaliſſimum hominem* vocauit.

Caſtiſſimus] Integerrimus.

CAPVT LIII.

L. Domitius] Ahenobarbus: qui poſtea conſul fuit cum Ap. Pulchro.

Principe iuuentutis] Laus, quae tribui ſolet adoleſcentibus. ſic M. Brutum *principem iuuentutis* appellat ad Appium lib. III. Fam. epiſt. 11.

Ad eum] Ad ipſum Verrem, qui agerent cum eo de re transigenda.

Allegatos eſſe dicebat] Quod falſum erat: ſed ita pudebat eum meretricem nominare, vt mentiri mallet.

CAPVT LIV.

Quod erat vix H-S quadraginta millium] Hoc puto dici: totam impenſam, in aedem Caſtoris

ſtoris a redemtore factam, vix H-S XL millium fuiſſe, id eſt, ſcutatorum MCC.

H-S ducentis millibus] Scutatorum ſex millibus.

Locaturum] Alicui, qui redimeret aedem illam tuendam multo maiore pecunia, non modo quam H-S XL millium, ſed etiam, quam ducentorum millium: vt impenſam deinde illam pupillus, qui aedem tradere ſartam tectam debebat, ſoluere cogeretur. Locauit autem, vt infra c. 55. patet, H-S DLX millibus.

Renunciat] Quod ipſe cum tutoribus transegerat, id praetori non placere, ipſis tutoribus ſignificat: ideoque deciſionem renunciat, id eſt, recuſat, infectam eſſe vult. act. I. c. 6. *Renunciata eſt tota conductio.*

Digitum tollit] Sublato digito, vt mos erat, redimere ſe pupilli nomine ſignificat.

Si res abiret ab eo mancipe] Niſi redemiſſet is, quem ipſe appoſuerat. Lib. III. c. 64. *Et ei poteſtatem emendi non eſſe factam, ne res abiret ab Apronio.*

Appoſuiſſet] Verbum callide agentis: vt ſupra c. 10. *Calumniatores ex ſinu ſuo appoſuit, qui illam hereditatem Veneri Erycinae commiſſam eſſe dicerent.* Lib. II. c. 8. *Apponit, qui petat Veneri Erycinae illam hereditatem.* Et lib. V. c. 41. *Apponitur his tamen accuſator.* Ad Marium lib. VII. Fam. epiſt. 2. *Licitatorem potius apponam, quam illud minoris vaeneat.*

In bonis, praedibus, praediisque vendundis] Hic ego nec Aſconii ſententiam probare, nec rurſus iis aſſentiri poſſum, qui, *bonis vendundis*, operibus locandis, accipiunt. nam *bona* pro operibus, *vendere* pro locare, vt accipi debeat, ratio nulla perſuadet: nec vero, quae ſequuntur, ad eam ſignificationem detorqueri poſſunt: nec illud, *cuia res ſit*, ad redemtorem pertinet. cur enim, vbi opus aliquod publicum locatur, optima conditione ſit is, qui redimit? cum is, qui locat, id tantum ſpectet, vt quam minimo locet, id eſt, vt, quam minima pecunia poſſit, in operis refectionem de publico erogetur. quo ſi maiorem impenſam redemtor fecerit, de ſuo fecit. Eam igitur hic eſſe mentem Ciceronis dicam, quam communis et vſitata verborum ſignificatio oſtendit. Si cuius, inquit, bona venduntur, id eſt, praedes, aut praedia, pro eo, quod publice debeat: ſolet is in recuperatione ſuorum bonorum optima conditione eſſe: vt nemo minoris emat, quam ipſe, qui ſuo periculo redemit, et cuius res eſt. Praedes autem, id eſt, mancipia, aut aliquid, quod moueri loco poſſet, ita vendebantur, vt praedia. itaque Phil. II. c. 31. timere dicitur Antonius, ne L. Plancus praedes ſuos venderet. Non enim homines liberi vendebantur. *Praedes* igitur, et *praedia* bona ſunt, quae et ſatisdationibus obligantur, et, niſi promiſſum praeſtetur, a creditore venduntur.

Conſulum, cenſorum, praetorum, quaeſtorum] Nominat eos magiſtratus, qui locare publica opera, et redemtorum bona, niſi ſarta tecta opera reddidiſſent, vendere ſolebant. qua comparatione demonſtrat, quam inique

que pupillus redemtione excludatur.

Cuia res ſit] Cuius res agitur, cuius bona venduntur.

Cuium periculum] In redimendo. aequum eſt enim, cuius periculum fuit, maiorem eius, quam cuiusquam praeterea, rationem haberi.

Eum ſolum] Pupillum redemtione ſolum excludit.

Ad meam pecuniam] Ex perſona pupilli. nam, niſi redemtor alius, id eſt, manceps a Verre appoſitus, aedem Caſtoris ſartam tectam tradiderit, tantum ſoluere cogetur, quanti locatio fuerit. ſoluet autem a pupillo, qui opus abſolutum non reddidit.

In mea bona, quos voles, immittes] Cum enim locas, cui tu vis: ad meam pecuniam adſpiras, et in mea bona, quem tu vis, immittis. nam ſi quid operi deerit, ex mea pecunia reficiendum erit.

Accedere non ſinas (Ern. *ſines*)] Nam, ſi me redemtione excludis, defendi a me fortunas meas non ſinis: defenderem enim, ſi ipſe redimerem.

CAPVT LV.

De hereditate] Mulierum. nam duo conſcripſerat edicta, vnum de hereditatibus mulierum contra P. Annii filiam, alterum de hereditatum poſſeſſionibus contra gentem Minuciam.

Addidit] Ad eam legem, qua locata fuerat P. Iunio aedes Caſtoris.

Cn. Domitius, L. Metellus] Cenſores anno vrbis DCXXXVIII.

De L. Marcio, M. Perperna cenſoribus]. Haec ſcribebat Verres contra pupillum Iunium: ne ſcilicet ad redemtionis ſocietatem admitteretur, ne pars ei daretur, ne ei opus ab alio redimeretur. Pupillum non nominabat, ne correxiſſe legem eius cauſſa videretur: ſed generatim excludebat redemtionis ſocietate, et redemtione ipſa, quicumque poſt L. Marcium, et M. Perpernam redemiſſet. Accipio enim, *de*, pro, *poſt*. nam ſi, *de cenſoribus*, accipias, pro, *a cenſoribus:* aduerſabitur hiſtoria. dictum enim ſupra, P. Iunium aedem Caſtoris a Sulla et Metello coſſ. non a Marcio, Philippo cenſoribus, qui ante aliquot annos fuerant, tuendam accepiſſe.

H-S LXXX millibus] Duplo eius impenſae, quam ſupra dixit in opere reficiundo requiri.

Delitum] Pro, *deletum:* vt alibi.

CAPVT LVI.

Satisdet damni infecti] Satisdatione caueat, nihil damni in opere futurum, nulla re deterius opus fore, quam vt acceperit.

Qui a vetere redemtore acceperit] Vetus redemtor quis eſt? pupillus. quis, ab eo qui acceperit? Rabonius: de quo dictum eſt ſupra c. 50. *L. Rabonio aedem Caſtoris tradi oportebat.* ergo tres perſonae videntur eſſe, cum tamen duae ſint, vetus redemtor pupillus, Rabonius, qui ab eo accipere, nouoque redemtori tradere aedem Caſtoris

ſtoris debebat, nouus redemtor, manceps videlicet ille ab ipſo Verre appoſitus: quem Rabonium fuiſſe, ſatis plane Cicero demonſtrat, ſubiiciens: *Deridet, cum ſibi ipſum iubet ſatisdare Rabonium.* Et paullo poſt: *Rabonius iſtam diem quo modo aſſequitur?* Ergo, *qui redemerit,* Rabonius eſt: *qui a vetere redemtore acceperit,* idem Rabonius.

Clamauit] Plus eſt, quam, dixit: vt contendiſſe pupilli tutores, pro fide, officioque ſuo, conſtaret. Supra quoque c. 55. *Cum tutores H-S LXXX millibus id opus ad illius, hominis iniquiſſimi, arbitrium ſe effecturos eſſe clamarent.*

Bono ſuo quoque (Ern. *bonum ſuo cuique*)] Bona quaque re, quae ad opus attineat.

Machina ſua] Magis placeret ſine interrogatione, vt cum ironia pronunciatum, hoc modo: Lapis videlicet aliquis caedendus, et apportandus fuit machina ſua: an vero contra neque ſaxum, neque materies illo aduecta eſt, ſed tantum operis in iſta tua locatione fuit, quanta merces fabrorum pro paucis operis: quae cum fuerit exigua, multum operis eſſe non potuit. merces enim operi reſpondet.

Et manupretii (Ern. *manus pretium*) *machinae*] Subaudi, *quantum:* vt ſit: et quantum manupretii machinae tulerunt.

Columnas ſingulas] Probat quod propoſuit, multo maius eſſe, vnam columnam ab integro nouam facere, quam quattuor reponere. Et tamen, inquit, oſtendam, ſingulas columnas, non minores quam illas quattuor a tuo mancipe repoſitas, longa, difficilique vectura, locatas eſſe tantum H-S XL millibus. at tu opus illud, in quo quattuor repoſitae ſunt, locaſti H-S DLX millibus.

Tota lege] Tota correctione legis. ſupra c. 55. *Corriguntur leges cenſoriae.*

Rem ad ipſum peruenire] Locationis vtilitatem ad Verrem peruenire: cur? quia poterat aliquis de populo ad redimendum opus accedere. Haec ad Verris defenſionem dicta finguntur: quae refellit ſequentibus verbis, *omnes excluſi ſunt.*

Faciundo] Abſoluendo.

Rabonius] Manceps a Verre appoſitus.

Quo modo aſſequitur] Quo modo opus abſoluit ante Kal. Decembres? quod aſſequi ceteris non licebat.

CAPVT LVII.

In acceptum referre poſſe] Negauit ſe poſſe nomen illud, et pecuniam a Rabonio pro opere acceptam, in ſuas tabulas referre: ne ſuum furtum patefaceret.

Rabonius] Qui ſibi cautum vellet de pecunia a pupillo accepta, Verrique numerata.

Aliquid defenſionum (Ern. *defenſionis*)] Parum, ſed aliquid tamen, in negando ſcilicet.

Quadriennio poſt] Cum reus eſſet. nam integrum quadriennium fuerat in Sicilia.

Hac conditione] Vt Kalendis Dec. opus abſolutum redderetur.

Cum die ceteros redemtores excluſiſſet] Praeter Rabonium, qui ſibi

ſibi neminem illo die fore moleſtum ſciebat. duabus cauſſis excluduntur omnes, vna, temporis anguſtiis, altera, quod in Verris arbitrium ac poteſtatem, qui, ſi quis de populo redemiſſet, ereptam ſibi praedam arbitraretur, venire quisquam de populo nolebat.

D. Brutus] Cuius praediis cautum erat populo.

Contenderet] De ſumma minuenda.

De ſua pecunia H-S DLX millia numerauit] Mendoſus numerus. nam, ſi locatum opus eſt H-S DLX millibus, vt ſupra conſtat, remittuntur autem Bruto H-S CX millia: relinquuntur, quae Verri Brutus numerat, H-S CCCCL millia. nec dubitare licet, quin ita ſit legendum: aut pro, *DLX millia*, quibus locatum eſt opus, reponendum, DCXL. ita quadrabunt omnia.

Ferre non poterat] Interpretationem ab ipſo Cicerone ſumemus. dixit enim in re ſimili lib. II. c. 30. *Inuidiam ſe ſuſtinere non poſſe tantam arbitrabatur.* Propterea D. Bruto, ne rem ſermonibus diſſiparet, H-S CX millia remiſit: cum opus tamen iam locaſſet Rabonio H-S DLX millibus, et a pupillo praedes accepiſſet.

Scribam ſuum] Scribae, poſtremi ordinis, id eſt, de plebe homines erant. inde ad equeſtrem ordinem, ſi a cenſoribus legerentur, aut in prouincia ab imperatore ſuo, tamquam bene de republica meriti, annulo aureo donarentur, adſcendebant. id ex iis verbis, quae ſunt in Cluentiana c. 45. licet coniicere: *Perſuaſi, vt ſcribam iurati legerent eum, quem iidem iſti cenſores aerarium reliquiſſent.* Nam inter aerarios nec ſenatores, nec equites Romani, ſed homines de plebe referebantur: vt Aſconius, aliique docent.

CAPVT LVIII.

Obſoletius] Quam ipſe eſt, qui multos annos eſt in ſordibus.

Veſtitum] Reorum more.

Popularis] Apta ad commovendam populi miſericordiam.

Quam quod ſine bulla venerat] Id tibi moleſtum erat ob eam cauſſam, quia iudices, et populum, perſpecta pueri inopia, contra Verrem incendi putabas. Bullam auream, dixi iam, a pueris ingenuis ante pectus ornamenti gratia geri ſolitam.

Hae lacrymae] Pupilli.

Magiſtratuum] Verres indicatur.

CAPVT LIX.

In vltima Phrygia] Eius provinciae parte, in qua legatus Dolabellae fuerat Verres.

Bello praedonum] Quod in Sicilia geſſit.

Manubias ſibi tantas] Praedam ſibi tantam.

Dubitamus, quid iſte in hoſtium praeda molitus ſit] Figura indignationis. qualis illa, quae proxime antecedit: *Quaeremus etiam, quid iſte in vltima Phrygia, quid in extremis Pamphyliae partibus fecerit? qualis in bello praedonum praedo ipſe fuerit? qui in foro populi Romani pirata nefarius reperiatur.* Et ea, quae ſequitur

quitur paullo poſt: *Te putet quisquam, cum ab Italia freto disiunctus eſſes, ſociis temperaſſe? qui aedem Caſtoris teſtem furtorum tuorum eſſe volueris. Hoſtium:* piratarum naui capta.

Ex L. Metelli manubiis] Ex aede Caſtoris; quam L. Metellus Dalmaticus, Macedonici filius, de manubiis refecit.

Quis a ſigno Vertumni] Diuerſum ab aede Caſtoris crimen. nam Verres ex ipſis tenſarum orbitis, quae ſacram pompam a ſigno Vertumni ad Circum Maximum ludorum diebus ferebant, praedatus eſt. id adducor vt credam ex iis verbis lib. III. c. 3. *Qui religiones deorum immortalium retinere vult, ei, qui fana ſpoliarit omnia, qui ex tenſarum orbitis praedari ſit auſus, inimicus non eſſe qui poteſt?* Quamquam non dubito, quin, *ex tenſarum orbitis*, nihil aliud ſignificet, quam, ex ea via, qua tenſarum orbitae pompam ferunt a ſigno Vertumni ad Circum Maximum, vbi ludi fiunt, Circenſes a loco dicti. ſequitur enim: *Quam tu viam tenſarum atque pompae eiusmodi exegiſti, vt tu ipſe illa ire non audeas.* Planius etiam hoc fit in peroratione, in qua ſunt haec: *Omnesque dii, qui vehiculis tenſarum ſollemnes coetus ludorum initis, quorum iter iſte ad ſuum quaeſtum, non ad religionum dignitatem, faciendum exigendumque curauit.*

Eiusmodi exegiſti] Sic exegiſti a vicinis, qui eam tuo iuſſu muniuerant, vt tu ipſe, auctor operis, per eam tranſire non audeas: ne vicinis de te loquendi locum des, recordantibus, quos tu quaeſtus feceris in ea via ab ipſis exigenda, quae pro religionum dignitate munita videbatur. In oratione pro Fonteio c. 4. ſimiliter ei obiectum eſſe conſtat, quaeſtum ab eo factum eſſe ex munitione viarum. Animaduertendum, *eiusmodi*, aduerbialiter eſſe poſitum pro, *ſic:* quod et Aſconium ſenſiſſe video. et in ea pro Coelio c. 7. perſpicuum exſtat huius generis exemplum. *Eſt*, inquit, *eiusmodi cupidus, vt magis inſectari alterius innocentiam, quam de ſe timide cogitare videatur.*

CAPVT IX.

Atque etiam] Rei nouitatem haec duo verba initio ſententiae ſignificant. publica enim iudicia ad praetorem vrbanum non attinebant: ſed eius erat in priuatis cauſſis iurisdictio. itaque iudicium illud extra ordinem Verres, iuſſu ſenatus, vt opinor, exercuit.

Verbo] Alia igitur cauſſa fuit, cur accuſaretur Opimius, atque haec fortaſſe, quod hominem nobilem Q. Catulum in tribunatu laeſiſſet. vt ad illud, *quod in tribunatu*, ſubaudiatur, *reuera.*

Interceſſiſſet contra legem Corneliam] Non, ne ferretur, quae lata iam erat ab ipſo Sulla, ſed, vt lex C. Cottae tribuni plebis de reſtituenda tribunis plebis aliorum quoque capeſſendorum magiſtratuum poteſtate, quam Cornelia lex ademerat, ferretur. eſt igitur, *interceſſiſſet contra legem Corneliam*, oppoſuiſſet ſe legi Corneliae, vt, ea abrogata, Aurelia C. Cottae ferretur.

Hominis nobilis] Q. Catuli.

Si velim dicere omnia] Q. Opimium iniuſte damnatum a Verre

 ſignifi-

ſignificat, Sullanorum hominum gratia, et auctoritate. ſequitur enim: *Multi appellandi, laedendique ſunt.*

Paucos homines] Catulum, Curionem, Hortenſium, e Sullanis partibus.

Fortunis omnibus euertiſſe] Ergo, *petere multa*, bonorum omnium amiſſionem ſignificat in iudicijs publicis, quod exemplo quoque C. Iunii condemnati in Cluentiana cognoſcitur.

Ornamenta] Senatoria. amiſſo enim ex illa damnatione ſenatorio cenſu, ordinem retinere non poterat: vt nec eques Romanus eſſe quisquam ſine equeſtri cenſu.

Ex calamitate ſenatoris populi Romani] Cuius miſereri potius praetor debuit, ordinis coniunctione commotus.

CAPVT LXI.

Nam de ſubſortitione illa Iuniana iudicum nihil dico] *Iudices*, malo, quam, *iudicum.* Iunius autem in cauſſa Oppianici, a Cluentio accuſati, iudex quaeſtionis fuit: et cum Verres praetor iudices de more ſortitus eſſet; facta reiectione, Iunius ipſe, non, vt ait Aſconius, Verres ſubſortitus eſt. nam et hic ſubſortitio Iuniana nominatur: et cum hoc loco congruit ille pro Cluentio c. 33. *Multam* (a C. Iunio) *petiuit. Qua lege? quod in legem non iuraſſet: quae res nemini vmquam fraudi fuit: et quod C. Verres, praetor vrbanus, homo ſanctus et diligens, ſubſortitionem eius in eo codice non haberet; qui tum interlitus proferebatur.* Vt omittam, quod hic quoque ſubſortitio Q. Curtii, iudicis quaeſtionis, appellatur. Hic igitur Cicero ſignificat, Verrem corrupiſſe tabulas ſuas, et ſuſtuliſſe iudicum nomina, quae ſcripſerat antea e ſubſortitione Iuniana, alios autem iudices repoſuiſſe: vt omnis ad Iunium pertinere culpa videretur: qui propterea, tamquam auctor corrupti iudicii, damnatus eſt.

Difficile eſt] Ironia.

Iudicum] Quos repoſuerat.

Annulus] Quo tabulas corruptas obſignauerat. lib. III. c. 80. *Hinc ille eſt annulus aureus, quo tu iſtum* (ſcribam tuum) *in concione donaſti.* Ibidem c. 76. *Scriba tuus annulo aureo ſuo, quem ex his rebus inuenit, iſta te ratione vti non ſinet.* Idem ſignificat lib. II. c. 11. cum ait: *Et eos in concione annulis aureis donabas.*

Quod probare difficile eſt] Te cum Iunio in illa corruptione conſenſiſſe.

Niſi prouidiſſes] Si ſubſortitionem eius in tuo codice reliquiſſes.

Interpolando] Nouam formam, vetere ſublata, reponendo. translatum a fullonibus.

Eiusdem modi] Vt Q. Curtius in locum eorum iudicum, quos ſubſortitus erat, alios ex Verris voluntate ſupponeret, quemadmodum ſuppoſiti fuerant in Oppianici iudicio.

Suorum quoque iudicum] Qui de ipſo ſententiam laturi eſſent.

Iudicem quaeſtionis] Quaeſitorem, id eſt, praetorem, hunc non eſſe, qui Glabrionem quaerere in Verris cauſſa recordabitur,

tur, facile intelliget. et, cum eum a ſe reiectum Cicero ſignificat, nimirum de iudice loquitur, qui reiici poterat, non de quaeſitore, qui non poterat. Etiam illud adiungo, quaeſitorem iurare ſolitum non eſſe: at C. Iunium, iudicem quaeſtionis, ideo damnatum eſſe, quod in legem non iuraſſet, oſtendit oratio pro Cluentio c. 33. Similiter in oratione pro Roſcio Amerino praetor eſt M. Fannius, et de parricidio quaerit, qui antea iudex eidem quaeſtioni praefuerat. aliud igitur eſt, iudicem eſſe quaeſtionis; aliud, quaeſitorem eſſe. nam quaeſitor praetor eſt; iudex autem quaeſtionis modo non eſt praetor, vt hic, et pro Amerino, modo eſt, vt in Cluentiana Q. Voconius.

Decuria] Iudicum.

Noſtra] Senatorum, qui tum ſoli iudicabant. poſtea, communicatis inter tres ordines Aurelia lege iudiciis, tres decuriae iudicum fuerunt. Phil. I. c. 8.

Erepta eſſet facultas bonorum (Ern. *eorum*)] Bonorum iudicum: improbos enim ſuppoſuiſſet Q. Curtius.

Cum is (Ern. *quos iſte*) *annuerat*] Siue ſic, ſiue, vt aliis placet, *cum iis, quos iſte annuerat*, legatur; imperfecta ſententia videtur. atque etiam, quem oratio finem deſiderat, prorſus eum non agnoſco.

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

ACTIONIS II.

IN

C. VERREM

LIBRVM II.

QVI

DE IVRISDICTIONE

INSCRIBITVR

Tota praeturae Sicilienſis accuſatio quattuor criminum genera complectitur, de iurisdictione, de frumento, de ſignis, de ſuppliciis: quae quattuor ſequentibus diſtributa libris, argumento non indigent: niſi ſi quis ſingulas cuiusque partes, quae permultae ſunt, eiusdem tamen generis omnes, hic velit exponere. quod hominis et otio, et litteris abutentis eſſe videretur. itaque explanationem aggrediemur, et eo quidem conſilio, vt, in locis tantum difficilioribus immorantes, breuitatem, quantum licebit, more veterum interpretum ſequamur.

EXPLANATIO

CAPVT I.

Quae meae fidei commiſſae ſunt] Quae pertinent ad crimen repetundarum.

Totius ordinis] Senatorii, infamia laborantis propter iudicia.

Suſcepi cauſſam populi Romani] In Diuin. c. 8. *Ego in hoc iudicio mihi Siculorum cauſſam receptam, populi Romani ſuſceptam eſſe arbitror.*

Tum denique] Quaſi factum antea non eſſet, vt et reus improbus

probus adduceretur, et diligens ac firmus accuſator ad iudicium veniret. defuit enim improbo reo diligens, et firmus accuſator. ideo recte iudicatum non eſt.

Diligens] Qui cauſſam diligenter ageret, crimina quaeque pro ſua fide ita perſequeretur, ne reum elabi nocentem ſineret.

Pleraeque] Non ab initio, ſed aliquanto poſt: quae autem ab initio, in amicitia perpetuo manſerunt.

CAPVT II.

Exornauit] Reſtituens ea, quae victores Poeni abſtulerant.

Ceteri Siculi] Socii eius in bello.

Hoſtibus] Siculis.

Ornatam] Signis, monumentisque pulcherrimis.

Hoſtium] Eorum, qui hoſtes fuerant populi Romani.

Pro aerario illo maiorum vetere, ac referto] Non pro hoc inani, quod nunc habemus. Aeraria tria Romae fuiſſe, ſcripſimus ante multos annos, (comment. in epiſt. ad Attic. lib. VII. epiſt. 15.) vnum ex tributis, vectigalibus, praeda bellica, vnde pecunia, poſcentibus reipublicae rationibus, quotidie promebatur: quo cum intuliſſet L. Paullus, deuicta Macedonia, ter millies, id eſt, ſeutatorum tricies centena millia, magna tamen, haec dicente Cicerone, eius aerarii fuit inopia, credo propter maximos Italici belli, magis etiam propter ciuilis Mariani ſumtus. de quo aerario ſunt illa lib. III. c. 78. *Si poteſt iſta pecunia ſine aratorum iniuria detrahi; populus Romanus habeat, praeſertim in tantis aerarii anguſtiis.* Et in orat. de prou. c. 5. *Quibus quidem vos, in his anguſtiis aerarii, tamen ſubueniatis neceſſe eſt.* Alterum ex viceſima, quod *ſanctius* vocabatur, quia non aperiretur, niſi difficillimis reipublicae temporibus. Tertium, in quo pecunia in Gallicum bellum eroganda cuſtodiretur: quam attingi, niſi Gallicum bellum vrgeret, exſecrationibus publicis vetitum eſt. Ex his tribus aerariis, quaeri poteſt, quodnam illud fuerit, cuius inopiam ſaepe queritur Cicero. Sanctius eſſe non potuit; in quo cum aurum viceſimarium ad vltimos caſus, auctore Liuio lib. XXVII. c. 10. ſeruaretur, ad inopiam redigi non potuit. An Gallicum? multo minus. id enim primus Caeſar, vt Appianus lib. II. de bell. ciu. narrat, pulſo Italia Pompeio, aperuit, quaſi, debellatis a ſe Gallis, exſecrationes illae publicae locum iam non haberent. Neceſſe igitur eſt, inopiam eius aerarii a Cicerone ſignificari, quo, vt diximus, ex vectigalibus, tributis, praeda bellica, pecunia conferebatur. quod ſi ita eſt: errauit Lucanus, cum illa de Caeſare ſcripſit lib. III. v. 155, ſeqq.

Tunc conditus imo
Eruitur templo, multis intactus ab annis,
Romani cenſus populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perſes, quem victi praeda Philippi.

Quae enim non ſolum ex deuictis hoſtibus, quam nominat Lucanus, verum etiam ex vectigalibus, tributisque collecta pecunia fuerat, eam vniuerſam ante ciuile Pompeianum bellum conſumtam fuiſſe, quis ex eo non intel-

intelligit, quod Pompeius initio belli ſanctius aerarium, in quo viceſimarium tantum erat aurum, ſeruatum ad vltimos caſus, aperire coactus eſt?

CAPVT III.

Tam prope ab domo] Tam prope domum.

Quae nunc increbuit] Quae coepit eſſe, vetere ſublata. Phil. XIV. c. 5. *Si quis Hiſpanorum, aut Gallorum, aut Thracum mille, aut duo millia occidiſſet, non eum hac conſuetudine, quae increbuit, imperatorem appellaret ſenatus?*

Ad aram legum] Pro, ad ſanctiſſimas leges.

Praeſidiumque veſtrum] Veſtra enim aequitas praeſidium ſociis eſt, a veſtris magiſtratibus iniurioſe tractatis.

Publico conſilio] Queſtum enim de ſuis iniuriis contra M. Lepidum, qui praetor in Sicilia fuerat, ſed non publico conſilio venerant. in Diuin. c. 1. *Cuncti ad me publice ſaepe venerunt.*

M. Antonii] Cui maritima omnis ora, infinito cum imperio, tuenda tradita eſt. ſupra in Diuin. c. 17.

Luxuriem, crudelitatem, auaritiam, ſuperbiam] In Diuin. c. 1. *Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in ſuppliciis, auaritia in rapinis, ſuperbia in contumeliis efficere potuiſſet.* Lib. I. c. 12. *Hora nulla vacua a furto, ſcelere, crudelitate, flagitio reperietur.*

CAPVT IV.

Apud patronos] Marcellos.

Conſulibus] Pompeio, et Craſſo.

Fecerunt etiam, vt me prope de vitae meae ſtatu deducerent] Modus loquendi, *fecerunt vt.* Sic act. I. c. 9. *Fecit animo libentiſſimo populus Romanus, vt, cuius diuitiis me de fide deducere non potuiſſent, ne eiusdem pecuniis de honore deiicerer.*

Cognouerant] Cum apud eos quaeſtor eſſem.

Prope] Non omnino, ſed *prope deducerent.* nam etſi iſtum accuſo, mea tamen vetere defendendi conſuetudine multo magis delector: et nunc quidem vnum accuſo, defendo Siciliam totam.

Quamquam in hac cauſſa multo plures partes mihi defenſionis, quam accuſationis, ſuſcepiſſe videor] Cauſſam expoſuit in Diuin. c. 2. his verbis: *Defendo enim multos mortales, multas ciuitates, prouinciam Siciliam totam.*

Quaeſtores vtriusque prouinciae] Syracuſanus, et Lilybaetanus.

Cum faſcibus] Quaeſtores in prouinciis faſcibus vſos eſſe, diximus in orat. pro Quintio c. 4.

Mihi praeſto fuerunt] Non dicit eos ad ſe veniſſe, verum, vbi inquirere in Verrem coepit, ſtatim omnia ſua ſtudia, omnemque poteſtatem ad eum defendendum contuliſſe.

Hi porro] Alii duo, L. Metelli praetoris, qui Verri ſucceſſit.

Qui ſucceſſerunt] Quaeſtoribus Verris.

CAPVT V.

Meſſanae] Vrbs ipſa *Meſſana*, ciuitas *Mamertina* vocabatur. Meſſanae enim Mamertini, natio Campana, habitabant. ſic infra c. 75.

c. 75. cum Meſſanam nominaſſet, ciues vocauit Mamertinos. *Quid vero*, inquit, *Meſſana; quem iſte ſibi locum maxime tutum arbitrabatur; vbi animo ſemper ſoluto liberoque erat, quod ſibi iſte Mamertinos delegerat, ad quos omnia, quae aut diligentius ſeruanda, aut occultius exportanda erant, deportaret.*

Publice coactis operis] Mamertinorum ſumtu publico.

Summi imperii] Praetoris Sicilienſis L. Metelli.

Iniuſſu populi, ac ſenatus] Propterea ſolam ciuitatem Mamertinam publice legatos, qui laudarent, miſiſſe dixit.

Legatos decreuerant (Ern. *legati decreti erant*)] Sententia poſtulat, *legati decreti erant.* aut, ne quid mutetur, praeſertim contra veteres libros, exiſtimandum, ex iis ipſis, qui contra Verrem legatos decreuerant, aliquos teſtimonium publicum, mandataque accepiſſe, vt legati Romam proficiſcerentur.

Tot, et tantae, et tam graues ciuitates] Augent ſingula, vt lib. I. c. 4. *Tot, tantis, tam nefariis ſceleribus.*

Alio loco] Lib. IV. c. 61, ſeqq.

CAPVT VI.

Meo labore] Accuſandi onere ſuſcepto.

Periculo] Quod mihi ab eorum inimiciſſimo homine, eiusque amicis impendet.

Statim Romae] Cum adhuc praetor vrbanus eſſet.

Ad vrbem] Cum, abſoluta in vrbe praetura, extra pomerium eſſet cum imperio, in prouinciam iturus. notum loquendi genus, nota res.

Non prouinciae rudis erat] Fuerat enim in Cilicia legatus, et proquaeſtor Dolabellae, omnesque iam furandi vias, artesque didicerat.

Ex nomine iſtius] Fore dicebant, vt Verres prouinciam euerteret.

Fugam] Auerſa pecunia publica, prodito Carbone conſule.

In foro] In aede Caſtoris.

CAPVT VII.

Beneficio Q. Metelli] Ideo *Q. Caecilius Dio* vocabatur. Et infra c. 42. *Cn. Pompeius Theodorus*, Cn. Pompeii beneficio ciuis Romanus. Et lib. IV. c. 17. Diodorus qui appellabatur, *Q. Lutatius Diodorus* dicitur, quia Q. Lutatii Catuli beneficio ciuis Romanus a L. Sulla factus erat. Hi autem omnes Romana cognomina non ſumebant, ſed tantum praenomina, et nomina, cognominis autem loco vetus nomen retinebant, vt Dio, Theodorus, Diodorus.

H-S vndecies] Scutatorum triginta tria millia.

Veſtisque ſtragulae] Nomine *veſtis* aulaea, tapetia, et omnino quidquid ſterni poſſet, comprehendebatur.

C. Sacerdote praetore] Sicilienſi.

Niſi forte] Dixi iam, ſaepe hoc ad negandum pertinere. neque hic ſignificat, quadruplatores ad fretum veniſſe, vt cum Verre de Dionis hereditate loquerentur, ſed ab iis Verrem, cum ad vrbem eſſet, audiuiſſe.

Quadruplatores] Qui accuſarent ſpe lucri, quae bonorum damnati quarta pars erat.

Ad fretum] Qui praeſto ei fuerunt non ad fretum, ſed ad vrbem cum eſſet.

CAPVT VIII.

Veneri Erycinae eſſe multatum] Deberi Erycinae Veneri hereditatem illam.

Apponit] Malitioſe, vt lib. III. c. 42. *Appoſitus erat Venuleius quidam, qui emeret.* Lib. V. c. 41 *Apponitur his tamen accuſator.*

Qui Erycinum montem obtinebat] Is erat Q. Caecilius Niger, qui propterea, vt in Diuin. c. 17. legitur, Agonidis, libertae Veneris Erycinae, bona vendidit; quaſi Veneris eſſent.

Naeuius Turpio] Lib. V. c. 41. *Apponitur his tamen accuſator Naeuius Turpio quidam, qui C. Sacerdote praetore iniuriarum damnatus eſt, homo bene appoſitus ad iſtius audaciam: quem iſte in decumis, in rebus capitalibus, in omni calumnia, praecurſorem habere ſolebat, et emiſſarium.*

Hunc hominem] Dionis filium.

Veneri] Ad quam, niſi ſtatuas in foro poſuiſſet, hereditas illa pertinebat.

Abſoluit] Argute. condemnat Verres Dionem: ſed hereditatem illam ad ſe transfert, Veneri nihil tribuit: vt eum Veneri abſoluiſſe, ſibi condemnaſſe videretur.

Quid ego nunc hic Sex. Pompeii Chlori teſtimonium recitem] Modus amplificandi, vt infra c. 16. *Quid ego iſtius in iure dicendo libidinem demonſtrem?* Lib. I. c. 30. *Quid ego nunc in altera actione Cn. Dolabellae ſpiritus, quid huius lacrymas, et concurſiones proferam?*

Qui cauſſam egit Dionis] Apud Verrem in Sicilia.

Virtutis cauſſa] Et beneficio Sex. Pompeii: a quo praenomen, et nomen accepit: cum ipſe Chlorus eſſet.

L. Caleni] Fufiae gentis.

Qui tum in Macedonia fuit] M. Terentius Lucullus, L. Luculli frater, Macedoniae praefuit, et ex ea triumphauit. in Piſonem c. 19. Appianus, Florus lib. III. c. 4. Eutropius lib. VI. c. 8. Oroſius lib. VI. c. 3.

De Dione] A Dione.

Legis exceptio] Quae patronos reorum teſtimonio liberat.

CAPVT IX.

Venerius homo] Qui amoribus delectaretur. iocatur et in ſententia, et iterato Veneris nomine. ſic infra c. 38. et lib. V. c. 54.

Si commiſſum quid eſſet] Si quid heredes, contra quam ſcriptum eſſet in teſtamento, commiſiſſent.

Ipſos XX annos (Ern. *ipſo XX anno*)] Integros XX annos: vt ad Coelium lib. II. Fam. epiſt. 8. *Ego, cum Athenis decem ipſos dies fuiſſem, multumque mecum Gallus noſter Caninius, proficiſcebar inde pridie nonas Quintilis, cum hoc ad te litterarum dedi.*

H-S CCCC millia] Scutatorum duodecim millia.

Vicerunt] Cauſſam obtinuerunt, abſoluti ſunt.

CAPVT X.

Quae vis] Quae poteſtas.

Veniſſet] In Siciliam.

Vnam libellam] Vnum aſſem. nam libella, et as idem valebant, id

id eſt, ſeſtertii nummi quartam partem: ſed libella ex argento, as ex aere cudebatur. Similiter in ea pro Quintio c. 5. *Aſſem ſeſe negat daturum.*

Veniat nunc] Pro, eat nunc.

Centum cohortes] Iocatur in cohorte militari, et cohorte praetoria.

Fugitiuorum] Vtitur hoc exemplo, quia fugitiui, Athenione duce, multis Siciliam malis affecerant: de quibus M'. Aquillius triumphauit. Cicero agr. II. c. 50. et pro Flacco c. 39. Appianus, alii.

Q. Mucii] Qui Aſiam innocentiſſime rexit. in Diuin. c. 17.

Defenſionis] Quae ad omnes reos pertineat. nam, ſi haec defenſio probatur in Verre, omnes abſoluentur.

Non ſolum nos abſtinentes, ſed etiam noſtros comites praeſtare debemus] Idem praecipit Q. fratri lib. I. epiſt. 1. *Circumſpiciendum diligenter, vt in hac cuſtodia prouinciae non te vnum, ſed omnes miniſtros imperii tui, ſociis, ciuibus, et reipublicae praeſtare videare.*

CAPVT XI.

Opera tanta danda eſt] Similitudo, quae eſt inter, *tanta*, et, *danda*, fortaſſe *tanta* huc induxit, verbum minime neceſſarium.

Capitique] Saluti, et incolumitati.

Africani] Cum nihil additur, de minore ſemper intelligendum.

Liberaliſſimi] Maxime ad gratificandum, commodandumque propenſi. nam *liberalitas* generale vocabulum eſt, nec ad largitionem tantum pertinet.

Verumtamen] Notam hic appono ſubdiſtinctionis, hoc ſenſu: Dicebat Africanus, propenſus ille quidem vel maxime ad liberalitatem, *verumtamen*, (ſubaudi, *dicebat*) *Ea liberalitas eſt probanda, quae ſine periculo exiſtimationis eſt.* nam Africani ſententia incipit in, *ea liberalitas*, non in, *verumtamen.* Eſt autem vſitatus loquendi modus, vt lib. I. c. 50. *Qua poteſtate iſte permiſſa, vt ex C. Fannio, et ex Q. Tadio cognouiſtis, verumtamen cum eſſet omnibus in rebus.*

Praefectum] Equeſtrium turmarum.

Petendum] Beneficii loco.

Si ſalui eſſe volumus] Si noſtrae famae, capitique conſultum volumus.

Annulis aureis] Scribam Verris ſignificat, de quo lib. I. c. 61.

CAPVT XII.

Qui iudicia dant] Ii praetores erant, qui iudices, iurisque formulam dabant: iudicabant vero iudices. qua de re ſupra pro Quintio c. 1. diximus.

Intercedere] Solus enim erat praetor in Sicilia. nam Romae, praeter tribunos plebis alter praetor, cuius iurisdictio erat inter peregrinos, poterat intercedere: interceſſit L. Piſo, de quo lib. I. c. 46. L. *Piſo multos codices impleuit earum rerum, in quibus ita interceſſit, quod iſte aliter, atque vt edixerat, decreuiſſet.*

Sit eiusmodi] Verbi gratia: iudicii formula ſit eiuſmodi.

Si paret] Pro, *ſi apparet.* ſic enim, vt ait Feſtus, loquebantur

tur

tur in formulis. de quo ſupra in Di in. c. 17.

Reſtituetur] Subauditur: *Octavi, Seruilium condemna.* nam hoc Theophilus addit huiusmodi formulis.

Non neceſſe erit] Hoc pendet ex eo: *Si vero illud quoque accedet* alii, deeſſe aliquid, ſine cauſſa exiſtimarunt.

Cogere] Id enim verba formulae praetoris iubent.

Aut condemnare eum, quem non oporteat] Q. Catulum, quem condemnare non oporteat ex formula praetoris, id iubentis, non vt Catulus, verum vt Seruilius condemnaretur. Alterutrum igitur neceſſario peccabit Octauius iudex. aut Seruilium iniuſte condemnabit, quia formulam ſequetur: aut Catulum contra quam oporteat, quia diſcedet a formula. Bipartita ſententia: quam qui non animaduerterunt, *et*, pro, *aut*, legendum putauerunt.

Eum] Seruilium. cur enim condemnetur, ſi fundus ille iure eius eſt, non Q. Catuli? Vtitur exemplis iudicum praeſentium. nam et P. Seruilius Iſauricus, et Q. Lutatius Catulus, vterque conſularis, in Verris cauſſa iudicabant. lib. I. c. 21. et lib. IV. c. 31.

Si non accipit] Iubet a debitore tantum accipere creditorem, non quantum ſibi deberi probet, ſed quantum debitor ipſe dicat: ſi non accipit, accuſari a debitore.

Accuſes] Ipſum creditorem.

Si petit] Plus, quam te debere fatearis.

Ducas] In vincula. Eodem ſenſu infra c. 26. *Quisquis erat ductus ſenator Syracuſanus ab Heraclio, duci iubebat. itaque permulti ducti ſunt.* Retulit hoc verbum e XII tabulis Gellius lib. XX. c. 1. Cicero autem pro Flacco c. 19. *Vtrum in clariſſimis eſt ciuibus is, quem iudicatum hic duxit Hermippus?* Et paullo poſt c. 20. *Cum iudicatum non faceret, addictus Hermippo, et ab hoc ductus eſt.* Idem lib. II. de Orat. c. 63. *Apud Naeuium videtur eſſe miſericors ille, qui iudicatum duci videt, percunctatur ita:* Quanti addictus? mille nummum. *ſi addidiſſet tantummodo,* Ducas licet; *eſſet illud genus ridiculi praeter exſpectationem: ſed quia addidit,* Nihil addo, ducas licet: *addito ambiguo, altero genere ridiculi, fuit, vt mihi quidem videtur, ſalſiſſimum.* Terentius in Phorm. act. II. ſc. 2. v. 20.

Mihi ſciunt nihil eſſe. Dices, ducent damnatum domum.
Alere nolunt hominem edacem. —

Liuius lib. II. c. 23. *Ductum ſe ab creditore non in ſeruitium, ſed in ergaſtulum, et carnificinam eſſe.* Idem lib. VI. c. 14. *Centurionem, nobilem militaribus factis, iudicatum pecuniae cum duci vidiſſet; medio foro cum caterua ſua accurrit, et manum iniecit.* Et paullo poſt: *Tum vero ego, inquit, nequicquam hac dextra Capitolium arcemque ſeruauerim, ſi ciuem commilitonemque meum, tamquam Gallis victoribus captum, in ſeruitutem, ac vincula duci videam.* Et aliquanto poſt c. 36. *An placeret, fenore circumuentam plebem, ni potius, quam ſortem, creditum ſoluat, corpus in neruum ac ſupplicia dare? et gregatim quotidie de foro addi-*

addictos dici? et repleri vinctis nobiles domos? et, vbicumque patricius habitet, ibi carcerem priuatum eſſe?

Qui ciues Romani erant] Subaudi, *iudices dabantur:* cum dari Siculos oporteret; vt meliore conditione reus eſſet. id paullo poſt planius oſtenditur. nam hic ſententiam breuitas obſcurat.

Si Siculi eſſent] Rei.

Eorum legibus] Siculorum.

Dari] Iudicia.

Qui Siculi] Similiter hic ſubaudiendum. *ii iudices dabantur:* cum Romanos dari oporteret.

Si ciues Romani eſſent] Rei.

CAPVT XIII.

Decem legatorum] Quos ſenatus miſerat ad Siciliam in prouinciae formam redigendam, id eſt, qui iura eis, legesque darent.

Reiectae] Vna a petitore, altera ab eo, vnde petitur.

Quam Hieronicam appellant] Tulerat eam Hiero rex aequiſſimus, Rupilius praetor poſtea confirmauit, de decumis frumenti, deque controuerſiis, quae inter aratores, et decumanos orirentur.

Suae leges] Verri ſua libido pro lege erat.

Quod ciuis] Pro, in eo, quod ciuis cum ciue ageret.

Ciuis cum ciue] Siculus cum Siculo.

Quem commodum erat] Quem ei placebat. Eodem ſenſu paullo poſt c. 16. *Quinque iudices, quos commodum ipſi fuit, dedit.* Dictum ſupra lib. I. c. 4. hoc de genere loquendi.

Praeconem, haruſpicem, medicum ſuum] Praeconem Valerium, haruſpicem Voluſianum, medicum Artemidorum. lib. III. c. 21.

Legibus] Refertur ad illud, *domi certet ſuis legibus.*

Alium] Ipſum Verrem.

E conuentu] Ciuium Romanorum.

Propoſiti ex negotiatoribus iudices] Inter aratores, et decumanos. infra: *De conuentu, ac negotiatoribus nulli iudices.*

Haec copia, quam dico, iudicum] Iudices a praetore dati, cum iudicium legibus non erat conſtitutum. nam ſi legibus: non dabantur a praetore de cohorte, ſed iis tamen libere iudicare non licebat propter edictum, in quo erat: *Si quis perperam iudicarit, cognoſcam: cum cognouero, animaduertam.*

Non Q. Scaeuolae] Saepe Q. Mucium Scaeuolam opponit Verri: quod ille praetor Aſiam, hic Siciliam ita rexerit, vt nihil diſſimilius.

De cohorte ſua] Quae erat optima.

Senatus] Ex aliqua ciuitate, vt lex Rupilia iubebat. Integra ſententia eſt: *Si quid perperam iudicarit ſenatus, cognoſcam: cum cognouero, animaduertam.* Id enim ſupra dixit. infra vero c. 23. *Tu, qui inſtitueras in eos animaduertere, qui perperam iudicaſſent.*

Sortitio nulla] Dabat enim ipſe iudices de ſua cohorte.

Niſi cum nihil intererat iſtius] Niſi cum lucri nihil ſperabat. tunc enim, Rupiliam legem obſeruans, rem ſorti committebat.

Vno nomine omnia] Singula non perpendit Verres, neque aliud ab alio, vt iuſtum a minus iuſto.

iuſto, diſtinxit, ſed vno omnia nomine nullo diſcrimine reſcidit.

CAPVT XIV.

Ante hunc praetorem vel pecunioſiſſimus Syracuſanorum] Deſiit autem Verre praetore pecunioſiſſimus eſſe. ſic in Diuin. c. 17. *Quae mulier ante hunc quaeſtorem copioſa plane, et locuples fuit.*

Tricies] Scutatorum nongenta millia.

Inſaniam (Ern. *inſanias*)] *Inſanire* eſt vehementer cupere. Infra c. 35. *Haec iſte ad inſaniam concupierat.* Et lib. IV. c. 1. *Venio nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellat, ſtudium; vt amici eius, morbum, et inſaniam; vt Siculi, latrocinium.* Ibidem c. 21. *Omnium auariſſimorum inſanias expleret.*

Affines] Verri propter vxores coniuncti. infra c. 36.

Numquam alienas] Vſus eſt tamquam ſuis.

Non promtiſſimum] Satis hebetem, quem circumueniri, pro rudi eius ingenio, magni negotii non eſſet. Hic loquendi modus minuere vituperationem videtur, nec tamen parum vituperat: ſic laudationem, nec tamen parum laudat: vt in Diuin. c. 21. *Sociorum querimoniae delatae ad hominem non inertiſſimum.*

Commiſſam eſſe] *Commiſſa* dicitur hereditas, quae ad alium heredem ex teſtamenti conditione deuoluitur. de quo lib. I. c. 10. diximus.

Ratio] Conſilium, et modus agendi cum Heraclio.

Scribitur Heraclio dica] Defertur Heraclii nomen: vocatur Heraclius in iudicium. Terentius in Phorm. act. I. ſc. 2. v. 77.

Ego te cognatum dicam, et tibi ſcribam dicam.

Ibidem act. II. ſc. 2. v. 15.

Cedo dum, en vmquam iniuriarum audiſti mihi ſcriptam dicam?

Et infra act. IV. ſc. 3. v. 63.

Sexcentas proinde ſcribito iam mihi dicas.

Sic, *impingere dicam*, idem dixit ibidem act. II. ſc. 3. v. 92.

CAPVT XV.

Dicas ſortiturum] *Dicas*, pro iudices, hic accipio. nam infra c. 16. *Negauit ſe iudices lege Rupilia ſortiturum.*

Omnibus iudiciis (Ern. *dicis*)] Ne de vno Heraclio cogitare videretur.

Hoc eſt, cum populo Syracuſano] Palaeſtra enim populi eſt. et hoc addit, vt excludat Verrem iudicandi poteſtate. dictum enim ſupra c. 13. *Siculi hoc iure ſunt, vt, quod ciuis cum ciue agat, domi certet ſuis legibus.*

Aequo iure] Suis legibus.

In id forum] Syracuſanum.

Vt iudices e lege Rupilia dentur] Non Verris arbitratu.

CAPVT XVI.

Quid ego iſtius in iure dicendo libidinem demonſtrem] Amplificandi locus cum indignatione, quem ſaepe vſurpat Cicero in tranſitu ſententiae, vt paullo ante c. 8. *Quid ego hic nunc Sex. Pompeii Chlori teſtimonium recitem, qui cauſſam egit Dionis?* Et lib. I. c. 30. *Quid ego nunc*

in altera actione Cn. Dolabellae ſpiritus, quid huius lacrymas, et concurſiones proferam?

Lege agere] Suum ius lege perſequi, iudicio experiri.

Praetor (Ern. *P.*) *Rupilius*] P. Rupilius conſul anno vrbis DCXXI. fugitiuos, quorum dux Eunus erat, deuicit: deinde ex ſenatus conſulto de decem legatorum ſententia leges in Sicilia conſtituit. *Praetor* igitur accipe pro proconſul: nec deſunt exempla.

Conſules, praetoresque] Qui poſt conſulatum, praeturamque Siciliae praefuerant.

Negauit ſe iudices e lege Rupilia ſortiturum] Nolle ſe dixit iudices ſortiri, ſed facturum id, quod fecit. dedit enim, quos voluit.

Quos commodum ipſi fuit] Quos ei libuit.

Imperatoris populi Romani] P. Rupilii. infra c. 49. *Qui habet imperium a populo Romano, auctoritatem legum dandarum a ſenatu.*

Senatus conſultum intercederet] Non eſt, impediret, ſed, in re eſſet: vt ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 2. *De his rebus pridie, quam haec ſcripſi, ſenatus auctoritas grauiſſima intercеſſerat: cui cum Cato, et Caninius interceſſiſſent, tamen eſt perſcripta.* Et ad Senatum lib. XV. epiſt. 2. *Cum veſtra auctoritas interceſſiſſet, vt ego regem Ariobarzanem, Euſeben et Philoromaeum tuerer.* Intercedit igitur ſenatus, cum ſignificationem dat ſuae voluntatis.

CAPVT XVII.

Ante horam decimam] Ex horis duodecim ſinguli dies conſtabant, longioribus aeſtiui, breuioribus hiemales. noctium ſimilis ratio. duodenae ſingularum horae, breuiores aeſtiuarum, longiores hiemalium. Gellius lib. III. c. 2. et alii.

Quae, malum, iſta fuit amentia] Apoſtrophe ad reum poſt narrationem, nota exemplis.

Ciuitatis] Syracuſanae. induxit enim Verres, vt palaeſtritae hereditatem illam, tamquam palaeſtrae commiſſam, peterent. Infra c. 19. *Praedare in bonis alienis, nomine ciuitatis.*

CAPVT XVIII.

Ab lege receſſiſſe] Non ſortitum eſſe iudices ex lege Rupilia.

Quos (Ern. *quo*) *poſtularat*] Vt tu fortaſſe finges. nam, ſi poſtulauit, cur adeſſe noluit?

Illo foro] Syracuſano, cui quaeſtor vnus praeerat, alter Lilybaetano.

Dicunt] Quod falſum eſt.

Communem] Inter eos, et ceteros Siculos. nam de omnibus praedatus erat Verres.

Litium] Quae, damnato Verre, aeſtimabuntur.

CAPVT XIX.

Turpis Syracuſanis] Quorum nomine praedatus eſt Verres.

Dominata eſt] Emit quae voluit, et quanti voluit, nemine contra licitante.

CCL millia] Scutatorum ſeptem millia, quingentos.

CAPVT XX.

Pecuniam datam] Cohorti ſuae.

Neque

Neque enim probaret] Quia non alienis, ſed ſuis pecuniam illam a Syracuſanis dari iuſſerat.

Proximum] Qui aſſiduus apud eum erat. hoc opponitur ad, *procul.*

Paene alterum filium] Generum, de quo infra.

Peccatis et criminibus] Grauiora ſunt crimina, quam peccata.

Per pſeudotyron] Aperte domo Verris exierunt, occulte in eandem domum, quaſi per auerſas fores, reuerterunt.

CAPVT XXI.

Alius locus] Lib. IV. de ſignis.

Marcellea] Dies feſtus, ad honorem M. Marcelli a Syracuſanis inſtitutus.

Familiae] Plures enim familiae ex vno Claudio genere, Marcellorum, Pulchrorum, Neronum: vt ex Cornelio, Scipiones, Sullae, Cinnae, Dolabellae, alii: ex Aemilio, Mamercinus, Barbula, Paullus, Lepidus, Papus, Scaurus, alii.

Mucia] Feſtum diem Q. Mucii Scaeuolae, qui Aſiae, ſumma innocentiae laude, praefuerat.

CAPVT XXII.

Vnctior] Maiore lucro. Iocatur: quia palaeſtritae vngebantur.

Cuidam] A quo deinde ad Verrem ipſum peruenirent.

Numerari] A palaeſtritis, maiorem praedam ex hereditate exſpectantibus.

CAPVT XXIII.

Syracuſanam] Malitiam, qua vſus erat in reddenda Syracuſanis pecunia, quae data erat eius iuſſu, quibus ipſe voluerat, ſicuti data erant Volcatio ex Bidini Epicratis bonis H-S LXXX millia, quae Volcatium Bidinis iuſſit reddere, vt a ſe ipſo infamiam auerteret.

Inſtitueras] Decreueras: vt ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 1. *Quod inſtituit referre de religione, et ſaepe iam retulit, ab eo deduci non poteſt.*

Qui perperam iudicaſſent] Verris edictum ſignificat, de quo ſupra c. 13. *Si qui perperam iudicaſſet, ſe cogniturum: cum cognoſſet, animaduerſurum.* Et ibidem, proxime: *Si quid perperam iudicarit ſenatus.*

Ob tuum decretum, ob tuum iudicium] Vt ſecundum eos decerneres, et iudicares.

Dandam] Dederunt Bidini, accepit Volcatius.

Idem] Qui tuo iuſſu in conuentu maximo furtum reddere coactus erat.

CAPVT XXIV.

Libero] Vel ſi ingenuus non eſſet. hominum enim tria genera, ſerui, liberi, ingenui.

Tecum colluſiſſet] Ei tecum conueniſſet de reddenda pecunia, vt infamia te cum ignominia ſua liberaret.

A quibus] Non, *a quibus comperit*, ſed, *a quibus decretum ſuum pecunia tentatum comperit.*

Appellatus omnino non erat] Quia ſtatim, re cognita, fugit: cum Heraclio praeſenti ſcripta dica eſſet.

Procu-

Procuratores] Abſentis Epicratis.

Ad leges ſuas] Vt Bidinus cum Bidinis aequo iure diſceptaret. alioqui recuſabant.

CAPVT XXV.

Per ſimulationem] Volcatii nomine.

Ab iſto exierant] Nam, etſi Volcatius reddidit, ab iſto tamen exierunt.

Quindecies] Scutatorum quadraginta quinque millia.

An ad extremum ita perducta eſt] Vtrum arte et malitia vſus eſt Verres in re ab ipſo initio ducenda, an vero non ab initio arte vſus eſt, ſed ad extremum ita rem perduxit? Dubitat: vt videatur vtrumque credere, improbe et callide rem cum ab initio ductam, tum ad extremum eſſe perductam, lucri ſcilicet maioris gratia. Probatur hic ſenſus ea ratione, quae ſequitur, quia nec ita parua pecunia ſit, nec is homo Verres, vt haec ab eo gratis eſſe facta videantur.

CAPVT XXVI.

Reſtitui iuſſerat] In ſua bona, decreto ſenatus Syracuſani. infra c. 57. *Heraclio Syracuſano tuos illos palaeſtritas bona reſtituere iuſſit.*

Non reſtituebatur] Non eſſe ſtatim in ſua bona reſtitutum Heraclium, verba illa, quae ſubiunguntur, ſatis oſtendunt, Epicrates quidem continuo reſtitutus eſt. itaque non video, cur pro, *non*, alii reponendum putauerint, *vi:* quod ſententiae, niſi fallor, aduerſatur.

Ductus (Ern. *eductus*)] In vincula. quod ita interpretor ex huius verbi conſuetudine. nam ſupra c. 12. eſt: *Si petit, ducas. C. Fuſicium duci iuſſit petitorem.*

Reſtituta ſunt] In integrum, contra quam Verres decreuerat.

Non alienus a litteris] Ergo litteratus. ſed iocus eſt ex ambiguo: nam tabellarii litteras ferunt.

Quod ego niſi] *Quod*, pro, *ſed*, vt lib. I. c. 40. *Quod vos oblitos eſſe non arbitror, quae multitudo, qui ordo ad Piſonis ſellam iſto praetore ſolitus ſit conuenire.* Et lib. IV. c. 66. *Quod vbi intellexi, multum apud illum recentes nuncios, multum tabulas non commendaticias, ſed tributarias valuiſſe.*

Glabrionis litteris] Qui ſcripſerat, vt teſtimonia denunciare, et euocare Romam, quos vellem, mihi liceret.

CAPVT XXVII.

C millia] Scutatorum tria millia.

Compromiſſis] Pecunia ſoluenda, niſi iudicis arbitrio ſtaretur.

CCC] *Millia*, ſubaudi. quod erat triplum eius pecuniae, quae per calumniam ab Heraclio petita erat.

Iudicaſſet] Ex lege Rupilia. ſupra c. 13. *Quod ciuis cum ciue agat, domi certet ſuis legibus.*

In illo homine] In illo iudice.

Nomine iudiciorum] Quia, metu iudicibus iniecto, nulla res, niſi ad nutum iſtius, iudicabatur.

CAPVT XXIX.

Operam dare] Curare iudicium illud, cui praeeſſet.

Dic, inquit] Age cauſſam Sopatri.

Nam hercule] Affirmantis eſt, *nam*, non, vt alibi, probantis. ſic lib. I. c. 51. *Nam mehercule, inquit, ſic agamus.*

CAPVT XXX.

Praeter Siculos] Qui metu Verris diſcedere non ſunt auſi. ceteri Sopatri amici, atque advocati, Romani videntur fuiſſe.

Age, dic, inquit] Sopatrum appellat. nam patronus eius Minucius diſceſſerat.

Cum conſilio] Cum toto conſilio. nam Romani iudices, homines honeſti e conuentu Syracuſano, cum Petillio omnes abierant, praeter eos, quos de ſua cohorte Verres dederat, ſcribam, medicum, haruſpicem.

Vnus et alter breuiter] Non multi dicunt, ſed vnus, et alter: neque multis verbis, ſed breuiter: neque de more interrogati, ſed ipſi ſua ſponte, tamquam corrupti.

Dixiſſe] Peroratam eſſe cauſſam.

De ſella exſiluit] Vt cum ſua cohorte Sopatrum condemnaret.

CAPVT XXXI.

Niſi Februario menſe] Cum ſententias nec de bello, nec de pace dici neceſſe eſt. legationes enim audiuntur. itaque tantum eo menſe homo luxuria, deſidiaque perditus in ſenatum veniet.

Cretenſibus] Male animatis erga populum Romanum, vtpote qui Mithridatem quoque, cum Romanis bellum gerentem, iuviſſent. cum his bellum geſſit, victisque triumphauit, et Cretici cognomen accepit, Q. Metellus, qui hoc anno conſul erat deſignatus.

Liberet Byzantios] Vt ſuis legibus vtantur, vectigalesque populo Romano non ſint. hos poſtea P. Clodius tribunus plebis Piſone et Gabinio coſſ. lege ſua liberauit. in orat. de prouinciis conſ. c. 4. *Te imperatore infeliciſſimo et taeterrimo, Caeſonine Caluenti, ciuitas libera, et proximis ſuis beneficiis a ſenatu, et a populo Romano liberata, ſic ſpoliata atque nudata eſt, vt, niſi C. Virgilius, legatus, vir fortis et innocens, interueniſſet, vnum ſignum Byzantii ex maximo numero nullum haberent.*

Regem appellet Ptolemaeum] Alexandrinum: erat enim et Cyprius rex alter Ptolemaeus, huius frater. Videtur hic eſſe Ptolemaeus ille, de quo Suetonius in Caeſare c. 11. his verbis: *Conciliato populi fauore, tentavit per partem tribunorum, vt ſibi Aegyptus prouincia plebiſcito daretur, nactus extraordinarii imperii occaſionem, quod Alexandrini regem ſuum, ſocium atque amicum a ſenatu appellatum, expulerant.* Hic igitur Ptolemaeus, qui, Cicerone aedile deſignato, nondum a ſenatu rex appellatus erat, honorem ſocietatis et amicitiae populi Romani ante Caeſarem aedilem obtinuit, auctore Suetonio. Cum Ptolemaeo autem patre Cleopatrae non ante Caeſarem aedilem, ſed poſt aliquot annos, ipſo conſule, ſocie-

ſocietas facta eſt: vt lib. III. de bell. ciu. c. 107. ipſe ſcripſit.

Neceſſe eſt] Cum ſenator ſit.

Qui imperium iudiciorum tenere vult] Hortenſium deſignat: cuius voluntatem ita ſequetur iudex Verres, vt in ſenatu. dictum eſt enim: *Quae vult Hortenſius, omnia dicat et ſentiat.*

Iſtum ordinem] Senatorium.

De ſe homines, ſi qui extra iſtum ordinem ſunt] Hoc ſignificat. Populus Romanus permittit vobis, vt iudicem Verrem ſenatorem habeatis, ſi quis ex vobis in iudicium vocabitur: ſed, ſi quis de populo, qui ſenator non ſit, reus fiet; is certe, cum tres tantum iudices ex lege Cornelia liceat reiicere, in iis ipſis tribus maxime Verrem, vt crudelem, vt ſceleratum, vt nefarium, reiiciet.

Amplius, quam trium iudicum] In eo ſenatorum exiſtimationi Sulla conſuluit. bene enim de illo ordine ſentire viſus eſt, cum tres tantum reiiciundi poteſtatem fecit. nam, ſi permiſiſſet, vt reiici plures poſſent, multos reperiri ſenatores improbos iudicare viſus eſſet.

Praeclarae leges Corneliae] *Praeclarae* primum, quia iudicia nobis tradiderunt: (gratiam iudicum aucupatur) deinde, quia non amplius, quam trium iudicum, reiiciundi poteſtatem fecit.

Tam crudelem, tam ſceleratum, tam nefarium] Mira vis oratoris. cum ait, *crudelem*, vitium Verris vnum notat: cum, *ſceleratum*, multa: ſcelus enim late patet, et in multis criminibus eſt: cum *nefarium*, ita turpia, vt accedere nihil poſſit. *Nefarius* eſt enim, de quo ne fari quidem licet. Quibus in omnibus mediocritatem excludit, addita particula, *tam*.

CAPVT XXXII.

Etenim ſi illud eſt tam (*tam* abeſt ab Ern.) *flagitioſum*] Hoc ornamenti genere, quod mire valet ad exaggerandum, nusquam copioſius, quam in ea pro Quintio c. 31. vſus eſt. *Miſerum eſt,* inquit, *exturbari fortunis omnibus: miſerius eſt, iniuria. acerbum eſt, ab aliquo circumueniri: acerbius, a propinquo. calamitoſum eſt, bonis euerti: calamitoſius, cum dedecore. funeſtum eſt, a forti atque honeſto viro iugulari: funeſtius, ab eo, cuius vox praeconio quaeſtu proſtitit. indignum eſt, a pari vinci, aut ſuperiore: indignius, ab inferiore, atque humiliore. luctuoſum eſt, tradi alteri cum bonis: luctuoſius, inimico. horribile eſt, cauſſam capitis dicere: horribilius, priore loco dicere.*

Quem mihi tu Bulbum, quem Stalenum] Qui cum ab Oppianico, vt abſolueretur, pecuniam accepiſſent, eum tamen poſtea condemnarunt. vide pro Cluentio c. 27. 28.

Honeſtos homines] Petillium, et reliquos de conuentu Syracuſano, qui iudicare debebant.

Condemnet] Sopatrum.

Cera] Vt Hortenſius. vide in Diuin. c. 7.

CAPVT XXXIV.

Antea multis] Similis illa figura lib. V. c. 43. *Homo, quam diu vixit, domi ſuae, poſt mortem tota Sicilia clarus et nobilis.*

Deliacam, et Corinthiam] Vaſa ſignificantur ex aere Deliaco, et Corinthio. Pro Roſcio Amer. c. 46. *Domus referta vaſis Corinthiis, et Deliacis.*

CAPVT XXXV.

Ad inſaniam] Huius verbi vim ſupra c. 14. attigimus in eo loco: *Quibus in rebus iſtius cupiditates, et inſaniam quis ignorat?*

CAPVT XXXVI.

Exit] Cum ſupellectile direpta.

Iam ante migrarat] Cum hoſpitis rem, contra ius hoſpitii, ad ſe transtulit, migrare, et ab eo ſeparatim habitare viſus eſt, quamquam domo non exiret.

Vna nox] Qua cum eius vxore concubuit.

Omnia inter eos eſſe communia] Ne vxore quidem excepta.

Affinem] Vt affinis Agathinus Dorothei, generi ſui, ſic Verris tamquam generi. ſupra.

CAPVT XXXVII.

Sine vllo argumento] Nulla ratione, nulla cauſſa: vt infra c. 47. *Quid tandem habuit argumenti, aut rationis res.*

CAPVT XXXVIII.

Venerios] Seruos ſuos.

Sthenium litteras publicas corrupiſſe videri] Vſitatus loquendi modus, affirmatione remota. lib. IV. ad Attic. epiſt. 16. *Druſus, Scaurus non feciſſe videntur.*

Homo Venerius] Cultor Veneris. ſupra c. 9. *Satisne vobis magnam pecuniam Venerius homo, qui e Chelidonis ſinu in prouinciam profectus eſſet, Veneris nomine quaeſiſſe videtur?*

CAPVT XXXIX.

Aderat in ſenatu Verres, pater iſtius] Qui diuiſor fuerat. nam act. I. c. 8. *Q. Verrem, Romilia, ex optima diuiſorum diſciplina, patris iſtius diſcipulum atque amicum.*

Qui dicendo tempus conſumerent] Licebat enim ſenatori, quam diu vellet, dicere. lib. III. de Leg. c. 18. *Nec eſt vmquam longa oratione vtendum, niſi aut exſpectante ſenatu, quod fit ambitione ſaepiſſime, cum, nullo magiſtratu adiuuante, tolli diem vtile eſt; aut cum tanta cauſſa eſt, vt opus ſit oratoris copia vel ad hortandum, vel ad docendum.*

CAPVT XL.

Fugitiuorum] Reſiduam Spartaci manum ſignificat.

Tua tela] Act. I. c. 2. *Cum multae mihi a C. Verre inſidiae terra marique factae ſint.*

CAPVT XLI.

M. Palicanum] Lolliae gentis, ingenio ad accuſandum propenſo: de quo lib. I. ad Attic. epiſt. 18. *Dignus, qui Palicano, ſicut facit, os ad male audiendum quotidie praebeat.*

CAPVT XLII.

De loco ſuperiore] De tribunali. ad Appium lib. III. Fam. epiſt.

epiſt. 8. *Illud quidem ſcio, meos multos, et illuſtres, et ex ſuperiore, et ex aequo loco ſermones habitos cum tua ſumma laude, et cum magna ſignificatione noſtrae familiaritatis, ad te vere potuiſſe deferri.*

Cn. Lentulum] Marcellinum; de quo in Diuin. c. 4. is enim Siciliae patronus fuit. erat hoc tempore alter Cn. Lentulus cenſor, ſed non Marcellini cognomine: non enim a Marcellis, qui erant omnes Siciliae patroni, originem ducebat.

Vt, quod dico, poſtularetur] Ne abſentium nomina reciperentur.

Coram vbi facit delatum] Sthenium. ſupra c. 41. *Tollit ex tabulis id, quod erat, et facit, coram delatum eſſe.*

Veſtigiis] Lituris.

CAPVT XLIII.

C. Claudius C. F. Palatina] Ex Palatina tribu, non ſplendidus homo, non honeſtus, non idoneus, propter cuius auctoritatem et dignitatem Sthenius ab omnium Siculorum conſuetudine diſcederet, et ciuem Romanum cognitorem daret. nam propter eius ignobilitatem tribus nomen eſt additum. qua de re diximus in ea pro Quintio c. 6.

Contra venit] Iudiciale verbum, cuius exempla nonnulla ſubiiciam. Phil. II. c. 2. *Contra rem ſuam me, neſcio quando, veniſſe, queſtus eſt.* Phil. VIII. c. 6. *Negat ſe illi amicum eſſe debere: cum ſuo magno eſſet beneficio, veniſſe eum contra ſe.* Pro Q. Roſcio c. 6. *Quid tu, Saturi, qui contra hunc venis, exiſtimas aliter?*

Pro Sthenio] Vt Sthenium iuvaret: quod ab inimico non exſpectatur.

In Sthenii periculum (Ern. *periculo*)] Ad Sthenium opprimendum.

Abuſum eſſe] Aſtute, et dolo malo vſum eſſe.

CAPVT XLIV.

Apronio illi] Verris amoribus, et deliciis: vt lib. III. c. 9.

Damnationem Philodami] Damnatus erat a Dolabella.

Opuntii] Hoc addidit, vt hunc Philodamum a Lampſaceno diſtingueret, qui et ipſe damnatus quidem erat a Dolabella, ſed in Aſia, Neronis prouincia: vt lib. I. c. 30.

Non abſens reus factus eſſet] Vt Sthenius.

In grauiſſima cauſſa] Abſens enim damnatus eſt, obiecto falſo crimine, quia litteras publicas corrupiſſet.

CAPVT XLV.

Quem hominem? dii immortales] Amplificatio, vt infra c. 66. *Quanta illuc multitudo, quanta vis hominum conueniſſe dicebatur tum, cum ſtatuae ſunt illius deiectae atque euerſae? at quo loco? celeberrimo ac religioſiſſimo.* Et aliquanto poſt c. 71. *Poſſumne rem magis iudicatam afferre, magis reum condemnatum in iudicium adducere? At quorum iudicio condemnatum? nempe eorum, quos ii, qui ſeueriora iudicia deſiderant, arbitrentur res iudicare oportere.* Lib. III. c. 32. *Videamus, Herbitenſis ciuitas, honeſta, et antea copioſa, quemadmodum ſpoliata ab iſto, ac vexata*

ta ſit. At quorum hominum? ſummorum aratorum, remotiſſimorum a foro. iudiciis, controverſiis. Lib. IV. c. 10. *Mamertina ciuitas, improba antea non erat: etiam erat inimica improborum: quae C. Catonis, illius, qui conſul fuit, impedimenta retinuit. at cuius hominis? clariſſimi, potentiſſimique.* Ad Paetum lib. IX. Fam. epiſt. 20. *Habuiſſes non hoſpitem, ſed contubernalem. At quem virum? non eum, quem tu es ſolitus promulſide conficere.* Terentius in Phorm. act. II. ſc. 3. v. 20.

At quem virum? quem ego viderim in vita optimum.

C. Marii] Septies conſulis.

Cn. Pompeii] Qui tum conſul erat.

C. Marcelli] Qui Siciliae praefuerat, vt ſupra in Diuin. c. 4. dictum eſt, et in cauſſa Verris iudex erat, vt lib. IV. c. 42.

L. Siſennae] Corneliae gentis. nominatur in Bruto c. 64. inter oratores.

Atque eſſet] Remanet enim hoſpitium, ſemel inſtitutum, vel abſentibus hoſpitibus.

De hoſpitio violato] Vſus eſt verbo de ſacris rebus vſurpari ſolito. et hoſpitibus praeeſſe Iupiter, quem propterea *Hoſpitalem* vocarunt, exiſtimabatur. Pro Deiotaro c. 6. *Si palam te interemiſſet; omnium in ſe gentium non ſolum odia, ſed etiam arma convertiſſet: ſi veneno; Iouis illius quidem Hoſpitalis numen numquam celare potuiſſet, homines fortaſſe celauiſſet.* Hic autem paulo ante: *Non dicam amicum tuum, quod apud homines cariſſimum eſt: non hoſpitem, quod ſanctiſſimum eſt.*

Hoc dico] Quid? id quod ſubiungitur: *Eſtne Sthenius is, qui omnes honores domi ſuae faciliime cum adeptus eſſet, ampliſſime ac magnificentiſſime geſſit?* Haec enim ſpectant ad illa ſuperiora, *quem hominem? dii immortales!* Quaſi ſubiunxerit, eum, qui omnes honores domi ſuae, facillime cum adeptus eſſet, ampliſſime, ac magnificentiſſime geſſit?

CAPVT XLVI.

Cn. Pompeium] Cum in Sicilia fuit, Carbonem perſequens, Marianarum partium ducem.

Contra rempublicam] Contra optimates, quorum defenſor Sulla fuit: Pompeius autem pro Sulla contra Marium, eiusque factionem pugnauit.

Inuidioſo] Quod odium parere poſſet ob C. Marii familiaritatem, et hoſpitium.

Eiusmodi] Qualem iudicauit Pompeius, cum eum abſoluit.

A communi Siciliae] Male antea, *a communi Sicilia.* ſic alibi, *commune Miliadum.*

Datae] Vt patrono.

Vt legati laedant] Repetendo quae tu iis abſtuliſti. ſupra c. 5. *Praeclara laudatio, cum in duabus rebus legatorum vna opera conſumitur, in laudando, atque repetendo. Laedant:* accuſent: vt ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Cum me diſputantem, non laceſſentem, laeſiſſet.* Et in epiſt. Trebonii lib. XII. 16. *Etiam ſi odio par fuerit in eos, quos laeſit.*

CAPVT

CAPVT XLVII.

Monumentum] Argenteum Cupidinem, qui Sthenii fuerat.

Argumenti] Cauſſae: vt ſupra c. 37. *Cum Sthenium, ſine vllo argumento, ac ſine teſte, damnaſſet.*

In eo] In Eryce monte.

Sthenianum praemium] Hoc infra explanatur his verbis: *Ex illa ipſa re, quam, accuſante Agathino, geſſerat, Veneri potiſſimum deberi praëmium ſtatuit, quae illam totam accuſationem, iudiciumque conflarat.*

Cupiditatis] Auaritiae.

Hoſpitii] Violati.

Amoris] In Callidamam.

Illius hoſpitae] Callidamae, Agathini filiae, Dorothei vxoris, cuius in domum e Sthenii domo migrauerat.

Qui M. Silanum] Eadem hiſtoria in Diuin. c. 20.

CAPVT XLVIII.

De iudiciis datis] Dixi iam, tum praetores iudicia dediſſe, cum iudices dabant, et formulam iudicandi. ſupra c. 12. *Dubium nemini eſt, quin omnes omnium pecuniae poſitae ſint in eorum poteſtate, qui iudicia dant, et eorum, qui iudicant.*

M. Octauium Ligurem] Hac de re lib. I. c. 48.

CAPVT XLIX.

Ex eo loco] Obſcuri generis.

Qui habet imperium a populo Romano] Vt habuit P. Rupilius, quem ſupra c. 16. vocauit imperatorem populi Romani. lib. I. c. 21. *Seruilius, imperator populi Romani.*

L. Licinio, Q. Mucio] L. Craſſo oratore, Q. Scaeuola iuriſconſulto, pontifice max.

C. Claudius] Cum iis conſulibus praetor fuerit, videtur is eſſe, qui cum Perperna poſt biennium, legitimo interuallo, conſulatum geſſit.

Omnibus Marcellis] Vt Siciliae patronis, et vt eiusdem, cuius ipſe erat, gentis. fuere enim et Claudii Pulchri, et Claudii Marcelli, Pulchri patricii, Marcelli plebeii.

Ne quis minor triginta annis natu] Docet hic locus, quo aetatis anno Romae ſenatores legi poſſent. cum enim Haleſini de ſenatu cooptando leges ab ſenatu Romano petiuerint: non eſt dubitandum, quin eae leges imaginem quandam Romani ſenatus expreſſerint. itaque cum Pompeio, in Africam contra Domitium proſcriptum, et Hiarbam regem proficiſcenti, conſulare imperium cum exercitu, adhuc equiti Romano, datum eſſet, dicente L. Philippo in ſenatu contra neſcio quem, obiicientem, non oportere mitti hominem priuatum pro conſule, non ſe illum ſua ſententia pro conſule, ſed pro conſulibus mittere: laudauit eum Cicero his verbis in ſuaſione Maniliae legis c. 21. *Quid tam praeter conſuetudinem, quam homini peradoleſcenti, cuius a ſenatorio gradu aetas longe abeſſet, imperium atque exercitum dari?*

De quaeſtu, quem qui feciſſet, ne legeretur] Quaeſtum ſenatori Romae vetitum fuiſſe, aut certe non honeſtum, dubitare non poterit, qui locum illum viderit in Parad. VI. c. 1. *Propter auiditatem pecuniae nullum quaeſtum turpem putas, cum iſti ordini ne*

ne honeſtus quidem poſſit eſſe vllus.

De cenſu] Ne legeretur, qui DCCC millia ſeſtertium, id eſt, ſcutatorum XXIV millia, non poſſideret, qui mos Romae fuit.

CAPVT L.

Eadem illa] Vt in ſenatu cooptando haberetur ratio cenſus, aetatis, quaeſtus, ceterarum rerum, quae in legibus C. Claudii nominarentur.

Quae erant aetatis, ordinis, quaeſtusque] Quae ſeruari oportebat.

Vt his amplius (Ern. *is amplior*) *numerus eſſet*] Pro, *amplior*. *His* autem, veteribus ciuibus.

Ne commercium quidem] Qui ne ſenator quidem, in pari veterum, nouorumque numero, poſſet eſſe.

CAPVT LI.

Fas denique negant eſſe] Iniuſtum, ac nefarium eſſe dicunt.

CAPVT LII.

Cephaledii] Paruum Siciliae oppidum Cephaledium.

Ἐ'ξαιρεσίμους] Exemtos.

Inter binos ludos] Non a ludis votiuis, ſed a Romanis ad Victoriae. dies enim inter hos XLV numerantur.

Per quos ſolos] Nam ſuperiores actione accuſatoris, quae nonis Sext. incipiebat, et ludis votiuis, ac Romanis occupabantur; poſteriores ludis Victoriae plebeiis, feſtis diebus.

CAPVT LIII.

Aeſtimationis habendae] De cuiusque bonis.

Summaeque faciundae] Quantum quisque conferre debeat tributi nomine.

Vt ſtudia cupiditatesque honorum] Primis verbis ironia cognoſcitur, quia laudare Verrem videtur: poſtremis auaritia indicatur, quaſi mercatu indicto, quo cenſura omnium ciuitatum emeretur.

Quae res euertendae reipublicae cauſſae (*cauſſae* abeſt ab Ern.) *ſolent eſſe*] Quaſi concordiae ciuium ſtuderet Verres: cui nihil minus cordi eſſet.

Suisque acceſſionibus] Cum ad vnumquemque accederet, honorisque pretium, quem Verres daturus eſſet, poſtularet.

Huius negotii atque operis moleſtiam conſequebatur] Non conſequebatur ipſe moleſtiam: nec ſane videtur, *moleſtiam conſequi*, Latinum eſſe: ſed ſua moleſtia conſequebatur, vt ad Verrem, nulla ſollicitudine, ſumma pecunia referretur. ideo contra veteres libros, *moleſtia*, reponere ſum auſus.

CAPVT LIV.

Quid hominis ſit] Magis eum contemnit, quam ſi diceret, *quis homo ſit*.

Eo praeſertim numero ac loco] Inter valde familiares, et eos, quorum fidei omnia committeret.

Negotii] Moleſtiae, apud Verrem. habebat enim accuſatores omnes, atque adeo praetorem ipſum in ſua poteſtate.

Athenio-

Athenionem] Ducem fugitiuorum.

Fugitiuum] Athenioni conditione ſimilem. vterque enim ſeruierat.

CAPVT LV.

Denarii CCC] Scutati XXXVI.

Extenuarant] Cenſores a Verre creati.

CAPVT LVI.

Metuerit (Ern. *metueret*)] Rectius puto, *metueret*.

Graue] Magni ponderis, cum tua ſingulari contumelia.

Amicus recens] Poſt Laetilii aduentum: cum antea Verri multis in rebus aduerſatus eſſet.

Si prouinciam retinere, ſi ſaluus ipſe in prouincia vellet eſſe] Excuſare videtur Metellum, ſed accuſat: quod ita ſit mutatus, quaſi ei ſumma vis adhibita eſſet. dicuntur enim haec per ironiam.

CAPVT LVII.

A. Claudium] Vide lib. IV. c. 17.

H-S CXX millia] Scutatorum tria millia, ſexcenti. *Pergrandem pecuniae ſummam* vocavit: at haec pergrandis certe non eſt. malim, *CCC millia*.

CAPVT LVIII.

Legitimum illud quinquennium] Spatium conferendae in ſtatuas pecuniae lege praeſcriptum.

H-S CCC millia] Aut hic reponendum, CXX, vt ſupra: aut vbique, CCC: quod magis probo.

Niſi forte id agimus] Quod certe non agimus. Dixi iam, hoc loquendi genus ad negandum pertinere.

Morem (Ern. *moram*) *accipiendi*] Sic lego; et, *auferre*, probo, non, vt aliis placet, *afferre*. Si abſoluitis, inquit, Verrem, quod adſcripſerit, eam pecuniam ſibi datam ſtatuarum nomine: non auferetis magiſtratibus noſtris morem accipiendi, qui auferri omnino debet, ſed ſociis cauſſam dandi. intelligent enim, Verre abſoluto, pecuniam nemini eſſe dandam ſtatuarum nomine. ita ſociis, ne pecuniam ſtatuarum nomine dent, praeſcribere videbimur: magiſtratibus autem noſtris morem accipiendi, ſi ſocii dederint, non auferemus. ſocii vero ne dent, qui fieri poterit, imperante magiſtratu?

CAPVT LIX.

Audio] Recte.

Non oderant] Blandum, et qui Syracuſanorum gratiam aetatis flore colligeret. quo pertinet illud act. I. c. 9. *Curſare iſte, homo potens, cum filio blando et gratioſo, circum tribus.*

Abſtuliſti] Non obtinuiſti, ſed abſtuliſti, pro imperio ſcilicet. ſequuntur duo ſimilia verba, *coegiſti, imperaſti.*

In commune Siciliae] In eas ſtatuas, quas Verri prouincia Sicilia communi nomine decreverat.

Huic cupiditati] Statuarum.

Si quis] In iudicando.

CAPVT LX.

Non nouo modo poſtulantur] At de ſtatuis nouo modo poſtulatur,

tur, non, vt ne cogantur ſtatuere, ſed, vt ipſis ne liceat. infra.

Tuos ternos denarios] Quos tu pro ſingulis tritici modiis exegiſti: cum tamen binis tantum ſeſtertiis modius eſſet. Vide in Diuin. c. 10. et lib. III. c. 85.

Ridiculum] Cum minime ſit.

Petis a me] Ex perſona ſenatus ad Siculum poſtulantem.

Quod in tua poteſtate eſt] Statuas pollicearis, necne: ſi modo ex tua voluntate, non praetoris iuſſu, polliceris.

Ne quis] Ne magiſtratus.

Nihil ergo, inquit] Hoc nihil eſt, inquit Siculus.

CAPVT LXI.

Hominibus ingenioſis] Ironia. infirmam enim defenſionem excogitant.

Vehementior] Quaſi reipublicae cauſſa, non ſua.

CAPVT LXII.

Vtar eo, quod datur] Paullo ante c. 61. *Quod mihi abs te datur, id accipio.*

CAPVT LXIII.

Eum non ſolum patronum iſtius inſulae, ſed etiam Sotera inſcriptum vidi Syracuſis. Hoc quantum eſt? ita magnum, vt Latino vno verbo exprimi non poſſit. Is eſt nimirum Soter, qui ſalutem dedit] *Soter*; Graecum nomen eſſe, et eum ſignificare, qui ſalutem dedit, ipſo conſtat interprete Cicerone. quo patet communis error eorum, qui Ieſum Chriſtum, cuius immortalia merita nullo ſatis vno verbo exprimi Latine queunt, *ſeruatorem* appellant. aliud enim eſt *ſeruare:* aliud, *ſalutem dare. ſeruat* is, qui, ne ſalus amittatur, aliqua ratione praeſtat: *ſalutem dat*, qui amiſſam reſtituit. quod ſi ſeruator non eſt *Soter*, quia minus valet; ſaluator autem, vt inuſitatum, Cicero vitauit; maluitque dicere, *qui ſalutem dedit:* nimirum, de eo ſi loquimur, qui afflictum genus humanum non in eodem ſtatu ſeruauit, ſed a ſempiterno interitu ad perpetuae vitae bona perduxit; quod ſummi Dei filius et fecit, et facere ſolus potuit; neceſſe eſt, vel *ſaluatorem* appellare, quod σωτὴρ Graece dicitur, vſurpato in re noua nouo verbo, quod veteres quoque probarunt; vel, Ciceronis exemplo, vti circumſcriptione, et dicere, *is, qui ſalutem dedit.* quamquam circumſcriptio, vt interdum non commoda ſolum, verum etiam neceſſaria videtur, ſic, iterata ſaepius, et dignitatem amittit, et ſatietatem parit. Addam quaſi πάρεργον, σωτὴρ, et σωτῆρα, potius quam, *Soter*, et *Sotera*, mihi ſcribendum videri: cum loquatur Cicero de Siculis, quos Graeco ſermone vſos eſſe conſtat: vnde illud lib. V. c. 57. *Siculorum verbum*, ἐδημώτησαν. vel putandum eſt, inſcriptionem illam Latinam fuiſſe, non Graecam: vt ex eo licet coniicere, quia patronum Siciliae dicit appellatum.

A communi Sicilia (Ern. *Siciliae*) *datae*] Malim, *a communi Siciliae:* quo modo paullo ante c. 59. locutus eſt: *Vt iidem pro parte*

parte in commune Siciliae conferrent.

CAPVT LXIV.

Quid te futurum eſt] Pro, *de te:* vt lib. I. c. 16. *Quid hoc homine faciatis?*

A praetore] L. Metello, ſucceſſore Verris.

A quattuor quaeſtoribus] Duobus Verris, qui poſt eum in Sicilia remanſerunt, et duobus Metelli. ſupra c. 4.

CAPVT LXV.

Apud eos cum eſſem] Apud Rhodios.

CAPVT LXVI.

Leontini (Ern. *Leontinis*)] Lib. III. c. 15. *Cum ex Leontino vsque Lilybaeum aliquem vadaretur.*

Miſera] Refertur ad inopiam: vt appareat, quam ſtatuam deiecerunt, eam ſtatuiſſe a Verre coactos.

At quo loco? celeberrimo ac religioſiſſimo] Figura ad amplificandum idonea: quale illud ſupra c. 45. *Quem hominem? dii immortales! Celeberrimo:* quo notior Verris infamia. *Religioſiſſimo:* vbi deiiciendae, niſi maximam ob cauſſam, ſtatuae non viderentur.

CAPVT LXVII.

Decem primos] Erat magiſtratus, quem ad ſe Metellus euocauit: erant ſenatores, quorum triginta, dum ſtatuas quaeſtores demolirentur, ſenatus decreto affuerunt: erant decem primi, quorum in ſenatu ſummus honor eſſet.

CAPVT LXVIII.

Vobis poſſem iacentes oſtendere] Cum illae eſſent in Sicilia, vos autem Romae.

CAPVT LXIX.

Togatorum] Ciuium Romanorum.

Multa feci] Contra Siculos Verris defenſio. ſed hanc illi defenſionem eripit Cicero, ſubiungens: *At hi quidem acerrimi, inimiciſſimique ſunt.*

Cauſſam, cur te oderint] Omnino delendum arbitror, *te:* deſinit enim ipſum Verrem alloqui, et ſermonem conuertit ad iudices, concludens, eum quoque odio illis eſſe oportere.

Iſtam orationem] Qua contemni a te Siculi debeant: qua Siculos poſſis contemnere.

Non ſolum diligitur, ſed etiam ornatur] Ironia.

Tua ſapientia] Improba calliditate: vt infra c. 71.

CAPVT LXX.

In ſcriptura Siciliae] Totam publicanorum rationem *ſcripturam* vocari, dixit Aſconius in Diuin. c. 10.

Pro magiſtro] Societati publicanorum qui praeerat, *magiſter;* qui magiſtri vicarius erat, *pro magiſtro* vocabatur. eum, Cicero, *dare operas in ſcriptura,* dixit ad Silium lib. XIII. Fam. epiſt.

epiſt. 65. Et in Parad. VI. c. 2. *Vt iis, qui honeſte rem quaerunt mercaturis faciendis, operis dandis, publicis ſumendis, intelligimus opus eſſe quaeſito: ſic, qui videt* etc.

Circum omnia fora] Vbi cum aratoribus litigare opus eſſet.

Scribae iſtius] Quem annulo aureo in concione a Verre donatum, et iam dixit, et dicet etiam pluribus verbis lib. III. c. 80.

Portum autem, et ſcripturas (Ern. *ſcripturam*)] Videtur ſignificare, portum ſcriptura caruiſſe, ſcripturam vero vnam fuiſſe in frumento exigendo, in qua Carpinatius operas dedit, alteram in paſcuis. Eadem, inquit, ſocietas et portum, et ſcripturas habebat, id eſt, omnibus praeerat vectigalibus. Quamquam in oratione pro lege Manilia c. 6. vnam tantum ſcripturam Cicero facit, eamque in paſcuis ponit. *Cum hoſtium,* inquit, *copiae non longe abſunt, etiam ſi irruptio facta nulla ſit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deſeritur, mercatorum nauigatio conquieſcit. ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex ſcriptura vectigal conſeruari poteſt.* Auget difficultatem Aſconius; qui, a Cicerone, vt videtur, diſſentiens, rationem omnem publicanorum, quod paullo ante diximus, *ſcripturam* ait vocari.

Socii] Societas publicanorum.

CAPVT LXXI.

Operasque Carpinatii] Quas dabat in ſcriptura, ſocietatis negotium diligenter curans.

Nempe eorum] Equitum Romanorum, quorum ex ordine publicani erant.

Res iudicare] Lego, et legi, ac repoſui ante multos annos, *res iudicare:* cum in peruulgatis libris eſſet, *reos iudicare.* mendum peperit Latini ſermonis ignoratio. dicebant enim veteres, *res iudicare*, pro iudicare: vt in hoc ipſo libro c. 31. *Vt ſit, qui nobiscum res iudicet.* Quo de genere loquendi ſupra act. I. c. 10. diximus.

Noſtri generis] Equeſtri familia nati, vt Cicero ipſe natus erat.

Sed nobiliſſimo] Vt appareat, eum re ipſa commotum, non vlla generis coniunctione, legem promulgaſſe de iudiciis communicandis. fuit autem is L. Aurelius Cotta praetor. lib. III. c. 96. *Quid poſſumus contra illum praetorem dicere, qui quotidie templum tenet, qui rempublicam ſtare negat poſſe, ni ad equeſtrem ordinem iudicia referantur?*

Splendore] Proprie *ſplendor* equitibus, *dignitas* ſenatoribus tribuitur.

Nititur] Adiuuat promulgatam legem ſplendor eorum. nemo eſt enim, quin tales viros honore iudicandi in primis dignos eſſe cenſeat.

Condemnari voluerunt (Ern. *noluerunt*)] Refertur ad illud, *poſſumne rem magis iudicatam afferre, magis reum condemnatum in iudicium adducere? at quorum iudicio condemnatum?* Dicit enim hoc: iudicarunt, niſi litteras eas de medio remouiſſent, fore, vt earum cauſſa condemna-

demnareris. ipſi igitur te ſuo iudicio condemnari voluerunt. At voluntas alia fuit. Vide, quid te voluntas adiuuet. deinde ſtudet probare, obeſſe ei potius, quam prodeſſe, equitum illam voluntatem, cum litteras removerunt: cum hoc dicat, remotis litteris, plus et licere ſibi dicere, et iudici ſuſpicari, quam licuiſſet.

CAPVT LXXII.

Sociorum voluntas] Qui litteras ideo remouerunt, quia te ſalvum vellent.

Plurimam ſtragulam] Cum ſtragulam a Melitenſi diſtinguat, Melitenſis non videtur ſtragula fuiſſe.

Deliacam] Aeris Deliaci primam nobilitatem poſt Corinthiam fuiſſe, iam dixi.

Supellectilem] Ex aere. ſupra c. 34. *Supellectilem ex aere elegantiorem, et Deliacam, et Corinthiam.*

Non fuiſſe] In iis litteris.

Veſtro conſilio] Verris enim conſilium fuit de litteris removendis. ſupra: *At vide, quid te amicorum tuorum ſtudium, quid tuum conſilium, quid ſociorum voluntas adiuuet.*

Gratia] Qua impetraſtis a decumanis, vt litterae illae de medio remouerentur.

Summa facultas ad accuſandum] Tantum enim mihi licet dicere, quantum poſſum.

Libera poteſtas ad credendum] Ex iis, quae dixero. ſupra: *Tantum iudici ſuſpicari, quantum velit.*

CAPVT LXXIII.

Mecum fingam (Ern. *in te confingam*)] Ex me ipſo.

Decretumne ſit] A decumanis, vt litterae remouerentur.

Intelligetis] Cur litterae remotae ſint.

Vlla vi, aut ratione] Cogere vos neque vis vlla, neque ratio poteſt, vt eum abſoluatis.

Aſſequi] Cum patiendi ſignificatione, vt *adipiſcitur*, apud Plautum in Trin. act. II. ſc. 2. v. 88.

Non aetate, verum ingenio adipiſcitur ſapientia.

CAPVT LXXIV.

Erant haec ex eo genere, quod ego maxime genus] Tale illud in Diuin. c. 1. *Si quod tempus accidiſſet, quo tempore aliquid a me requirerent, commodis eorum me non defuturum.*

Tricliniorum] In quibus lecti, vbi accumberetur, ponebantur.

Iſtorum] Qui nunc tibi ſuffragantur.

CAPVT LXXV.

Quantam pecuniam] Sociis ereptam.

Confecerit] Conſumſerit.

H-S LX] Subaudi, *millia.* ſcutati mille octingenti.

H-S duodecies] Duodecies centena millia. ſcutatorum XXXVI millia. quorum viceſima, ſi ratio ſubducitur, ipſa eſt, quam Cicero poſuit, H-S LX millia.

Mamer-

Mamertinos] Meſſanenſes ipſos dicit. nam, cum Mamertini, natio Campana, Meſſanam habitatum profecti eſſent: Meſſanae vrbis nomen manſit, Mamertini tamen ciues, et Mamertina ciuitas dicta eſt. propterea cum agit Cicero de oneraria naui, quam Mamertini ad exportanda Verris furta aedificarunt, ait eam Meſſanae aedificatam.

CAPVT LXXVI.

Verſuram a Carpinatio feciſſe] Sumſiſſe pecuniam a Carpinatio. *verſuram* enim *facit*, qui creditorem mutat, id eſt, qui pecuniam ab alio ſumtam ad alium conuertit. pro Fonteio c. 1. *A quibus verſuras tantarum pecuniarum factas eſſe dicunt.*

Conſulibus] Anno ipſo.

Menſibus] Quo clarius res patet.

A C. Verrutio] A C. Verre Carpinatius acceperat eam pecuniam, vt in fenore collocaret: poſtea, ne res ea Verri fraudi eſſe poſſet, corrupit nomen, et fecit, *a C. Verrutio.*

CAPVT LXXVII.

Seruus ſocietatis] Is, qui ſocietati operas dabat, qui tabulas ſcribebat. Carpinatium ſignificat. is enim tabulas illas confecerat. ſupra c. 76. *Inſpiciebamus Syracuſis a Carpinatio confectas tabulas ſocietatis.*

Certo ex loco] Poſt alterum *r.*

Mendoſus eſſet] Mendum committeret, mendoſe ſcriberet.

Non quo illum cogi putarem oportere] Cum res ipſa pateret ſatis.

Iſtius furta] Qui tantam pecuniam, inique a ſociis expreſſam, feneraretur.

Illius] Carpinatii, qui acceptam a Verre pecuniam fenori dediſſet, poſteaque Verrem in Verrutium, deprauatis tabulis, conuertiſſet.

Vtriusque audacia] Verris in danda, Carpinatii in accipienda pecunia: cum et ille daret, et hic acciperet, vt feneraretur.

Iniuriae (Ern. *in iure*) *metu*] *Iniuriae*, quam feciſſet: delicti ſui metu.

De conuentu] Ciuium Romanorum.

Paene gentilem] Eſt enim nominum ſimilitudo.

Ex ipſa ratione] Quam habuit cum Carpinatio.

Ipſa cubilia] Vbi iaceat. nam ex veſtigiis coniicimus: in cubilibus autem, quod quaerebamus, inuenimus. Translatio a venatoribus.

CAPVT LXXVIII.

In manifeſto peccato (Ern. *peccatu*)] Valerius Probus apud Gellium lib. XIII. c. 19. et hic, *peccatu*, non *peccato*, et lib. V. c. 66. *fretu*, non *freto*, legit, ex antiquiſſimo libro, quem Ciceronis libertus Tiro ſua manu ſcripſerat.

Magis vir inter mulieres nequam, (*nequam* abeſt ab Ern.) *impura inter viros muliercula*] Obiicit eadem Clodio in ea pro domo c. 54. *Qui contra fas,* inquit, *inter viros ſaepe mulier, et inter mulieres vir fuiſſet.* Vtrumque vitium, auctore Suetonio in Caeſare c. 52. Curio pater obiiciebat C. Caeſari, appellans eum

eum *omnium mulierum virum, et omnium virorum mulierem.*

In alterius impudentia] Qui impudenter peteret, vt defenderetur, cum eſſet nocentiſſimus: vt petiit Verres ab Hortenſio.

Sui pudoris exiſtimationem amitterent] Quod fecit Hortenſius, in ſuſcipienda Verris defenſione.

Liberi] Nihil praeter ingenium et fidem afferentes, non muneribus capti, aut beneficiis adducti.

Neque committebant, vt, ſi impudentes] Non committebant id, quod commiſit Hortenſius: qui ſi defendit Verrem, impudens eſt: ſi deſerit, cum ab eo beneficia multa acceperit, ingratus exiſtimabitur. illi eas cauſſas recipiebant, quas cum defenderent, impudentes non habebantur: (erant enim iuſtae) aut, ſi quas non recipiebant, quod impudentes in defendendo eſſe nollent, non ideo tamen ingrati putabantur: quia beneficia, aut munera non acceperant, vt accepit Hortenſius a Verre. Ad hanc ſententiam pertinet illud lib. X. ad Attic. epiſt. 7. *Beneficio vinctus, ingratus eſſe non poſſum.*

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ACTIONIS II.
IN
C. VERREM
LIBRVM III.
QVI
DE FRVMENTO
INSCRIBITVR

EXPLANATIO

CAPVT I.

Nullis impulſi inimicitiis, nulla priuatim laeſi iniuria, nullo praemio adducti] Se ipſum deſcribit.

Quid oneris in praeſentia tollant] Onus enim accuſandi graviſſimum eſt: cum in accuſatore multa requirantur: vt in Diuin. c. 9.

Virtutumque omnium] Quibus contraria vitia in eo, qui reus eſt, accuſantur.

Ab religione officii declinarit] Officium, quod religioſe colendum eſt, violauerit.

Ac praeſtat] Qui re ipſa talem ſe praebet, qualem ſe fore, cum alterum accuſaret, profeſſus eſt.

Communi voluntate virtutis atque officii] Eo ſtudio virtutis, atque officii, quod commune omnibus eſt.

Magis neceſſaria ratione] Quia ſibi indicit legem innocentiae, continentiae, virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitae repoſcit.

C. Carbonem] Conſularem, virum eloquentiſſimum: qui ſe voluntaria morte a iudicum ſeueritate vindicauit. in Bruto c. 62.

et

et ad Paetum lib. IX. Fam. epiſt. 21.

Fortunaeque] Craſſi nobilitatem ſignificat, quae numeratur inter fortunae bona.

Ineunte aetate] Annos enim natus XIX, Carbonem accuſauit: vt ait Tacitus in dialogo de Orat. c. 34.

Gloriae cauſſa] Minime prouidentes, quantum in omnem vitam negotii ſuscipiant, quibusque ſe innocentiae, continentiae, virtutum omnium legibus adſtringant.

Et quid facere, et quantulum iudicare poſſemus] Quid praeſtare poſſemus vel agendo, vel iudicando. *Facere*, non ad onus accuſandi, ſed ad vniuerſae vitae rationem refero.

CAPVT II.

Verumtamen] Vſitatum verbum ſuperioribus iterandis: de quo ſupra lib. I. c. 50. et lib. II. c. 11. diximus.

Hoc ego amplius ſuscepi, quam ceteri] Correctio quaedam ſuperiorum verborum. quod enim ſuscepit, onus hic non appellat, vitato vocabulo, in quo moleſtia quaedam ineſt.

Maleficum] Alibi generale nomen eſt, hic vnius proprium criminis: vt ſi dixiſſet, aſperis moribus: nam ſubiungit, *ne qua in re aſperior.*

Adduxeris] In iudicium. act. I. c. 2. *Vt perſpicuum cuiuis eſſe poſſet, hominem ab iſto quaeſitum eſſe, non qui reum ſuum adduceret, ſed qui meum tempus obſideret.*

Contumacia] Contrarium eſt humilitati. infra c. 9. *Ex ea contumacia, quam hic in perditis rebus retinet, illos eius ſpiritus Sicilienſes quos fuiſſe putetis, cogitate ac recordamini.*

CAPVT III.

Pudorem, et pudicitiam] *Pudor* animi, *pudicitia* corporis. infra c. 4. *Non pudore, non pudicitia.* De haruſp. reſp. c. 5. *An ex ſororum cubiculo egreſſus, pudorem pudicitiamque defendat?* Pro Cluentio c. 5. *Ita flagrare coepit amentia, ſic inflammata ferri libidine, vt eam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula familiae, non hominum fama, non filii dolor, non filiae maeror a cupiditate reuocaret.*

Qui ex tenſarum orbitis praedari ſit auſus] Hanc praedam ſignificant illa verba lib. I. c. 59. *Quis a ſigno Vertumni in circum maximum venit, quin is in vnoquoque gradu de auaritia tua commoneretur? quam tu viam tenſarum atque pompae eiusmodi exegiſti, vt tu ipſe illa ire non audeas.*

Iure aequo] Non vt varie propter pecuniam, ſed vt aequaliter pro cuiusque cauſſa decernatur.

Aſiae] Ciliciae, cui praefuit Dolabella, Verre legato: quam ſaepe *Aſiam* vocat, vt act. I. c. 1. *Vexatorem Aſiae atque Pamphyliae.* Et c. 4. *Cuius legatio exitium fuit Aſiae totius et Pamphyliae.* Iam lib. I. c. 12. *legatione Aſiatica*, pro, Ciliciensi.

Pamphyliae] Haec quoque minoris Aſiae pars fuit, ſed nominatur cum Aſia, quia ſolam Ciliciam Aſiae nomine Cicero ſignificat: vt exemplis intelligitur.

Iura] Antiquis legibus tradita.

Arbitrarer] Alii, *arbitrarere:* quod probo: vt cum eo congruat, *quaeris cur ei ſim inimicus, cui populus Romanus infeſtus ſit?*

Pro voluntate populi Romani] Vt obſequar voluntati populi Romani, optime de me meriti.

CAPVT IV.

Ita credo] A contrario ſenſu. Non eum, inquit, amatis, ſed capti muneribus ita defenditis eum, ac ſi amaretis. quis enim amet illum, quem virtus nulla commendet?

Frugaliſſimi] Qui nihil in veſtras domos conferant.

Ferendum putas] Supra, et infra nobiles omnes alloquitur: ergo hic, *putatis*, rectius videtur.

Veſtro Marte] Veſtris artibus, ac rapinis. quo maiore flagratis cupiditate, cum ea ſumitis aliunde, quibus abundatis ipſi. Lib. III. de Offic. c. 7. *Hanc igitur partem relictam explebimus, nullis adminiculis, ſed, vt dicitur, Marte noſtro.* Phil. II. c. 37. *Rex ipſe ſua ſponte, nullis commentariis Caeſaris, ſimul atque audiuit eius interitum, ſuo Marte res ſuas recuperauit.*

Ceteri] Exemplo commoti.

Suo periculo] Nam, ſi praedentur in prouinciis, poenas fortaſſe iudicio dabunt.

CAPVT V.

Alio loco] Lib. IV.

Et dicta ſunt] Suſpicor haec addita eſſe ab eo, qui haec, quae Cicero ſe dicturum alio loco pollicetur, ſatis iam hic ab eo eſſe dicta ſignificare voluerit. alioqui, vbinam haec aduerſus nobiles in ſuperioribus orationibus dicta ſint, non inuenio.

Superiore omni oratione] Non de vna tantum loquitur ſuperiore oratione, verum de omni ante habito ſermone vel in primo, vel in ſecundo libro. nam in vtroque varia, nouaque Verris crimina expoſuit: hic autem ſubiungit: *Erat quaedam ex ipſa varietate, ac nouitate rerum, ac criminum delectatio.*

Religioni] Cauſſae, quae ad veſtram religionem pertinet. iuraſtis enim in leges. nunc attentionem a vobis religio poſtulat: cum praeſertim ſuperiora propter voluptatem libenter audieritis.

Decumano] Quod ex decumis exigitur.

Emto] Quod, praeter decumanum, emit a Siculis populus Romanus.

Aeſtimato] Pro quo pecuniam exigunt mancipes, aeſtimatione praetoris: quae fuit iniquiſſima praetore Verre. in his enim tribus generibus furatus eſt. haec in Diuin. c. 10. attinguntur, hic exponentur latius, per ſingula cuiusque generis crimina.

CAPVT VI.

Vectigal eſt certum] Pecuniarium.

Cenſoria locatio] Locabant cenſores Aſiaticos agros.

Perpaucae Siciliae ciuitates] Numerum non dicit, quem, tamen optime tenebat. nam lib. V. c. 47. Tyndaritani officia ſua erga populum Romanum ita commemorant: *Nos in ſeptemdecim*

populis

populis Siciliae non eramus: nos ſemper in omnibus Punicis, Sicilienſibusque bellis amicitiam, fidemque populi Romani ſecuti ſumus. Cum igitur numerum ponit, officia Tyndaritanorum auget, qui ſe a ſeptemdecim Siciliae populis in bello ſeiunxerint, et Romanis opem tulerint. Cum, omiſſo numero, perpaucas Siciliae ciuitates fuiſſe dicit, quae bello ſubactae ſint, habet rationem temporis, quo Siciliam, vt bene de populo Romano meritam, iudicibus commendat. Cuius artificii exemplo egregie ad imitationem, qui velit, eruditur.

Illis eſt redditus] Cum eo tamen, vt decumas ſoluant: quas cenſores locant.

Venire] Locari. nam ipſae decumae nomine populi Romani exiguntur.

Immunes] Quae nihil omnino pendant.

Decumanus eſt] Decumas dat. Sunt igitur ex quattuor generibus Siciliae ciuitates. Aliae, quarum ager a cenſoribus locatur, vt pro decumis pecuniam capiant. Aliae, quarum ager non locatur, nec veneunt decumae, ſed exiguntur. Aliae, quae nihil omnino pendant. Aliae, quae decumas dent.

In ſuis rebus ipſos intereſſe] Propterea, vbi vendi olim ſolebant, ibidem in Sicilia vendi voluerunt.

Ne nomine quidem legis nouo] Non modo legem, quae ab Hieronica differret, ſed ne aliam quidem, licet non differret, nouo nomine Siculis dederunt: cum intelligerent, ſi nomen ſeruaretur eius regis, qui cariſſimus iis fuiſſet, fore, vt ipſa decumanorum venditio, Hieronica lege facta, eſſet illis iucundior.

CAPVT VII.

Ad alienos] Minucii hereditas ad Minuciam gentem pertinebat: Verres ad alienum transtulit. lib. I. c. 45.

A primis heredibus ad ſecundos] A. P. Annii filia ad L. Annium. lib. I. c. 41.

Cenſorias quoque leges] Dixi iam, conditiones illas, quibus cenſores ſarta tecta locarent, *cenſoriam legem* appellari ſolitam, vt appellatur lib. I. c. 51. et alibi.

Ne pupillo] Putidum ſit, ea ſi hic de pupillo Iuniano exponam, quae Cicero dixit lib. I. c. 50, ſeqq.

Quam ipſis videretur] Vſitata locutio: vt lib. II. c. 13. *Eum iudicem, quem commodum erat, praeconem, haruſpicem, medicum ſuum dabat.*

Ad legem] Qua quaeſtores locabant.

Hic] Aderat enim in iudicio. lib. II. c. 34. *Sthenius eſt, is qui nobis aſſidet, Thermitanus.*

CAPVT VIII.

Ita acute, vt Siculum] Acumen ingenii alibi quoque laudat in Siculis, vt in Diuin. c. 9. *Illi quidem, vt eſt hominum genus nimis acutum et ſuſpicioſum.*

CAPVT IX.

Quem videtis] Teſtis aderat in iudicio, vt etiam Sthenius.

Corpore] Obeſo.

Ore] Magno.

Commodus] Humanus. ſic lib. II. in extremo: *At mores commodi. Quis contumacior? quis inhumanior? quis ſuperbior?*

In cubiculo ſolus (Ern. *ſocius*)] Excluſis ceteris, quaſi ſolus eum Apronius delectaret.

Accubante praetextato praetoris filio] Verris notatur improbitas, qui turpiſſimarum rerum adſpectu filium adhuc puerum corrumpi ſineret.

CAPVT X.

Edidiſſet] Significaſſet.

Ego] Aratoris inducitur perſona de Verris iniuria conquerentis.

Inquit] Arator.

Quid tum? quid cenſes] Adhuc loquitur arator.

Aut dabis] Hoc ex decumani perſona.

Ex codice] Ex ipſius tabulis.

De profeſſione] Ne arator minus profiteatur, quam exarauerit: ne decumanus plus, quam ſibi debeatur, deberi profiteatur. infra c. 47.

CAPVT XI.

Quae vectigalia ſunt] Quae vectigal pendunt. conuertit enim ad neutrum genus haec ſimul omnia, Aſiam, Macedoniam, Hiſpaniam, Galliam, Africam.

Pignerator] Pignus capit ab eo, qui non ſoluit.

Qui digito licitus ſit] Sublato digito licebantur. lib. I. c. 54. *Digitum tollit Iunius patruus.*

In ſingulis iugis] Non in amplo fundo, ſed in vno tantum iugo, quod ipſi arant, et vnde recedere non licet. *Iugum* erat, quod vno die iuncti boues exarare poſſent.

Iubet recuperatores reiicere] Recuperatores iudex dabat: ex iis actor, et reus, quos ſuſpectos habebant, reiiciebant.

Decurias ſcribamus] Si dixiſſet actor: *decuriae ſcribantur:* id eſt, iudices legantur: reſpondebat Verres: *Quas decurias? de cohorte mea reiicies:* id eſt, recuperatores ego dabo de cohorte mea: ex iis tu reiicies.

Quid? iſta cohors] Ex aratoris perſona. is enim actor eſſe fingitur.

Voluſii haruſpicis] Infra c. 21. *Voluſianus* appellatur.

Cornelii medici] De quo ſic infra c. 21. *Iſte viros optimos recuperatores dat, eundem illum medicum Cornelium. is eſt Artemidorus Pergaeus, qui in ſua patria dux iſti quondam, et magiſter ad deſpoliandum Dianae templum fuit. Cornelius* vocatur, accepto Verris nomine, cuius beneficio ciuis Romanus factus eſſet: vt lib. I. c. 26. *Lictor Cornelius.*

Et horum canum] Valerium praeconem, Tlepolemum pictorem: qui nominantur infra c. 28. vt recuperatores a Verre dati. *Canes* appellauit eosdem lib. I. c. 48. *Multa ſibi opus eſſe, multa canibus ſuis, quos circa ſe haberet.*

Lambere] Quaſi aliquid petant.

De conuentu] E ciuibus Romanis.

CAPVT XII.

Impudentia (Ern. *imprudentia*)] Sine impudentia: cum ſcriptum eſſet in edicto: *Quantum decumanus*

manus edidiſſet aratorem ſibi decumae dare oportere, tantum vt arator decumano dare cogeretur.

Commiſſam] Debitam. vſitata locutio.

Irritos (Ern. *irriſos*)] Infecta re.

Res agi videretur] Serio colloqui, et agere inter ſe de aratoris petitione viderentur.

Noua dignitas publicani] Dignitas eſt in publicanis, quia ſunt equeſtris ordinis. Apronius eques Romanus non erat: ideo, *noua dignitas publicani*, cum quadam irriſione dixit. fungebatur autem Apronius, cum decumanus eſſet, munere publicani.

CAPVT XIII.

Recuperatores daturum in octuplum] Daturum te recuperatores cum eo, vt decumanum octupli condemnarent.

Te, cum tuos omnes fructus publicano tradidiſſes] In perſona Verris aratorem fingit.

Procuratoribus] Agunt enim rem tuam.

Factum] Contra decumanos.

Poſtulatum] Ab aratoribus.

Quod in aratorem dari poſſet] Vt enim dare cogatur, quantum ab eo decumanus petit; iudicem ei dat Siculum magiſtratum: vt ipſe contra publicanum agat, ſi plus ei dederit, quam debet; iudices dat recuperatores de cohorte ſua.

Non malum eſt, inquit, eſſe iſtam formidinem] Quod ſecum Verres tacite cogitabat, id eum fingit dicere.

Iſtam formidinem] Iudicii recuperatorum, quo decumanus vocare poteſt aratorem, quaſi minus acceperit ab eo, quam petierit.

Cum exactum ſit] Cum exegerit Siculus magiſtratus.

Ne ſe commoueat] Arator: ne queri audeat.

Reliquus metus iudicii ſit] Metuat illud iudicium, quo poteſt, agente publicano, quadrupli condemnari. Ad quam rationem Verris ita Cicero ex aratoris perſona reſpondet: *Si iudicio a me vis exigere.* Sunt enim haec ſine dubio aratoris verba, non, vt alii putant, decumani.

Hanc vim] Siculi magiſtratus.

CAPVT XIV.

Vter] Pro, alteruter, vt alibi.

Quantum commodum eſt] Quantum libet. ſic locutus lib. I. c. 4. *De capite, quantum commodum fuerit, frumenti decumani detraxerit.* Lib. II. c. 13. *Eum iudicem, quem commodum erat, praeconem, haruſpicem, medicum ſuum dabat.*

Luteus (Ern. *lynceus*)] Hebes, ac tardus. ſic *luteum negotium*, pro nullius pretii, dixit lib. IV. c. 14.

Etiam] Pro, tamen.

Peculiare] Nouum, Verrisque proprium, non cum aliis commune praetoribus: vt infra c. 74. *Peculiarem habes aliquam Siciliam, quae tibi ex alio genere frumentum ſuppeditare poſſit?*

Mature] Antequam corrumpantur.

CAPVT XV.

Ex Leontino] Vrbs vocatur *Leontinum*, non, vt alii ſunt arbitrati,

bitrati, *Leontini.* itaque lib. II. c. 66. *Leontini miſera in ciuitate atque inani*, dixit generandi caſu.

Calumniandi quaeſtus] Quaeſtus aſtuto conſilio contractus. nam aratores miſeri, ne tam longe ire cogerentur, quauis, etiam iniquiſſima, conditione cum Apronio paciſcebantur.

CAPVT XVI.

Lex] De repetundis, qua iudicium hoc eſt conſtitutum.

In Sthenii Thermitani nomine] Cuius enim abſentis nomen delatum eſſe iam ſcripſerat, eum poſtea coram eſſe delatum, ſcripſit in eodem codice. quod ſine litura fieri non potuit. lib. II. c. 41. *Tollit ex tabulis id, quod erat, et facit, coram delatum eſſe.*

Qui teſtes interrogari priore actione nolueris] Teſtes interrogati erant priore actione: quod ſupra iam ſaepe demonſtratum eſt. Sed Verres ipſe, cum eos interrogare poſſet, tacuerat. quod quia fuit impudentiae, (quis enim reus ſuos teſtes non interrogat?) propterea dixit Cicero, *et iis tacitum os tuum praebere malueris.* Videtur autem legendum potius, *interrogare*, quam *interrogari.* vt ad ipſum Verrem referatur: de quo lib. V. c. 59. *Reducam iterum equitem Romanum, L. Flauium, ſi voles: quoniam priore actione, vt patroni tui dictitant, noua quadam ſapientia, vt omnes intelligunt, conſcientia tua, atque auctoritate meorum teſtium, teſtem nullum interrogaſti.*

Patronos tuos] Quorum conſilio teſtem nullum interrogaſti, noua quadam ſapientia, vt ipſi dictitabant.

Cn. Pompeius] Hoc anno conſul. Opinor ſignificari tempus illud, cum Pompeius in Sicilia Carbonem conſulem occidit.

M. Marcellus] Qui lib. I. c. 51. nominatur, et in oratione pro Quintio iudex eſt.

Paternus honor et auitus] Nam et L. Metellus Dalmaticus pater huius Metelli, et Q. Metellus Macedonicus, auus, conſules fuere.

CAPVT XVII.

Metellum minime fore putaſſet] Eo dignum nomine. fuit enim familia Metellorum nobiliſſima, plurimis decorata conſulatibus, cenſuris, triumphis. vnde illud Naevii poetae:

> *Fato Metelli Romae fiunt conſules.*

Eadem laude Metellos ornauit lib. IV. c. 66. *Facile*, inquit, *eſſe perſpicuum, quantum inter hunc, et illum Numidicum, verum et germanum Metellum, intereſſet.*

Ab vrbe Roma] Cum nondum Verres e Sicilia deceſſiſſet. ideo ſubiungit, *in alienam prouinciam.*

CAPVT XVIII.

Hornotini] Huius anni.

Vt abſens accuſaretur] Abſentem Verrem Siculi Romae accuſabant, cum is adhuc Siciliae praeeſſet, atque in eorum bona, liberosque ſummum imperium, poteſtatemque haberet.

Anti-

Antiquum modum ſationis] Quantum ſeri antea ſolebat. ſic dicitur, de agri modo.

Quadriennio poſt] Poſtquam in ea prouincia quaeſtor fuerat.

Non ſolum iugerum] Quia non arabantur.

Sed etiam dominorum] Quia diffugerant, ſedibus patriis relictis. ideo dixit proxime: *Vt ager ipſe cultorem deſiderare, ac lugere dominum videretur.*

Quod caput eſt rei frumentariae, campus Leontinus] Hinc illud Phil. II. c. 39. *Quid iam querar de agro Leontino? quando quidem hae quondam arationes in populi Romani patrimonio grandiferae, et fructuoſae ferebantur.*

Superior annus] Secundus Verris annus.

Proximus] Tertius. Duos tantum annos nominat, quia primo anno Verres et ſata, et bene culta inuenit omnia, ſed ita aratores afflixit, vt pro eius anno in annum ſecundum multo minus ſererent, quam ſolerent. anno autem ſecundo eos plane perdidit, vt multo etiam minus, quam primo, ſererent. nam tertio, litteris ac precibus Metelli, qui ſucceſſurus erat Verri, ad arationes redierunt.

CAPVT XIX.

Populare] Quod populo placere debeat.

Ceruiculam iactaturum] Notat in Hortenſio motum ceruicis laſciuiorem in agendis cauſſis.

Populo ſe ad coronam (Ern. *ac coronae*) *daturum*] Populi gratiam aucupaturum, quaſi magno decumas vendideris. *Ad coronam:* ad omnes, qui circa iudicium ſtabant.

CAPVT XX.

Locatione illa columnarum] Quae erant in aede Caſtoris. quas locauit H-S DLX millibus. lib. I. c. 55.

Praedatum] Ex pupilli Iunii bonis.

Iniquam legem] Correxit enim Verres, praetor vrbanus, legem cenſoriam de ſartis tectis. ſupra c. 7. *Eundemque te memini cenſorias quoque leges in ſartis tectis exigendis tollere, et commutare.* Et lib. I. c. 55. *C. Verres, praetor vrbanus, addidit. Corriguntur leges cenſoriae.*

Ac tempore] Non cum decumas venderes, verum aliquanto poſt, re diligentius ad tuum quaeſtum cogitata.

Reprehendiſti] Reuocaſti: omiſſum antea per imprudentiam admonente quaeſtu feciſti.

CAPVT XXI.

Eundem illum] Quem ſupra nominaui.

Pergamenus (Ern. *Pergaeus*)] Omnino, *Pergaeus*, aut, *Pergamus*, legendum, a *Perga;* vbi ſpoliatum ac nudatum Dianae templum, lib. I. c. 20. dixit.

CAPVT XXII.

Si pareret] Vſitatum formularum initium, de quo iam diximus.

Tum vti Xeno damnaretur] Hoc perficit ſententiam, et mihi tamen videtur abundare, et ſubaudiendum potius, quam addendum. haec enim formularum conſuetudo fuit, vt ſubaudiretur. videamus exempla. pro Q. Roſcio c. 4. *Quid eſt in iudicio? directum.*

ctum, *aſperum*, *ſimplex*. *Si paret*, H-S ↀↀ *dari oportere*. ſubaudi, *condemnaretur*. In Divin. c. 17. *Iudicium dat ſtatim, ſi pareret*, *eam*, *ſe et ſua Veneris eſſe*, *dixiſſe*. Et lib. II. c. 12. *Si paret*, *fundum Capenatem*, *quo de agitur*, *ex iure Quiritium P. Seruilii eſſe*, *neque is fundus Q. Catulo reſtituetur*. Subaudi, *coge Seruilium*, *iudex*, *vt eum Catulo fundum reſtituat*. Et hic infra c. 28. *Si pareret*, *aduerſus edictum feciſſe*. Subaudi, *condemnarentur*. Atque hoc, quod ego ſubaudiri malim, quam addi, Theophilus in ſuis Inſtit. interdum addit, *iudex eum condemna*.

H-S LXXX] Haec in edicto ſcripta poena erat, ſi quis iugera non eſſet profeſſus.

Veneriis] Apparitoribus Verris: quorum nonnullos decumanos eſſe voluit. ſupra c. 20. *Apronium*, *Veneriosque ſeruos*, *quod iſto praetore fuit nouum genus publicanorum*. Et infra c. 25. *Mittit ad hominem Venerios*. Lib. V. c. 54. *Hominem iubet Lilybaeum vadimonium Venerio ſeruo promittere*.

CAPVT XXIII.

Medimna] Medimnum ſenos modios capit.

Conſortes] Bonis iisdem fruentes.

CAPVT XXIV.

Crucem] In quam egit P. Gavium, ciuem Romanum. lib. V. c. 62. 63.

Conditione] Quo apud hunc loco fuerint.

De iſto transigamus] Ego accuſando, vos condemnando.

Ad Apronium] De maieſtate accuſandum, qui equitibus Romanis manus attulerit.

Leontinis] Aut vbique, *Leontinis*, legendum: vt vrbs ipſa, *Leontini*, dicta ſit: aut, vbi legitur, *Leontini*, reponendum *Leontinis*.

CAPVT XXV.

Commode] Satis humane. ironia: quod pro Apronii libidine eques Romanus attraheretur.

Statuitur Lollius in illo tempeſtiuo gladiatorum conuiuio] Iocatur in duobus nominibus, *tempeſtiuo*, *gladiatorum*: quaſi tempeſtiuum vſitato vocabulo conuivium, in quo gladiatores decumberent, appellari non deberet.

CAPVT XXVI.

Suburbana] Admodum propinqua. lib. II. c. 3. *Quemadmodum propinquis vos veſtris praediis maxime delectamini; ſic populo Romano iucunda ſuburbanitas eſt huiusce prouinciae*.

CAPVT XXVII.

Hominum ante hunc praetorem locupletum] Sic in Diuin. c. 17. *Mulier ante hunc quaeſtorem copioſa plane*, *et locuples*. Lib. II. c. 14. *Homo in primis domi ſuae nobilis*, *et ante hunc praetorem vel pecunioſiſſimus Syracuſanorum*.

CAPVT

CAPVT XXVIII.

Tlepolemum pictorem] Alii malunt, *praeconem*, non recte: nam praeco Valerius erat, ſupra c. 11. nominatus cum eodem medico, et haruſpice Voluſiano: Tlepolemus autem pictor: de quo ſic lib. IV. c. 13. *Cybiratae ſunt fratres quidam, Tlepolemus, et Hiero: quorum alterum fingere opinor e cera ſolitum eſſe, alterum eſſe pictorem.*

Repente Cornelii] Verris beneficio ciues Romani facti, ideoque *Cornelii* a Verris nomine.

Si pareret] Formulae verba: de qua iam diximus.

Dicturum] Apronium. ſupra: *Praeſto eſt Apronius: ait, eos ipſos, qui veniſſent, contra edictum praetoris feciſſe. Quaerebant, quid? reſpondebat, ſe ad recuperatores eſſe dicturum.*

CAPVT XXX.

Medimna XXXIV (Ern. *medimnum XXXIII*)] Subaudi, *millia*: et lege, *medimnum*, vbique, non *medimna*, vbi ſubauditur, *millia*.

Addidiſſent] Agyrinenſes.

H-S DC] Millia, id eſt, ſcutatorum XVIII millia. quod eſt pretium illorum medimnum XXXIV millium, quae lucri nomine Verres Apronio dari voluit.

A patronis] A Marcellis maxime. nec ſe tamen ipſum excludit. dixit enim in Diuin. c. 1. *Factum eſt, vti cum ſummum in veteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me praeſidium ſuis fortunis conſtitutum eſſe arbitrarentur.*

Vt probaret] Vt probum eſſe diceret, vt eo tamquam probo contentus eſſet.

H-S III] Vbique adde, *millia*. ſcutati ſunt XC millia.

CAPVT XXXI.

Siculum frumentum] Probum enim ſignificatur, cum Siculum eſſe dicitur.

Ex area] Ne vitiatum ab aratoribus putaretur.

Nummi] In ſingula medimnum H-S tria millia.

XXXIII] Lege aut hic, XXXIV, aut ſupra, XXXIII: ne alterum ab altero in eadem re diſſentiat.

H-S LX] Si H-S tria millia in ſingula medimna putentur, et medimnum XXXIII millia ſint: fient H-S nonaginta nouem millia. adde pro hordeo H-S XXX millia: erunt omnino, H-S CXXIX millia. itaque locus emendandus.

CAPVT XXXII.

Modiis XVIII millia (Ern. *medimnum XVIII*)] Medimna vbique malim nominari, quam modios: vt cum Siculis Graeca menſura potius agatur, quam Romana. mendum fortaſſe natum ex *med.* et *mod.*

Cum illa praedonis (Ern. *praedonum*) *copia*] Cum Veneriis ſtipatoribus. Supra c. 26.

H-S MM] Exigua ſumma: itaque ſuſpicor de mendo: et fortaſſe notis antiquis, CCCIↃↃↃ, ſcriptum fuit, id eſt, centum millibus, nummo noſtro ſcutatorum tribus millibus

Operae] Quam Verri nauabat.

CAPVT XXXIII.

Plures vxores habere] Plato in Alcibiade primo, Diodorus lib. I.

Addicitur medimnis MM (Ern. *medimnum XXXV millibus*)] Corruptae notae: cum ſequatur, *dimidio fere pluris, quam ſuperiore anno.* ex hoc mendo fluxit illud in notis proxime ſubiectis.

CAPVT XXXIV.

Non moleſti] Quia mulieres ſuas Verri non inuiti relinquerent.

Tritici modios DC (Ern. *medimnum* CIↃCIↃCIↃDC)] Dixi iam, vbique pro modiis medimna reponenda.

Haec decumanis merces dabatur] Publice: vt abirent: cum iam aratorum bona diripuiſſent.

CAPVT XXXV.

Quod de capite ipſo demſit] De eo, quod ex decumis Aeſchrioni venditis populo Romano debebatur. demſit autem Verres, quo minus Aeſchrio, Pipae vir adumbratus, pro decumis ei iam addictis ſolueret, pluris amorem Pipae, quam populi Romani emolumentum, faciens. qua de re ſic infra: *Illum viris fortiſſimis iudicarunt patres conſcripti remittere de ſumma non potuiſſe: te mulieri deterrimae recte remiſiſſe ſenatores iudicabunt?*

Quo tandem modo ferendum, verum etiam animaduertendum videtur (Ern. *vobis non modo ferendum, verum etiam audiendum videtur*)] Qui tritas habent aures notandis generibus Latini ſermonis, iis profecto, niſi fallor, locus hic vacare mendo non videbitur. atque ego, vt dicam quod ſentio, legendum putarem: *Quo tandem modo ferendum, ferendum vero? etiam animaduertendum videtur?* Simile illud lib. I. c. 17. *Dictum hoc eſt in Cn. Dolabellae iudicio. dictum? etiam aeſtimatum.* Et pro Plancio c. 21. *Nihil eſt, mihi crede, Laterenſis, de te detractum: detractum dico? ſi mehercules vere, quod accidit, interpretari velis, eſt aliquid etiam de virtute ſignificatum tua.*

Propter maiorum incommodorum, et calamitatum metum] Ne, ſi eius acta reſcinderemus, durius aliquid accideret.

Publica auctoritate defendimus] Defendit ipſe conſul. nam, cum Sulla proſcriptorum liberos honorum petendorum poteſtate priuaſſet, iique contenderent Cicerone conſule, vt in integrum reſtituerentur: Cicero ipſe reſtitit, et, ne quid nouaretur, obtinuit. hinc illa in Piſonem c. 2. *Ego adoleſcentes bonos et fortes, ſed vſos ea conditione fortunae, vt, ſi eſſent magiſtratus adepti, reipublicae ſtatum conuulſuri viderentur, meis inimicitiis, nulla ſenatus mala gratia, comitiorum ratione priuaui.* Orationem quoque de proſcriptorum filiis a ſe ſcriptam ſignificat lib. II. ad Attic. epiſt. 1.

De capite] De tota ſumma, quam debebant.

Pecunias in aerarium referrent] Quas eis largitus erat Sulla.

A populo factarum] Alii, *ab ipſo factarum.* probo. vt ſignificentur factae res ab ipſo, et partae, ſuo labore, ſua virtute, ciuili bello. ſequitur enim: *In illo reprehen-*

reprehenditur, *quod ex ea pecunia remiſerit*, *quam ipſe quaeſierat.*

Viris fortiſſimis] Qui ab ipſo emerant: quid autem? cum alias res, tum vero proſcriptorum bona.

Mulieri deterrimae (Ern. *teterrimae*)] Pipae. quod enim de capite demſit, ad eius lucrum demſit.

Senatores] Iudices.

CAPVT XXXVI.

Segeſtenſium] Ergo non immunes praetore Verre. nam quinque ciuitates, Centuripinam, Haleſinam, Segeſtanam, Halycienſem, Panormitanam, immunes, ac liberas fuiſſe, dixit orationis initio. infra quoque c. 40. *Quid? Halycienſes*, *quorum incolae decumas dant*, *ipſi agros immunes habent*, *nonne huic eidem Turpioni*, *cum decumae C med. veniſſent*, *H-S XV dare coacti ſunt?* Et poſt: *Segeſtam item ad immunem ciuitatem Venerius Symmachus decumanus immittitur.*

Hoc eſt] Otioſum eſt, et, vt puto, delendum.

Quinque millia (Ern. *millibus*)] *Millibus*, et hic, et infra repone, ex nota M.

Tabulas publicas commutauit] Quia, cum decumas quinque millibus medimnum vendidiſſet, itaque in tabulas retuliſſet, poſtea, cum tria millia de capite decerneret, quae Tertiae mimae donavit, tabulas corrupit, et ſcripſit, vendidiſſe duobus millibus. ita minus dedit populo Romano, quam mimae.

CAPVT XXXVII.

Tibi (Ern. *te*) *decumas vendidiſſe*] *Tibi*, ad praedam, quaeſtumque tuum.

CAPVT XXXVIII.

Nouum genus publicani] Supra c. 20. *Apronium*, *Veneriosque ſeruos*, *quod iſto praetore fuit nouum genus publicanorum.*

Tertio anno H-S MM med.] H-S videtur delendum. et lucri nomine erant duo millia medimnum, id eſt, ſeſtertium XXX millia. tanti enim valebant.

Vicarium nullum habet, *nihil omnino peculii*] Poſtremus igitur ſeruorum omnium. nam ſerui nonnulli et vicarios habent, id eſt, ſeruos ſuos, et peculium, id eſt, rem propriam, permiſſu domini, ſuo labore partam.

CAPVT XXXIX.

Emiſſet] Ipſe, non Caeſius.

Renunciat] Suis ciuibus.

At Ameſtratinos] Corruptum nomen. nam de Ameſtratinis iam locutus eſt.

Dant Banobali med. DCCC, H-S MD] Si plus eſt lucrum, quam decumae, quod et proxime dixit, et infra quoque dicet; et ſi ſingula medimna H-S quindenis aeſtimantur, quod ſupra demonſtratum eſt: neceſſe videtur, vt ſeſtertiorum numerus augeatur, et pro, MD, legatur, *XII millia.*

Turpioni] De quo lib. II. c. 8. *Petit Naeuius Turpio quidam*, *iſtius excurſor et emiſſarius.* Et lib. V. c. 41. praecurſorem Verris, et emiſſarium vocat.

Diſſo.

Diſſolute] Negligenter: ſed cum eas non diſſolute, ſed magno venieris; cur praeterea lucrum addis?

Cum medimnum XV millibus veniſſent (Ern. *cum modium eſſet H-S XV, decumae autem medimnum III veniſſent*)] Videtur legendum III *millibus.* nam ſequitur, *hoc eſt*, H-S XLV. nam ſi medimnum aeſtimatur XV ſeſtertiis: ſequitur, vt trium millium medimnorum pretium ſit XLV millia H-S.

H-S MMM] Aut hic, VII *millia*, aut ſupra, MMM, reponendum.

CAPVT XL.

Ipſi agros immunes habent] De quo dixit orationis initio.

Cum decumae C med. veniſſent] Malim, *D med.* quod ſi cui parum videtur, conſideret, non vniuerſi Halycienſis agri, ſed eius dumtaxat, quem incolae ararent, decumas veniſſe.

H-S XV] Ita lucrum plus erit, quam decumae: vt in Banobale quoque ſupra c. 39. legimus.

Liberorumque tuorum] Quos in egeſtate, atque in ſolitudine condemnatus relinques.

A Venerio] Venerio Symmacho decumano. *Venerio*, tantum dixit: quo maior iniuria in homine illuſtri, ac nobili aratore videretur.

CAPVT XLI.

Cum equeſter ordo iudicaret] Lege Sempronia, ante decem annos.

Coaequaſti] Cum nullius hominis, nullius rei rationem haberes.

Iudices reiicere] Qui de cohorte tua iudices dare velles, ſenatores deſpiceres.

Equitem Romanum] Nominavit C. Matrinium, et Q. Lollium. ideo, malim, *equites Romanos:* cum praeſertim ſequatur: *Quid enim iam nocere poſſunt, quibus non licet iudicare?*

Auferre] Malim, *auferri.*

Prouidiſti] Eo reiecto.

Legum] Exempli gratia, lege repetundarum ſoli ſenatores tenentur. pro Cluentio c. 53. et pro Poſtumo c. 5.

Rumorum] Qui facile diſſeminantur contra ſenatores.

Temporum] Mutatis enim temporibus, qui eſt ordo in ciuitate ampliſſimus, ei maiora, quam ceteris, pericula impendent.

In obtinendo iure noſtro] Quod praetore Verre non obtinuit ſenator Anneius Brochus in Sicilia.

CAPVT XLII.

Appoſitus erat] Malitiam, et fraudem ſignificat hoc verbum. lib. II. c. 8. *Apponit, qui petat Veneri Erycinae illam hereditatem.* Lib. V. c. 41. *Apponitur his tamen accuſator Naeuius Turpio quidam.*

Tritici med. VIIC (Ern. *tritici modium VIII millibus*)] Subaudi, *millibus.*

Renunciat] Thermitanis.

Ne accedat] Ad eos decumarum cauſſa. Verris enim decumanos, qui modum iniuriis non facerent, oderant ſimul et timebant.

Apronio coacti ſunt dare tritici med. LXXM (Ern. *tritici modium XVIII*)] Manifeſtum mendum:

dum: et fortaſſe reponendum, ɪↄↄ: quod eſt, quinque millia.

Sigillatim (Ern. *ſingillatim*)] Vt a *lingua ligula*, abiecta *n*, ſic a *ſingula ſigillatim.* alii malunt, *ſingulatim.*

Cum hoc cumulo] Cum eo quaeſtu, qui publice dabatur.

Decederent] Ex eorum agris, atque vrbibus.

CAPVT XLIII.

Muticenſem (Ern. *Mutycenſem*)] Recte ſentiunt, qui *Mutyenſem* ex Plinio lib. III. c. 8. et Strabone reponunt.

Quantum ex eo, quo iſtius auaritia contenta fuit, redundarit] Act. I. c. 4. *Quantum hominis auariſſimi, et libidinoſiſſimi aut imprudentiam ſubterfugit, aut ſatietati ſuperfuit.*

CAPVT XLV.

Quam fuerunt] Cur lucri tantum das Apronio? an quia minoris decumae venierint, quam eſſent, id eſt, quam numerus earum eſſet pro tritico exarato? an vero et illae ſatis magno venierunt, et hic tamen frumenti, pecuniaeque tantus numerus ab aratoribus per vim ablatus eſt?

Cum ſatis magno veniſſent] Cum hoc dicat, et ſubiungat, *hic tantus tamen frumenti pecuniaeque numerus:* apparet, illa CCC millia mod. lucri nomine fuiſſe. quod infra perſpicuum fit iis verbis: *Vno aduentu, ex vno agro, Q. Apronium, praeter eam, quam dixi, pecuniam numeratam, CCC millia mod. tritici lucri nomine ſuſtuliſſe.*

Frumenti] Generale frugum omnium nomen eſt: hic tamen pro tritico, totum ſcilicet pro parte, ponitur.

CAPVT XLVI.

Penſum magis in Leontino agro eſt exigendum] Videndum eſt, et quaſi penſum a me exigendum, cum Leontinis quo modo ſit actum.

Poſſidet nemo] Quinam igitur poſſident? incolae. ſupra c. 40. *Quid? Halycienſes, quorum incolae decumas dant, ipſi agros immunes habent.*

Exſpectare nolite] Vt teſtimonium in Apronium dicant.

Verſati] Non refero hoc verbum ad rapinas Apronii, ſed ad quaeſtum, et compendium: vt hoc dicat: Verſati ſunt, cum Apronius raperet ab incolis, et a Mnaſiſtrato, in quaeſtu, compendioque proprio.

Ciuitas] Supra: *Ipſi Leontini publice non ſane me multum adiuuerunt.*

Legatio] Quae cum aliarum ciuitatum legationibus ad accuſandum Verrem Romam non venit.

Mihimet] Sine teſtimoniis eorum.

Siue adeo] Modus loquendi. Lib. I. c. 34. *Huius improbiſſimi furti, ſiue adeo nefariae praedae.*

Ingentem, immanemque praedam] Maior eſt in *immanem,* quam in *ingentem,* ſignificatio.

Magno] Nam venire pluris, quam medimnum XXX millia, nulla ratione potuerunt: cum agri Leontini profeſſio eſſet ad iugerum XXX millia, vt infra oſtenditur: et e ſingulis iugeribus caperentur, vbi meſſis optima, medimni deni: quo fiebat, vt medi-

medimni, qui decumae nomine dabantur, totidem plane, quot iugera, eſſent. ergo, ſi ſunt iugerum XXX millia, decuma item erit medimnum XXX millia: cum ſcilicet agri fructus eſt, quantus maximus eſſe poteſt. nam interdum octo tantum medimni, nonnumquam pauciores in iugero colliguntur. Verres autem gloriabatur, magno ſe decumas vendidiſſe, quia non ſolum XXX millibus medimnum vendidiſſet, quae, vt dixi, meſſis optimae decuma fuit, ſed etiam XXXVI millibus, id eſt, ſex millibus amplius; qui ſunt omnino modium CCXVI millia: ex quo rem populi Romani diligenter curaſſe videbatur. Cicero contra oſtendit, ipſum ſibi Verrem dimidio plus ex agro Leontino abſtuliſſe, quam populo Romano miſerit.

Eos] Decumanum Apronium.

CCCC millia mod.] Vt infra, ratione ſubducta, patebit.

Lucri faciunt] Qui videntur quidem eſſe decumani, ſed Verri tamen, non ſibi, lucrabantur.

Damnum facturos] Quia vocati ab aratoribus in iudicium condemnati eſſent, niſi Verres ex cohorte ſua, qui iudicarent, recuperatores dediſſet.

CAPVT XLVII.

Ager efficit, cum octauo bene vt agatur] Non dubito, quin legendum ſit: *Ager reficit cum octauo:* pro, reddit. Sic infra: *Cum ager cum decumo extuliſſet.* Hoc verbo cum eodem ſenſu vſus eſt in Parad. VI. c. 1. *Hoc propoſito*, inquit, *numquam eris dives, antequam tibi ex tuis poſſeſſionibus tantum reficiatur, vt eo tueri ſex legiones, et magna equitum, ac peditum auxilia poſſis.*

CAPVT XLVIII.

Inſaniuit] Cum decumas pluribus emit medimnis, quam quantus eſſet iugerum numerus.

CAPVT XLIX.

Haec ſunt ad tritici medimnum XC millia] Hoc modo. Si decuma vna eſt tot medimnorum numerus, quot iugerum; et iugera ſunt omnino XXX millia; ternas autem decumas in ſingula iugera ab aratoribus exprimit Apronius: ſequitur, vt medimnorum numerus, qui eſſet ex vna decuma XXX millia, ſit ex tribus XC millia. ergo LIV millia medimnum lucri facit Verres: nam Apronio decumam populi Romani vendiderat XXXVI millibus medimnum: idque in tabula retulit: reliquum autem, vsque ad XC millia, quod Apronio datum eſt, ipſe ad ſe transtulit. plus igitur lucratus eſt Verres, quam populo Romano datum. ex tribus enim decumis duas ille habuit, populus vnam.

Quanti decumae venierunt] Apronio. venierunt enim XXXVI millibus medimnum: quae CCXVI millia modium ſunt. haec ſi deducantur a Verris lucro, quia decumae nomine ad populum Romanum pertinent; ſuperſunt, quae Verres lucrifacit, CCCXXIV millia. perſequitur Cicero hac ratione ſingula tritici lucra, quae ad ipſum Verrem, praeter populi Romani decumam, peruenerunt: vt expleat ſummam promiſſi ſui, quod dixerat velle, ſe oſtende-

oſtendere, in vnius agri Leontini decumis lucri feciſſe Apronium, id eſt, ipſum Verrem, CCCC millia modium.

Totius ſummae DXL millium mod.] Medimnum XC millium. Addidit autem Verres ad iniuriam trium decumarum quinquageſimas tres: vt eſſent primum decumae pro vna tres, deinde totius ſummae, id eſt, DXL millium modium, tres praeterea quinquageſimae, id eſt, tritici modium XXXII millia CCCC.

Sunt haec iam] Tres decumae cum tribus quinquageſimis.

Ad H-S (abeſt ab Ern.)] Notam H-S, vt perſpicue mendoſam, deleui.

CCCXL (Ern. *CCCLVI*) *millia*] Sic in antiquis libris, ſed mendoſe. nam ex tribus decumis, et earum tribus quinquageſimis colliguntur, quae ad Verrem perueniant, CCCLVI millia CCCC modii, deductis CCXVI millibus, quae ad populum Romanum decumae nomine pertinebant.

Ad ſingula medimna multi H-S duo] Idem, ac ſi diceret, ad ſingula millia medimnum multi H-S duo millia. eodem enim ratio redit.

Multi H-S quinque] A duobus ad quinque violenta transgreſſio. itaque malim, *tres*. et apte quadrat, vt alii vnum, alii duos, nonnulli tres ſeſtertios ad ſingula medimna dare cogerentur.

Ad (abeſt ab Ern.) *H-S XC millia*] Vt compleatur ſumma promiſſi. nam ſi ad CCCLVI millia CCCC modios accedant, H-S XC millia, quae pretium ſunt ſex millium medimnum, aeſtimato medimno quindecim ſeſtertiis; ſex vero millia medimnum, ſunt XXXVI millia modium: fient omnino CCCXCII millia CCCC modii. quod a CCCC millibus, quae lucri facta eſſe a Verre Cicero ſe velle oſtendere pollicitus eſt, parum diſtat.

Dimidio plus ipſe abſtulit] Non dicit dimidium eius, quod populo Romano miſit, quod XVIII millia medimnum fuiſſet: neque alterum tantum, quod XXXVI millia medimnum: ſed dimidio plus, id eſt, et alterum tantum, quantum illud fuit, quod populo Romano miſit, et dimidio amplius: quod totum eſt LIV millia medimnum, vel CCCXXIV millia modium. tantum enim lucrifecit Verres in tribus decumis; quod iam dictum eſt in eo loco: *Deductis tritici modium CCXVI millibus, quanti decumae venierunt, reliqua ſunt tritici CCCXXIV millia.* Loquitur igitur Cicero non de toto Verris lucro, quod CCCC millia modium fuiſſe dixit, verum de eo tantum, quod trium decumarum nomine fecit ex agro Leontino. nam ad decumas ternae praeterea quinquageſimae, et ad quinquageſimas accedebant in ſingula medimna ſinguli ſaltem nummi. quorum hic ratio non habetur. nam ſi haberetur; verius erat, *duplo plus*, quam *dimidio plus*.

Si, vt lex eſſet libido tua, parvo] Cum videam ſubiungi, *parvo vendidiſti*, offendor iteratione eiusdem verbi. nam particula, *ſi*, ter hic repetita, varietatem in pretio decumarum ſingulis locis requirit. accedit alterum vitium, quod tertio loco, *ſi*, repetita nihil affert, quod a Verris libidine non pendeat. at libidinis proxime facta mentio eſt: itaque, quod ſequi-

ſequitur, ad reprehenſionem Verris nihil addit. venit igitur in mentem ſuſpicari, hoc totum ita coniungi debere: *Si, vt lex eſſet libido tua, vt, quae dimidiae eſſent, decumae vocarentur, paruo vendidiſti:* ita et abſurda illa, minime Ciceronis ingenio digna, repetitio verbi, *paruo* tolletur: et diſtractae eius ſententiae partes componentur. quorſum enim exactae pro decumis dimidiae, niſi ad libidinem, ſpectant? cur igitur, quaſi diuerſum aliquid, ſeparatim ponantur? Sententia vero haec eſt. Si de exigendis non decumis, ſed dimidiis pro tua libidine cogitaſti: multo pluris vendere potuiſti. nam, vt vno vtamur exemplo, ex agro Leontino, cuius agri profeſſio eſt ad iugerum XXX millia, ſi dena medimna ex iugero percipiuntur, vniuerſa ſumma fit CCC millia medimnum: quorum dimidiae ſunt, CL millia, multo ſcilicet plus, quam XXXVI millia, quanti decumas eius agri vendidiſti. ita neque legi, quia magno, neque libidini tuae, quia paruo venditae decumae, ſatisfactum a te eſt.

Fructus annui Siciliae] Non, omnes fructus, ſed omnium fructuum dimidiae. nam etſi omnium agrorum decumae pluris a te, quam lege liceat, minus tamen, quam hortari videbatur libido tua, venierunt. Dicit autem, *fructus annui Siciliae,* ab agro Leontino ad omnes Siciliae agros oratione traducta; vt oſtendat, non vnius agri Leontini, ſed Siciliae totius decumas pluris, quam lex permitteret, a Verre veniſſe.

Si id te ſenatus, aut populus Romanus facere voluiſſet] Hoc addit, ne Verrem, quia dimidias non vendiderit, accuſare videatur. Numquam, inquit, ſenatus, aut populus Romanus de dimidiis tibi mandaſſet, ſicuti de decumis, legitimis tamen, mandauit.

Etenim ſaepe decumae tanti venierunt] Redit ad decumas, dimidiis omiſſis. Quid gloriaris, Verres, magno a te venditas eſſe decumas? tantidem alii quoque ſaepe vendiderunt, nec tamen, vt tu, contra legem Hieronicam. Hic mihi ſcrupulus, et quaedam iniicitur dubitatio. Qui enim lege Hieronica decumas magno vendere Norbano, aliisque licuit, Verri autem eadem lege tantidem non licuit? quod ei Cicero obiecit iis verbis: *Si ex lege, magno:* et hic, ſubiungens, *lege Verrea:* quaſi iniqua, et Hieronicae diſſimili. Nimirum, vt eximatur ſcrupulus, ita credendum eſt: Verrem, etſi non dena medimna in iugero naſcerentur, quod accidere ſolitum, vbi ſationem dii omnes adiuuarent, Cicero dixit, ad eam tamen rationem decumas triennio vendidiſſe, vt medimnorum numerus iugerum numerum aequaret: quaſi perpetuum eſſet. quod perquam raro contingeret: cum lex Hieronica medimnum ex iugero, decumae nomine, iis dumtaxat concederet, cum dena medimna arator ex iugero caperet: vbi vero minus, decuma minuebatur, id eſt, medimno minor erat. Norbanus autem, et alii, qui tanti decumas iure vendiderunt, quanti Verres iniuſte, per legem Hieronicam id facere potuerunt, in maxima agrorum vbertate, denis medimnis ex iugero perceptis.

Lege

Lege Verrea] Quaſi Verres non ad legem Hieronicam, ſed ad ſuam libidinem, veluti legem quandam, in vendendis decumis reſpexerit.

Atque (Ern. *atqui*) *tum neque iudicium*] Quae recte fecit Verres, non ſolus, neque primus fecit. nam et Norbanus, et alii, meſſe optima, tanti decumas vendiderant. idem ſolus multa fecit improbe, vt cum iudicium de modo iugerum dedit, cum recuperatores e ſua cohorte: et quae infra narrantur.

CAPVT L.

Iam iſte] Nouum Verris lucrum addit ad ſuperiora: quod vbi alicuius agri decumam venderet, a ſingulis decumanis, praeter decumam, bina, vel terna millia nummum ſibi exigeret: quo nomine H-S fortaſſe D millia per triennium fecit. Erant enim Siciliae populi, Plinio teſte lib. III. c 8. LXXII. totidem igitur eorum decumae. pro quibus ſingulis ſi bina millia nummum exigantur, triennio fient CCCCXXXII millia nummum, eoque amplius, quod a nonnullis decumanis non bina, ſed terna millia nummum acceſſionis exigeret. decumani porro totum illud a miſeris aratoribus exprimebant.

Neque eam pecuniam retulit] In aerarium: non enim populo, ſed ſibi exigebat.

Paruum crimen] Quia minimum hoc lucrum, ſi cum decumis illis, et quinquageſimis, et nummorum pro ſingulis medimnis acceſſione conferatur.

CAPVT LI.

Subſcribitur] Eodem verbo vſus eſt ſupra c. 47. *Iugerum ſubſcriptio ac profeſſio.*

Agri Muticenſis (Ern. *Mutyenſis*)] *Mutyenſis*, rectius, vt ſupra c. 43.

CAPVT LIII.

Deterruit] Ne Romam venirent ad teſtimonium dicendum.

An amicum laedendi eſſe cupidum] Quod certe nemo dicit. amicum enim laedere nemo cupit.

CAPVT LIV.

Bis] Euno primum, deinde Athenione ducibus. Eunum P. Rupilius, Athenionem M'. Aquillius deuicit.

Praetoribus] Proconſulibus Rupilio et Aquillio: ſed, *praetoribus*, idem valet.

Aratores reliquos non colligebant] Quia non diffugerunt iis praetoribus, vt praetore Verre.

Supplicaret] Vt ſupplicauit Metellus.

Praeſens oraret] Vt idem Metellus.

CAPVT LVII.

Quo ex iudicio te vlla Salus ſeruare poſſet] Imitatus eſt Terentium, qui dixit in Adelph. act. IV. ſc. 7. v. 43.

— *Ipſa, ſi cupiat, Salus*
Seruare prorſus non poteſt
hanc familiam.

Quo ſpectat illud etiam pro Fonteio c. 6. *Salus ipſa virorum fortium innocentiam tueri non poteſt:*

 Contra

Contra inſtituta legis (Ern. *leges*)] Hieronicae. vel lege, quod magis probo, *contra inſtituta, leges.*

Sponſione laceſſiuit] Promiſſa certae pecuniae ſolutione, ſi cauſſa caderet.

Ni Apronius dictitaret] Similia ſponſionis exempla ſaepe occurrunt, vt in Piſonem c. 23. ad Trebatium lib. VII. Fam. epiſt. 21. in Valerio Max. lib. II. c. 8.

CAPVT LVIII.

Exiſtimationi hominum] Eorum, qui aderant, Siculorum. non enim placet, *populi Romani:* quod aliis videtur eſſe rectius, quam, *hominum.* Infra quoque c. 60. *exſpectant*, inquit, *omnes, quantae tibi ea res curae ſit, quemadmodum hominum exiſtimationi te, atque innocentiam tuam probari velis.*

Ante tibi ſatisfacere] Ante tibi purgatum eſſe, quam tu purgatus eſſes omnibus. nota verbi ſignificatio. vnde *ſatisfactionem accipere.*

Quaeſtores, legatos, praefectos ſuos, tribunos] Ordinem ſeruavit. nam quaeſtor legato, legatus praefecto, praefectus tribuno militum honore antecellit.

Animam] Spiritum. ſupra c. 9. *Odor Apronii taeterrimus oris.*

Non profecto] Miror ſublatam eſſe particulam, *non:* cum eam ſententia non modo poſtulet, verum etiam flagitet. dicit enim Cicero, non eſſe Apronium a Verre ne verbo quidem grauiore appellatum: quod futurum non fuiſſe, niſi Verres notam eſſe rem omnibus, et manifeſtam videret. non profecto commiſiſſes, inquit, vt eum ne verbo quidem grauiore appellares, neque tanti apud te nefaria illa ſocietas fuiſſet, niſi rem ita notam omnibus videres, vt infamiam a te in Apronium avertere nulla ratione poſſes.

Neque apud te] Patet ſenſus: cur igitur, *atque*, pro, *neque*, reponatur? quod alii probarunt.

Societatis] Furtorum, ac praedarum.

Videres] Dixit affirmans, non interrogans.

CAPVT LIX.

Circumdati cancelli] Impoſita neceſſitas. cogitur enim, cui cancelli circumdantur.

Tantis ceruicibus] Tam forti animo.

Qui illam ſuſpicionem leuare, atque ab ſe remouere cuperet] Ironia.

CAPVT LX.

Cognitore tuo] Qui te optime noſſet, cuique credi oporteret, ſocium te ſibi in decumis eſſe dictitanti.

Ni ſocium tibi (Ern. *te ſibi*)] Supra, bis: *te ſibi:* quod magis placet.

Caſſianum] Seueriſſimum. a L. Caſſio, qui ſcopulus reorum vocabatur, quaerendumque dicebat, *cui bono*, *Caſſiani iudices* dicti, quaſi Caſſio ſimiles. pro Roſcio Amer. c. 30. act. I. c. 10. pro Milone c. 12. Phil. II. c. 14.

Papirium Potamonem] Scribam, et familiarem Caecilii, qui Verris quaeſtor fuit. nominatur in Diuin. c. 9.

Hominem ſeuerum] Minime ſeuerum, cum ſit de cohorte Verris.

Ini-

Iniquum eiurare] Vt iniquum recuſare. Phil. XII. c. 7. *Sic me iniquum eierabant.* Et lib. II. de Orat. c. 70. *Eiero, inquit: iniquus eſt.*

Apud tres negotiatores] Quos de conuentu iudices eſſe noluit. Tres autem recuperatores erant.

Metum] Senſus eſt. Tres de conuentu iudices putauit ſeuere iudicaturos, nullo metu praetoris: itaque negauit de ſua exiſtimatione ſe eis eſſe commiſſurum. qui igitur apud tres negotiatores metum non valere iudicauit, is nunc apud lectiſſimos ſenatores iudices valere pecuniam putat?

Artemidorum] Medicum Verris, de quo ſupra c. 21.

Sponſionem acceptam facere] *Facere*, pro perſequi. Quod, inquit, non facis: in quo tollis exſpectatum exiſtimationis tuae iudicium: quia ſcire homines cupiebant, quid de tua exiſtimatione decerneretur. Hoc igitur eſt, in quo primum peccas, quod Scandilium non cogis litem perſequi: alterum, quod Apronio non permittis, vt, quos velit, de tua cohorte recuperatores ſumat.

Impudenter tollis exſpectatum exiſtimationis tuae iudicium] Lego ſine interrogandi nota, hoc ſenſu. Iudicium fieri non vis in ea re, in qua homines, quid de tua exiſtimatione decerneretur, exſpectabant.

Non facis] Non cogis acceptam ſponſionem facere Scandilium.

Apronio permittis] An hoc facis? ne hoc quidem.

Vni] Apronio.

Ex iniquis] E cohorte Verris.

Vtrisque] Scandilio, et Apronio.

Ex aequis] E conuentu.

Reiiciendi] Potuiſſet enim vterque, ſi quem de conuentu recuperatorem non probaſſet, eum reiicere.

Quinque millia nummum] Quibus Scandilius ſponſionem fecerat, ni Apronius dictitaret, ſocium ſibi Verrem eſſe in decumis.

CAPVT LXI.

Ob ſingularem improbitatem, atque audaciam] Quaſi Scandilii ſingularis improbitas, et audacia in laceſſendo ſponſione illa Apronio fuiſſet.

Hoc decerneres] Quod in Scandilium decreuiſti.

Tu de te proferres (Ern. *tute de te profiterere*)] Te Apronio ſocium eſſe in decumis. idem fuit, et hoc decernere; et de te ipſo, quod Apronius dictitabat, proferre.

Quem hominem] Apronium.

Si quis pudor] Verbis illius exiſtimatione tua laeſa: quod pudor tuus ferre non debuit.

Si quis metus] Legum, ac iudiciorum.

Domeſticum ac vernaculum] Dominatum, vt vernae ſerui naſcuntur.

Iam] Hoc tempore.

CAPVT LXII.

Sponſiones] Rubri, et Scandilii.

At qui amici] Hoc cum dolore pronunciat. quod eius amici, qui ea dictitent, quae vniuerſum ordinem ſenatorium in inuidiam adducant, ſenatores ipſi ſint. ideo ſubiungit: *O miſerum, atque inuidioſum, offenſumque paucorum*

eorum culpa, atque indignitate ordinem ſenatorium! Erat igitur ſenator Alba Aemilius, qui proxime nominatur, qui ſcilicet illa dictitabat.

Ad tuam veniam conditionem] Dixiſti: *Niſi ita res manifeſta erit allata, vt reſponderi nihil poſſit, vicimus.* At ego ita rem afferam manifeſtam, vt reſponderi nihil poſſit.

Litteras (Ern. *res*) *manifeſtas quaeris*] Mire placet, quod hic alii excogitarunt: *Auctoritates, teſtimonia, litteras: res manifeſtas quaeris.*

Exiſtimari vult] Ita turpiter viuit, vt, ſi ſcurra exiſtimetur, honori ſibi ducat. at eum ſcurrae ſuo dignum nomine non putant, gladiatorem vocant: quod multo eſt ignominioſius.

CAPVT LXIII.

Lege] Verrea, ipſius libidine: haec enim ei lex fuit. ſupra c. 62. *Quis hoc non ex eo ſtatim iudicavit, quod oſtendi, iſtum decumas noua lege, atque adeo nulla lege, contra omnium conſuetudinem, atque inſtituta vendidiſſe?*

Decumam eſſe quam maximam (Ern. *maximi*)] Venire medimnis quamplurimis. nam quo pluris veneunt, eo plus aratori relinquitur.

Qui plurimum efficit] Etſi hoc et apertum eſt, et Latinum videtur: malim tamen, *reficit*: vt ſupra quoque ſimili loco c. 47.

Amator] Cum vitio, et obſcenae conſuetudinis nota. alibi tamen ſine vitio, ſed per iocum, vt ad Paetum lib. IX. Fam. epiſt. 15. *Senatus conſulta ſcribuntur apud amatorem tuum.*

CAPVT LXIV.

Ne res abiret ab Apronio] Ne Apronius excluderetur. Sic lib. I. c. 54. *Si res abiret ab eo mancipe, quem ipſe appoſuiſſet, ſibi nullam praedam eſſe.*

Tu commotus non eſſes] Infinitum Verris lucrum oſtendit. Nam ſi lucrum hoc ad te non pertinuiſſet, dediſſet illud Minucius Apronio, ſi modo accipere voluiſſet. verum nec Apronio dedit, quia, cum tuus eſſet ſocius, voluiſti illum decumas redimere, non Minucium: quo maiorem quaeſtum faceres, quam erant illa XXX millia modium.

Per eum] Per Apronium.

Cui quiduis licitum ſit] Cum ei plus etiam multo abs te permitteretur, quam quod edixeras.

Tantum lucri] XXX millia modium.

Idem non liceret] Idem quod Apronio. nam illo lucro XXX millium modium, quod Minucius dabat, cum pluris emeret decumas, quam Apronius, ideo contentus non fuiſti, quia maiorem quaeſtum, Apronio decumano, cogitabas.

Defendere] Probare. quod, vt arbitror, non probabis. *Cupio* enim dixit, quia fore non credit, vt probet.

CAPVT LXV.

Panchreſto] Quod medetur omnibus morbis, vt panace herba. pecuniam ſignificari conſtat: qua Verres vteretur ad omnia.

Eductus eſt] In ius.

Abſtuliſſet] Ab aratoribus.

Formulam Octauianam] Octavio praetore inſtitutam.

Habu-

Habuerat] Seruauerat.

Hominum non ingratorum] Qui, pecunia a Verre accepta, ingrati eſſe nolebant.

Homo noſtri ordinis] Animadvertenda ſunt haec. non impetrat ſenator: non impetrat a ſuo familiariſſimo: non impetrat ex edicto.

Homini amico] Verri.

Neceſſario] Cognato. lib. II. c. 26. *Repente coepit dicere, ſe omnia Verris cauſſa velle: ſibi cum eo amicitiam, cognationemque eſſe.*

CAPVT LXVI.

Quod adſcripſit, accenſus] Timarchidem irridet, quod adſcripſerit, *accenſus*, quaſi honoris cauſſa. quemadmodum, qui ſcribae erant, addebant, *ſcriba:* vt, *L. Papirius ſcriba:* qui de cohorte Verris erat, et inter recuperatores dabatur, ſi qua res maior ageretur: vt paullo ante dictum eſt. cognomen ei fuit Potamoni. ſcriba, et familiaris Caecilii vocatur in Diuin. c. 9.

Commune accenſorum, lictorum, viatorum] Vt, qui eſt accenſus, adſcribat, *accenſus;* qui lictor, *lictor;* qui viator, *viator:* et, quod licet ſcribis, idem omnibus liceat apparitoribus.

Caede, concide] Omnia effice, nihil omitte, vt habeas eum in tua poteſtate.

CAPVT LXVII.

In fuga] Cum decederet vna cum Verre, patrono ſuo.

Praecipit] Malim, *praecepit:* cum de patrono ſuo Verre, qui iam deceſſerat, loquatur.

Te poſtulante] Apud praetorem.

Omnes] Pro quibus poſtulas.

Inculcatum eſt] Perſuaſum, quaſi per vim: vt in Vatinium c. 11. *Inculcaſti, vt C. Piſonem, generum meum, nominaret.*

Si dii volent (Ern. *volunt*)] Precantis eſt, non dubitantis, vt in Plauti Bacch. act. II. ſc. 3. v. 5.

> *Extexam ego illum pulchre iam, ſi dii volunt.*

Et in Poen. act. IV. ſc. 2. v. 88.

> *Quin hercle collibertus meus faxo eris, ſi dii volunt.*

Simile illud in Capt. act. III. ſc. 4. v. 55.

> — *Efficiam tamen ego id, ſi dii adiuuant.*

CAPVT LXVIII.

Inſinuet] Addendum, *ſe*, qui putant, huius verbi conſuetudinem obſeruaſſe parum videntur. vno contenti erimus exemplo ex lib. IV. Fam. epiſt. 13. ad Nigidium: *In ipſius conſuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clauſit, inſinuabo.*

Scribas, accenſosque (Ern. *accenſumque*)] Non igitur ſcriba Vulteius erat, ſed fortaſſe legatus, aut quaeſtor.

Incauto] Qui facile deciperet, qui caueri propter aſtutiam non facile poſſet.

C. Laelii] Qui Sapiens dictus eſt. poſterior autem ſignificatur, Africani minoris familiariſſimus. nam fuit alter, Africani maioris item amiciſſimus.

M. Catonis] Cenſorii, qui et ipſe Sapiens eſt appellatus.

Materiem] Praeſtantis naturae vim, quae, ſi accedat diſciplina, mirabiles fructus effert.

Indolem] Non modo in pueris aut adoleſcentulis eſſe dicitur, ſed in viris quoque, vt hic, et pro Coelio c. 17. *Si qui hoc robore animi, atque hac indole virtutis, ac continentiae fuit.*

Id quod turpiſſimum eſt] Videri eum patri ſuo ſimilem.

CAPVT LXIX.

Furis ac diuiſoris] Patris tui. act. I. c. 8.

Quid iſto feſtiuius] Iſto tuo filio. *Feſtiui* dicuntur pueri, id eſt, amabiles: vt ad Torquatum lib. VI. Fam. epiſt. 4. *Praeſertim ab iis pueris, quibus nihil poteſt eſſe feſtiuius.*

Facile paterer] Non enim ab eo mihi timerem, vt a bono, fortique.

Quam Verri defuit] Verri non defuit accuſator: mihi ſimiliter non deerit, ſi qua in re Verri ſimilis fuero.

Neque deeſſe nocenti] Nocentes enim accuſabuntur.

Neque obeſſe innocenti] Innocentes enim abſoluentur.

Haud ſcio an fieri poſſit] Fieri fortaſſe poteſt ob cuſtodiam amicorum. quamquam vereor, ne ambigue Cicero ſit locutus, et cum infamia potius, quam cum laude pueri Verris: cum dicat, *ſectabuntur:* et ſubiungat, *quoniam pater tam negligens ac diſſolutus eſt.*

Crimen decumarum] Quid, ſi *decumanum?* vt ſupra c. 62.

CAPVT LXX.

Certarum (Ern. *alterarum*)] Quot primae fuiſſent.

Diſtributum] Imperatum.

Duodetricies (Ern. *bis et tricies*)] Si tota modiorum ſumma eſt, DCCC millia; ſinguli autem modii quaternis ſeſtertiis aeſtimantur: ſubducta ratione patet, legendum, *bis et tricies*, id eſt, ſcutatorum XCVI millia.

Ferme] Quia certus decumarum numerus numquam erat.

Nonagies] Scutatorum CCLXX millia.

Ex aerario inopi, atque anguſto (Ern. *exhauſto*)] Scripſi olim, quod hic non grauabor iterare, tria Romae aeraria fuiſſe, vnum, quo vectigalia, tributa, et ex aſſiduis bellis collecta praeda conferebatur, et ex eodem, quidquid ad ſumtus bellicos, aliasue res temporum ratio poſtularet, depromebatur. exhauſtum ante ciuile bellum Caeſarianum, non hic modo Cicero ſignificat, et infra c. 78. cum ait: *Si poteſt iſta pecunia ſine aratorum iniuria detrahi; populus Romanus habeat, praeſertim in tantis aerarii anguſtiis:* ſed etiam in orat. de prou. c. 5. *Quibus quidem vos*, inquit, *in his anguſtiis aerarii, tamen ſubueniatis neceſſe eſt.* itaque miror Lucanum exiſtimaſſe, apertum non eſſe ante Caeſaris dominationem. lib. III. v. 155, ſeqq. inquit:

Tunc conditus imo
Eruitur templo, multis intactus ab annis,
Romani cenſus populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perſes, quem victi praeda Philippi, etc.

Nam, vt omittam Ciceronem, qui anguſtias huius aerarii ſaepe nominat: ſi gaza Macedonica, a Paullo

Paullo in aerarium inuecta, populum Romanum diuturni tributi penſione liberauit, quod idem Cicero lib. II. de Offic. c. 22. tradidit: neceſſe videtur, ex ea praeda tantum ſumi, et in ſumtus erogari ſolitum eſſe, quantum antea populus Romanus tributi nomine pendere conſueuerat. alioqui non tria, ſed quattuor aeraria fuiſſent. Alterum erat aerarium ex auro viceſimario, de manumiſſorum viceſima lege Manlia collecto: quod aperiri niſi extremis caſibus non licebat: ideo ſanctius appellabatur, auctore Cicerone lib. VII. ad Attic. epiſt. 21. et Caeſare lib. I. de bell. ciu. c. 14. Tertium erat ex praeda Gallica: ex quo, niſi Gallici belli metus vrgeret, promi nihil poterat. Caeſar tamen victor omnem ex eo pecuniam, quaſi rempublicam ipſe Gallici belli metu liberaſſet, ad ſe transtulit: vt apud Appianum lib. II. de bell. ciu. ſcriptum eſt.

Binis centeſimis] Menſtruis. quae ſunt pro centenis XXIV in anno.

Commodum fuit] Libuit, vt lib. I. c. 4. *De capite, quantum commodum fuerit, frumenti decumani detraxerit.*

CAPVT LXXI.

Tu, cui] Quaero verbum, vnde, *tu*, regatur.

P. Vettio] Repoſui, L. cum et paullo poſt ſequatur, *L. Vettii:* et P. praenomen fratris eius fuerit, qui Verris quaeſtor fuit, et lib. V. c. 44. nominatur.

Qui iſti ita amicus et neceſſarius eſt] *Neceſſarius*, ob affinitatem: quia ſororem eius in matrimonio Verres habebat. Sed hic eſt luculenta figura, pro teſte contra reum: vt Vettii teſtimonio neutram ob cauſſam, aut quod amicus neceſſariusque ſit Verris, aut quod eiusdem inimicus, fides abrogetur. facit enim probitas Vettii, vt ei, quaecumque dicat, credenda ſint omnia: facit improbitas Verris, vt, quaecumque in eum dicantur, neque ficta, neque ab inimico dicta videantur. Eandem venuſtatem habet, et in ſimili genere verſatur, id, quod in Quintiana c. 25. ſcriptum eſt de Roſcio Comoedo: *Cum artifex eiusmodi ſit, vt ſolus dignus videatur eſſe, qui in ſcena ſpectetur: tum vir eiusmodi eſt, vt ſolus dignus videatur, qui eo non accedat.* Et pro Caecina c. 27. de Gallo iurisconſulto: *Qui ita iuſtus et bonus vir eſt, vt natura, non diſciplina, conſultus eſſe videatur: ita peritus ac prudens, vt ex iure ciuili non ſcientia ſolum quaedam, verum etiam bonitas nata videatur.*

Graue videretur] Magni ponderis: quia non habuiſſet rationem amicitiae.

Eius teſtimonio credi oporteret] Propter bonitatem.

Magiſter ſcripturae] Vettius, non Carpinatius.

Et ſex (Ern. *eius ſocietatis*)] Alii ex antiquo libro, *et ſocietatis.* quod probo.

CAPVT LXXII.

Tui quaeſtoris] Lib. V. c. 44. nominatur. Sex autem quaeſtores triennio in Sicilia Verres habuit, binis in ſingulos annos mutatis.

Appellanda] Deeſt, *ſuo teſtimonio patefacit:* aut aliquid ſimile.

Scribae] Societatis.

Ab ſe] Ab ſocietate, cui operam nauabant.

Vſura ſaepe iuuiſſet] Cum eis vtendam pecuniam ſine fenore relinqueret. vel dic, *vſura minima:* cum Verres binas centeſimas voluerit.

Pro vſuris] Vſurarum nomine. Dixit autem numero multitudinis, quia Verres vnis centeſimis, quae grauiſſima erat omnium vſurarum, contentus non fuerat, ſed binas exegerat.

CAPVT LXXIII.

Annos ſingulos] Malim, *annis ſingulis.*

Nummos abſtulit] Ab Haleſinis.

Quanti erat] Quanti aeſtimabatur.

Cauſſam] Curam, negotium.

Fratrique meo] Patrueli, L. Tullio.

Gratias ageret] Quod in Siciliam ad colligenda Verris crimina profecti eſſemus.

Decumarum nomine] De quo frumento, quantum de imperato debebat, Romam miſit: imperati pretium apud ſe retinuit.

Poſco rationes] Publicas Haleſinorum.

Litteras] Id quod ſcriptum erat in rationibus. Sic enim hic, *litteras*, interpretor, vt paullo poſt c. 74. *ex litteris publicis.*

CAPVT LXXIV.

Progredi iſte non poſſet (Ern. *poſſit*)] Commouere ſe non poſſet, teneretur.

Peculiarem] Tuam propriam: vt ſupra c. 14. *peculiare edictum.*

Mancipes] Publicani, qui publica ſuo quaeſtu, ſuoque periculo emunt.

CAPVT LXXV.

Lex Terentia] Lex Terentia, et Caſſia, quae nominatur lib. V. c. 21.

Ex litteris publicis ciuitatum] Rationibus populorum. quod infra dicit.

Non interpoſitis, neque perturbatis] Vt interpoſitae ſunt, et perturbatae rationes Verris: quod fraudis indicium erat.

CAPVT LXXVI.

Columen familiae veſtrae] Terentii in Phorm. act. II. ſc. 1. v. 57.

Premit fauces] Vt loqui pro te non poſſit.

Annulo aureo ſuo] Quo vtebatur ad obſignandas tabulas: vt mutire iam Verri, et ex mancipibus defenſionem arripere non liceret. de hoc annulo lib. I. in extremo.

Quem ex his rebus inuenit] Quo tu eum in concione donaſti propter huiusmodi flagitia. De hoc annulo infra c. 80. pluribus verbis.

Tenetur] Arguitur, et conuincitur.

Quaeſtori] Cn. Carbonis conſulis, lib. I. c. 13.

Conſulem] Ipſum Carbonem.

In illa caligine ac tenebris] Bellum ciuile Marianum ſignificat, quod, poſt obitum Marii, et Cinna, et Carbo, eiusdem factionis duces, perſecuti ſunt. Apte, *latuit in caligine, ac tenebris.*

Occupauerat (Ern. *occupauerant*)] Non refero ad tenebras, (nam legendum eſſet *occupauerant*)

rant) ſed ad caliginem, propter pronomen, *illa*, quod ad ſe verbum attrahere videtur.

Hereditariam quaeſturam] Malleolo quaeſtore mortuo, *Hereditariam* vocat, quod eam vt hereditatem quandam accepit, in qua lucri plurimum faceret. Lib. I. c. 36. *C. Malleolo, quaeſtore Cn. Dolabellae, occiſo, duas ſibi hereditates veniſſe arbitratus eſt: vnam quaeſtoriae procurationis; alteram tutelae.*

Permiſcuit] Itaque furta Verris Dolabellae ſunt aeſtimata.

Pecunia] De publico, ad emendum frumentum.

Praetori] Siciliae.

Ligurientem] Carpendo comedentem.

CAPVT LXXVIII.

Pro ſpectatione, et collybo] *Spectatio* eſt, cum ſpectatur peritis, et probatur pecunia: *collybus*, cum in aliud monetae genus permutatur.

Neſcio quo cerario] Quod in ceram erogatum eſſet, ceram autem fortaſſe tabularum, in quas relata pecunia eſſet illa. ſtilo enim ſcribebatur in ceratis tabulis.

Genus tertium deductionis] Pecunia ſcribae data pro labore, operaque ſua.

Tuus apparitor] Scribae igitur apparitores.

Conductus] Vt operam tibi navaret in rationibus publicis.

CAPVT LXXIX.

Certiores facti] Aratores.

Petiuerunt] Pecuniam.

Fiſcum] In quo pecunia erat. act. I. c. 8. *Fiſcos complures cum pecunia Sicilienſi a quodam ſenatore ad equitem Romanum eſſe translatos.*

Nepotum] Qui bona temere diſſipant.

Scenicorum] Spectantium ſcenicos ludos.

Corollariis] Muneribus.

Cum decuriam emerunt] Decuriam ſcribarum.

Ex primo ordine exploſorum] Hiſtriones, cum eorum actio, aut pronunciatio non probatur, exſibilantur, et exploduntur. in iis videtur fuiſſe ſcriba Verris, ante quam decuriam emeret. *Primus ordo exploſorum* deterrimos ſignificat hiſtriones. in quo feſtiue Cicero, cum videatur laudare, dicens, *primus ordo*, vituperat, ſubiungens, *exploſorum*.

In ſecundum ordinem ciuitatis] Equeſtrem, nam primus erat ſenatorius.

Veniſſe] Non, quod iam veniſſent, ſed quod veniſſe ſibi viderentur, quandoquidem decuriam emiſſent, vnde in equeſtrem ordinem adſcendi ſoleret.

Dicunt] Gloriantur.

Tecum diſceptatores] Qui de hoc tecum crimine, id eſt, de binis quinquageſimis, tecum diſceptabunt, negantes eas a bonis ſcribis poſtulari, ac ne cogitari quidem ſolitas.

Iſtos] Qui, nummulis corrogatis de nepotum donis, ac de ſcenicorum corollariis, decurias emunt: quod fecit ſcriba tuus.

Scribas eſſe moleſte ferunt] Vt indignos ordine ſecundo ciuitatis.

In eo ordine] Senatorio.

Quo cuiuis licet pretio peruenire] Licet enim cuiuis, empta aliqua decuria, in ſcribarum ordinem peruenire.

CAPVT LXXX.

H-S tredecies] Inſignis menda: quod facile probabo. Loquitur hic Cicero de tritico decumano emto, non de imperato, quod ipſum quoque emebatur, et decumanum quidem ternis H-S in ſingulos modios, imperatum quaternis. loqui autem eum de decumano, inde coniicio, quod paulo ante c. 78. dixit: *Ex omni pecunia, quam aratoribus ſoluere debuiſti, certis nominibus deductiones fiebant.* videamus igitur, binae quinquageſimae decumani frumenti, ſcribae nomine deductae, quo numero ſint. Imperati tritici DCCC millia modium, decumani ferme ad nonagies, Cicero ſupra c. 70. dixit. de nonagies igitur centenis millibus modium, ſi binae quinquageſimae, id eſt, quattuor centeſimae deducantur: erunt omnino quinquageſimae, CCCLX millia. pretio autem in ſingulos modios conſtituto ſeſtertiis ternis, erunt H-S decies LXXX millia, id eſt, ſcutatorum XXXII millia CCCC. Quae ſi a nobis recte ſubducta ratio eſt; legendum et hic, et infra conſtat, *H-S decies LXXX millia.*

C. Catoni] Qui Siciliae praefuit, et, cum H-S tantum XVIII millia, id eſt, ſcutatos DX contra leges cepiſſet, de repetundis damnatus eſt. Nepos fuit M. Catonis Cenſorii, et L. Aemilii Paulli, Africani minoris ſororis filius. lib. IV. c. 10.

Quid haec ſibi] Ideo eos donaſti, ne teſtimonium contra te dicerent.

Vt eſſet, vnde ſcriba tuus] Vt equeſtris ordinis eſſe poſſet. cenſus enim equeſtris erat, H-S CCCC millia, id eſt, ſcutatorum XIII millia. vnde Horatius lib. I. epiſt. 1. v. 57.

Si quadringentis ſex ſeptem millia deſunt,
Plebs eris. —

Eo cenſu qui carebat, annuli aurei geſtandi ius non habebat. ita nec eques Romanus eſſe poterat. propterea dixit Plinius lib. XXXIII. c. 1. *Annuli aurei diſtinxere equitem a plebe.* Et Verres, antequam eo annulo ſcribam donaret, eum locupletauit: vt equeſtri cenſu eſſet. Dicit igitur Cicero: *Qui ipſi annulos aureos poſuerant, liberisque ſuis detraxerant, vt eſſet, vnde ſcriba tuus hoc tuum munus, ac beneficium tueretur?* Et infra: *Ob haſce res, quoniam te locupletaui, hoc annulo aureo dono.*

Tueretur] Annuli enim aurei, et equeſtris ordinis, cenſu equeſtri imminuto, ius amitteret. ad Dolabellam lib. IX. Fam. epiſt. 13. *Res familiaris alteri eorum valde exigua eſt, alteri vix equeſtris.* Docere videtur hic locus, qui annulo aureo donaretur, adeptum eſſe locum inter equites Romanos, licet a cenſoribus nondum lectus eſſet.

Quoniam te locupletaui] Vt annulo aureo vti poſſis.

Iſtum virum] Scribam tuum non oſtendit eſſe virum, cuius tibi in proelio, in bello, in re militari cognita virtus, perſpectaque ſit, ſed hominem locupletem eſſe declarat, et equeſtri eſſe cenſu, vt annulum ipſe ferre poſſit.

Virtutis] In bello perſpectae.

Comitem pecuniae] Cum enim iam eum locupletaſſes, annulum poſtea

poſtea donaſti, vt eques Romanus, equeſtri cenſu iam a te inſtructus, eſſe poſſet.

CAPVT LXXXI.

Decumano frumento] Ordinario, non emto. erat enim et decumanum extraordinarium emtum.

Emto] Cuius duo genera, decumanum, et imperatum. ſupra c. 70.

Et (Ern. *tum*) *vero eo magis*] Ita correxi, exemplis adductus Latini ſermonis: cum antea legeretur, *te vero.* in epiſt. ad Plancum lib. XVI. ad Attic. epiſt. 15. *Qua quidem voluntate te eſſe erga Atticum, ſaepe praeſens et illi oſtendiſti, et vero etiam mihi.* Lib. I. ad Q. Fr. epiſt. 1. *Tibi et fuit hoc ſemper facillimum, et vero eſſe debuit.* Pro Murena c. 22. *Qui et per ſe, et per ſuos, et vero etiam per alienos defendatur.*

Numero ad ſummam tritici adiecto] Imperato frumenti maiore numero, quam liceret. in quo primum Verris lucrum fuit: alterum in aeſtimatione, a ternis H-S ad ternos denarios perducta.

Non ex aeſtimatione] Poteſt enim Verres excuſare aeſtimationem illam difficultate temporis, quod triticum ternis denariis valeret.

CAPVT LXXXII.

Ex coauctione annonae atque aeſtimationis] Hoc reprehendo, quod et numerum ad ſummam tritici adieceris, et aeſtimationem auxeris: vt pro ternis H-S ternos denarios a ciuitatibus exigeres. *Coauctionem annonae* vocauit id, quod ad ordinariam tritici ſummam a Verre addebatur.

Accommodatione] Eodem verbo vſus eſt lib. I. de Inuent. c. 7. *Elocutio eſt idoneorum verborum, et ſententiarum ad inuentionem accommodatio.* Et ad Memmium lib. XIII. Fam. epiſt. 2 *Peto a te in maiorem modum, quod ſine tua moleſtia fiat, vt ei de habitatione accommodes.*

Et ita multi] Malim pro ſententia, *ſed ita multi.*

CAPVT LXXXIII.

Philomelo] Graeci, Φιλομήλιον: Latini, *Philomelum:* et ita in Ciceronis epiſtolis vbique legitur.

Video, quid inter annonam intereſſe ſoleat] Video frumenti pretium non idem eſſe omnibus in locis. poteſt enim pluris eſſe Epheſi, quam Philomeli.

In Phrygia] Cuius regionis oppidum eſt Philomelum.

Aut ad emendum frumentum] Hoc quoque refertur ad, *expedire.*

Id quod ſummi iuris eſt] Nihil potes difficilius imperare, quam vt mediterranei populi frumentum ad aquam portent.

Ne vectura quidem opus eſt] Quo enim quisque vehere iuſſus erit, ibi tantidem frumenti emet, quod magiſtratui det, quanti domi ſuae vendidiſſet. verum totus hic quaeſtus ex eo naſcitur, quia varia eſt annona, id eſt, quia frumento non vbique pretium vnum eſt. magiſtratus autem imperat, vt ibi frumentum accipiat, vbi eſt cariſſimum. inde naſcitur aeſtimatio, et pro frumento pecunia

cunia exigitur: ita vectura non eſt opus.

Valet iſta ratio aeſtimationis] Poteſt quisque vti hac aeſtimatione: ſi poteſt ibi quisque frumentum accipere, vbi cariſſimum eſt.

CAPVT LXXXIV.

Iniquam in ſocios] Propter id, quod ſubiungitur: *Tu, cum tibi ego.*

Quanti iſte aeſtimauit] Sed cum nullo in loco ternis denariis fuerit, valet in te crimen.

Si mihi tecum] Tollitur controuerſia, cum id probatur, quod obiicitur: ego nihil obiicio, quod non probem. ergo mihi non poteſt eſſe controuerſia neque de annona, id eſt, de numero ſummae tritici a te adiecto, neque de aeſtimatione, id eſt, de ternis denariis.

Quid ſedes] Cur non, vt perſpicue conuictus, diſcedis?

L. Piſo] Cum Siciliae praeeſſet.

Soluiſſes] Pro, ſoluere debebas. ſupra c. 78. ſic locutus.

Conceſſerat] Donauerat in cellam tuam.

CAPVT LXXXV.

Benigne, ac liberaliter] Aliquid enim lucrabor. Aratoris verba.

Mihi frumento non opus eſt] Praetoris verba, vt ad pecuniam qua velit aeſtimatione perveniat.

Non (Ern. *nam*) *ſperaueram*] Affirmationem locus poſtulat, itaque pro, *non*, repono, *nam.* quod eſt, certe: vt lib. I. c. 51. *Nam mehercule, inquit, ſic agamus.* Et lib. II. c. 29. *Nam hercule, inquit Q. Minucius, me quoque Petilius, vt ſibi in conſilio adeſſem, rogauit.*

In ciſtam] Meam priuatam, ex fiſco publico.

Octonos H-S] Qui ad ſingulos denarios, in ſingulos modios, a ſenatu datos, adiecti, terni denarii erunt.

Dare (Ern. *dari*) *voluit*] Elegantius, *te*, ſubauditur, quam, *dari*, legitur.

Quantum reliqui ſcriba fecerat] Cum ſub binis quinquageſimis.

Vltro] Nullo nomine, nulla cauſſa, pro Verris ipſius libidine.

CAPVT LXXXVI.

Cum fructus] Rectius, quam, vt in quibusdam libris, *qui fructus.*

Illi quoque homines] Illi quoque aratores, qui vel in nummis, vel in vrbanis praediis habebant.

Decumas] Eas, quae non emebantur.

Alteras] Eas, quae emebantur, H-S ternis in modios ſingulos.

Dent emtum praeterea] Imperatum, ciuitatibus aequaliter diſtributum. ſupra c. 70.

De cella loquor] De frumento, quod vtendum praetori dabatur. Infra c. 87. *Data tibi pecunia eſt, Verres: vna, qua frumentum tibi emeres in cellam; altera, qua frumentum emeres a ciuitatibus, quod Romam mitteres.*

CAPVT

CAPVT LXXXVII.

Non ad aequitatis conditionem (Ern. *aequitatem conditionis*)] Non quia ſit aequa conditio, ſed quia ſit hoc tolerabilius, frumentum in cellam gratis dare, quam illud, praetori in cellam vendere, cum aeſtimatione a Verre inſtituta. Placeret magis, ***non ad aequitatem conditionis.***

Suae partis] De ſuo, pro ſua parte, pro eo, quod ad ipſum attineret.

H-S VIII millia] Aeſtimato modio H-S octonis.

Aſſequi] Vt pro ſingulis modiis H-S octonos magiſtratui det.

Certo (Ern. *certe*) *fructu ſuo non potuit*] Eo fructu, quem capere ſolitus eſt. mihi tamen, *certe fructu ſuo non potuit*, magis arridet, quam opinionem adiuvat, quod ſubiungitur: *Vendiderit inſtrumentum, neceſſe eſſe.*

Hoc munus] Vt aratores pro frumento in cellam imperato H-S octonos magiſtratibus dent. *Munus* hic accipitur pro eo, quod aratores pendunt, vt paullo ante c. 86. *Hoc vobis eſt ſtatuendum, quid aratorem ipſum, arationis nomine, muneris in rempublicam fungi ac ſuſtinere velitis.*

Nihil detraho] De hoc vectigali.

In vno genere ſolo frumenti] Eius frumenti, quod in cellam imperatur.

Populo Romano Sicilia decumas det (Ern. *decumas: det*)] Implicata ſententia. non enim haec verba cum ſequentibus apte coniunguntur. quanto planius hoc modo: *Populo Romano Sicilia decumas dat: det pro ſingulis tritici modiis ternos denarios, ſibi habeat frumentum.*

Tibi datam pecuniam] A ſenatu, H-S quaternos in ſingulos modios.

Pecuniam permagnam tuo nomine aufers] Aufers ab aratoribus H-S octonos in ſingulos modios. *Tuo nomine:* quia nomine frumenti acceperas iam a ſenatu pecuniam: quam vero ab aratoribus aufers, tuo, non frumenti, nomine aufers.

Refer, quam accepiſti] Refer ad aerarium, quam tuo nomine accepiſti.

Ea res, quam ego dico] De frumento, quod ad populum Romanum pertinet, ſimiliter aeſtimando.

Genere iniuriae, non magnitudine pecuniae differant (Ern. *differat*)] Si differrent genere iniuriae, et aeſtimatio iſta in tuo commodo aequa eſſet, in populi Romani commodo non item: recte diceres, quod in tuo frumento Sicilia tulit, id in publico laturam non eſſe. Sed iniuriae genere non differunt: iniqua tui frumenti aeſtimatio fuit, iniqua eadem eſſet publici frumenti. differunt autem pecuniae magnitudine: quia tanto plus penderet Sicilia pro publico frumento, ſi ternis denariis aeſtimaretur, quam pro tuo, quanto maior eſt eius frumenti numerus, quod ad populum Romanum pertinet. quam eius, quod in cellam imperatur.

Iſtam ipſam cellam] Iſtam aeſtimationem eius frumenti, quod in cellam dare ſolent.

CAPVT LXXXVIII.

An comitatus exſilio quaeritur] Haec enim defenſio non aſſequitur,

tur, vt Verres abſoluatur, ſed ne ſolus condemnetur, et vt exſilii ſui comites habeat.

In hac hominum libidine] Quam poena minui, non augeri impunitate, oportet.

Fecerunt aliqui alia quam multa] Quae facere non licebat, quorum exemplis in tuorum criminum defenſione non vteris.

In te ſingularis] Quorum ſimile nemo quidquam fecit.

Vt ego aſſentiar orationi] Vt fatear id verum eſſe, quod dicis, feciſſe alios.

CAPVT LXXXIX.

Liberi populi] Qui ſui iuris ſunt, nullum nobis vectigal pendunt.

Quod reſtat] In poſterum.

CAPVT XC.

Africanos] Minorem ſignificat, non vtrumque: cum ſequatur, *Catones:* et, *Laelios:* quod de poſteriore Laelio, minoris Africani amiciſſimo, qui et ipſe, tamquam Cato, Sapientis cognomine eſt honeſtatus, dictum volo. hos enim tres alibi quoque Cicero ſimul nominat, vt pro Murena c. 31. pro Archia c. 7.

Hos recentes] Subaudi, *commemorabis.*

Q. Scaeuolam] P. F. pontificem max. quem iuſſu Marii iunioris praetor vrbanus Damaſippus occidit. fuit alter Q. Scaevola Q. F. augur, aetate maior: qui non poteſt inter hos recentes ſignificari.

M. Scaurum] Principem ſenatus, patrem eius, quem Cicero defendit.

Q. Metellum] Numidicum. hic enim, cum multi Q. Metelli fuerint, virtute, et rerum geſtarum gloria omnibus antecelluit: et idem nominatur lib. IV. c. 66.

Hominum exiſtimatio grauis habebatur] Cupiebat vnusquisque, bene de ſe homines exiſtimare.

Aliquid exempli] Seueri exempli.

P. Seruilium] Iſauricum.

Q. Catulum] Filium proxime nominati.

Auum Q. Metellum] Auum maternum Metellum Numidicum. eſt enim in oratione poſt red. in ſen. c. 15. *Luculli, Seruilii, Scipiones, Metellarum filii.*

CAPVT XCI.

Cum eſſes proconſul (Ern. *pro conſule*)] Qui tamen conſul non fuerat. ſed *proconſules* quoque vocari ſolitos, qui poſt praeturam in prouincias iuiſſent, alibi copioſe oſtendimus.

De cella] Quod tu feciſti, vt nullas cellae nomine pecunias cogeres, idem ante fecerat Lepidus.

M. Antonii] Quem vniuerſae orae maritimae infinito cum imperio praefuiſſe, ſupra in Diuin. c. 17. et lib. II. c. 3. diximus.

Vtrum mihi difficile eſt dicere] Modus loquendi, pro facile eſt et mihi dicere, et his exiſtimare.

Quam ſe poſſit defendere (Ern. *ſi defendere poſſit*)] Lego, *quam, ſi poſſit, defendere*, hoc ſenſu. Tuetur ſuum factum Verres imitatione Antonii. at hoc illi pernicioſius eſt, quam dicere, ſe nulla vmquam in re illi ſimilem fuiſſe:

fuiſſe: ſi modo hoc defendere, et probare poſſit: quod non poteſt: multis enim in rebus eius improbitatem imitatus eſt.

Quid probarint (Ern. *probarit*)] Vt ab iis recte factum.

Mors oppreſſit] Indicto Cretenſibus bello: de quo ſupra in Diuin. c. 17. Et, *oppreſſit*, ante quam, quod cogitabat, efficeret.

Iudices] Nominandi caſu, non vocandi. *iudices* enim appellat ſenatum, populumque Romanum: vt ſi dixiſſet: *Quaſi eius omnia facta, atque conſilia ſenatus, populusque Romanus iudicio ſuo comprobarint.*

CAPVT XCII.

Aratorum commodo] Supra c. 82. *Haec aeſtimatio nata eſt, iudices, initio non ex praetorum, aut conſulum, ſed ex aratorum, atque ciuitatum commodo.*

Ante nouum] Antequam nouum frumentum perciperetur.

Remiſſior] Ternos enim H-S, de ſingulis modios detraxit. nam terni denarii ſunt duodeni H-S.

Quam annona (Ern. *annonae*)] Quam frumenti pretium in ſumma caritate.

Quos tu] Quaeſtor. Inter quaeſtorum prouincias rei frumentariae cura erat.

CAPVT XCIII.

Et iſtius innocentiam] Cum ironia: vt etiam, cum ſubiungit, *auctoritate:* quae nulla erat: nam turpiſſime vixerat Antonius.

Sex. Peducaeo] Cui quaeſtor ipſe fuit.

Vberiora cibaria] Quia vel frumenti pretium, vel ipſum frumentum Peducaeus a Siculis accepit: quo vendito, pecuniae plus, quam in vilitate, colligit, quod C. Sentius quoque fecit.

CAPVT XCIV.

Non enim a vobis ſumma] Si Verrem abſoluitis hoc aeſtimationis crimine: non putabunt homines, iudicaſſe vos, licere ternis denariis aeſtimare frumentum illud, quod in cellam imperetur, pluris autem non licere, ſed ipſam aeſtimandi licentiam a vobis eſſe comprobatam arbitrabuntur: vt magiſtratui poſthac frumentum illud, Verris exemplo, pro libidine liceat aeſtimare.

Eſt (Ern. *erit*) *comprobatum*] *Eſt* pro *erit.* vtitur enim praeſenti tempore, quo magis rem ſubiiciat oculis iudicum, et a praeſenti eos auertat infamia.

Neque hoc poteſtis iudicare] Neque poteſtis iniuriae modum ſtatuere, et aeſtimationem ternis denariis definire.

Ab annonae ratione] Ab eo, quanti frumentum erit: a communi pretio.

Ab aratorum voluntate] Qui, quod licet, id fieri volunt, et frumentum, quanti licet, aeſtimari.

CAPVT XCV.

Prouinciam ſortitus es] Cretam; qua tamen collegae conceſſa Q. Metello, inde Cretici cognomen adepto, in vrbe manſit.

Condemnari poſſit] Habebit enim, quo ſuum factum defendat: pecuniam a ſe coactam dicet aeſtimatione frumenti: quod licere

cere iam ſit iudicatum in cauſſa Verris.

CAPVT XCVI.

Tamen ita dicit] Palam quidem in defendendo non dicit, ſed ita dicit, vt vos id ſuſpicari, et cogitare poſſitis.

Hoc] Abſolui Verrem hoc aeſtimationis crimine.

Ad commodum ſenatorium] Vt ſenatoribus idem liceat in prouinciis, quod Verri licuit.

Eorum, qui iudicent] Iudicabant adhuc ſenatores. nam legem de iudiciis inter tres ordines communicandis promulgauerat Cotta praetor, nondum pertulerat. de quo paullo poſt. Ad vtilitatem autem iudicum id pertinere videbatur; quia, cum eſſent ſenatores, et euenire facile poſſet, vt in prouincias irent, non mediocre lucrum ex eadem aeſtimandi licentia ſperare poſſent.

Aut cum legatione] Nam legatis quoque frumentum in cellam imperabatur. infra c. 98.

Illum praetorem] L. Aurelium Cottam.

Templum tenet] *Templum* Roſtra vocabantur, in quibus legem magiſtratus ferebat. quotidie autem praetor Cotta erat in Roſtris, vt legem de iudiciis ferre poſſet. in Vatinium c. 10. *Iudicem in Roſtris, in illo, inquam, augurato templo ac loco collocaris.*

Qui rempublicam ſiſtere negat poſſe] *Stare*, malim, quam *ſiſtere*, ex conſuetudine Latini ſermonis.

Referantur] Non vt ſoli iudicent, ſed vt cum ſenatoribus. id enim Aurelia lege ſancitum eſt.

CAPVT XCVII.

Minore periculo veſtro] Abſoluere enim ſine ſummo periculo veſtro non poteſtis eum reum, qui manifeſto in periculo tenetur, qui, quod commiſit, negare non poteſt.

Minore periculo prouinciarum] Quia, ſi Verrem abſoluitis, cui ſuum delictum nulla ne falſa quidem ratione licet defendere: peccabunt ceteri multo impudentius maximo prouinciarum damno. Vocem, *periculo*, vt otioſam, tollendam crederem.

Vobis] Iudices.

Si proſpicitis] Si me abſoluitis. Haec enim dicuntur ex perſona Verris.

Eos homines] Senatores.

Qui ipſi legibus teneantur] Quibus non aeque tenentur ciues reliqui. ſolus enim ordo ſenatorius lege de repetundis, qua reus erat Verres, tenebatur.

Quantum commodum fuit] Quantum libuit. quo modo ſaepe iam interpretati ſumus.

CAPVT XCVIII.

Tollatis] Verre punito.

Annona] Id, quod ex aratione percipitur.

Male vendendum] Paruo pretio.

Si proceſſit] Si meſſis copioſa fuit.

Male perceptos fructus] Parum frumenti perceptum eſſe.

Si recte licet vendere] *Recte*, pro care. contrarium contrario retulit, quia dixerat, *male vendendum.* Et, *recte*, ex perſona aratoris, qui caritate potius in calamitate fructuum, quam vilitate gaudet in copia.

Nouis

Nouis inſtitutis] Non Hieronica lege.

Propter annonae rationem] Quia neceſſariae populo Romano ſint, quia ſic annona poſtulet, quia primae non ſufficiant.

Imperentur] Pro quibus tamen pecunia ſoluitur, H-S terni in modios ſingulos: vt ſupra c. 80. demonſtratum eſt.

Ematur praeterea frumentum] Octingenta millia modium, H-S quaternis in ſingulos.

Legatis] Propterea dixit ſupra c. 96. *Qui in prouinciis cum poteſtate, aut cum legatione ſe futuros aliquando arbitrentur.*

Aut in ipſis fructibus ſolutum] Quod dari non oporteat aut in primis decumis, aut in ſecundis, aut in frumento ciuitatibus aequaliter imperato, aut in eo, quod aratores in cellam magiſtratibus et legatis dare coguntur.

Deſeruiunt] Siculi ita ſeruiunt, vt nihil omittant. haec enim vis eſt in verbo, *deſeruire.*

Noua] A Verre primum inducta: quae alii praetores, abſoluto Verre, imitabuntur.

Apronii dominationem] Quae numquam deerit, ſceleribus impunitate propoſita.

Non pertulerunt] Arationes enim deſeruerunt, ſedes patrias reliquerunt, haec ne perferrent, quae pati non poterant.

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ACTIONIS II.
IN
C. VERREM
LIBRVM IV.
QVI
DE SIGNIS
INSCRIBITVR

EXPLANATIO

CAPVT I.

Studium] Honeſtum vocabulum flagitioſae rei.

Morbum] Animi: quae πάϑη vocant Graeci. lib. I. c. 36 *Ille quoque, ſodalis iſtius, erat in hoc morbo, et cupiditate.*

Inſaniam] Non modo morbum, ſed morbum etiam eiusmodi, qui ſimilitudinem habeat inſaniae. Qui enim alicuius rei maiore, quam deceat, cupiditate flagraret, *inſanire* dicebatur: vt infra c. 18. *Similis iſtius cupiditas: hoc etiam acrior atque inſanior, quod illa cupiebat id, quod viderat.* Et poſt c. 21. *Nonne vobis id egiſſe videtur, vt non vnius libidinem, non ſuos oculos, ſed omnium auariſſimorum inſanias, cum Romam reuertiſſet, expleret?* Lib II. c. 14. *Quibus in rebus iſtius cupiditates, et inſaniam quis ignorat?* Ibidem infra c. 35. *Haec iſte ad inſaniam concupierat.* Lib. XIII. ad Attic. epiſt. 29. *Othonem vincas volo. nec tamen inſaniturum illum puto.* Eodem ſenſu Horatius lib. II. Serm. ſat. 3. v. 64.

Inſanit veteres ſtatuas Damaſippus emendo.

Ego, quo nomine appellem, neſcio] Exaggerandi cauſſa ſaepe fingit

fingit orator inopem ſe verborum eſſe, quae rei vim ac naturam exprimant: vt pro Quintio c. 18. *Si vadimonium omnino tibi cum P. Quintio nullum fuit, quo te nomine appellemus? improbum? at, etiamſi deſertum vadimonium eſſet, tamen in iſta poſtulatione et proſcriptione bonorum improbiſſimus reperiebare. num malitioſum? negas. fraudulentum? iam id quidem arrogas tibi, et praeclarum putas. audacem? cupidum? perfidioſum? vulgaria, et obſoleta ſunt; res autem noua atque inaudita. Quid ergo eſt? vereor mehercule, ne aut grauioribus vtar verbis, quam natura fert, aut leuioribus, quam cauſſa poſtulat.* Lib. V. c. 66. *Facinus eſt, vinciri ciuem Romanum: ſcelus, verberari: prope parricidium, necari: quid dicam, in crucem tollere? verbo ſatis digno tam nefaria res appellari nullo modo poteſt.* Et agr. II. c. 14. *Verbum mihi deeſt, Quirites, cum ego hanc poteſtatem regiam appello. ſed profecto maior eſt quaedam.* Similiter ad Coelium lib. II. Fam. epiſt. 11. *Putaresne vmquam accidere poſſe, vt mihi verba deeſſent: neque ſolum iſta veſtra oratoria, ſed haec etiam leuia noſtratia? Deſunt autem propter hanc cauſſam, quia mirifice ſum ſollicitus, quidnam de prouinciis decernatur.*

Suo nominis (Ern. *ſuo, non nominis*) *pondere penditote*] Rem perpendite: deinde, quod ei nomen ſua grauitate reſpondebit, id eligite.

Corinthium, aut Deliacum] Quae non argentea, ſed aenea erant, vtraque magni pretii.

Non enim verbi] Non, vt verbum, id eſt orationem meam, aut crimen augeam, ideo complector omnia: ſed, quae loquor, Latine, non accuſatorie, nihil ad rem addens, ſed propriis eam verbis, qualis, et quanta eſt, exponens.

Ab ea ciuitate] Mamertina, id eſt, vrbe Meſſana.

Laudatoribus tuis] Sola Mamertina ciuitas legatos Romam publice miſerat ad laudandum Verrem. infra c. 7.

CAPVT II.

Ante aduentum iſtius ſic ornata fuit] Modus auaritiae notandae. vt in Diuin. c. 17. *Quae mulier ante hunc quaeſtorem copioſa plane et locuples fuit.* Quo loco plura poſuimus exempla.

Ingenioſum, atque intelligentem] Irriſione condita laus.

Propter quem Theſpiae viſuntur] Idem Strabo narrat lib. IX. et addit, opus hoc Glycerium meretricem a Praxitele confecutam Theſpienſibus ſuis donaſſe.

CAPVT III.

Vt opinor: et certe] Quaſi res ipſas contemnens, quarum cupiditate Verres inſaniebat, artificum quoque nomina vel ignorare ſe fingit, vel tunc primum didiciſſe. ſupra c. 2. *Nimirum didici etiam, dum in iſtum inquiro, artificum nomina.* Infra quoque, quaſi Polycleti nomen oblitus, *earum*, inquit, *artificem, quem? quemnam? recte admones, Polycletum eſſe dicebant.*

C. Claudius] Vt opinor, is, qui cum M. Perperna conſul fuit, auus P. Clodii, Ciceronis inimici. nam lib. II. de Offic. c. 16. vbi de muneribus aediliciis mentio

tio fit, poſt L. Craſſum, et Q. Mucium nominatur: et poſt eosdem triennio conſul fuit. Valerius lib. II. c. 4. *C. Pulcher ſcenam varietate colorum adumbravit, vacuis ante pictura tabulis extentam.*

Baſilicas] Quae et ipſae erant in foro, in quibus tribuni plebis ius dicebant. Plutarchus.

Non ſpoliis prouinciarum] Non enim ſpoliauerant prouincias noſtras, vt Verres.

Per ſimulationem aedilitatis] Vt forum ornarent in aedilitate ſua.

Habere noluit] Quaſi non dignus bona fortuna. Inde Cicero de Verris exitio per iocum ominatur.

CAPVT IV.

Meretricis] Chelidonis. infra c. 32. De eadem lib. II. c. 47. *Cum tibi illo ipſo anno a Chelidone veniſſet hereditas.*

Heredem] Sacrorum hereditas cum bonorum hereditate veniebat. Verres autem Cupidinem illum, Heio a maioribus traditum, qui ſimiliter poſteris ab Heio tradi debebat, quaſi eius heres e ſacrario abſtulit.

Mercatorem cum imperio ac ſecuribus in prouinciam miſimus] Lib. I. c. 22. *Sed, vt opinor, ſolet haec, quae rapuit et furatus eſt, nonnumquam dicere. ſe emiſſe: quoniam quidem in Achaiam, Aſiam, Pamphyliam, ſumtu publico, et legationis nomine, cum imperio, et ſecuribus mercator ſignorum, tabularumque pictarum miſſus eſt*

Cuiusmodi tu iudicia Romae putaris eſſe] Flagitioſa videlicet eſſe putaſti, ſi tibi quemquam hoc eſſe conceſſurum credidiſti.

CAPVT V.

Iſtiusmodi] Horum ſimile, quae commiſit Verres.

Mancipium putauerunt] Fore putauerunt, non vt argentum, aut veſtem, ſed vt mancipium aliquis emeret: itaque de eo ſolo ſanxerunt: quae tamen parua res eſt.

Si quis (Ern. *qui*) *Romae eſſet demortuus*] Si mancipium aliquod Romae deceſſiſſet, pro eo alterum emi in prouincia vetuerunt; ſed ſi in prouincia, permiſerunt.

CAPVT VI.

In ſuis nummis multis eſſe] Inſtructum pecunia eſſe. Elegantiam quaeſiuit e contrariis, *eſſe in aere alieno nullo, eſſe in ſuis nummis multis.*

Venditurum non fuiſſe] Refer hoc ad verbum, *video.*

Sunt iſta] Quae proxime dixi, veriſimile non eſſe, vt homo tam locuples, tam honeſtus, religioni ſuae monumentisque maiorum pecuniam anteponeret.

Ab humanitate, a pietate] Humanitatis eſt, huiusmodi ſignis delectari, quae non domino magis ornamento ſint, quam ciuitati: pietatis, ea tueri et cuſtodire diligenter, quae, tradita a maioribus, in ſacrario cuſtodiantur.

Ab religione] Quam violare videretur, cum ſacrarium ſpoliaret.

Haec omnia] Verba ſunt iuſſu Verris ab Heio ſcripta in ſuis tabulis.

H-S

H-S VI millibus] Scutatis CLXXX.

Iſti] Qui hoc morbo laborant.

Malo emere] Quandoquidem tam paruo emitur.

CAPVT VII.

H-S CXX millibus] Scutatorum tribus millibus ſexcentis.

Emerint] Signum illud aeneum, proxime nominatum.

Sola laudat] Oratorie: nam, praeter eam, Syracuſana laudauit. infra c. 61. 62. et in Diuin. c. 4.

Ne forte] Ioci genus: quaſi ciuitas id ſpectauerit, cum legatum miſit: quod ei certe propoſitum non fuit. ipſe tamen vtrumque fecit, et faciet.

De religione ſua] In confitenda veritate.

CAPVT VIII.

De Cybea] Naui oneraria a Mamertinis publice aedificata, Verrique donata, vt exportare furta ſua poſſet. Quadrata eſſe debuit: ſiquidem a κύβος *Cybea* deducitur.

Deorum ſimulacra] Cupidinem, et Herculem.

Quae quia dixit] Priore actione.

Proximus fuit] Id eſt, a ſua religione non diſceſſit.

CAPVT IX.

Ingratis] Vel inuiti.

Periurium] Falſum teſtimonium, in quo dicendo peierabunt.

Tibi] Verres.

In numerum] Ex animi tui ſententia. Sumtum opinor ab hiſtrionibus, numerum in motu ſeruantibus. Parad. III. c. 2. *Hiſtrio ſi paullum ſe mouit extra numerum, aut ſi verſus pronunciatus eſt ſyllaba vna breuior, aut longior, exſibilatur, et exploditur.*

At publice commodaſti] Beneficio eos affeciſti.

CAPVT X.

P. Seruilius] Iſauricus.

Ex hisce ſe locis] Vnde Ciliciam verſus nauigatur.

At cuius hominis] Amplificandi modus. vt lib III. c. 32. *Videamus, Herbitenſis ciuitas, honeſta, et antea copioſa, quemadmodum ſpoliata ab iſto, ac vexata ſit. At quorum hominum? ſummorum aratorum, remotiſſimorum a foro, iudiciis, controverſiis.*

C. Cato] Nihil deeſt: ad illud enim reſpicit, *condemnatus eſt.*

L. Paulli, et M. Catonis] Maternus ei fuit auus Paullus, paternus Cato.

P. Africani] Minoris, qui Paulli filius naturalis fuit.

Cum ſeuera iudicia fiebant] Cum equites iudicabant. aculeus in ſenatores iudices, et ad condemnandum Verrem, infamiae tollendae gratia, tacita cohortatio. Eiusdem generis illud infra c. 59. *Niſi forte exiſtimatis, poſteaquam iudicia ſeuera Romae fieri deſierint.*

Huic Mamertini irati non fuerunt] Cui veriſimile videatur, Mamertinos C. Catonis, conſularis viri, et nobiliſſimi. impedimenta retinuiſſe propter H-S XVIII millia, quibus ei lis aeſtimata eſt; eosdem iratos Verri non fuiſſe, maiore ſumtu ſaepe facto in prandium Timarchidis,

quam quanti Catoni lis aeſtimata eſt? ſed ideo irati ei non fuerunt, quia, cum eſſent furtorum conſcii, et in iis occulte exportandis omni eum opera, naui etiam publice aedificata, adiuuarent, vacationem ſumtus, laboris, militiae, rerum denique omnium per triennium conſecuti ſunt.

Catonis lis aeſtimata eſt] *Catoni*, puto eſſe rectius. et, vt alia mittantur exempla, de eodem Catone lib. III. c. 80. dixit: *Qua in ciuitate C. Catoni, clariſſimo viro, conſulari homini, H-S XVIII millibus lis aeſtimata ſit.*

Verrea] Dies feſtus, in honorem Verris inſtitutus, maxime propter haec in Mamertinos beneficia.

CAPVT XI.

Cuius beneficio] Dat enim populus Romanus eos magiſtratus, quos qui geſſerunt, in ſenatum legi debent.

Ipſi Tullio] Mihi, non vt ſenatori, ſed vt eorum amico.

L. frater meus] Patruelis, qui cum Cicerone in Siciliam ad inquirendum in Verrem profectus eſt.

Per eum ordinem] Per ſenatum.

Agetur] Qua enim eum contumelia affeciſtis, cum me, ſenatorem populi Romani, publice non inuitaſtis, eam inultam eſſe non ſinet.

Ciuis Romani ſanguine redundat] Sic locutus eſt C. Gracchus lib. III. de Orat. c. 56. *Quo me miſer conferam? quo vertam? in Capitoliumne? at fratris ſanguine redundat.* P. Gauium ſignificat, de quo lib. V. c. 61, ſeqq.

Quorum ciuitati inuidetis] Quia ciues Romani ſunt. infra c. 60. *Quid arbitramini Rheginos, qui iam ciues Romani ſunt, mereri velle, vt ab eis marmorea Venus illa ne auferatur?* Iidem Cornificii tribules in epiſtola ad illum lib. XII. Fam. 25. vocantur, municipes autem Phil. I. c. 3.

Quo minus ſibi arrogent] Quia ciues Romani ſint.

Illo ſupplicio] Gauii in crucem acti.

Mactatum] Verbo vſus eſt, quod cum ſupplicio congrueret. quaſi diceret: in vno homine ius ciuitatis vniuerſum cruci affixum eſt. Diſerte hoc expreſſit lib. V. c. 66. *Non tu*, inquit, *hoc loco Gauium, non vnum hominem, neſcio quem, ciuem Romanum, ſed communem libertatis et ciuitatis cauſſam in illum cruciatum et crucem egiſti.*

Haec] Signa.

CAPVT XII.

Attalica peripetaſmata] Aulaea, auro intertexta: qualia primus Attalus rex inuenit. *Peripetaſmata* vero generale nomen eſt, παρὰ τὸ περιπετάζειν, quod verbum ex Heſychio notum eſt, potius, quam, vt aliis videtur, παρὰ τὸ περιπίπτειν.

Emere oblitus es] Cur, vt ſigna, non item peripetaſmata iuſſiſti Heium in ſuas tabulas referre, tamquam tibi vendita? an hoc oblitus es?

Licuit] Emere, id eſt, emtionem ſimulare.

An litteris pepercisti] An tibi viſum non eſt, vt hoc nomen in tabulis ſcriberetur? *Parcere litteris*, eſt, a ſcribendo abſtinere.

De

De armario] Vnde promuntur peripetaſmata.

H-S CC millibus] Scutatorum ſex millibus.

Fuit tanti] Fuit, cur id faceres. e re tua fuit, vt in tabulas id referri iuberes. Modus loquendi, quo, vtile eſſe, vel fuiſſe, aliquid fieri, oſtenditur. nec alio ſpectat, quod infra c. 20. dicitur: *Credo, etiam tabulae proferentur. eſt tanti.* Simile illud Coelianum lib. VIII. Fam. epiſt. 3. *Sed tanti? ſed eſt mehercule.* Et in Catil. orat. II. c. 7. *Eſt mihi tanti, Quirites, huius inuidiae falſae atque iniquae tempeſtatem ſubire, dummodo a vobis huius horribilis belli ac nefarii periculum depellatur.*

Phaleras] Equorum ornamenta.

Te minus habiturum] Phaleras ipſas non habiturum.

CAPVT XIII.

Cibyram] Quae erat in imperio Cilicienſis prouinciae. eo legatus Dolabellae Verres venit.

Cum inanibus ſyngraphis] Ex quibus exigere nihil potuit. ſyngraphas enim attulerat, ex quibus ei nihil deberetur.

In Aſia] Dixi iam, *Aſiam* vocari Ciliciam prouinciam Dolabellae.

Q. Tadius] P. appellatur lib. I. c. 39. vbi magnam ei cum Verre nummariam rationem fuiſſe conſtat.

Vbi quidquid (Ern. *quidque*) *eſſet*] *Quidquid* pro quidque: vt pro Fonteio c. 7. *Si, vt quidquid ex illo loco dicetur, ex oraculo aliquo dici arbitrabitur.* Ad Torquatum lib. VI. Fam. epiſt. 1. *Quocumque in loco quisquis eſt, idem eſt ei ſenſus, et eadem acerbitas ex interitu rerum et publicarum et ſuarum.* Tuſc. V. c. 34. *Vt quidquid obiectum eſt.* Plautus in Amphitr. act. II. ſc. 1. v. 52.

Ordine omne, vt quidquid a-
ctum eſt, dum apud
hoſtes ſedimus,
Ediſſertauit. —

Et in Trin. act. IV. ſc. 2. v. 39.

Sin vnum quidquid ſigillatim
et placide percuncta-
bere.

Lucretius lib. II. v. 956.

Inque ſuos quidquid rurſus re-
vocare meatus.

Idem alibi ſaepe.

CAPVT XIV.

Boethi] Sculptoris egregii. Plinius lib. XXXIII. c. 12. lib. XXXIV. c. 8.

Per poteſtatem] Praetoriam, non pretio, vel precibus.

Sigillatos] Paruis ſignis ornatos. lib. I. ad Attic. epiſt. 10. *Putealia ſigillata.* Hic infra c. 21. *Patella grandis, cum ſigillis, ac ſimulacris deorum.* Et poſt c. 22. *Sigillis auulſis, reliquum argentum ſine vlla auaritia reddidit.*

Luteum] Viliſſimum, vt luto nihil vilius. lib. III. c. 14. *In hoc homo luteus, etiam callidus, ac veterator eſſe vult.*

CAPVT XV.

Siſennam] Defenſorem ſuum. infra c. 20. et lib. II. c. 45.

Illorum] Eiuſmodi rerum, quas in prouincia ad inſaniam concupierat.

CAPVT XVI.

Sunt, opinor, (Ern. *vt opinor*) *litterae factae*] Scriptum eſt in tabulis.

In donatione hiſtrionum] Locus hic oſtendit, bonos hiſtriones argento donari ſolitos. aeſtimationi tamen locum eſſe non video. cur enim aeſtimetur, quòd donatur? niſi ſi hoc dicitur, eum, qui donabat, retuliſſe in tabulas, non quanti valebat argentum, ſed multo minoris: ne quando ſibi probro dari poſſet, quod in hiſtriones pecuniae plus, quam diceret, erogaſſet.

Quid ſit] Cur mihi, quod poſtulo, ſcriptum non edis?

Has litteras] Tabulas, in quibus, quid argenti in Sicilia pararis, vnde quidque, aut quanti emeris, a te ſcriptum eſſet.

Me enim] Accuſatorem tuum.

Horum annorum aliquot] Poſt M. Terentium, et C. Caſſium conſules. lib. I. c. 23.

Compone] Ede mihi ſcripta ſimul haec tria, quid argenti pararis in Sicilia, vnde quidque emeris, quanti emeris.

De reliquo videro] De reliquis non vrgeo: quaerendi ſpatium erit.

Improba defenſio] Quid enim improbius, quam praetorem argentum omne in ſua prouincia coemere?

Prolatis] In quibus, quid habeas, quo modo habeas, ſcriptum non eſt.

Non prolatis] Quia, cum horum temporum plurimas res emiſſe te dicas, idque tabulis non demonſtres, quis emiſſe te credat? quid cauſſae eſt, cur non crimine repetundarum condemneris?

CAPVT XVII.

Promtiſſimi hominis] In agendis rebus. ad ingenii praeſtantiam refertur, vt ad tarditatem illud de Heraclio lib. II. c. 14. *Hominem eſſe maiorem natu, non promtiſſimum.*

Experientis] In vſu rerum verſati.

Q. Catuli beneficio] A quo propterea praenomen, et nomen accepit.

Hominem digniſſimum tuis moribus] Tui ſimillimum, turpiſſimum. in Piſonem c. 4. *Hominem impurum, atque non modo facie, ſed etiam oculo tuo digniſſimum.* Et pro Sextio c. 64. *Homo iis digniſſimus, quibuscum viuit.*

Bona patria erepta] Quae ille pupillis eripuerat, cum propter ea puniendus a te eſſet, ea tu cum eo partitus es.

Id factum non oportuit] Auferre ſignum Apollinis non debuiſti.

C. Marcellus] Qui iudex in conſilio aderat. infra c. 42.

Scaphia] Vaſa potoria, quae ſcaphae ſimilitudinem referrent. παρὰ τὸ σκάπτεσθαι.

Cum emblematis] Id, quod in opus aliquod ornamenti gratia includitur, *emblema* dicitur. vnde *vermiculatum emblema* apud Lucilium, dictum ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλεσθαι.

CAPVT XVIII.

Splendidus] Honoratus.

Toreumata] Argentea vaſa caelata. infra c. 21.

Mentoris] Artificis nobiliſſimi.

Non

Non inuitus] Feſtiue, quo Diodorus admodum delectaretur, id eum habere non inuitum dicit.

Salutem viri] Amphiarai vatis: quem latentem, ne ad bellum Thebanum iret, quod ibi ſe periturum ex auguriis nouerat, aureo monili corrupta vxor Polynici prodidit. Seruius in illud Virgilii lib. VI. Aen. v. 445.

— *Maeſtamque Eriphylen*
Crudelis nati monſtrantem vulnera cernit.

Attingit hanc fabulam Aeſchylus in ſeptem contra Thebas v. 574. ſeqq. Euripides in Phoeniſſis v. 175, ſeqq. Plato de rep. lib IX. Pauſanias in Atticis, Cicero ad Caecinam lib. VI. Fam. epiſt. 6. cum ait: *Vt in fabulis Amphiaraus, ſic ego, prudens et ſciens, ad peſtem ante oculos poſitam ſum profectus.* Et Propertius in eo verſu: (lib. II. eleg. 13. 29.)

Adſpice, quid donis Eriphyla inuenit amaris.

CAPVT XIX.

Iam caſtra mouerat] Argute, pro, diſceſſerat: quia ſequitur, *vaſa collegerat:* nam vaſa, id eſt, impedimenta, milites colligunt caſtra moturi: iocus eſt: quia ſua vaſa, id eſt, ſcyphos, Diodorus abſtulerat.

De ſuis canibus quendam] De ſuis domeſticis, vt lib. I. c. 48. *Multa ſibi opus eſſe, multa canibus ſuis, quos circa ſe haberet.* Lib. III. c. 11. *Quid? iſta cohors quorum hominum eſt? Voluſii haruſpicis, et Cornelii medici, et horum canum, quos tribunal meum vides lambere.*

Tum primum] Primo anno praeturae Sicilienſis. nam poſtea Sthenii Thermitani abſentis nomen recepit.

Ad iudicium] Hoc repetundarum.

Inſtruxerat] Pecunia, ex furtis, iniquisque damnationibus collecta.

CAPVT XX.

Equuleos argenteos nobiles] *Equulei* ſunt pulli equini: ſunt etiam tormenta quaedam: hic videntur eſſe vaſa caelata, cum aliqua fortaſſe equi forma, vnde nomen acceperint. ſubiungit enim infra de his ipſis equuleis: *Vende mihi vaſa caelata.*

Q. Maximi] Fabii, qui de Allobrogibus triumphauit. hunc enim, vt rebus geſtis clariorem, ſignificari malo, quam alterum, eiusdem aetatis, Q. Maximum, cui cognomen Eburno fuit.

In his equitabit equuleis] Ex hoc equuleorum crimine defenſionem arripiet: non ſe abſtuliſſe dicet, ſed emiſſe. exultabit, et in his quaſi equitabit equuleis, quod hoc ſe Calidianum crimen facile ſperet poſſe diluere.

Credo, etiam tabulae proferentur] Pungit Verrem, qui ſe tabulas eius temporis confeciſſe iam negauerat. eſt enim cum ironia dictum: *Credo, etiam tabulae proferentur.* et hunc ſenſum confirmat id, quod ſequitur, *eſt tanti:* id eſt: Expedit tibi: operae pretium eſt: digna res videtur, propter quam tabulas proferas, quas habere te negaſti. Eodem reſpiciunt illa verba: *Dilue ſane crimen hoc Calidianum, dum ego tabulas adſpicere poſſim.* quod valet: malo tabulas adſpicere,

quam crimen hoc obtinere. nam, ſi tabulas videro, iis ipſis vtar ad probanda, quae dico, quamplurima.

Negotiaretur] Negotiari licebat equitibus Romanis, ſenatoribus per leges non licebat. vnde in Parad. VI. c. 1. *Propter auiditatem pecuniae nullum quaeſtum turpem putas, cum iſti ordini ne honeſtus quidem poſſit eſſe vllus.*

Abs te ſolo] Qui enim antea praetores in Sicilia fuerant, eorum nemo inuentus eſt tam amens, qui illud argentum, tam praeclarum, ac tam nobile, eriperet; nemo tam audax, qui poſceret; nemo tam impudens, qui poſtularet, vt venderet.

Cum ceteris Siculis] Siculi tibi hominis loco fuit: non eius abs te, vt equitis Romani, habita ratio eſt: eripuiſti equuleos argenteos ab eo, vt a Siculis alia perquam multa.

Potamonem] L. Papirium Potamonem, quo ſcriba vſus erat Caecilius, quaeſtor Verris. in Diuin. c. 9. et lib. III. c. 60. et 66.

Difficiliorem fecit] Teſtimonio ſuo. cum enim te ſibi reddidiſſe dixit, intellexiſti, etiam ſi ceteris redderes, teſtimonia tamen eorum effugere non poſſe.

Superiorem] Dignitate, vt ſenatorem.

Cum imperio ac poteſtate] Praetores, et conſules.

H-S LXXX millia] Scutatorum duo millia quadringenti.

Ne tibi odioſus eſſet] Ne tibi negotium faceſſeret, ne te de ambitu accuſaret. Non caret lepore, *ne tibi odioſus eſſet.*

Equeſtrem ordinem] Nam equeſtris ordinis Calidius. Ne quis putet, quia dixit, *quo tu te ſuperiorem fingis*, Calidium petiiſſe praeturam cum Verre, et repulſam tuliſſe. praeturam enim, qui ſenator non eſſet, ei petere non licebat. ſed in vno Calidio equeſtris ordinis vniuerſi dignitatem Cicero conſiderat: eoque contemto, ſimul vniuerſum ordinem contemtum dicit.

CAPVT XXI.

Intelligentiam] Artificium enim erat in emblemate, non in thuribulo: ſed artificium pretii maioris erat, quam argentum. Eodem modo iocatus eſt infra c. 22. *Sigillis auulſis, reliquum argentum ſine vlla auaritia reddidit.*

Cum Sicilia floreret omnibus opibus et copiis] Antequam a Poenis vexari coepta eſt. Sic lib. II. de Inuent. c. 1. *Crotoniatae quondam, cum florerent omnibus copiis.*

Ante iſtum praetorem] Qui patellas, pateras, thuribula abſtulit omnia. Sermo eſt ad indicandam auaritiam Ciceroni familiaris. cuius exempla quaedam in Diuin. c. 17. recitauimus in eo loco: *Quae mulier a te hunc quaeſtorem copioſa plane et locuples fuit.*

Patella grandis] Contraria videntur, *patella*, et *grandis*. itaque maiim, *patera grandis*: et poſt, *patella*, non, *patera*.

Cetera] Profana.

Fortuna] Vis bellorum.

Quae religio retinuiſſet] Ergo rebus diuinis paterae, patellae, thuribula ſeruiebant.

Inſanias] Inſanas cupiditates. de quo ſupra c. 1.

Exple-

Expleret] Vtiis in iudicio ſuffragatoribus vteretur. ſupra c. 16. *Multa aliis data atque donata.*

Cibyratici canes] Tlepolemus, et Hiero. ſupra c. 13. *Canes venaticos diceres.* ſequuntur verba canum propria, *inueſtigabant, perſcrutabantur, venari, pro lepuſculis capiebantur.*

CAPVT XXII.

Qui fuit Tyndaritanus] Antequam ciuis Romanus eſſet. ſic ad Acilium lib. XIII. Fam. epiſt. 30. *L. Mallius eſt Soſis. Is fuit Catinenſis: poſtea eſt cum reliquis Neapolitanis ciuis Romanus factus.*

Quod antea de iſtius abſtinentia dixeram] Cum dixit eum, auulſo emblemate, thuribulum L. Papirio remiſiſſe: et ſubiunxit: *Vt intelligatis, in homine intelligentiam eſſe, non auaritiam. artificii cupidum, non argenti fuiſſe.*

Lucullorum] Lucii, et Marci, fratrum, conſularium.

Apud exercitum] Qui erant in caſtris non militandi, ſed militiae potius cognoſcendae gratia, *apud exercitum eſſe* dicebantur: de quibus Caeſar lib. I. de bell. Gall. c. 39. *Qui ex vrbe amicitiae cauſſa Caeſarem ſecuti.* Plinius autem lib. XXXIII. c. 11. *Pompeium Paullinum, Arelatenſis equitis Romani filium, paterna quoque gente pulſum, quod XII pondo argenti habuiſſet apud exercitum, ferociſſimis gentibus oppoſitum, ſcimus.*

Cum L. Lucullo] Mithridatico bello.

Argentum illi] Malim, *ille:* cum ſequatur, *hic.*

Purum] Sine emblematis.

Ne purus ipſe relinqueretur] Ne cum emblematis argentum omne Verres pro ſua conſuetudine auferret. *Purus,* id eſt, inanis. nullo cum argento.

Quaſi feſtiuum acroama] *Acroama* dicebatur, et qui feſtiue caneret in conuiuio; cui munera dabantur; et res ipſa, quae canebatur. hic accipitur pro eo, qui caneret.

CAPVT XXIII.

Pardiorum (Ern. *proagorum*)] Senatorum Catinenſium, vt opinor.

Illa vero optima] Quae excellant inter cetera: pro, ſumme improba.

Si quid etiam Corinthiorum] Hoc addidit, quaſi viliora eſſent, quia non ex argento, ſed ex aere.

Laborioſus, et diligens] Ironia. ſequitur enim: *In oppidum accedere noluit*, quod erat aſcenſu arduo.

Vt (Ern. *id*) *omne ſtatim*] *Vt,* videtur abundare: ſed non abundat: iterat enim ſaepe hanc particulam Cicero: vt alibi oſtendimus.

Infra oppidum] Legit Seruius, *intra moenia oppidi*, id eſt, arcis, deinde ſuburbanorum in planitie. Sed in oppido habitabant ii, quibus argentum erat.

Excuſſis deliciis] Detractis cruſtis et emblematis, quibus argentum in deliciis erat.

CAPVT XXIV.

Per magiſtratum] Eius ciuitatis.

Accuſatores] Dignos hoc nomine, qui occulta perquirerent, et inuenirent.

Per

Per praeſtigia (Ern. *praeſtigias*)] Quam obſcuriſſime: vt ſupra dixit.

Dicis cauſſa] Vnde hoc deductum ſit, non plane conſtat: deductum tamen a verbo, *dico*, oſtendit Varro lib. V. de ling. Lat. et hoc, *dicis cauſſa*, aetate quoque ſua antiquum ait eſſe. Vſurpatur a veteribus pro, *ad ſpeciem:* vt vere, ac ſerio factum videretur id, quod ſimulatione quadam factum erat. exempla non deſunt apud iurisconſultos. Caius L. 4. D. commodati: *Saepe etiam ad hoc commodantur pecuniae, vt dicis gratia numerationis loco intercedant.* Vlpianus L. 1. §. 34. D. de SC. Silan. *Si finxit ſe quis auxilium ferre, vel dicis gratia tulit.* Idem L. 5. pr. D. ex quib. cauſſ. mai. XXV. ann. in int. reſt. *Qui maturius profectus eſt, vel dicis gratia coepit reipublicae cauſſa abeſſe.* Eſt etiam apud Plinium lib. XXVIII. c. 2. pontificis mentio *dicis cauſſa epulantis.* Horum verborum ſententiam a ſe primum animadverſam, excellentis vir ingenii, iurisprudentiae laude clarus, Duarenus lib. I. Disp. anniu. c. 47. prodidit.

Non reddidit] Dederat enim Archagathus de ſuo, tantum ſibi Verrem eſſe redditurum arbitratus, quantum ipſe dediſſet iis, quorum argento cruſtae et emblemata fuerant auulſa.

Cn. Lentulus Marcellinus] De quo diximus in Diuin. c. 4.

Opus his non defuit] Non defuit, quod agerent.

Cum tunica pulla] Non ſenatoria, quae a latis purpureis clavis *latus clauus* dicebatur.

Pallio] More Graeco, non Romana toga.

CAPVT XXV.

Quam multi (Ern. *aliquammulti*)] Quaſi admirantis, vt lib. III. c. 88. *Fecerunt aliqui alia quam multa.*

Ad ſellam] In qua ſedebat ipſe praetor.

Hactenus] Quod nimium ſe in probanda integritate abſtinentiaque ſua diligentem oſtenderit.

Nihil amplius] Nihil addat. rem enim ipſam quis magna laude dignam eſſe neget?

De Verre] Piſoni diſſimillimo.

Aliquot abacorum] Cum ſinguli abaci vaſa multa capiant.

Auri ſemuncia] Scutatis quattuor, paulloue amplius. auri enim pretium decuplo argento praeſtat, vt ait Pollux.

Nomen ſuum] Quaſi *Verres* dictus a *verrendo* ſit. *Nomen* dixit pro cognomen: quia Verrem ſemper appellat, omiſſo gentis nomine, ad maiorem ignominiam, et ſimul, vt puto, ne gentem Corneliam, e qua Verres fuit, offenderet.

CAPVT XXVI.

Quod totum effluxerat] Mirum oratoris artificium in addenda, ſine iudicum faſtidio, ac ſatietate, noua re.

In cretula] Et cera, et creta in obſignandis litteris veteres vtebantur. Aſiaticam cretam, qua publicani vterentur, Cicero nominat in oratione pro Flacco c. 16.

Nimium multa] Quae comparauit, ita multa ſunt, vt, ſi in ſingula ſua conclauia tricenos lectos optime ſtratos, cum ceteris conuiuii ornamentis quaereret,

ret, haud pauca tamen ei ſupereſſent.

Conchylio tinctum] Purpura intertextum.

Nec vulgo (Ern. *Neti; Lyſo*)] Nec vulgaris homo, ſed honeſtus.

Ipſe] Verres.

Operas] Qui opus facerent, eorum impenſa, non Verris.

Credo] Hoc non negauerim, ipſum purpuram dediſſe: ne criminari omnia videar.

Habuiſſe tam multum, quod daret] Vnde enim habuit, niſi ex rapinis, et furtis?

Hoc denique] Nam et in hoc ipſo crimen eſt.

Quod concedit] Quaſi licuerit.

Lectos aeratos] Cubiculares, et tricliniares erant lecti, illi, nocturnae quietis cauſſa, hi, vnde cibum accubantes caperent: qui primum lignei, vt rude, exersque deliciarum priſcum ſaeculum fuit, deinde, corruptis peregrino luxu moribus, aerati, poſtremo etiam eburni, argentei, aurei fuere. et cum ait Plinius lib. XXXIV. c. 3. Cn. Manlium, deuicta Aſia, triclinia aerata, abacos, et monopodia primum invexiſſe triumpho ſuo, quem anno V. C. DLXVII duxit; lectos aeratos, qui ponebantur in tricliniis, ſignificat, non ipſa triclinia, quae partes aedium erant, et conclauia dicebantur, a cubiculis diuerſae, in quibus non cenabatur.

Cum poteſtatem habuerit] Cum praetor eſſet: qui ſua poteſtate ad libidinem vti non debuit. hoc et ſupra c. 4. exagitat his verbis: *Sed quid ego tam vehementer inuehor? verbo iam vno repellar. Emi, inquit. O dii immortales! praeclaram defenſionem! mercatorem cum imperio ac ſecuribus in prouinciam miſimus; qui omnia ſigna, tabulas pictas, omne argentum, aurum, ebur, gemmas coemeret, nihil cuiquam relinqueret.* Et lib. I. c. 22. *Hic ego non arbitror illum negaturum, ſigna ſeſe plurima, tabulas pictas innumerabiles habere: ſed, vt opinor, ſolet haec, quae rapuit et furatus eſt, nonnumquam dicere, ſe emiſſe: quoniam quidem in Achaiam, Aſiam, Pamphyliam, ſumtu publico, et legationis nomine, mercator ſignorum, tabularumque pictarum miſſus eſt.*

CAPVT XXVII.

Temporibus populi Romani (Ern. *Reipublicae*)] Fortaſſe propter duo bella difficillima, quae tum gerebantur, Mithridaticum in Aſia, duce Lucullo, Sertorianum in Hiſpania, ducibus Metello Pio, Cn. Pompeio Magno.

Antiochus] Vide Appianum in Syriaco.

In eius regnum] Regnabat enim plane Verres in Sicilia.

De his (Ern. *ſuis*) *decumis*] Quas ſupra commemoraui, per iniuriam ereptis.

Trulla] Vnde vinum effunditur.

Niſi] Videtur abundare.

CAPVT XXVIII.

Nondum etiam perfectum templum] Quod cum incendio deflagraſſet, Sulla mortuo, Q. Catulus refecit, et conſecrauit. Plutarchus in Sulla. Appianus lib. I. de bell. ciu. Florus lib. III. c. 21.

Vt

Vt ars certare videretur cum copia] Similis in laudando Pompeio ſententia in oratione pro Balbo c. 4. *In quo vno ſumma fortuna cum ſumma virtute certauit.* Et in vituperando Piſone in oratione de prouinciis c. 4. *Cuius, vt prouinciam tetigit, ſic fortuna cum improbitate certauit, vt nemo poſſet, vtrum deterior, an infelicior eſſet, iudicare.*

CAPVT XXXI.

Loquor enim de tuo clariſſimo pulcherrimoque monumento] De Capitolini Iouis templo. infra c. 38.

Non iudicis ſolum] Iudex erat Catulus in cauſſa Verris. lib. III. c. 90.

CAPVT XXXII.

Chelidonis] Meretricis, quae Verrem heredem reliquerat.

CAPVT XXXIII.

P. Scipio] Aemilianus, qui Carthaginem euertit.

Suisne ſeruire] Vt ſeruiuerat Phalari tyranno.

CAPVT XXXIV.

Circum omnia prouinciae fora rapiebat] Magno cum eorum incommodo ſecum ducebat per omnem prouinciam, vbicumque forum acturus eſſet. Lib. II. c. 70. *Cum praetorem circum omnia fora ſectaretur.*

CAPVT XXXVI.

Te nunc, P. Scipio] Qui Verrem defendebat, ſocer poſtea Pompeii Magni.

Obtruſit] Mendoſum fortaſſe verbum. niſi ſi quis putet, *obtruſit aliqua ex parte* dictum eſſe pro, *loco monit.* quod placere vix poteſt: ſicuti nec, *obtriuit*, admodum arridet. Quid, ſi neq mendoſum ſit, et hoc ſenſu accipiatur, *obtruſit aliqua ex parte:* alieno nomini aliqua ex parte tradidit? ita reſpondebit ad id, quod proxime dictum eſt: *Cum mos a maioribus traditus ſit, vt monumenta maiorum ita ſuorum quisque defendat, vt ea ne ornari quidem nomine alieno ſinat.* Sic Terentius in Andr. act. I. ſc. 5. v. 15.

— *Ea quoniam nemini obtrudi poteſt,*
Itur ad me. —

Et in Hec. act. III. ſc. 1. v. 16.

Tamen numquam auſus ſum recuſare eam, quam mihi obtrudit pater.

CAPVT XXXVII.

Partes] Tuendae Africani gloriae.

Quas alienas eſſe arbitrabar] Tuas eſſe, et reliquae Scipionum familiae arbitrabar.

Ne (Ern. *nae*) *iſta praeclara nobilitas deſinat queri*] Conferam induſtriam meam ad inſectandam improbitatem, beneque de republica merendum: vt quotidie magis populus Romanus ad honores mihi mandandos excitetur. ita habebit cur queratur, quemadmodum ſolet, iſta praeclara nobilitas, facile homines nouos, et induſtrios a populo Romano, quos honores petant, obtinere. *Iſta*, contemnens dixit: *praeclara*, cum ironia.

Apud

Apud alios] Apud Scipiones: quos eius imitari virtutem deceret, cuius imaginem domi habent.

Alii] Eiusdem familiae, qui Africani mortui virtute ac nomine ornantur.

CAPVT XXXVIII.

Ampliſſimum in orbe terrarum] Templum Iouis Capitolini.

Dedecoris] Vnico verbo colligit omnia vitia.

CAPVT XXXIX.

At hoc ſolum] Modus coniungendae, et continuandae ex diverſis rebus orationis. vt lib. I. c. 24. *At, credo, in hisce ſolis rebus indomitas cupiditates, atque effrenatas habebat: ceterae libidines eius ratione aliqua, aut modo continebantur. Quam multis iſtum ingenuis, quam multis matribus familias, in illa taetra atque impura legatione, vim attuliſſe exiſtimatis?*

Proagoro] Summo Tyndaritanorum magiſtratui. infra c. 42.

Quam mihi religionem narras? quam poenam? quem ſenatum] Modus reſpuendi per contemtum ea, quae contra dicantur: vt Phil. I. c. 10. *Quas tu mihi, inquit, interceſſiones, quas religiones?*

CAPVT XL.

Praecipitem in forum deiiciant] Pro, raptim in forum trahant.

C. Marcelli] Qui Siciliae paullo ante praefuerat, vt lib. III. c. 91. et nunc in cauſſa Verris iudex erat, vt infra c. 42.

Dinaricari] Apertis cruribus diſtendi.

In aere] Suſpenſus, in equo aeneo vinctus.

CAPVT XLI.

De Mercurio Tyndaritano] Aut hoc, vt gloſſema, inducendum: aut locus ita diſtinguendus. *Vnum hoc crimen videtur eſſe, et a me pro vno ponitur, de Mercurio Tyndaritano: plura ſunt.*

Pecuniae magnae] Eodem modo, *bibliothecam multorum nummorum*, dixit ad Sulpicium lib. XIII. Fam. epiſt. 77.

CAPVT XLII.

Huic Aeſernino] M. Marcelli filio, eius, de quo lib. I. c. 51. mentio fit his verbis: *Hi rem ad virum primarium, ſummo officio ac virtute praeditum, M. Marcellum, qui erat pupilli tutor, deferunt.* Nominatur idem, vt huius Aeſernini pater, in Bruto c. 36.

Proagori Sopatri iuſſu] Deportatum eſſe Meſſanam, dicunt publicae litterae.

CAPVT XLIII.

Societatis] Cum populo Romano: cuius imperatoris virtute ſignum illud recuperauerant.

Hunc immaniſſimum Verrem] Illi apro Erymanthio ſimillimum. Ludit in *verre*, et *apro*.

CAPVT XLIV.

Opere Corinthio] Aere Corinthio.

Simili in genere] Ipſas quoque caelatas opere Corinthio.

Veſti-

Veſtigia] Loca ipſa, in quibus loricae illae, galeae, hydriae, ſtatuae fuerant.

His praeclaris nominibus] Imperatorum, qui de hoſtibus capta, Siculis dederunt.

CAPVT XLV.

In hanc fraudem] Culpam, crimen, flagitium.

Per iſtius ſtuprum] Stuprata aliqua muliere ex iis, quae ſignum illud viderant, ſacrisque faciendis interfuerant. Auget culpam Verris, addito ad ſacrilegium inceſtu.

CAPVT XLVII.

Aut hoc iudicium appellabitur] Diſſimile quiddam eſt id, quod agitur. nam in iudicio reus accuſatur, et defenditur: ab iſto autem dii ablati, fana vexata, nudatae vrbes reperiuntur: nec ei vel infitiandi ratio, vel defendendi facultas vlla relinquitur.

Et manet etiam] Adhuc ſedet, neque abit ſua ſponte in exſilium, ſed ex oratione mea tacitus facta ſua recognoſcit.

Mecum] Ille tacitus, ego narrans recognoſco.

CAPVT XLVIII.

Diremta] Disiuncta, nullus vt ad eam aditus, acceſſusque ſit.

Lectiſſimi (Ern. *laetiſſimi*) *flores omni tempore anni*] Quod elegantiſſimus poeta, nulli veterum aut ingenio, aut doctrina concedens, lib. V. Met. v. 385, ſeqq. cum hunc ipſum locum deſcriberet, Ouidius mira breuitate dixit,

Perpetuum ver eſt. —

Et quod hic Cicero, *quam circa lacus lucique ſunt plurimi:* ille eadem breuitate,

Silua coronat aquas: —

tum addidit, ingenio ſcilicet indulgens,

— *Cingens latus omne, ſuisque*
Frondibus, vt velo, Phoebaeos ſummouet ignes.

CAPVT XLIX.

Ti. Graccho] Tribuno plebis, rempublicam nouis legibus perturbante.

Occiſo] Nobilitatis duce P. Scipione Naſica.

Collegio decemuirali] Quod Sibyllinis libris praeerat.

Perantiquum] Hoc ſuperuacaneum eſſe, verba, quae ſequuntur, oſtendunt.

CAPVT L.

Cum infulis, ac verbenis] Quo habitu ſacra faciunt.

Alter Orcus] Alter Pluto, qui Proſerpinam aſportaſſe ferebatur.

Accolae] Qui cum ipſa Cerere habitarent.

Serui fugitiui] Primo ſeruili bello ducibus Euno, et Cleone: quorum copias P. Rupilius conſul deleuit, Siculisque leges dedit. Cicero lib. II. in Verr. c. 13. Valerius lib. VI. c. 9. Pedianus.

CAPVT LI.

Veritasque iudiciorum] Vt populus Romanus intelligat, in iudiciis locum eſſe veritati. Act. I. c. 1. *Sin iſtius ingentes diuitiae iudiciorum religionem veritatemque perfregerint.*

Veſtram

Veſtram auctoritatem (*auctoritatem* abeſt ab Ern.)] Iam enim hanc religionem, et haec Cereris ſacra adſciuiſtis, atque comprobaſtis.

Nobis (Ern. *vobis*)] Quod ſequitur, oſtendit, *vobis*, eſſe rectius, quam *nobis*.

Sancire] Comprobare: ab eo, qui violaſſet, poenas perſequi.

Appellari Graeca voluerunt] Lib. II. de Leg. c. 9. *Neue quem initianto, niſi, vt aſſolet Cereri, Graeco ſacro.*

Diſſoluti] Ad Metellum lib. V. Fam. epiſt. 2. *Si humanitas appellanda eſt in acerbiſſima iniuria remiſſio animi ac diſſolutio.*

CAPVT LII.

Omnium pulcherrimae] Liuius lib. XXV. c. 24.

Conferte hanc pacem cum illo bello] Mirabilis in hoc toto verborum ambitu vis agnoſcitur eloquentiae. nam et pluribus membris diſtinguitur ſententia: et ipſa membra comparatione contrariorum numerum efficiunt: et ita paucis verbis multa dicuntur, vt apertius tamen ac planius eſſe nihil poſſit. Ipſemet Cicero in libro, qui inſcribitur Orator, cum loquitur de numero, c. 50. *nos etiam*, inquit, *in hoc genere frequentes, vt illa ſunt in quarto Accuſationis:* Conferte hanc pacem cum illo bello &c.

Ingenuis] Nam ſi peccaretur in libertinis, leuius ferendum. propterea ingenui quoque nominantur lib. I. c. 24. *Quam multis*, inquit, *iſtum ingenuis*, *quam multis matribus familias*, *in illa taetra atque impura legatione*, *vim attuliſſe exiſtimatis?* Et Vatinius ad Ciceronem lib. V. Fam. epiſt. 10. *Hominem vnum omnium crudeliſſimum*, *qui tot ingenuos*, *matres familias*, *ciues Romanos occidit*, *arripuit*, *disperdidit.*

CAPVT LIII.

Prytaneum] Quale Athenis fuit, vbi ſumtus publice dabatur bene de republica meritis.

Quam ad ſummam] Cuius in extrema parte.

Qui Theſmotes (Ern. *Temenites*) *vocatur*] *Temenites*, malim legere, diſſentientibus inter ſe antiquis libris. hoc enim cognomine Syracuſis aduectum Apollinem Suetonius appellat in Tiberio c. 74. Et Syracuſis fons fuit *Temenites* dictus, auctore Plinio lib. III. c. 8. montis quoque vertex, teſte Thucydide lib. VII. c. 3.

CAPVT LIV.

Ex qua praeſertim nihil periculi oſtenderetur] Nam Carthago periculi metu deleta eſt.

Ad aedem Honoris, atque Virtutis] Renouatam a Marcello, vt apud Ciceronem lib. II. de Nat. deor. c. 23. legitur: votam, et aedificatam, ſi Liuium lib. XXVII. c. 25. auctorem ſequimur.

Ne qua tali viro mortuo fiat iniuria] Similiter in Piſonem c. 4. *Facio iniuriam fortiſſimo viro mortuo*, *qui illum*, *cuius paucos pares haec ciuitas tulit*, *cum hac importuna bellua conferam.*

CAPVT LV.

Quod erat aedificaturus] Honoris, et Virtutis: vt ea, quae ſequuntur, verba declarant. renouatum tamen ab eo, non aedifica-

dificatum, auctor eſt idem Cicero lib. II. de Nat. deor. c. 23. Etiam illud miror, Liuium ſcribere, Marcellum vouiſſe hoc templum Gallico bello ad Claſtidium, Ciceronem autem, vouiſſe eum, ſi Syracuſas cepiſſet.

CAPVT LVI.

Argumenta] Fabulae: vt Virgilius lib. VII. Aen. v. 791. *argumentum ingens.* quo loco vide Seruium.

Crinitum anguibus] In quo angues eſſent pro crinibus.

CAPVT LVII.

Ad aedem Felicitatis] A L. Lucullo conſule exſtructam. Auguſtinus lib. IV. de Ciuitate Dei c. 23.

Ad monumentum Catuli] Ad templum Iouis Capitolini, a Catulo refectum.

In porticum Metelli] Macedonici: qui non modo porticus fecit, ſed eum quoque locum ſtatuis equeſtribus, quas Alexandri Magni iuſſu Lyſippus fecerat, ex Macedonia deportatis, exornavit. Velleius lib. I. c. 11.

Studia] Cupiditates.

Delicias] In operario non ferendas, ad ſigna deferenda potius appoſito, quam auferenda.

Ita factus et animo et corpore] Eodem modo dixit lib. I. de Offic. c. 29. *Neque enim ita generati a natura ſumus, vt ad ludum et iocum facti eſſe videamur, ſed ad ſeueritatem potius, et ad quaedam ſtudia grauiora atque maiora.* Pro Milone c. 4. *Ad quam* (legem) [*non*] *docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus.*

Simulacrum Iouis Imperatoris, quem Graeci Vrion nominant] Vir exquiſitae ac reconditae doctrinae, Ioannes Brodaeus in ſuis Miſcellaneis putat mendoſum eſſe, *Imperatoris:* quod Iouem *οὔριον* vel *ὅρειον* Graeci finium praeſidem appellent: idque Demoſthenis, Dionyſii, Arriani teſtimonio probat. Sane verbum Graecum, *Imperatorem*, non ſignificat: ſed aliud fortaſſe Graecis, aliud Latinis nomen fuit: quod, qui terminis praeeſſet, imperare, et arcere finitimos ab iniuria videretur. non enim praeeſſet, niſi imperandi ius haberet.

CAPVT LVIII.

Flamininus] T. Quintius Flamininus, qui ex Macedonia, de Philippo rege triumphauit.

Ciues atque incolae] Qui ciues non ſunt, *incolae* dicuntur, vt lib. III. c. 40. *Quid? Halycienſes, quorum incolae decumas dant, ipſi agros immunes habent.*

CAPVT LIX.

Nimio opere delectant] Sic in Parad. V. c. 2. *Vt in magna familia ſunt alii lautiores, vt ſibi videntur, ſerui, ſed tamen ſerui, atrienſes ac topiarii, pari ſtultitia ſunt, quos ſigna, quos tabulae, quos caelatum argentum, quos Corinthia opera, quos aedificia magnifica nimio opere delectant.*

Poſteaquam iudicia ſeuera Romae fieri deſierint] Poſteaquam iudicare ſenatores coeperint. ſupra c. 10. *Quo damnato, tum, cum ſeuera iudicia fiebant.*

Haec vendere (Ern. *venditare*) *coepiſſe*] Quod minime fecerunt.

Niſi

Niſi arbitramini] Quod arbitrari non debetis. Animaduertendum, hoc loquendi genere negari ſemper id, quod ſequitur.

L. Craſſo, Q. Scaeuolae, C. Claudio] Quorum aedilicia munera nominantur lib. II. de Offic. c. 16.

Commercium iſtarum rerum cum Graecis hominibus non fuiſſe] Fuit: easque res ad ornandum forum, et ſumebant a Graecis, et reddebant: nihil tamen vmquam emerunt. nec Verrem igitur emiſſe debetis exiſtimare.

CAPVT LX.

Et pretio paruo] Quanti Verres ab Heio Mamertino quattuor pulcherrima ſigna, Cupidinem, Herculem, Canephoras, a ſe emta, ipſius Heii tabulis probare conabatur.

Quas nos contemnimus] Contra Verrem, qui tamquam Graecus adamabat illa, quae Romani contemnebant. quamquam antiquos mores exſuere, et oculorum oblectamenta quaerere Graeca leuitate multi iam coeperant, priuato dedecore, publico damno: nam deliciis contemnendis imperium Romana ſeueritas auxerat. vnde Virgilius lib. VI. Aen. v. 848.

Excudent alii ſpirantia mollius aera:
Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus:
Orabunt cauſſas melius, caelique meatus
Deſcribent radio, et ſurgentia ſidera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento,
Hae tibi erunt artes, pacique imponere morem,
Parcere ſubiectis, et debellare ſuperbos.

Facile patiebantur] Hic loquendi modus aequitatem animi, cum neutram in partem laboramus, oſtendit, vt ad Pompeium lib. V. Fam. epiſt. 7. *Apud me plus officii reſidere facillime patior.*

Vectigales aut ſtipendiarios] Sociorum tria genera, immunes, vectigales, ſtipendiarii: quorum ſtipendiarii deterrima conditione. vectigal enim certum, et aequale: ſtipendium a populo Romano pro temporum ratione imponebatur.

Qui iam ciues Romani ſunt] Supra c. 11. *Quam vos Rheginis, quorum ciuitati inuidetis, item incolis veſtris, ciuibus Romanis, oſtendere ſoletis.*

Mereri (Ern. *merere*)] Soluere, et impendere. vt lib. V. c. 20. *Quid cenſetis in hoc foedere faciundo voluiſſe Mamertinos impendere laboris, operae, pecuniae, ne haec biremis adſcriberetur, ſi id vllo modo poſſent a noſtris maioribus impetrare?*

CAPVT LXI.

Heraclii] De quo lib. II. c. 14, ſeqq.

Non (Ern. *non modo*) *lenitudine*] Placeret, *non modo lenitudine:* cum ſequatur, *ſed etiam liberalitate.*

Liberalitate] Qui vxores Verris libidini permitterent: vt communes viderentur eſſe.

De quibus ante dixi] Lib. II. c. 76, ſeqq.

CAPVT LXII.

Monumentum ſcelerum] Ne ſcelera Verris quisquam poſſet obliviſci.

Inuentorem olei deum] Ariſteum, Bacchi filium, de quo paullo ante c. 57.

Hereditatis] Heraclii.

CAPVT LXIII.

Non modo (Ern. *non modo non*) *minorem*] Pro, nedum minorem: vt ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Non modo praemiis, ſed ne periculis quidem compulſus vllis.* Et alibi ſaepe.

Vt ei (*ei* abeſt ab Ern.)] Non placet, *ei.*

Paucis illis diebus] Cum iam appropinquaret aduentus meus.

Qui ſummam poteſtatem haberet] Praetorem L. Metellum.

CAPVT LXIV.

De Sex. Peducaeo] Patre eius, qui Attici amiciſſimus fuit.

Ei negotium faceſſitum] Reum eſſe factum. ſic ad Appium lib. III. Fam. epiſt. 10. *Cum eſt ad nos allatum de temeritate eorum, qui tibi negotium faceſſerent.*

Ne nudus quidem filius] Obſcenae libidinis cupiditate. hanc ſuſpicionem ſaepe excitat de puero Verre, vt act. I. c. 9. *Curſare iſte, homo potens, cum filio blando et gratioſo, circum tribus.* Lib. II. c. 59. *Hunc enim puerum non oderant.* Lib. III. c. 68. *Veſter ille puer praetextatus in prouincia quemadmodum fuiſſet non dicerem, ſi pueri eſſe illam culpam, ac non patris exiſtimarem.*

In nuda prouincia] Exinanita, exhauſta, deſpoliata.

Cognoſcitis (Ern. *cognoſcetis*)] Malim, *cognoſtis:* a teſtibus videlicet.

CAPVT LXV.

Diſceſſio] Eadem, quae Romae fieri ſolebat in ſenatus conſultis faciendis, aut improbandis.

Praetor appellatur] Qui aderat, L. Metellus. Appellatur autem, ne laudationem illam tolli ſinat.

Caecilius] Cum quo Ciceroni de accuſando Verre contentio fuerat.

A magiſtratu Siculo] Caecilius a magiſtratu Siculo praetorem appellat: id eſt, omiſſo magiſtratu Siculo, ad praetorem confugit.

Sed quaeſtor] Qui fuerat, non qui tunc eſſet.

CAPVT LXVI.

Graece locutus eſſem] Quaſi dignitas in eo ſenatoris populi Romani minueretur.

Verum, et germanum Metellum] Quaſi alii minus hoc digni nomine viderentur. Similiter lib. III. c. 17. *Ille vero tum ſe Metellum minime fore putaſſet, ſi te vlla in re imitatus eſſet.*

Iuuare] Lucullum reum, ſororis ſuae virum, Luculli patrem, qui de Mithridate et Tigrane triumphauit. Plutarchus in Lucullo.

Quod vbi intellexi] *Quod*, pro, *ſed*, vt lib. I. c. 46. *Quod vos oblitos eſſe non arbitror, quae multitudo, qui ordo ad Piſonis ſellam iſto praetore ſolitus ſit conuenire.* Et lib. II. c. 26. *Quod ego niſi meo aduentu illius conatus aliquantulum repreſſiſſem.*

Recentes

Recentes nuncios] Laetilium, de quo lib. II. c. 26.

Tributarias] Quae Metello munera tribuerent. Lib. II. c. 26. *Is epiſtolas complures attulerat: in his vnam domo; quae totum immutarat hominem.*

Theomnaſtus] Dei memor, Latine valet. Verris familiaris fuerat, vt lib. II. c. 21.

Theoractum] Diuino furore commotum, a deo perculſum.

Vocant] Per irriſionem.

Praetor intelligens] Cum ironia.

Legum] De repetundis. lib. II. c. 26. *Quod ego niſi meo aduentu illius conatus aliquantulum repreſſiſſem, et apud Siculos non Metelli, ſed Glabrionis litteris, ac lege pugnaſſem: tam multos huc euocare non potuiſſem.*

Sanctionem] Ne quis impediat, quo minus et obſignare, et deportare Romam tabulas liceat.

Poenamque] Si quis impedierit.

CAPVT LXVII.

Vt Heius, qui eius princeps legationis eſt, adſit] Qui ſi aderit, publico te nomine laudabit, ſuo laedet. ſibi enim e ſacrario ſuo Cupidinem marmoreum, Herculem aeneum, Canephoras ſublatas eſſe dicet, quemadmodum priore iam dixit actione.

Nauem (Ern. *populo Romano*) *debeantne*] Populo Romano.

Superiores] Qui ante Verrem Siciliae praefuerunt.

Diem feſtum] Marcellea.

Suſtuliſſent] Non tamen ſua ſponte, ſed iuſſu Verris. lib. II. c. 21.

Ex Heraclii pecunia] Vt erogaretur in ſumtum eius diei.

Ei] Verri, tamquam deo.

Omnium annorum ſacra] Nam cui deo ſacra fierent, cum Verres omnium deorum ſimulacra ſuſtuliſſet? in Diuin. c. 1. *Seſe iam ne deos quidem in ſuis vrbibus, ad quos confugerent, habere: quod eorum ſimulacra ſanctiſſima C. Verres ex delubris religioſiſſimis ſuſtuliſſet.*

Patrios] Quos iampridem colere ſoliti eſſent.

Eius autem familiae] Claudiae Marcellorum.

Dies feſtos] Pro, diem feſtum.

Recuperarant] Cum iure belli, victore M. Marcello, omnia amiſiſſent. Familiam Cicero nominauit, cum vnum M. Marcellum nominare poſſet; vt a iudicibus C. Marcello, et Cn. Lentulo Marcellino gratiam iniret.

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

ACTIONIS II.

IN

C. VERREM

LIBRVM V.

QVI

DE SVPPLICIIS

INSCRIBITVR

EXPLANATIO

CAPVT I.

Noui locum] Qui occaſionem et facultatem exaggerandi praebeat oratori.

Pro ſuo iure contendet] Carpit eum, quaſi dominari ſoleret in iudiciis. nam, *pro ſuo iure*, potentiam ſignificat.

Timeo] Hoc totum ironia eſt. nullam enim eſſe Verris in re militari virtutem, aut vigilantiam, oſtendet.

M'. Aquillii] Qui de repetundis ex Sicilia eſt accuſatus a L. Fuſio. lib. II. de Offic. c. 14.

Fortis] Magno animo praeditus.

Ab hoſtium duce] Fugitiuorum dux Athenio fuit, quos Aquillius in Sicilia vicit, de quibus etiam ouauit.

Cum ſibi ipſe non peperciſſet] Cum in pugna nullam ſuae ſalutis rationem habuiſſet.

Ad iudicum crudelitatem] Vt eum iudices necarent, quem ſeruare fortuna voluiſſet.

CAPVT II.

Summo iure] Vt nihil afferre te patiar in iudicium, niſi quod ad

ad crimen repetundarum, de quo reus es, pertinet.

Certa lege] De repetundis.

At in Italia fuit] Spartaco duce, quem vicit M. Craſſus.

Aut Cn. Pompeio] Cum fugitiuis Pompeius non pugnauit: ſed, cum ex Hiſpania, ſuperatò Sertorio, rediret, magnum fugitiuis terrorem eius aduentus iniecit. vnde illa in oratione pro lege Manilia c. 11. *Teſtis eſt iterum, et ſaepius Italia, quae, cum ſeruili bello taetro periculoſoque premeretur, ab hoc auxilium abſente expetiuit: quod bellum exſpectatione Pompeii attenuatum, atque imminutum eſt, aduentu ſublatum, ac ſepultum.*

Tam prope a Sicilia] Tam prope Siciliam eſſet.

Tamen in Sicilia non fuit] Quaſi, ne eſſet, Verres effecerit.

CAPVT III.

Aditum] In Siciliam.

Hoſtibus] Seruorum copiis, quae erant in Italia.

Imitandi eius belli] Ne ſerui, qui erant in Sicilia, imitarentur eos, qui bellum in Italia excitauerant.

Sine vlla facultate nauium] Qui nauibus omnino carerent.

Illis] Fugitiuis.

Ad Pelōridem] Siciliae promontorium, Italiam ſpectans.

Praedicatur] Quaſi eam ipſe prohibueris.

In crucem eſſe ſublatum] Seruili ſupplicio affectum. paſtor enim ille ſeruus fuit.

CAPVT IV.

Cn. (Ern. *C.*) *Norbanus*] Praetor in Sicilia. *C. Norbanus* vocatur lib. III. c. 49. et fortaſſe is eſt, qui cum L. Scipione conſul fuit.

Ratione] Quia contrahunt inter ſe.

In Triochalino (Ern. *Triocalino*)] Silius lib. XIV. v. 270.

Et mox ſeruili vaſtata Triochala bello.

CAPVT V.

Furtum] Verris.

Praetermiſſa eſt] Minime praetermiſſa. ſic enim intelligendum.

Fuit nundinatio aliqua] Id eſt, eſſe potuit.

Niſi id] Te pecuniam accepiſſe.

Ne ſi dubitetur quidem] Non dubitatur, quin pecuniam acceperis: ſed, ſi dubitetur, id quaeri tamen in re tam nefaria non oportet. nam, ſi pecuniam non accepiſti, qua ratione adductus eos liberaſti?

CAPVT VI.

Propter reum] Propter ipſum Verrem: a quo tantum ſceleris eſſe commiſſum, credibile eſt.

Ipſe, qui iudicarat] Ipſe Verres, qui eos damnauerat. Hoc ad illud ſupra dictum refertur, *vt non ab iis ipſis, qui indicaſſent.* Nam ad quattuor propoſita, quattuor item hic ſubiunguntur, vtraque per particulam, *vt.*

Feciſſe videri] Condemnationis verba: vt modeſte ſuam ſententiam iudices oſtenderent. In Lucullo c. 47. *Quae iurati iudices cognouiſſent, vt ea non eſſe facta, ſed vt, videri, pronunciarent.* Lib. IV. ad Attic. epiſt. 16. *Druſus, Scaurus non feciſſe videntur.* Simile illud lib. II. c. 38. *Sthenium*

nium litteras publicas corrupiſſe videri. Ibidem c. 41. *Tribunos plebis hoc ſtatuiſſe, idque de omnium ſententia pronunciatum eſſe, non videri Sthenium impediri edicto, quo minus ei liceret Romae eſſe.* Et pro Caecina c. 25. et in Piſonem c. 40.

Summa formidine oppreſſerit] A contrario ſenſu: pro, *omni prorſus formidine liberarit.*

Vel ipſo carnifice internuncio] Agente de pretio inter Verrem et Leonidam.

Redimeretur] Verbo vſus eſt pecuniam indicante.

CAPVT VII.

H-S LX millia (*millia* abeſt ab Ern.)] Scutatos MDCCC.

H-S C millia (*millia* abeſt ab Ern.)] Scutatorum tria millia.

Cenſor] Cum L. Gellio.

Diocli] Antique, pro *Dioclis*: vt Virgilius lib. I. Aen. v. 30. et lib. III. v. 87. *immitis Achilli.* vide Cariſium.

Excogitauit] Contra Apollonium Verres. Inducit Cicero Panormitanum aliquem ita loquentem.

Neſcio quid attulit] Aliquid omnino attulit, quo Apollonium citaret.

In nominibus] *Nomina* pro debitoribus ponuntur.

Non haberet] Quam ſi haberet, petenti Verri dediſſet. id enim ſignificatur.

CAPVT VIII.

Seruos damnatos] Leonidae: de quo ſupra c. 4.

Clementer] Vt in ſeruis Leonidae.

Seuere] Vt in Apollonio.

Eum] Verrem.

Suo iudicio] Quia, cum ſuum de Apollonio iudicium reſcidit, ipſe ſe condemnauit: quo minus vos de eo condemnando dubitare nunc poteſtis.

CAPVT IX.

Redemiſſe] Ne accuſarentur eiusmodi crimine.

Vel vita] Praeſtat enim mori, quam haec pati.

Occurrere] Pecunia ſe a Verre ante redimere, quam illa ferant, quae tulit Apollonius.

CAPVT X.

Q. Maximi] Fabii Cunctatoris.

Eius diei ſolem] Scribit idem de Alexandria Ammianus Marcellinus lib. XXII. c. 16.

CAPVT XI.

Equites Romani] Qui negotiabantur in Sicilia.

CAPVT XII.

Aeſtas ſumma] Cum ſummus calor eſt. infra c. 31.

Conſueuerat] Rem habuerat. Plautus in Ciſt. act. I. ſc. 1, v. 88.

— Sed tu en vmquam cum quiquam viro
Conſueuiſti? —

Ibidem v. 96.

— Conſuetudine
Coepi amare contra ego illum, et ille me.

In Pſeud. act. I. ſc. 1. v. 62.

Nunc noſtri amores, mores, conſuetudines.

Virtu-

Virtute putaret oportere, non genere certari] Hannibalem ſuos milites ad proelium his verbis adhortantem Ennius inducit:

Hoſtem qui feriet, mihi erit Carthaginenſis,
Quisquis erit.

CAPVT XIII.

Antoniana] Cum M. Antonius M'. Aquillium defendit: vt in huius orationis principio.

Aera illa vetera] Veterem militiam, id eſt, veteres libidines. lib. I. c. 12. *Lucretur indicia veteris infamiae.*

E foro] Quo ſe, virili toga ſumta, adoleſcentes ad oratores audiendos conferebant.

Abduci] Vt obſcenam libidinem pateretur.

Perduci] Ad meretrices: quod Verres ipſe praedicabat, vt illam a ſe alteram longe turpioris libidinis ſuſpicionem remoueret.

Cum frequens fuiſſet] Hoc dicit, quia per infrequentiam adimi ſtipendium militibus ſolebat. Feſtus: *Infrequens appellabatur miles, qui abeſt, abſuitue a ſignis.* Plautus in Truc. act. II. ſc. 1. v. 19.

Quin, vbi nihil det, pro infrequente eum mittas militia domum.

Lib. IV. ad Herenn. c. 27. *Illud praetereo, quod rei militari te infrequentem tradidiſti.* Gellius lib. XVI. c. 4. *Miles, cum dic, qui praedictus eſt, aberat, neque excuſatus erat, infrequens dabatur.* Scriptor libri de viris illuſtr. c. 43. *Lucano cuidam fortiſſimo, ob amorem mulieris infrequenti, eandem emtam dono dedit.*

Tamen aere dirutus eſt] Ambiguo ſenſu. nam, cum videatur dicere, *tamen ei ſtipendium eſt ademtum:* hoc ſignificat, alea Verrem, quod habebat, perdidiſſe. *Aere diruti* milites, quibus ignominiae cauſſa ſtipendium non daretur, appellabantur, vt ait Feſtus. hinc illud Phil. XIII. c. 12. *Homo diruptus dirutusque, Q. Coelius.*

Eius in ſtipendiis] Dum in aleatoris Placentini caſtris militavit.

Aetatis fructu] Eo quaeſtu, quem corpore faciebat: vt, quantum damni alea, tantum lucri faceret Venere praepoſtera.

CAPVT XIV.

Creditum ac commiſſum] Fidei, diligentiaeque mandatum.

Obtinui quaeſturam in prouincia Sicilia (*Sicilia* abeſt ab Ern.)] Sorte.

Antiquiorem] Supra omnes non modo ſenatores, verum etiam magiſtratus, curulibus exceptis, id eſt, conſulibus, praetoribus, cenſoribus.

Ius, imagines (Ern. *imaginis*)] Nonius legit, *imaginis.* quod ita placet, ſi, *prodendum*, infra legatur, hoc modo: *Ius imaginis, ad memoriam, poſteritatemque prodendum.*

CAPVT XV.

Quid tum ſit actum] Lib. IV. c. 20. *H-S LXXX millia diuiſoribus, vt praetor renunciarere, dediſti; CCC accuſatori, ne tibi odioſus eſſet.*

Centuriis] Centuriatis comitiis maior magiſtratus, praetor, conſul, cenſor, creabatur. Cicero,

cero, Liuius, Dionyſius, Gellius.

Ad ſummam ſtultitiam nequitiamque veniſſe] Ad te omnium ſtultiſſimum, ac nequiſſimum.

Fugitiuorum reliquias] Victo iam Spartaco.

Thempſanum incommodum] Cum Thempſam oppidum in Bruttiis reſidua Spartaci manus occupauit.

CAPVT XVI.

Ad te] Qui non longe aberas.

Valentini] Thempſanorum vicini.

Proficiſcentem] In prouinciam.

Ne illam quidem infamiam] Cum eſſes in litore cum Tertia, et cum tunica pulla, et pallio, decedens iam ex prouincia, nec ad triumphum, ſed ad iudicium.

Cum inueniretur nemo] Non quod ire nemo vellet, ſed quod in Italia cum imperio tunc nemo eſſet: extra ordinem autem decerni, qui contra fugitiuorum reliquias cum imperio mitteretur, dignitatis publicae non eſſe videretur. quam ob cauſſam facta Verris mentio eſt, quod is et cum imperio eſſet, nec longe a Thempſa, iam e prouincia decedens. in quo ſenatus vniuerſus, quid de Verre ſentiret, admurmuratione oſtendit: ſenatus vero principes, vt conſulares, et praetorii, quique magiſtratum gerebant, palam contradixerunt.

Teſtimoniisque] Recitatis actione prima.

Eorum] Senatorum.

Quorum omnium palam voce] Et qui admurmurarunt, et qui palam contradixerunt.

Cauſſa incognita] Teſtes enim Siculos non audierant, fama tantum ipſa mouebantur, et quod, quis eſſet Verres, quid in eo virtutis, et induſtriae, ex vrbana praetura cognouerant.

CAPVT XVII.

Eſto] Orationem ad aliam rem traducere, ſic, vt coniungantur ea, quae diuerſa ſunt, vulgaris artificii non eſt, vt hoc loco: *eſto:* deinde ſubiungitur, *at vero.* Eiusdem artificii eſt illud lib. I. c. 24. *At, credo, in hisce ſolis rebus indomitas cupiditates atque effrenatas habebat: ceterae libidines eius ratione aliqua, aut modo continebantur. Quam multis iſtum ingenuis, quam multis matribus familias, in illa taetra atque impura legatione, vim attuliſſe exiſtimatis?* Simile illud lib. III. c. 27. *Priuatim hoc modo: quid publice? ciuitates quemadmodum tractatae ſunt?* Idem transitus agnoſcitur lib. IV. c. 39. *At hoc ſolum Africani monumentum violaſti. quid? a Tyndaritanis non eiusdem Scipionis beneficio poſitum ſimulacrum Mercurii, pulcherrime factum, ſuſtuliſti?* Cum hoc genere ſimilitudinem habet, quod ſcriptum eſt ad Appium lib. III. Fam. epiſt. 10. *Atque haec domeſtica. Quid illa tandem popularia?* Hoc, quidquid eſt induſtriae, ſi quis negligit; nimirum is, quanti ſit eloquentia, quamque partes in ea multae requirantur, ſimul negligere videtur.

Neque ab iſto prouiſum eſt, ne quod eſſet] Potius opera data eſt, vt aliquod eſſet, liberatis poſt condemnationem Leonidae ſeruis. ex quo illa per ironiam c. 6. *Quis dubitet, quin ſeruorum animos ſumma formidine oppreſſerit,* cum

cum viderent ea facilitate praetorem, vt ab eo ſceleris coniurationisque damnatorum vita, vel ipſo carnifice internuncio, redimeretur? Atque illae duae cauſſae ad fortunam referuntur, *quod neque bellum eiusmodi, neque belli periculum fuit in Sicilia:* tertia Verri adſcribitur, *neque ab iſto prouiſum eſt, ne quod eſſet.*

Ornatam] Inſtructam remigibus, militibus, duce, rebus ad pugnandum neceſſariis.

Dementiae] Hic certa crimina exponuntur: dementia vero crimen certum non eſt, ſed fons quidam, et origo criminum. itaque vel tollendum cenſeo, vel immutandum, neutrum tamen ſine veterum librorum auctoritate. nam quod alii legunt, *maieſtatis deminutae;* frigidum videtur. breuis enim criminum enumeratio non modo maiorem vim, ſed numerum quoque meliorem efficit.

Rem naualem] Primo loco exponit auaritiae crimen, ſicuti ex quattuor criminibus auaritiam primam proxime nominauit.

Nihil horum imperauiſti] Lib. IV. c. 10. *Pro hisce rebus, vacatio data eſt ab iſto ſumtus, laboris, militiae, rerum denique omnium.*

Nauem vero Cybeam] Lib. IV. c. 8.

Triremis inſtar] Quae biremis erat: vt infra c. 23.

Domini] Verris. qui iudicio damnatus in exſilium ibit, auectus ipſa naui.

CAPVT XVIII.

Habere] Nec habere, nec mercari ſenatori trans mare quidquam licuit.

CAPVT XIX.

In operum locationes falſas] Vt eius pecuniae, quam in nauem erogauerant, quam, tuo parcentes capiti, in tabulas referre noluerant, exitus aliquis inveniretur.

Eius capiti litteris ſuis peperciſſe] Noluiſſe quidquam in tabulas referre, ne Verri nocerent.

Tibi gratis conſtare nauem] Tua pecunia factam non eſſe. Valet argumentum: Si, quod ſcriptum non eſt, factum non eſt: ne tu quidem, quod ſcriptum proferre non potes, id factum eſſe dices, emtam videlicet a te nauem illam eſſe, aut locatam Mamertinis.

Dii approbent] Modus laudandi. ſed hic mera ironia eſt. quaſi factum Verris eiusmodi non ſit, vt a diis approbari debeat.

CAPVT XX.

Ne haec biremis adſcriberetur] Animaduerte, quam ſupra c. 19. *nauem* vocauit, hic *biremem* dici: vt *nauis* generale nomen ſit.

CAPVT XXI.

Exigeretur] Ex primis decumis: nam alteras emebat populus Romanus, et praeterea quod erat ciuitatibus aequaliter imperatum. lib. III. c. 70.

Ex lege cenſoria] Lib. III. c. 6. *Perpaucae Siciliae ciuitates ſunt bello a maioribus noſtris ſubactae: quarum ager cum eſſet publicus populi Romani factus, tamen illis eſt redditus. is ager a cenſoribus locari ſolet. Legem* igitur *cenſoriam*, ipſo interprete Cicerone, accipio pro locatione cenſoria.

Iis]

Iis] Qui publicos agros arant.

Decumani] Aratores, qui populo Romano decumas Hieronica lege, nullo pretio, darent.

Statuiſti] Arbitrio tuo, in ſecundis decumis, quae vendebantur: cum id ſtatuere Verres ipſe non deberet. tot enim erant ſecundae decumae, quot primae. vnde lib. III. c. 70. *Frumentum emere in Sicilia debuit Verres ex ſenatus conſulto, et ex lege Terentia et Caſſia, frumentaria. Emundi duo genera fuerunt: vnum certarum decumarum: alterum, quod praeterea ciuitatibus aequaliter eſſet diſtributum. Illius decumani tantum, quantum ex primis decumis fuiſſet: huius imperati tritici modium DCCC millia.*

Qui ſunt immunes] Tertium genus eorum, quos frumenti plus, quam debebant, aut etiam ſi nihil deberent, ſoluere coegit Verres.

Trabali clauo figeret] Maxime confirmaret.

Cum conſilio] Cum ſua cohorte.

En foederum interpretes] Quia Verres ideo ſe Mamertinis navem non imperaſſe dicebat, quod eſſent foederati. Apoſtrophe per indignationem expreſſa, vt illa aliquanto poſt c. 47. *En, quod Tyndaritani libenter praedicent.* Et illa lib. I. c. 37. *En, cui tuos liberos committas: en memoria mortui ſodalis: en metus viuorum exiſtimationis.*

Societatis pactores] Digni, quibus vtamur in paciſcenda ſocietate.

Religionis auctores] Qui foederum religionem tuentur. ſupra c. 19. *Habemus hominem in fetialium manibus educatum: vnum, praeter ceteros, in publicis religionibus foederum ſanctum et diligentem.*

Ac litteris] Id enim in tabulas retulerant.

CAPVT XXII.

A malo auctore] Ab eo, cuius apud Metellum auctoritas nulla fuit.

Tritici emti (Ern. *et tritici emti*)] Fortaſſe rectius *et tritici emti:* vt illud proxime dictum, *et rerum decretarum, et frumenti imperati.*

Inconſtantia] Cum idem et pronunciarit, Netinos frumentum dare non oportere; et ab iisdem tamen exegerit.

Vt (*vt* abeſt ab Ern.) *in iudiciis*] Subiici debuit, *ſic.* ſed eius particulae vim incluſit Cicero in ſententiam proxime ſequentem. quaſi diceret: Sic, cum tot in Sicilia ciuitates ſint, quae arguant, paucae et paruae, quae ſileant, vna, quae laudet: quid hoc eſt, niſi &c.

Decem laudatores] Id comprobat Pedianus. decem enim, qui Scaurum, a Cicerone defenſum, laudauerint, enumerat, nouem conſulares, vnum adoleſcentem Fauſtum, Scauri fratrem, Sullae filium.

Vera laudatio] Quae multarum teſtimonio ciuitatum conſtat.

Hac vtilitate] Multarum laudantium ciuitatum.

Legati principes] Heium ſignificat, a quo Verres Cupidinem, Herculem, Canephoras abſtulerat. lib. IV. c. 3.

Tam bono iure] Diuerſa coloniarum genera diuerſo iure, id eſt, aliae aliis, pro ſuis quaeque meritis, immuniores fuere.

CAPVT

CAPVT XXIII.

Remiſiſti] Quam ex foedere debebant populo Romano.

Cybea] Iam non biremis, quae ex foedere debebatur, ſed triremis inſtar, quo plura poſſet exportare. *Cybea* propter latitudinem dicta.

Auxilii] Quod ab iis debebatur.

Iuris] Ita enim iure, conſuetudine, foedere inter eos et populum Romanum conuenerat.

CAPVT XXIV.

Vti ſolebamus] Non quod hoc tempore auxiliis eorum non vterentur: ſed ait, *vti ſolebamus:* tum cum aſſidue bella gerebantur.

Neglexeris] Negligere viſus es: ſed non neglexiſti, qui per eum, quem tractandae pecuniae praefeciſſes, eandem ad te pecuniam peruenturam ſcires.

Difficultatem] Quia tuo periculo tractaretur illa pecunia ab eo, quem ipſe praefeciſſes. ſupra: *In illo omni negotio non modo labore, ſed etiam periculo ſuo verſabatur.*

Cum crimine] Et difficultas erat in tractanda pecunia; cuius quaecumque iactura fieret, ab eo ſarciri debebat, cui eſſet a ciuitatibus adnumerata: et cum difficultate crimen coniungebatur: quia Verres eius pecuniae partem ad ſe ipſum auertebat.

CAPVT XXV.

Hunccine hominem] Subaudi, *reperiri potuiſſe?*

Deſcribere] Quantum quaeque ſolueret: vt ad Caſſium lib. XII. Fam. epiſt. 1. *Immunitates dantur: pecuniae maximae deſcribuntur.* id eſt, quantum cuique donaretur.

Sexcentenos (Ern. *ſexcenos*) *nummos*] Scutatos XVII cum dimidio. Poſtulat analogiae ratio, *ſexcenos*, vt *quingenos*, *ſeptingenos*, et ſimilia.

Commeatum] Quod pro victu dabatur. quod erat ipſum quoque lucrum Verris.

Abſtulerat] Illo ſumtu Verrem leuabat.

Quod et nautae nomine] Particula, *et*, alios quaeſtus indicat, praeter eos, quos miſſorum nautarum nomine Verres faciebat: quos autem quaeſtus? quos ſupra c. 24. dixit: primum ex tractanda pecunia a ciuitatibus accepta: deinde, cum a ciuitatibus, ne nautas darent, pecunias acciperet: poſtremo, cum id, quod deberet, nautis non daret.

Pro ſtipendio] Sexcenos nummos. ſupra c. 24. *Pretio certo miſſos facere nautas: miſſorum omne ſtipendium lucrari.*

Frumentoque] Commeatu totius aeſtatis.

Quaeſtus duplex] Pro ſtipendio, et frumento.

Praedam] Quaeſtum. praedabatur enim e ſociis Verres, cum ex praedonibus deberet.

P. Caeſetius, et P. Tadius] Caeſetius quaeſtor, Tadius legatus, vt lib. II. c. 20.

Argenti facti, atque ſignati] *Argentum factum*, vaſa ſunt, quaeque ornamenti et magnificentiae gratia elaborantur: *ſignatum*, pecunia: ſignum enim aliquod et erat, et eſt hodie in nummis.

Stragula veſte] Qua lecti, menſae, parietesque ſternuntur.

Noctu

Noctu (Ern. *in acta*) *cum mulierculis iacebat ebrius*] Pro, *noctu*, ſunt qui legant, *in acta*, non habita ratione temporis, quo Verres in acta, id eſt, in litore fuit. nam aeſtate ſumma aliquanto poſt captam piratarum nauem in litus cum mulierculis ſe contulit. quod infra c. 31. perſpicuum eſt.

Eos in hoſtium numero ducit] Extremo ſupplicio afficit. ſic veteres loquebantur, vt caedis mentionem vitarent. infra c. 47. *Ipſi in hoſtium numero locoque ducemini.* Caeſar lib. I. de bell. Gall. c. 28. *Reductos in hoſtium numero habuit.*

Quid eius ſit] Senſum obſcurat praeciſa locutio. ſed exemplorum ſimilitudo lucem affert. *Quid eius ſit*, valet, quid eius rei ſit, verane ſit ea res, an falſa. ſic Terentius in Eun. act. I. ſc. 2. v. 122.

Et quidquid huius feci, cauſſa virginis
Feci. —

Vbi Donatus: *Quidquid huius:* rei, *ſubaudiendum eſt: quod eum excluſi foras.* Idem in Heaut. act. III. ſc. 3. v. 10.

At mihi fides apud hunc eſt, nihil me iſtius facturum, pater.

Ibidem act. V. ſc. 2. v. 8.

Quidquid ego huius feci, tibi proſpexi, et ſtultitiae tuae.

In Hec. act. III. ſc. 2. v. 3.

Quod te, Aeſculapi, et te, Salus, ne quid ſit huius, oro.

Noſter autem lib. XVI. ad Attic. epiſt. 4. *Non video ſciturum me, quid eius ſit, ni ſtatim aliquid litterarum.* Plautus in Aul. act. IV. ſc. 10. v. 72. plene dixit:

Ibo intro, vt, quid huius rei ſit, ſciam. —

CAPVT XXVII.

Verus] Non ſuppoſitus.

Video] Aſſentientis verbum, vt infra, *audio.*

Homines maritimos] Lilybaetanos.

Non plane reformidat] Qui Syracuſas totas timuit, is ſi Lilybaeum archipiratam mittit, Lilybaetanos non timet, qui tamen, item vt Syracuſani, homines maritimi ſunt. quo minus veriſimile videtur, quem Verres cuſtodiri noluit Syracuſis, eum Lilybaeum eſſe miſſum.

Ille ſuppoſitus] Iam igitur Verres, accepta pecunia, archipiratam dimiſerat.

CAPVT XXVIII.

Periti] Vſu rerum. non barbari, et indocti, ſed moribus et litteris exculti.

Sex (Ern. *ex*) *remorum*] *Myoparonem* infra c. 38. vocat. cuius in ſingulis tranſtris cum ſeni remiges eſſent; maximum et celerrimum fuiſſe, licet intelligere.

CAPVT XXIX.

Induit] Indicauit: incurrit, quo minime volebat. Vſitatus loquendi modus, *induere ſe*, pro, in difficultatem ſua ſponte per imprudentiam coniicere.

O clementiam populi Romani] Qui cum, hoc audito, vehementer commotus eſſet, a praeſenti tamen

tamen ſupplicio ſe continuit, ac repreſſit.

Tibi crimini datum iri] Si archipiratam ſecuri percuſſiſſes.

Non ita vixeras] Cum ironia.

Reprehenſio nulla eſſe potuit] Quia mos fuit, vt capti piratae ſecuri ferirentur.

M'. Acilium Glabrionem] Praetorem.

CAPVT XXX.

Idemque dies] In vrbe imperium habere non licebat: itaque lex ferebatur, vt iis, qui triumphantes vrbem inirent, vno tantum triumphi die imperium eſſet, id eſt, ius eundi per vrbem cum eo exercitu, quem ex prouincia deduxerant.

Eſt nunc, credo, cuiquam dubium (Ern. *et nunc cuiquam credo eſſe dubium*)] Implicata ſententia: ſed videtur hoc dici: Niſi, pecunia accepta, archipiratam dimiſiſſes, certe eum ſecuri potius percuſſiſſes, quam vt eum domi tuae, tuo cum periculo, viuum cuſtodires; qui praeſertim ſcires, vbi Romam reuertiſſes, cauſſam tibi eſſe dicendam. Cum igitur dicit: *eſt nunc, credo, cuiquam dubium, quin tu id commiſſurus non fueris;* hoc, opinor, dicit: Numquam commiſiſſes, vt ille ſecuri non potius feriretur, quam domi tuae tuo periculo viueret.

Quod erat ante oculos poſitum] Si viueret, tuo periculo viueret. crimen enim maieſtatis illud erat: de quo infra: *Volo mihi totum eſſe crimen hoc integrum. eſt certus locus, certa lex, certum tribunal, quo hoc reſeruetur.*

Quid diceres] Quae tua excuſatio, quae defenſio eſſet? Verum de fuga archipiratae non laborabas: vero archipirata dimiſſo, pecuniam acceperas: in falſi locum, ſi fugiſſet, poſſes alium ſupponere.

Eſt certus locus] Certus hic non eſt, vbi de repetundis agitur, non de maieſtate.

Certa lex] De maieſtate.

Certum tribunal] Eius praetoris, qui de maieſtate quaerit.

CAPVT XXXI.

Veſte] Stragula.

Ornandam] Inſtruendam.

Reuocandos] Quos pretio dimiſerat. ſupra c. 24.

Praedae] Ex praedonibus.

Aeſtate ſumma] Media, cum frumenta ſunt in areis. ſupra c. 12. Et Coelius ad Ciceronem lib. VIII. Fam. epiſt. 12. *ſummis Circenſibus ludis meis,* dixit, pro, mediis.

Cum iſti eſſent] Verres, et filius: quos appellare viros, cum viro nihil dignum agant, minime licet.

Tot in acta dies] *Acta* vocabulum, non ſatis vſu tritum, loci deprauandi cauſſam praebuit. eſt autem, *in acta*, ſecreto et amoeno litore: vt ait Seruius in illud Virgilii lib. V. Aen. v. 613.

> *At procul in ſola ſecretae Troades acta*
> *Amiſſum Anchiſen flebant.*

Nepos, vel Probus in Ageſilai vita c. 8. *Cum in acta cum ſuis accubuiſſet.*

Legatus] P. Tadius.

Claſſi populi Romani] Cui vel praetor ipſe, vel legatus, vel quaeſtor, non Siculus homo, praeeſſe deberet: vt infra c. 32.

CAPVT

CAPVT XXXII.

Vbi ternis denariis aeſtimatum frumentum] Cur enim tibi in cellam datum eſt frumentum illud, quod tu, cum eſſet H-S binis, ternis denariis in ſingulos modios aeſtimaſti, niſi, vt opera tua, tuorumque populus Romanus pro ſalute ſociorum vteretur?

Perpetuo manſerant] Quam ob cauſſam immunes erant, ac liberae. Duae tantum hic nominantur, Segeſtana, et Centuripina: ſed praeterea tres erant, Haleſina, Halycienſis, Panormitana. quarum omnium initio lib. III. c. 6. mentio fit.

Cognatione] Hoc ad Segeſtanam pertinet. Segeſta enim oppidum ab Aenea conditum putabatur.

Dignitatis] Nulla, inquit, habita dignitatis ratio eſt: claſſi enim populi Romani Siculus homo praeeſſe non debuit. nulla aequitatis: nam ſi homini Siculo, certe Segeſtano, aut Centuripino potius, quam Syracuſano, mandandus honos fuit: cum eae ciuitates, quae in amicitia, fideque populi Romani perpetuo manſerant, iis, quae armis victae fuerant, omnino praeferendae viderentur. nulla denique officii, cum referri gratiam deceret Centuripinis, quibus in omni bello, quod in Sicilia geſtum eſſet, ſociis populus Romanus vſus eſſet. nam Syracuſani ſemper hoſtes.

Vide, quid interſit inter tuam libidinem, maiorumque auctoritatem: inter amorem furoremque tuum, et illorum conſilium atque prudentiam. Illi, etc.] Acrior eſt ex comparatione reprehenſio: lib. III. c. 16. *Vide, inter importunitatem tuam, ſenatusque bonitatem, quid interſit. Senatus, cum temporibus reipublicae cogitur, vt decernat, vt alterae decumae exigantur: ita decernit, vt pecunia pro his decumis ſoluatur aratoribus. vt, quod plus ſumitur, quam debetur, id emi, non auferri putetur. Tu cum tot decumas non ſenatus conſulto, ſed nouis edictis tuis, nefariisque inſtitutis exigeres et eriperes: magnum te feciſſe arbitrabere, ſi pluris vendideris, quam L. Hortenſius, pater iſtius Q. Hortenſii, quam Cn. Pompeius, quam M. Marcellus: qui ab aequitate, ab lege, ab inſtitutis, non receſſerunt?* Similiter ibidem infra c. 35. *Illum viris fortiſſimis iudicarunt patres conſcripti remittere de ſumma non potuiſſe: te mulieri deterrimae recte remiſiſſe ſenatores iudicabunt? Ille, de quo lege populus Romanus iuſſerat, vt ipſius voluntas populo Romano eſſet pro lege, tamen in hoc vno genere, veterum religione legum, reprehenditur. tu, qui omnibus legibus implicatus tenebare, libidinem tibi tuam pro lege eſſe voluiſti? in illo reprehenditur, quod ex ea pecunia remiſerit, quam ipſe quaeſierat: tibi concedetur, qui de capite vectigalium populi Romani remiſiſti?* Agr. II. c. 7. *Videte, quid interſit inter Cn. Domitium, tribunum plebis, hominem nobiliſſimum, et P. Rullum, qui tentauit, vt opinor, patientiam veſtram, cum ſe nobilem eſſe diceret. Domitius, quod per caerimonias populi fieri non poterat, ratione aſſecutus eſt, vt id, quoad poſſet, quoad fas eſſet, quoad liceret, populi ad partes daret: hic, quod populi proprium ſemper fuit, quod nemo imminuit, nemo immutauit, quin ii,*

qui

qui populo agros eſſent aſſignaturi, ante acciperent a populo beneficium, quam darent: id totum eripere vobis, atque e manibus extorquere conatus eſt. Ille, quod dari populo nullo modo poterat, tamen quodam modo dedit: hic, quod adimi nullo pacto poterat, poteſtate, quadam ratione eripere conatur. Nec minus valet ad obiurgandum idem modus. praeclarum habemus exemplum in ſuaſione Maniliae legis c. 5. *Maiores veſtri ſaepe, mercatoribus ac nauiculatoribus iniurioſius tractatis, bella geſſerunt: vos, tot ciuium Romanorum millibus, vno nuncio, atque vno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis?* Et quae ſequuntur. Eodem genere materia conditur irridendi: vt pro Murena c. 9. *Vigilas tu de nocte, vt tuis conſultoribus reſpondeas: ille, vt eo, quo intendit, mature cum exercitu perueniat. te gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat. tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit. tu caues, ne tui conſultores; ille, ne vrbes, aut caſtra capiantur. Ille tenet, et ſcit, vt hoſtium copiae; tu, vt aquae pluviae arceantur: ille exercitatus eſt in propagandis finibus; tu in regendis.*

Amorem] Quo impulſus, Cleomenem, vt animo ſoluto, ac libero eius vxorem habere poſſes, claſſi praefeciſti.

Habere (Ern. *habitare*)] Habitare: vt apud Plautum in Truc. act. I. ſc. 1. v. 58.

— *Haec meretrix, quae hic*
habet, Phroneſium.

Sociorum opera] Quia Marcellum in expugnandis Syracuſis adiuuerant.

Syracuſanis] Cleomeni Syracuſano.

CAPVT XXXIII.

Soleatus] Crepidis muliebribus: quibus tamen et viri vterentur domi. vnde Horatius lib. II. Serm. ſat. 8. v. 77.

Et ſoleas poſcit. —

CAPVT XXXIV.

Quod erat terreſtre praeſidium] Nihil deeſt. nam, *erat*, eſt pro *aderat*. *Praeſidium* autem *non re, ſed nomine*, quaſi correctio eſt, cum ignominia Verris: quia, cum praeſidium milites ſignificet re, non nomine; ipſe effecerat, vt praeſidium illud eſſet nomine, non re.

Scire iſto praetore nemo poterat] Quia remiges pretio Verres dimiſerat.

Moliebantur] Satagebant in paranda fuga. Occupationem, et tarditatem ſignificat hoc verbum, vt lib. IV. c. 43. *Hora amplius iam in demoliendo ſigno permulti homines moliebantur.* Terentius Heaut. act. II. ſc. 2. v. 11.

Dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt. —

Inopes] Ope carentes.

CAPVT XXXV.

Nequitiaque] Hoc ad libidinem refertur. nam ſtatim illa ſubiunguntur: *O iſtius nequitiam, ac turpitudinem ſingularem! Vna atque eadem nox erat, qua praetor amoris turpiſſimi flamma, ac claſſis populi Romani praedonum incendio conflagrabat.* lib. II. c. 78. *Homo inertior,*

 ignaui-

ignauior, magis vir inter mulieres nequam, impura inter viros muliercula, proferri non poteſt.

CAPVT XXXVI.

Lampſaceni periculi] Cum parum abfuit, quin a Lampſacenis in ea domo, in qua diuerſabatur, viuus exureretur. lib. I. c. 27.

Acta commemorabantur] Dolor vocem exprimebat, vt, quae Verres, cum obire prouinciam, et concurſare ceterorum praetorum more deberet, per luxuriam et libidinem egiſſet, ea libere commemorarentur. Lambinus, *commemorabatur*, legit: vt, *acta*, ſit litus. de qua coniectura nihil pronuncio.

Vticenſe exemplum de Hadriano] Vticae praetor Hadrianus domi ſuae propter auaritiam viuus exuſtus eſt. lib. I. c. 27.

Duo ſepulcra] Vt cremarentur duo praetores improbi duabus in prouinciis.

CAPVT XXXVIII.

Suo nomine] Quia, ſi eſt in vrbe inſula, vnde nomen accepit; magnam vrbis partem teneat, neceſſe eſt.

Ac moenibus] Extrema, vt opinor, aedificia vocat *moenia*. nam duobus quidem portubus Inſula cingebatur, in vtriusque portus oſtium aditumque proiecta, moenium tamen ambitu carebat. lib. IV. c. 53.

In eorum poteſtatem] Pro, *poteſtate:* vt pro Quintio c. 5. *Res eſſe in vadimonium coepit.* Quem locum pluribus confirmauimus exemplis.

Conuentu] Ciuium Romanorum, qui Syracuſis negotiabantur. is enim *conuentus* appellatur in prouinciis.

CAPVT XXXIX.

In ciuitatum litteris et tolli, et referri] *Litteras* accipi pro eo, quod ſcribitur teſtimonii, memoriaeque cauſſa, ſaepe iam dixi. ſequitur proxime: *Certis litteris, teſtibus, auctoritatibusque conuincitur.*

CAPVT XL.

Apertas] Non conſtratas, non tectas.

Minus exinanitam] Militibus. ſupra c. 34. *In hac quadriremi, propter honorem et gratiam Cleomenis, minime multi remiges et milites deerant.*

Vbi fides] Data Cleomenis vxori.

Exſecrationes] *Exſecratio* pro iureiurando omnium ſanctiſſimo nonnumquam ſumitur. hic quidem aliter accipi non poteſt, cum inter fidem, et dextras collocetur. in ea vero pro Sextio c. 7. non obſcure: *Hunc vir clariſſimus, mihique, multis repugnantibus, amiciſſimus, Cn. Pompeius, omni cautione, foedere, exſecratione deuinxerat, nihil in tribunatu contra me eſſe facturum.* Et Salluſtius in Catil. c. 22. *poſt exſecrationem*, id eſt, poſt iusiurandum.

Contubernium] Conuictus vxoris Cleomenis.

Muliebris militiae] Caſtra Verris litus illud delicatiſſimum fuerat.

CAPVT XLI.

Praedonum ſocius] In quo ſocius? in perdenda claſſe populi Romani.

Cuius-

Cuiusmodi] Malim, *cuiuscuiusmodi*, id eſt, qualiscumque eſſet. dicebant et, *cuicuimodi.*

Flagitiorum ac turpitudinis ſocietatem] Communicatam Verri vxorem a Cleomene ſignificat.

Apponitur] Dixi iam, hoc verbo malitiam fraudemque deſignari. lib. I. c. 54. *Si res abiret ab eo mancipe, quem ipſe appoſuiſſet.* lib. II. c. 8. *Apponit, qui petat Veneri Erycinae illam hereditatem.* Lib. III. c. 42. *Appoſitus erat Venuleius quidam, qui emeret.*

Naeuius Turpio] Nominatus lib. II. c. 8.

In decumis] Lib. III. c. 39. *Petrini, cum eorum decumae magno addictae eſſent, tamen inuitiſſimi P. Naeuio Turpioni, improbiſſimo homini, qui iniuriarum Sacerdote praetore damnatus eſt, H-S VII millia dari coacti ſunt.*

In rebus capitalibus] Cum Dioni Haleſino hereditatem ademit. lib. II. c. 8.

CAPVT XLII.

Praetoris aemulum] Cum eandem vterque amaret. ſupra c. 31. *Paullo ſolutiore tamen animo ſecum illam haberet, ſi non tamquam virum, at tamquam aemulum remouiſſet.* Lib. III. c. 34. *Veniunt Herbitam duo praetoris aemuli, non moleſti.*

CAPVT XLIII.

In ea cauſſa] Eius criminis accuſatum. infra: *Is tamen in eadem cauſſa fuit, quaſi eſſet in aliquo manifeſto ſcelere deprehenſus.*

Iuſſu eius] Iuſſu Cleomenis, qui praefuit claſſi.

In (Ern. *cum*) *commeatu*] Vt cum commeatu, liberatus oculorum morbo, ſequeretur.

Cum claſſis] In qua ipſe non fuit. quo tempore ſi cum ceteris nauigaſſet; hoc eſſet animaduerſum, poſſe idem, quod in ceteros, crimen conferri: cum vero conſtet eum non nauigaſſe; ex eo ſcilicet animaduertitur, nullam in eo culpam eſſe.

Ne falſo quidem] Quid enim criminis in eum, qui abfuit, conferri poſſit?

Homo, quamdiu vixit, domi ſuae ſolum, poſt mortem (Ern. *domi ſuae. non ſolum poſt mortem*) *tota Sicilia clarus et nobilis*] Aperta, et magnifica ſententia. quod ſi legas, *domi ſuae non ſolum,* vt in libris peruulgatis: quis erit ſenſus? Ego, particula, *non,* inducta, diſtinctione ad ſententiam accommodata, locum, vt puto, reſtitui. Eſt enim haec praeclara figura ad augendam Furii laudem, vituperationem Verris. Dum vixit Furius, domi ſuae tantum clarus, et nobilis fuit, poſt mortem vero tota Sicilia. mors enim eum nobilitavit: non modo quia Verrem, praeſenti iam morte, libere accuſauit, ſed etiam, quia ſuae cauſſae defenſionem ſcripſit in carcere: quae ſcelus crudelitatemque Verris vniuerſae Siciliae paſſim lecta patefacit. Habet autem hic transitus ab vna ciuitate, in qua Furius vixit, ad Siciliam totam, quae poſt mortem eum cognovit, ſplendidum quiddam, ac magnificum; vt ille a multis ad omnes lib. II. c. 34. *Sthenius eſt, is qui nobis aſſidet, Thermitanus, antea multis propter ſummam virtutem, ſummamque nobilitatem, nunc, propter ſummam calamita-*

lamitatem, atque iſtius inſignem iniuriam, omnibus notus. Addo illud a copiis ad inopiam eodem libro c. 14. (cur enim ſimilia negligamus? cum e contrariis quoque, non modò e ſimilibus, ornate et copioſe ſcribendi facultas augeatur) *Heraclius eſt, Hieronis filius, Syracuſanus, homo in primis domi ſuae nobilis, et ante hunc praetorem vel pecunioſiſſimus Syracuſanorum: nunc nulla alia calamitate, niſi iſtius auaritia atque iniuria, pauperrimus.* Habet id quoque ſimilitudinem aliquam, quod hic paullo poſt ſubiungitur: *Grauiorem apud ſapientes iudices ſe fore ab inferis teſtem, quam ſi viuus in iudicium perduceretur: tum, auaritiae ſolum, ſi viueret; nunc, cum ita eſſet necatus, ſceleris, audaciae, crudelitatis teſtem fore.*

Cum tua res ageretur] Cum reus eſſes.

Sceleratorumque furias] Eas furias, quae ſceleratos homines perſequi, et vexare conſueuerunt.

Ideo leuiorem caſum ſuum fingere] Ideo ſibi leuiorem videri caſum ſuum.

Ciues Romani] Ii, de quibus ſupra c. 28. his verbis: *Cum maximus numerus deeſſet, tum iſte homo nefarius in eorum locum, quos domum ſuam de piratis abduxerat, ſubſtituere et ſupponere coepit ciues Romanos, quos in carcerem antea coniecerat.*

Ille] Furius.

In acerbiſſimo ſupplicio] Quia, cum illa diceret, virgis oculi verberabantur.

Abuſus eſt] Quia forti animo dixit omnia: cum tamen pro ea libertate, quam ſenatus populusque Romanus ſociis dedit, miſerrimae ſeruitutis acerbiſſimum ſupplicium perpeteretur.

CAPVT XLIV.

Totque ciuium] Siculorum.

P. Vettium] Cuius ſororem in matrimonio Verres habebat. praenomen aut in hoc Vettio, aut in altero, eius fratre, qui lib. III. c. 71. nominatur, mendoſum ſit neceſſe eſt: nam vterque *Publius* appellatur.

Quia legatus, iſto praetore, in Sicilia fuit] Vt eius omnia ſcelera cognoſcere potuerit.

Comitum ſuorum] Ex eadem cohorte, ex qua in decumarum litibus recuperatores dabat.

Tot homines, vno tempore, nullo crimine] Interpunctis vim ſententia maiorem acquirit.

Secum ipſe certat] Tribus partibus ſententia tota conſtat: quarum prima eſt, alios vincere; altera, ſecum certare; tertia, ſe ipſum vincere. quae conferuntur hic omnes ad infamiam Verris. duae priores ad laudem Dolabellae in illa luculenta epiſtola, lib. IX. Fam. 14. Sic enim eum Cicero cohortatur: *Quid eſt, quod ego te horter, vt dignitati et gloriae ſeruias? proponam tibi claros viros, quod facere ſolent, qui hortantur? neminem habeo clariorem, quam te ipſum. te imitere, oportet: tecum ipſe certes.*

Scelere] Quod eſt grauius, quam *facinus.* qui enim id agit, vt ſe ipſum vincat, non a ſcelere ad facinus, verum a facinore progreditur ad ſcelus. infra c. 66. *Facinus eſt, vinciri ciuem Romanum: ſcelus, verberari.*

Obſoletis] Communibus, vſitatis.

CAPVT

CAPVT XLV.

Sumitur] Propter ea, quae ſequuntur. parentibus enim id acerbiſſimi ſupplicii loco eſt, cum adire ad filios ſuos, cum cibum iis veſtitumque ferre prohibentur.

Multi, et graues dolores inuenti parentibus, et propinquis: multi. verumtamen mors ſit extrema. non erit] Pluribus modis vſurpatur eiusdem ſiue nominis, ſiue verbi, addo etiam particulae, repetitio: ſed quocumque modo ſplendor et vis additur orationi. habet autem vel in media ſententia locum repetitio, vt hic, et infra c. 68. *Tulit haec ciuitas, quoad potuit, quoad neceſſe fuit, regiam iſtam veſtram dominationem in iudiciis, et in omni republica; tulit. ſed quo die populo Romano tribuni plebis reſtituti ſunt, omnia iſta vobis, ſi forte nondum intelligitis, ademta atque erepta ſunt.* Eiusdem generis illud Terentii in Adelph. act. I. ſc. 2. v. 21.

Non eſt flagitium, mihi crede, adoleſcentulum
Scortari, neque potare: non eſt. —

Eodem loco venuſtatem habet repetita particula, *non*, vt lib. X. ad Attic. epiſt. 11. *Ea vero, quae mihi quidem, qui illum amo, ſunt his ipſis malis, in queis ſumus, miſeriora, non ſunt ab obſequio noſtro; non: ſuas radices habent.* Et in oratione de haruſp. reſp. c. 17. 18. *Fit ei deae, cuius ne nomen quidem viros ſcire fas eſt: quam iſte idcirco Bonam dicit, quod in tanto ſibi ſcelere ignouerit. Non ignouit, mihi crede, non.* Varro quoque lib. III. de re ruſt. c. 2. *Spero non tibi decoquet, non, ornithon: neque hoc accidit his moribus, niſi raro, vt decipiaris.* In ipſo autem ſententiae principio verba quoque cum ornatu repetuntur, vel cum aliqua interpoſitione, vt hic paullo poſt c. 46. *Errabas, Verres, et vehementer errabas, cum te maculas furtorum et flagitiorum tuorum, ſociorum innocentium ſanguine eluere arbitrabare.* Vel nullo interpoſito verbo, vt pro Milone c. 31. *Eſt, eſt profecto iſta vis.* Pro Fonteio c. 7. *Fuit, fuit illis iudicibus diuinum ac ſingulare conſilium.* Progreditur ſaepe repetitio ſic, vt tria membra nonnumquam comprehendat: quale eſt illud ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 7. *Magna eſt hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis, magna memoria conſulatus tui.* Et illud Sulpicii, quo nihil perfectius, praeſertim in rogando, lib. IV. Fam. epiſt. 5. *Quod ſi quis etiam inferis ſenſus eſt: qui illius in te amor fuit, pietasque in omnes ſuos, hoc certe illa te facere non vult. Da hoc illi mortuae: da ceteris amicis ac familiaribus, qui tuo dolore maerent: da patriae; vt, ſi qua in re opus ſit, opera et conſilio tuo vti poſſit.* In quattuor membris illud pro Murena c. 41. *Date hoc ipſius pudori, date patri mortuo, date generi, et familiae, date etiam Lanuuino municipio honeſtiſſimo: quod in hac tota cauſſa frequens, maeſtumque vidiſtis.*

CAPVT XLVI.

Vt fortunam tamen non alienam, periculum autem commune agi (*agi* abeſt ab Ern.) *arbitrare.*

traretur] Quod ad omnes pertinere poteſt, eo mouemur magis, quam quod eiusmodi eſt, vt, etiam ſi graue acerbumque ſit aliis, ipſi tamen extra periculum ſimus. inde ſumſit eam ſententiam Cicero pro Deiotaro c. I. *Fugitivi, dominum accuſantis, et dominum abſentem, et dominum amiciſſimum noſtrae reipublicae, cum os videbam, cum verba audiebam: non tam afflictam regiam conditionem dolebam, quam de fortunis communibus extimeſcebam.*

CAPVT XLVII.

En, quod Tyndaritani libenter praedicent] Cum indignatione, vt lib. I. c 37. *En, cui tuos liberos committas: en memoria mortui ſodalis: en metus viuorum exiſtimationis.* Et hic ſupra c. 21. *En foederum interpretes, ſocietatis pactores, religionis auctores.*

In XVII populis Siciliae] Qui bellum cum populo Romano geſſerunt: qui tamen victi clementiam in eo maximam ſunt experti, quod eorum ager iis redditus eſt, cum eſſet iure belli publicus populi Romani factus. lib. III. c. 6.

In hoſtium numero locoque ducemini] Vltimo ſupplicio afficiemini. id enim eſt *hoſtium numero ducere.* ſupra c. 25. *Si qui ſenes, aut deformes erant, eos in hoſtium numero ducit.*

Vſurpata] Renouata.

Cognatio] Origine ducta ab Aenea. lib. IV. c. 33.

Hoc fuit iure] Ea conditione fuit infra: *Ne hoc quidem iuris obtinuit.*

CAPVT XLVIII.

Quo confugient ſocii] Lamentatio epilogis maxime accommodata, ex afflicta miſeraque fortuna miſericordiam captans. Attigit hunc locum Cicero vel ex ingenii praeſtantia, vnus in primis ad omnes oratorias virtutes a natura factus, vel obſeruatione veterum: nam lib. III. de Orat. c. 56. recitat illud Gracchi: *Quo me miſer conferam? quo vertam? in Capitoliumne? at fratris ſanguine redundat. an domum? matremne vt miſeram lamentantemque videam, et abiectam?* Quod mihi Cicero ita videtur imitatus in peroratione pro Murena, vt maiore etiam copia locum exornauerit. *Si*, inquit, (*quod Iupiter omen auertat*) *hunc veſtris ſententiis afflixeritis: quo ſe miſer vertet? domumne? vt eam imaginem clariſſimi viri, parentis ſui, quam paucis ante diebus laureatam in ſua gratulatione conſpexit, eandem deformatam ignominia, lugentemque videat? an ad matrem, quae miſera modo conſulem oſculata filium ſuum, nunc cruciatur, et ſollicita eſt, ne eundem paullo poſt ſpoliatum omni dignitate conſpiciat? Sed quid ego matrem, aut domum appello, quem noua poena legis et domo, et parente, et omnium ſuorum conſuetudine, conſpectuque priuat? Ibit igitur in exſilium miſer? quo? ad orientisne partes, in quibus annos multos legatus fuit, et exercitus duxit, et res maximas geſſit? At habet magnum dolorem, vnde cum honore deceſſeris, eodem cum ignominia reuerti. An ſe in contrariam partem terrarum abdet, vt Gallia transalpina, quem nuper ſummo*

ſummo cum imperio libentiſſime viderit, eundem lugentem, maerentem, exſulem videat? Vidit hanc virtutem et Salluſtius, expreſſitque in Iugurthina hiſtoria, c. 14. opem et miſericordiam a ſenatu Romano contra Iugurthae iniurias Adherbale quaerente. *Exſul patria*, inquit, *domo, ſolus, atque omnium honeſtarum rerum egens quo accedam? aut quos appellem? nationesne, an reges, qui omnes familiae noſtrae ob veſtram amicitiam infeſti ſunt? An quoquam mihi adire licet, vbi non maiorum meorum hoſtilia monumenta plurima? aut quisquam noſtri miſereri poteſt, qui aliquando vobis hoſtis fuit?* Neque vero haec ſiue orationis figura, ſiue ſententiae forma ab oratoribus quidem obſeruata, cultaque eſt, a poetis autem vel ignorata, vel neglecta. agnoſcitur eadem in Catullo, cum Ariadnae, in ignoto litore a Theſeo relictae, deſperationem indicat his verſibus: (carm. LXV. 177, ſeqq.)

Nam quo me referam? quali ſpe perdita nitar?
Idaeosne petam montes? an gurgite vaſto
Diſcernens pontum truculentum vbi diuidit aequor?
An patris auxilium ſperem, quemne ipſa reliqui,
Reſperſum iuuenem fraterna caede ſecuta?
Coniugis an fido conſoler memet amore?
Qui refugit lentos incuruans gurgite remos?

Quem locum Virgilius lib. IV. Aen. v. 534, ſeqq. Didonis moriturae vocibus ita expreſſit:

En, quid agam? rurſusne procos irriſa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia ſupplex,
Quos ego ſum toties iam dedignata maritos?
Iliacas igitur claſſes, atque vltima Teucrum
Iuſſa ſequar? quia ne auxilio iuuat ante leuatos,
Aut bene apud memores veteris ſtat gratia facti?

Imitatio fortaſſe e Sophocle ducta, qui ait in Aiace v. 457, ſeqq.

Καὶ νῦν τί χρὴ δρᾷν, ὅςις ἐμφανῶς θεοῖς
Ἐχθαίρομαι· μισεῖ δὲ μ' Ἑλλήνων ςρατὸς·
Ἔχθει δὲ Τροία πᾶσα, καὶ πεδία τάδε.
Πότερα πρὸς οἴκους. &c.

Similis illa ſententia Demoſthenis Olynth. I. Ἂν δε ἐκεῖνα Φίλιππος λάβῃ τις αὐτὸν ἔτι κωλύσει δεῦρο βαδίζειν, Θηβαῖοι, μὴ λίαν πικρον εἰπεῖν ᾖ, καὶ συνεισβαλοῦσιν ἑτοίμως. ἀλλὰ Φωκεῖς. οἱ τὴν οἰκείαν οὐχ' οἷ οἷτε ὄντες Φυλάττειν, ἐὰν μὴ βοηθήσητε ὑμεῖς, ἢ ἄλλος τις.

Non ſenatorium] Reos nocentes punire. audit enim ſenatus ſociorum querelas: crimina vero iudicibus committit. admonet igitur Cicero iudices officii ſui.

Facilior (Ern. *facilis*) *eſt cauſſa populi*] Facilius excuſari populus poteſt. veſtrum enim hoc munus eſſe dicet: cum vos legi repetundarum, quam ipſe iuſſit, praepoſuerit.

In vrbe noſtra] Non in villis, ſed locis publicis.

CAPVT XLIX.

Ne falſa damnatio] Verris exemplo, qui nauarchos iniuſte damnauit.

CAPVT L.

Iſta (Ern. *is ita*) *defendat*] Quae ego obiicio, quae proxime nominaui, falſam damnationem, carcerem, catenas. infra c. 51. *Si mihi reſpondere voles, haec dicito: claſſem inſtructam, atque ornatam fuiſſe.*

Illa communia] Me culpam fortunae aſſignare, calamitatem crimini dare.

Perpetuo] Claſſi per aliquot dies, ſociis perpetuo: cum in eos, te permittente, imperium haberet.

Superioribusque diebus omnibus] Aeſtiuos dies ſexaginta cum mulierculis in illo delicatiſſimo litore Verres fuit.

Intercludere perfugium fortunae] Prohibere, ne culpam in fortunam conferas, ne ad fortunam excuſandi ſceleris tui cauſſa confugias. non ego hoc prohibeo.

Solent ii (Ern. *hi*) *fortunam ſibi obiici nolle*] Ego nullam tibi obiicio fortunam. noli queri, quod fortunam tibi obiiciam. tametſi velle debes eam tibi obiici: nolunt enim ii, qui ſe fortunae commiſerunt: cui tu te non commiſiſti, nec in eius periculis verſatus es.

Calamitatis tuae] Quod amiſeris claſſem populi Romani.

Venerem] Quia mulieres eaedem tibi cum aliis communes erant. Nicen Cleomenis, Pipam Aeſchrionis vxorem, Tertiam, Iſidori mimi filiam, a Docimo perductam, praecipue ſignificat. ideo lib. III. c. 34. dixit de Aeſchrione, et Docimo: *Veniunt Herbitam duo praetoris aemuli, non moleſti.* Hoc autem libro aemulum praetoris Cleomenem bis appellauit.

Crimen meum] Quod a me tibi obiicitur.

Non ego metum ex re militari] Qui ſi tolleretur, periret omnis diſciplina militaris. animaduerti igitur in eos milites, qui deliquerint, oportet: vt neceſſarius in re militari metus maneat.

Seueritatem imperii] Quam, vt neceſſariam, ſalutaremque probo.

CAPVT LI.

Optimam nauem] Quadriremem Centuripinam.

Si mihi reſpondere voles, haec dicito] Supra c. 50. *Si quem forte inueneris, qui hoc nauale crimen conetur defendere, iſta defendat.*

CAPVT LII.

Hic tu etiam dicere audebis] Modus admirationis oſtendendae, non ſine reprehenſione quadam, vt ſupra c. 22. *Hic mihi etiam audebit mentionem facere Mamertinae laudationis?* Pro Archia c 4. *Hic tu tabulas deſideras Heracleenſium publicas.* Ad Lucceium lib. V. Fam. epiſt. 15. *Hic tu ea me abeſſe vrbe miraris, in qua domus nihil delectare poſſit, ſummum ſit odium temporum, hominum, fori, curiae?*

Quicum tibi aliquid ſit] Non negotii, ſed conſuetudinis, et amicitiae. id enim hoc loquendi modo ſignificari, exemplis intelligitur. ad Memmium lib XIII. Fam. epiſt. 1. *Cum Patrone Epi-*

cureo

cureo mihi omnia ſunt: niſi quod in philoſophia vehementer ab eo diſſentio. Et ad C. Marcellum lib. XV. epiſt. 10. *Si mihi tecum minus eſſet, quam eſt cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, a quibus intelligis me praecipue diligi.* Et lib. XII. ad Attic. epiſt. 17. *Mihi ante aedilitatem meam nihil erat cum Cornificio.* Lib. XIV. ad eundem epiſt. 15. *Bruto meo nullo loco deero: idque, etiam ſi mihi cum illo nihil fuiſſet, facerem propter eius ſingularem incredibilemque virtutem.*

Quid facere poſſet (Ern. *poſſes*)] Fore ſperas, vt, qui paternus amicus eſt, is te abſoluat: at, ſi pater ipſe iudicaret, abſolvere te non poſſet, praeſertim cum tibi haec diceret, quaſi ſe excuſans, quod te damnare cogeretur.

A quaeſtore, et ab legato] Quaeſtore Tadio, legato Caeſetio, ſupra c. 25. nominatis.

Potuiſti] Pro, auſus es: adduci potuiſti, vt ciues Romanos ſecuri ferires.

In iudicium] Cum eum domi tuae eſſe, in ipſo iudicio confeſſus es. ſupra c. 29. *Domi eſſe apud ſeſe archipiratas dixit duos.*

Dies continuos complures] Sexaginta. ſupra c. 31.

In litore] In amoena, et ab arbitris remota litoris parte, quae *acta* vocatur: vt ſupra c. 31.

Domi tuae] Quae fuerat Hieronis regis, in ea Syracuſarum parte, quae Inſula dicebatur. ſupra c. 31.

Matres familias] Aeſchrionis vxorem Pipam, Cleomenis Nicen.

Lubricae] Quae ſua ſponte, propter inopiam conſilii, facile in vitia labitur, eo magis, ſi exempla nequitiae parentis vita praebeat.

Legato populi Romani] Huius loci teſtimonio, legatum potius, quam quaeſtorem, praeeſſe claſſi debuiſſe, cognoſcitur: cum tamen quaeſtorem ſimul cum legato praefuiſſe, ſupra c. 32. demonſtratum ſit.

Syracuſano] Cleomeni.

Luxuria] Quia, neglecta claſſe, delicatiſſimo in litore cum mulierculis conuiuia faciebas.

Auaritia] Quia milites, et nautas pretio dimiſiſti.

Hoſpitum tuorum] Dexionem ſignificat, cuius filium Ariſteum Verres ſecuri percuſſit.

CAPVT LIII.

Promiſſo muneri, (Ern. *noſtro*) *ac recepto*] Auget: plus enim eſt *recipere*, quam *promittere*. Alii, *promiſſo noſtro, ac muneri recepto.* quod videtur eſſe languidius.

Non iam recepta, ſed innata: neque delata ad me, ſed in animo, ſenſuque meo penitus affixa atque inſita eſt] Similis figura pro Milone c. 4. paullo etiam ſplendidior, ac plenior: *Eſt igitur haec, indices, non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus: vt, ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, ſi in tela aut latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendae ſalutis.*

Furor enim quidam, ſceleris et audaciae comes] Vt in Oreſte, et Alcmaeone, matricidis. inde illa

pro Amerino c. 24. *Nolite putare, quemadmodum in fabulis ſaepenumero videtis, eos, qui aliquid impie ſcelerateque commiſerint, agitari et perterreri Furiarum taedis ardentibus. Sua quemque fraus, et ſuus terror maxime vexat: ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit: ſuae malae cogitationes conſcientiaeque animi terrent.*

In conuentu] *Conuentus* dicitur ciuium Romanorum in prouincia negotiantium.

Supplicia] Crucem.

CAPVT LIV.

Cur hoc cuiquam ciui Romano iure accidat] Vetabat enim lex Porcia.

Conuerſo bacillo] Conuerſa virga: vt, a qua parte firmior erat, grauius percuteret.

Homo Venerius] Qui Venerem praecipue coleret. ſic enim lib. II. c. 9. et 38. per irriſionem appellat.

CAPVT LV.

Dionyſio] Priore, eius patre. qui regno pulſus Corinthi ludum aperuit, vt aliquam regni ſpeciem ſaltem inter pueros obtineret.

Domicilium] Cum in eo carcere et ita diu, et ita multi eſſent ciues Romani, vt ibi prorſus habitare viderentur.

Omnibus] Malim, *vobis*, aut, *vobis omnibus*.

Tribuni plebis] Ideo creati, vt populi Romani iura, libertatemque defenderent.

Concionis] In qua tribuni plebis de tuis ſceleribus acturi eſſent.

Horum] Populi Romani, qui ad iudicium audiendi ſtudio conuenerat.

CAPVT LVI.

Vt illi] Laeſtrigones: de quibus Homerus Odyſſ. K. v. 81. Plinius lib. III. c. 5. Gellius lib. XV. c. 21.

Ex vetere illa immanitate] Charybdis, et Scyllae, quae poetae monſtra fuiſſe finxerunt.

Canibus] Quos poetae Scyllae tribuunt, non Charybdi. *Canes* Verris nominat eos, quos ille iisdem furtis alebat: de quibus lib. I. c. 48. *Multa ſibi opus eſſe, multa canibus ſuis, quos circa ſe haberet.* Et lib. III. c. 11. *Horum canum, quos tribunal meum vides lambere.*

Succinxerat] Vſus eſt eodem verbo, quo Lucretius lib. V. v. 890.

Aut rapidis canibus ſuccinctas ſemimarinis.
Corporibus Scyllas.

Nec aliter poſtea Virgilius ecl. VI. v. 74.

Quid loquar aut Scyllam Niſi, quam fama ſecuta eſt,
Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris,
Dulichias vexaſſe rates.

Et Ouidius lib. XIII. Met. v. 732.

Illa feris atram canibus ſuccingitur aluum,
Virginis ora gerens.

Sertorianos] Itaque proſcriptos a ſenatu. nam Sertorium ſenatus, vt hoſtem reipublicae, proſcripſit.

A Dianio] Hiſpaniae oppido, quod Sertorius tenebat.

CAPVT

CAPVT LVII.

Ex ipſius ſinu] Cuſtoditas a Verre, quaſi ei profuturae eſſent in iudicio.

Litteras] Tabulas publicas.

Ad arbitrium ſuum] Quia verbum Graecum, ἐδικώθησαν, non intellexit. non enim valet, mortui ſunt, vt ipſe credidit homo barbarus, ſed ſupplicio affecti, ac necati ſunt.

Neque attendere vmquam, neque intelligere potuit] Neque attendere vmquam potuit, quia diſſolutus, et negligens; neque intelligere, quia barbarus, et indoctus

Vt Siculi loquuntur] Notat Siculos, Graeca lingua mendoſe vtentes. nam, ἐδικώθησαν, non modo Attici, ſed nec omnino e ceteris Graecis quisquam diceret.

CAPVT LVIII.

Quod nauicularii retenti, quod mercatores ſpoliati dicerentur] Idem pro lege Manilia c. 5. *Maiores veſtri ſaepe, mercatoribus ac nauiculatoribus iniurioſius tractatis, bella geſſerunt. Retenti,* et. *ſpoliati,* ad augendam Verris culpam dixit, qui non retinuerat, aut ſpoliauerat, ſed, nauibus, mancipiis, mercibus ademtis. mercatores in vincula coniecerat.

Maiores plagas] Apud populum Romanum, agente eodem me. *Plagas*, dixit, vt in translatione, perſiſteret. iam enim dixerat, *laqueis, exſueris, vi explicaris:* et ſubiungit ex eodem genere, *incidendum, confici, concidi:* quaſi de fera loquatur; quae iam e laqueis elapſa, maiores plagas effugere non poſſit.

Superiore ex loco] E Roſtris, in quibus aedilis accuſabo te de maieſtate.

Id quod defendit] Ciues quidem Romanos, ſed Sertorianos milites fuiſſe.

Iſtorum hominum] Qui cum pro Sertorio, Marianisque partibus pugnauerint, clementia tamen ſenatus, populique Romani reditum in patriam impetrarunt.

Ciuilis enim diſſenſionis] Prudenter belli nomen euitat, quo leuior eorum culpa videatur, quibus incolumitatem recte donatam eſſe defendit. quae ratio Verris defenſionem infirmat.

In ſuffragiis] Non tamen in magiſtratibus. nam proſcriptorum etiam filios lege lata victor Sulla petendorum magiſtratuum poteſtate priuauit. in Piſonem c. 2. et alibi.

Cn. Pompeium] Qui cum Metello Pio, Numidici filio, contra Sertorium pugnauit.

Perperna] Sertoriani belli duce, qui Sertorium ipſum fraude occiderat. Plutarchus, alii.

Monumentum (Ern. *momentum*)] Signum animi tui, non modo meritum, aut factum inſigne.

Quam commodam] Ironia.

CAPVT LIX.

Id quod tu defendis] Excepiſſe te, et necaſſe Sertorianos milites, ex Hiſpania fugientes.

Quod ego inſimulo] Mercatores a te ademtis nauibus, mancipiis, mercibus, in vincula coniectos. quod auaritiae tantum crimen eſt.

Iſti generi hominum] Sertorianis militibus. ſupra quoque c. 58. dixit,

dixit, *iſtorum hominum:* quos patriam adeptos non tamen amari admodum a iudicibus ſenatoribus, qui Sullanarum partium fuerant, intelligebat.

Nouae] Quod vna Sullae proſcriptione contentus non ſis.

Iſto tanto bono] Cuperem enim, hanc defenſionem tuam, quae te auaritia liberat, inauditae crudelitatis arguit, probari iudicibus, et populo Romano.

Vt patroni tui dictitant, noua quadam ſapientia, vt omnes intelligunt, conſcientia tua, atque auctoritate meorum teſtium] Similis figura initio lib. IV. *Venio nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellat, ſtudium; vt amici eius, morbum, et inſaniam; vt Siculi, latrocinium. Conſcientia tua:* cum ſcires, quidquid in te, ſi interrogarentur, dicerent, id ita verum eſſe, vt refelli nullo modo poſſet. *Auctoritate:* eiusmodi virorum, quos mentiri poſſe nemo duceret.

Teſtem nullum interrogaſti] Mos erat, vt, quos accuſator teſtes produxerat, ab reo interrogarentur: Verres autem, vel teſtium auctoritate commotus, vel conſcientia ſua deterritus, nullum interrogauit, de quo ſunt illa lib. III. c. 16. *Quibus rebus id aſſecutus es? innocentia? Adſpice aedem Caſtoris: deinde, ſi audes, fac mentionem innocentiae. Diligentia? codicis lituras tui contemplare in Sthenii Thermitani nomine: deinde aude te dicere diligentem. Ingenio? qui teſtes interrogare priore actione nolueris, et iis tacitum os tuum praebere malueris, quantumuis et te, et patronos tuos ingenioſos eſſe dicito.*

Probari volo] Refellito, ſi voles. Fingit ſe fauere Verri in refutandis teſtium dictis, quos minime refutari poſſe non ignorat.

CAPVT LX.

Capitibus inuolutis] Ne ciues Romani cognoſcerentur. ſupra c. 28.

Noua diligentia] Vt producerentur capitibus inuolutis.

Propter togae nomen] Soli ciues Romani toga vtebantur: itaque ſolum hoc nomen, *togatus*, ciuem Romanum deſignat. lib. I. c. 29. *Erant nonnulli togati creditores Graecorum.*

CAPVT LXI.

De vno genere] De ſuppliciis.

Illo numero (Ern. *illo in numero*)] Mercatorum: quos Sertorianos eſſe milites, et ex Hiſpania profugiſſe Verres dicebat. Vſitatius eſſet, *in illo numero.* quamquam et ſine praepoſitione ferri poteſt.

Moenia Rheginorum] Quae cum videret, in Italia ſibi eſſe videbatur. Rhegini enim ciues Romani. de quibus lib. IV. c. 11. *Quam vos Rheginis, quorum ciuitati inuidetis, item incolis veſtris, ciuibus Romanis, oſtendere ſoletis.* Et Phil. I. c. 3. *municipes* appellantur, in epiſt. ad Cornificium lib. XII. Fam. epiſt. 25. eius tribules.

Praeſto aduenienti futurum] Romae ſe vlturum eſſe iniurias ſuas apud iudices, ope et auxilio legum.

CAPVT LXII.

Inflammatus ſcelere et furore in forum venit] In re ſimili ſupra

pra c. 41. *Procedit iſte repente e praetorio, inflammatus ſcelere, furore, crudelitate. in forum venit.*

Eminebat] Legit Quinctilianus lib. IX. c. 2. *emicabat.* quod cum duobus verbis, *inflammatus, ardebant*, congruere videtur.

Meruiſſe] Fuiſſe in iisdem caſtris. non enim ſignificat, cum L. Pretio duce, ſed commilitone.

Iſtam poteſtatem] In crucem adigendi ciues Romanos.

CAPVT LXIII.

O lex Porcia, legesque Semproniae] Quarum illa virgas amovit a corpore ciuium Romanorum: hae de ciuium capite iniuſſu populi Romani iudicari vetuerunt. *Leges Semproniae*, dicit, quia plures leges C. Sempronius Gracchus pro libertate ciuium Romanorum tulit.

Aliquando reddita] Ademta a Sulla dictatore, reddita a Pompeio conſule hoc anno.

Huccine tandem omnia reciderunt] Itane haec a te, Verres, omnia ſpreta, contemtaque ſunt?

Non inhibebat] Non aliquem crudelitati tuae modum faciebat, non te remouebat a crudelitate.

Primo (Ern. *primario*) *homini*] Primario, vt lib. IV. c. 17. *A Lyſone Lilybaetano, primo homine.*

Conſilio in medio] Iudicum.

Verebatur] Niſi teſtem dimiſiſſet, fore metuebat, ne populus, dolore, et iracundia concitatus, in Verrem impetum faceret, easque poenas per vim ſumeret, quas vereretur, ne ille ſententiis iudicum non daret. hanc ſuſpicionem, et hanc infamiam Glabrio praetor a ſe ipſo, et a conſilio ſuo remouendam putauit: itaque teſtem dimiſit, reumque a multitudinis iracundia vindicatum legibus et iudicio reſeruauit.

Quid de te futurum ſit] Abſolvi te nullo modo poſſe.

Qui te nunc ſero doceant] Cum in vitam reſtitui Gauius iam non poſſit.

Iudices non ſero] Quia ſatis hoc mature cognouerunt ante finem iudicii.

CAPVT LXIV.

Tuis proximis] Tuis defenſoribus, qui tibi aſſident.

Hoc teneo] Quod abs te mihi datur, quod tu fateris.

Induatur] Capiatur. lib. II. c. 42. *Hic videte, in quot ſe laqueos induerit.* Hic ſupra c. 58. *Si ex his laqueis te exſueris.*

Vſurpatione ciuitatis] *Vſurpare*, eſt nominare. pro Marcello c. 2. *Soleo ſaepe ante oculos ponere, idque libenter crebris vſurpare ſermonibus.* Et Phil. I. c. 1. *Graecum etiam verbum vſurpaui.* In Parad. V. c. 1. pro dicere. *Praeclare eſt hoc vſurpatum a doctiſſimis.* Et ſubiungit: *Dictum eſt igitur ab eruditiſſimis viris, niſi ſapientem, liberum eſſe neminem.*

CAPVT LXV.

Hanc ſibi rem praeſidio ſperant eſſe futurum (Ern. *ſperant futuram*)] Vetus locutio, pro, *futuram.* ſimile illud in Vatinium c. 15. *Eripueras ſenatui prouinciae decernendi poteſtatem.* Et apud

apud Terentium in Hec. act. III. ſc. 3. v. 12. *Eius videndi cupidus*, cum de muliere loquatur. vide Gellium lib. I. c. 7.

Quod quis ignoret] Quod qui ſciat, nemo adſit. aut ad eum refert, qui ſupplicium in eum conſtitueret, qui ſe ciuem Romanum eſſe diceret: quem ipſe non cognoſceret.

Cognoſceret hominem] Pro, ſi cognoſceret.

Si ignoraret] Venit in mentem, cum Latini ſermonis conſuetudinem ſpecto, abundare particulam, *ſi.* eſt enim elegans in primis, et veteribus vſitata figura; cum duo contraria proponuntur: vt Phil. XI. c. 8. *Aſſenſus ero: ambitionem induxero in curiam. negaro: videbor ſuffragio meo, tamquam comitiis, honorem homini amiciſſimo denegaſſe.* Et Phil. XIII. c. 11. *Receſſeris: vndique omnes inſequentur. manſeris: haerebis.* Et apud Terentium in Heaut. act. I. ſc. 1. v. 26.

Vel me monere hoc, vel percontari puta.
Rectum eſt, ego vt faciam: non eſt, te vt deterream.

Eſt enim dictum tamquam: *ſi rectum eſt, ſi non eſt:* quemadmodum in duobus locis Ciceronis, proxime recitatis: *ſi aſſenſus ero, ſi negaro: ſi receſſeris, ſi manſeris.*

Hoc iuris] Quod tamen eſſet iniquiſſimum.

Locupletem] Cuius pecunia ciuis ille Romanus crucis ſupplicio redimeretur: alioqui, ſi cognitorem non locupletem daret, ſeruari non poſſet. Ita cum Verris crudelitate auaritiam Cicero coniungit.

CAPVT LXVI.

Ac non nomini, generi, iuri ciuium hoſtis] Infra: *Non tu hoc loco Gauium, non vnum hominem, neſcio quem, ciuem Romanum, ſed communem libertatis et ciuitatis cauſſam in illum cruciatum, et crucem egiſti.* De eodem lib. IV. c. 11. *Cum videant ius ciuitatis illo ſupplicio eſſe mactatum.*

Peranguſto fretu] Non *freto:* vt *peccatu*, non *peccato*, lib. II. in extremo. auctor Gellius lib. XIII. c. 19.

Scelus] Dixi ſupra c. 44. plus eſſe in *ſcelere*, quam in *facinore*, in eo loco: *Id agit, vt ſemper ſuperius ſuum facinus nouo ſcelere vincat.* Vt ſcelus autem facinore, ſic parricidium ſcelere grauius eſt.

Vinciri, verberari, necari] Legit Quinctilianus, *vincire, verberare*, et *necare:* ſed maior quaedam ineſſe vis videtur in patientibus verbis: nec aliter antiqui libri: qui tamen habent omnes, *tollere*, non, *tolli:* quod ferri poteſt: cum a ceteris tribus verbis quodam modo disiungatur.

Verbo ſatis digno tam nefaria res appellari nullo modo poteſt] Magnam, et inuſitatam eſſe rem oportet, quam verba non aequent. de quo artificio vide quae diximus initio lib. IV.

CAPVT LXVII.

Timere non debeo, ne non vnus iſte] Negantes particulae acumen addunt, ſed eaedem ſententiam

tiam non nihil interdum obſcurant. His Ciceronis verbis haec ſubeſſe res videtur. Timere non debeo, ne cauſſa Gauii a communi ciuium Romanorum cauſſa ſeiungatur, et hic quidem vnus illa cruce dignus, ceteri autem indigniſſimi iudicentur: ſed exploratum habeo, quemadmodum ceteros omnes ciues, ita Gauium a vobis indigniſſimum illa cruce iudicari. ciuium enim omnium ſanguis coniunctus exiſtimandus eſt. Quae ratio ſubiungitur.

Veritas omnium (*omnium* abeſt ab Ern.)] Malim, *omnino*. cum enim iisdem omnes legibus teneantur, et eodem omnes iure ſint, poſtulat non modo ſalutis omnium ratio, ſed etiam veritas ipſa, vt, quo ceteri ſupplicio, eodem Gauius indigniſſimus iudicetur.

Hoc loco] In cauſſa Gauii, in eo, quod a me vobis de Gauio commemoratum eſt. vt lib. IV. c. 31. *Hoc loco, Q. Catule, te appello.*

Tametſi ſatis habent] Defendi enim, quantum in me fuit, cauſſam ciuium Romanorum: eaque ipſi defenſione contenti ſunt: reliqua a vobis exſpectant.

Si res aliter acciderit] Si Verrem abſoluetis.

Si qua vis] Pecuniae. ſupra c. 58. *Si mehercules, id quod fieri non poſſe intelligo, ex his laqueis te exſueris, ac te aliqua vi, ac ratione explicaris: in illas tibi maiores plagas incidendum eſt, in quibus te ab eodem me ſuperiore ex loco confici, et concidi neceſſe eſt.*

Id quod neque metuo] Interpoſitio ad vitandam iudicum offenſionem: vt ſupra c. 58. *Si mehercules, id quod fieri non poſſe intelligo, ex his laqueis te exſueris.*

Breui] Primo menſe aedilitatis meae. Subiungit enim, *ante Kal. Febr.*

Me agente] Me Verrem de maieſtate accuſante, quia ciues Romanos vel ſecuri percuſſerit, vel in crucem egerit.

De vno iſto voluiſſe creſcere] Laus enim et gloria paritur ex accuſatione improborum. pro Sex. Roſcio c. 30. *Si mihi liberet accuſare, accuſarem alios potius, ex quibus poſſem creſcere.*

De multis] De iudicibus, qui pecunia corrupti Verrem abſoluerint: quos ad populum accuſabo. In Diuin. c. 8. *Nihil erit, quod, me agente, arbitretur, iudicium ſine magno multorum periculo poſſe corrumpi.*

CAPVT LXVIII.

Probarim atque delegerim] In reiectione. quos enim non reiecit, eos probare, ac deligere viſus eſt. vnde illud act. I. c. 6. *In reiiciendis iudicibus mea diligentia iſtorum impudentiam vicerat.*

Notatos] Infamia.

Vt non cera] Reſpexit ad eorum tabellas cera illitas, qui pretio reos abſoluerant: de quibus in Diuin. c. 7. *Ceratam vnicuique tabellam dari, cera legitima, non illa infami ac nefaria.* Et act. I. c. 6. *Nulla nota, nullus color, nullae ſordes videbantur his ſententiis allini poſſe.*

Sed coeno] Quod eſt turpius. Maior, inquit, erit infamia veſtra, quam eorum, qui, notatis cera tabellis, nocentes reos abſoluerunt: vt illi cera, vos coeno obliti, et inquinati eſſe videamini.

Locus

Locus eſt] Occaſio eſt: vt pro Quintio c. 19. *Qui locus abſentis defendendi procuratori primus datus eſt?* Et ad Appium lib. III. Fam. epiſt. 6. *De tuo in me animo iniquis ſecus exiſtimandi videris non nihil loci dediſſe.*

Ex hoc loco moneo] Cum ago pro Siculis contra Verrem.

Quo progrediare] Carpit Hortenſium, plus audere ſolitum, quam liceret.

Qua ratione] Vt, praeter ingenium, et dicendi facultatem, nihil in iudicium afferas. Eundem, vt recta, laudabilique ratione Verrem defendat, oblique hortatur, et monet in Diuin. c. 8. *Huic ego*, inquit, *homini iam ante denuncio, ſi a me cauſſam hanc vos agi volueritis, rationem illi defendendi totam eſſe mutandam; et ita tamen mutandam, vt meliore et honeſtiore conditione ſit, quam qua ipſe eſſe vult; vt imitetur homines eos, quos ipſe vidit, ampliſſimos, L. Craſſum, et M. Antonium; qui nihil ſe arbitrabantur ad iudicia cauſſasque amicorum, praeter fidem et ingenium, afferre oportere.*

Extra iudicium, quae ad iudicium pertinent (Ern. *pertineant*)] Quae reum adiuuare poſſint: quae ſtatim dicuntur: ſi quid artificio, conſilio, potentia, gratia, copiis iſtius moliri cogitas. haec enim extra iudicium ſunt. nam in iudicio, praeter fidem, et ingenium, nihil requiritur.

Artificio, conſilio] Quibus in obtinenda nocentium reorum abſolutione vti ſoleret Hortenſius.

Potentia, gratia] Quibus valeret Hortenſius, quod eſſet conſul deſignatus.

Copiis iſtius] Pecunia Sicilienſi. Ex his quinque nominibus, *artificio, conſilio, potentia, gratia, copiis* efficitur illa vis, de qua ſupra c. 58. *Si ex his laqueis te exſueris, ac te aliqua vi, ac ratione explicaris.* Et c. 67. *Si qua vis iſtum de veſtra ſeueritate eripuerit.*

Peccabitur] Ab ipſo etiam Verre, non modo a te.

Liberatum iam exiſtimationis metu] Quod iam non times, ne qua res laedere poſſit exiſtimationem tuam, cum ſummum honorem conſulatum, cuius cauſſa de exiſtimatione laboramus, obtinueris.

Quoad neceſſe fuit] Vsque eo neceſſe fuit, donec tribuniciam poteſtatem populo Romano Pompeius conſul reſtituit.

Regiam iſtam veſtram dominationem in iudiciis] Nobilitatem inſectatur, in quam etiam illud conicitur lib. I. c. 60. *Tantum dicam, paucos homines, vt leuiſſime dicam, arrogantes, hoc adiutore, Q. Opimium per ludum et iocum fortunis omnibus euertiſſe.*

Tulit] Vis eſt in repetitione verbi, de qua ſupra c. 45. diximus.

Omnia iſta] Quae pro veſtra libidine, nullo populi Romani metu, in iudiciis, et in omni republica faciebatis.

Erepta] Inuitis. hoc enim in verbo vis eſt.

Coniecti ſunt] Ideo coniecti, vt, ſi quis peccauerit, in eum populus Romanus animaduertat.

Tacita exiſtimatio] Cum non erat, qui ad populum quemquam accuſare poſſet, tribunis plebis agendi iure ac poteſtate carentibus: quibus nunc reſtitutis, vehemens ac liberum populi Romani iudicium erit.

Nulla

Nulla neceſſitudo] Nulla affinitas. Vettius quoque, cuius ſororem habebat Verres in matrimonio, *neceſſarius*, pro affinis, appellatur lib. III. c. 71.

Nimium] Mordet Hortenſium, qui cognationi, et neceſſitudini plus interdum, quam iuſtitiae tribueret.

CAPVT LXIX.

Iniquiſſimis meis] Obtrectatoribus, vt ad Matium lib. XI. Fam. epiſt. 27. *Equidem, ſi quando audio, tam defendo, quam me ſcio a te contra iniquos meos ſolere defendi.*

Condemnaui] Id ſum aſſecutus interrogandis teſtibus, vt omnes eum nocentiſſimum iudicarent.

Alium ordinem] Equeſtrem, lege iam a Cotta praetore promulgata.

Ad res iudicandas] Ad iudicia adminiſtranda. dixi ſupra de hoc genere loquendi.

Cum primo agere coepimus] Actione prima.

Veſtra dignitas] Quae facit, vt lex, tamquam vobis iudicibus minime neceſſaria, populi ſuffragiis antiquanda videatur.

Suffragatur] Populus enim, cum iſtum bene ſperare videt, et ea praeditum eſſe impudentia, vt a nullo corrumpendi iudicii genere abſtineat, ſuſpectos habet iudices, et alium omnino ordinem ad res iudicandas noua lege quaerit.

De eo homine (Ern. *ordine*)] Non dubito, quin, *de eo ordine*, magis probetur hominibus eruditis. ſaepe enim iam dictum eſt, indignum videri populo Romano, qui iudicaret, ordinem ſenatorium.

De veteribus iudicibus] Scriptum hoc in lege non arbitror: ſed minatur Cicero iudicibus, ſi quid in Verre iudicando commiſerint, quod reprehendatur: quaſi periculum iis vel a populo Romano, vel a nouis iudicibus impendeat.

CAPVT LXX.

Quam longe progredi ſit neceſſe] Non in hoc iudicio, ſi Verres elabetur, actio mea finem inueniet: cogar alio loco, nempe apud populum Romanum, eandem cauſſam agere: cogar ſociorum, deorum immortalium, ciuium Romanorum iniurias perſequi.

Hoc onus tantum] Officii et muneris, quod iam ſuſcepi. In Diuin. c. 8. *Ego in hoc iudicio mihi Siculorum cauſſam receptam, populi Romani ſuſceptam eſſe arbitror.*

Deponere] Vel ſi Verres abſoluatur, non deponam.

Tacitus] Nec deponam, nec animo tantum ſuſtinebo: re ipſa meum officium declarabo.

Agitanda] Vehementius agenda.

Fidem ſuam corrumpi] Iureiurando datam de ſeruandis legibus.

Quaeret aliquis fortaſſe] Vtitur occaſione ad ignauiam nobilitatis accuſandam.

Neque voluntate] Tantum abeſt, vt id cupiam, vt ne velim quidem.

Non idem mihi licet] Deſidioſe viuere, et honores conſequi.

Dormientibus] Propterea Naevius poeta in Metellos dixit: *Fato Metelli Romae fiunt conſules.* quo, tamquam graui probro, Q. Metel-

Metellus tum conſul, Macedonici pater, iratus, alio verſu reſpondit: *Dabunt malum poetae Naeuio poetae.* Et quod hic, *populi Romani beneficia dormientibus deferuntur*, infra dixit, *vt ad iſtos honores peruenirent, ad quos vos per ludum, et per negligentiam peruenistis.*

M. Catonis] Cenſorii, qui Sapiens dictus eſt: ideoque apte ſubiungitur, *hominis ſapientiſſimi.*

Non genere] Quia nouus homo erat, Tuſculi natus.

Hominum potentiſſimorum ſuscepit inimicitias] Qui etiam L. Quintium Flamininum, Titi fratrem, eius qui ex Macedonia triumphauerat, virum conſularem, cenſor ſenatu mouit.

Maximis in laboribus] Saepe accuſans, ſaepius accuſatus.

Poſtea Q. Pompeius] Sic legendum putaui, cum eſſet antea, *poſteaque Pompeius.* cur enim vni Pompeio ſuum praenomen adimatur, cum tribuatur ceteris hic nominatis, Catoni, Fimbriae, Mario, Coelio?

Humili atque obſcuro loco natus] In Bruto c. 25. *Q. Pompeius, non contemtus orator, temporibus illis fuit, qui ſummos honores, homo per ſe cognitus, ſine vlla commendatione maiorum eſt adeptus.* Primus in familiam ſuam conſulatum intulit: vt Velleius lib. II. c. 1. et Capitolini lapides.

Inimicitiis, periculis, ac doloribus (Ern. *laboribus*)] Malim, *laboribus*, pro *doloribus.* Subiungit enim, *non mediocribus inimicitiis, ac laboribus.* Et paullo poſt: *Inimicitiae ſunt? ſubeantur: labores? ſuſcipiantur.* Act. I. in Verr. c. 17. haec ſimul tria ponuntur, *labores, pericula, inimicitiae: Quod ego*, inquit, *laboribus, periculis, inimicitiisque meis tum, cum admiſſum erit, dedecus ſeuere me perſecuturum eſſe polliceor, id ne accidat, tu tua ſapientia, auctoritate, diligentia, M'. Glabrio, potes prouidere.* Pro Sulla c. 2. *Quorum ego opera illum in locum, atque in hanc celſiſſimam ſedem dignitatis atque honoris, multis meis ac magnis laboribus et periculis, adſcendiſſem.* Pro domo c. 53. *In vrbe, quam ſuis laboribus ac periculis conſeruaſſet.* Phil. II. c. 45. *Magno labore, magnis periculis, quod cogitarat, effecerat. Labores* etiam cum *periculis* coniungit in ea pro Murena c. 5. et lib. I. de Offic. c. 19. Inimicitias autem nobilium virorum, praecipue Caepionum, et Metellorum, ſignificabat, qui teſtimonium in Q. Pompeium de repetundis accuſatum, acerrime dixerunt. vide pro Fonteio c. 7. et Valerium Max. lib. VIII. c. 5.

L. Fimbriam] Mendum eſt in praenomine. hic eſt enim C. Flavius Fimbria, qui cum C. Mario conſul fuit, cum in tribunatu plebis repulſam paſſus eſſet: vt in oratione pro Plancio c. 21. Accuſatus eſt repetundarum, et in eum vir nobiliſſimus M. Scaurus teſtimonium dixit: cui tamen iudices non crediderunt. pro Fonteio c. 7. Valerius Max. lib. VIII. c. 5.

C. Coelium] Caldum, nouum hominem. de quo Q. Cicero de Pet. conſ. c. 3. *Quanto*, inquit, *melior tibi fortuna petitionis data eſt, quam nuper homini nouo, C. Coelio? ille cum duobus hominibus ita nobiliſſimis petebat, vt tamen in iis omnia pluris eſſent,* quam

quam ipſa nobilitas: ſumma ingenia, ſummus pudor, plurima beneficia, ſumma ratio ac diligentia petendi. Tamen eorum alterum Coelius, etiam cum multo eſſet inferior genere, ſuperior nulla re, paene ſuperauit. Conſulatum geſſit cum L. Domitio Ahenobarbo.

Per ludum, et per negligentiam] Facile, ſine labore. Similiter lib. I. c. 60. *Paucos homines, vt leuiſſime dicam, arrogantes, hoc adiutore, Q. Opimium per ludum et iocum fortunis omnibus euertiſſe.*

Eadem] Quae Catonis, Fimbriae, Marii, Coelii.

Noſtrae nationis] Nouorum hominum. Sic in Piſonem c. 23. *Sed quid ego enumero, qui tibi obuiam non venerint? qui dico veniſſe paene neminem, ne de officioſiſſima quidem natione candidatorum.* Et de haruſp. reſp. c 26. *Deteriores cauete: quorum quidem magna eſt natio.*

Regio] Qua nouis hominibus ad honores eundum eſſe iudicamus. ſupra c. 68. *Si quis tantulum de recta regione deflexerit.*

CAPVT LXXI.

Si tantulum oculos deiecerimus] Tantum abeſt, vt dormientibus honores deferantur. Quod paullo ante de nobilitate dixit.

Accipiendum eſſe ſtatim vulnus] Pergit in ſimilitudine, et poſt inſidias vulnus nominat.

Vigilandum] Ne, ſi paullulum oculos deiecerimus, praeſto ſint inſidiae.

Indictae] Vt indicitur bellum, id eſt, denunciatur.

Natura et genere] Cum tamen hominem homini maxime natura commendet, nec differant homines inter ſe genere, ſed animo ſaepe, ac voluntate.

Animo ac voluntate] Separatim ponuntur, licet motus animi ſit voluntas. itaque coniunguntur ad Rufum lib. V. Fam. epiſt. 20. *Credo me quidem tibi pro animi mei voluntate, proque ea ſpe facultatum, quam tum habebamus, quam humaniſſime potuerim, reſcripſiſſe.* Et apud Lucretium lib. II. v. 270.

Ex animique voluntate id procedere primum.

Quid habent eorum inimicitiae periculi] Periculi nihilo plus habent, quam habebant, ante quam indictae, apertaeque eſſent. idem enim ſemper animus fuit, inimicus videlicet, atque ad nocendum propenſus.

Ad quos maxime] Hi ſunt iudices ipſi.

Corrumpendi iudicii] *Corrupti*, vt eſt in antiquo libro, ſententia magis probat.

Potentes] Auctoritate.

Audaces] In corrumpendo, nullo legum metu.

Artifices] Peritia, et ingenio. haec enim tria hominum genera ſi coniunguntur, leges, et iudicia, atque adeo ſalus ipſa reipublicae periclitatur.

Diſceptante (Ern. *diſcrepante*) *populo Romano*] Iudice populo Romano. nam, *diſceptare*, iudicis eſt. pro Milone c. 9. *Iſque praepoſitus quaeſtioni, qui haec iuſte ſapienterque diſceptet.* Pro Deiotaro c. 2. *Hanc, C. Caeſar, cauſſam ſi in foro dicerem, eodem audiente, et diſceptante te, quantam mihi alacritatem populi Romani concurſus afferret.* Interdum valet, litigo, contendo.

pro Balbo c. 28. *Miſeremini eius, qui non de ſuo peccato, ſed de huius ſummi et clariſſimi viri facto; non de aliquo crimine, ſed, periculo ſuo, de publico iure disceptat.* Et lib. II. in Verr. c. 15. *Vt ſibi cum palaeſtritis, hoc eſt, cum populo Syracuſano, aequo iure disceptare liceat.*

Multo grauiorem] Eo grauiorem, quo maior populi Romani vniuerſi, quam vnius prouinciae, habenda ratio eſt.

CAPVT LXXII.

Donum regale] Antiochi regis. lib. IV. c. 28.

Sanctiſſimum et pulcherrimum ſimulacrum] De quo lib. IV. c. 57. *Quid? ex aede Iouis religioſiſſimum ſimulacrum Iouis Imperatoris, quem Graeci Vrion nominant, pulcherrime factum, nonne abſtuliſti?*

Melitae] Lib. IV. c. 47.

Sami] Lib. I. c. 19.

Auri grande pondus] Lib. I. c. 17. *Athenis, audiſtis, ex aede Mineruae grande auri pondus ablatum. dictum hoc eſt in Cn. Dolabellae iudicio. dictum? etiam aeſtimatum. Huius conſilii non modo participem C. Verrem, ſed principem fuiſſe reperietis.*

Omnia, praeter tectum et parietes, abſtulit] Lib. IV. c. 55. *Aedes Mineruae eſt in Inſula, de qua ante dixi: quae ab iſto ſic ſpoliata atque direpta eſt, non vt ab hoſte aliquo, qui tamen in bello religionum et conſuetudinis iura retineret, ſed vt a barbaris praedonibus vexata eſſe videatur.*

Sedem antiquam] Lib. I. c. 18. *Latonam ex longo errore et fuga, grauidam, et iam ad pariendum vicinam, temporibus exactis, fugiſſe Delum, atque ibi Apollinem, Dianamque peperiſſe: qua ex opinione hominum illa inſula eorum deorum ſacra putatur.*

Chio] Lib. I. c. 19. *Chio per vim ſigna pulcherrima dico abſtuliſſe.*

Pergae] Lib. I. c. 20.

Segeſtae] Lib. IV. c. 33.

In priuata aliqua palaeſtra] Erant enim in aedibus quoque priuatis palaeſtrae. lib. III. ad Q. Fr. epiſt. 1. ad Gallum lib. VII. Fam. epiſt. 23. lib. II. de Leg. c. 3.

In gymnaſio Tyndaritanorum] Lib. IV. c. 39.

Agrigenti] Lib. IV. c. 43.

Enguinos] Lib. IV. c. 44.

Omnium rerum forenſium] Caſtoris enim et Pollucis templum in foro erat.

Conſiliorum maximorum] Significari arbitror conſilia deliberationesque populi de maximis rebus: vel hoc ad leges et iudicia pertinet. nam et leges a populo ferebantur, et iudicia fiebant.

Praetorii (Ern. *populi Rom.*)] Hic ſubeſſe mendum cur non putem, cauſſa nulla eſt. nam, etſi praetores in foro ius dicebant, aut quaeſtiones publicas exercebant: locum tamen in foro fuiſſe, qui *praetorium* vocaretur, in quo eſſet templum Caſtoris, legendo nondum comperi.

Iſte ad ſuum quaeſtum] Haec tota res lib. I. c. 50. narratur in eo loco: *Aedem Caſtoris, iudices, P. Iunius habuit tuendam, L. Sulla, Q. Metello, conſulibus. Is mortuus eſt. reliquit pupillum paruum filium.* Ex eius igitur pupilli bonis, quaſi aedem Caſtoris ſartam tectam non tradidiſſet, quaeſtum ſibi Verres, praedamque

que maximam improbiſſime comparauit.

Exigendumque] Ab iis, quibus faciendum locauerat. inde enim quaeſtus occaſionem capiebat. haec res ita narratur lib. I. c. 59. *Quis a ſigno Vertumni in Circum maximum venit, quin is in vnoquoque gradu de auaritia tua commoneretur? quam tu viam tenſarum atque pompae eiusmodi exegiſti, vt tu ipſe illa ire non audeas.*

Quarum ſacra populus Romanus, a Graecis adſcita et accepta, tanta religione, et publice, et priuatim tuetur, non vt ab aliis huc allata, ſed vt ceteris hinc tradita eſſe videantur: quae ab iſto vno ſic polluta et violata ſunt, vt ſimulacrum Cereris vnum, quod a viro non modo tangi, ſed ne adſpici quidem fas fuit, e ſacrario Catinae conuellendum, auertendumque curauerit] Lib. IV. c. 45. *Sacrarium Cereris eſt apud Catinenſes, eadem religione, qua Romae, qua in ceteris locis, qua prope in toto orbe terrarum. In eo ſacrario intimo fuit ſignum Cereris perantiquum: quod viri, non modo cuiusmodi eſſet, ſed ne eſſe quidem ſciebant. aditus enim in id ſacrarium non eſt viris: ſacra per mulieres ac virgines confici ſolent.*

Alterum autem Ennae ex ſua ſede ac domo ſuſtulerit] Lib. IV. c. 49. *Qui acceſſiſtis Ennam, vidiſtis ſimulacrum Cereris e marmore, et in altero templo Liberae. ſunt ea perampla atque praeclara, ſed non ita antiqua. Ex aere fuit quoddam modica amplitudine, ac ſingulari opere, cum facibus, perantiquum, omnium illorum, quae ſunt in eo fano, multo antiquiſſimum. Id ſuſtulit.*

Sanctiſſimae deae] Ceres, et Libera.

Eadem veſtra (Ern. *veſtra, iudices,*) *in iudicanda ſit*] Quamquam ita ſententiam ſit exorſus: *Vos etiam atque etiam imploro, et appello, ſanctiſſimae deae:* tamen, *veſtra*, ad iudices refert, ad quos in extremo ſermonem conuertit.

Respublica meaque fides] Nam et reipublicae cauſſa, et vt fidem ſuam Siculis praeſtaret promiſſaque perſolueret, ad accuſandum deſcendit. vt in Diuin. c. 2.

Neceſſe ſit] Quaſi Verrem non ſuo ſtudio, ſed ab ipſa republica, ſuaque fide coactus accuſauerit.

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM
PRO
M. FONTEIO

ARGVMENTVM

M. *Fonteius, Gallia per triennium poſt praeturam adminiſtrata, Romam reuerſus, poſtulantibus Gallis repetundarum accuſatur a M. Plaetorio, defenditur a Cicerone, actione ſecunda, conſulatum gerentibus, quantum conſequi coniectura liceat, Q. Hortenſio, Q. Metello, cum iudicia per tres ordines Aurelia lege adminiſtrarentur.*

EXPLANATIO

CAPVT I.

Hoc praetore oppreſſam eſſe aere alieno Galliam] Cuius aeris alieni cauſſam in Fonteii rapinas Galli conferebant: vnde orta repetundarum accuſatio.

A quibus verſuras tantarum pecuniarum factas eſſe dicunt] Confutatio. nam, ſi oppreſſa eſt hoc praetore aere alieno Gallia, vnde pecuniam tantam ſumſit? *Verſuram facere*, eſt, pecuniam ab aliquo accipere, quam alteri des. et quia datam Fonteio pecuniam a Gallis, dicebat accuſator: vnde, inquit Cicero, tanta pecunia ſumta eſt? ſic lib. II. in Verr. c. 76. *Inſpiciebamus Syracuſis a Carpinatio confectas tabulas ſocietatis, quae ſignificabant, multis nominibus eos homines verſuram a Carpinatio feciſſe, qui pecuniam Verri dediſſent.* Quo perſpicue intelligitur, qui Verri pecuniam dare cogerentur, eos illam pecuniam a Carpinatio ſumſiſſe.

Negotiatorum] Praeter publicanos, qui poſtea nominantur, ciues Romani multi negotiabantur in Gallia.

Colonorum] Vt Narbonenſium, de quibus infra c. 2.

Arato-

Aratorum, pecuariorum] Hi ſunt publicani. tertium genus *portitores* non nominantur, quod eo fortaſſe vectigali ante Fonteium praetorem Gallia caruiſſet: itaque portorium vini a Fonteio inſtitutum querebantur.

Noſtra memoria] Eorum memoria, qui tum ſenes viuebant, de Gallis triumphauerat M. Fulvius Flaccus anno vrbis DCXXX, C. Sextius Caluinus, et Cn. Domitius Ahenobarbus DCXXXI, Q. Fabius Max. DCXXXII, C. Marius, Q. Catulus DCLII.

Agris vrbibusque multati] Coloniis in Galliam deductis.

Narbo Martius] Accepto nomine ab eo, qui deduxit, Q. Martio Rege, conſule DCXXXV.

Atque] Non abundat haec copula, ſed ciuibus Romanis honeſtatem addit. non enim ſequitur, vt, quicumque ſit ciuis Romanus, idem ſit honeſtiſſimus.

CAPVT II.

Qui proximi (Ern. *proxime*) *fuerant*] Hoſtes.

Multati] A ſenatu.

In toto orbe] Duo praecipue bella ſignificat, vnum contra Sertorium in Hiſpania, ducibus Q. Metello Pio, et Cn. Pompeio, alterum contra Mithridatem in Aſia, duce L. Lucullo.

Ex agris] Supra: *Eos ex iis agris, quibus erant multati, decedere cogit.*

Hunc per vos volunt] Incolumem eſſe.

Per hunc] Per huius aequitatem, ac virtutem.

Laudatio] Legatos et coloni Narbonenſes, et Maſſilienſium ciuitas miſerat, qui Fonteium in iudicio laudarent.

CAPVT III.

Colonis] Narbonenſibus.

Negotiatoribus] Ciuibus Romanis.

Sociis] Maſſilienſibus.

Quam ſummae auctoritatis omnium (Ern. *hominum*)] Subaudi, *conſenſio.* et pro, *omnium*, placet, *hominum.*

Imperatores] Q. Metellum Pium, Numidici filium, et Cn. Pompeium.

Legati ad eos] Miſſi a Fonteio ad eos exercitus.

Qui vobis auctor placeat] Cui fidem habendam putetis.

CAPVT IV.

Ob vacationem] Ne munire cogerentur.

Datum] Fonteio.

Hoc crimen] Quod aduerſarii crimen eſſe volunt. Similiter infra c. 5. *Cognoſcite nunc de crimine vinario.*

Nominibus] Cauſſis.

Delegare] Aliis attribuere.

Viam Domitiam] Quam Cn. Domitius proconſul in Gallia ſtrauerat.

Quod vos] Alloquitur aduerſarios.

Noſtris (Ern. *veſtris*)] Quibus cauſſam noſtram tuemur.

Exſcripſiſtis (Ern. *ſcripſiſtis*)] Vt exemplum earum eſſet apud vos.

CAPVT V.

Croduni] Nomen loci, vt *Vulchalone, Cobiomacho.*

Binos et victoriatos M. (Ern. *binos victoriatos*)] Lege, *binos victoria-*

victoriatos: mendi nihil ſupererit. Victoriatus binis H-S, denarius quaternis valebat.

Eleſiodolus (Ern. *Eleſiodolum*)] Malim, *Eleſiodolum:* et infra, *exegiſſe*, vt cum ſuperioribus congruat.

Fructibus noſtris] Sociorum noſtrorum: quorum fructus in noſtra poteſtate ſunt.

CAPVT VI.

Coarguit] Gallos.

Non credere] Argumentum pro Gallis. confutatio proxime ſequitur.

Quaeſitore] Praetore, qui de repetundis quaerit.

Non ſtulto] Modeſte de ſe ipſo.

Dicunt enim Galli] Obiectio: quam proxime ſequitur ſolutio.

Salus ipſa] Sumtum ex Terentii Adelphis. In qua fabula act. IV. ſc. 7. v. 43. ſunt haec:

— *Ipſa, ſi cupiat, Salus,*
Seruare prorſus non poteſt hanc familiam.

Similiter lib. III. in Verr. c. 57. *Ecquod iudicium Romae tam diſſolutum, tam perditum, tam nummarium fore putaſti, quo ex iudicio te vlla ſalus ſeruare poſſet?*

CAPVT VII.

Dubitabitis] Teſtimoniis eorum credendum non eſſe.

Cn. et Q. Caepionibus] Fratribus, Seruiliae gentis: quorum Cnaeus conſul fuit cum hoc ipſo, in quem teſtimonium dixit, Q. Pompeio, anno vrbis DCXII, Quintus anno ſequenti cum C. Laelio.

L. et Q. Metellis] L. Metello Caluo, qui conſul fuit DCXI, Q. Metello Macedonico, conſule DCX.

Q. Pompeium, hominem nouum] Lib. V. in Verr. c. 70. *Q. Pompeius, humili atque obſcuro loco natus, nonne plurimis inimicitiis, maximisque ſuis periculis ac laboribus ampliſſimos honores eſt adeptus?* Pro Murena c. 7. *Nec mihi vmquam minus in Q. Pompeio, nouo homine, et fortiſſimo viro, virtutis eſſe viſum eſt, quam in homine nobiliſſimo, M. Aemilio.* In Bruto c. 25. *Q. Pompeius, non contemtus orator, temporibus illis, fuit, qui ſummos honores, homo per ſe cognitus, ſine vlla commendatione maiorum eſt adeptus.* Is igitur Pompeius, geſto iam conſulatu, accuſatus repetundarum, cum in eum duo Caepiones fratres, conſulares, et duo item Metelli fratres, conſulares, acerrime teſtimonium dixiſſent, abſolutus eſt. Valerius Max. lib. VIII. c. 5.

Conſtantia] Qua maxime Scaurus virtute excelluit. vnde illud ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *In quo cum omnes homines, tum M. illum Scaurum, ſingularem virum, conſtantia et grauitate ſuperaſſet.* Eiusdem conſtantia laudatur act. I. in Verr. c. 17.

Honoris] Conſul, cenſorque fuit.

Ingenii] Valuit eloquentia, qua ſibi gloriam peperit, cum primo dubitaſſet, honores peteret, an argentariam faceret: vt eſt in libro de vir. illuſtr. c. 72.

Rerum geſtarum] Triumphavit conſul de Liguribus, viam Aemiliam cenſor ſtrauit: vt in eodem libro.

Neque

Neque in C. Fimbriam, neque in C. Memmium] Vtrumque de repetundis accuſatum, auctore Valerio Max. lib. VIII. c. 5. Fimbria cum C. Mario conſulatum geſſit.

L. Craſſo] Oratore ſummo.

Pudor] Lib. I. de Orat. c. 26. *Fuit enim mirificus quidam in Craſſo pudor, qui tamen non modo non obeſſet eius orationi, ſed etiam probitatis commendatione prodeſſet.*

M. Marcellum] Valerius Max. lib. VIII. c. 5.

Fuit, fuit illis iudicibus] Mira vis eſt geminato eodem verbo in principio ſententiae, vt pro Milone c. 31. *Eſt, eſt profecto illa vis.*

Fortuna ac tempore] Eius, qui accuſaretur, calamitate, ac tempore difficillimo.

Vt quidquid (Ern. *quidque*)] Pro, *vt quidque*. quod qui ignorarunt, pro, *quidquid*, ſine cauſſa repoſuerunt, *quidque*. exempla non deſunt. lib. IV. in Verr. c. 13. *Ita odorabantur omnia et perueſtigabant, vt, vbi quidquid eſſet, aliqua ratione inuenirent.* Quo loco plura diximus.

Ex illo loco] Ab aduerſariis: ad quos, haec dicens, digitum intendebat.

Quod dixi antea] Dixit hoc c. 6. *Quid mihi opus eſt ſapiente iudice?*

CAPVT VIII.

Quos nos vidimus] Iudices, ex lege C. Gracchi, ante Sullam dictatorem.

Vulgarum (Ern. *Volcarum*)] Pars Galliae in ea prouincia, cui Fonteius praefuerat. *Volgas* Caeſar appellat lib. I. de bell ciu. c. 35. ſunt autem Allobrogibus finitimi. Belgae vero longe diſtant, nec tum erant in ditione populi Romani.

Qui optima in cauſſa ſunt] Qui leuiores habent cauſſas, cur Fonteio inimici ſint.

Suam immunitatem] Queritur enim, praeter cetera, vini portorium a Fonteio primum inſtitutum.

Scit Induciomarus] Is fortaſſe, quem in Treuirorum ciuitate principem Caeſar appellat lib. V. de bell. Gall. c. 3.

CAPVT IX.

Arbitror] Teſtes, licet iurati, nihil tamen affirmabant, arbitrari ſe dicebant. id Cicero plane docet in Lucullo, in extremo c. 47.

Verebatur enim videlicet] Ironia. quod enim alii teſtes apud nos vereri ſolent, is nihil prorſus tale verebatur.

Non intelligebat] Et hic ironia eſt. maxime enim intelligebat, ſe et ſuis ciuibus, qui Romam contra Fonteium venerant, et accuſatoribus Fonteii, ſatis eſſe facturum, ſi vocem, os, et audaciam ad teſtimonium dicendum attuliſſet.

CAPVT X.

Delphos vsque] Nota hiſtoria ex Liuio lib. XXXVIII. c. 16. Iuſtino lib. XXIV. c. 6, ſeqq. Pauſania in Phocicis c. 23.

Sanctis, et in teſtimonio religioſis] Aperta ironia.

Vsque ad hanc diem] Caeſar lib. VI. de bell. Gall. c. 16.

Illo triennio] Diximus iam, per triennium Galliae Fonteium praefuiſſe.

Gallis credere malitis] Sic malo, quam, vt aliis placere video, *cum Gallis iurare.*

CAPVT XI.

Sagatos, brahatosque] Ex Gallia transalpina: nam in cisalpina togis vtebantur, vnde *togata Gallia.* Brachas vero Narbonenſis Galliae proprias fuiſſe, auctor eſt Plinius lib. III. c. 4.

Laedat] Vituperet. id enim eſt, *laedere:* et ſequitur, *laudent*, vt contrarium. quo modo et Phil. III. c. 7. *Nam me eisdem edictis, neſcit, laedat an laudet.* ſupra in Diuin. c. 1. de hoc verbo diximus.

CAPVT XII.

M. Plaetorius] Fonteii accuſator.

Suos nouos clientes] Per iocum haec dixit. nam clientes Fabiorum, quod a Q. Fabio Max. deuicti eſſent, Allobroges erant. infra, et Salluſtius in Catil. c. 41.

Id quod victi ac ſubacti ſolent] Quod alioqui non ſolent.

CAPVT XIII.

A M. Bruto] Iurisconſulto, accuſationibus dedito. propterea de eo dixit Cicero in libro de clar. orat. c. 34. *In quo magnum fuit, Brute, dedecus generi veſtro.*

M'. Aquillius] Accuſatus de repetundis a P. Lentulo, eo, qui ſenatus princeps fuit: vt in Diuin. c. 31. Fuit alter M'. Aquillius et ipſe de repetundis, ſed poſt multos annos, accuſatus, nec a P. Lentulo, ſed a L. Fuſio: vt lib. II. de Offic. c. 14. et in Bruto c. 62. atque hic poſterior Aquillius is eſt, quem cum defenderet orator ille ſummus M. Antonius, cauſſa prope perorata, tunicam eius a pectore abſcidit, vt cicatrices populus Romanus iudicesque adſpicerent aduerſo corpore exceptas. qua de re lib. V. in Verr. c. 1.

L. Cotta] De repetundis accuſatus ab Africano minore: vt in Diuin. c. 21. in orat. pro Murena c. 22. apud Valerium Max. lib. VIII. c. 1.

P. Rutilius] Rufus, qui conſul fuit cum Cn. Mallio. is cum in Aſia quaeſtor Q. Mucii Scaevolae prouinciam ab iniuriis publicanorum defendiſſet, inuiſus equeſtri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus in exſilium miſſus eſt; et, cum redire poſſet victore Sulla, equitibus inimico, exſulare maluit, ne contra leges feciſſe videretur. In Piſonem c. 39. in Bruto c. 30. Valerius Max. lib. II. c. 10. lib. VI. c. 4. Aſconius in Diuin. c. 17. et pro Scauro, epitome Liuiana lib. LXX.

Qui, etſi damnatus eſt] Hoc dicit, quia ceteri, quos ſupra nominauit, Scaurus, Aquillius, Cotta, abſoluti ſunt.

Ac (Ern. *ad*) *libidinem*] Alii legunt, *libidinum.* vtraque lectio ſenſum habet.

L. Piſonem] Qui cum conſul fuiſſet, quo anno Ti. Gracchus occiſus eſt, poſtea C. Gracchi legem frumentariam diſſuaſit. Tuſc. III. c. 20.

CAPVT XIV.

Ad probra non audienda] Ideo meliore fortuna vtitur Fonteius, quam Scaurus, Aquillius, Cotta, Rutilius, quia illi probra audierunt, hic non audit.

In monumentis rerum geſtarum inciſam] In marmoribus inciſam, in quibus, et rerum a Fonteiis geſtarum, et antiqui generis memoria exſtaret.

Continuae praeturae] In Fonteiorum familia. ſed oratorie dictum, *continuae*, pro, fere continuae. nam huius Fonteii pater in legatione obiit, praeturam nondum adeptus.

Parentis] Belli ſocialis initio Q. Seruilius proconſul ad ſedandos motus Aſculum profectus, cum legato Fonteio, omnibusque Romanis ciuibus eſt interemtus. epitome Liuiana lib. LXXII.

CAPVT XV.

Ciuitatis diſcordiis] Ciuilibus bellis.

In bello] Sociali, exorto L. Iulio, P. Rutilio coſſ.

L. Iulius] Nominat duorum annorum conſules, primi Iulium, et Rutilium, et ſecundi Catonem, et Pompeium.

C. Marium] Poſt praetorios nominat conſulares. nam et Marius, et Didius, et Catulus, et Craſſus ante bellum ſociale conſulatum geſſerunt.

P. Didium] Pro P. repoſui T. ex lapidibus Capitolinis.

Q. Catulum] Si conſulatuum ratio habeatur, Catulus poſt Marium ſtatim collocandus fuit.

Non litteris] Eruditum tamen Catulum fuiſſe, in oratoriis libris, et in Bruto c. 35. Cicero ſignificat.

Ad caſum fortunamque felicem] Felicitas in imperatore conſideratur. vide pro lege Manilia c. 16.

Condemnare] Non video, cur Faernus, contra veteres omnes libros, *condonare*, maluerit, quam, *condemnare.*

CAPVT XVI.

Macedonia] Videtur Fonteius in Macedonia, et Hiſpania legatus fuiſſe. nam quaeſturae nulla mentio. legationes autem ſupra nominantur. ſic Fonteii probitatem, ac virtutem vtraque prouincia cognouit; et in eius periculo teſtes laudatoresque Romam miſit.

A quo ipſa ſeruata eſt] Contra reliquorum Gallorum arma. nam Fonteium cum Gallis pugnaſſe, ſupra dictum eſt: idque mentio comprobat Narbonenſis coloniae, a Fonteio obſidione liberatae.

Vt oportet bello Gallico] Quo vacationes non dantur. Phil. VIII. c. 1.

Vlla

Vlla excuſatione] Venerunt omnes ad hoc iudicium, ſolliciti de Fonteii ſalute.

Publicani] Quattuor genera commemorat ciuium Romanorum.

CAPVT XVII.

Matris] Quae ſupplex aderat in iudicio, ex altera parte ſoror Fonteii, virgo Veſtalis.

Pro ſalute ſua] Sita in ſalute fratris.

Veſtrae] Qua pro vobis, liberisque veſtris aſſidue ſacra facit.

Eadem ſolatia] Decus, et honeſtae mortis memoriam.

Suus pater] Cum Aſculi pro patria mortem oppeteret.

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

ORATIONEM

PRO

A. LICINIO CAECINA

ARGVMENTVM

Heres vxoris ſuae Caeſenniae A. Licinius Caecina Volaterranus, fundum repetit a Sex. Aebutio, qui, viua Caeſennia, cum eius cognitor eſſet, in auctione fundum illum emerat, nec tamen ante obitum Caeſenniae poſſederat; ea vero mortua, ſtatim in eum, tamquam ſuum, venerat. Caecina, cum in rem praeſentem ex conuentu cum amicis veniſſet, vt de fundo moribus deduceretur, vi hominibus armatis repulſus ac prohibitus, impetrat a praetore interdictum de vi hominibus armatis, vt, vnde deiectus eſſet, eo reſtitueretur. Aebutius contra deiectum eſſe negat, eiectum ait. inde oritur quaeſtio de verbis interdicti, aliter ea Cicerone, aliter Aebutio interpretante: in eo facta ſponſio eſt. de quo ſic in Oratore c. 29. Tota mihi cauſſa pro Caecina de verbis interdicti fuit. *Haec pro argumento ſufficiant. non enim totam orationem in argumentum includere, conſilium eſt. Acta cauſſa eſt apud recuperatores a praetore datos, incertum quo anno, ſed omnino poſt Aureliam legem, iudiciis inter tres ordines communicatis: quod factum eſſe conſtat Pompeio et Craſſo primum coſſ.*

EXPLANATIO

Pro *A. Caecina*] Liciniae gentis Caecinam eſſe, docet Gellius lib. VI. c. 16.

CAPVT I.

Quantum in agro] Orditur ab iniuria aduerſarii, qui Caecinam vi hominibus armatis de fundo deiecerit.

Armis non contendere] Ceſſit enim audaciae.

Conſtantis] Qui cauſſam deſerere, ſuoque de iure decedere noluerit.

Mali-

Malitia] Venit enim in iudicium, qui malam cauſſam habet, vt bonam habere videatur

Confiteri] Coactis, armatisque hominibus a ſe de fundo eſſe deiectum.

Moribus] Non ferro, vt ab ipſo facta eſt, ſed vetere iudiciaria conſuetudine, cum litigantes in rem praeſentem, id eſt, in eum agrum, de quo lis erat, communi conſilio venirent; ibique alter alterum vi quadam non vera, et ſolida, ſed ficta, et adumbrata, repelleret; et qui repulſus erat, interdictum a praetore de armatis hominibus impetraret, vt, vnde deiectus erat, reſtitueretur. Infra c. 7. *Placuit Caecinae*, *de amicorum ſententia*, *conſtituere*, *quo die in rem praeſentem veniretur*, *et de fundo Caecina moribus deduceretur*. Et poſt c. 11. *Eſt haec res poſita*, *quae ab aduerſariis non negatur: Caecinam*, *cum ad conſtitutam diem tempusque veniſſet*, *vt vis ac deductio moribus fieret*, *pulſum prohibitumque eſſe vi*, *coactis hominibus et armatis*.

Quo impudentius egerit] Qui non dubitet id ipſum, quod arguitur, de vi ſcilicet armis facta, confiteri.

Hac actione] Ampliata bis iam cauſſa erat: cum recuperatores non liquere, iudicaſſent.

Siue creditur iis (Ern. *iis ſiue creditur*)] Vel minus idoneis.

Derogatur] Vel quia ſint minus idonei, vel quia mentiuntur. vtroque enim modo, ſi viri boni non ſunt, de illorum fide derogatur.

CAPVT II.

Dubitationem] Indicatam in eo, cum, *amplius*, pronunciaſtis.

Non de improbitate Sex. Aebutii] Qui alienum fundum occuparit, dominumque hominibus armatis et deiecerit, et deiectum fateri non dubitet.

Illius] Aebutii.

Disceptatore] Iudice.

Quod eſt grauius] De puniendis maleficiis.

Maxime iudicia conſtituta ſunt] Nam illud alterum, quod eſt leuius, et in quo diſtrahuntur, ac dirimuntur controuerſiae, perſaepe disceptatore domeſtico transigitur.

Diſſolutum eſt] Neglectum.

At ea] Haec, quae nunc agitur.

Exiſtimationis periculum] Exiſtimationis Aebutii. paullo ante: *Quod videtur ad ſummam illius exiſtimationem hoc iudicium pertinere.*

CAPVT III.

Quae cauſſa fuerit ad conſtituendum iudicium] Cauſſa puniendi maleficii, quod Aebutius Caecinam vi et armis de fundo deieciſſet. proxime dixit: *quod eſt grauius*, et, *cuius rei cauſſa maxime iudicia conſtituta ſunt.*

Eandem] Quod exiſtimationis in ea periculum ſit.

Sine vlla religione iudicis] Mature eum condemnare iudici religio non eſt.

Eſt enim turpe iudicium] Quo damnatum ſequitur infamia.

Et turpe quidem factum (Ern. *facto quidem turpe*)] Id, quod commiſſum eſt, ex quo oritur iudicium.

Quia res indigna ſit] Quia turpe ſit illud, quod commiſſum eſt.

Sequi] Si reus damnetur.

Ideo rem indignam non iudicari] Notat recuperatores, qui ſerius ideo iudicent, bis iam ampliata

pliata cauſſa, quod ex eo iudicio turpem exiſtimationem ſequi videant. Inique accidit, inquit, cum indigna, et flagitioſa res ideo non iudicatur, id eſt, ideo differtur, ac ſero iudicatur, quia turpis exiſtimatio ſequatur: cum exiſtimatio turpis ideo ſequatur, quia res indigna, flagitioſaque ſit.

Leuiore actione] Quae turpis exiſtimatio non ſequeretur.

Confligere] *Confligere*, et *conflictari*, de litibus vſurpantur.

Praetor] Vrbanus.

Qua actione illum vti velit] Liberum ei relinquit, vt ſuum ius, quo velit iudicio, perſequatur.

Conſtituta iam re] Conſtituto inter Caecinam et Aebutium iudicio.

Iudicem] Eum, de quo ſupra: *At ſi quis mihi hoc iudex, recuperatorue dicat.*

Quid agi potuerit] Quia potuerim leuiori actione confligere. Hoc refertur ad illud ſupra dictum. *Potuiſti enim leuiore actione confligere: potuiſti ad tuum ius faciliore et commodiore iudicio peruenire.*

Aut quid poſſit] Quaſi adhuc mutari actio poſſit. ſupra: *Aut muta actionem, aut noli mihi inſtare, vt iudicem.*

Non quid actum ſit] Non quae ſit actio iam inſtituta. venimus enim ad hoc iudicium, vt contra Aebutium interdicto ageremus de vi hominibus armatis.

Nimiae] Erga Aebutium.

Relinqui] Sileri a nobis.

Ex quo genere peccati] Ex illa vi.

Vt illi clamitant] De nobis expoſtulantes, quaſi atrociores, quam oporteat, ſimus.

Cum videatis nihil aliud actum] A nobis.

Eſſe repetitam] In quo quae atrocitas eſt? an non ſuam cuique poſſeſſionem per interdictum praetoris licet repetere?

CAPVT IV.

Alterius rei cauſſam] Exiſtimationis Aebutii periculum.

Vosmet ipſi] Non enim iudicium amplius proferre vobis licet.

Saepius] Oratorie. nam bis tantum prolatum erat iudicium.

Alterius cauſſam] Iuris dubitationem.

Ius, de quo iudicium eſt] Res ipſa, de qua conſtitutum iudicium eſt.

Non enim minus laborat] Ita ſuum ius perſequitur Caecina, vt humanitati tamen ſatisfactum a ſe velit. laborat ille quidem, vt certum ius obtineat, fundumque ſuum recuperet, non minus tamen, ne ſummo iure egiſſe videatur.

Summo iure] Quod reprehendi ſolet. vnde illud: *Summum ius, ſumma iniuria.*

Certum ius] Nam, dubio iure, non litigaret.

Vendidit] Dotalem eſſe voluit: ipſe ex dote pecuniam accepit.

Temporibus illis] Ciuilium bellorum tempora ſine dubio ſignificantur.

Difficillimis] Cum iacerent pretia praediorum. pro Q. Roſcio c. 12. *Accepit agrum temporibus iis, cum iacerent pretia praediorum.* Hoc ideo Cicero dicit, ne videatur Fulcinius vxori ſuae magno fundum vendidiſſe. nam, ſi vendit temporibus difficillimis, certe

certe non magno vendit, nec vt ſibi lucrum paret, ſed vt res mulieri ſit cautior.

Solutionis] Ferri poteſt: Latinum enim, *difficile ſolutionis tempus:* gloſſema tamen eſſe potuit.

Vt frueretur vna cum filio] Hoc niſi eſſet additum, ex vſufructu detractus eſſet triens. Novell. Conſtit. Iuſtiniani lib. IV. (Nou. 18.)

Magnus honos viri] In legando ei vſufructu bonorum omnium. honorat enim is, qui moritur, eum, cui aliquid legat: quippe nihil legaret, niſi mores eius, et amorem erga ſe probaret. Propterea dixit in ea pro Quintio c. 4. *Heredem teſtamento reliquit hunc P. Quintium: vt, ad quem ſummus maeror morte ſua veniebat, ad eundem ſummus honos quoque perueniret.*

Maximum fructum] Pro, maximam voluptatem: aut, *maximum fructum*, quem ex filio mater multis rebus caperet.

CAPVT V.

Cognitoris viduarum] Qui viduarum negotia curet: quo facilius lucrum ſibi paret ex mulierculis imperitis, quam ſi cognitor virorum eſſet.

Deformaui] Non, deſcripſi, aut deſignaui, ſed probroſis verbis pro eius merito deformaui.

Antiquo] Quem ipſa emerat a viro.

CAPVT VI.

Ad tabulam] In qua ſcripta bona eſſent, quorum auctio fieri deberet, prope argentarias tabernas in foro.

Hi] Argentarius, et qui aderant, vel qui audierant.

Dare operam] Vt cognitorem.

Soluitur] Aebutio datur, argentaria ſoluenda.

A Caeſennia] Non, ſoluitur a Caeſennia, ſed, ſoluitur, accepta a Caeſennia. eſt enim loquendi modus, exemplis ſatis notus. vt lib. VII. ad Attic. epiſt. 18. *Quintus frater laborat, vt tibi, quod debet, ab Egnatio ſoluat.*

Tabulas] Caeſenniae.

Sibi expenſa pecunia lata ſit, acceptaque relata] *Sibi expenſa lata*, tamquam debitori: *accepta relata*, tamquam creditori. pecunia argentario ſoluta.

Ex deunce et ſemuncia] Vndecim hereditatis partes cum dimidia ſignificantur. nam, *deunx*, vndecim vnciae ſunt. As autem totam hereditatem oſtendit.

Duabus ſextulis] *Sextula* vnciae ſexta pars fuit. tres igitur ſextulae dimidium vnciae.

Sextulam aſpergit] Feſtiue, tamquam de aqua. nam et ſextula menſura fuit.

Anſam retinere] Locutus de ſextula, tamquam de vaſe, apte ſubiunxit, *anſam retinere:* cum ſignificet, occaſionem habere.

CAPVT VII.

Incommodum Volaterranorum] Quos victor Sulla, vt ſtudioſos Marianarum partium, multis affecerat incommodis.

Homo timidus] Caecina. ironia eſt.

In poſſeſſione bonorum cum eſſet] Aebutius.

Familiae herciſcundae] Rei dividendae.

Tam

Tam malitioſe] Qui vſumfructum Fulcinii teſtamento, non Caeſenniae emtioni tribueret.

Moribus] Vt ſolet inter bonos viros, non vi, et armis. Sic in exordio: *Si facta vis non eſſet moribus.* Et infra c. 11. *Vt vis ac deductio moribus fieret.*

Deduceretur] Si reſtituere Aebutius nollet. Apparet igitur, nouo litis genere iam occupatum eſſe fundum illum ab Aebutio, ſibi emtum eſſe dicente, et argentarii tabulis probante.

In fundum] In quem tamen ingreſſi non ſunt, armatis obſiſtentibus.

CAPVT VIII.

Antiquum] Quem a viro ſuo Caeſennia emerat.

Ex conuentu] Vt inter eum et Aebutium conuenerat.

Vim fieri] Moribus. ſupra c. 7. *Placuit Caecinae, de amicorum ſententia, conſtituere, quo die in rem praeſentem veniretur, vt de fundo Caecina moribus deduceretur.*

Interdixit] Interdictum de vi hominibus armatis Caecinae dedit, vt, vnde eum deieciſſet Aebutius, eo reſtitueret.

Sine vlla exceptione] Interdictis addi interdum ſolebant exceptiones: vt ſi Dolabella praetor interdixiſſet, vt, vnde Caecinam Aebutius deieciſſet, eo reſtitueret, ac addita exceptione, *extra quam ſi deieciſſet, ex eo loco, quem ipſe poſſideret.* Harum exceptionum tribus Cicero vtitur exemplis, in libris de Inuent. In primo c. 33. his verbis: *Si, iudices, id, quod Epaminondas ait legis ſcriptorem ſenſiſſe, adſcribat ad legem, et addat exceptionem hanc,* EXTRA QVAM SI QVIS REIPVBLICAE CAVSSA EXERCITVM NON TRADIDERIT, *patiemini?* Altera exceptio haec eſt lib. II. c. 20. *Cum ad vim faciendam quidam armati veniſſent, armati contra praeſto fuerunt, et cuidam equiti Romano quidam ex armatis reſiſtenti, gladio manum praecidit. Agit is, cui manus praeciſa eſt, iniuriarum. poſtulat is, quicum agitur, a praetore exceptionem,* EXTRA QVAM IN REVM CAPITIS PRAEIVDICIVM FIAT. *Hic is, qui agit, iudicium purum poſtulat: ille, quicum agitur, exceptionem addi ait oportere.* Tertia eſt in eodem extremo libro c. 57 *Homines mortales neceſſe eſt interire, ſine adiunctione: vt cibo vtantur, non neceſſe eſt: niſi cum illa exceptione: Extra quam, ſi nolint fame perire.* Iam lib. VI. ad Attic. epiſt. 1. *de Bibuli*, inquit, *edicto, nihil noui, praeter illam exceptionem, de qua tu ad me ſcripſeras, Nimis graui praeiudicio in ordinem noſtrum. ego tamen habeo ἰσοδυναμοῦσαν, ſed tectiorem, ex Q. Mucii P. F. edicto Aſiatico, Extra quam ſi ita negotium geſtum eſt, vt eo ſtari non oporteat, ex fide bona.* Caecina igitur purum interdictum, ſine vlla exceptione, impetrauerat a praetore: Ne quid afferretur morae, quo minus, vnde eſſet deiectus, eo ſtatim reſtitueretur. infra c. 22. *Vim, quae ad caput, et ad vitam pertinet, reſtitui ſine vlla exceptione voluerunt.*

Reſtituiſſe ſe dixit] Hoc falſum eſt: ſed, cum ſignificare vellent, deiectum aliquem non eſſe, ideoque nec reſtituendum, *reſtituiſſe ſe* dicebant, modeſtiae cauſſa, vt praetoris decreto paruiſſe viderentur.

rentur. infra quoque c. 19. *Si me villicus tuus ſolus deieciſſet: non familia deieciſſet, vt opinor, ſed aliquis de familia. Recte igitur diceres te reſtituiſſe?* Et c. 21. *Si glebis, aut ſaxis, aut fuſtibus aliquem de fundo praecipitem egeris; iuſſusque ſis, quem hominibus armatis deieceris, reſtituere: reſtituiſſe te dices?*

Sponſio facta eſt] A Caecina ſic, *ni hominibus armatis deiectus ſum:* ab Aebutio ſic, *ſi hominibus armatis Caecinam deieci.*

CAPVT IX.

Sumſit] Id Cicero transfert ad commodum cauſſae ſuae: quaſi teſtibus Aebutii probare poſſet, Caecinam eſſe deiectum: cum tamen iis vteretur Aebutius, vt prohibitum eſſe, non deiectum, probaret.

Minus idoneus] Non bonus. nam et ſupra c. 1. cum loqueretur de teſtibus, oppoſuit, *viri boni*, et, *minus idonei.*

Ex illa parte] Aebutii.

Rei capitalis] Quod Antiocho imperauerit, vt in Caecinam advenientem cum ferro inuaderet.

CAPVT X.

Vt aliquo in iudicio] Quaſi reliquis in iudiciis ei credi non ſoleret.

Auctor fundi] Venditor, alienator. idem enim valet *auctor.* vnde Feſtus: *Fundus dicitur populus eſſe rei, quam alienat, hoc eſt auctor.*

Nec minus niger, nec minus confidens] *Confidens* quidem apud Terentium act. I. ſc. 2. v. 73. appellatur paraſitus ille Phormio, non tamen *niger:* ſed habet rationem Cicero hiſtrionis, colore nigro paraſitum agentis in ſcena.

Senator] Solus ſenator ex Aebutii teſtibus.

Iudiciorum] Corruptum ſignificat in Oppianici iudicio. vt in orat. pro Cluentio c. 37.

Exemplar antiquae religionis] Qui nihil aut in dictis, aut in factis contra quam religio praeſcribit, committeret: qui talis eſt in religione ſeruanda, quales fuiſſe veteres illos memoriae proditum eſt.

Ipſa eſſe] Tot plane eſſe: ambiguo ſenſu: nam, cum de fundo videretur dicere, de pecunia dicebat; quam in Oppianici iudicio acceperat.

Publicae quaeſtionis] Cum veneficii accuſaretur Oppianicus.

Non affuiſſe animo] Alias res egiſſe, alia cogitaſſe.

De aliquo reo] Quem, accepta pecunia, vel abſoluere, vel condemnare poſſet.

Veterator] Homo callidus et aſtutus. Lib. III. in Verr. c. 14. *Deinde in hoc homo luteus etiam callidus ac veterator eſſe vult.*

Quid cauſſa optaret] Optabat enim, vt diceretur, quod ille dixit, armatos cum Aebutio non fuiſſe.

Tantummodo errare] Feſtiue: quaſi leuis quidam error eſſet, omnes teſtes, qui ante dixerant, infirmare.

Suos ſolos ſeruos] Ita ſuum ipſe teſtimonium infirmauit: et qui viſus fuerat, quid cauſſa optaret, intelligere, poſtea, quod contra cauſſam eſſet, dixit.

CAPVT XI.

Quid huic tu homini facias] Antiqua locutio. Lib. II. in Verr.

Verr. c. 16. *Quid huic homini facias?* lib. V. c. 40. *Quid Cleomeni fiet?*

Cum, quid liqueret, non habuiſtis] Cum bis, non liquere, iudicaſtis.

Quin verum dicerent] Cum eorum teſtimonio conſentirent.

Eſt haec res poſita] Conſtat hoc iam.

Non negatur] Id enim teſtes eius dicunt. In quo ſe ita excuſabat Aebutius, non a ſe Caecinam de fundo deiectum, ſed repulſum, ne, quem ipſe fundum poſſidebat, in eum ingrederetur.

Vis] Vis illa ciuilis ſine armis.

Moribus] In prooemio: *Si facta vis non eſſet moribus.* Et alio loco c. 7. *Quo die in rem praeſentem veniretur, et de fundo Caecina moribus deduceretur.*

Ego homo imperitus iuris] Non loquitur de ſe ipſo, ſed vtitur exemplo extrinſecus aſſumto: quaſi dicat: cum hoc conſtaret, quid facere potuit quiuis homo imperitus iuris, niſi quod a nobis factum eſt, vt per interdictum et ſuum ius teneret, et iniuriam acceptam perſequeretur?

CAPVT XII.

Ex iure ciuili ac praetorio] Aliae ſunt iuris conſultorum, aliae praetorum actiones, ex quibus duplex ius conſtituitur.

Hoc genus vnum] Cum indignatione. id enim ſignificat. An maiores noſtri tenuiſſimarum rerum iura perſecuti ſunt, vt hoc genus vel maximum praetermitterent?

Domum tuam] Facile poterat Aebutius, quique pro illo agebant, hoc refellere. Si domus tua eſt; qui te aditu prohibuerunt, recte contra eos ex interdicto ages. at fundum, quo prohibitus, ac repulſus es, tuum eſſe non conſtat. mea poſſeſſio eſt: eam ſi defendo, cur, quaſi de tuo fundo deiectus, mecum agis?

Iniuriarum] Acturus es. haec tamen actio, inquit Cicero, te non reſtituet.

Actoris] Eius, qui domo ſua repulſus eſt. nam ad eum actio pertinet.

Ad animaduerſionem] Vt animaduertatur, et cognoſcatur id, quod commiſſum eſt.

CAPVT XIII.

Tacebit] Non dabit interdictum, vt, vnde vi prohibitus ſis, eo reſtituaris?

C. Piſone] C. Calpurnio Piſone, Aebutii defenſore.

Vnde vi prohibitus ſis] Vt eo reſtituaris, nemo vmquam praetor interdixit? hoc dici non poteſt, nouum, inuſitatum, inauditum eſt. ergo impetrabis interdictum, vt nos quoque impetrauimus.

Vnde deiectus] Mutat verba, vt maiorem oſtendat iniuriam in deiiciendo, quam in prohibendo: an, inquit, vnde deiectus ſis, vt eo reſtituaris, nemo vmquam interdixit? Si dices, interdici ſolere: quid proficies? tibi enim reſpondebunt idem aduerſarii tui, quod tu mihi nunc.

Ne quidem (Ern. *ne tuorum quidem*)] Rarum. et fortaſſe mendoſum. nam aliquid interponi ſolet.

Auctoritatis tuae] Viri conſularis. hunc enim eſſe arbitror, qui

qui conſul fuit cum Glabrione, anno antequam Cicero praeturam geſſit. et hanc Cicero cauſſam praetorius, vt opinor, egit.

CAPVT XIV.

Huius rei] Quam commiſit Aebutius: ſiquidem vna eſt actio per hoc interdictum, quo nos vtimur, conſtituta.

CAPVT XV.

Aduocationem] Aduocatos Caecinae; qui cum in rem praeſentem veniſſent, metu armorum fugerunt.

CAPVT XVI.

Ad vim faciundam] Moribus, non vi, et armis.

Veniretur] In rem praeſentem, communi ſententia: ad quam vim faciundam cum Caecina et Aebutius ex conuentu veniſſent, non ſeruauit pactionem Aebutius, et armis vſus eſt.

Pertenuis vis] Ea, quae moribus fit: at quae armis, magna.

Depugnare] Pro recuperanda poſſeſſione.

Repugnare] Pro tuenda.

Statuetis, homines poſſeſſionis cupidiores, quam vitae, eſſe oportere] Caecina, et eius aduocati vitae cupidiores quam poſſeſſionis, aufugerunt. vos, ſi vim eſſe nullam intelligitis, quae ſine caede, vulnere, ſanguine fit: ſtatuitis, non debere homines effugere, niſi prius armis decernatur, nec vitae cupidiores eſſe oportere, quam poſſeſſionis, ſed poſſeſſionis, quam vitae.

CAPVT XVII.

Dimoueri enim] Aebutii ratio.

Quod ſi fuiſſet] Ciceronis confutatio.

Si ad verbum rem volumus attingere] Malim, *attinere:* pro, ſi volumus a verbo rem pendere. vel, *attingere*, explicare, oſtendere.

Neminem ſtatuere (Ern. *ſtatu*) *detruſum*] Sciat lector, *ſtatuere*, coniecturam eſſe noſtram: cum in antiquis libris legatur, *ſtatu.*

CAPVT XVIII.

An hoc dubium eſt, quin neque] Certum eſt, inquit, neque verborum vllam eſſe copiam tantam, non modo in noſtra, quae dicitur eſſe inops, ſed in vlla omnino lingua, res vt omnes ſuis certis ac propriis vocabulis exprimantur; neque, ſi res pateat, verba eſſe quaerenda.

Quae dicitur eſſe inops] Vulgi opinionem ſignificat: quam non refellit, cauſſae ſeruiens. at lib. I. de Fin. c. 3 *ita ſentio*, inquit, *et ſaepe diſſerui, Latinam linguam non modo non inopem, vt vulgo putarent, ſed locupletiorem etiam eſſe, quam Graecam.*

Non cohaerebit] Disiunctus erit, interruptus, hians, ſi, cum vna loquimur, attente quaeramus, et aucupemur verba alia magis aliis, quae rem attingere videantur.

Hanc ſententiam] Pro iure contra verba.

Q. Mucius] Pontifex max. qui eius collega fuerat in conſulatu. Eodem tempore fuit alter Q. Mucius augur, Laelii Sapientis gener, L. Craſſi, qui nominatur hic, ſocer: vt infra c. 24.

M'. Cu-

M'. Curium] De hac controverſia lib. I. de Orat. c. 39. et 57. et lib. II. c. 32. in Bruto c. 53. in Topicis c. 10.

CAPVT XIX.

Lex vſum, et (*et* abeſt ab Ern.) *auctoritatem fundi iubet eſſe biennium*] Iubet lex, vſum fundi eſſe biennium, vt vſucapionis ius acquiratur. *Auctoritatem*, id eſt, ius vſucapionis biennium eſſe.

Eodem iure in aedibus] Vt vſucapionis ius biennio acquiratur.

Tuſculanum] Longe a Bruttiis.

Vti non poſſet] Caecus enim non conſpicit.

Non conſiderarent] Tolle, *non:* apertior ſententia erit.

Te reſtituiſſe] Id eſt, me non eſſe deiectum? eundem ſenſum ex verbo, *reſtituere*, ſupra quoque licet colligere, in eo loco c. 8. *Praetor interdixit, vt, vnde deieciſſet, reſtitueret. Reſtituiſſe ſe, dixit. Sponſio facta eſt.* Nam illud, *reſtituiſſe ſe, dixit*, nihil aliud ſignificat, quam, deiectum a ſe non eſſe. ſic et infra c. 21. *Si glebis, aut ſaxis, aut fuſtibus aliquem de fundo praecipitem egeris; iuſſusque ſis, quem hominibus armatis deieceris, reſtituere: reſtituiſſe te dices?*

Quippe] Nihil minus, minime vero.

Non valere] Non accipi de vno ſeruulo.

Si habeo familiam] Quam quia non habeo, (neque enim ſeruus vnus *familia* dici poteſt) ideo deiectum te nego a familia mea. itaque verba interdicti ad me non pertinent, qui familiam non habeo.

Hanc defenſionem] Aebutii.

CAPVT XX.

Iſti homines] Quos dixit hanc defenſionem reſpuere. Obiectio Aebutii, valere verba debere contendentis apud eos, qui Latine loquuntur.

Non enim alia cauſſa eſt aequitatis in vno ſeruo, et in pluribus] Quae vis fit ab vno ſeruo, eadem eſt, ac ſi fieret in pluribus.

Tam reſtitues] Tam reſtituere debebis.

Procurator] Qui cum maxime differat a colono, a vicino, a cliente, a liberto tuo, cum illi nulli tuo negotio, hic praepoſitus omnibus ſit: non tamen alia ratio iuris eſt, in hoc genere dumtaxat, vtrum ipſe me procurator, an, exempli gratia, libertus tuus deiecerit.

Tamen et ipſi] Si me tuo iuſſu deiecerint.

CAPVT XXI.

Vim enim multitudinis reſtitui voluerunt] Qui interdictum ſcripſere, non eos modo, qui a convocata multitudine deiecti eſſent, ſed eos etiam, qui a multitudine reſtitui voluerunt. Sic infra c. 22. *Vim, quae ad caput, et ad vitam pertinet, reſtitui ſine vlla exceptione voluerunt.*

Armatisue] Siue, *armatisue*, ſiue, *armatisque* legas, recte vtrumque. eſt enim infra c. 22. *Ea* (vis) *fit plerumque per homines coactos armatosque.* Eſt etiam c. 31. *Si ſine armatis coactisue hominibus deiectus quisquam ſit.* Et ibidem c. 32. *Sine coactis armatisue hominibus.*

Ornatique] Inſtructique.

Reſtituiſſe te dices] Negabis a te eſſe deiectum? Quo modo accepi-

cepimus illud ſupra c. 8. *Reſtituiſſe ſe, dixit:* et illud c. 19. *Recte igitur diceres te reſtituiſſe?*

CAPVT XXII.

Alio conſilio] Non per homines coactos, armatosque, ſed alio modo, id eſt, nec a multitudine, nec armis.

Eodem iure eſſe] Pariter teneri interdicto de vi.

CAPVT XXIII.

Summo iure] Quod interdum ab aequitate diſcedit.

Illud quod dicitur, ſummo iure, (Ern. SIVE, NIVE) *irrident*] Veſtigia ſecutus antiquitatis, vel ſententiam potius ipſam, repoſui, *ſummo iure:* cum in veteribus libris, *ſi veni be*, ſcriptum viderem.

Aucupia verborum] Iuriſconſultorum propria, vt homines more auium capiantur.

Litterarum tendiculas] Et hoc eiusdem generis eſt.

CAPVT XXIV.

Quod idem faceret] Quod verborum rationem tantum haberet: quod tu nunc facis.

Tu in nulla facis] Non ſoles verba defendere, aequitatem oppugnare.

Defendiſſe] Aequitatem: cum tua cauſſa tota ſit in verbis, litterisque poſita.

Mihi mirum videri ſolet] Incipit laudare ius ciuile: cum ſatis copioſe ambigua diſtinxerit. et hoc eſt, quod ait in Oratore c. 29. *Ius ciuile laudauimus: verba ambigua diſtinximus.*

Nec iuriſconſultis concedi] Semper oportere.

De iure vario] Cum duo, pluresue iurisperiti varie reſpondiſſent.

CAPVT XXV.

In ceteris controuerſiis] In quibus non de iure quaeritur, ſed de facto.

Imponi (Ern. *interponi*)] Inferri, induci.

Improbo] Iudici.

Teſtamentum (Ern. *teſtimonium*)] Legendum puto, *teſtimonium:* vel, *teſtem tamen.* hic enim teſtamenti nulla mentio: teſtis autem ſupra, infraque nominatur.

Nimia iſta potentia] In corrumpendis iudicibus.

Quieſcit] Iacet, nihil proficit.

Cui filius agnatus ſit] Cui poſtumus filius natus ſit; quo nato rumpitur teſtamentum. lib. I. de Orat. c. 57.

Sine tutore auctore] Sine quo promittere nihil poteſt; itaque quod promiſerit, non debetur. pro Murena c. 12. *Mulieres omnes, propter infirmitatem conſilii, maiores in tutorum poteſtate eſſe voluerunt.*

Iſte veſter teſtis] Fidiculanius Falcula; qui, cum non audiſſet Oppianici cauſſam, tamen eum condemnauit. ſupra c. 10. *In eum quid dicam, niſi id, quod negare non poſſit? veniſſe in conſilium publicae quaeſtionis, cum eius conſilii iudex non eſſet: et in eo conſilio, cum cauſſam non audiſſet, et poteſtas eſſet ampliandi, dixiſſe, ſibi liquere.*

Feciſſe videri eum] *Feciſſe*, pro, peccaſſe: quo de genere loquendi ſupra diximus.

CAPVT

CAPVT XXVI.

Quae lumina tua (Ern. *quae cum omnia tua*)] In aedibus: vnde *obſtruere luminibus.*

Iure mancipii ſint] Eo iure, quo perpetua poſſeſſio datur: quod ius dominii dicitur. Lucretius lib. III. v. 984.

Vitaque mancipio nulli datur, omnibus vſu.

Si parietum communium ius (Ern. *ſi parum ſit communitum ius*)] Nam, ſi lex vincitur gratia, parietum communium ius teneri non poteſt.

Rata auctoritas] Firma poſſeſſio, certum poſſidendi ius.

CAPVT XXVII.

Tum ſtatueritis] Totus hic verborum ambitus varie mendis inquinatus eſt, nec opem afferunt antiqui libri.

C. Aquillius] Gallus, clarus iurisperitus, de quo diximus in oratione pro Quintio c. 1. nam in ea cauſſa iudex fuit.

Dictum eſt, ab illa cauſſa] Ab iis, qui cauſſam illam defendunt.

Concedi nimium non oportere] Supra c. 23. *Illud in tota defenſione tua mihi maxime mirum videbatur, te dicere, iurisconſultorum auctoritati obtemperari non oportere.*

In cauendo] *Cauere* iurisconſulti proprie dicuntur. ad Trebatium lib. VII. Fam. epiſt. 6. *Tu, qui ceteris cauere didiciſti, in Britannia ne ab eſſedariis decipiaris, caueto.*

Qui ita iuſtus et bonus vir eſt, vt natura, non diſciplina conſultus eſſe videatur: ita peritus ac prudens, vt ex iure ciuili non ſcientia ſolum quaedam, ſed bonitas nata eſſe videatur] Profecto nihil hac figura iucundius: nec eſt, vt eam, niſi excellenti praeditus ingenio, excogitare quisquam poſſit. Exemplum vnum et alterum obſeruauimus, primum in Quintiana c. 25. alterum lib. III. in Verr. c. 71. Primum eſt de Roſcio Comoedo: *Cum artifex eiusmodi ſit, vt ſolus dignus videatur eſſe, qui in ſcena ſpectetur: tum vir eiusmodi eſt, vt ſolus dignus videatur, qui eo non accedat.* In Verrem: *Vtar teſte. quo? L. Vettio Chilone, homine equeſtris ordinis honeſtiſſimo atque ornatiſſimo: qui iſti ita amicus et neceſſarius eſt, vt, etiam ſi vir bonus non eſſet, tamen, quod contra iſtum diceret, graue videretur: ita vir bonus eſt, vt, etiam ſi inimiciſſimus iſti eſſet, tamen eius teſtimonio credi oporteret.*

Prudens] Iuris ciuilis.

Noſtrae defenſionis] Sic legendum videtur, non, *veſtrae:* cum ſupra dictum ſit, *qui adeſſe nobis frequenter in hac cauſſa ſolet.*

Omnibus, quidquid verbis] Defenduntur hic verba contra aequitatem.

CAPVT XXVIII.

Quo nos auctore] Non, Aquillium, ſed alium iurisconſultum, de quo proxime dixit: *Conueni ego ex iſto genere conſultorum non neminem.*

Etiam illa materia aequitatis] Legebat acerrimi vir ingenii, Octauius Pantagathus, *ex omni memoria antiquitatis.* quod ſententiam ſane percommodam habet: neque tamen ſic ea delector, vt conſulendos non cenſeam veteres libros.

Quo modo ſe reſtituiſſe dixit] Dixi ſupra c. 8. cum Aebutius, *reſtituiſſe ſe*, dixit, id ſignificare, deiectum a ſe Caecinam non eſſe.

Nego oportere] Spectari verba.

Obtineri] Defendi.

CAPVT XXIX.

Reſtituiſſe te dixiſti] Ex decreto praetoris. ita reſpondit Aebutius, quaſi paruiſſet decreto praetoris: cum, a ſe deiectum non eſſe Caecinam, ſignificaret.

De quo fundo] Negas enim deiectum eſſe Caecinam de fundo, quo voluit accedere: deiectum ais de propinquo fundo.

Verbi laqueo] Quia ſcriptum eſt in interdicto, vt, vnde deiectus eſt Caecina, eo reſtituatur. quem tu laqueum capiendae aequitatis appellas: quod eo verbo Caecinam reſtitui velit in eum fundum, quem ſuum eſſe dicit.

Tibi refero] Sic tibi reſpondeo: contra te hoc affero. Eodem modo locutus eſt pro Quintio c. 13. *Quid a nobis autem, C. Aquilli, refertur?*

Non ſum ex edicto (Ern. *decreto*) *reſtitutus*] Non paruit decreto Aebutius: non me reſtituit.

Alium] Eum, de quo ſupra c. 28. dixit: *Conueni ego ex iſto genere iuriſconſultorum non neminem.*

CAPVT XXX.

C. Cinna] Quem Octauius collega vrbe expulit.

Ex vrbe] In qua erat.

Vnde deieciſti (Ern. *deiectus*)] Mendoſus locus. legebat Octauius meus, apte, quod ad ſententiam attinet, ſed coniectura longius ab antiquis libris diſcedente, *vnde deiecti Samnites?*

Ab vrbe] Quo volebant accedere.

Iubet] Interdictum.

Siue ex quo loco, ſiue a quo loco] Siue ex eo loco, vbi eſſet; ſiue ab eo loco, quo vellet accedere.

Aucupamur] Quaerimus. ſimilibus enim rebus verborum vis intelligitur.

CAPVT XXXI.

Exoritur hic] Pro Aebutio.

CAPVT XXXII.

In illa vi quotidiana] Vſitata, legitima, quae moribus fit.

Cum poſſideret] Quod niſi oſtenderet; interdictum illud ei quotidianum non daretur, in quo additur, *cum ego poſſiderem.*

Qui ſe reſtituiſſe dixit] Hoc loquendi genere quid ſignificetur, ſupra oſtendi. dicebat enim is, contra quem eſſet interdictum, *reſtitui:* non quia reſtituiſſet, ſed vt interdicto praetoris, quo reſtituere videbatur, paruiſſe videretur.

Se vi deieciſſe] Vi quotidiana, moribus facta, ſine armis.

Ab ſe] Non iure, ſed opera, malitiaque ſua.

Inermis] Nullo defenſionis praeſidio munitus.

Si eſſet additum] Hoc, *cum A. Caecina poſſideret.*

Non defendo] Cum dico, quaeri non oportere de eo, quod additum in interdicto non eſt. poſſum enim, hac omiſſa ratione, Caecinam defendere, et dicere, eum poſſediſſe.

Extra cauſſam eſt] Non enim hoc quaeritur in hoc genere interdicti, vtrum poſſederit, necne. neque hanc exceptionem in in-

terdicto praetor addidit, *cum A. Caecina poſſideret:* ſed interdixit ſine vlla exceptione. ſupra c. 8. *P. Dolabella praetor interdixit, vt eſt conſuetudo, de vi hominibus armatis, ſine vlla exceptione, tantum, vt, vnde deieciſſet, reſtitueret.* Et c. 22. *Vim, quae ad caput, et ad vitam pertinet, reſtitui ſine vlla exceptione voluerunt.*

Hominem ipſum] Quem poſſediſſe oſtendam.

Ius commune] Quod ſatis iam defendiſſe mihi videor in hoc interdicto, in quo de poſſeſſione non quaeritur.

Dubium eſt, quin, ſi Caeſennia tum poſſidebat] Infirma ratio. poſſidebat enim ex vſufructu, qui morte finitur. itaque non ſequitur, vt, quae poſſeſſio Caeſenniae fuit, eadem eſſe potuerit heredis.

Poſtea] Pro, poſtremo.

De iſto potius fundo, quam de alio] Quia ſciebas, iſtum a Caecina fundum poſſideri, ideo ei, niſi eo tibi cederet, denunciabas, id eſt, poſſeſſionem tueri velle oſtendebas. ſupra c. 7. *Homini Romae in foro denunciat, fundum illum ſuum eſſe, ſeque ſibi emiſſe.*

CAPVT XXXIII.

At enim Sulla legem tulit] Ne Volaterrani ciues Romani eſſent. qua lege priuatus Caecina iure ciuitatis, heres eſſe Caeſenniae non poteſt. nam peregrinis ciuium Romanorum hereditates adire legibus non licet.

Eius ea lege nihilum rogatum] Legum clauſula, cuius extat exemplum lib. III. ad Attic. epiſt. 23. et Phil. I. c. 10.

Vt in ceteris, quae rogaui (Ern. *rogauit*)] Nihil obſcurius, aut etiam nihil mendoſius. veteres libri, *et ea terrisque primum.*

Cottam] C. Cottam, conſularem, qui loquitur adoleſcens in libris de Orat.

Decemuiris] Qui de libertate iudicabant. pro domo c. 29.

Quod Arretinis ademta ciuitas eſſet] Et quibus ademta ſemel ciuitas eſſet, ii libertatem retinere non poſſent.

Ciuitatem adimi non potuiſſe] A Sulla. nam is legem tulit, vt multis municipibus, in quibus Arretini, et Volaterrani fuerunt, ius Romanae ciuitatis adimeretur. quod irritum tamen fuit. et ad hunc locum pertinent illa pro domo c. 30. *Populus Romanus, L. Sulla dictatore ferente, comitiis centuriatis, municipiis ciuitatem ademit: ademit iisdem agros. de agris ratum eſt: fuit enim populi poteſtas: de ciuitate, ne tam diu quidem valuit, quam diu illa Sullani temporis arma valuerunt.* Scripſit etiam ad Atticum lib. I. epiſt. 19. *Volaterranos, et Arretinos, quorum agrum Sulla publicarat, neque diuiſerat, in ſua poſſeſſione retinebam.*

Non iudicauerunt] Vt in dubia re pronunciarunt, non liquere. deeſſe arbitror, L. vt legatur, *non L. iudicauerunt:* id eſt, *non liquere.*

Sacramentum noſtrum] Pecunia depoſita ab eo, qui petebat, et ab eo, qui infitiatur, *ſacramentum* dicebatur: vt ex Varrone lib. IV. de ling. Lat. intelligitur. *Iuſtum ſacramentum, aut iniuſtum iudicare*, eſt, ſecundum aliquem, aut contra aliquem litem dare. pro domo c. 29. *Quin etiam, ſi decemuiri ſacramentum in libertatem iniuſtum iudicaſſent, tamen, quotieſcumque vellet quis,*

in hoc genere ſolo rem iudicatam referre poſſe voluerunt.

Atque hoc, et contradicente Cotta] Homine diſertiſſimo.

Sulla viuo] Cuius lege ademta municipiis ciuitas cum agris erat: quam, quod ad ciuitatem attinuit, ne ipſo quidem Sulla viuo ſeruatam eſſe, non hic modo locus, verum etiam oratio pro domo c. 30. perſpicue demonſtrat.

Qui in eadem cauſſa ſunt] Qui ſunt ex iis municipiis, quibus Sulla ciuitatem ademit.

Lege agant] Hoc explanatur ſequentibus verbis, *ius ſuum perſequantur*. eſt enim, *lege agere*, iudicio experiri.

Iure ciuili vtantur] Eodem iure, quo qui ciues Romani ſunt.

Dubitatione] Nemo dubitat, quin iure ciuili recte vtantur.

Vt ex me ea, quae tibi in mentem non veniunt, audias] Feſtiue ſuſcipit magiſtri perſonam ad irridendum aduerſarium. facit idem in Diuin. c. 9. his verbis: *Cognoſce ex me, quoniam hoc primum tempus diſcendi nactus es, quam multa eſſe oporteat in eo, qui alterum accuſet.*

Si ciuitas adimi non poſſit] Poterat hoc Aebutius dicere: Si ciuitas adimi non poteſt, cur in colonias Latinas multi ciues Romani profecti ſint? nam ius ciuitatis Romanae cum iure Latii permutare, dementia videtur. ideo autem profecti, quia ciuitatem Romanam amiſerant.

Aut ſua voluntate] Confutatio Ciceronis.

Legis multa] Aliquo iudicio damnati: cuius infamiam cum non ferrent, maluerunt in Latio iure Latii viuere, quam Romae communi iure ciuium Romanorum. infra c. 34. *Qui ſi in ciuitate legis vim ſubire vellent*, &c.

CAPVT XXXIV.

Pater patratus] Vnus ex fetialium collegio, qui hoſtibus ciuem Romanum in poteſtatem iuſſu populi tradebat, quod pacem cum iis feciſſet, quam populus ratam habere nollet. exemplum apud Liuium lib. LVI. exſtat Mancini Numantini.

Qui miles factus non eſt] Qui militiam detrectauit, qui citatus non reſpondit. Valerius Max. lib. VI. c. 3.

Incenſum] Qui cenſum vitauit.

Liberentur (Ern. *liberetur*)] Libertatem adipiſcantur.

Iisce rebus] Quas proxime commemoraui.

Ex iure ciuili] Ex iuris ciuilis materia, non ex legibus.

Afferant velim] Quod afferent numquam: quia factum numquam eſt.

CAPVT XXXV.

Nihil hoc pertinuiſſe] Quod ab aduerſariis obiectum eſt.

Ea de re] Non enim de ciuitate, ſed de interdicto, eiusque verbis veſtrum iudicium eſt.

Horum] De quibus legem tulit.

Nexa] Vt abalienare poſſent, quidquid vellent, per nexum, id eſt, per aes et libram, vt ait Varro lib. VI. de ling. Lat.

Duodecim coloniarum] Quae in Italia deductae ſunt lege M. Liuii tribuni plebis, collegae C. Gracchi. Plutarchus in Gracchis. Appianus lib. I. de bell. ciu.

Fuiſſe] Non, inter duodecim colonias fuiſſe, (nam illae deductae ſunt in Italia. Ariminum autem

tem in Gallia: et Ariminum annis multis ante duodecim) ſed eodem iure fuiſſe, quo fuere duodecim coloniae.

Prudentiſſimum (Ern. *pudentiſſimum*)] Ne bis idem dicatur, cum ſequatur, *ſummo conſilio*, malim legere, *pudentiſſimum.* infra c. 36. *Habetis hominem ſingulari pudore, virtute cognita, et ſpectata fide ampliſſimum.*

Auctoritate domeſtica] Inter ſuos, in patria. eundem *hominem in parte Italiae minime contemnenda facile omnium nobiliſſimum* vocat, ſcribens ad eum lib. VI. Fam. epiſt. 6. ſi modo hic A. Caecina ille eſt.

Communem cauſſam] De ciuitate; in qua cauſſa non vnius Caecinae, ſed omnium ciuium Romanorum ius agitur.

CAPVT XXXVI.

Vt id] Vt vobis probatus eſſet.

Ne contemnere Aebutium] Quo pudor eius, probitasque cognoſcitur. noluit committere, vt vel ab Aebutio contemtus eſſe, vel ipſe eum contemſiſſe videretur: itaque diligenter ſuum ius perſecutus eſt.

Etruriae nomine totius (*nomine* abeſt ab Ern.)] *Nomine*, mendoſum eſt, et, quamquam ſententia patere ſatis videtur, diuinatione tamen veritatem aucupari non auſim.

Virtutis] In aduerſa fortuna, ciuilibus bellis.

Humanitatis] In proſpera. interpretatur enim illud, *in vtraque fortuna.*

Verbo] Cum dicat, *eieci, non deieci.*

Ereptum] A me: cum docuerim eandem rem vtrique verbo ſubeſſe.

Sapientiſſimorum hominum] Iurisconſultorum.

Poſſederit, necne] Haec enim exceptio non eſt in interdicto.

Tempora reipublicae] Recenti bellorum ciuilium memoria.

Quid illius confeſſio de vi] Non, *confeſſio de vi*, ſed, *confeſſio de vi admoneat.* ad vnum enim verbum, *admoneant*, haec omnia referuntur, *de armatis hominibus, de vi, de aequitate, de iure.*

Deciſio] Explicatio verborum.

De aequitate] Admoneat.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM
PRO
LEGE MANILIA

ARGVMENTVM

Qui Latini ſermonis elegantiore copia delectantur, ii ſe plus vni Ciceroni, quam ceteris omnibus, debere fateantur, neceſſe eſt. pauci enim in vno ſcribendi genere, ille in omnibus excelluit: vt, cum liberalium diſciplinarum gloriam Graecis concedere cogamur, in hac tamen ornate ſcribendi laude non dicam equidem illos vincere, ſed certe dubia cum illis palma certare videamur. Nec vero Latinam linguam verbis tantum Cicero locupletauit, ſed rebus etiam, vel ingenio quaeſitis, vel a doctrina ſumtis, vehementer auxit. et vt alia praetermittam, ita ſcripta, vt vnus maxime de iis, qui Romanam eloquentiam colunt, meritus optime ſit: ille ſummum oratorem tribus libris, ille praeſtantem ciuem ſex de republica, ille optimum virum tribus de officiis formauit, atque finxit: in hac autem oratione, cum eam legem, quam C. Manilius tribunus plebis de Pompeio, maritimi belli reliquias tum in Cilicia perſequente, contra Mithridatem mittendo promulgauerat, praetor ſuaderet, in perſona Pompeii, qualis eſſe debeat optimus imperator, oſtendit. atque ipſam quidem orationem in duas partes diſtribuit. quarum prior παρασκευη quaedam eſt ad ſecundam. nam et de bello diſputat, et de belli duce deligendo. Bellum eſſe dicit eiusmodi, quod contemni non poſſit: agi enim populi Romani gloriam, ſalutem ſociorum, vectigalia certiſſima, et maxima, bona multorum ciuium: ducem, ſi ſcientia rei militaris, ſi virtus, ſi auctoritas, ſi felicitas denique ſpectetur, vnum omnibus Pompeium eſſe praferendum. Quae cum partim vere diceret, partim exornaret ac perpoliret eloquentia, facile conſecutus eſt, vt populus, quamquam diſſuadentibus conſularibus viris Q. Catulo, et Q. Hortenſio, rogationem acciperet, abſentique Pompeio Mithridatici belli curam, multo maiore,

maiore, quam Lucullus habuerat, imperio mandaret. Habita oratio eſt Lepido et Tullo coſſ. quo anno praeturam, auctore Pediano in Corneliana, Cicero geſſit.

EXPLANATIO

CAPVT I.

Quamquam mihi ſemper] Orditur a modeſtia ſua: quod beneuolentiam conciliat: et ſuperioris vitae rationem exponit: ne ſerius fortaſſe, quam deceret, coepiſſe de Roſtris verba facere videatur.

Hic autem locus] Ipſa Roſtra, ex quibus tunc primum concionabatur, Maniliam legem ſuadens.

Ad agendum] De lege aliqua. id enim eſt *agere cum populo.* Gellius ex Meſſalla lib. XIII. c. 15.

Ampliſſimus] Cum in eo, qui de Roſtris cum populo agat, auctoritas maxima ſit.

Ad dicendum ornatiſſimus] Cum dicenti plurimum afferat ornamenti. Diſtinguit, *agere*, et *dicere.* illud ad rem, quae agitur, hoc ad eius, qui agit, orationem pertinet.

Optimo cuique] Vel magiſtratum gerenti, vel priuato, data a magiſtratu concione.

Meae vitae rationes] Quia me totum ab ineunte aetate, omiſſa rerum publicarum cura, ad agendas cauſſas contuli. planius hoc infra: *Omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putaui.*

Ab ineunte aetate] Non pueritiam, ſed adoleſcentiam ſignificat. adoleſcens enim, natus annos XXVI, Decula et Dolabella coſſ. priuatam pro P. Quintio cauſſam egit, publicam anno ſequenti, pro Roſcio Amerino, Sulla et Metello coſſ.

Prohibuerunt] Quamquam enim et quaeſtor, et aedilis fuerat, de Roſtris tamen nondum dixerat.

Per aetatem] Grauiſſimis tantum viris patere aditum ad hunc locum exiſtimabam.

Statueremque] Tertia cauſſa, cur antea Roſtra non aſcenderit. Prohibuit vitae ratio, ab ineunte aetate ſuſcepta: pudor deterruit: iudicium non permiſit: cum ſtatuerem, nihil huc, niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria, afferri oportere.

Perfectum ingenio, elaboratum induſtria] Ingenio res inuentas perficit induſtria.

Amicorum temporibus] Ita meum tempus traducendum putaui, vt amicorum tempora tulerunt, cauſſas eorum egi, laborantibus opem tuli.

Transmittendum] Traducendum. ſic enim accipio: vt auferendi caſu, *temporibus*, dictum ſit.

Qui veſtram cauſſam defenderent] Roſtra enim nemo, niſi pro populo dicturus, aſcendit.

Caſte integreque] Ita multos defendi, vt me numquam pecunia corruperit, numquam a veritate et innocentia deflexerim. Vel, *caſte*, nulla lege violata: *integre*, recto animi ſenſu.

Ex veſtro iudicio] Quod in praetore me cunctis centuriis renunciando declaraſtis.

Propter

Propter dilationem comitiorum] Cum ea, quaſi vitium aliquod obueniſſet, irrita putarentur, ideoque ſemel et iterum inſtaurata eſſent.

Praetor primus] Quod etiam in Bruto c. 93. gloriatur: *Et praetor*, inquit, *primus, et incredibili populari voluntate ſum factus. Praetor* autem *primus*, quia plures, quam ceteri, centurias tuliſſet.

Quid aliis praeſcriberetis] Quid? hoc ſcilicet, vt ita viuerent, quemadmodum ego vixi, ſuumque tempus amicorum temporibus transmitterent.

Honoribus] Praeſertim praetura, qui magiſtratus maior eſt.

Mandandum (Ern. *mandandis*)] Tribuendum.

Certe, et] *Et*, ex antiquo libro delendum puto. haec enim concluſio eſt, e duabus nata ſuperioribus cauſſis.

Iis] Vobis.

Ei quoque rei] Induſtriae, quae ponitur in amicis defendendis.

Fructum] Fructus praetura fuit.

Suo iudicio] Mandandis honoribus: quo facile poſſum, de me quid iudicetis, intelligere.

De Cn. Pompeii] Vis eſt in nomine. iam enim ex rebus geſtis Magnus appellabatur.

Exitum] Propter copiam rerum, quae de illius virtute dici poſſunt.

CAPVT II.

Atque vt inde] Narrationis initium ſumit a tribus cauſſis, a bello, a damno, ab hoſte. de bello quid eſt, quod ad populum commouendum dici poſſit? graue, et periculoſum eſſe. de damno? calamitatem inferri vectigalibus populi Romani. de hoſte? non vnum eſſe hoſtem, ſed duos, et duos reges, et reges potentiſſimos.

Atque ſociis] Hoc et reges nomine continentur. infra c. 5. *Regno expulſus eſt Ariobarzanes rex, ſocius populi Romani atque amicus.*

Tigrane] Mithridatis genero, Armeniae rege.

Alter relictus, alter laceſſitus] Relictus Mithridates a Lucullo victore: de quo paullo poſt, *Lucullum, magnis rebus geſtis, ab eo bello diſcedere:* laceſſitus Tigranes ab eodem Lucullo, qui exercitum in Armeniam praeter eius opinionem traiecit. Plutarchus in Lucullo.

Occaſionem] Lucullo diſcedente.

Aſiam] Cuius certiſſima et magna vectigalia.

Equitibus Romanis] Publicanis, qui Aſiae vectigalia de cenſoribus conduxerant.

Occupatae] Quid ſit *occupatae*, fortaſſe non omnes animaduertunt. eſt autem, in iis rebus, vnde lucrum ſperatur, collocatae. ſic pro Flacco c. 21. *Pecuniam adoleſcentulo, grandi fenore, fiducia tamen accepta, occupauiſti.* Et lib. I. in Verr. c. 36. *Pecunias occuparat apud populos, et ſyngraphas fecerat.* Nonius etiam ſic interpretatur.

Ad me] Non vt principem ciuitatis, ſed vt ad hominem coniunctiſſimum. ideo ſubiungit, *pro neceſſitudine, quae mihi eſt cum illo ordine.*

Pro neceſſitudine] Plus eſt, quam amicitia. neceſſitudinis autem cauſſa, quod Cicero patre natus equite Romano.

Cauſſam

Cauſſam reipublicae periculaque rerum ſuarum] Cum priuata cauſſa publicam coniungit: ne de ſolis equitibus, ordine ſibi coniunctiſſimo, laborare videatur.

Nunc] Paullo enim ante regnum fuerat. reliquit eam populo Romano Nicomedes rex, Octauio et Cotta coſſ. Eutropio teſte lib. VI. c. 6.

Veſtra prouincia] Hoc non diceret in ſenatu, dicit autem in Roſtris, quia publicae res non cuiuis de populo notae erant.

Regnum Ariobarzanis] Cappadociam. Falluntur, qui putant hunc eum eſſe, quem bis antea pulſum, et reſtitutum, tertio pulſum Pompeius reſtituit. hic enim rex eſt Cicerone praetore, quo haec anno habita oratio eſt: quem vero Pompeius reſtituit, eum ſenatus Cicerone conſule regem appellauit: vt lib. II. Fam. epiſt. 17. ad Caninium. quem filium eius fuiſſe, qui hic nominatur, licet intelligere cum ex eadem epiſtola, tum ex lib. XV. epiſt. 4. ad Catonem.

Quod finitimum eſt veſtris vectigalibus] Itaque celeritatem auxilii res deſiderat.

Huic qui ſuccurrerit (Ern. *ſucceſſerit*)] Pro. ſucceſſerit. ſucceſſerat autem M. Acilius Glabrio, ſuperioris anni conſul. nam ei Bithynia prouincia cum bello Mithridatico contigit. Plutarchus in Pompeio, Dio lib. XXXV.

Cauſſa quae ſit, videtis] Quae res agatur, quo in periculo veſtra vectigalia ſint, quis ad bellum imperator depoſcatur, iam videtis. Et, *videtis*, dixit, quaſi re ante oculos propoſita. quam ſententiam, *intelligitis*, aut, *cognoſcitis*, non exprimebat.

Excitare, atque inflammare] Diuerſa translata: quae ſi vno loco ſint, vitioſum putatur: ſed hic excuſantur, quia, ſicut alia multa, in propriorum naturam, vſu iam trita, tranſierunt.

Tradita eſt] Quo turpius videtur amittere. Infra c. 5. *Videte, ne, vt illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam relinquere; ſic vobis turpiſſimum ſit, illud, quod accepiſtis, tueri et conſeruare non poſſe.*

Certiſſima] Oratorie ſeruit tempori. nam orat. II. in Rullum c. 29. negat vllum vectigal eſſe certum, excepto Campano. aut, *certiſſima*, pacatis temporibus, non, vt Campanum, quouis tempore. dicit enim infra c. 6. *Ceteris in rebus, cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur. at in vectigalibus non ſolum aduentus mali, ſed etiam metus ipſe affert calamitatem.*

Et pacis ornamenta, et ſubſidia belli] Fructibus enim vectigalium et pax ornatur, et bella ſuſtentantur. Sic orat. II. in Rullum c. 29. *Pacis ornamentum, ſubſidium belli, fundamentum vectigalium.* Hic vero, infra c. 6. *ſi et belli vtilitatem*, inquit, *et pacis dignitatem ſuſtinere vultis.*

Requiretis] Non habebitis. quod enim adeſt, non requiritur.

Multorum ciuium] Equitum Romanorum, quorum res magnas in vectigalibus exercendis occupatas eſſe dixit.

Et a moderatoribus reipublicae (ab Ern. abeſt)] A ſenatu. *moderari*, eſt regere. lib II. de Nat. deor. c. 35. *Rectorem, et moderatorem, et tamquam architectum tanti operis, tantique muneris.*

CAPVT

CAPVT III.

Semper appetentes gloriae] Quae re militari maxime quaeritur. paullo ante: *Agitur populi Romani gloria, quae vobis a maioribus, cum magna in rebus omnibus, tum ſumma in re militari tradita eſt.*

Vna (Ern. *vno*) *die*] *Die*, dixit, pro tempore. id enim intra diem trigeſimum fieri Mithridates iuſſit, auctore Appiano, quamquam in epitome Liuiana lib. LXXVIII. *vno die*, legatur. nos autem, quod veriſimilius eſt, id potius credimus.

Tota Aſia] Ea ſcilicet, quae ipſi parebat. nam pars melior, quae infra *lux Aſiae* vocatur, populi Romani erat.

Regnat: et ita regnat] Figura exornandae ſimul et amplificandae orationis, vt infra c. 4. *De Lucullo dicam alio loco, et ita dicam, Quirites, vt neque vera laus ei detracta oratione noſtra, neque falſa afficta eſſe videatur.* Aliquanto poſt c. 12. *Cnidum aut Colophonem, aut Samum, nobiliſſimas vrbes, innumerabilesque alias, captas eſſe commemorem, cum veſtros portus, atque eos portus, quibus vitam et ſpiritum ducitis, in praedonum fuiſſe poteſtatem ſciatis?* In Diuin. c. 8. *Huic ego homini iam ante denuncio, ſi a me cauſſam hanc vos agi volueritis, rationem illi defendendi totam eſſe mutandam; et ita tamen mutandam, vt meliore et honeſtiore conditione ſit, quam qua ipſe eſſe vult.* Pro Rabirio perd. reo c. 3. *Quid eſt tam veriſimile, quam cariorem huic ſororis maritum, quam ſororis filium fuiſſe? atque ita cariorem, vt alter vita crudeliſſime priuaretur, cum alteri ad prolationem iudicii biduum quaereretur?*

Cappadociae latebris] Quia gentium vniuerſarum, quae Pontum accolunt, vna maxime introrſus recedit. orat. II. in Rullum c. 21. *In Paphlagoniae tenebris, atque in Cappadociae ſolitudine.*

Veſtri imperatores] Duo, Sulla, eiusque legatus Murena.

Inſignia victoriae] Signa, et indicia victoriae, vt ad Appium lib. III. Fam. epiſt. 13. *Inſignia virtutis multi etiam ſine virtute aſſecuti ſunt.* Alii, *inſignia victoriae*, triumphos, interpretantur: ſed, *ab illo reportarent*, ad triumphos referri poſſe non videtur. non enim a Mithridate triumphum reportarunt, ſed victoriae ſigna, quae triumphus poſtea eſt conſecutus.

Laus eſt tribuenda, quod egerunt: venia danda, quod reliquerunt] Ex eo, quod egerunt, ex eo, quod reliquerunt. hoſtem enim ſuperarunt, non omnino ſuſtulerunt.

Respublica] Optimates, in quibus potius, quam in plebe, respublica ſita eſt. optimates autem in Sullae partibus, plebs in Marianis praeſidiis fuit. cumque a Mario, et Cinna respublica, bellum Mithridaticum gerente Sulla, vexaretur; eum in Italiam reuocauit.

Reuocauit] Decula, et Dolabella coſſ. quo primum anno dictaturam Sulla geſſit.

CAPVT IV.

Omne reliquum tempus] Poſt Murenae diſceſſum.

Non

Non ad obliuionem veteris belli] Non modo, a duobus imperatoribus victum ſe eſſe, oblitus non eſt, ſed etiam, de victoria cogitans, totum ſe ad nouum bellum contulit.

Ornaſſetque claſſes] *Ornare*, pro inſtruere, vt *ornare prouincias*, *ornare prandium*, vſurpari ſolere, plerique ſciunt.

Boſporanis] Qui ab ipſo ad Romanos defecerant.

Simulaſſet] Vere tamen eis bellum intulit. ſed, *ſimulaſſet*, dixit, quia Mithridates nihil ſe praeter Boſporanum bellum cogitare ſimulaſſet, cum tamen ad Sertorium in Hiſpaniam legatos mitteret. Appianus.

In Hiſpaniam] Ad Sertorium, Marianarum partium ducem, bellum contra rempublicam gerentem.

Legatos] L. Magium, et L. Fannium, qui nominantur lib. I. in Verr. c. 34. vbi Aſconius, *hi transfugae*, inquit, *facti a Mariano exercitu, apud Mithridatem agentes, ab eodem rege ad Sertorium miſſi erant de paciſcenda ſocietate belli aduerſus Romanos: quos in Italia iam poſitos, et ad Sertorium feſtinantes, et hoſtes iudicauerat, et inquirendos mandauerat ſenatus.*

Et litteras (Ern. *Ecbatanis*) *miſit*] Libri veteres quinque, *Ecbatanis miſit.* quod non diſplicet, ac dicam etiam, placet. nam, *et litteras*, frigidum eſt: et cum legatos miſerit Mithridates, de litteris adiungere minime neceſſarium videtur. mutationis occaſionem dedit ignorantia vrbis Ecbatanorum, quae Medici caput imperii fuit, in ditione Tigranis. de Media autem, aliiſque regionibus, victis Mithridate, et Tigrane, Pompeium triumphaſſe, auctor Plutarchus: et quoniam non de Ecbatanis, ſed de Sinope, Ponti vrbe regia, mentionem Cicero facit, cum ait de Magio, et Fannio: *Hoc illi nauigio ad omnes populi Romani hoſtes, vsque ab Dianio, quod in Hiſpania eſt, ad Sinopen, quae in Ponto eſt, nauigauerunt:* poteſt oriri dubitatio, quaſi mendoſum ſit, *Ecbatanis*, cum Cicero de Sinope loquatur. in quo primum illud reſpondeo, Magium, et Fannium Ecbatanis profectos eſſe a Mithridate ad Sertorium, rurſus a Sertorio ad Mithridatem Sinopem veniſſe. deinde fieri poteſt, vt amplificandi cauſſa in hac oratione Ecbatana potius, quam Sinopem, nominare voluerit, vt eam vrbem, quae longius ab Hiſpania diſtaret. nec tamen impedio, quin, vtrum malit, lector ſequatur. mihi quidem illud, *et litteras*, vt dixi, languidum, et otioſum videtur. Ecbatana autem, vt omittam, quod antiquorum librorum teſtimonio comprobatur, ea quoque ratione placet, vt duo disiunctiſſima loca nominentur, Hiſpania, et Ecbatana: quemadmodum duo quoque nominantur lib. I. in Verr. c. 34. *ab Dianio ad Sinopem.*

Ab vnis (Ern. *a binis*) *hoſtium copiis*] Si ſententiam conſideres, ſi veteres libros inſpicias, non, *ab vnis*, ſed, *a binis* legendum eſſe mecum ſenties, quo modo autem, *ab vnis*, cum non vnus, ſed hoſtes duo populi Romani, Mithridates, et Sertorius, nec vno loco, ſed duobus disiunctiſſimis bellum gererent? et ſententiae non modo vis, verum etiam venuſtas quaedam tamquam ex oppoſitis acquiritur,

vno conſilio, a binis hoſtium copiis.

Alterius partis periculum, Sertorianae atque Hiſpanienſis] Quis non videt, *Sertorianae atque Hiſpanienſis*, gloſſema eſſe? cum loquatur Cicero de notiſſimis rebus.

Quae multo plus firmamenti, ac roboris habebat] Vel ita ſentit, vel Pompeio gratificatur, praeſertim in comparatione Luculli.

Haec autem extrema] Quod Mithridates non modo regnum ſuum Pontum, diſcedente Lucullo, recuperauerit, verum etiam in populi Romani prouinciam irruperit, victisque vna et altera pugna Romanis copiis, quibus legati a Lucullo relicti praeerant, magnam Aſiae partem occupauit. qua de re infra c. 9. et apud Plutarchum, Appianum, alios.

Non culpae, ſed fortunae tribuenda eſſe videantur] Non enim affuit Lucullus, cum accepta calamitas eſt, et excuſatur infra c. 9. his verbis. *Veſtro iuſſu coactus, quod imperii diuturnitati modum ſtatuendum, veteri exemplo, putauiſtis, partem militum, qui iam ſtipendiis confectis erant, dimiſit, partem Glabrioni tradidit.*

CAPVT V.

Maiores veſtri] Cohortatio per comparationem: vt ex eodem fonte ſumitur accuſatio. quo de genere diximus in eo loco lib. V. in Verr. c. 32. *Vide, quid interſit inter tuam libidinem, maiorumque auctoritatem: inter amorem furoremque tuum, et illorum conſilium, atque prudentiam. Illi aditum litoris Syracuſanis ademerunt: tu maritimum imperium conceſſiſti. Illi habere in eo loco Syracuſanum, quo naues accedere poſſent, noluerunt: tu claſſi, et nauibus Syracuſanum praeeſſe voluiſti. Quibus illi vrbis ſuae partem ademerunt, iis tu noſtri imperii partem dediſti: et, quorum ſociorum opera Syracuſani nobis dicto audientes ſunt, eos Syracuſanis dicto audientes eſſe iuſſiſti.* Et orat. II. in Rullum c. 7. *Videte, quid interſit inter Cn. Domitium, tribunum plebis, hominem nobiliſſimum, et P. Rullum, qui tentauit, vt opinor, patientiam veſtram, cum ſe nobilem eſſe diceret. Domitius, quod per caerimonias populi fieri non poterat, ratione aſſecutus eſt, vt id, quoad poſſet, quoad fas eſſet, quoad liceret, populi ad partes daret: hic, quod populi proprium ſemper fuit, quod nemo imminuit, nemo immutauit, quin ii, qui populo agros eſſent aſſignaturi, ante acciperent a populo beneficium, quam darent: id totum eripere vobis, atque e manibus extorquere conatus eſt. Ille, quod dari populo nullo modo poterat, tamen quodam modo dedit: hic, quod adimi nullo pacto poterat poteſtate, quadam ratione eripere conatur.*

Mercatoribus] Lib. V. in Verr. c. 58.

Iniurioſius tractatis] Leuiter offenſis. nam, *iniurioſius,* minus eſt, quam *iniurioſe.*

Tot ciuium Romanorum millibus] Centum quinquaginta millibus, auctore Plutarcho.

Appellati ſuperbius] Sordes in eos de tectis iniectas, ait Strabo lib. VIII. pulſatos, Liuius lib. LII et Aſconius lib. I. in Verr. c. 21 Cicero neutrum dicit, ſed, *appellati ſuperbius,* vt oratorie rem

minuat

minuat: quo magis populus Romanus in Mithridatem incendatur, qui legatum conſularem, vinculis, ac verberibus, atque omni ſupplicio excruciatum, necauerat. Legatorum autem, item vt tribunorum plebis ſacroſancta corpora putabantur.

Legatum populi Romani conſularem] M' Aquillium, qui ſeruos in Sicilia deuicerat, conſul autem cum C. Mario fuerat. Epitome Liuiana LXXVII. et LXXVIII.

Verbo violatum] Quod legati ſuperbius erant appellati.

Videte, ne] Proponit infamiam, vt agraria II. in Rullum c. 31. *Vt vos nunc de veſtris maioribus praedicatis: hunc agrum nobis maiores noſtri reliquerunt: ſic veſtri poſteri de vobis praedicabunt: hunc agrum patres noſtri, acceptum a patribus ſuis, perdiderunt.*

Regno expulſus eſt Ariobarzanes rex] Pater eius, quem Pompeius poſtea reſtituit, atque hunc per inſidias necatum Cicero videtur indicare, cum ait ad Senatum lib. XV. Fam. epiſt. 2. *Amicosque in patris eius fide, atque iudicio probatos hortatus ſum, regis ſui vitam, docti caſu acerbiſſimo patris eius, omni cura, cuſtodiaque defenderent.*

Exſpectare] Cum ipſae ſuis viribus hoſti occurrere potentiſſimo non audeant.

Alium] M' Acilium Glabrionem, ſuperioris anni conſulem.

Summo ſine periculo] Propter Acilii Glabrionis imperium.

Quod vos] Callide: ne, quod alii vident, et ſentiunt, populus Romanus ignorare videatur.

Vnum virum eſſe] Pompeii laudem cum quadam aliorum contumelia coniungit.

In quo ſumma ſint omnia] Scientia rei militaris, virtus, auctoritas, felicitas.

Prope eſſe] Piraticum enim bellum gerebat, et milites, et legiones in Aſiam in hiberna deduxerat. infra c. 13. *Hic miramur, hunc hominem tantum excellere ceteris, cuius legiones ſic in Aſiam peruenerunt, vt non modo manus tanti exercitus, ſed ne veſtigium quidem cuiquam pacato nocuiſſe dicatur? Iam vero, quemadmodum milites hibernent, quotidie ſermones ac litterae perferuntur.* Nec multo poſt c. 15. *Accepta in Ponto calamitate, ex eo proelio, de quo vos paullo ante inuitus admonui, cum ſocii pertimuiſſent, hoſtium opes animique creuiſſent, ſatis firmum praeſidium prouincia non haberet: amiſiſſetis Aſiam, Quirites, niſi ipſum id temporis diuinitus Cn. Pompeium ad eas regiones fortuna populi Romani attuliſſet. Huius aduentus et Mithridatem, inſolita inflammatum victoria, continuit, et Tigranem, magnis copiis minitantem Aſiae, retardauit.*

Quo etiam carent aegrius] Minus enim quod ſperatur, id minus etiam expetitur. minus autem ſperatur, quod longe diſtat, quam quod prope eſt: et contra.

Impetus hoſtium repreſſos eſſe] Siue hoc ita eſſet, ſiue ſecus, oratorie ad Pompeii laudem refert: vt in ſeruili quoque bello: quod cum M. Craſſus, abſente Pompeio, confeciſſet, exſpectatione tamen Pompeii attenuatum atque imminutum, aduentu ſublatum ac ſepultum, infra c. 11. dicit.

Quoniam libere loqui non licet] Metu proconſulis Acilii.

Sicut ceterarum prouinciarum ſocios] Quibus opem iuſſu veſtro Pompeius tulit.

Non multum ab hoſtili expugnatione differat] Ob rapinas.

Hunc audiebant antea] Cum in Italia, Africa, Gallia, Hiſpania bellum gereret.

Tanta temperantia] Hanc virtutem primam nominat, vt opponat aliorum libidini, et rapacitati; quorum aduentum in vrbes ſociorum non multum ab hoſtili expugnatione differre, proxime dixit.

CAPVT VI.

Propter ſocios] Cum Antiocho, et Aetolis, propter foederatas Graeciae ciuitates, cum Philippo, propter Athenienſes, cum Poenis primo bello, propter Meſſanam, Siciliae vrbem, altero, propter Saguntum. Temporum autem ratio poſtulare videbatur, prius vt Philippus, quam Antiochus, nominaretur, vt orat. II. in Rullum c. 33. *Multa poſtea bella geſta cum regibus, Philippo, Antiocho, Perſa.*

Tanta ſunt] *Tanta*, minuit, non auget, vt ad Caſſium lib. XV. Fam. epiſt. 14. *Si qua ſunt onera tuorum, ſi tanta ſunt, vt ea ſuſtinere poſſis, propera: nihil tibi erit lautius, nihil glorioſius. ſin maiora: conſidera, ne in alieniſſimum tempus cadat aduentus tuus.* Coelius ad Ciceronem lib. VIII. Fam. epiſt. 10. *Sin autem non erit iſtic bellum, aut tantum erit, vt vos, aut ſucceſſores, paruis additis copiis, ſuſtinere poſſint: Curionem video ſe dupliciter iactaturum.* Sic et Caeſar lib. VI. de bell. Gall. c. 35. *Hue omnes ſuas fortunas exercitus Romanorum contulit: praeſidii tantum eſt, vt ne murus quidem cingi poſſit, nec quisquam egredi extra munitiones audeat.* Et lib. III. de bell. ciu. c. 2. *Tantum nauium reperit, vt anguſte XV millia legionariorum militum, et quingentos equites transportare poſſent.*

Et vbertate agrorum, et varietate fructuum, et magnitudine paſtionis, et multitudine earum rerum, quae exportantur] Tria commemorat, vnde capitur vectigal, vnum, *et vbertate agrorum;* quam infra agriculturam, et decumas vocat: alterum, *et magnitudine paſtionis*, quod infra et pecus, et ſcripturam appellat: tertium, *et magnitudine earum rerum, quae exportantur*, quam partem infra et mercatorum nauigationem, et portum nominat. Illud, *varietate fructuum*, de omni frugum genere dictum eſt: ſicut, *vbertate agrorum*, proprie de frumentis, quorum decumae ſoluuntur.

Et belli vtilitatem, et pacis dignitatem] Supra c. 2. *Et pacis ornamenta, et ſubſidia belli.*

Pecora relinquuntur, agricultura deſeritur, mercatorum nauigatio conquieſcit] Tribus igitur ex rebus vectigal capitur: ex mercatorum nauigatione, id eſt, ex portu, vnde *portitores* publicani ſunt appellati: ex agricultura, id eſt, ex decumis, vnde *decumani:* ex pecore, id eſt, ex paſcuis publicis, vnde *pecuarii:* quam partem Cicero, ſingula ſingulis reddens, appellat ſcripturam: vt in oratione etiam pro Flacco c. 8. *Scriptura, decumae, portorium.* et Feſtus *agrum* vocat

vocat *ſcripturarium, in quo vt pecora paſcantur, certum aes eſt: quod publicanus ſcribendo conficit rationem cum paſtore.* Aſconius autem in Diuin. c. 10. non ad vnam partem, ſed ad vniuerſam publicanorum rationem *ſcripturae* nomen videtur adiungere. *Mancipes*, inquit, *ſunt publicanorum principes, Romani homines: qui, quaeſtus ſui cauſſa, ſi decumas redimunt, decumani appellantur: ſi portum, aut paſcua publica, portitores, aut pecuarii. quorum ratio ſcriptura dicitur.* Cum quo lib. II. in Verr. c. 70. ſentire videtur ipſe Cicero: ait enim: *In ſcriptura Siciliae pro magiſtro eſt quidam L. Carpinatius.* Et infra, eodem ſenſu: *Portum, et ſcripturas eadem ſocietas habebat.* Vbi, *ſcripturas*, dicit de paſcuis, et decumis, non, vt hic, de ſolis paſcuis. Nonius quoque, et Feſtus eos appellant *ſcripturarios*, qui mancipum rationes faciebant. Quae quaſi controuerſia tollitur, ſi *ſcripturae* nomen ita generale putemus, vt idem ſingulis partibus aſſignari poſſit.

In ſalictis (Ern. *ſalinis*)] In paſcuis, vbi ſalices.

CAPVT VII.

Nam et publicani] Requiritur alterum, *et:* ſed eius loco ſubiicitur, *deinde.* nec vitioſum eſt. habetur enim ratio ſententiae potius, quam verborum: vt cum, praepoſito, *primum*, interdum non ſubiicitur, *deinde.* cuius generis exempla non deſunt.

Honeſtiſſimi et ornatiſſimi] Primum ad exiſtimationem, alterum ad rem familiarem refertur.

Suas rationes et copias] Quod ſtatim dicit, *res et fortunae.*

Ceteris ex ordinibus] Exceptis ſenatoribus, quibus negotiari non licebat.

Etenim illud primum parui refert] Occurrit tacitae cogitationi. poſſet enim aliquis dicere: ſi vectigalia nunc amittentur, victoria tamen poſtea recuperabuntur. Parui, inquit, hoc refert: et cur parui referat, ſtatim cauſſam ſubiungit.

Initio belli Aſiatici] Annis ante XXIII.

Fidem concidiſſe] Cum pecuniae creditae non ſoluuntur, *fides concidiſſe* dicitur. orat. II. in Rullum c. 3. *Sublata erat de foro fides.* Caeſar lib. III. de bell. ciu. c. 1. *Cum fides tota Italia eſſet anguſtior.*

Videte, num dubitandum vobis ſit] In, *videte*, cohortatio quaedam liberior eſt, ex auctoritate dicentis, praeſertim ad populum: nam in ſenatu, *videte*, ſine arrogantiae culpa nemo diceret. eadem licentia ſupra c. 4. cognoſcitur in eo: *De veſtri imperii dignitate, atque gloria, videte, quem vobis animum ſuſcipiendum putetis.* Illa vero etiam aliquanto maior c. 5. *Videte, ne, vt illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam relinquere; ſic vobis turpiſſimum ſit, illud, quod accepiſtis, tueri et conſeruare non poſſe.*

CAPVT VIII.

Cyzicenorum] Pro Murena c. 15. pro Archia c. 9. Tacitus lib. IV. Annal. c. 36. Plutarchus in Lucullo, Appianus.

Claſſem magnam] Cum qua Lucullus apud Tenedum pugnauit,

vit, auctore Cicerone pro Murena, pro Archia; vel apud Lemnum, non longe a Tenedo, teſtibus Plutarcho, et Appiano.

Ducibus Sertorianis] A Sertorio ad Mithridatem miſſis. amplificat, plures ſignificans, cum vnus in ea pugna Sertorii dux fuerit. Plutarchus, Appianus.

Ad Italiam ſtudio inflammato raperetur] Quod pro Murena c. 15. dixit: *Cum contento curſu, acerrimis ducibus, hoſtium claſſis Italiam, ſpe atque animis inflata, peteret.*

Patefactumque] Mithridate pulſo. pro Archia c. 9. *Populus Romanus aperuit, Lucullo imperante, Pontum, et regiis quondam opibus, et ipſa natura regionis vallatum.* Quod hic dicit, *omni aditu clauſus.*

Ad alios reges] Ad generum Tigranem, Armeniae regem.

Iſtorum] Catulum, et Hortenſium praecipue ſignificat.

Qui huic obtrectant legi atque cauſſae] Lucullo fauentes: cuius gloriam Pompeius, confecto Mithridatico bello, imminuit.

Similiter] Vt intelligatur, ſuadere me Maniliam legem reipublicae cauſſa, non, quo Luculli gloriae, partae maximis rebus geſtis, detractum quidquam velim.

Ex hoc loco eſſe laudatum] Occaſione legis a C. Manilio promulgatae, Lucullum ex Roſtris optimates, duo potiſſimum a nobis appellati, laudauerant, legem vero diſſuaſerant. infra c. 17.

CAPVT IX.

Ex eodem Ponto Medea] Peruulgatas fabulas recitare, conſilii, et inſtituti noſtri non eſt.

Fratris ſui] Abſyrti.

Illum] Aeetam, Medeae patrem.

Fani] Comana, Bellonae templum, ſignificat, cuius ſacerdos maieſtate, imperio, potentia, ſecundus a rege, conſenſu illius gentis habebatur; vt ait Hirtius de bello Alexandrino c. 66. Appianus in fine Mithridatici: quod Cicero etiam oſtendit ad Catonem lib. XV. Fam. epiſt. 4. Strabo duo Comana, eodem et vrbis, et templi nomine, eidem deae dicata in Ponto, et in maiore Cappadocia fuiſſe narrat lib. XII. id ſi ita eſt, de Pontico fano locutum hic eſſe Ciceronem crediderim, cum dicat, *in eas oras*, tamquam hoſtiles, et barbaras: nam Cappadocia Ariobarzani regi ſocio, atque amico parebat.

Vrbem ex Tigranis regno] Tigranocerta. Plutarchus.

Maturus] Citius, quam oportuit.

In exercitum veſtrum] A Lucullo diſcedente relictum, legatis commendatum, vt Mithridati iam victo, ſi quid conaretur, obſiſterent.

Sicut poetae ſolent] Naeuius, qui primum Punicum bellum, Ennius, qui ſecundum verſibus perſecutus eſt. Poetas Cicero nominat ex more potius, quam e ſententia Ariſtotelis, qui poetam negat eſſe, qui non fingit. Naeuio autem, et Ennio in rerum Romanarum hiſtoria fingere nihil licuit. ita nec Empedocles, phyſica ſcribens, Ariſtoteli poeta videtur.

Non ex proelio nuncius] Ὑπερβολικῶς. nam infra, expulſum dicit exercitum Romanum, non omnino deletum.

Veſtro

Veſtro iuſſu coactus] Abrogato a vobis imperio. Appianus.

Stipendiis confectis] Cum annos iam decem militaſſent.

Glabrioni] Quem ſucceſſiſſe Lucullo, iam diximus.

Integrae] Neque laceſſitae bello, neque tentatae. ſupra: *Cuius in regnum poſteaquam Lucullus cum exercitu venit: plures etiam gentes contra imperatorem noſtrum concitatae ſunt.*

Nouus] Non belli peritus, vt Lucullus, qui ſeptem iam annos in Aſia bellum geſſerat.

Vetere expulſo (Ern. *pulſo*) *exercitu*] De quo dixit: *Sinite hoc loco, Quirites, praeterire me veſtram calamitatem.*

CAPVT X.

Ego enim ſic exiſtimo, in ſummo imperatore quattuor has res ineſſe oportere, ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem] Loci communes, quales hi ſunt, orationem ab eo, qui rhetoricam artem doceat, prolixiorem, ab interprete breviorem requirunt. Itaque memor inſtituti, muneriſque mei, moderabor ſic, vt neque nihil omnino, neque pauciora, quam res poſtulet, attingam.

Scientiam rei militaris] Diuturna militia partam. quamquam nonnulli legendis libris, aut percunctando a peritis, cum ignari bellorum eſſent, praeclari duces euaſerunt. non enim omnes, qui bellica laude excelluerunt, ab ineunte aetate, aut a iuuentute in caſtris educati. contigerit hoc Alexandro Magno, qui tot bella duce Philippo patre cognouit, tot victorias vidit: Hannibali, cuius primam pueritiam pater Hamilcar Hiſpanienſibus bellis erudiuit: C. Mario, qui ad Numantiam Africano imperatore adoleſcens militiam exercuit: ipſi Cn. Pompeio, qui e ludo atque pueritiae diſciplina, bello maximo, atque acerrimis hoſtibus ad patris exercitum, atque in militiae diſciplinam profectus eſt. Alii vero, cum ante virilem aetatem, aut numquam, aut perquam raro bellis gerendis interfuiſſent, obſervatione tamen earum rerum, quas a ſummis ducibus geſtas excellentis ingenii doctrinaeque viri ſcriptis expreſſas reliquerant, tantum in otio profecerunt, vt praeſtantiſſimorum poſtea ducum bellicam gloriam aſſecuti ſint. talem Cicero L. Lucullum deſcribit: cuius ingenio, memoriae, virtuti praeclarum illud lib. IV. Acad. c. 1. teſtimonium dedit: *Ad Mithridaticum bellum miſſus a ſenatu, non modo opinionem vicit omnium, quae de virtute eius erat, ſed etiam gloriam ſuperiorum. Idque eo fuit mirabilius, quod ab eo laus imperatoria non admodum exſpectabatur, qui adoleſcentiam in forenſi opera, quaeſturae diuturnum tempus, Murena bellum in Ponto gerente, in Aſiae pace conſumſerat. Sed incredibilis quaedam ingenii magnitudo non deſiderauit indocilem vſus diſciplinam. Itaque, cum totum iter et nauigationem conſumſiſſet partim in percunctando a peritis, partim in rebus geſtis legendis: in Aſiam factus imperator venit, cum eſſet Roma profectus rei militaris rudis. Habuit enim diuinam quandam memoriam rerum.*

Virtutem] Quam in duo genera diuidit: vnum, quod ad bella proprie pertinet, de quo paullo poſt c. 11. *Neque enim illae ſunt*

ſolae virtutes imperatoriae, quae vulgo exiſtimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in prouidendo. Alterum, quod in moribus conſideratur; cuius partes ſunt, innocentia, temperantia, fides, facilitas, ingenium, humanitas: de quibus aliquanto poſt c. 13. Vtroque virtutum genere qui excelluerint, perquam pauci in omni aetate ſunt inuenti. exemplis vna tantum Roma priſcis temporibus, cum aberat omnis luxus, et corruptrix illa animorum, corporumque voluptas, ita floruit, vt plures propemodum praeſtantes omni laude viros, vel ex vna familia numerare liceat, quam quos multis ſaeculis reliquae ſimul omnes prouinciae tulerint. in Graecia quidem, tot celebrata ingeniis, praeter Thebanum Epaminondam, Ageſilaum Spartiatem, Themiſtoclem Athenienſem, paucos praeterea, qui cum fortitudine iuſtitiam, integritatemque coniunxerint, quos habemus? Magna igitur Pompeii laus, qui talis, ac tantus exſtiterit: ſingularis autem in commemorandis eius virtutibus Ciceronis eloquentia: vt vere dixerit illud lib. II. ad Attic. epiſt. 21. *Omnibus a me pictum et politum artis coloribus.*

Auctoritatem] Virtute partam, felicitate auctam. infra c. 15. *Vehementer pertinere ad bella adminiſtranda, quid hoſtes, quid ſocii de imperatoribus veſtris exiſtiment, quis ignorat? cum ſciamus, homines in tantis rebus, vt aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament, opinione non minus ſamae, quam aliqua certa ratione commoueri.* Africanus quidem ille maior, vt alios omittam, Hannibale ſuperato, auctoritate tantum valuit, vt, cum L. Scipio, frater eius, cum C. Laelio conſul eſſet, agereturque in ſenatu de Aſia prouincia alterutri mandanda, in qua bellum cum Antiocho, opulentiſſimo rege, et cum Hannibale duce gerendum eſſe putabatur, inclinante ad Laelium ſenatu, ſurrexerit, et ſe cum fratre legatum iturum eſſe dixerit. qua voce ſenatus commotus L. Scipioni Aſiam tradidit, in Africano prorſus omni rerum ſecundarum ſpe collocata.

Felicitatem] Fortunae donum, cuius eſt cum in omni re, tum in re militari poteſtas maxima. fortuna vero a Diis immortalibus pendet: quo pluris etiam aeſtimanda. propterea diuinam Ciceroſortem appellat Phil. III. c. 10. et hic infra c. 16. in hanc ſententiam egregie diſputat. Nec ſine cauſſa, cum de Pompeio deligendo loqueretur, ad ceteras res, quae in imperatore neceſſario requiruntur, hanc addendam putauit. ſaepe enim praeſtantibus viris, cum cetera, quibus magnae res praeclare geruntur, adeſſent omnia, haec vna defuit, adeoque curſum virtutis impediit, nihil vt proſpere ſuccederet. inde illa ad filium Aeneae vox apud Virgilium lib. XII. Aen. v. 435.

Diſce, puer, virtutem ex me, verumque laborem;
Fortunam ex aliis.

Et illa, item ad filium, Aiacis apud Sophoclem v. 550.

Ὦ παῖ, γένοιο μεν πατρὸς εὐτυχέϛερος,
Τὰ δ' ἄλλ' ὅμοιος· καὶ γένοι' ἂν οὐ κακός.

Iam

Iam Demoſthenes ἐν τῷ περὶ τῆς εἰρήνης non dubitat humanae ſapientiae felicitatem praeferre. Οὐ συμπάσης, inquit, ἐγὼ τῆς ἐν ἀνθρώποις οὔσης δεινότητος, καὶ σοφίας ὁρῶ κρατοῦσαν.

Bello maximo] Sociali.

Extrema pueritia] Pro Balbo c. 4. *Qui pueritiae tempus extremum, principium habuit bellorum atque imperiorum maximorum.*

Miles fuit ſummi imperatoris] Patris eius, non Sullae. dux enim, non miles, ad Sullam profectus eſt.

Maximi exercitus] Trium legionum. Plutarchus.

Qui ſaepius cum hoſte conflixit, quam quisquam cum inimico concertauit: plura bella geſſit, quam ceteri legerunt: plures prouincias confecit, quam alii concupiuerunt] Egregius laudandi modus ex comparatione. ſimiliter pro Marcello c. 2. *Nec vero disiunctiſſimas terras citius cuiusquam paſſibus potuiſſe peragrari, quam tuis non dicam curſibus, ſed victoriis luſtratae ſunt.*

Concertauit] Verbis. nam, *confligere*, eſt armis contendere. vnde illud lib. III. ad Attic. epiſt. 12. *Quia numquam accidit, vt cum eo verbo vno concertarem.*

Confecit] Adminiſtrauit. quamquam, *conficere*, plus quiddam eſt: nam exitum rei ſignificat. lib. IV. ad Attic. epiſt. 17. *Confecta Britannia, obſidibus acceptis.*

Triumphis] Triumphauerat adhuc eques Romanus ex Africa de Hiarba. Numidiae rege, et ex Hiſpania debellatis hoſtibus reipublicae. Sertorianis ducibus. Plutarchus, et alii.

Ciuile] Marianum.

Africanum] Quo Cn. Domitium, et Hiarbam deuicit.

Transalpinum] Gallicum: quod quale fuerit, paullo poſt oſtenditur. Et in ipſius Pompeii epiſtola ad ſenatum, quae legitur inter fragmenta Salluſtii lib. III. Hiſt. ſcripta ſunt haec: *Nomine modo imperii a vobis accepto, diebus XL exercitum paraui: hoſtesque in ceruicibus Italiae iam agentes, ab Alpibus in Hiſpaniam ſummoui. Per eas iter aliud, atque Hannibal, nobis opportunius pateſeci. Recepi Galliam, Pyrenaeum, Laletaniam; Indigetes.* Appianus autem lib. I. de bell. ciu. hoc amplius, iter ab eo patefactum in Alpibus, inter Padi et Rhodani fontes.

Mixtum ex ciuitatibus] Quae a populo Romano ad Sertorium defecerant.

Ex bellicoſiſſimis nationibus] Hiſpanis, et Luſitanis.

Seruile] A Spartaco gladiatore excitatum: cuius tamen confecti laus ad M. Craſſum proprie pertinet. Et hic Pompeio gratificatur, Craſſi laudem cum eo communicans.

CAPVT XI.

Teſtis eſt Italia] Ciuili bello liberata.

Sicilia] In qua Marianarum partium ducem Cn. Carbonem oppreſſit. Plutarchus. Appianus lib. I. de bell. ciu.

Africa] In qua dixi iam ab eo deuictos eſſe Domitium, et Hiarbam regem.

Per quam legionibus noſtris in Hiſpaniam iter, Gallorum internecione patefactum eſt] Inter Padi, et Rhodani fontes, Romanis oppor-

opportunius, quam quod Hannibal aperuerat.

Hiſpania] In qua ſaepe cum Sertorio primum, deinde cum eius ducibus pugnauit.

Iterum] Ciuili bello primum, deinde ſeruili.

Expetiuit] Oratorie. confecto enim Hiſpanienſi bello, Pompeius in Italiam redibat, non quod ab eo abſente auxilium Italia expeteret. Plutarchus tamen, deletas a Pompeio ſeruorum reliquias, auctor eſt.

Tam vetus] Ortum ante annos viginti, Appiano teſte.

CAPVT XII.

Niſi ſumma hieme] Piratarum metu.

Transmiſerint] In Graeciam, aut ipſam Aſiam, contra Mithridatem.

Duodecim ſecures] Duos praetores, Sextilium et Bilenum, vt ait Plutarchus, in prouinciam euntes. nam ſenis faſcibus in prouinciis praetores vtebantur, binis in vrbe. Polybius, Cicero agr. II. c. 34. Cenſorinus c. 24.

Veſtros portus, atque eos portus] Iterato verbo, *portus*, efficitur illa figura, de qua ſupra c. 3. diximus in eo loco, *annum iam tertium et vigeſimum regnat: et ita regnat, vt ſe non Ponto*, &c.

Quibus vitam, et ſpiritum ducitis] Propter ea, quae victus gratia in vrbem aſſidue inuehuntur.

In praedonum fuiſſe poteſtatem (Ern. *poteſtate*)] Pro, *poteſtate*. de quo genere ſermonis diximus in ea pro Quintio c. 5. ad illum locum, *res eſſe in vadimonium coepit*.

Inſpectante praetore] Ignotum praetoris nomen. Sed hic praetor Caietae quid ageret, cum praetores in magiſtratu diſcedere non ſolerent, diuinare non poſſum: miſſum tamen a ſenatu ſuſpicor, vt piratas a Caietano litore arceret. quod factum non eſt: et ad eius praetoris contumeliam, *inſpectante praetore*, dicitur.

Liberos] Sic veteres, licet de vno tantum, loquebantur: exempla duo ſunt in Cluentiana, vnum c. 11. *Fratris liberos prius vita priuauit, quam illi hanc ab natura propriam lucem accipere potuerunt.* Alterum c. 12. *Cum eius filium faceret heredem, eum tutorem liberis non adſcripſit.* In ea de Prou. c. 14. *Si ad iucundiſſimos liberos, ſi ad clariſſimum generum redire properaret.* Loquitur de C. Caeſare, qui vnam filiam, Iuliam, Pompeii Magni vxorem, habebat. Et Phil. I. c. 1. *per liberos eius*, dixit, vnum Antonii filium ſignificans. Hic autem, cum ait, *eius ipſius liberos*, de vna loquitur M. Antonii oratoris filia, auctore Plutarcho in Pompeio.

Conſul populi Romani] Vitat, omiſſo nomine, contumeliam.

Tam breui tempore] Vnde quinquageſimo die: vt infra. alii piratas omnes quadraginta diebus a Pompeio deletos eſſe prodiderunt.

Intra Oceani oſtium] Intra fretum Herculeum.

Belli impetus nauigauit] Poetice: vt illud infra c. 16. *Venti tempeſtatesque obſecundarint.* Et pro Coelio c. 24. *Ex hac igitur domo progreſſa iſta mulier de veneni celeritate dicere audebit? Nonne ipſa domum metuet, ne quam*

quam vocem eliciat? non parietes conſcios, non noctem illam funeſtam ac luctuoſam perhorreſcet? Et pro Marcello c. 4. *Parietes medius fidius, C. Caeſar, vt mihi videtur, huius curiae tibi gratias agere geſtiunt.* Quibus in locis, cum ſenſus tribuatur inanimis rebus, exſiſtit quidam orationis decor, et quaedam poetarum propria venuſtas, oratori nonnumquam, praeſertim in laudando, conceſſa.

Inde Sardiniam cum claſſe venit] *In Sardiniam*, vel, *inde in Sardiniam*, videtur eſſe rectius, cum Sardinia non ſit proprium loci nomen. et ſubiungitur, *inde ſe cum in Italiam recepiſſet.*

Duo maria] Superum, et inferum.

Cretenſibus] Cum quibus bellum gerebat Q. Metellus. cui poſtea cognomen ex victoria fuit Cretico.

Vſque in Pamphyliam] Quod infra c. 16. dicit, *in vltimas prope terras. Cretenſium*, inquit, *legati, cum in eorum inſula noſter imperator exercitusque eſſet, ad Cn. Pompeium in vltimas prope terras venerunt, eique ſe omnes Cretenſium ciuitates dedere velle dixerunt.*

CAPVT XIII.

Quas paullo ante commemorare coeperam] Coepit in eo loco c. 11. *Non enim illae ſunt ſolae virtutes imperatoriae, quae vulgo exiſtimantur.* Quamquam, interpoſita virtutum illarum narratione, mentionem earum, quae ad mores pertinent, hucusque diſtulit.

Huius adminiſtrae comitesque virtutis] Quia victoriam adiuvant. populi enim, harum virtutum fama commoti, tali ſe tantoque viro libenter dedunt.

Quanta innocentia] Iure orditur ab ea virtute, quae reliquis antecellit, et quaſi familiam ducit. nam vt ceterae ſint virtutes, ipſa praeſtat.

Contentione] Comparatione. nam, *contendere*, interdum eſt comparare. orat. II. in Rullum c. 35. *Oppidorum autem finitimorum illam copiam cum hac, per riſum ac per iocum, contendent.*

Cuius in exercitu veneant centuriatus, atque venierint] Non arbitror haec in Lucullum conferri, quem haud multo ante magnifice laudauit, et Lucullus ante aliquot annos contra Mithridatem profectus erat. hic autem, quem Cicero deſcribit, paullo ante profectus videtur. ſubiungit enim: *Quid hunc hominem magnum, aut amplum de republica cogitare, qui pecuniam, ex aerario depromtam ad bellum adminiſtrandum, aut, propter cupiditatem prouinciae, magiſtratibus diuiſerit, aut, propter auaritiam, Romae in quaeſtu reliquerit?* Eodemque pertinet, quod ſtatim ſequitur: *Veſtra admurmuratio facit, Quirites, vt agnoſcere videamini, qui haec fecerint.* Sed multo apertius aliquanto poſt c. 22. *Difficile eſt dictu, Quirites, quanto in odio ſimus apud exteras nationes, propter eorum, quos ad eos hoc anno cum imperio miſimus, iniurias ac libidines.* Potius igitur indicari crediderim Acilium Glabrionem; cui partem militum, ſucceſſori ſuo, a Lucullo iam eſſe traditam, ſupra c. 9. dixit. *Centuriatus* ordo militiae fuit, quo centuri-

centuriones, meritis inſignes, ornarentur.

Magiſtratibus diuiſerit] Quo diutius, ipſis concedentibus, aut etiam adiuuantibus, adminiſtrare prouinciam poſſet. iam enim increbuerat imperii prorogandi conſuetudo.

Romae in quaeſtu reliquerit] Idem obiicit Piſoni c. 35. his verbis: *Nonne ſeſtertium centies et octogies, quod, quaſi vaſarii nomine, in venditione mei capitis adſcripſeras, ex aerario tibi attributum, Romae in quaeſtu reliquiſti?*

Sic in Aſiam peruenerunt] Piratico bello. hibernandum enim fuit in continenti.

CAPVT XIV.

In vltimas terras] In Pamphyliam, de qua infra c. 16. dicit, *in vltimas prope terras.*

Non auaritia] Et Plutarchus, et alii, hoc eum vitio liberant. tantum enim abfuit a continuandae poſſeſſionis cupiditate, vt nullum vmquam fundum a vicinis emere voluerit.

Nunc denique incipiunt credere] Credimus enim cognita re potius, quam audita.

Illis gentibus lucet] Obſcuratus intermiſſione virtutum.

Iam vero ita faciles ad eum priuatorum] Si propoſitus earum artium ordo, quae, praeter bellandi virtutem, in ſummo imperatore ſunt quaerendae, ſeruandus eſt: non hic *facilitatis*, verum *fidei* laudandae locus erat.

Quantum conſilio] *Conſilium* hic appellat, quod ſupra c. 13. *ingenium.* grauitas enim, et copia dicendi, ab ingenio maxime proficiſcitur. Sed quia ſine conſilio, atque prudentia nihil ſit, ideo *conſilium* vocauit ad maiorem Pompeii laudem. ingenium enim naturae bonum eſt, non voluntatis, et induſtriae.

Hoc ipſo in loco ſaepe cognoſtis] Cum eum de Roſtris concionantem audiretis.

Hoſtes omnium gentium] Piratae, qui cum omnibus gentibus bellum gerunt, praedam vndecumque capientes. Itaque paullo poſt c. 15. *commune omnium gentium bellum* appellat.

Sanctiſſimam eſſe iudicarint] Quia ſe illi tradiderunt, hoſtile nihil timentes.

Virtutem eius] Bellandi virtutem ſignificat: manſuetudinem autem vt artem huius adminiſtram, comitemque virtutis agnoſcit.

Et quisquam dubitabit] Pro, dubitandum non eſt: vt paullo poſt c. 15. *Et quisquam dubitabit, quid virtute profecturus ſit, qui tantum auctoritate profecerit?*

Transmittendum ſit] Deferendum ſit. hoc verbo fortaſſe vſus eſt, habita abſentis Pompeii ratione, cui quaſi mitti bellum oportet.

CAPVT XV.

In bellis quoque adminiſtrandis] Non ſolum in vrbe.

Tanta, et tam praeclara iudicia feciſtis] Delatis ad eum ſummis imperiis, in quibus maritimi belli cura fuit.

Illius diei] Quo legem de Pompeio contra piratas mittendo A. Gabinius tribunus plebis tulit.

Hic locus] Roſtra.

Commune omnium gentium bellum] Piraticum.

Inuitus

Inuitus admonui] Non diſſerui multis verbis, ne veſtram vobis calamitatem ante oculos ponerem, ſed paucis admonui: ne quid ſcilicet eiusmodi, vobis caventibus, in poſterum poſſet accidere. ſupra c. 9. *Sinite hoc loco, Quirites, ſicut poetae ſolent, qui res Romanas ſcribunt, praeterire me veſtram calamitatem: quae tanta fuit, vt eam ad aures L. Luculli non ex proelio nuncius, ſed ex ſermone rumor afferret.*

Non haberet] Discedente Lucullo iuſſu veſtro.

Ipſum id temporis (Ern. *ad id ipſum eius temporis*)] Eo ipſo tempore.

Diuinitus] Non humano conſilio. non enim Aſiae Pompeio, ſed maritimi belli adminiſtratio tradita fuerat.

Fortuna populi Romani] Et hic ſatis conſtat, cum dixerit, *diuinitus*, poteſtatis deorum immortalium fortunam eſſe.

Attuliſſet] Actionem fortunae dat, vt animatae rei. ſic pro Milone c. 32. *Dura mihi medius fidius iam fortuna populi Romani, et crudelis videbatur, quae tot annos illum in hanc rempublicam inſultare videret, et pateretur.*

Inſolita] Cum antea victus eſſet a Sulla, a Murena, a Lucullo.

Continuit] Hoc eſt, quod ſupra c. 5. dicit: *Cuius aduentu ipſo atque nomine, tametſi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hoſtium repreſſos eſſe intelligunt ac retardatos.*

Retardauit] *Continuit*, de propinquo hoſte Mithridate dixit: *retardauit*, de Tigrane, qui longius aberat. Mithridatis enim, non Tigranis, illa victoria fuit.

Et quisquam dubitabit, quid virtute profecturus ſit, qui tantum auctoritate profecerit] Optima ratio. nam ſi auctoritas, virtute iam parta, aliquid prodeſt: quis dubitet, quin ipſa virtus profutura multum ſit?

CAPVT XVI.

Noſter imperator] Q. Metellus.

In vltimas prope terras] In Pamphylia.

Ad eum potiſſimum] Cum tamen ſimul cum eo Q. Metellus Pius imperio pari contra Sertorium bellum gereret.

Poſtea] Poſt Hiſpanienſe bellum.

Rebus geſtis] Contra piratas.

Veſtris iudiciis] Et hoc referri neceſſe eſt ad maritimum bellum, populi ſuffragiis ei mandatum Gabinia lege.

Quam praeſtare de ſe ipſo nemo poteſt] Nemo ſibi poteſt felicitatem conficere: non eſt in cuiusquam hominis poteſtate felicitas: pendet enim a diis immortalibus, et in eorum poteſtate ſita eſt. nam et ſaepe recte ac prudenter agentibus euenta parum proſpere ſuccedunt: et contra, qui conſilio ac prudentia minus valent, iis interdum ſecunda ſunt omnia. quo probatur, neminem a ſe ipſo felicitatem praeſtare poſſe, idque deorum eſſe bonum, et ab iis vel dari, vel auferri.

Timide] Ne, quod eſt deorum homini tribuiſſe videar.

Pauca] Ideo pauca, quia ti- mide.

Maximo, Marcello, Scip[illegible] Q. Fabio Maximo Cunctator[illegible] Claudio Marcello, qui prim[illegible] cuit Hannibalem poſſe vin[illegible]

ie-

Cornelio Scipioni, Paulli filio: hunc enim potius, quam ſuperiorem, ſignificari puto.

Inuiſa] Si fortunam in Pompeii poteſtate poſitam fuiſſe dicam, quae deorum in poteſtate poſita eſt.

Ingrata] Si nec praeterita meminiſſe, nec reliqua ſperare videamur.

Venti tempeſtatesque obſecundarint] Et hoc poeticum, vt illud ſupra c. 12. *belli impetus nauigauit.*

Sicuti facitis] Quod imperia, ad illum a vobis extra ordinem delata, declarant.

CAPVT XVII.

Fortunae] Propter nobilitatem.

Virtutis] Propter integritatem, et prudentiam.

Ingenii] Propter eloquentiam.

Obſoleuit] Iam non valet, iam locum non habet.

Re] Exemplis.

Legati, praetores] De quibus ſupra c. 9.

CAPVT XVIII.

Nihil timebat] Opibus freta populi Romani.

Appia via] Quae cum ſit propinqua mari, per eam iter habere, piratis mare tenentibus, ſine periculo non licebat.

CAPVT XIX.

Dolori ſuo] Propter incommoda praedonibus accepta.

Legati eſſe potuerunt] Contra ·em.

·am diligentes] Negant enim a poſt tribunatum proximo le·m eſſe poſſe.

Inimicum edictum] Si quis edixerit, ne quis ad ſenatum, praeter conſules, referre poſſit.

Veſtrum ius beneficiumque] In lege Gabinia ſcriptum arbitror fuiſſe, vt Pompeius, quos ipſe vellet, legatos poſtularet.

Praeter interceſſionem] Blanditur populo, cum ſe ſolis tribunis plebis intercedentibus ceſſurum eſſe dicit.

Qui minantur] Se interceſſuros, aut, alii vt intercedant, operam daturos.

Quid liceat] Contra ius, beneficiumque veſtrum.

CAPVT XX.

Si quid de eo (*de* abeſt ab Ern.) *factum eſſet*] Si quid humanitus ei contigiſſet: ſi obiiſſet. ominis cauſſa, mortis mentionem vitauit.

In eo ipſo] Idem Valerius Max. lib. VIII. c. 16. et Plutarchus.

Non dico hoc loco] Figura beneuolum, promiſſa breuitate, auditorem reddens, et eadem attentum, quia maius aliquid, quam quod omittit, pollicetur. huius generis illud eſt orat. I. in Rullum c. 7. *Non queror diminutionem vectigalium, non flagitium huius iacturae atque damni: praetermitto illa, quae nemo eſt, quin grauiſſime et veriſſime conqueri poſſit, nos caput patrimonii publici, pulcherrimam populi Romani poſſeſſionem, ſubſidium annonae, horreum belli, ſub ſigno clauſtrisque reipublicae poſitum vectigal, ſeruare non potuiſſe: eum denique nos agrum P. Rullo conceſſiſſe, qui ager ipſe per ſeſe et Sullanae dominationi, et Gracchorum largitioni reſtitiſſet. Non dico, ſolum hoc in republica vectigal*

gal eſſe, quod, amiſſis aliis, remaneat: intermiſſis, non conquieſcat; in pace niteat, in bello non obſoleſcat: militem ſuſtentet, hoſtem non pertimeſcat: praetermitto omnem hanc orationem, et concioni reſeruo: de periculo ſalutis ac libertatis loquor.

Punicum et Hiſpanienſe] Quorum altero Carthaginem ipſam, altero Numantiam Africanus, Paulli filius, deleuit: cum ei ſemel ante tempus, vetere lege praeſcriptum, aedilitatem petenti, conſulatus mandatus eſſet; iterum autem contra eam legem, quae vetabat quemquam iterum conſulem fieri.

Nuper] *Nuper* dicit, cum de patrum aetate loquatur.

Bellum adminiſtraret] Continuatis in eo contra legem conſulatibus.

CAPVT XXI.

Adoleſcentulum priuatum] Annos natum viginti tres. Plutarchus.

Exercitum] Legiones tres.

Difficili reipublicae tempore] Italico bello, periclitante republica.

Cuius a ſenatorio gradu aetas longe abeſſet] Ante annum aetatis XXIV. multos enim menſes in bello conſumſit, modo victus, modo victor. triumphauit autem anno XXIV. vt in Epitome LXXXIX. et Eutropio lib. V. c. 9. legitur.

Imperium atque exercitum dari] Vt in Sicilia contra Carbonem, in Africa contra Domitium, et Hiarbam, Numidiae regem, bellum gereret.

Equitem Romanum triumphare] Ex Africa, de Hiarba rege, L. Sulla dictatore, qui reuertenti ad vrbem obuiam prodiit, et magnum appellauit. Plinius lib. VII. c. 26. (Pompeius) *Sicilia recuperata. vnde primum Sullanus in reipublicae cauſſa exoriens auſpicatus eſt, Africa vero tota ſubacta, et in ditionem redacta, Magnique nomine, ſpolio inde capto, eques Romanus, id quod antea nemo, curru triumphali praeuectus eſt.*

Sed etiam omni ſtudio viſendam (Ern. *et concelebrandam*) *putauit*] Arbitror hoc dici, quia triumphus ei extra ordinem datus eſt, cum eſſet adoleſcentulus, nondum ſenator.

Duo conſules] D. Brutus, et Mam. Aemilius.

Ad bellum maximum] Sertorianum, cui dux vnus ſufficere Q. Metellus Pius non videbatur.

Proconſule] Proconſulari imperio, vt Metello par eſſet.

Mitteretur] A ſenatu. nam a populo imperium non accepit. Phil. XI. c. 8. *Sertorianum bellum a ſenatu priuato datum eſt, quia conſules recuſabant: cum L. Philippus pro conſulibus eum ſe mittere dixit, non pro conſule.* Hoc eſt, cur ipſe ad ſenatum ſcripſerit: *Nomine modo imperii a vobis accepto, diebus XL. exercitum paraui.*

Ex ſenatus conſulto legibus ſolutus] Decem enim annis ante quam ei per leges liceret, quaeſtura nondum geſta, ex equite Romano conſul factus eſt.

Quam vllum alium magiſtratum per leges capere licuiſſet] Nullum enim antea magiſtratum, ne quaeſturam quidem, neque ceperat, neque per leges ei capere licuerat.

Vt

Vt iterum eques Romanus ex ſenatus conſulto triumpharet] Ex Hiſpania, cum antea triumphaſſet ex Africa. *Ex ſenatus conſulto* autem, quia miſſus eſt in Hiſpaniam a ſenatu, non a populo.

Poſt hominum memoriam] Omnibus ſaeculis.

A Q. Catulo (Ern. *Catuli*)] Qui nunc Maniliam legem diſſuadet.

CAPVT XXII.

Aliae quoque virtutes animi multae] Vt temperantia. *artes* appellauit ſupra c. 13. non virtutes.

Hoc anno (Ern. *per hos annos*)] Omiſſo nomine, Glabrionem carpit.

CAPVT XXIII.

Videbat enim populus Romanus (Ern. *populum Romanum*) *non locupletari quotannis pecunia publica, praeter paucos*] De mendo conuenit inter omnes: correctio non eadem omnibus arridet. mihi quidem haec, vel ideo fortaſſe, quia noſtra, vel quod optimam habere ſententiam, nec tamen a litterarum ſimilitudine longius diſcedere videtur, minime diſplicet. *Videbat enim populi Romani nomine locupletari quotannis pecunia publica praetores paucos.* Vt ita dicat, *populi Romani nomine,* quemadmodum ſtatim, *claſſium nomine.* aut, ſi quem offendit iteratio eiusdem verbi: cuius tamen generis exempla ſaepe occurrunt, conſideret, an hoc ſit rectius: *Videbat enim praetores noſtros locupletari quotannis pecunia publica, praeter paucos.* Quae non ita magna mutatio eſt. nam et *populus Romanus, P. R.* et *praetor, P. R.* duabus litteris aeque ſcribebatur. *Videbat,* certe ad oram maritimam potius, quam ad populum Romanum, referri decet.

Quibus iacturis] Emta prouincia. quod ſequenti verbo, *conditionibus,* comprobatur.

Ignorant videlicet iſti] Ironia. dixit enim paullo ante c. 22. *Nouerunt ſociorum vulnera: vident eorum calamitates: querimonias audiunt.*

Qui ad vnum deferenda eſſe omnia non arbitrantur] Hoc ſupra c. 17. tribuit Hortenſio.

P. Seruilius] Iſauricus, ab Iſauris in Cilicia deuictis. nota hiſtoria.

C. Curio] Qui de Dardanis ex Macedonia triumphauit. In Piſonem c. 19. Frontinus lib. IV. Strateg. c. 1. Florus lib. III. c. 4. alii.

Cn. Lentulus] Clodianus, qui conſul fuerat cum L. Gellio.

C. Caſſius] Is, opinor, qui ante Lentulum anno proximo conſul fuit: vt tres conſulares nominet, quorum auctoritas in lege ſuadenda magni apud populum Romanum debet eſſe ponderis, quamquam, vt Lentulo praeponeretur, temporis ratio poſtulauit. ſed hoc ſupra c. 14. quoque notauimus, in facilitate contra propoſitum ordinem fidei praepoſita.

CAPVT XXIV.

C. Manili] De cuius lege, et eo, poſt tribunatum ſtatim accuſato, Aſconius in Corneliana.

Quantam non (Ern. *nunc*) *iterum in eodem homine praeficiendo vidimus* (Ern. *videmus*)] In omnibus antiquis libris eſt, *non:*

in

in nullo, *vidimus*, ſed, *videremus;* quod mendoſum eſſe conſtat: aut, *viderimus;* quod placet. Cum, inquit, magnam in maritimi belli cura ad Pompeium deferenda multitudinem viderimus populi Romani: maiorem tamen nunc videmus. qua ſententia, *non*, retineo, ab aliis improbatum.

De re] De tanto viro deligendo.

De perficiendi facultate] Cum e ſumma populi Romani frequentia, ſummoque ſtudio, quid de promulgata lege ſentiat, facile cognoſcatur.

Huic loco] Multa enim circa forum templa, Iouis, Caſtoris, Concordiae, alia.

Temploque] Roſtra templum vocat, vt pro Sextio c. 29. in Vatinium c. 10.

Rogatu] Pompeii abſentis, aut eius amicorum. Sic orat. II. in Rullum c. 18. de eodem Pompeio: *Feci adhuc, quae potui, neque familiaritate illius adductus, nec ſpe honoris, atque ampliſſimae dignitatis.*

Vt hominem praeſtare oportet] Quatenus praeſtare homo debet, innocentiae praeſidio.

Eadem noſtra illa] Illa, quam ab ineunte aetate ſuſcepimus: de qua in exordio.

Si veſtra voluntas feret] Honores enim veſtra beneficia ſunt.

Mihi non neceſſarias] Nam, quod ad me attinet, ſimultatibus his carere potui.

Vobis non inutiles] Perſpecta enim ciuium voluntate, facile bonos a malis diſtinguetis.

Veſtram voluntatem] Multis de Pompeio iudiciis patefactam.

Reipublicae dignitatem] Agitur enim populi Romani gloria: quae cum ei magna in rebus omnibus, tum ſumma a maioribus in re militari tradita eſt.

Prouinciarum] In quibus vectigalia veſtra ſunt.

Sociorum] Et populorum, et regum.

Rationibus] Latius patet, quam, *commodis.* omnes enim res dicit, quae ad ipſum pertineant.

Praeferre oportere] Si gratus erga vos, ſi bonus in republica ciuis eſſe volo.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO A. CLVENTIO HABITO

ARGVMENTVM

Saſſia quaedam, Cluentii mater, improbi mulier ingenii, libidinis effrenatae, poſt binas nuptias, vnas patris Cluentii, alteras M. Aurii Melini, generi ſui, quem cum filia diuortium facere coegit, poſtremo nupſit Statio Albio Oppianico, qui Melinum, eius virum, occiderat. hic cum intelligeret, Cluentium nondum teſtamentum feciſſe, eoque mortuo bona eius omnia ad matrem eſſe ventura: incenſus auaritia, veneno eum tollere decreuit. ea re cognita, duobusque praeiudiciis iam probata, primum Scamandri damnatione, cuius in manibus venenum deprehenſum fuerat, deinde C. Fabritii, qui Cleophanti, quo Cluentius medico vtebatur, ſeruum Diogenem ad venenum dandum ſpe, et praemio ſollicitauerat: Oppianicum Cluentius de veneficio accuſauit: qui cum damnatus eſſet, defenſor Oppianici L. Quintius tribunus plebis quotidianis concionibus rem in inuidiam adduxit, cum diceret pecuniam in iudicio verſatam: et cum incertum eſſet, ex qua parte eſſet profecta, populus Romanus non credidit ab Oppianico datam, quia damnatus erat; et errore multorum in falſo crimine Cluentius fuit: cum Oppianicus C. Aelio Staleno DC millia H-S pro numero iudicum, qui corrumpendi eſſent, dediſſet. quo poſtea crimine, et Stalenus ipſe, et cum eo Bulbus, Gutta, Popillius, aliique eiusdem affines culpae iudices damnati ſunt. Annis quinque poſt damnationem cum Oppianicus in exſilio periiſſet, vxor Saſſia moliri coepit inſidias filio, quod eius conſilio diceret per M. Aſellium quendam viro ſuo venenum in pane datum. et cum, de ſeruis quaeſtione habita, nihil eſſet repertum: rurſus eadem, triennio poſt, adoleſcenti Oppianico filia collocata, impulit eum ad filium de veneficio accuſandum. is actore vſus

eſt

eſt L. Attio Piſaurenſi: contra quem praetor Cicero Cluentium defendit. Acta cauſſa eſt ad Q. Voconium Naſonem, qui de veneficiis praetor quaeſiuit, Lepido et Tullo coſſ.

EXPLANATIO

Pro A. Cluentio Habito] Cluentii cognomen ex ignoratione veteris orthographiae ſuſpicor eſſe deprauatum. quod enim conſtat ex antiquis monumentis, *B* pro *V* ſcribi ſolebat. inde factum eſt *Habitus* pro *Auitus*. nam cum, *Abitus*, mendoſum putaretur, *Auitus* autem differret ab *Abitus*: bonam correctionem librarii, aut homines imperiti exiſtimarunt, ſi, *Habitus*, tamquam vſitatum verbum, reponeretur. in quo repugnat veterum exemplorum obſeruatio. nam ſaepe *Auiti* cognomen reperitur, *Habiti* numquam. *Vibium Auitum* nominat Plinius lib. XXXIV. c. 7. et Tacitus lib. XIII. Annal. c. 54. Accedunt lapidum antiquorum teſtimonia, in domo Caeſia Romae: CLODIAE. AVITAE in domo Arberinorum: CLAVDIVS. AVITVS in hortis Io. Georgii Caeſarini: BAEBIO. AVITO Lubiani in Germania: DVRIVS. AVITVS Neapoli: AVR. ABITVS. Id ſenſiſſe videtur, aut ratione ductus, aut antiqui exemplaris auctoritatem ſecutus, Tryphoninus iuriſconſultus, L. 39. D. de poen. qui, cum huius orationis teſtimonio vtitur, *A. Cluentium Auitum* appellat.

CAPVT I.

Accuſatoris] T. Attii Piſaurenſis, infra c. 23. nominati.

Niti, et magnopere confidere] Incipit ex ipſo accuſatoris iudicio innocentiam Cluentii iudicibus oſtendere.

Inuidia iam inueterata] Infamia illius iudicii, quo Oppianicus, accuſante Cluentio, iudice quaeſtionis C. Iunio, ante annos octo condemnatus erat. quam infamiam non dubia corrupti iudicii fama pepererat, et quia damnatus erat Oppianicus, accuſatoris in eo potius, quam rei, culpam fuiſſe, veriſimile videbatur.

Conſuetudinis cauſſa] Quo enim de crimine quis accuſat, id ſi argumentis probare non poteſt, aliquid tamen dicere conſueuit.

Timide] Cum augere veritas animum ſoleat.

Attingere] Proprio timentis, et diffidentis verbo vſus eſt.

Veneficii criminum] Tria veneficii crimina obiiciebat accuſator: vnum, quod C. Vibium Capacem veneno ſuſtuliſſet: alterum, quod eius conſilio adoleſcenti Oppianico paratum venenum fuiſſet, quod cum Balbutius quidam interceptum bibiſſet, ſtatim eſſe mortuum: tertium, quod patrem Oppianicum, veneno per Aſellium quendam in pane dato, necaſſet. infra quoque: *Agitur in criminibus A. Cluentii proprium periculum.*

Lege] Cornelia, L. Sullae dictatoris. infra c. 56.

Subterfugere] Hoc ad inuidiam pertinet iudicii Iuniani: quod vero ſubiungitur, *obſcurare*, ad crimina veneficii.

Quantum in agendo difficultatis] Inſitam enim corrupti iudicii opinionem ex animis euellere, perdifficile videtur. itaque non tam ego multa poſſum dicere, quam dici intelligo oportere.

Purgandis criminibus] Hoc dicit, vt cauſſae confidere videatur.

Inter vos disceptare] Inter vos iudicare. pro Milone c. 9. *Isque praepoſitus quaeſtioni, qui haec iuſte ſapienterque disceptet.* Pro Deiotaro c. 2. *Hanc, C. Caeſar, cauſſam ſi in foro dicerem, eodem audiente, et disceptante te.*

In inuidia, cauſſa communis] Nam ſi propter inuidiam condemnetur Cluentius; quis eſt, cui non idem periculum impendeat? Paullo poſt ſubiungitur, *in communi incendio.*

Vt oremus] Tota enim haec pars veſtrae voluntatis eſt: docere vos, et purgare crimina non oportet.

Diligentia veſtra] In audiendo, et cognoſcendo.

Fides] Integritas ea, quam praeſtare iurati iudices debent: ne hominem falſa inuidia circumventum opprimi ſinatis.

Agitatam in concionibus] Accuſatam a tribuno plebis L. Quintio, Oppianici patrono. *Exagitare*, eodem ſenſu dixit ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 1. *Vt in rebus multo ante, quam profectus es, ab ipſo rege, et ab intimis ac domeſticis Pompeii clam exulceratis, deinde palam a conſularibus exagitatis.*

Iactatam in iudiciis] Quibus damnati ſunt iudices illi, qui pecuniam acceperant.

In communi incendio] Agitur enim cauſſa communis.

CAPVT II.

Aliis in locis] Sequitur ſtatim interpretatio, *dominetur in concionibus.*

Repentinos impetus] Plebis imperitae.

Conſeneſcat] Langueat, tamquam ſenectus impetu vacet.

Sine inuidia] Nulla inuidiae ratione habita.

Sine culpa] Cum abeſt culpa.

Ne quid huc praeiudicati afferatis] Huc illud pertinet infra c. 3. dictum: *Aggrediar ad crimen, cum illa deprecatione, iudices, qua mihi ſaepius vtendum eſſe intelligo, ſic vt me audiatis, quaſi hoc tempore haec cauſſa primum dicatur, ſicuti dicitur; non quaſi ſaepe iam dicta, et numquam probata ſit.* Et aliquanto poſt c. 51. *Praeſertim, iudices, cum a vobis quoque ipſis hoc impetrare ſit aequiſſimum, quod ego et ab initio petiui, et nunc peto, vt, ſi quam huc grauiorem de illo iudicio opinionem attuliſtis, hanc, cauſſa perſpecta, atque omni veritate cognita, deponatis.*

CAPVT III.

Per annos octo continuos] Ab Oppianici condemnatione. infra c. 30. *Anni ſunt octo, cum iſta cauſſa in iſta meditatione verſatur.* Et aliquanto poſt c. 59. *Habetis, iudices, quae in totam vitam de moribus A. Cluentii, quem illi inuidioſum reum volunt eſſe, annos octo meditati accuſatores collegerunt.* Hic locus, vt opinor, annum indicat, quo damnatus eſt Oppianicus. ſic enim ratiocinor. Anni ſunt octo ab Oppianici damnatione ad conſulatum Lepidi, et Tulli, quo anno

hanc

hanc Cicero praetor cauſſam egit, vt ipſa docet oratio. quod ſi ita eſt: cauſſam dixit Oppianicus L. Lucullo, M. Cotta coſſ. ab his enim ad Lepidum, et Tullum anni numerantur octo. quod ne quis in dubium reuocet, ſumamus ab hiſtoria teſtimonium, quod refelli non poſſit. Defenſus eſt Oppianicus a L. Quintio tribuno plebis, quod haec oratio declarat: is autem tribunus plebis fuit L. Lucullo conſule. cognoſcitur ex Macri tribuni plebis concione, quae legitur inter fragmenta Salluſtii lib. III. Hiſt. in ea quattuor deinceps anni commemorantur, primus, Lepido et Catulo coſſ. alter, Bruto et Mamerco; tertius, Octauio, et Curione; quartus, Lucullo, et Cotta. vexatum autem a Lucullo conſule Quintium tribunum plebis eadem concio ſignificat his verbis: *Lucullus ſuperiore anno quantis animis fuerit in L. Quintium, vidiſtis.* Sed quid ambigua quaerimus? ipſe Cicero, L. Quintium L. Lucullo conſule tribunum plebis fuiſſe, infra c. 49. declarat his verbis. *At enim ſenatus vniuerſus iudicauit, illud corruptum eſſe iudicium. Quo modo? ſuſcepit cauſſam. An potuit rem delatam eiusmodi repudiare? cum tribunus plebis, populo concitato, rem paene ad manus reuocaſſet.* Aperte de Quintio loquitur: et ſubiungit paullo poſt de Lucullo: *Sed quaero a vobis, num iſtam legem ex iſto ſenatus conſulto L. Lucullus conſul, homo ſapientiſſimus, tulerit: num anno poſt M. Lucullus et C. Caſſius, in quos, tum conſules deſignatos, idem illud ſenatus decreverit?* Si Quintius igitur tribunatum geſſit L. Lucullo conſule, et idem, tribunicia poteſtate praeditus, Oppianicum defendit; ſequitur, vt octo annorum primus L. Lucullo conſule fuerit.

Ex contraria parte audiatur] Propter ſermones ab aduerſariis Cluentii diſſeminatos.

Si quis Deus] Confugit ad Deum, non vt iudicibus diffidere, ſed vt vehementer optare videatur. optare autem ad audiendum beneuolentiam iudicum, eſt, cauſſae confidere.

Explicare] Tacite rogat, vt cauſſam patrono meliorem putent.

De communis (Ern. *communibus*) *inuidiae periculis*] Quae vobis, iudices, cauenda ſunt. cavebitis autem abſolutione Cluentii, falſi criminis inuidia laborantis. ſupra: *Agitur enim in criminibus, A. Cluentii proprium periculum: in inuidia, cauſſa communis.*

Ad crimen] Vetus crimen, obiectum iam antea Cluentio, corrupti iudicii, quo damnatus eſt Oppianicus.

Saepe iam dicta] Cum ii damnati ſunt, qui de Oppianico iudicauerant. non enim ea quaſi praeiudicia contra Cluentium facta ſequi debetis. ſupra c. 2. *Ne quid huc praeiudicati afferatis.*

Numquam probata] Contra Cluentium, licet probata contra iudices illos.

Multorum annorum accuſationi] Octo annorum, poſt Oppianici damnationem: non quod in iudicio Cluentius eſſet accuſatus: ſed accuſationem Cicero vocat ea, quae in Cluentium eius adverſarii de corrupto Oppianici iudicio coniecerant. neque nunc de illo iudicio, ſed de veneficio Cluentius reus eſt: eius tamen

iudicii inueterata opinione laborabat. quod Cicero in ipſo orationis exordio attigit his verbis. *Animaduerti, iudices, omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes; quarum altera mihi niti, et magnopere confidere videbatur, inuidia iam inueterata iudicii Iuniani: altera*, &c.

Breuiter dilucideque] Quo nihil iudici gratius. et hoc promittit orator, vt beneuolentiam ad audiendum conciliet.

Benigne attenteque] Quorum alterum boni viri, alterum boni iudicis eſt.

CAPVT IV.

Corrupiſſe dicitur A. Cluentius iudicium pecunia] Ne parum attentus lector varietate perturbetur, intelligat, narrationis hic quidem initium eſſe, non eius tamen, quam veneficii crimina, de quibus iurati iudices ſedent, neceſſario poſtulant. ſunt enim et in hac oratione, et in aliis narrationum duo genera, vnum in cauſſa, alterum extra cauſſam, quod tamen ad cauſſam pertineat. extra cauſſam poſſunt eſſe narrationes multae, in cauſſa, ſi crimen vnum obiicitur, vna tantum requiritur; ſi plura, pluribus vti licet. Conferuntur in Cluentium tria veneficii crimina, vnum de C. Vibio Capace, alterum de Oppianico adoleſcente, tertium de Oppianico ſene: tres igitur narrationes neceſſariae ſunt. Extra cauſſam autem haec prima eſt: *Corrupiſſe dicitur A. Cluentius iudicium pecunia:* agit enim non de veneficio, ſed de vita, et moribus Oppianici: vt in eo iudicio, quo Oppianicus accuſante Cluentio damnatus eſt, vter pecuniam dederit, ab antecedentibus arguatur. nam Oppianico in infamiam adducto, Cluentio ſuſpicione culpae liberato, vſurum ſe Cicero ſperat aequioribus iudicibus in hoc toto veneficii crimine cognoſcendo. Sequuntur aliae tres eiusdem generis, vna de Scamandro, altera de C. Fabricio, eius patrono, condemnatis, quod, eorum opera Cluentio venenum ab Oppianico paratum eſſe, probatum in iudicio ſit. quibus duobus praeiudiciis adductus, ad eum accuſandum Cluentius deſcendit. Quarta narratio, quo modo, et per quos corruptum illud iudicium fuerit, ita docet, vt remotam a Cluentio culpam in ipſum Oppianicum totam transferat. His abſolutis, hac quaſi praemunitione ad ipſam cauſſam aggreditur; et quoniam, vt diximus, obiecta Cluentio tria ſunt veneficii crimina, ad ſingula ſingulis narrationibus vtitur.

Inimicum ſuum innocentem] Ex perſona accuſatorum.

Illius atrocitatis] Infamiae contra Cluentium excitatae.

Ea de eo praeiudicia eſſe facta] Scamandri, et Fabricii damnatione.

Quid res ipſa tulerit] Tulit enim, vt corrupti ab Albio iudices eum tamen damnauerint.

Quid error affinxerit] Errore creditum eſt, cum in iudicio verſata pecunia eſſet, non ab eo datam, qui damnatus eſt, ſed ab eo, qui accuſauit.

Quid inuidia conflarit] Ex illo errore orta infamia eſt, ex infamia Cluentii periculum.

Ad accuſandum deſcenderit] *Deſcendere in forum*, et *in campum*, vſitatum eſt: quia ſuperioribus

ribus locis honeſtiores, plebs infima humilioribus habitabat. in Diuin. c. 1. *Si quis veſtrum, iudices, aut eorum, qui adſunt, forte miratur, me, qui tot annos in cauſſis iudiciisque publicis ita ſim verſatus, vt defenderim multos, laeſerim neminem, ſubito nunc mutata voluntate ad accuſandum deſcendere.* Quo loco plura.

Pro incolumi et viuo] *Incolumis* opponitur *damnato:* vnde pro Archia c. 5. *Cum Appii tabulae negligentius aſſeruatae dicerentur, Gabinii, quam diu incolumis fuit, leuitas, poſt damnationem calamitas, omnem tabularum fidem reſignaſſet.*

Ignominiae periculum] Quod ab ignominia periculum naſci poteſt.

Abſtulerit] Damnatus enim nullum praeterea periculum exſpectat.

Oſtentatione] Vt ingenium oſtentaret.

Gloria] Gloriae cupiditate: quae multos ad accuſandum impulit.

CAPVT V.

A. Cluentius Habitus fuit, pater huiusce] Non, *fuit pater huiusce*, ſed cum diſtinctionis nota, *fuit, pater huiusce.* atque hoc ſaepe modo narrare Cicero incipit. infra c. 7. *Larinas quaedam fuit Dinea, ſocrus Oppianici.* Et aliquanto poſt c. 13. *Fuit Aiulius quidam Larinas.* In Diuin. c. 17. *Agonis eſt quaedam Lilybaetana, liberta Veneris Erycinae.* Lib. IV. in Verr. c. 2. *C. Heius eſt Mamertinus, omnibus rebus in illa ciuitate ornatiſſimus.* Et ad Acilium lib. XIII. Fam. epiſt. 30. *L. Manlius eſt Soſis.*

Virtute] Probitate, et animi praeſtantia. non enim hoc nomen doctrinam neceſſario complectitur.

Annos XV natum] *Annos natus eſt quindecim*, et *annum agit decimum quintum*, proprie Latine dicitur: at recentiores multi (nominibus meo more parco) perturbant, et *annum natus eſt decimum quintum, annos agit quindecim*, contra veterem conſuetudinem dicunt.

Honeſto et nobili] Bonae exiſtimationis, claris maioribus. nam, *honeſto*, ad ipſum, *nobili*, ad familiam refertur.

Non pudor, non pudicitia] Pudor animi, pudicitia corporis.

Illo communi dolore muliebri] Qui ex pellicatu ſuscipitur.

De quo ne queri quidem ſine ſcelere ſe poſſe arbitraretur] Matrem enim de tanto ſcelere accuſare, ſcelus eſt. Simile illud lib. XI. ad Attic. epiſt. 24. *Eo ſum miſerior, (etſi nihil videbatur addi poſſe) quod mihi non modo iraſci, grauiſſima iniuria accepta, ſed ne dolere quidem impune liceat.*

Solatium malorum omnium] Pellicem matrem non videre, ſolatium eſt.

Vt in tantis iniuriis, non inuita: vt a viro, non libenter] Miram habet haec figura venuſtatem. Sumit enim ornamentum a ſententia pariter, et ſermonis elegantia. Sic lib. IV. ad Attic. epiſt. 2. *Prioribus tibi declaraui, aduentus noſter qualis fuiſſet, et quis eſſet ſtatus, atque omnes res noſtrae quemadmodum eſſent, vt in ſecundis, fluxae, vt in aduerſis, bonae.* Ad M. Brutum

epiſt.

epiſt. 10. *Huius belli fortuna, vt in ſecundis, fluxa: vt in adverſis, bona.*

CAPVT VI.

O mulieris ſcelus incredibile] Dixi alio loco, narratione abſoluta, exclamationem ſubiici, ad iudices inflammandos.

Vicit pudorem libido] Reuocat pudor ab inhoneſta, turpique cupiditate: timor, propoſita poena vel infamia, deterret: ratio diſſuadet. haec vbi contemnuntur omnia, ſcelus emergit omnium grauiſſimum.

Pertinuiſſe hoc ad cauſſam] Vt a me exponeretur. non enim hoc temere dixi: ſed vt, ea cur filium oderit, intelligatis.

Nihil in vita vidit calamitatis] *Vidit*, pro tulit.

Quae hoc tempore ſileret omnia] Silet omnino reus: ſed loqui videtur, cum loquitur is, qui cauſſam eius agit. propterea infra ſubiungitur: *Cluentio ignoſcere debetis, quod haec a me dici patiatur.*

Sed ea vero ſic agit] Ad ornatum aliquid, ad ſententiam, *vero*, nihil affert. ſic lib. V. in Verr. c. 6. *O praeclarum imperatorem, nec iam cum M'. Aquillio, fortiſſimo viro, ſed vero cum Paullis, Scipionibus, Mariis conſerendum!* Curtius lib. III. c. 6. *Semper quidem ſpiritus meus ex te pependit, ſed nunc vero, arbitror, ſacro, et venerabili ore trahitur. Sed autem*, eiusdem generis eſt apud Plautum in Rud. act. II. ſc. 5. v. 15.

Sed autem, quid ſi hanc hinc
abſtulerit quispiam
Sacram vrnam Veneris?

eodem modo et ſimpliciter, *at*, et cum, *vero*, interdum vſurpatur, vt lib. I. de Orat. c. 9. *At vero eius filii diſerti, et omnibus vel naturae, vel doctrinae praeſidiis ad dicendum parati.* Ad Paetum lib. IX. Fam. epiſt. 22. *At vero Piſo ille Frugi in Annalibus ſuis queritur, adoleſcentes peni deditos eſſe.* Pro Marcello c. 4. *At vero haec tua iuſtitia et lenitas animi floreſcet quotidie magis.* Virgilius lib. X. Aen. v. 821.

At vero vt vultum vidit morientis et ora.

Illa accuſatio] Cur non, *haec*, potius quam, *illa?* quia digito accuſatores oſtendit, vt infra c. 7. *Is fecit heredem illum adoleſcentem Oppianicum, ſororis ſuae filium.* Et aliquanto poſt c. 12. *Auunculus illius adoleſcentis Oppianici.* In orat. pro Flacco c. 3. *Tmolites ille vicanus, homo non modo nobis, ſed ne inter ſuos quidem notus, vos docebit, qualis ſit L. Flaccus?* Pro Scauro: *Vndique mihi ſuppeditat, quod pro M. Scauro dicam, quocumque non modo mens, verum etiam oculi inciderint: curia illa de grauiſſimo principatu patris, fortiſſimoque teſtatur.* Et ſubiungit de templo Caſtoris, et Pollucis: *L. ipſe Metellus, auus huius, ſanctiſſimos deos illo conſtituiſſe in templo videtur in veſtro conſpectu, iudices, vt ſalutem a vobis nepotis ſui deprecarentur.*

CAPVT VII.

Quibus criminibus Oppianicus damnatus ſit] Multis eum veneficii criminibus accuſauit Cluentius, quae infra c. 10, ſeqq. narrantur,

rantur, de duobus filiis, de vxore Cluentia, de fratris vxore grauida, de ſocru Dinea: quos omnes Oppianicus ipſe veneno ſuſtulit. ideo *crimina*, non *crimen*, appellantur: et ſubiicitur, *iis accuſatum eſſe criminibus Oppianicum:* non, *eo accuſatum eſſe crimine Oppianicum.*

Conſtantiam A. Cluentii] Qui, cognitis, et patefactis Oppianici inſidiis, non tamen eum ſtatim reum fecit. aut, *conſtantiam*, in accuſando. ſequitur autem paullo poſt: *Accuſauit Oppianicum. quam conſtanter, et quam diligenter, poſtea dicam.*

Rationem accuſationis] Cauſſam, cur accuſauerit.

Deprehendiſſet] In Scamandri manibus, qui propterea damnatus eſt.

Quam conſtanter, et quam diligenter] Vt indices ab eo corrumpi neceſſe non fuerit.

Ad Stalenum] Iudicem, quem primum corrupit.

Cn. Magium, et filiam Magiam] Ex alio viro: vt Aurii ex Aurio, Magii ex Magio naſcantur.

Bello Italico captus] Larinatibus contra Romanos pugnantibus.

Inter ſicarios] Dicebant, *crimen veneficii, maieſtatis, repetundarum*, et ſimilia, non tamen *ſicariatus*, ſed, *inter ſicarios*, aut *de ſicariis.* infra c. 53. *Quid ergo eſt? haec quaeſtio ſola ita gubernatur? quid M. Plaetorii, et C. Flaminii inter ſicarios?* Pro Sex. Roſcio c. 32. *Qui inter ſicarios, et de veneficiis accuſabant.* Lib. II. de Orat. c. 25. *De ſicariis, de veneficiis, de peculatu, infitiari neceſſe eſt.*

Illum adoleſcentem Oppianicum] Intento ad eum digito, dixit, *illum*, vt infra c. 12. *Auunculus illius adoleſcentis Oppianici.*

Eſſe in ſeruitute] In ergaſtulo, apud Q. Sergium.

A. (Ern. *M.*) *Aurius*] Opinor hunc eſſe Melinum illum, cui Saſſia, expulſa filia, nupſerat. nam et eum ab Oppianico interfectum eſſe, infra c. 8. dicitur: et alium A. Aurium, praeter hunc, non video nominari.

H-S CCCC (Ern. ccccıↄↄↄↄ) *millia*] Scutatorum duodecim millia.

CAPVT VIII.

Gallicanum] Qui primum Gallus fuerat, deinde, cum in Italiam habitatum veniſſet, non amplius Gallus, ſed Gallicanus eſſe coepit: quemadmodum de auo Piſonis materno dixit Cicero: *Prius enim Gallus, dein Gallicanus, extremo Semiplacentinus haberi coeptus eſt.*

Non magna iactura facta] Non magno pretio.

Denunciarat] Praedixerat: vt pro Murena c. 25. *Cum idem ille in eodem ordine paucis diebus ante Catoni, fortiſſimo viro, iudicium minitanti, ac denuncianti, reſpondiſſet, ſi quid eſſet in ſuas fortunas incendium excitatum, id ſe non aqua, ſed ruina reſtincturum.*

Q. Metelli] Pii, qui contra Italos, in illa ſociorum paene omnium defectione, pro republica pugnabat.

Factos eſſe] Quattuoruiros.

Sex. Virbium] Vltimum de quattuoruiris: tres enim reliqui, Aurii fuere.

CAPVT IX.

Qui poſtulet] Vt ea ſibi nubat, cuius virum occiderat.

Vtriusque humanitatem conſtantiamque] Quae ſunt nomina virtutum, ea vitiis tribuit per ironiam. non enim vterquè humanus, et conſtans, ſed vterque inhumanus, vterque pertinax in ea cupiditate, quae ad exitum perduci ſine ſcelere non poſſet.

Tres filios] Quorum duos pater Oppianicus necauit: tertium ſibi ſeruauit, eum, qui nunc, a ſocru Saſſia impulſus, Cluentium accuſat.

Hora vndecima] Dixi iam, quocumque anni tempore duodecim horarum ciuiles dies fuiſſe, totidemque noctes; eas autem horas aeſtate longiores, hieme contra.

Nec mirum] Acerba ironia.

CAPVT X.

Illos] Qui Oppianicum, accuſante Cluentio, damnarunt.

Quem odiſſe iam non poteſtis] Mortuum enim non odimus: cum ſit odium nocendi cupiditas; nocere autem ei, qui ſenſu caret, nemo poſſit.

Et eſt quisquam] Turpis rei narrationem ſequitur exclamatio, interrogatione ſubiecta, vt hic, et infra c. 17. *Pro dii immortales! Oppianicum quisquam, his rebus cognitis circumuentum eſſe dicet?* Simile illud ſupra c. 8. *His rebus in cauſſa iudicioque patefactis, quis eſt, qui illum abſolvi potuiſſe arbitraretur?*

Circumuentum eſſe innocentem] Vnde orta in Cluentium accuſatorem inuidia.

Reliqua] De vxore Oppianici Cluentia, de fratre, de fratris vxore grauida, veneno necatis.

CAPVT XI.

Cum eſſem in Aſiā] Quo iuit, habita oratione pro Roſcio Amerino, metu Sullae dictatoris, quem offendiſſe videbatur, quod in eius libertum Chryſogonum in ea oratione liberius eſſet inuectus. Hoc Plutarchus, et, opinor, vere. ipſe tamen in Bruto c. 91. aliam cauſſam affert in Aſiam proficiſcendi. *Erat,* inquit, *eo tempore in nobis ſumma gracilitas et infirmitas corporis: procerum et tenue collum: qui habitus, et quae figura non procul abeſſe putatur a vitae periculo, ſi accedit labor, et laterum magna contentio. Eoque magis hoc eos, quibus eram carus, commouebat, quod omnia ſine remiſſione, ſine varietate, vi ſumma vocis, et totius corporis contentione dicebam. Itaque cum me et amici, et medici hortarentur, vt cauſſas agere deſiſterem; quoduis potius periculum mihi adeundum, quam a ſperata dicendi gloria diſcedendum putaui. Sed cum cenſerem, remiſſione et moderatione vocis, et commutato genere dicendi, me et periculum vitare poſſe, et temperatius dicere: vt conſuetudinem dicendi mutarem, ea cauſſa mihi in Aſiam proficiſcendi fuit.* Et ſubiungit: *Poſt a me Aſia tota peragrata eſt, cum ſummis quidem oratoribus, quibuscum exercebar, ipſis lubentibus, quorum erat princeps Menippus Stratonicenſis, meo iudicio, tota Aſia illis temporibus diſertiſſimus: et, ſi nihil habere moleſtiarum, nec ineptiarum, Atticorum eſt, hic orator*

orator in illis numerari recte poteſt. Aſſiduiſſime autem mecum fuit Dionyſius Magnes. erat etiam Aeſchylus Gnidius, Adramytenus Xenocles. Hi tum in Aſia rhetorum principes numerabantur.

CAPVT XII.

Illius adoleſcentis Oppianici] Oſtendebat eum iudicibus, vt ſupra c. 7. cum dixit, *is fecit heredem illum adoleſcentem Oppianicum.*

Heredem] Secundum. nam primus in vtero matris erat.

Ei teſtamento legat grandem pecuniam a filio] Modus loquendi, vt in Topicis c. 4. *Si pater familias uxori ancillarum vſumfructum legauit a filio, neque a ſecundo herede legauit, mortuo filio mulier vſumfructum non amittet.* Similiter, *ſoluere ab aliquo*, dicebant, vt lib. VII. ad Attic. epiſt. 18. *Quintus frater laborat, vt tibi, quod debet, ab Egnatio ſoluat.*

Ab ſecundo herede] A ſororis ſuae filio.

Nihil legat] Ne ſibi ipſa fortaſſe partum medicamentis abigeret, ab Oppianico corrupta.

Liberis] *Liberis*, de vno filio dixit: vt pro lege Manilia c. 12. *Ex Miſeno autem eius ipſius liberos, qui cum praedonibus antea ibi bellum geſſerat, a praedonibus eſſe ſublatos?* Cum vnam tamen M. Antonii filiam ſignificet. Et Phil. I. c. 1. *Pax denique per eum, et per liberos eius cum praeſtantiſſimis ciuibus confirmata eſt.* obſidem autem Bruto et Caſſio M. Antonius vnicum filium dederat.

CAPVT XIII.

Perdita nequitia, et ſumma egeſtate] Apte coniunguntur. nequitiam enim, id eſt, ſumtus immoderatos, breui ſequitur egeſtas.

In ſolitudine] Vt Larini: quod municipium ſi cum vrbe Roma conferretur, ſolitudo fuit.

Ad alia properanti] Ad ea, quae propiora Cluentii cauſſae, et adiunctiora ſunt. id enim ſupra c. 10. dixit.

Obſignato] Septem ſignis, de more.

In diſcordiis ciuitatis] Cum alii Sullam, alii Marium, Marianosve ſequerentur.

Ad eam columnam] Ius dicebat, opinor, ad columnam Maeniam: ad quam debitores, fures, et ſerui fugitiui accuſabantur. eius mentio fit in Diuin. c. 16. in orat. pro Sextio c. 8. apud Aſconium.

Multorum] Petentium, quod ſibi Manilius debebat. de leuioribus autem ſummis triumuiri ſedentes ad columnam Maeniam, Aſconio auctore, iudicabant.

Conuiciis] Aſſiduis, moleſtisque petitionibus. id enim nonnumquam valet *conuicium.* aut hic, *conuiciis*, cum conuicio petentium.

Ac tum] Cum eſt accuſatus a Cluentio Oppianicus.

Inter allegatos] Cum ſubiungat, *Oppianici nomen primum eſſe conſtabat:* neceſſe eſt, vt, qui allegati dicuntur, nocentes ipſi quoque ſint: in quibus ideo nomen Oppianici primum fuerit, quod eius in primis opera Aſinius eſſet interfectus. Eodem ſenſu illud accipio lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 3. *Nerius index edidit ad*

ad allegatos, Cn. Lentulum Vatiam, et C. Cornelium.

Eius] Cum amara ironia dictum.

Vos] Qui Cluentium accuſatis.

Miſerum atque innocentem] Accuſatorum verba ad iudices commouendos.

CAPVT XIV.

Quid] Modus tranſeundi ad aliam rem, vt paullo ante c. 13. *Quid illa caedes Aſinii Larinatis?*

Cui tu es heres] Suſpicioſa verba. nam quod heres, ideo videtur illa ab heredis patre necata.

Suos omnes] Qui heredes ei eſſe potuiſſent.

Perdidiſſet] Non culpa, ſed inſcientia.

L. Clodium] Libertum. nam ingenuus operam tam ſordido quaeſtui non dediſſet.

H-S quadringentis] Scutatis duodecim. qua mercede vix, arbitror de tanto ſcelere Clodium cum Oppianico transegiſſe. quae ſi cui non abſurda ſuſpicio videtur, conſideret, an ſit rectius *H-S quadraginta:* vt ſubaudiatur, *millibus.* ita ſcutati erunt mille ducenti. niſi tamen haec quoque ſumma, praeſertim pharmacopolae circumforaneo data, nimia eſt. Sed quae dicimus, dubitantes dicimus, non affirmantes. dubitatio autem veritatem ſaepe parit.

Ipſius tabulis] In quas retulit, ſe dediſſe L. Clodio, vt ſocrum ſuam Dineam curaret, *H-S quadringentos*, vel, quod potius exiſtimo, *quadraginta.*

Tum] In eo iudicio, quo damnatus eſt Oppianicus.

Fora multa] Obeunda: vt ſua pharmaca diuerſis locis venderet.

Prima potione] Praeſenti veneno vſus.

Neque poſtea Larini punctum eſt temporis commoratus] Ne, ſuo ſcelere per corporis notas patefacto, poenas daret.

Faciente] Non, dum faceret, ſed, quo tempore fecit.

Prehendiſſet] Furtim.

Digito] Cur, *digito*, potius, quam calamo? quia ceratis in tabulis teſtamentum de more ſcriptum erat: vnde illud, *in ima cera.*

Legata deleuit] Vt ſolus heres eſſet eius filius Oppianicus.

Multis locis] Vbicumque aliquid legabatur.

In alias tabulas] Ceratas.

Cenſorias] In municipiis quoque cenſores erant, qui, cenſu peracto, in tabulas diligenter omnia referrent.

Decuriones vniuerſi] Senatus vniuerſus.

Iudicauerunt] Decreto publico.

Rationem] Rei pecuniariae.

Affinibus] Exemplum iam attulit Cn. Magii:, qui cum frater eſſet vxoris Oppianici, eiusque filium faceret heredem, Oppianicum tamen patrem filio ſuo poſtumo tutorem non adſcripſit.

Aditu] Ad quem adiretur.

Congreſſione] Congreſſum omnes vitabant.

Et natura, et voluntate, et inſtituta ratione vitae] Actionum humanarum initia primum a natura proficiſcuntur: deinde voluntas, niſi malis artibus abducatur, naturam ſequitur: ex vtraque ſtudium oritur, et conſuetudo. haec vbi coniunguntur omnia, non facile quisquam ab in-

ſtituta

ſtituta vitae ratione ad noua conſilia deflectit. omnia tamen interdum neceſſitas vincit, vt in Cluentio; qui Oppianicum numquam accuſaſſet, ſi id praetermittere, ſaluo capite ſuo, potuiſſet. Refertur ad hunc locum id, quod ſupra c. 7. dictum eſt: *Ac primum cauſſa accuſandi quae fuerit, oſtendam: vt id ipſum A. Cluentium vi et neceſſitate coactum feciſſe videatis.* Et infra c. 17. *Quis eſt, qui dubitet, quin, hac re comperta, manifeſtoque deprehenſa, aut obeunda mors Cluentio, aut ſuſcipienda accuſatio fuerit?*

Iuſte] Propter Oppianicum inſidiantem vitae ſuae.

Pieque] Erga ſe ipſum. eſt enim pietas, a ſe ipſo mortem depellere.

Acerbe] Per vim a vitrico illatam.

Indigneque] Nullo ſuo merito.

Quoquo modo poſſet] Eo magis, cum iuſte, pieque poſſet.

Illo modo] Acerbe, indigneque, quod proxime dixit. opponuntur autem, *quoquo modo, illo modo,* cum aliqua venuſtate.

CAPVT XV.

In Martis familia] Quae libera non eſt. ſerui enim, *familia,* dicuntur.

Ciuesque Romanos] Vt ceteros Larinates. municipes enim erant.

Ab omni eiusmodi negotio] Vt quemquam accuſaret.

Remouiſſet] Natura, voluntate, inſtituta ratione vitae.

Publiceque defenderet] Publico nomine, tamquam actor cauſſae publicae.

Pro loco] Quem obtinebat honoris, et dignitatis. ad Terentiam lib. XIV. Fam. epiſt. 18. *Vos videte, quid aliae faciant iſto loco feminae.*

Pro antiquitate generis ſui] Quae ciues ei ſuos commendare videretur. nouus enim ciuis reliquos minus amat.

Natum eſſe] E ſententia Platonis, qui in epiſtola ad Archytam naſci nos patriae, parentibus, amicis dixit. quem locum ita Cicero conuertit lib. I. de Offic. c. 7 *Sed quoniam, vt praeclare ſcriptum eſt a Platone, non nobis ſolum nati ſumus, ſed ortus noſtri partem patria vindicat, partem amici,* &c.

Tantae voluntati vniuerſorum Larinatium] Grauiter enim eam rem et decuriones ipſi, et cuncti municipes tulerunt.

Ex vtriusque ſtudio defenſionis] Non, vtriusque defenſionis, ſed vtriusque; Cluentii, et Oppianici: quorum alter Martiales, alter cauſſam publicam defendebat.

Erat ipſe] Ipſe per ſe, vel ſi non incenderetur ab vxore.

Mater Habiti] Addere nomen *Habiti,* neceſſe non videtur: cum dixerit, *inimica filio:* itaque gloſſema puto.

Hunc] Cluentium.

A cauſſa Martialium] Quam pro Larinatibus contra Martiales Cluentius agebat.

Illius iudicii] Quo Oppianicum de veneno Cluentius accuſauit.

Eiusmodi matri] Quae primum genero ſuo Aurio Melino, deinde Oppianico, qui Melinum occiderat, nupſiſſet, poſtremo quae ſibi infeſta vehementer eſſet.

Id

Id cum Oppianicus ſciret, neque enim erat obſcurum] Similiter ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Quae cum viderem, neque enim erant obſcura.* Pro Sextio c. 19. *Haec ego cum viderem, (neque enim erant occulta.)* In Rullum orat. II. c. 4. *Quae cum ego non ſolum ſuſpicarer, ſed plane cernerem: (neque enim obſcure gerebantur.)* Ex Demoſthene fortaſſe ſumtum; cuius eſt hoc in oratione περὶ τοῦ ςεφάνου: ταῦτα δὲ ὁρῶν ὁ Φίλιππος· (οὐ γὰρ ἦν ἀφανῆ.)

CAPVT XVI.

Quantus ſplendor] Et habent copias, et ſplendide vtuntur.

Prope aequabilis] Pari fere omnium probitate.

Studiorum] Cum easdem res et iidem probant, et, quae expetantur, dignas iudicant.

Naturae] Cum ad easdem res iidem natura feruntur.

Circumſcriptionesque adoleſcentium] Adoleſcentes, aetate incauti, facile in fraudem inducuntur. inde natum eſt verbum, *circumſcribere*, pro decipere: vt Phil. XIV. c. 3. *Aut eiiciunt vicinos, aut adoleſcentulos circumſcribunt.* Pro Q. Roſcio c. 8. *Dic nunc te ab Roſcio H-S* ꟾↃↃ *circumſcriptum eſſe. Circumſcriptor*, in Catil. orat. II. c. 4. *Quis teſtamentorum ſubiector, quis circumſcriptor, quis ganeo? Circumſcriptio*, lib. III. de Offic. c. 15. *Atque iſte dolus malus etiam legibus erat vindicatus, vt tutela XII tabulis, et circumſcriptio adoleſcentium lege Laetoria.*

Cleophanto] Graeco: nam Romanis medicina in artium liberalium numero non erat.

Frugi] Proprie de ſeruo dicitur, qui rem domini diligenter cuſtodiat: ſed ad probitatem ſaepe transfertur, vt hic, et lib. III. in Verr. c. 27. *Homines et ſatis fortes, et ſatis plane frugi ac ſobrii.* Nam vt nequitiam multa vitia, ſic frugalitatem virtutes comitantur multae.

Non eſt aſpernatus] Aures dedit, quaſi conditionem non recuſans.

Qua fide] In amicitiis tuendis, et in colenda iuſtitia.

Qua prudentia] In cognoſcendis, iudicandisque rebus.

Qua dignitate] Et quod ſenator, et quod virtute praeditus.

CAPVT XVII.

Pro dii immortales] Exclamatio narrationi ſubiecta, vt ſupra c. 10. *Et eſt quisquam, qui, cum haec cognouerit, ſuſpicari poſſit, Oppianicum iudicio oppreſſum et circumuentum eſſe innocentem?* Infra c. 20. poſt Scamandrum, prima actione condemnatum: *Quis tum erat omnium, qui, Scamandro condemnato, non iudicium de Oppianico factum eſſe arbitraretur?*

Quis vmquam audacior] Argumentum a ſuperiore vita.

Quis nocentior] A crimine veneficii.

Quis apertior] A comperta re, manifeſtoque deprehenſa.

Quod ingenium, quae facultas dicendi] Sic act. I. in Verr. c. 4. *Quod eſt ingenium tantum, quae tanta facultas dicendi et copia, quae iſtius vitam, tot vitiis flagitiisque conuictam, iam pridem omnium voluntate iudicioque damnatam, aliqua ex parte poſſit defendere?*

Huic vni crimini] De veneficio, cuius eum Cluentius accuſauit.

Obeunda mors] Exitium illi parante Oppianico, qui ſuum ſcelus, veneno in Scamandri manibus deprehenſo, patefactum videret.

Re ſemel atque iterum praeiudicata] Damnatione Scamandri, et Fabricii.

Vicinitatem] Vicini enim Arpinatibus.

Sicut neceſſe erat] Peſſime ſcilicet, ob improbitatem vitae. ſupra c. 16.

Patroni] C. Fabricii, cuius libertum Scamandrum fuiſſe, paullo ante dictum eſt.

Neque illud crimen tantum] Excuſatio. nam orator, cum vir bonus definiatur, bonas recipere cauſſas debet, malas reiicere.

Sicut ne illi quidem ipſi] Altera excuſatio: ne impudentes fuiſſe videantur Aletrinates, qui tam turpem cauſſam commendauerint.

CAPVT XVIII.

Cauſſa inſidiarum] Quod Oppianicus Habitum ideo veneno tollendum curaſſet, vt eo mortuo, qui teſtamentum adhuc nullum fecerat, bona eius omnia ad matrem venirent: quae ab ſeſe poſtea, aucta pecunia, maiore praemio, orbata filio, minore periculo necaretur.

Magno cum metu incipio dicere] Quod eſt hominis de ingenii fama, et de officio ſuo laborantis. In Diuin. c. 13. *Ita Deos mihi velim propitios, vt, cum illius diei mihi venit in mentem, quo die, citato reo, mihi dicendum ſit, non ſolum commoueor animo, ſed etiam toto corpore perhorreſco.* Lib. I. de Orat. c. 26. *Mihi etiam, quique optime dicunt, quique id facillime atque ornatiſſime facere poſſunt, tamen, niſi timide ad dicendum accedunt, et in exordienda oratione perturbantur, paene impudentes videntur: tametſi id accidere non poteſt. Vt enim quisque optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem, variosque euentus orationis, exſpectationemque hominum pertimeſcit*

Virtutis] Probitatis. non enim hoc ad eloquentiam refertur: cum de ingenio ſeparatim iam dixerit.

CAPVT XIX.

Qua tum eram] Octo annis ante, cum Cicero annos XXXII. natus eſſet. hanc enim orationem annis octo poſt Oppianici damnationem praetor habuit. Oppianici autem iudicium Scamandri, Fabriciique damnationem nullo fere temporis interuallo ſecutum eſt, cum L. Quintius, Oppianici defenſor, tribunus plebis eſſet, L. Lucullo, M. Cotta coſſ.

In minus firmis cauſſis] Minus bonis: in quibus pro reo quod diceret, defenſor inuenire vix poſſet.

Quod timide dicam] Ne mihi ipſe arrogaſſe nimium videar.

Vt quidquid] *Quidquid* pro quidque, et *quisquis* pro quisque vſitatum Ciceroni, et Lucretio.

Cur ſolus] Scamander.

Summa religione] Qui falſum non diceret: cuius animus ab omni fraude, mendacioque abhorreret.

Summa

Summa auctoritate] Grauis auctor: vt eius teſtimonio fidem abrogare non liceat.

Re quidem vera] Apparebat enim, venenum illud eius conſilio paratum.

Periculo] Quod ei, Scamandro condemnato, certum impendebat.

Tota accuſatione] Supra c. 18. *Omnia tela totius accuſationis in Oppianicum coniiciebantur.*

Aduocabat] *Aduocatus* interdum eſt, qui praeſens reo fauet. inde *aduocare*, eodem ſenſu.

Illi cauſſae] Scamandri.

Hoc ipſo in loco] In ſubſelliis reorum: ex quibus Cicero Cluentii cauſſam agebat.

CAPVT XX.

In conſilium iri] Sententias ferri. id eſt enim, *in conſilium ire.* infra c. 27. *In conſilium erant ituri iudices triginta duo:* pro, ſententias laturi.

Quaeſitor] Quaeſtioni praeerat, non tamen praetor erat. interdum tamen, atque adeo ſaepe praetor idem et quaeſitor.

Ex lege illa Cornelia] Quam L. Cornelius Sulla tulerat, vt ſententiae clam aut palam ex rei voluntate ferrentur.

Quae tum erat] Aliquid igitur poſtea mutatum videtur in illa lege, et opinor hoc ipſum de ſententiis ferendis.

Itum eſt in conſilium] Sententiae latae ſunt.

Staienus] Ab Oppianico corruptus, vt idem mox in ipſius Oppianici iudicio.

Dicebat] Peccato improbus, confeſſione impudens.

Prima actione] Ampliandi poteſtatem lege permittente.

Eſſe quaeſitum] Eſſe comparatum.

Sua ſponte] Non alieno conſilio.

Re] Cum is damnatus eſſet, cuius in iudicio ſcelus Oppianici patefactum iam eſſet.

Lege] Quae iudicum ſententiis reum condemnat.

Pronunciatione] Sententiis iudicum. infra c. 27. *Placuit, repente pronunciare iudices. Dixerunt, ſe id velle.*

Vtique ei locus primus conſtitueretur] Vt eius cauſſa, quod cum Scamandri cauſſa coniuncta eſſet, ſtatim ageretur. ſic Oppianico poſt damnatum Fabricium locus primus eſt conſtitutus. infra c. 22.

Rem enim integram] Cauſſam Scamandri, nullo antea praeiudicio damnatam.

Hominis non alieni] Ipſius Fabricii, pro Scamandro rogantis, vt periculum a ſe remoueret.

Defendere] Quam defenderat Cicero, rogatus ab Aletrinatibus.

Labefactare] Immutare, reſcindere. eadem enim erat Fabricii, Scamandrique cauſſa.

Ad Cepaſios fratres] De quibus in Bruto c. 69. *C. et L. Cepaſii fratres fuerunt: qui multa opera, ignoti homines, et repentini, quaeſtores celeriter facti ſunt, oppidano quodam et incondito genere dicendi.*

Quaecumque dicendi poteſtas eſſet data] Vel in cauſſa peſſima: quod eſt impudentiae.

CAPVT XXI.

Niſi forte haec cauſſa eſt (abeſt ab Ern.)] Niſi forte deterrimus, et obſcuriſſimus patronus ideo adhibetur, quod ab oratore aucto-

rita[s]

ritas etiam requiritur. ironia. non enim haec eſt cauſſa: nam ſi eſſet, optimus, et clariſſimus adhiberetur. quid igitur eſt cauſſae, cur deterrimus, et obſcuriſſimus adhibeatur? quia nocentis rei defenſionem optimus orator non ſuſcipit. ita neceſſario ad deterrimum confugitur.

Artificium] Vt in curando non peccent: auctoritas in iis non requiritur.

Etiam auctoritatem] Vt etiam boni viri putentur.

Erigebat animum] Cum attente audiri videret orationem Cepaſii, quaſi captis illius eloquentia iudicibus.

De re] Abſoluto prooemio.

Quae erant in cauſſa] Contra Fabricium.

Noua quaedam vulnera] Per imprudentiam dicebat ea, quae Fabricio nocerent.

Sedulo] Studioſe, ex animo, non vulnera putans, ſed remedia. Notatur imprudentia Cepaſii, qui ſe prodeſſe cauſſae arbitraretur, in quo noceret.

Callidiſſime] Pro Fabricio, quae contra Fabricium erant.

Putaret] Quod idem ceteri non putabant.

Illa verba grauiſſima] Ironia.

Ex intimo artificio] Quod intimum erat Cepaſio. nam reuera artificium in iis verbis nullum erat.

Reſpexit ipſe] Ad reum, et a ſubſelliis diſcedentem vidit.

Diſceſſerat] Abſolutione deſperata, ex infantia, et imprudentia defenſoris ſui, quem videret ad ea, quae erant in cauſſa, addere noua quaedam vulnera.

CAPVT XXII.

Locus ei primus eſt conſtitutus] Propter coniunctionem cauſſae, vt Fabricio poſt damnationem Scamandri.

Fabricios] De vno Fabricio nominatim locutus eſt: ſed Fabricius quoque Scamander fuit, cum Fabriciorum eſſet libertus. patet infra.

Illa iudicia ſenatoria] Quae tum per ſolos adminiſtrabantur ſenatores: poſtea communicata ſunt Aurelia lege tribus ordinibus, Pompeio et Craſſo coſſ.

Non falſa inuidia] Quam tamen in Verrinis orationibus veram eſſe dixit, vt iudices a corruptela deterreret.

Suis] Ipſorum iudicum.

CAPVT XXIII.

T. Atti] Hic eſt T. Attius Piſaurenſis, de quo in Bruto c. 78. *T. Attium Piſaurenſem, cuius accuſationi reſpondi pro A. Cluentio; qui et accurate dicebat, et ſatis copioſe: eratque praeterea doctus Hermagorae praeceptis: quibus etſi ornamenta non ſatis opima dicendi, tamen, vt haſtae velitibus amentatae, ſic apta quaedam, et parata ſingulis cauſſarum generibus argumenta traduntur: ſtudio autem neminem, nec induſtria maiore cognoui.* *Attius*, gemina *T* ex antiquioribus libris, Graeca ſcriptura, lapidibus malo ſcribere, quam *Accius*, vel *Atius*: quamquam dixerit Virgilius lib. V. Aen. v. 568.

Alter Atys, genus vnde Atii duxere Latini:

demente litteram poetica licentia.

Alter] Scamander.

Ipſe ſe condemnauit] Fabricius, a ſubſelliis diſcedens ante perorationem cauſſae.

Occurram exſpectationi veſtrae] Omittam, quae dici poſſunt: veniam ſtatim ad id, quod exſpectatis, id eſt, ad ipſam illius iudicii, quo Oppianicus damnatus eſt, corruptionem. ſupra c. 10. *Aceruatim iam reliqua, iudices, dicam, vt ad ea, quae propiora huius cauſſae et adiunctiora ſunt, perueniam.*

Eum potius] Maior enim metus in eo, qui de ſua ſalute periclitatur, quam in eo, qui alteri perniciem quaerit.

De illo ipſo] De corrupto ab Oppianico iudicio.

CAPVT XXIV.

C. Aelio Staleno] Quid ſi, *Staieno*, non *Staleno*, legatur? vt e Staiena gente per adoptionem in Aeliam transierit, aſſumto, vt infra c. 26. patet, Paeti cognomine. nam in Bruto c. 68. *C. Stalenus, inquit, qui ſe ipſe adoptauerat, et de Staleno Aelium fecerat.* De quo ſubiungit: *Feruido quodam, et petulanti, et furioſo genere dicendi: quod quia multis gratum erat, et probabatur, adſcendiſſet ad honores, niſi in facinore manifeſto deprehenſus poenas legibus, et iudicio dediſſet.* Facinus autem illud fuit, accepta ab Oppianico pecunia ad corrumpendum iudicium.

Tacita pietate] Erga patrem damnatum. Oppianici adoleſcentis infantiam infra quoque c. 60. notat his verbis: *Quid autem magnopere Oppianicum metuebat? cum ille verbum omnino in hac ipſa cauſſa nullum facere potuerit: huic autem accuſatores, matre viua, deeſſe non poſſent?*

In eo loco] In ſubſelliis accuſatorum. Nam etſi, me dicente, poteſtatem non habetis interpellandi: ego tamen vobis eam poteſtatem remitto; et, vt negetis ab Oppianico Staleno iudici pecuniam datam, concedo. negate, negate, inquam: in eo loco: quid reticetis? Similiter pro Sex. Roſcio c. 27. *Non quaero abs te, quare patrem Sex. Roſcius occiderit: quaero, quo modo occiderit. ita quaero abs te, C. Eruti, quo modo, et ſic tecum agam, vt in eo loco vel reſpondendi, vel interpellandi tibi poteſtatem faciam, vel etiam, ſi quid voles, interrogandi.*

Repetiſtis] A Staleno: qui cum pecuniam pro abſolutione Oppianici accepiſſet, eum condemnavit: itaque reddenda pecunia fuit.

Abſtuliſtis] Iudicio populi, agente tribuno plebis Quintio. infra c. 28.

Tantum donis datis, (Ern. *donis, datis*) *muneribusque profecerat*] Vlpianus L. 194. D. de verb. ſignif. ita diſtinguit *donum* a *munere*, vt genus a ſpecie: quia donum a donando dictum ſit, munus autem cum cauſſa donetur, vt natalitium, nuptialitium. coniunguntur igitur diſtinctionis gratia, vt pro Archia c. 8. *Suo iure noſter ille Ennius ſanctos appellat poetas, quod quaſi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis eſſe videantur.* Et lib. II. de Orat. c. 71. *M. Cincius, quo die legem de donis et muneribus tulit.* Confunduntur tamen interdum.

Profecerat (Ern. *perfecerat*] Corruptus enim in Scamandri iudicio

dicio Stalenus ab Oppianico, ſententia ſua Scamandrum vnus abſoluerat. ſupra c. 20. *Omnibus ſententiis, praeter vnam, quam ſuam Stalenus eſſe dicebat, Scamander prima actione condemnatus eſt.*

Patronus] Fabricius.

Ne ſua quidem ſententia liberatus] Quia, cauſſam illius agente Cepaſio, a ſubſelliis demiſſo capite diſceſſerat. ſupra c. 23. *Num etiam illa iudicia pecunia corrupta eſſe dicas, quibus iudiciis alter a Staleno ſolo abſolutus eſt, alter etiam ipſe ſe condemnauit.*

CAPVT XXV.

Bonorum Safinii Atellae] Cum Safinius Atella pupillus bona ſua iudicio repeteret ab iis, qui male emta poſſidebant.

Sexcentis millibus nummum] Scutatorum XVIII millia.

Suppreſſit] Non dedit iudicibus, ipſe clam retinuit.

Nec Safinio] Qui cauſſa cecidit.

Nec bonorum emtoribus] Vtrique parti reddenda non fuit, cum ab vno Stalenus eam accepiſſet. hoc tamen Cicero dicit, vt pecuniam ſibi habuiſſe Stalenum oſtendat, cum nemini omnino reddiderit, quae reddenda certe fuit alterutri parti, id eſt, ei, quae, cum dediſſet, condemnata tamen eſſet. Simile illud paullo poſt: *Illo abſoluto, pecuniam illam aut iudicibus diſpertiendam, aut ipſi eſſe reddendam.*

Ex ipſo Oppianico] A Staleno ſe proditum querente.

Grauari coepit] Quo ſe ſuamque operam pluris venderet.

Quod confici potuit] Quod obtinere potuit ab Oppianico.

H-S DCXL] Scutatorum XIX millia, ducentos.

CAPVT XXVI.

Nonne reddendum eſt] Repetet enim ſuam pecuniam: dicet ſe non opera mea, ſed propter innocentiam ſuam abſolutum.

Initium facit a Bulbo] Feſtiue admodum. nam cum initium cenae a bulbo fieri non ſoleat, Stalenus tamen a Bulbo iudice initium fecit iudicii corrumpendi. ideo vocauit eum Cicero praepoſterum, atque peruerſum, in ambiguo iocum quaerens.

Conditor totius negotii, Guttam aſpergit huic Bulbo] Mirum Ciceronis ingenium in lepore dictorum. Iudex eſt Bulbus, iudex et Gutta. rurſus, bulbus eſt cibus: gutta, liquor, quo conditur bulbus. ex ambiguo igitur ſumſit occaſionem iocandi. conditur enim bulbus adſperſa gutta.

Is] Bulbus iudex facilem ſe praebuit adiuncto Gutta iudice: vt bulbus cibus, adſperſa liquoris gutta, conditur, et amarum ſaporem amittit.

Deguſtarat] Non diſcedit a translatione. nam condire bulbum gutta, deguſtare aliquid ſpeculae, ſimilitudinem habent.

Sequeſter] Cuius in manu pecunia deponeretur.

Confirmator pecuniae] Qui de pecunia ſponderet a Staleno promiſſa, quaſi euictionis nomine, vt iuriſconſulti loquuntur. ſic *venditionis confirmatorem* Iulianus vocat eum, qui ſecundus auctor eſt. nam primus auctor, ipſe venditor.

Hominem] Stalenum.

Ex imaginibus Aeliorum] Aeliae enim gentis cognomen Paetus, vt in faſtis, anno vrbis DLII. *P. Aelius Paetus.*

Delegerat] Arbitratu ſuo: qui etiam ſe ipſe adoptaſſet, Aeliumque de Staleno feciſſet.

Si ſe Ligurem feciſſet] Si Liguris cognomen ex imaginibus Aeliorum ſumſiſſet. fuerant enim et Aelii Paeti, et Aelii Ligures, vt in faſtis.

Nationis magis ſuae] Quia natus, vel ortus ex Liguria.

Generis] Aelii. celandam igitur Stalenus in cognomine patriam putauit: Romanus omnino videri voluit, ex antiqua Aeliorum gente.

Planus] Deceptor. Graecum verbum. Horatius lib. I. epiſt. 17. v. 58.

Nec ſemel irriſus triuiis attollere curat
Fracto crure planum.

Plinius lib. XXXV. c. 10. *Agnoſcente vultum plani rege ex inchoato protinus.*

Quam palam omnes laturi eſſent] Ex lege Cornelia; quae poteſtatem reo dabat, vt ſententiae vel clam, vel palam ferrentur. reus enim Oppianicus, qui Staleno pecuniam ad corrumpendum iudicium dediſſet, quin palam ſententias ferri vellet, vt in eo Staleni fidem noſſet, minime dubium erat. ſupra c. 20. *Quaeſivit ab reo C. Iunius, quaeſitor ex lege illa Cornelia, quae tum erat, clam, an palam, de ſe ſententiam ferri vellet.* Infra c. 27. *Cum ſententias Oppianicus, quae tum erat poteſtas, palam ferri velle dixiſſet.*

CAPVT XXVII.

Placuit] Potuit iterum cauſſam agere: ſed, ne perfici res a Staleno poſſet, ſententias ferri ſtatim voluit.

Repente] Antequam res a Staleno perfici poſſet.

Pronunciare] Sententias ferre, de reo iudicare. ſupra c. 20. *Oppianico re, et exiſtimatione iam; lege et pronunciatione, nondum condemnato.*

Triginta et duo] Praeter Stalenum.

Eum numerum ſententiarum conficere debebant] XL nummorum millibus, id eſt, ſcutatis MCC in ſingulos iudices dispertitis.

Septimadecima] Iudices igitur omnino XXXIII.

Nummarii] Quibus a Staleno promiſſa, nec tamen data pecunia eſſet, vt Bulbus, et Gutta, ſupra nominati.

Omnes irati] Cur irati, ſtatim cauſſa ſubiicitur.

In campo] Futuris comitiis.

Eiusmodi iudices] Qui pecuniam accipere conſueſſent.

Ceteri] Integri, et iuſti.

CAPVT XXVIII.

Sortitio] Sortiebantur iudices ex lege illa Cornelia de ferendarum ſententiarum loco.

Bulbo, et Staleno, et Guttae] Quos ceteri iudices corruptos putabant.

Primo condemnare] Actione prima; cum eundem paullo poſterius, patefacta re, condemnare mallent.

Non liquere dixerunt] Ii fuere nouem iudices, quorum nomina infra c. 38. ponuntur. quinque autem

autem Oppianicum abſoluerunt, reliqui XIX condemnarunt. omnes enim iudices, adiuncto Staleno, XXXIII fuere.

Si alii] Bulbus, Stalenus, Gutta, alii nonnulli.

Verum iudicabant] Reo damnato. *Verum*, pro aequum, vt alibi.

Superioribus ſuis iudiciis] De Scamandro, et Fabricio.

Illum veſtrum innocentem Oppianicum] Ironia. nam ſi innocens, vt vos clamatis; cur eum quinque tantum abſoluerunt?

Aliqua ſuſpicione] Corrupti a Cluentio iudicii.

Ambitione] Vt boni viri viderentur, diſſimiles Bulbo, Staleno, Guttae, qui iam reum damnarant. infra c. 38. *O innocentiam Oppianici ſingularem! quo in reo, qui abſoluit, ambitioſus: qui diſtulit, cautus: qui condemnauit, conſtans exiſtimatur.*

In forum prolata] Agente tribuno plebis Quintio.

CAPVT XXIX.

Ad inflammandos animos multitudinis accommodatus] In Bruto c. 62. *Cn. Carbonem, M. Marium, et ex eodem genere complures minime dignos elegantis conuentus auribus, aptiſſimos cognoui turbulentis concionibus. quo in genere (vt in iis perturbem aetatum ordinem) nuper L. Quintius fuit.*

Ab iis] A iudicibus.

Ab illis] A populo circumaudiente.

Id adeo ſic cognoſcite] Familiare Ciceroni genus loquendi, vt lib. IV. in Verr. c. 63. *Id adeo, iudices, vt mihi ab illis demonſtratum eſt, ſic vos ex me cognoſcite.* Pro Caecina c. 30. *Id adeo, ſi placet, conſiderate.* Eſt enim in iis locis, *adeo*, quaſi rogantis.

CAPVT XXX.

Tum] In illa temporis iniquitate, atque inuidia.

Disceptatione] Conſideratione.

Propter conſcientiam mei ſceleris] Quia mei ſceleris eſſent conſcii.

Condemnatum] Duobus praeiudiciis.

Anni ſunt octo] Poſt Oppianicum damnatum.

Cluentius et Canutius] Accuſatores Oppianici.

Eo transire] Lepida translatio in tribus verbis, *transire, diſcedere, acceſſiſſe.*

CAPVT XXXI.

Ad conciliationem gratiae] Vt ſecum in gratiam Cluentius opera Staleni rediret. infra: *Qui enim poterat tum in gratiam redire cum Oppianico Cluentius?*

Cum faucibus premeretur] Cum reus eſſet; cum ſalutem ſuam in ſummum diſcrimen adductam videret; cum neceſſitas cogeret, quod paullo poſt dixit, *cum re premeretur.*

Conciliationis et gratiae] Lego, inducta copula, *conciliationis gratiae:* pro, *conciliatae gratiae.*

Ab reo] Ab Oppianico.

Confeſſus eſſet] In aedibus T. Annii, bonis viris in occulto audientibus.

Minus fidele] Aſtu: cum ſciret, exploſum iri, vt inane, commentum illud conciliationis gratiae.

Non eſt conſilium Cethegi reprehendendum] Minus fidele fuiſſe, non eſt putandum.

Cum re premeretur] Cum eſſet in diſcrimine. paulo ante: *cum faucibus premeretur.*

Haerebat] Scriptus, vt tolli non poſſet.

Reus et accuſator] Reus Oppianicus: accuſator, Cluentius: vt nec Oppianicus effugere poſſet, quin ab aliquo, vel ſi cum Cluentio in gratiam rediret, accuſaretur: (elabi autem quouis accuſante non poterat) nec ipſe Cluentius ab accuſando deſiſtere, quin calumniae ſubiret infamiam.

Ad corrumpendum iudicium pertinet] Hoc ſi verum eſſet; corruptum ab Oppianico iudicium per ſequeſtrem Stalenum, dici poſſet. nam accuſatorem a ſuſcepta cauſſa remouere, corrupti iudicii genus eſt. verum aliter ſe res habet. data Staleno pecunia eſt, non vt praeuaricaretur Cluentius, verum vt iudices ipſi corrumperentur.

CAPVT XXXII.

Iudicibus darentur] XL millia in ſingulos.

Iudicia facta permulta ſunt] Quinque condemnatis, tamquam nummariis iudicibus, (id enim obiiciebat Cluentii accuſator Attius) Iunio quaeſitore, Bulbo, Popillio, Gutta, Staleno: nam Falcula eſt abſolutus. ideo iudicium eius ab accuſatore commemoratum non arbitror: cum ex eo capere argumentum iudicii a Cluentio corrupti non poſſet.

Suo nomine] Nemo enim ante hoc tempus in iudicium eſt vocatus, quod a Cluentio pecuniam propter Oppianici damnationem accepiſſet. Loquitur hic Cicero de iis tantum iudicibus, qui damnati ſunt: quorum nemo, quod a Cluentio pecuniam accepiſſet, accuſatus eſt, ſed Iunius, quod in legem non iuraſſet, et quod ex lege ſubſortitus non eſſet; Bulbus, et Stalenus maieſtatis; Popillius, et Gutta de ambitu. itaque, quod ad hos quinque, qui damnati ſunt, attinet, res illa in iudicium vocata non eſt. Falcula vero bis cauſſam dixit, ſemel, quod non ſuae decuriae munere, neque ex lege ſediſſet: iterum, quod a Cluentio pecuniam accepiſſet: et vtroque iudicio eſt abſolutus. itaque pertinere ad hunc illa verba non poſſunt, *ante hoc tempus omnino iſta ipſa res ſuo nomine in iudicium numquam eſt vocata.*

De illo iudicio] De pecunia in Oppianici iudicio accepta.

Dicerentur] Non reuera eſſent, ſed ab accuſatore dicerentur.

Ruinae ſimiliora] Vt illud, quo Iunius damnatus eſt propter ſeditionem, et turbam.

Nihil contra Habitum valere] Vt Bulbi, Popillii, Guttae.

Pro hoc eſſe] Vt Staleni, et Falculae. de quibus infra c. 36. 37.

Vt neque appellata vmquam iudicia ſint] Et hoc proprie de Iunii iudicio dicitur; vt illud, *ruinae ſimiliora aut tempeſtati, quam iudicio et disceptationi.* de quo infra c. 37. *Ergo adhuc Iunii iudicium video eſſe eiusmodi, vt incurſionem potius ſeditionis, vim multitudinis, impetum tribunicium, quam iudicium, appellandum putem.*

CAPVT

CAPVT XXXIII.

Non modo cauſſae] Tempus aliquod poſcenti.

Ne legi quidem] Quae iudicem quaeſtionis abduci a ſuo munere vetabat.

Ad quaeſtionem] Vt de ipſo quaeſitore quaereretur. quaeſiuit autem infeſtus ei praetor, quod Oppianici iudicium corruptum per eum putabatur.

Disceptatio] Dictum eſt ſaepe, *disceptationem* eſſe conſiderationem eorum, qui iudicant.

Paucos dies] Donec Iunius quaerere deſiiſſet.

Priuatus] Perfunctus tribunatu plebis.

Quod in legem non iuraſſet] In quam iurare iudices ſolent. Hic locus oſtendit, differre iudicem quaeſtionis a praetore, praetor enim non iurat.

Homo ſanctus, et diligens] Ironia. iam enim de repetundis, ipſo Cicerone Siciliae nomine accuſante, damnatus Verres exſulabat. Hac de re ſic act. I. in Verr. c. 13. *Inuenti ſunt ſenatores, qui, C. Verre praetore vrbano ſortiente, exirent in eum reum, quem incognita cauſſa condemnarent.*

Subſortitionem eius] Prima ſortitio erat ex vniuerſo iudicum numero, per praetorem vrbanum: altera, reiectis ab reo et accuſatore iudicibus, in locum reiectorum, quae fiebat per quaeſitorem. lib. I. in Verr. c. 61. *De ſubſortitione illa Iuniana iudicum nihil dico.* Vbi Pediani diligentiam requiro. putat enim non Iunium, ſed praetorem ipſum Verrem ſubſortitum eſſe. nec tamen in eo ſibi conſtat: nam ſubiicit: *Q. Curtius, ſodalis eius, iudex quaeſtionis, ſubſortiebatur in locum reiectorum.*

Interlitus] Transfert a Iunio culpam in Verrem, qui codicem ſuum corruperit, vt damnaretur Iunius: quod alii ſententiam iudices de Oppianico tuliſſent, alii ſcripti eſſent in ſuo codice. Aſconius tamen Verrem excuſat, eaque de re Ciceronem inuidioſe magis, quam vere, locutum dicit.

CAPVT XXXIV.

Si ex lege ſubſortitus non erat Iunius] Quia falſos iudices ſuppoſuiſſet: cum alii eſſent in Verris codice. Non dicit, ſubſortitum non eſſe Iunium, ſed, ex lege ſubſortitum non eſſe: quod, ſimulata ſubſortitione, corruptos iudices contra legem ſuppoſuiſſet.

His legibus] Haec igitur duo crimina, vnum omiſſi a Iunio iuriſiurandi, alterum, quod ex lege ſubſortitus non eſſet, duabus legibus vindicabantur.

Quod contra aliam legem commiſerat] Quod contra legem Corneliam de veneficiis Oppianicum, iudicio corrupto, damnaverat. itaque Iunii damnatio praeiudicium in Cluentium fuit. Hoc ex perſona accuſatoris.

Qui hoc confitentur] Reſponſio Ciceronis: in qua verbum *confitentur*, iniquam rem ſignificat, quod, quibus criminibus a Iunio petita multa eſſet, quod in legem ſcilicet non iuraſſet, quod ex lege ſubſortitus non eſſet, eorum criminum legibus damnatus quidem eſſet, verum non propter ipſa crimina, ſed quia contra legem aliam commiſiſſet. quod qui confitentur, iidem, iniuſte

iuſte damnatum eſſe Iunium, ſimul confitentur. hoc quaſi κατὰ παρένθεσιν pronunciatur. ſi qui, inquit, ideo damnatum fatentur Iunium iis legibus, non quod aduerſus eas, verum quia contra aliam legem, id eſt, contra legem de corruptis iudiciis, commiſerit: iidem quod nos dicimus, poſſunt defendere, idem illud iudicium, quo damnatus eſt Iunius, iudicium non fuiſſe. ita noſtram cauſſam agent. *Poſſunt*, inquit, id eſt, licet eis defendere, id quod a nobis defenditur, iudicium illud non fuiſſe.

Poſſunt defendere] Idem faciunt, ac ſi defenderent: imprudentes defendunt.

Praetor] Quo quaerente de corruptis iudiciis, damnatus eſt Iunius.

Rem vllam potuiſſe mutari] Aut eadem nunc valere debent, ſi recta: aut, ſi haec recta, illa mutari, quae tum geſta ſunt.

Ad ſubſellia] Iudicum, quaerente praetore.

Illi] Quos digito oſtendebat. erant enim in foro, aduerſum iudicia.

Quaſi pro theatro] Cuius in gradibus quamplurimi ſedent.

Fauſto Sullae] Sullae dictatoris filio, Pompeii Magni genero.

De pecuniis reſiduis] Quae ad peculatum ſpectant. nam Orchinium de peculatu quaeſiſſe, infra c. 53. legitur. Pecuniae vero reſiduae, quibus accuſari Fauſtum iudices noluerunt, erant eae, quas ex publica adminiſtratione Sullani homines, ipſo Sulla largiente, in vſum priuatum conuerterant. Huc illa pertinent ex agr. I. c. 4. *Audite, audite vos, qui ampliſſimo populi ſenatusque iudicio exercitus habuiſtis, et bella geſſiſtis. Quod ad quemque peruenit, peruenerit, ex praeda, ex manubiis, ex auro coronario, quod neque conſumtum in monumento, neque in aerarium relatum ſit, id ad decemuiros referri iubet. Hoc capite multa ſperant: in omnes imperatores, heredesque eorum quaeſtionem ſuo iudicio comparant; ſed maximam pecuniam ſe a Fauſto ablaturos arbitrantur. Quam cauſſam ſuſcipere iurati iudices noluerunt, hanc iſti decemuiri ſuſcepere. idcirco a iudicibus fortaſſe praetermiſſam eſſe arbitrantur, quod ſit ipſis reſeruata.* Et illud pro C. Cornelio: *Idem, niſi haec ipſa lex, quam C. Cornelius tulit, obſtitiſſet, decreuiſſem id, quod palam iam iſti defenſores iudiciorum pugnauerunt, ſenatui non placere id iudicium de Sullae bonis fieri. quam ego cauſſam longe aliter praetor in concione defendi, cum id dicerem, quod iidem iudices poſtea ſtatuerunt, iudicium aequiore tempore fieri oportere.* Quo loco Pedianus: *Quia defuerat ſuperioribus temporibus in aerario pecunia publica, multa et ſaepe eius rei remedia erant quaeſita. in quibus hoc quoque, vt pecuniae publicae, quae reſiduae apud quemque eſſent, exigerentur. id autem maxime pertinebat ad Cornelium Fauſtum, dictatoris filium, quia Sulla per multos annos, quibus exercitibus praefuerat, et rempublicam tenuerat, ſumſerat pecunias ex vectigalibus, et ex aerario populi Romani: eaque res ſaepe erat agitata, ſaepe omiſſa, partim propter Sullanarum partium potentiam, partim quod iniquum videbatur, poſt tot annos, quam quis pecu-*

pecuniam acceperat, eius reddere rationem.

Exlegem] Lege ſolutum.

Accuſante] Apud Orchinium praetorem.

Tribuno plebis] Tribuni plebis acceptam a L. Sulla iniuriam vlciſci conabantur in filio. tulerat enim Sulla, vt iis, qui tribuni plebis fuiſſent, alios magiſtratus capere non liceret. quam poſtea legem abrogauit C. Cotta conſul.

Disceptari] Cauſſam agi.

Quid? conferam Sullamne cum Iunio] Fortaſſe diſtinguetur melius hoc modo: *Quid conferam? Sullamne cum Iunio? an hunc tribunum plebis cum Quintio? an vero tempus cum tempore?*

Hunc tribunum plebis] Qui Fauſtum de pecuniis reſiduis in iudicium vocauit.

Clientibus plurimis] A patre relictis.

Poteſtatis] Tribuniciae.

CAPVT XXXV.

Nec P. Popillius, nec Q. Metellus] Popillium C. Gracchus, Metellum L. Saturninus, tribuni plebis, expulerunt. poſt reditum ad Quir. c. 3. in ſen. c. 15. pro domo c. 31. pro Balbo c. 11.

Illud iudicium] Quo Iunius damnatus eſt.

Non fuit] De hac iterati eiusdem verbi figura diximus lib. V. in Verr. c. 45. hic tamen exemplum non omittam, quod eſt in agr. II. c. 23. *Nihil ſibi appetit praecipue Pompeius, nihil.*

CAPVT XXXVI.

Praemia legis] Vt in integrum reſtituerentur: vt, quo crimine damnati fuerant, abſoluerentur, conuictis eodem crimine, id eſt, ambitus, accuſatoribus ſuis. exemplum ſimile fuit eodem anno. nam Cotta et Torquatus, damnatis de ambitu Sulla et Autronio competitoribus ſuis, conſulibus deſignatis, ipſi legis praemio conſules facti ſunt. Eiusdem generis illud pro Balbo c. 25. *Obiectum eſt etiam, quod in tribum Cruſtuminam peruenerit: quod hic aſſecutus eſt legis de ambitu praemio, minus inuidioſo, quam qui legum praemiis praetoriam ſententiam, et praetextam togam conſequuntur.*

Maieſtatis eſſe damnatum] Accuſatus quidem eſt corrupti iudicii nomine, ſed ideo damnatus, quia maieſtatem laeſiſſet.

M. Aemilio, clariſſimo viro] Non arbitror ſignificari M. Aemilium Lepidum, qui cum Q. Catulo conſul fuit. non enim appellaret clariſſimum virum, qui Sullanarum partium inimicus, a Catulo collega diffidens, ad extremum infeſta patriae ſigna intulit. legendum igitur, *Mam.* non *M.* exiſtimo: vt ſit Mam. Aemilius Lepidus, qui cum D. Bruto conſul fuit.

Iudicii Safiniani] De quo ſupra c. 25.

Cominiis] Fratribus, qui etiam C. Cornelium, quem Cicero defendit, de maieſtate accuſarunt. in Bruto c. 78. *Ne hos quidem equites Romanos, amicos noſtros, qui nuper mortui ſunt, P. Cominium Spoletinum, quo accuſante defendi C. Cornelium: in quo et compoſitum dicendi genus, et acre, et expeditum fuit.* Aſconius pro Cornelio.

Conciliandae gratiae] Inter Cluentium, et Oppianicum.

Suſcepta] Praeter eius conſuetudinem.

Ad Iuturnae] Templum. vſitatum loquendi genus.

In eiusmodi ratione] In pecuniis contra leges captis.

Interpres] Sequeſter eius pecuniae, quam ſibi non ad corrumpendum iudicium, ſed ad conciliationem gratiae datam ab Oppianico dicebat.

Non probabatur] Non credebatur dicenti, ſe pacis et concordiae cauſſa pecuniam illam accepiſſe.

Poſt iudicium factum] Quo damnatus eſt.

Ablata eſt] Quia, quod promiſerat, non praeſtitiſſet.

CAPVT XXXVII.

Inuidioſiſſimum] Summae infamiae.

Poſt (abeſt ab Ern.) *paucos dies*] Non ſtatim, vt debuit, ſubſortitione facta, vt cauſſam audire poſſet, ſed poſt paucos dies, incognita cauſſa. hanc rem ſic exagitat act. I. in Verr. c. 13. *Inuenti ſunt ſenatores, qui, C. Verre praetore vrbano ſortiente, exirent in eum reum, quem incognita cauſſa condemnarent.* Vbi Pedianus: *Significat C. Fidiculanium Falculam, qui ad complendam Oppianici damnationem dicebatur eſſe ſuppoſitus.*

Vno iudicio multa eſt ab eo petita] Sed non exacta: eſt enim abſolutus. Alterum iudicium de pecunia ob rem iudicandam accepta, quo etiam eſt abſolutus, infra nominatur.

Suae decuriae munere] Cum reliquis ſenatoribus ex ſubſortitione. ſic enim cauſſam ante cognoviſſet, quam reum damnaret. *Decuria* ſenatores iudices ſignificat: qui tum ſoli iudicabant ex lege Cornelia. lib. I. in Verr. c. 61. *Ex hac decuria noſtra erepta eſſet facultas bonorum.* Et ibi Pedianus: *Honeſtiorum decuriae, inferiorum centuriae dicebantur.*

Neque ex lege] Quae ſententias ferri, niſi cauſſa prius cognita, vetabat.

Paullo ſedatiore tempore] Cum tribunus plebis non eſſet L. Quintius. nam paucis poſt Iunii condemnationem diebus e tribunatu exiuit. vnde illud ſupra c. 33. *Paucos dies exſpectaſſet Quintius. At neque priuatus accuſare, nec, ſedata iam inuidia, volebat.*

Eadem fere lege et crimine] Cur addit, *fere?* cum dixerit iam: *Multa eſt ab eo petita, ſicut ab Iunio, quod non ſuae decuriae munere, neque ex lege ſediſſet.* Quia Iunius non eſt damnatus, quod non ſuae decuriae munere, neque ex lege ſediſſet, verum vt ſupra narratur, quia non iuraſſet in legem, et quia ex lege ſubſortitus non eſſet.

Prima actione] Non ampliata cauſſa.

Non numero hanc abſolutionem] Alteram enim oſtendam, quae pro Cluentio ſit: nam haec nihil habet cum Cluentii cauſſa coniunctum.

Vt illam multam non commiſerit] *Multam committere*, eſt multam mereri, committere, quod multa dignum ſit. lib. III. in Verr. c. 12. *Poenam octupli ſine vlla dubitatione commiſſam non perſequebantur.*

Quam captam (*captam* abeſt ab Ern.)] A Fidiculanio.

Eadem lege] Cum eadem lege cauſſam diceret, qua Fidiculanius

nius poſtea eſt accuſatus, de pecunia ſcilicet ob rem iudicandam accepta: quae lex de repetundis fuit: vt infra.

Quaeſtionis eius] Qua et Iunius damnatus, et Fidiculanius prima actione eſt abſolutus.

Fidiculanius quid feciſſe dicebatur] Locutus eſt de vno iudicio, quo abſolutus eſt Fidiculanius: nunc alterum incipit exponere. quod magis pro Cluentio ſit.

H-S CCCC millia (*millia* abeſt ab Ern.)] Scutatorum duodecim millia.

Qua lege in eo genere a ſenatore ratio repeti ſolet] Hoc dicit, quia lege de repetundis ratio non repetebatur ab equite Romano: quod infra c. 55. diſputat.

De pecuniis repetundis] Vna lege de repetundis tenebantur, qui ſocios in prouinciis expilaſſent, et qui pecunias Romae ob rem iudicandam cepiſſent. infra c. 41. *Quid enim mihi damnatos ambitus colligitis, alia lege, certis criminibus, plurimis teſtibus? cum primum illi ipſi debuerint potius accuſari de pecuniis repetundis, quam ambitus.*

Adducti (Ern. *addocti*) *iudices ſunt*] Adducti ſunt vt crederent, perſuaſi ſunt.

Qui non perpetuo ſediſſet] Quod obiiciebatur Falculae. ſupra: *Cum praeſertim, id quod fuit in illo iudicio inuidioſiſſimum, poſt paucos dies ex ſubſortitione ſediſſet.*

Quae praeiudicia] Vnum in Scamandro, alterum in Fabricio.

Audire praeterea nihil debuiſſe] Cum aliquid tamen audierit Falcula, licet non totam cauſſam cognouerit, quippe qui poſt paucos dies ex ſubſortitione ſederit.

CAPVT XXXVIII.

Imperitorum hominum rumusculos aucupati] Ambitione adducti: ne corrupti, vt Bulbus, Stalenus, Gutta, qui iam Oppianicum damnauerant, viderentur.

Illum abſoluerunt] Oppianicum, a ceteris fere omnibus damnatum.

Iam] Abſoluto Falcula. quem qui abſoluerunt, Oppianici damnationem probare videbantur.

Suam clementiam] In abſoluendo Oppianico.

Laudari magnopere nolebant] Poenitebat iam eos clementiae ſuae.

Vna ſententia] Quam ſuam Stalenus eſſe dicebat.

Vter] Iudex, qui Oppianicum damnauit, an qui abſoluit?

Sibi] Sententiae ſuae.

Rei iudicatae] Praeiudiciis de Scamandro et Fabricio factis.

In principem maleficii] In Oppianicum. nam Scamander et Fabricius maleficii principes non fuerant, ſed conſcii et miniſtri.

Superiora iudicia] De Scamandro, et Fabricio facta.

Secuti ſunt] In Oppianico damnando.

Non Staleni fraude] Vt Bulbus, Gutta, Popillius, a Staleno corrupti.

Conſtantiam] Cum enim Scamandrum et Fabricium damnaſſent, declinare de ſuo ſtatu in Oppianici iudicio noluerunt.

Paullo poſterius, patefacta re] Ideo ſibi non liquere dixerunt, vt reum paullo poſt, cauſſa iterum cogni-

cognita, et re patefacta, condemnarent. ſupra c. 28.

Patefacta re] Vter pecuniam iudicibus dediſſet, Oppianicus, an Cluentius. nam ſuſpicio tantum adhuc erat: res ipſa non patebat.

Ex facto] Ex damnatione.

Quod ii fecerint] Cum ſibi non liquere dixerunt. de iisdem enim adhuc loquitur.

Ita dicere] Vt de Octauio, et Conſidio iam dixi.

Fuit] Obierat.

Ex vetere illa iudicum diſciplina] Nihil muto, ſed, *iudiciorum*, fortaſſe rectius. nam et ſupra c. 28. *Homines ſapientes, ex vetere illa diſciplina iudiciorum.*

Florente republica] Poſt obitum Sullae.

Ambitioſus] Supra c. 28. *Quinque omnino fuerunt, qui illum veſtrum innocentem Oppianicum, ſiue imprudentia, ſiue miſericordia, ſiue aliqua ſuſpicione, ſiue ambitione adducti, abſoluerent.*

Qui distulit] Qui ſibi non liquere dixit.

Cautus] Supra: *Eorum, qui ſibi non liquere dixerunt, ſapientiam laudo: qui abſoluere eum, quem nocentiſſimum cognorant, et quem ipſi bis iam antea condemnarant, nullo modo poterant: condemnare, cum tanta conſilii infamia, et tam atrocis rei ſuſpicio eſſet iniecta, paullo poſterius, patefacta re, maluerunt.*

CAPVT XXXIX.

Haec] Quae nunc a me demonſtrantur. ſupra c. 32. *Ita multum agitata, ita diu iactata iſta res eſt. vt hodierno die primum cauſſa illa defenſa ſit, hodierno die primum veritas vocem contra inuidiam, his iudicibus freta, miſerit.*

In iudicio] Quo Iunius damnatus eſt.

Priuatus eſt factus] Perfunctus tribunatu plebis.

Quod erat odium] Quo erat in omnes odio.

Equitem Romanum] Oppianicum.

CAPVT XL.

Ad quinquaginta] Prope quinquaginta.

Aduocati] Qui iudicio adeſſet, reo fauens.

A tribunicia voce deſertum] Viuo Sulla, qui tribunis plebis ademit concionandi poteſtatem.

Oppreſſerat] Occupauerat primus. nam etſi quadriennio ante Sulla deceſſerat; concionari tamen ante Quintium nemo tribunus plebis auſus erat.

Suis illis ipſis] Sullanis. nam L. Luculli exemplum ſupra c. 3. attulimus e Salluſtio.

Vsque ad talos demiſſam purpuram] Refellitur Plutarchus, qui tribunis plebis purpuram adimit, et hoc vtitur argumento, vt magiſtratum non fuiſſe tribunatum plebis oſtendat. aut nouum hoc in Quintio propter arrogantiam fuiſſe, exiſtimemus.

Quod eo loco fuit] Quod nouus homo fuit.

CAPVT XLI.

Tu] T. Atti.

Ea iudicia] De Iunio, Bulbo, Popillio, Gutta, Staleno: quos accuſator ideo damnatos eſſe dicebat, quod, accepta a Cluentio pecunia, innocentem Oppianicum damnaſſent.

Gratis

Gratis iudicaſſe] Falculam in Oppianici iudicio.

Omnia Quintiana] Retorquet argumentum. Nocens Falcula, quia condemnarat Oppianicum, quia cauſſam totam non audierat, quia vehementer et ſaepe in concionibus a L. Quintio vexatus erat. Immo innocens, quia, cum haec ita eſſent, abſolutus tamen eſt. Omnia iudicia, *Quintiana* vocat, vrgente tribuno plebis Quintio facta, quibus rei damnati ſunt Iunius, Bulbus, Popillius, Gutta, Stalenus. nam Falcula, cum priuatus eſſet Quintius, accuſatus eſt, et ideo abſolutus, quia nulla in iudicio ſeditio, nulla turba verſata eſt.

Quis nocens] Quis, accepta a Cluentio pecunia, Oppianicum damnauit?

In quemquam illorum] Illorum iudicum, qui damnati ſunt. quo patet, etſi obiecta illis iudicii corruptela ſit, aliis tamen eos criminibus eſſe condemnatos. nam ſi de corrupto iudicio damnati eſſent: damnatus eſſet et Falcula: cum nulla ſit illis obiecta res, quae non obiecta Falculae quoque ſit. ſed Falcula abſolutus vt innocens: ergo innocentes et illi.

Hoc iudicium] Quo abſolutus eſt Falcula.

Rebus iudicatis] Qui iudicia facta commemoras: et ex quorundam iudicum damnatione iudicium a Cluentio corruptum argumentaris.

Damnatos ambitus] Vt Popillium, et Guttam.

Alia lege] De ambitu.

Certis] Quae perſpicue commiſerant.

De pecuniis repetundis] Quo crimine accepta ob rem iudicandam pecunia comprehendebatur. itaque dixit ſupra c. 37. *Fidiculanius quid feciſſe dicebatur? accepiſſe a Cluentio H-S CCCC millia. Cuius erat ordinis? ſenatorii. Qua lege in eo genere a ſenatore ratio repeti ſolet, de pecuniis repetundis, ea lege accuſatus, honeſtiſſime eſt abſolutus.*

Propria lege huius peccati] De pecuniis repetundis.

Qua quisque lege] Diuerſa enim lege Iunius, Bulbus, Stalenus, Popillius, Gutta, damnati fuerant.

Hic profertur id, quod iudicium appellari non oportet, P. Septimio Scaeuolae litem eo nomine eſſe aeſtimatam] Praeiudicia multum habent ponderis ad eorum damnationem, qui propter eadem crimina in iudicium vocati ſunt. ideo protulerat accuſator Cluentii, litem aeſtimatam in cauſſa Septimii: quam dicebat aeſtimatam, non quod eo crimine accuſaretur, (nam aliis flagitiis in Apulia commiſſis reus erat, quibus etiam condemnatus eſt, vt infra narratur) ſed vt, cum aliis criminibus damnatus eſſet, plecteretur etiam ob culpam acceptae a Cluentio in Oppianici iudicio pecuniae. Id Cicero non negat, fateri etiam videtur, vt ex iis verbis, quae aliquanto poſt ſequuntur, coniicere licet. Quae res ſi rei iudicatae pondus habuiſſet, ille poſtea reus vel iisdem, vel aliis inimicis reus hac lege ipſa factus eſſet. Verum id iudicium appellari dicit non oportere. nam ſi iudicium eſſet, idem Septimius poſtea lege de captis pecuniis poſtulatus eſſet; quoniam eum ſperare poſſent, ac plane confidere eius inimici condemnatum iri eo crimine, quo de

crimine

crimine praeiudicium eſſe factum in aeſtimatione litium viderent: non igitur, quod in ipſo Septimio iudicium exiſtimatum non eſt, id Cluentio tamquam praeiudicium obeſſe debere, eoque minus, quod illa litis aeſtimatio extraordinaria fuit in cauſſa Septimii, et expreſſa a iudicibus contentione accuſantium inimicorum: non ſolere enim reos, ſemel damnatos, ſecundis criminibus affigi, ne ſi illa quidem capitalia ſint. Duplex igitur Ciceronis defenſio: tum quod aeſtimatio litis, quae iudicium non ſit, obeſſe Cluentio non debeat: tum etiam, quod iudices illi litem aeſtimauerint praeter conſuetudinem aliorum iudicum, contentione accuſatorum adducti.

Quod iudicium appellari non oportet] Litis enim aeſtimatio, iudicii ſuperioris appendix eſt, non iudicium.

Eo nomine] Quae pecuniam ob rem iudicandam accepiſſet.

Adhibita eſt] In eodem reo, iterum alio crimine in iudicium adducto. inuſitata igitur fuit aeſtimatio litis in Septimio, iam aliis criminibus damnato.

In litibus aeſtimandis] In aeſtimatione litium: in quibus iudiciis lites aeſtimantur: quae ſunt iudicia repetundarum.

Inimicum] Ideo litem non admittunt in illum illatam; ne videantur propter inimicitias infenſi.

Non admittunt] Ne, ſi rurſus eum damnauerint, inimicum damnaſſe videantur.

Perfunctos] Satisfeciſſe iam ſe putant officio ſuo, cum de reo iudicarunt, repetundarum accuſato: quo in crimine lis aeſtimatur.

De reo] De repetundis accuſato.

Attendunt] Cum idem reus alio crimine accuſatur.

Lites eſſent aeſtimatae] In cauſſa repetundarum damnationem ſequitur litis aeſtimatio. propterea ſimul vtrumque nominatur.

Reo damnato] Vbi quis de repetundis damnatur, ſequitur eam damnationem litis aeſtimatio: tantum ſcilicet vt ſoluat, quantum iudices, furtis cognitis, et examinatis, aeſtimarint.

Ad quos perueniſſe pecunias] Haec erat quaſi quaedam appendix cauſſae de repetundis iudicatae, atque damnatae; cum reus, aeſtimata lite, ſoluendo non erat: tunc enim agebatur in eos, ad quos ea pecunia perueniſſet. vide pro Rabirio Poſtumo c. 4. et in epiſtola Coelii ad Ciceronem, lib. VIII. Fam. epiſt. 8.

In litibus aeſtimandis ſtatutum ſit] Cum lites aeſtimabantur, ſtatuebatur, vt, ſi reus ſoluere non poſſet, vocarentur in iudicium ii, ad quos ea pecunia perueniſſet. Igitur, *in litibus aeſtimandis*, id eſt, cum alicui de repetundis damnato lis aeſtimata eſt: poſt litium aeſtimationem.

Non eſſe iudicium] Nam ſi eſſet, non abſoluerentur.

Aliis criminibus] Capitalibus: non hoc, de capta in Oppianici iudicio pecunia. ſequitur enim: *Omni contentione pugnatum eſt, vt lis haec capitis aeſtimaretur.*

Apuliae] Cui praefuerat.

Pugnatum eſt] Ab accuſatoribus, non contentis vnica Septimii damnatione. ab iis, qui reo fauebant.

Vt lis haec capitis aeſtimaretur] Quae lis? non illa, in qua Scaeuolam Apuli accuſauerant: nam

nam aeſtimationem hanc, prolatam ab accuſatore Cluentii, diverſam eſſe ab ea lite, indicant ſuperiora verba, *condemnatus eſt aliis criminibus. Lis* igitur *haec capitis* dixit Cicero, pro, lis haec maieſtatis, de corruptis iudiciis, quae nunc in Scaeuolam intenditur: quae capitis eſt. nam repetundarum crimen capitale non eſt. eam aeſtimationem iudicii loco habendam non eſſe, iidem illi, qui Scaeuolam accuſarunt, ſatis oſtenderunt, quia non eundem poſtea hac lege ipſa, qua nunc Cluentius cauſſam dicit, eodem crimine poſtularunt. Igitur, *vt lis haec capitis aeſtimaretur*, id eſt, vt, quae capitis lis erat, ad pecuniae ſolutionem redigeretur: iudicibus, qui ſe iam perfunctos arbitrarentur, concedentibus.

Hac lege ipſa] De repetundis. nam litis aeſtimatio ad crimen repetundarum pertinet. Scaevola enim non hac lege, ſed aliis criminibus et reus factus eſt, et condemnatus. lis autem ei aeſtimata gratiae cauſſa: vt, quod capitale erat, pecunia aeſtimaretur.

CAPVT XLII.

Huiusce periculi] Ne Cluentio noceat cenſoriae animaduerſionis exemplum.

Qui cenſores proxime fuerunt] Infra nominantur, Cn. Lentulus, et L. Gellius.

Cum altero vero] Opinor hunc eſſe Cn. Lentulum; quem paullo poſt familiarem ſuum vocat.

De ſubſcriptionibus eorum] Cenſores, cum aliquem damnabant, cauſſas, cur damnarent, ſubſcribebant.

In amicorum periculis] Cum eorum cauſſas agit, ſicuti ego nunc Habitum defendo.

Dignitas] Cenſoria.

Amicitia] Quae mihi cum ambobus eſt, qui cenſores proxime fuerunt.

Illius conſilii Iuniani] Cum Oppianicus, iudice quaeſtionis Iunio, damnatus eſt.

C. Getam] Licinium. qui cenſor fuit cum Q. Fabio Allobrogico, ſeptem annis poſt eos cenſores, a quibus e ſenatu eiectus erat. Valerius Max. lib. II. c. 9. et Frontinus de Aquaeduct. c. 96.

Turpi iudicio] Vt furti, et captarum pecuniarum.

Illarum ipſarum rerum iudiciis] Sunt enim certa et propria de furto, et de captis pecuniis iudicia.

CAPVT XLIII.

Niſi qui inter aduerſarios conveniſſet] Cuius generis cenſores non ſunt.

Haec ignominiae cauſſa] A cenſoribus illata.

Iudices] Nominandi caſu dictum, non vocandi. qui vero iudices, explanat, ſubiungens, *ſenatores, equitesque Romani*, qui poſt Pompeium et Craſſum conſules Aurelia lege iudicabant.

Optimum quemque] E ſingulis ordinibus.

In ſelectos iudices] Verbi gratia, qui de repetundis, de ambitu, de maieſtate iudicarent.

In aerarios referri] Si quem de plebe cenſores notabant, in aerarios referebant, id eſt, civem eo tantum nomine patiebantur eſſe, vt pro capite ſuo tributi

nomine

nomine aera penderet. Aſconius in Diuin. c. 3.

Tribu moueri] Ex ruſtica in vrbanam reiici, aut ex ruſtica nobili in aliam ruſticam minus nobilem, vt Balbus Cruſtuminam eſt adeptus, legis de ambitu praemio.

A magiſtratibus] A praetoribus vrbanis.

CAPVT XLIV.

Illa acerbiſſima proſcriptio] Sullana. vnde ſubiicit, *dictatorium gladium.* Eſt autem in ſimilitudine nominum quidam lepor: *Videte, ne ſubſcriptio proſcriptio ſit.*

Stilum] Quo ſubſcribebant cenſores.

Retuderunt] Ne nocere poſſet.

Gladium] Et hic lepor eſt. ſubſcribentis enim ſtilus, proſcribentis gladius.

Quod in cauſſa non eſt] Quid enim cenſoribus cum hoc iudicio?

Secus] Male. ſic enim interdum accipitur.

Qui tabulas publicas] Epilogus criminum Oppianici, quae ſupra latius explicata cognoſcuntur.

Teſtamentum] Socrus ſuae Dineae.

Suppoſita perſona] Aiulio Aſinium ſimulante.

Eum] Aſinium.

Auunculum filii ſui] M. Aurium, fratrem vxoris ſuae.

In ſeruitute] In ergaſtulo, apud Q. Sergium ſenatorem, in agro Gallico.

Proſcribendos] Victore Sulla, cuius in partibus fuit. proſcripſit autem, et occidit Larinates quattuor, vt ſupra c. 8.

Eius vxorem] Saſſiam, Cluentii matrem.

Priuigno ſuo] Cluentio.

Siue voluntas, ſiue opinio fuit (*fuit* abeſt ab Ern.)] Carpit in *voluntas*, excuſat in *opinio*. nam voluntas libera eſt, et ab odio interdum proficiſcitur: opinio rationem aliquam ſequitur, et eligit, quod rectum eſſe putat: quamquam ſaepe putat, quod non eſt.

CAPVT XLV.

Cauſſa cognita] Quam non audierunt.

Habebantur (Ern. *habebant*)] Quo tempore Quintius concionabatur.

CAPVT XLVI.

Sortitione in quosdam] Vt in decimum quemque ſorte animaduerteretur. Liuius lib. II. c. 59. Tacitus lib. III. Annal. c. 21. Polybius lib. VI. c. 36. alii.

Religionem] Iurisiurandi.

CAPVT XLVII.

Illa iudicia] Facta eo tempore.

Ex notatione tabularum] Diſcoloribus enim ceris notatae ſunt, Hortenſii oratoris, vt creditum eſt, culpa. quod ei Cicero obiicit in Diuin. c. 7.

Homines] Cenſores. ſequitur enim paullo poſt, *ſua auctoritate.*

Quos ceteris vitiis] Loquitur de iis iudicibus, qui Oppianicum damnarant.

Illis cenſoribus] Pompeio conſule, et Craſſo.

Communicata] Aurelia lege. Aſconius in Diuin. c. 3.

Homi-

Hominum idoneorum] Qui digni cenſoria notatione viderentur.

Illa iudicia] Senatoria.

Cum equeſtri ordine] Simul cum equeſtri ordine, illa iudicia reprehendente: vt legem de communicandis iudiciis neceſſariam fuiſſe oſtenderet.

L. (Ern. *P.*) *Popillium*] Publium ſupra c. 35. et 36. nominauit.

Locum ſenatorium ludis] Vt ſpectaret ludos in orcheſtra: quod ſolis licebat ſenatoribus.

Cetera ornamenta] Vt lati claui tunicam, calceos lunatos: de quibus Phil. XIII. c. 13. *Mutauit calceos: pater conſcriptus repente factus eſt.* Feſtus, Iſidorus lib. XIX. Orig. c. 34. Zonaras lib. VII. c. 9.

CAPVT XLVIII.

In ipſum Habitum] Equitem Romanum. equum publicum cenſores equitibus Romanis adimebant.

P. Africani] Paulli filii.

Contra] Contra Sacerdotem.

Equum traducere] Non enim adimere equum voluit, contra quem nemo diceret.

Facere licuiſſet] Vt eadem conditione, qua Sacerdos, vteretur: ne ſcilicet in eum ſine teſte aliquo animaduerteretur.

Facile] Teſtis enim contra eum nemo diceret.

Illis ipſis iudicibus] Ipſorum cenſorum iudicio, qui in eum animaduerterunt.

Excitatae] Turbulentis Quintii concionibus.

Elogium] Teſtificationem.

Videlicet] Ad ironiam oſtendendam.

Quem oderat] Vt ipſe ais.

CAPVT XLIX.

Inuidia flagraret] Infamia iudiciorum, nondum lata lege Aurelia.

Iudicium publicum] Quo de veneficiis accuſatus eſt Oppianicus. id autem iudicium publicum eſt.

Iſtam legem] *Iſtam*, dicit, non quae lata ſit, ſed quae, facto eiusmodi ſenatus conſulto, ferenda videtur fuiſſe. non eſt autem lata, quia ſenatus conſultum illud temporis cauſſa factum eſt, non quia iudicium Oppianici corruptum a Cluentio ſenatus iudicaret. propterea ſubiicitur: *Factum eſt illorum aequitate, et ſapientia conſulum, vt id, quod ſenatus decreuerat, ad illud inuidiae praeſens incendium reſtinguendum, id poſtea referendum ad populum non arbitrarentur.*

In quos] Corruptum locum ita ſanari poſſe arbitror: *Ii, queis tum conſulibus deſignatis idem illud ſenatus decreuerit.*

Referendum ad populum] *Ferri ad populum*, dicitur, *non referri.* itaque malim hic, *ferendum.*

Rem illam] Vt ipſo iudice populo de Oppianici iudicio ageretur.

Totam illam legem et quaeſtionem repudiauit] Totum conſilium ferendae legis abiecit, nec apud ſe de C. Iunio quaeri voluit, ſed apud eos iudices, quorum de criminibus illis, quibus accuſatus eſt, quaeſtio legitima erat.

CAPVT L.

Quam ego turpiter paene praeterii] Lepida ironia.

Ex oratione neſcio qua] Ex actione I. in C. Verrem. nam infra ſubiicitur, *cum accuſarem.*

Vnum autem accuſauerat Verrem. Oratorie fingit ſe oblitum eſſe, quid aliquando in iudicio dixerit: quaſi orator, cauſſae ſerviens, aliud alio tempore dicere cogatur.

Quam meam eſſe dicebat] Quod ego neque confiteor, neque nego.

Illius ipſius iudicii Iuniani] Significat illa verba, quae ſunt in actione ſupra dicta c. 13. *Quod inuenti ſunt ſenatores, qui, C. Verre praetore vrbano ſortiente, exirent in eum reum, quem, incognita cauſſa, condemnarent; quod inuentus eſt ſenator, qui cum iudex eſſet, in eodem iudicio et ab reo pecuniam acciperet, quam iudicibus diuideret, et ab accuſatore, vt reum damnaret?*

Et auctoritatis] Vt mihi fides haberetur: vt auctoritatem haberet oratio mea.

Populi Romani] Circa iudicium ſtantis.

Perinde quaſi] Excuſat conſilium ſuum de ſcribendis orationibus, et refellit eam rationem, qua ſcribendas non eſſe Antonius iudicabat.

CAPVT LI.

In iſto genere] In ſcribendis orationibus.

M. Bruto] Qui male audiit eo nomine, quod induſtriam operamque ſuam ad accuſandum contuliſſet. itaque in Bruto c. 34. ait Cicero: *In quo magnum fuit, Brute, dedecus generi veſtro, qui, cum tanto nomine eſſet, patremque optimum virum habuiſſet, et iuris peritiſſimum, accuſationem factitauerit.*

In diſſuaſione] De qua ſic in eodem libro c. 43. *Voluit adoleſcens in colonia Narbonenſi cauſſae popularis aliquid attingere, eamque coloniam, vt fecit, ipſe deducere. Exſtat in eam legem ſenior, vt ita dicam, quam illa aetas ferebat, oratio.*

Senatus] Qui nolebat illam coloniam deduci.

Legis Seruiliae] Q. Seruilius Caepio conſul, cum equeſter ordo lege C. Gracchi ſine ſenatu iudicaret, legem tulit de iudiciis inter vtrumque ordinem communicandis. quamquam Plutarchus tuliſſe Gracchum ait, non vt ſoli equites, ſed vt cum ſenatoribus, pari numero, iudicarent. Seruiliam vero legem cum ſuaderet L. Craſſus, laudare ſenatum, et equites accuſare eſt coactus. itaque in Bruto c. 44. *Mihi quidem*, ait Cicero, *a pueritia quaſi magiſtra fuit illa* (Craſſi) *in legem Caepionis oratio: in qua et auctoritas ornatur ſenatus, quo pro ordine illa dicuntur, et inuidia concitatur in iudicium, et in accuſatorum factionem, contra quorum potentiam populariter tum dicendum fuit.* Hanc tamen legem vt antiquatam putem, ea ratione adducor, quod eundem Caepionem apud ſolos equites, contra Plutarchi teſtimonium, poſtea cauſſam dicere, ſcriptum video lib. II. de Orat. c. 48. *Animos*, inquit, *equitum Romanorum, apud quos tum iudices cauſſa agebatur, ad Q. Caepionis odium, a quo erant ipſi propter iudicia abalienati, renouabam atque reuocabam.* Accedit illud, quod cum legem de communicandis inter tres ordines iudiciis L. Aurelius Cotta praetor tulit, tum ſolos equites iudicaſſe ſatis conſtat. Iam hic ipſe locus, *quo animi illorum iudicum in Craſſum incenderentur,*

tur, ſolos equites iudicaſſe non oſtendit?

Flagitabat] Craſſus a Bruto, qui eum poſt obitum patris nequitia conſumſerat.

Eas ſe tamen balneas] Dicebat Craſſus eas balneas a Bruto ſe requirere: cum ſignificaret, balneas quoque ab eo ſumtibus immoderatis eſſe diſſipatas.

Ex tabulis] Domeſticis, in quas omnia referebantur.

Cenſu] Bruti pater, cum profiteretur. balneas nominauit.

Magis] Quam in meis, quae de republica non ſunt.

Cum iſta dixi] Contra Verrem. Nunc orationem ſuam agnoſcit, et excuſat, quae tum dixit.

CAPVT LII.

Facto eius] Innocentia.

Lege] Qua ſoli ſenatores tenebantur. Habitus autem ſenator non erat. hanc legem Sulla tulerat, et de veneficiis, et ne quis iudicio circumueniretur: quo de crimine propriam legem C. Gracchus antea tulerat. infra c. 55.

Itane eſt] Lepida irriſio. de quo loquendi genere plura diximus in ea pro Quintio c. 11.

Lex ipſa] Pro ſe ipſa loquens.

Certe] Ad iudices orationem conuertit. ſequitur enim, *hominem*, id eſt, accuſatorem.

Inſtituto meo] Nam conſueui non meo ſolum vti conſilio, ſed eius etiam, quem defendo, parere voluntati.

Honeſti] Qui ſuam exiſtimationem minui non vult. nam ſi lege defendatur, cauſſae diffidere videretur.

Ciuitatis retinendae] Exſilium enim poena erat de veneficio damnatis. infra c. 61. *Quid erat, quod iam Oppianicum, poena affectum pro veneficiis, eiectum e ciuitate, quiſquam timeret?* Accuſator autem, quo magis iudicum animos e ſuperiore Cluentii vita ad damnandum impelleret, corrupti quoque iudicii crimen in eum conferebat.

Neque enim id ſemper facere debemus] Non enim, quae Cluentii, eadem omnium innocentia eſt.

CAPVT LIII.

Quod ait Attius] Cum vereretur, ne Cluentium Cicero lege, non facto, defenderet.

Q. Naſo] Quaeſtio de veneficiis Q. Voconio Naſoni praetori obtigerat.

M. Plaetorii, et C. Flaminii] Miror vnam quaeſtionem duorum praetorum eſſe. ſuſpicari tamen licet, ita multos accuſatos eſſe inter ſicarios, vt praetor vnus non ſufficeret.

C. Orchinii] Quem ſupra c. 34. nominauit.

Mea] Praetor igitur Cluentium defendit.

De pecuniis repetundis] Quo crimine damnauit C. Licinium Macrum, Calui oratoris patrem. lib. I. ad Attic. epiſt. 4. et Plutarchus.

C. Aquillii] Iuriſconſulti clariſſimi, de quo diximus in Quintiana c. 1. De numero praetorum vide quae diximus in eadem: ne ſaepius eadem iterentur.

Quid reliquae quaeſtiones] Vt de maieſtate, de vi publica: de quibus criminibus praetores quaerebant.

CAPVT LIV.

Iudicem quaeſtionis, hoc eſt, Q. Voconium] Praetor igitur interdum vocabatur *iudex quaeſtionis:* interdum autem, atque adeo ſaepiſſime, iudex quaeſtionis non eſt praetor, vt in cauſſa Verris, et in eo iudicio, quo Oppianicus damnatus eſt.

Obuenerint] Nam ſorte ducebantur.

Non ita eſt]. Nam ſi ita eſſet, omnes mortales alligaret. ita Cluentius quoque comprehenderetur. ſed eum hac lege non teneri ipſa legis verba demonſtrant.

Legionibus quattuor primis] Ordinariis. nam binas legiones ſinguli conſules habebant.

Qui eorum coit] Ipſe ſe ſtatim interpretatur, ſubiiciens: *Qui eorum. quorum? videlicet, qui ſupra ſcripti ſunt.*

Quo quis iudicio publico condemnaretur] Diuerſis de rebus vna eademque lege caueri, mirum videtur. nam qua lege Voconius quaerit, ea de veneficiis eſt: haec autem verba, *quo quis iudicio publico condemnaretur*, ad legem de repetundis pertinent, quae corrupti iudicii crimen complectebatur. itaque tollenda ſuſpicarer, niſi paullo poſt legerem, quaeſtionem de corruptis iudiciis, quam C. Gracchus propria lege ſanxerat, a L. Sulla conſtitutam eſſe lege de veneficiis, qua Cluentius reus factus erat. propterea dicitur infra c. 56. *Illi non hoc recuſabant, ea ne lege accuſarentur, qua nunc Habitus accuſatur, quae tunc erat Sempronia, nunc eſt Cornelia.*

Hac facultate defenſionis] Eo, quod in patrociniis praeſtare ipſe poſſim.

Quae de lege ab Attio dicta ſunt] Dixerat Attius, iniquum ſibi videri, non iisdem legibus omnes teneri.

De te tibi obſequor] Facto, non lege, defendi vis. in quo tibi obſequor, neque praeſidio legis vtor.

CAPVT LV.

Cum eius rei quaeſtionem hac ipſa lege conſtitueret, qua vos hoc tempore iudicatis] Cum quaeſtionem de corruptis iudiciis in legem de veneficiis includeret.

In equeſtrem ordinem] MDC equites victor Sulla occidit, quia pro Cinnanis partibus ſteterant, id ex Appiani lib. I. de bell. ciu. notum eſt. Aſconius autem in orat. in toga candida: *Equeſter ordo pro Cinnanis partibus contra Sullam ſteterat, multasque pecunias abſtulerant: ex quo* ſaccularii *erant appellati: atque ob eius rei inuidiam poſt Sullanam victoriam erant interfecti.*

Quaeſtus in veteres iudices] Lego, diſſentientibus antiquis libris: *Qua eſt vſus in veteres iudices.* atque hac ego coniectura, nec a vetere ſcriptura longius diſcedente, et ſententiam illuſtrante, magnopere delector. quid enim eſt, *quaeſtus in veteres iudices*? quanto autem aptius, *acerbitatem proſcriptionis ſuae, qua eſt vſus in veteres iudices?* veteres enim iudices, id eſt, equites Romanos, qui lege C. Gracchi per annos XL iudicia tenuerant, non modo iudicandi poteſtate victor Sulla priuauit, verum etiam proſcripſit.

Mihi credite, iudices] Ad eos iudices haec maxime ſpectant, qui erant ex equeſtri ordine: ad ſenato-

ſenatores autem, quae ſubiiciuntur, *quales, vt vere dicam, vos eſtis, et ceteri, qui ſine cupiditate vixerunt.*

Quidquam eſſe] Aut honorem, aut poteſtatem vllam.

Qui rem iudicarent] *Iudicarint*, temporis ratio poſtulat.

Auctoritatem huius ordinis confirmari] Ordinis ſenatorii. confirmari autem ſocietate, et coniunctione equeſtris ordinis.

Iudicia] Quae nunc per ſenatores et equites adminiſtrantur.

Euellere ſe aculeum ſeueritatis veſtrae poſſe confidunt] Sperant fieri poſſe, ne ſeuere iudicetis. Haec autem ad equites dicuntur, qui lege non tenebantur.

CAPVT LVI.

M. Druſo tribuno plebis reſtiterunt] M. Druſi, qui ſenatus cauſſam contra C. Gracchum defendit, filio. pro Rabirio Poſt. c. 7. *Potentiſſimo et nobiliſſimo tribuno plebis, M. Druſo, vnam in equeſtrem ordinem quaeſtionem ferenti, ſi quis ob rem iudicatam pecuniam cepiſſet, aperte equites Romani reſtiterunt.*

C. Maecenas] Diphtongus in prima ſyllaba ponitur, ex antiquis libris, e Graeca orthographia, ex vetere inſcriptione, quae Romae legitur in aedibus Fuſconum his verbis: LIBERTORVM. ET. LIBERTARVM. C. MAECENATIS. L. F. PONT. POSTERISQVE. EORVM. ET. QVI. AD. ID. TVENDVM. CONTVLERVNT. CONTVLERINT. Videtur Cilniae gentis fuiſſe, quantum ex antiquis monumentis, aliqua licet ex parte deprauatis, coniicere non difficile eſt. nam Auguſtus in epiſt. apud Macrobium lib. II. Saturn. c. 4. eum appellauit *Cilneorum ſmaragdum.* Silius Italicus lib. VII. v. 29.

Cilnius, Arreti Tyrrhenis ortus in oris,
Clarum nomen erat.

Ortum autem a Tyrrhenis regibus, docet Horatius Ode I. Et, Arretinum fuiſſe, ex eadem Auguſti epiſtola cognoſcitur, in qua *laſer Arretinum* appellatur.

Recuſando] Ne lege alligarentur.

Cum haec recuſarent] Malim, *cum et.*

Iudicio populi Romani] Mandantis eos magiſtratus, quibus geſtis, aditus in curiam, vel ſine lectione cenſoris, patebat. ii qui eſſent, locus hic oſtendendi non eſt.

Locus] Honeſtas, et dignitas ſenatoria. quam rem ſic attingit in ea pro Poſtumo c. 7. *Delectat ampliſſimus ciuitatis gradus, ſella curulis, faſces, imperia, prouinciae, ſacerdotia, triumphi, denique imago ipſa, ad poſteritatis memoriam prodita. Eſt ſimul etiam ſollicitudo aliqua, et legum, et iudiciorum maior quidam metus.*

Toga praetexta] Magiſtratus, cuius erat inſigne toga praetexta.

Sella curulis] Curules magiſtratus, aedilitas, praetura, conſulatus.

Inſignia] Senatoria. nam toga praetexta, ſella curulis, faſces, magiſtratuum, non ſenatorum, inſignia ſunt. inſignia vero ſenatorum omnium fuere, latus clauus, calcei lunati.

Sempronia] C. Gracchi.

Cornelia] L. Sullae.

CAPVT LVII.

Per paucos iudices adſtringatur] Per vos: qui ſi hac lege Habitum teneri vultis, eandem vniverſo populo Romano conditionem imponitis.

Et ii, qui magiſtratum habuerunt] Licet ſenatores non ſint. ſenatores enim dicuntur, quos cenſor in ſenatum legit. multi autem, nondum in ſenatum lecti, magiſtratum gerunt. propterea eſt in lege: *Qui tribunus militum legionibus quattuor primis, quiue quaeſtor, tribunus plebis, quiue in ſenatu ſententiam dixit, dixerit.* Et: *Qui magiſtratum habuerit, quiue in ſenatu ſententiam dixerit.*

Per eum] Vult enim defendi a me facto, non lege.

In lege autem praeſidii nihil fuiſſe] Ita videbuntur equites Romani hac lege omnes teneri, et, ſi accuſati fuerint, defendi eos oportebit non lege, ſed facto. quod ego ſi permittam, non populo Romano praeſtem id, quod debeo.

Quam late pateat] Alligat enim omnes mortales: ſi modo transfertur in populum Romanum.

Incertum eſt] Non enim conſtat, ad quos proprie pertineat.

Obſcurum et occultum] Obſcurius enim, et occultius eſt conſentire, quam coire, et conuenire.

CAPVT LVIII.

Permiſſum] Permittitur poteſtati.

Commiſſum] Committitur ſidei, et religioni.

Pro Cluentii voluntate, nimium] Qui legis praeſidium recuſat, loqui me de facto, non de lege, vult.

Pro reipublicae dignitate, parum] Poſtulat enim reipublicae dignitas, vt multis verbis leges defendam.

Pro veſtra prudentia, ſatis] Nam ſi plura dicerem, diffidere viderer prudentiae veſtrae.

Praeter inuidiam] Contra iudicium illud Iunianum excitatam. hac enim vna opprimi Cluentium poſſe, vobis iudicibus, non ſperarunt.

CAPVT LIX.

Intelligetis] Ex iis, quae ſequentur, intelligetis, me pluribus neceſſario verbis egiſſe, quae iam dixerim: agam enim ea breviſſime, quae paucis demonſtrari poterunt.

Calumniam] Calumniae accuſabantur, qui, contra quem agere ius non erat, eum in iudicium vocabant.

Hominem multorum hoſpitum] Facete dictum ambiguo ſenſu. nam hoſpitem multorum eſſe, laus eſt in nobilibus viris: in caupone quaeſtus eſt, itaque laude caret.

Annos octo] Ab Oppianici iudicio ad hoc tempus, id eſt, a L. Lucullo, M. Cotta, ad M. Lepidum, L. Tullum conſules.

CAPVT LX.

Ad huius voluntatem maxime] Vt obiecta refellerem. id enim laborabat Cluentius, etiam ſi ad iudicium, quod erat de criminibus veneni, minime pertinerent.

Tamquam mihi crimen eſſet diluendum] Quod dilui non oportet: quia nihil probat accuſator.

Quid

Quid magnopere Oppianicum metuebat] Non enim metuebat, ne accuſaretur ab eo, cuius infantiam videtis, cum in hac ipſa cauſſa verbum nullum facere potuerit. Eundem, tamquam nulla praeditum dicendi facultate, ſupra c. 24. carpit his verbis: *Te appello, Oppianice, te, T. Atti: quorum alter eloquentia damnationem illam, alter tacita pietate deplorat.*

Crudior] Pridiana cena non concocta.

Sibi tum (Ern. *tamen*) *non pepercisſet*] Plus comediſſet, quam debebat.

CAPVT LXI.

Ab vxorum] Quas occidit. Magiam, Dineae filiam, et Cluentiam, Habiti amitam, ſignificat.

CAPVT LXII.

Cur deinde tu] Oppianice adoleſcens.

Habiti exemplo] Qui Fabricios accuſauit, vt per eos de Oppianico praeiudicaretur.

Statio Albio] Oppianici liberto: cum eius appelletur et praenomine et nomine.

Valente] Bonorum laterum: vt mulieri libidinoſiſſimae ſatisfacere poſſet.

Incolumi fortuna] Si quis incolumi fortuna eſſet, quamuis ita diſſolutus, vt omnia negligeret, ferre tamen eam familiaritatem non poſſet. Oppianicus, et afflicta fortuna, et aeger, aliquamdiu ferre coactus eſt.

Ad vrbem] Extra portam.

CAPVT LXIII.

In emendo Diogene] Superiora iterare non eſt neceſſe.

Spe] Libertatis.

Metu] Tormentorum.

Vi tormentorum] Quae veritatem exprimunt.

CAPVT LXIV.

Auri] Non pecuniae, ſed vaſorum, et ſimilium.

*H-S**] Argenti non multum ſignificari oportet, cum dixerit, *nummorum aliquantum:* numerum autem ſeſtertiis addi neceſſe eſt: itaque, *X millia*, qui ſcutati trecenti ſunt, legi fortaſſe poſſit. conſtat enim exemplis, ad paruum ſeſtertiorum numerum, ſententiae, ſi nihil addatur, repugnantem, ſubaudiendum eſſe, *millia.*

Quinque pondo] Scutatos quingentos: ſi aurum illud, quod pecunia non erat, in pecuniam redigeretur.

A coactoribus] Iis, qui cogunt et exigunt pecunias de bonis, quae in auctione venierunt.

De furto] Non de morte Oppianici, vt accuſator dicebat.

CAPVT LXV.

Morbo] Animi, vt antea.

Scelere] Quo praeceps agebatur, filio perniciem ſtruens, quem ſuperiore quaeſtione innocentem eſſe cognouiſſet.

Afuiſſe] Si dicam, nullum adhibitum eſſe virum: vos contra, virum eius, quem illa ſecum habere libidinis cauſſa conſueſſet, affuiſſe dicetis. Iocus eſt ex amphibolia.

CAPVT LXVI.

Quis obſignauit] Nullum enim, cum de Stratone loqueretur, afſuiſſe bonum virum, ſupra c. 65. dixit.

Quem ego proferri malim] Vt, ei credendum non eſſe, multis argumentis oſtendam.

Indicium ſceleris] Quod Cluentio commiſſum dicitis. Libri veteres, *iudicium;* ſed, niſi fallor, ex, *indicium*, ſententia melior elicitur. nam illae tabellae quaeſtionis, indicium ſceleris erant.

Iudicibus] Cur non reſeruata eſt?

Amicis hoſpitibusque Oppianici] Annio, Rutilio, Saturio, qui ſuperiore quaeſtione affuerant.

Factum eſt] Accidit. ſupra c. 5. *Nubit genero ſocrus, nullis auſpicibus, nullis auctoribus, funeſtis ominibus omnium omnibus. O mulieris ſcelus incredibile, et, praeter hanc vnam, in omni vita inauditum!*

Quod nunc denique patefactum eſt] Quid patefactum? ſceleris eius conſciam fuiſſe matrem. quo modo nunc denique patefactum? quia, cum appropinquare filii iudicium ei nunciatum eſt, Larino Romam confeſtim aduolauit: ne aut accuſatoribus diligentia, aut pecunia teſtibus deeſſet.

Huic] Habito.

Incredibile] Paratum enim ſibi eſſe venenum matre conſcia, credere non poterat.

Donis, muneribus] Oſtendi iam, quo differant a muneribus dona.

CAPVT LXVII.

Exſectio linguae] Stratonis.

CAPVT LXIX.

Quosdam alios deos] Qui eum in capitis periculo, tamquam dii, ſeruare poſſitis. *Quosdam alios*, praeter caeleſtes, a quibus homines, in periculo conſtituti, ſalutem petunt.

Theano Apulo] Eſt enim alterum Theanum, Sidicinum dictum in agro Campano.

Res pecuniarias (Ern. *pecuarias*)] Malim, *res pecuarias.*

CAPVT LXX.

L. Voluſienum] Lego, *Voluſenum*, ex antiquo libro, ex lapide, ex Caeſare lib. III. de bell. Gall. c. 5. lib. IV. c. 21. lib. III. de bell. ciu. c. 60. et Hirtii lib. VIII. de bell. Gall. c. 23. Sic *Vibulenus*, *Caeſidenus*, *Poſtumulenus*, quae deduci videntur a cognominibus. nam, quae deducuntur a nominibus, non in *enus*, ſed aſſumta *i*, in *ius* deſinunt: vt a *Vibius*, *Vibienus*; a *Matio*, *Matienus*. *Voluſenus* autem non a nomine *Voluſius*, ſed a Valeriae gentis cognomine, *Voluſus*, deriuatur.

P. Volumnii] Senatores, et equites iudicabant. hic ſenator, equesue ſit, incertum. nam duo P. Volumnii fuere, vnus ſenator, alter eques Romanus: vt lib. VII. Fam. epiſt. 32.

Vicinorum] Ex vicinis municipiis.

Vetere inſtituto] Hoc dicit, quia perorandi locus ei dari ſoleret in cauſſis, quod ipſe ſcripſit in Bruto c. 51.

Iura hominum conuertit omnia] Vxor generi, nouerca filii, filiae pellex.

Non ſolum naturae nomen] Naturae nomen eſt mater: at ea nomen hoc propter crudelitatem amiſit.

Vxor generi, nouerca filii, filiae pellex] Magna vis eloquentiae: cuius ipſe teſtimonium exſtare voluit

luit in eo libro, quem, Orator, inſcripſit, c. 30. *Ab hac*, inquit, *indole iam illa matura: Vxor generi, nouerca filii, filiae pellex.*

Ex victoria liberum] Vt iniuſte oppugnati vincant, non vt opprimantur.

Orbata filio] Verbo vſus eſt, quod in aliis matribus dolorem oſtendit: at haec, inquit, orbata filio laetabitur.

Tot annos] Octo.

Poſt illam flammam] Inuidiae, in quam, concionibus L. Quintii excitatam, coniectus eſt C. Iunius, iudex quaeſtionis.

Aliorum facto, et cupiditate] Staleni maxime culpa, et cupiditate. inde enim orta eſt illa flamma.

In iudiciis valere non debet] In prooemio c. 2. *Dominetur in concionibus, iaceat in iudiciis.*

CAPVT LXXI.

Si qua calamitas] Dubitanter loquitur, ne quid a iudicibus contra leges timere videatur.

Sepulcro patris] Ibit enim in exſilium, et ſepulcro patris, quod miſerrimum eſt, carere cogetur.

In miſeriis] Maerore confectus ex falſa inuidia.

Veſtrae dignitatis (abeſt ab Ern.)] Iuſtitiae patrocinium, et innocentiae, veſtra a vobis dignitas poſtulat.

Repetitur] Vt debitum.

Virum optimum atque innocentiſſimum] *Optimum*, in omni vita: *innocentiſſimum*, in eo, cuius accuſatur, crimine.

Plurimisque mortalibus] A quibus, Cluentio abſoluto, gratiam inibitis.

Aliquando] Refer ad illud, *ſatis diu fuit in miſeriis.*

In concionibus eſſe inuidiae locum] Timet inuidiam; quamquam multa iam contra diſputauerit; in concionibus a Quintio tribuno plebis aduerſus Cluentium excitatam.

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM I.
DE
LEGE AGRARIA
CONTRA
P. SERVILIVM RVLLVM
TRIBVNVM PLEBIS

ARGVMENTVM
TRIVM ORATIONVM
DE
LEGE AGRARIA

P. *Seruilius Rullus tribunus plebis vel ſuo, vel eorum conſilio, qui ſibi plus potentiae, quam libera ciuitas ferret, quaerentes, exitioſa nouarum legum liberalitate populi gratiam aucupabantur, legem agrariam ante Kal. Ian. promulgauit. nam tribuni plebis non, vt reliqui magiſtratus, Kalendis Ian. ſed IV. id. Dec. magiſtratum inibant. eius legis haec ſententia fuit, vt decemuiri, a XVII tribubus creati, agros omnes, quicumque extra Italiam L. Sulla, Q. Pompeio coſſ. aut poſtea, publici facti eſſent, venderent, in Africa tamen, exceptis iis, de quibus foedere cautum eſſet, quos Hiempſal Mauritaniae rex, a Cn. Pompeio traditos, poſſidebat: in Italia vero et ſilvas, et poſſeſſiones omnes publicas, exceptis agro Campano, et Stellate, quos non vendi, ſed diuidi quinque millibus colonorum lex iubebat: et vt iidem omnibus agris publicis vectigal imponerent, excepto Recentorico Sicilienſi: et vt, qui agri priuati eſſent, eos publicare, qui publici, liberare poſſent: quodque ad quemque eorum, qui exercitum habuiſſent, et bella geſſiſſent, ex praeda, manubiis, auro coronario*

ronario perueniſſet, perueuturumue eſſet, id omnes, vno excepto Cn. Pompeio, ad decemuiros referrent: quaeque ex iis omnibus rebus exacta pecunia eſſet, ea decemuiri emerent agros in Italia, qui plebi Romanae diuiderentur. Eam legem conſul Cicero primo magiſtratus die, id eſt, Kal. Ian. in ſenatu, ipſo praeſente Rullo, aliisque tribunis plebis, diſſuaſit, ac reprehendit. quod ipſe gloriatur his verbis in oratione in Piſonem c. 2. Ego Kalendis Ian. ſenatum, et bonos omnes legis agrariae, maximarumque largitionum metu liberaui. *Significat eam, quae exſtat, orationem: cuius primae partes deſiderantur: reliquae duae ad Quirites integrae leguntur. cum enim Rullus, quamquam perſpecta ſenatus voluntate, conſilium tamen ferendae legis non abieciſſet: profectus ad populum Cicero ſequente ſenatu, ea, quae exſtat, concione ita contra legem disputauit, vt eam non eſſe e republica, quae largitionem verbis oſtentaret, re vera aerarium exhauriret, populo perſuaſerit, tribunumque plebis L. Caecilium, quod in oratione pro Sulla c. 23. legitur, eam in mentem adduxerit, vt agrariae legi, ſi Rullus eam ferre conaretur, interceſſorem ſe fore profiteretur. in quo Ciceronis eloquentiam Plutarchus effert laudibus. Plinius autem lib. VII. c. 30.* quo te, *inquit,* M. Tulli, piaculo taceam? quoue maxime excellentem inſigni praedicem? quo potius, quam vniuerſi populi, illius gentis ampliſſimi, teſtimonio, et tota vita tua conſulatus tantum operibus electis? Te dicente, legem agrariam, hoc eſt, alimenta ſua, abdicauerunt tribus. *Simile quiddam Plutarchus de Solone narrat; diſſenſione Athenis orta, et plebe diſſidente, eloquentia perſuaſiſſe, vt illi ipſi, quorum opera commota ſeditio erat, iudicio committi non recuſarent, ſuaeque necis et vitae poteſtatem optimatibus iudicibus traderent. quo facto, damnati in exſilium abierunt. Rulli lex nec antiquata ſuffragiis eſt, nec interceſſione tribuni plebis impedita; cum dicat Cicero de L. Caecilio, non,* agrariae legi interceſſit, *ſed,* interceſſorem ſe fore profeſſus eſt: *verum eam Rullus, cognita non tam ſenatus, quam populi voluntate, ſua ſpe deiectus, ferre non eſt auſus. Quod ideo dicendum putaui, ne quis illud Plinii,* abdicauerunt tribus, *ad ſuffragia referret: cum referri potius ad ſignificationem voluntatis, in concione factam, oporteat. Et quoniam agraria lex, aut quod iniqua ſit, aut quod inutilis, quae duo vim habent in diſſuadendo maximam, a Cicerone reprehenditur: operae pretium eſſe arbitror, eius legis capita ſingula quae fuerint, oſtendere. ſic enim fiet, vt, quae contra disputantur, minore negotio lector, cum in eas disputationes inciderit, aſſequatur. Capita colliguntur omnia, id eſt, octo, ex oratione ſecunda, ad Quirites. nam primae, quae in ſenatu habita eſt, non exiguam partem vel hominum incuria perdidit, vel ipſa rerum edax vetuſtas abſumſit. In tertia vero, ipſa quoque ad Quirites habita, non disputat contra legem, ſed tribunis plebis, qui eum, tamquam Sullanarum aſſignationum defenſorem, in concione abſentem accuſauerant, ita reſpondet, non modo vt ſe purget, verum etiam in ipſos, et in principem legis Rullum culpam transferat: cum dicat, ea lege Sullanos agros confirmari, atque ſanciri: idque fieri eo conſilio, vt Rulli ſocer Valgius aut*

aut retineat quos agros habet, nullo inuidiae metu, aut decemuiris, quanti ipſe voluerit, vendat: vtrumque lege permittente, quae tangi quidquam ab inuito vetat. Sed vt ipſa legis capita demonſtrem, primum eſt, vt tribunus plebis, qui eam legem tulerit, per XVII tribus decemuiros creet: vt, quem nouem tribus fecerint, is decemuir ſit. Alterum, vt item, eodemque modo creentur, vt comitiis pontificis max. Tertium, vt lege curiata decemuiri ornentur: eam legem praetor ferat, qui primus factus ſit; ſin is ferre non poſſit, qui poſtremus ſit: quod ſi legem neque praetor primus, neque poſtremus ferat, exempli cauſſa, aliquo tribuno plebis intercedente, alioue magiſtratu auſpiciis comitia impediente; decemuiri tamen eodem iure ſint, quo qui optima lege. Quartum, vt auſpicii coloniarum deducendarum cauſſa pullarios habeant, eodem iure, quo habuerunt tresuiri lege Sempronia. Quintum, vt liceat eis vendere omnia, de quibus vendendis ſenatus conſulta facta ſunt M. Tullio, Cn. Cornelio coſſ. quique agri, quae loca, quae aedificia, aliudue quid, extra Italiam, quod publicum populi Romani factum ſit L. Sulla, Q. Pompeio coſſ. aut poſtea. Sextum, vt liceat eis vectigalia, in lege nominata, omnesque agros publicos extra Italiam, vendere, aut iis pergrande vectigal imponere, cum eo tamen, ne vectigal imponatur agro Recentorico Sicilienſi, neue ii agri vendantur, de quibus foedere cautum ſit: et vt cognitio decemuirum ſit, qui publici agri, qui priuati. Septimum, vt, quod ad quemque peruenit, peruenerit ex praeda, ex manubiis, ex auro coronario, quod neque conſumtum in monumento, neque in aerarium relatum ſit, id, quicumque ex prouincia deceſſerit, vno excepto Cn. Pompeio, apud decemuiros profiteatur. Octauum, vt, quam pecuniam decemuiri coegerint, ea pecunia agros, quo plebs deducatur, ab iis, qui vendere voluerint, emant, ab inuitis nihil tangant: eos autem agros in Italia emant, qui arari, et coli poſſint: et vt, quae in municipia, quasque in colonias velint, colonos, quos velint, deducant; iisque agros aſſignent, quibus in locis velint: et vt Capuam in coloniam deducant quinque colonorum millia, iisque et agrum Campanum, et Stellatem agrum diuidant.

EXPLANATIO

CAPVT I.

Q*uae res aperte petebatur*] Quae deſiderantur in hac oratione, cognoſcuntur in ea, quae ſequitur, ad Quirites. ibi enim exponuntur omnia legis a Rullo promulgatae capita. Quam autem rem aperte antea petitam eſſe, nunc occulte cuniculis oppugnari dicit, ea eſt Alexandrini regni, pulſo a ciuibus rege, adminiſtratio. A quibus autem petebatur? a C. Caeſare, et, opinor, a M. Craſſo. quod ne temere ſentire videar, quid Suetonius de Caeſare ſcripſerit, c. 11. audiamus. *Conciliato*, inquit, *populi fauore, tentauit per partem tribunorum, vt ſibi Aegyptus prouincia plebiſcito daretur, nactus extraordinarii imperii occaſionem,*

ſionem, quod Alexandrini regem ſuum, ſocium atque amicum a ſenatu appellatum, expulerant, resque vulgo improbabatur. nec obtinuit, aduerſante optimatum factione. Ipſe Cicero cum ait orat. II. c. 24. *Committite vos nunc, Quirites, his hominibus haec omnia, quos odorari hunc decemviratum ſuſpicamini: reperietis, partem eſſe eorum, quibus ad habendum, parum, quibus ad conſumendum, nihil ſatis eſſe videatur:* haec, inquam, cum dicit, nonne Craſſi primum auaritiam, deinde Caeſaris profuſos indicare ſumtus videtur? ſed quod ad Caeſarem attinet, Suetonii teſtimonio iam recitato, nihil apertius. Craſſum autem cenſorem cum Q. Catulo collega contendiſſe Plutarchus ait, vt Aegyptus Romanis tributaria fieret. id autem factum eſt Cotta et Torquato coſſ. quo anno aedilis Caeſar tentauit id, quod e Suetonio retulimus. Nam de Alexandrino rege quis dubitet, quin eodem anno ſit eiectus? cupidus enim Caeſar extraordinarii imperii, ſtatim occaſionem illam, populi erga ſe ſtudio fretus, arripuit. Quis autem fuerit ille rex, Cotta et Torquato coſſ. a ciuibus expulſus, ex hiſtoria non conſtat. nam Ptolemaeum Auletem, Cleopatrae patrem, non Cotta et Torquato, ſed multis poſt annis Lentulo et Metello coſſ. eiectum, perſpicue Dio, et Cicero in epiſtolis demonſtrat. aut igitur alius eſt: aut bis eiectum, bisque reſtitutum Auletem credamus. quod ſi alius eſt: poteſt Alexander ille eſſe, cuius teſtamento Aegypti regnum populi Romani eſſe factum, et in hac oratione prima, et in ſecunda Cicero narrat. cui ſucceſſiſſe Auletem, ſignificare videtur in iis verbis orat. II. c. 16. *Eum, qui regnum illud teneat hoc tempore, neque genere, neque animo regio eſſe, inter omnes fere video conuenire.* Regio negat eſſe animo, quia tibiis, humili arte, et rege prorſus indigna, delectaretur: vnde Auleti cognomen. Accedit illud aliquanto certius argumentum, quod Pompeio, Mithridaticum bellum gerenti, Ptolemaeum Auletem opem tuliſſe, auctor eſt Plinius lib. XXXIII. c. 10. bellum autem Mithridaticum et ante Ciceronem conſulem, et ipſo conſule, cum haec de Alexandrino rege diceret, geſtum eſſe, peritus hiſtoriae nemo neſcit.

Cuniculis] Occulta Rulli legis fraude. orat. II. c. 6.

Dictum eſt] A L. Philippo in ſenatu. orat. II. c. 16.

Poſt eosdem conſules] Supra nominatos, in ea orationis parte, quam nobis ademit iniuria temporis. ii ſunt L. Sulla, Q. Pompeius: quibus conſulibus, aut poſtea, quod publicum populi Romani factum eſſet, id decemviros vendere Rulli lex iubebat. ſupra vero nominatos eſſe, oſtenditur infra c. 3. his verbis: *Quod ſuperiore parte legis praefinitum fuit, Sulla et Pompeio conſulibus, id rurſus liberum infinitumque fecerunt.* Et orat. II. c. 15. *Quidquid ſit extra Italiam, quod publicum populi Romani factum ſit, L. Sulla, Q. Pompeio conſulibus, aut poſtea, id decemuiros iubet vendere.*

Regis Alexandri] De quo orat. II. c. 16. *Quis veſtrum hoc ignorat, dici illud regnum teſtamento regis Alexandri populi Romani eſſe factum?* Et ibidem, paullo

poſt: *Auctoritatem ſenatus exſtare hereditatis aditae ſentio, tum, quando, Alexandro mortuo, legatos Tyrum miſimus, qui ab illo pecuniam depoſitam noſtris recuperarent.* Hic igitur Alexander filius eius videtur fuiſſe, qui a Sulla, vt ſcribit Appianus lib. I. de bell. ciu. regnare iuſſus, paucis diebus, quod Sullae nutu et arbitrio cuncta gereret, ab iratis Alexandrinis occiſus eſt. ille enim prior Alexander, viuo Sulla, hic poſterior, eo mortuo, deceſſit: quod ſignificare videntur illa proxime recitata verba orat. II. *Auctoritatem ſenatus exſtare hereditatis aditae ſentio, tum, quando, Alexandro mortuo, legatos Tyrum miſimus.* Sic enim ſenatus auctoritas nominatur, quaſi iam Sullae dominatio praeteriiſſet. Senſus igitur hic eſt: cum Alexander, Aegypti rex, poſt Sullam et Pompeium conſules perierit, isque populum Romanum teſtamento heredem reliquerit; decemuiri regnum illud, tamquam publicum, ex ea, quae lege Rulli datur, poteſtate vendent.

Reſtitiſtis] Propterea dixit Suetonius de Caeſare Alexandriam petente c. 11. *Nec obtinuit, adverſante optimatum factione.*

Siccorum] Qui nihil biberint: qui ſapientius cogitare ſolent, quam vinolenti: ideo ſubiungit: *Vtrum cogitata ſapientum, an optata furioſorum videntur?* opponens primum ſiccis vinolentos, ſapientibus furioſos, deinde conſiliis ſomnia, cogitatis optata. nam qui cogitat, ratione agit: qui optat, ſaepe temere mouetur. Horatius lib. I. Carm. ode 18. v. 3.

Siccis omnia nam dura Deus
propoſuit.

Lib. IV. ode 5. v. 38.

— Dicimus integro
Sicci mane die. —

Lib. I. epiſt. 19. v. 8.

— Forum putealque Libonis
Mandabo ſiccis. —

Plautus in Perſa act. V. ſc. 2. v. 41.

Iam diu factum eſt, poſtquam bibimus: nimis diu
ſicci ſumus.

Impurus heluo] Heluo Rullus, qui bona populi Romani ſua lege disperdat, ac diſſipet. Ad Tironem lib. XVI. Fam. epiſt. 18. *Heluo nequiſſimus H-S* CIↃ *dabat, nullo aprico horto, nullo emiſſario, nulla maceria, nulla caſa.*

Turbet rempublicam] Proſcriptis vectigalibus.

In populi Romani patrimonio] In vectigalibus publicis.

Quam in ſuo] Orat. II. c. 18. *Vt in ſuis rebus, ita in republica luxurioſus eſt nepos.*

Hoc eſt] Interpretatio, populi odium contra Rullum commovens.

Diuidantur] Tribubus.

Excogitabit] Quod ſi faceret, excuſandus eſſet. verum nihil excogitat: *Veneat*, inquit, *ſilua Scantia.*

Violabatur] Cum decemuiros creari vellet non populi comitiis, id eſt, a XXXV tribubus, ſed a XVII tantum.

In commune odium orbis terrae] Miſſis per orbem terrarum ſummo cum imperio decemuiris, qui proſcribant, quae velint; priuata publicent, publica liberent: cum eorum, qui priuati negotii cauſſa,

cauſſa, nullo cum imperio, liberas legationes obeunt, moleſtus et grauis aduentus ſociis noſtris eſſe ſoleat.

Vrbes pacatae] Nullam a nobis iniuriam exſpectantes.

Sociorum] Quibus eripienda rerum ſuarum poſſeſſio non eſt.

Regum] Vt Ptolemei regis Alexandrini.

Donabantur] Odioſum verbum. poteſtas enim illa ſignificatur, quam Rullus vendendi, quae vellent, decemuiris dabat.

Silua Scantia] Quam cenſores in Italia locabant. orat. III. c. 4. *Siluam Scantiam vendis. reſpublica poſſidet: defendo.* In Bruto c. 22. *Cum in ſilua Scantia facta caedes eſſet.*

In relictis poſſeſſionibus] Quae a cenſoribus locari non ſoleant.

In cenſorum paſcuis] In iis, quae cenſores locant. paſcua enim in cenſorum tabulis omnia dicebantur, ex quibus vectigal caperetur: quia diu vectigal hoc ſolum fuiſſet. Plinius lib. XVIII. c. 3.

Inueniſti] Non tu hoc excogitaſti, ſed inuentum in tabulis cenſoriis in tuam legem retuliſti.

CAPVT II.

Italiae poſſeſſiones] Locari ſolitas a cenſoribus.

Audiſtis] Praecone recitante.

A tribuno plebis] Qui proſcribentibus aduerſari deberet.

In menſem Ianuarium] Decembri menſe promulgatam legem, Ianuario ferre cogitabat. non enim, niſi lata lege, auctio illa bonorum publicorum fieri poterat.

Et, credo, non dubitatis] Ironia. Scilicet, credere vos arbitror, haec ab iis, qui armis et virtute pepererunt, aerarii cauſſa ideo non eſſe vendita, vt ea nos largitionis cauſſa venderemus. minime vero id credere vos arbitror.

Aerarii cauſſa] Aerario conſulentes ea non vendiderunt. ex vectigalibus enim collectae pecuniae in aerarium conferebantur.

Quod nos] Qui armis ea non peperimus. Decemuiros in perſona ſua deſignat.

Largitionis cauſſa] Vt largiri arbitratu noſtro poſſemus.

Quo adfectarint (Ern. *quoad fecerit*) *iter*] Omnes libri veteres, *quo adfecerit iter.* Ego, ſatis, vt puto, modeſta coniectura, ſententiam ipſam, et Latini ſermonis conſuetudinem ſecutus, repoſui, *quo adfectarint iter:* id eſt, quo peruenire conentur. Sic locutus eſt pro Roſcio Amerino c. 48. *Nunc vero, quam viam muniat, quo iter affectet, videtis.* Terentius in Phorm. act. V. ſc. 7. v. 71.

Hi gladiatorio animo ad me
affectant viam.

Plautus in Men. act. IV. ſc. 3. v. 12.

— *Ad eam rem affectas viam.*

Se ipſi indicabunt] Cum in ſuperiore legis parte conſilium ſuum texerint.

Agros Attalenſium, atque Olympenorum] Attalea in Pamphylia, Olympus in Lycia fuit. Plinius lib. V. c. 32. et 27. Strabo lib. XIV. alii.

P. Seruilii] Qui ex Cilicia de Iſauris triumphauit. vnde cognomen Iſaurici.

Regios]

Regios] Philippo regi a T. Quintio Flaminio, Perſae, eius filio, a L. Aemilio Paullo ademtos.

Felicitate] Victoria.

Duorum Scipionum] Fratrum, Cnaei, et Publii: qui in Hiſpania ſunt interfecti. Liuius lib. XXV. c. 34. et 36.

Conſecrauit] Ne priuatim vmquam poſſideretur.

Ad oblatam aliquam religionem] Diis immortalibus eum, vt conſecraret, ſigno aliquo admonentibus.

Inſulis] *Inſulae* faſciae ſunt, vitis ab vtraque parte pendentibus. et quoniam ornamenti genus eſt, ideo Cicero transtulit ad ornamenta imperii.

Paphlagonia, Ponto, Cappadociaque] Paphlagoniam Pylemeni regi, Cappadociam Ariobarzani Mithridates ademit, Mithridati vtramque Pompeius cum patrio regno Ponto. Appianus de bell. Mithrid. Dio lib. XXXVII.

Prope] Quaſi illa ipſa haſta, quae auctionis eſt ſignum, inſectetur exercitum Cn. Pompeii.

Haſta] Auctionis ſigno.

Inſectari] Apte: quia dixerat, *haſta.*

CAPVT III.

In conſpectu populi Romani] In foro, de Roſtris. orat. II. c. 21.

Nequiſſimi] Prodigi, nepotes.

In atriis auctionariis] Quae cum in foro ſint, magis patent, quam triuia, aut compita. erant autem plura. nam Licinia, in quibus praecones ſederent, in oratione pro Quintio c. 3. nominantur.

In quibus commodum ſit tenebris] In quibus libeat. hoc enim loquendi genere nihil aliud ſignificatur. paullo poſt c. 4. *Vt iidem poſſint et liberare agros, quos commodum ſit, et, quos ipſis libeat, publicare.* orat. II. c. 13. *Romae eſſe, cum commodum ſit: quacumque velint ſummo cum imperio, iudicioque omnium rerum vagari vt liceat, conceditur.* c. 15. *Commodum erit Pergamum, Smyrnam, Tralles, Epheſum, Miletum, Cyzicum, totam denique Aſiam, quae poſt L. Sullam Q. Pompeium conſules recuperata ſit, populi Romani factam eſſe dicere.* In eadem c. 36. *Vt veniretis in caſtra Cn. Pompeii, atque ipſa caſtra, ſi commodum vobis eſſet, venderetis.* In Verrem ſaepe.

Solitudine] Orat. II. c. 21. tenebras Paphlagoniae, ſolitudinem appellat Cappadociae.

Hereditatum obeundarum] Senatores liberas legationes a ſenatu, aut a populo petebant, vt hereditates aliqua cum auctoritate obire poſſent. concedebantur autem iis lictores duo. Erant aliae quoque legationum liberarum cauſſae, quae tamen omnes ad priuatum negotium attinerent: ſed Cicero maxime neceſſariam ponit: quo plus terroris et mali ex aduentu decemuirum fore demonſtret: cum eorum, qui neceſſaria cauſſa impulſi in prouincias exeunt, grauis tamen ſociis aduentus eſſe ſoleat. Vtitur eodem argumento orat. II. c. 17. his verbis: *Legatos noſtros, homines auctoritate tenui, qui rerum priuatarum cauſſa legationes liberas obeunt, tamen exterae nationes ferre vix poſſunt. Graue eſt enim nomen imperii, atque id etiam in leni perſona pertimeſcitur.*

ſcitur, propterea quod veſtro, non ſuo nomine, cum hinc egreſſi ſunt, abutuntur. Quid cenſetis, cum iſti decemuiri cum imperio, cum faſcibus, cum illa delecta finitorum iuuentute per orbem terrarum vagabuntur: quo tandem animo, quo metu, quo periculo miſeras nationes futuras? Nec vero vitioſum, idem argumentum iterare, quisquam exiſtimet. licet enim diuerſis in locis: et hic in ſenatu verba facit, ibi ad Quirites in foro.

Terroris et mali] Terrorem ſequentibus verbis ſignificat, *ſummo cum imperio:* malum, *ſumma cum auaritia, infinitaque omnium rerum cupiditate.*

Faſces formidoloſi] Necis inferendae poteſtatem indicantes.

Homines ſancti] Ironia.

Praefinitum] Ne ante Sullam et Pompeium conſules parta decemuiri venderent.

CAPVT IV.

Agris publicis] Qui priuatis dati ſunt. ſequitur enim, *benignitas quaeſtuoſior.*

Vt iidem poſſint] Hoc eſt, quod dicit orat. II. c. 21. *Cognitio decemuirum, priuatus ſit, an publicus.*

Liberare] Vectigali, ſiquid publice pendent.

Agros] Priuatim poſſeſſos: cum publici ſint.

Publicare] Quod eſt etiam grauius, quam pergrande vectigal imponere. in orat. II. c. 21.

Seueritas] In publicandis priuatorum agris.

Benignitas] In adimendo vectigali, quod publice pendant.

Sunt tamen] Quaſi pro Rullo contra Rullum loquitur.

In tota lege] Quae pluribus exceptionibus mitiganda fuit.

Non tam iniquae] Iniquae non videntur, ſed ſuſpicionem habent quaeſtus.

Excipit] Pecunia videlicet. quod orat. II. c. 21. ita probatur. *Si eſt priuatus ager Recentoricus, quid eum excipis? ſin autem publicus: quae eſt iſta aequitas, ceteros, etiamſi priuati ſint, permittere vt publici iudicentur; hunc excipere nominatim, qui publicus eſſe fateatur? Ergo eorum ager excipitur, qui apud Rullum alia ratione valuerunt.*

De quibus cautum ſit foedere] Quamquam id foedus populus non iuſſerit. orat. II. c. 22.

Cautum ſit] Ne, tamquam publici venderentur.

In Africa] Quos tamen extra Mauritaniae, regni ſui, fines Hiempſal, a Pompeio traditos, poſſidebat. victo enim Hiarba, regnare filium eius Hiempſalem Pompeius in Mauritania iuſſit. Dio lib. XLI. cuius poſtea beneficii memor filius eius Iuba pro Pompeio contra Caeſarem pugnauit.

Poſſidentur] In Africa ora maritima. orat. II. c. 22.

Priuatus eſt] A priuatis poſſidetur.

Quibus gratis parceret] Id enim veriſimile non eſt: cum nulli praeterea cauſſae gratis parcat.

Architecti huiusce legis] Translatum, quod in proprii naturam transiit: ideo ſolum vſurpatur, cum ſequenti verbo, *olfecerint,* minime congruens. huius generis multa ſunt, vt verba, *florere, laborare, affluere, defluere:* nomina, *ſplendor, tenebrae, acutus, hebes.*

Non eſt ſatis] Nam in omnes praeterea imperatores, heredesque eorum quaeſtionem ſuo iudicio comparant. orat. II. c. 22. *Vix iam videtur locus eſſe, qui tantos aceruos pecuniae capiat. auget, addit, accumulat: aurum, argentum, ex praeda, ex manubiis, ex coronario, ad quoscumque peruenit, neque relatum eſt in publicum, neque in monumento conſumtum, id profiteri apud decemuiros, et ad eos referre iubet. Hoc capite etiam quaeſtionem de clariſſimis viris, qui populi Romani bella geſſerunt, iudiciumque de pecuniis repetundis ad decemuiros translatum videtis.*

Ex praeda] Ex captis rerum corporibus. Gellius lib. XIII. c. 23.

Manubiis] Pecunia, quae de praeda vendita exigitur.

Auro coronario] Ex aureis coronis, quae mittuntur imperatoribus ob honorem triumphi, vt ait Gellius lib. V. c. 6. In Piſonem autem c. 37. *Mitto aurum coronarium, quod te diutiſſime torſit, cum modo velles, modo nolles. lex enim generi tui et decerni et accipere vetabat, niſi decreto triumpho.* Plinius lib. XXXIII. c. 3.

In monumento] Vel in templis deorum, vel in vrbis ornamentis, vt baſilica, porticu, arcu, ponte. nam vtrumque monumenti nomine ſignificat: itaque orat. II. c. 23. *Si eſt aequum,* inquit, *praedas ac manubias ſuas imperatores non in monumenta deorum immortalium, neque in vrbis ornamenta conferre, ſed ad decemuiros, tamquam ad dominos, reportare: nihil ſibi appetit praecipue*] *Pompeius, nihil.*

A Fauſto] Quod ad eum e ſummo L. Sullae patris imperio maximam perueniſſe pecuniam credatur.

Quam cauſſam ſuſcipere iurati iudices noluerunt] Lepido et Tullo coſſ. accuſatus eſt Fauſtus de pecuniis reſiduis: iudices audire noluerunt: qua de re ſic in oratione pro Cluentio c. 34. *Nuper apud C. Orchinium, collegam meum, locus ab iudicibus Fauſto Sullae de pecuniis reſiduis non eſt conſtitutus: non quo illi aut exlegem eſſe Sullam, aut cauſſam pecuniae publicae contemtam, atque abiectam putarent; ſed quod, accuſante tribuno plebis, conditione aequa disceptari poſſe non putaverunt.* Et Pedianus in Corneliana: *Quia defuerat ſuperioribus temporibus in aerario pecunia publica, multa et ſaepe eius rei remedia erant quaeſita. in quibus hoc quoque, vt pecuniae publicae, quae reſiduae apud quemque eſſent, exigerentur. id autem maxime pertinebat ad Cornelium Fauſtum, dictatoris filium: quia Sulla per multos annos, quibus exercitibus praefuerat, et rempublicam tenuerat, ſumſerat pecunias ex vectigalibus, et ex aerario populi Romani: eaque res ſaepe erat agitata, ſaepe omiſſa, partim propter Sullanarum partium potentiam, partim quod iniquum videbatur, poſt tot annos, quam quis pecuniam acceperat, eius reddere rationem.*

In reliquum tempus] Quia ſcripſit in lege, *peruenerit.*

In illa lege] Papiae leges duae de peregrinis eiiciendis latae ſunt. prior neminem excipiebat, poſterior Italos, lege Iulia ciuitate donatos. vtra ſignificetur, affirmare non licet. Satis eſt intelligere,

telligere, quod ſimilitudine Papiae legis Cicero demonſtrat, nullum a Rullo beneficium exceptione illa in Pompeium conferri.

Peregrini] Exterarum gentium. nam Licinia lége et Mucia ſocii Latini, et Italici eiiciebantur: in quibus Glaucippum non fuiſſe, nomen ipſum oſtendit.

Adiunxerit] Adhuc enim bellum gerebat in Aſia contra Mithridatem.

CAPVT V.

Quanti voles] Furti ſuſpicionem affert.

Ab inuito emere, iniurioſum eſſe; ab non inuito, quaeſtuoſum] Decemuir, inquit, aut iniuriam inferet, aut quaeſtum faciet. Non enim, *iniurioſum*, ad decemvirum, *quaeſtuoſum*, ad venditorem pertinet, ſed vtrumque ad decemuirum. patet hoc ex orat. II. in qua eſt c. 26. *Hic ager omnis, quoquo pretio coemtus erit, tamen ingenti pecunia vobis inducetur.* Et in eadem, ex interuallo c. 36. *Vt iidem partim inuidioſos agros a Sullanis poſſeſſoribus partim deſertos, ac peſtilentes a veſtris neceſſariis, a vobismetipſis emtos, quanti velletis, populo Romano induceretis.* Nam quod hic ſubiicitur: *Vt poſſeſſionis inuidiam pecunia commutent:* quis non intelligit, faciliorem ex eo decemuiris quaeſtum fore? ement enim agros paruo ab iis, qui cupient vendere: ipſi deinde, quos paruo emerint, inducent populo Romano, quanti volent.

Socer tuus] Valgius, tot agrorum poſſeſſor ex aſſignatione Sullana, vt inuidiam iam ſuſtinere non poſſit.

Eius aequitatem animi] Irriſio. non enim, quia moderata poſſeſſione contentus ſit, ideo vendet, ſed quia poſſeſſionis inuidiam libenter pecunia commutabit, et id vendet, quod retinere iam vix poteſt.

Poſſeſſionis inuidiam] Cum ſit inuidioſum tot agros poſſidere. orat. II. c. 26. *Sullanus ager, a certis hominibus latiſſime continuatus, tantam habet inuidiam, vt veri ac fortis tribuni plebis ſtridorem vnum perferre non poſſit.*

Referetur pecunia] In aerarium.

Non licet] Per legem Rulli.

Exigetur] Exiget aliquis a decemuiris?

Vetat] Eadem lex. orat. II. c. 27. *Si, qui velint vendere, non fuerint, quid pecunía fiet? Referre in aerarium lex vetat: exigi prohibet.*

Effundamus aerarium] Effunditur enim, cum vectigalia venduntur, aut, cum, quae referri ex praeda, manubiis, auro coronario in aerarium debent, decemviris ex lege dantur.

Locupletatis aut inuidiae, aut peſtilentiae poſſeſſoribus] Cum decemuiri agros ement aut ab iis, quibus tot agros habere inuidioſum eſt; aut ab iis, qui propter peſtilentiam eos relinquere coguntur. vtrumque genus orat. II. c. 26. attingitur his verbis: *Ad hanc coemtionem decemuiralem duo genera agrorum ſpectant, Quirites. eorum vnum, propter inuidiam, domini fugiunt: alterum propter vaſtitatem. Sullanus ager, a certis hominibus latiſſime continuatus, tantam habet inuidiam, vt veri ac fortis tribuni plebis ſtridorem vnum perferre*

non poſſit. hic ager omnis, quoquo pretio coemtus erit, tamen ingenti pecunia vobis inducetur. Alterum genus agrorum, propter ſterilitatem incultum, propter peſtilentiam vaſtum atque deſertum, emetur ab iis, qui eos vident ſibi eſſe, ſi non vendiderint, relinquendos. Eodemque ſpectat illud: *Vltro rogabuntur atque orabuntur, vt agros partim publicos, partim plenos inuidiae, plenos periculi, quanti ipſi velint, decemviris tradant.*

Quo? (Ern. *quot*) *quorum hominum? in quae loca*] Abundare videtur, nec tamen abundat, aut, *quo?* aut, *in quae loca?* nam cum ſequatur, *quis non videt, in coloniis eſſe haec omnia conſideranda?* ſermonem eſſe de tribus rebus, non de duabus, intelligitur. quare, *quo?* vt generalius accipiendum: vt tantum locus ipſe ſignificetur: eius autem loci partes ſint, *in quae loca?* et, *quo?* referatur ad Capuam: *in quae loca?* ad vrbes, quae circa Capuam ſunt. itaque dicet infra c. 7. *Bello Punico, quidquid potuit Capua, potuit ipſa per ſeſe. nunc omnes vrbes, quae circum Capuam ſunt, a coloniis per eosdem decemuiros occupabuntur.* Et aliquanto poſt: *Quid enim exiſtimatis integrum vobis in republica fore, aut in veſtra libertate ac dignitate retinendum, cum Rullus, atque ii, quos multo magis, quam Rullum, timetis, cum omni egentium atque improborum manu, cum omnibus copiis, cum omni argento, et auro, Capuam, et vrbes circa Capuam occuparint? Quorum hominum?* egentium ſcilicet, atque improborum: qui tibi, Rulle, et iſtis tuis tamquam milites erunt. Placet tamen aliis, *quot*, pro *quo?* quod non improbo: ſed illi, *quot?* ad hominum numerum referunt: ego ad colonias, vt dicat: *quot coloniae? quorum hominum? in quae loca?* in quo Ciceronem ipſum ſequor interpretem. ait enim orat. II. c. 27. *Tu non definias, quot colonias, in quae loca, quo numero colonorum deduci velis?*

Omnium rerum machinatoribus] Eos indicat, quibus auctoribus in ferenda lege Rullus vtebatur, in iis maxime Caeſarem, et Craſſum, quod ſupra oſtendi, opibus firmos, amicis, clientibusque munitos. itaque dicit infra c. 7. *Cum Rullus, atque ii, quos multo magis, quam Rullum, timetis, cum omni egentium atque improborum manu, cum omnibus copiis, cum omni argento, et auro, Capuam, et vrbes circa Capuam occuparint?* Quos autem hic, *machinatores*, ſupra c. 4. vocat *architectos legis.*

Italiam inermem] Veſtris praeſidiis confirmatam, coloniis occupatam.

Ianiculo] Qui cum ſit propinquus vrbi mons, liberum tibi relinquitur lege tua coloniam in eo, ſummo noſtro periculo, conſtituere. orat. II. c. 27. *Quid igitur eſt cauſſae, quin coloniam in Ianiculum poſſint deducere, et ſuum praeſidium in capite atque ceruicibus veſtris collocare?*

Vrbe alia] Vrbe Capua. paullo poſt c. 6. *Capuam deduci colonos volunt: illam vrbem huic vrbi rurſus opponere, illuc opes ſuas deferre, et imperii nomen transferre cogitant.*

CAPVT

CAPVT VI.

Militibus ſuis] Colonis, quos ipſi deduxerint, quibus tamquam ſuis militibus vtentur.

Dignitatis] Senatoriae.

Error] Errari enim poteſt in iis rebus, quae ſuſpicionibus tantum, et coniectura coarguuntur.

Hoc templum] In quo ſenatus habebatur.

Hanc arcem omnium gentium] Vrbem Romam ſignificat, praeſidium, ac perfugium omnium gentium.

Rurſus] Vt antea Punico bello.

Crudelitatem] De quo Silius lib. XI. v. 51, ſeqq.

Quin etiam exhilarare viris conuiuia caede
Mos olim, et miſcere epulis ſpectacula dira
Certantum ferro; ſaepe et ſuper ipſa cadentum
Pocula, reſperſis non parco ſanguine menſis.

Maiores noſtri Capua magiſtratus, ſenatum, conſilium commune] Orat. II. c. 32. *Statuerunt homines ſapientes, ſi agrum Campanis ademiſſent, magiſtratus, publicum ex illa vrbe conſilium ſuſtuliſſent, imaginem reipublicae nullam reliquiſſent, nihil fore, quod Capuam timeremus.*

Conſilium commune] Plebis vniverſae. quamquam orat. II. ſenatum non nominat, ſed ait, *publicum ex illa vrbe conſilium ſuſtuliſſent:* vt videatur *conſilium publicum* pro ſenatu accipere.

Omnia denique inſignia reipublicae ſuſtulerunt] Imaginem reipublicae nullam reliquerunt. ſic enim ait orat. II. c. 32.

Videbant, ſi quod reipublicae veſtigium illis moenibus contineretur, vrbem ipſam imperio domicilium praebere poſſe] Orat. II. c. 32. *Tres ſolum vrbes in terris omnibus, Carthaginem, Corinthum, Capuam, ſtatuerunt poſſe imperii grauitatem, ac nomen ſuſtinere.*

CAPVT VII.

Faſtidio] Ex copia faſtidium, ex faſtidio oritur ſuperbia.

Per ſeſe] Ope nulla earum vrbium, quae circum Capuam erant.

Omnes vrbes, quae circum Capuam ſunt] Cales, Theanum, Neapolim, Puteolos, Cumas, Pompeios, Nuceriam.

In omnia, quae velint oppida] Hoc refertur ad illud ſupra c. 5. dictum, *in quae loca?* et quod hic dicitur, *deducant, quos velint;* ad illud, *quorum hominum?*

Agrum Campanum] Non, vniverſae Campaniae, ſed qui circum Capuam eſt: cui finitimus fuit Stellatis campus.

Caput patrimonii publici] Ipſam Capuam. *Caput veſtrae pecuniae*, dicit orat. II. c. 29. et quod hic, *pulcherrimam populi Romani poſſeſſionem*, ibi, *fundum pulcherrimum populi Romani:* hic, *ſubſidium annonae, horreum belli;* ibi, *ſolatium annonae, horreum legionum.* quin ipſa verba recitemus: *Vnumne fundum pulcherrimum populi Romani, caput veſtrae pecuniae, pacis ornamentum, ſubſidium belli, fundamentum vectigalium, horreum legionum, ſolatium annonae, diſperire patiemini?*

Sub ſigno] Tutum a rapinis, vt ea, quae, ſigno impreſſo, cuſtodiuntur, ne per furtum auferantur.

Clauſtrisque reipublicae] Quia Capua non longe ab vrbe; vt quaſi clauſtris quibusdam incluſa et munita videatur.

Conceſſiſſe] Vt poſſit vendere ſua lege.

Sullanae dominationi, et Gracchorum largitioni] Orat. II. c. 5. *Venit enim mihi in mentem, duos clariſſimos, ingenioſiſſimos, amantiſſimos plebis Romanae viros, Ti. et C. Gracchos, plebem in agris publicis conſtituiſſe, qui agri a priuatis antea poſſidebantur.* Et in eadem c. 29. *Nec duo Gracchi, qui de plebis Romanae commodis plurimum cogitauerunt, nec L. Sulla, qui omnia ſine vlla religione, quibus voluit, eſt dilargitus, agrum Campanum attingere auſus eſt. Rullus exſtitit, qui ex ea poſſeſſione rempublicam dimoueret: ex qua nec Gracchorum benignitas eam, nec Sullae dominatio deieciſſet.*

Amiſſis aliis] Vt Aſiae, Mithridatico bello; Hiſpaniarum, temporibus Sertorianis; Siciliae, bello fugitiuorum. orat. II. c. 30.

Non obſoleſcat] Nitorem non amittat. vnde obſoleta veſtis, cui nitorem vetuſtas ademit.

Militem ſuſtentet] Propterea vocatur hic *horreum belli*, et in orat. II. c. 29. *horreum legionum.*

Hoſtem non pertimeſcat] Quia ſub ſigno, clauſtrisque reipublicae poſitum ſit.

Concioni reſeruo] Iactura enim, et damno magis, quam alia re, populus mouetur.

Non oſtentatione popularem] Qualis ipſe es: cum tamen, vt tribunus plebis, praeter ceteros popularis eſſe debeas.

Disceptatore] Iudice, cognitore: vt orat. II. c. 15. *Vtrum oratio ad eius rei disceptationem deerit: an, cum idem et differet, et iudicabit, impelli non poterit, vt falſum iudicet?* Ibidem c. 21. *Hoc quantum iudicium, quam intolerandum, quam regium ſit, quem praeterit? poſſe, quibuscumque locis velint, nulla disceptatione, nullo conſilio, priuata publicare, publica liberare.*

CAPVT VIII.

Veſtris legibus] Cum aliis legibus, quas Dio lib. XXXVII. nominat, tum vero agraria ante Kal. Ian. promulgata.

Tradidiſtis] Orat. II. c. 3. *Ego qualem Kalendis Ian. acceperim rempublicam, Quirites, intelligo; plenam ſollicitudinis, plenam timoris.*

Fidem de foro] Fidem in credendis pecuniis. orat. II. c. 3. *Sublata erat de foro fides, non ictu aliquo nouae calamitatis, ſed ſuſpicione, ac perturbatione iudiciorum, infirmatione rerum iudicatarum.* ſuſtulit autem de foro fidem a nonnullis promulgata Rulli collegis nouarum tabularum lex: de qua Dio.

Nullam alteram Romam] De Capua loquitur.

Magis popularis] Quam tranquillitas pacis, atque otii, quam ſperare me conſule debetis.

A popularibus tribunis plebis] Ironia. quam populares enim ſint, fraude legis patefacta perſpicuum erit.

Hono-

Honorem] Non de prouincia, ſed generaliter dictum exiſtimo.

Impediri] Interceſſione, vel auſpiciis. nam ſeruare de caelo, id eſt, impedire, magiſtratibus omnibus licebat.

Dicit frequentiſſimo ſenatu] Teſtibus quamplurimis: vt intelligatur, praeſtare me velle, quod polliceor.

Conſul] Cui non ſtare promiſſis turpe eſt. vel, *conſul*, contra ceterorum conſulum, prouincias appetentium, conſuetudinem.

Status hic reipublicae] Nullo bello. propterea factum eſſe augurium ſalutis, quod pacata republica fieri ſolebat, ait Dio.

Coercere] Populo non aduerſante. ſic enim me geram, vt per populum ipſum coercere liceat iratum reipublicae tribunum plebis.

Contemnere] Priuatas enim iniurias parui faciam, de republica tantum laborabo.

CAPVT IX.

Quamobrem, per deos immortales! colligite vos, tribuni plebis] Admiſcere minis cohortationem, et quos imperio ac poteſtate deterreri poſſe non confidimus, cum iis leniter, et ratione, agere, ſaepe expedit. quocirca, patefacto Rulli conſilio, edoctoque ſenatu, quid ageretur, et quae eſſent in lege vitia, quae inſidiae, quae fraus; conuertit ſermonem ad tribunos plebis, eosque monet, vt, ſeditioſorum ciuium diremta ſocietate, cum bonis, id eſt, cum ſenatu conſentientes, communem rempublicam communi ſtudio atque amore defendant. *Colligite vos:* cogitate, quid agatis. diſſoluit enim, ac diſſipat animum imprudentia, ratio colligit, et in ſuum ſtatum perducit. qui autem ſe colligit, prudenter conſiderat, et cum ipſa ratione conſilium capit. non eſt enim, mutare conſilium, ſed ea, quibus mutari oporteat, diligenter ponderare: quod animo diſſoluto, ac diſſipato fieri non poteſt. pro multis exemplis vnum illud ex Tuſc. IV. c. 36. ſufficiet: *Quid eſt, ſe ipſum colligere, niſi diſſipatas animi partes rurſum in ſuum locum cogere?*

Deſerite eos] Qui, praeter ſuam potentiam, nihil ſpectant. ii ſunt, quos *architectos huiusce legis, machinatores omnium rerum*, ſupra c. 4. et 5. nominavit; et quorum aliis nihil ad habendum, aliis nihil ad conſumendum ſatis eſſe dixit; Craſſum in primis, et Caeſarem deſignans.

Deſeremini] Quam enim poteſtatem appetunt, eam lege veſtra conſecuti, et vos, et vniverſam rempublicam oppugnabunt. Quod autem dixit, *niſi proſpicitis*, id valet, niſi, in poſterum proſpicientes, de ferenda lege ſententiam mutatis.

Honori velificari ſuo] Magiſtratus a populo conſequi. eſt enim, *velificari*, fauere, et quaſi vela ventis dare, vt ſecundus in aliqua re ſit curſus. Coelius ad Ciceronem lib. VIII. Fam. epiſt. 10. *Ne velificatus alicui dicaris.*

Me conſule] Acerrimo turbulentae rationis aduerſario.

Equeſtri ortum loco] Equitibus ortum, non ſenatoribus. nunc autem ſenatorium ordinem conſecutus,

ſecutus, equeſtris ordinis eſſe deſierat.

Conſulem videt] Elata verba, quaſi ad terrorem pronunciata.

Facillime] Quod facillimum in turbulenta ratione non eſt.

Perducat] Perducet enim probitas, et labor.

Profitemini] Perſpicuo aliquo ſigno.

Perficiam profecto] In conſulatu meo.

Quae apud maiores noſtros fuit] Qui pro communi dignitate in ipſos etiam tribunos plebis animaduertere non dubitauerunt.

Longo interuallo] Quantum noſtra aetas a maiorum aetate diſtat.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM II.
DE
LEGE AGRARIA
CONTRA
P. SERVILIVM RVLLVM
TRIBVNVM PLEBIS

EXPLANATIO

CAPVT I.

Eſt hoc in more poſitum] Quae more fiunt, improbari non ſolent: ſed praeter morem nonnulla ſaepe naſcuntur, quae, tamquam vſitatis praeſtantiora, novi moris initium afferunt. eius rei ſimilitudinem habet hoc prooemium. orditur enim Cicero a more nobilium; vt, in quo ipſe differat, intelligatur, et ſua laus ex comparatione maior et illuſtrior appareat.

Inſtitutoque maiorum] A maioribus inſtitutum, in morem transiit.

Beneficio veſtro] Magiſtratus enim, populi beneficium fuit; cum in campo Martio vel tributis, vel centuriatis comitiis mandaretur.

Imagines familiae ſuae] Honores eorum, quorum imagines cernuntur. Imagines autem in atriis ſeruabantur eorum, qui curules magiſtratus geſſiſſent. itaque deſignatus aedilis curulis Cicero adeptum ſe ius imaginis, lib. V. in Verr. c. 14. ſcribit.

Qua gratiam beneficii veſtri cum ſuorum laude coniungant] Qua cum gratias vobis agant, tum vero ſuos maiores laudent, quaſi ſimiles eorum in gerenda republica futuri.

Maiorum loco] Maiorum dignitate.

Reperiuntur] Quia poſſunt aliquid de ſe ipſis dicere, quo maiores imitari videantur. ideo lib. II. de Fin. c. 22. *Aliquid de maioribus tuis, et de te ipſo dices, more maiorum.*

Hoc perficiunt] Cum, de ſe ipſis quod dicant, nihil habeant.

Debitum eſſe] A populo Romano.

Vnde] *Vt inde*, videbatur vſitatius.

Poſteris] Quamquam non dignis maiorum loco.

Solueretur] A populo, mandandis honoribus.

Redundaret] Cum populus non potuerit maioribus eorum digna meritis praemia perſoluere; et aliquid ſupereſſet, quod ſoluere poſteris deberet.

Tales] Probitate, ac virtute.

Illorum ſanguine creatos] Qualem enim me videtis, tales eos fuiſſe, quorum ſanguine ſum creatus, exiſtimare debetis. Indicat ex bonis fere bonos oriri.

Diſciplinisque inſtitutos] Ex conſuetudine domeſtica. nam et hoc ad laudem maiorum refert.

Laude populari] Quia veſtris honoribus honeſtati non ſunt.

Luce] Magiſtratibus enim homines illuſtrantur.

Veſtro ſummo honore] Conſulatu.

Singularique iudicio] Quia me ter praetorem primum cunctis centuriis renunciauiſtis: vt eſt in oratione pro lege Manilia c. 1.

Exiſtimaturos] Cogitaturos cum animis veſtris.

Qui iudicauiſtis] Me dignum ſummo beneficio veſtro.

Perlongo interuallo] Poſt annos triginta, quam C. Coelius Caldus, homo nouus, conſul factus erat.

Primum] Noſtris temporibus.

Hominem nouum] Ex me ipſo cognitum, nulla commendatione maiorum.

Praeſidiis firmatum] Suis opibus munitum, ne nouis hominibus aditus pateret. Translata verba de re militari, *praeſidiis firmatum, obuallatum, me duce, reſcidiſtis, patere.*

Me duce, locum reſcidiſtis] Non diſſimili translatione vſus eſt in ea pro Murena c. 8. cum inquit: *Cum ego tanto interuallo clauſtra iſta nobilitatis refregiſſem, vt aditus ad conſulatum poſthac, ſicut apud maiores noſtros fuit, non magis nobilitati, quam virtuti, pateret.*

CAPVT II.

Aliqua occaſione] Cum eorum opera egere in bellis reſpublica videretur.

Cum multis annis poſt petiſſent, quam praetores fuiſſent] C. Marium deſignat, qui poſt praeturam ſeptem annos iacuit. lib. III. de Offic. c. 20. Plutarchus, et alii.

Aliquanto ſerius] Nam biennio poſt praeturam licebat.

Per aetatem] Lege Villia, quam lib. XL. c. 44. Liuius nominat, honoribus definitam. ea lege ante XLII. aetatis annum petere conſulatum non licebat: eoque anno Cicero petiit.

Cum primum licitum ſit] Per legem Villiam.

Ad alienae petitionis occaſionem] Obſeruato anno, quo parum clari viri peterent.

Multis poſthabitis (Ern. *poſt annis*)] Patriciis duobus, P. Galba, L. Catilina; tribus plebeiis, L. Caſſio Longino, Q. Cornificio, C. Licinio Sacerdote: quos nominat omnes Pedianus in orat. in toga candida. In oratione autem pro Murena c. 8. *mihi,* inquit, *ipſi accidit, vt cum duobus patriciis, altero improbiſſimo atque*

atque audaciſſimo, altero modeſtiſſimo atque optimo viro, peterem: ſuperaui tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam.

Vindicem tacitae libertatis] Eſt enim illa tacita libertas, cum ſuffragium tabella fertur. Quattuor tabellariae leges, vt lib. III. de Leg. c. 16. Cicero prodidit, latae ſunt, vna a Gabinio tribuno plebis de mandandis magiſtratibus; cum populus antea ſuffragium voce ferre ſolitus eſſet: altera a Caſſio de populi iudicio: tertia a Carbone, de legibus iubendis ac vetandis: quarta a Coelio, de perduellione. pro Plancio c. 6. *Populo grata eſt tabella. quae frontes aperit hominum, mentes regit: datque eam libertatem, vt, quod velint, faciant.*

Vocem viuam] In Piſonem c. 1. *Me cuncta Italia, me omnes ordines, me vniuerſa ciuitas non prius tabella, quam voce, priorem conſulem declarauit.*

Non extremae (Ern. *extrema*) *tribus ſuffragiorum*] Cum dubia res eſt, antequam tribus extremae ſuffragium ferant. Documento hic eſt locus, binis comitiis, tributis, et centuriatis, mandari ſolitos eſſe maiores magiſtratus. nam minores binis tributis creabantur. infra c. 11. *Maiores de omnibus magiſtratibus bis vos ſententiam ferre voluerunt.* Idem ex oratione pro Plancio c. 20. et Pediano act. I. in Verr. c. 9. cognoſcitur.

Cui errato nulla venia] Pro, in errato. in quo docti ambigunt, ego non offendor.

Ab inuitis] Nobilibus inuidentibus nobilitati meae.

Non dubitanti (Ern. *non, dubitanti*) *fidele conſilium*] Ita coniunge: ſi dubitauero, non fidele conſilium, ſi laborauero, non certum ſubſidium nobilitatis oſtenditur.

CAPVT III.

Aditum huius loci] Vt ex Roſtris loquerentur.

Huic voci] His verbis, *popularem me futurum eſſe conſulem.*

Nonnullorum ſimulationes] Tribunos plebis deſignat.

Iniri] A Catilina potiſſimum.

Sublata erat de foro fides] Nemini pecuniae credebantur: pauca priuatim contrahebantur: metu ſcilicet nouarum rerum: cum nonnulli tribuni plebis leges de nouis tabulis promulgaſſent. Dio lib. XXXVII.

Nouae calamitatis] Publicae.

Perturbatione iudiciorum, infirmatione rerum iudicatarum] Nam ex ea lege perturbabantur iudicia, infirmabantur res iudicatae: vt agere contra debitores nemini liceret.

Non imperia, ſed regna] In decemuiros conferri hoc videtur. nam infra c. 11. *Reges conſtituuntur, non decemuiri, Quirites.*

CAPVT IV.

Quae cum ego non ſolum ſuſpicarer, ſed plane cernerem: neque enim obſcure gerebantur] Similiter in Cluentiana c. 15. *Id cum Oppianicus ſciret,* (*neque enim erat obſcurum.*) Et ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Quae cum viderem;* (*neque enim erant obſcura.*) Pro Sextio c. 19. *Haec ego cum viderem,* (*neque enim erant occulta*)

Dixi in ſenatu] Kalendis Ian. ea, quae mutila exſtat, oratione.

Quam

Quam pax] Quae hic maxime popularia dicit eſſe, pacem, libertatem, otium; ea ſimul omnia paullo poſt nominat.

Impune] Nullo hoſtili bello.

Pacem externam] Vt pax ſit ab exteris nationibus.

Libertatem] Vt ea me conſule conſeruetur.

Otium domeſticum] Ne ſeditiones oriantur.

Cara atque ampla] Iucunda, et honorifica.

Largitio aliqua promulgata] Vt quam promulgauit Rullus. *Aliqua* cum dicit, diſtinguere largitiones videtur, et quandam probare, vt Gracchorum, infra c. 5. nominatam, quandam improbare, vt Rulli.

Niſi exhauſto aerario] Omnis enim largitio de publico aerarium exhaurit.

Iudiciorum perturbationes] Reprehendit leges a tribunis plebis promulgatas, de quibus vide Dionem lib. XXXVII.

Reſtitutio damnatorum] Vt multos reſtituit C. Caeſar, lege Pompeia damnatos.

CAPVT V.

Genus ipſum legis agrariae] Totum genus non vitupero, ſed eam tantum legem, quam Rullus promulgauit: in qua nihil aliud cogitatum, ſusceptum, actum video, niſi vti decem reges, aerarii, vectigalium, prouinciarum omnium, totius reipublicae, regnorum, liberorum populorum, orbis denique terrarum domini conſtituerentur, legis agrariae ſimulatione, atque nomine.

Plebem in agris publicis conſtituiſſe] Hic locus ita videtur intelligendus, cum agri publici a priuatis occupati eſſent, ita vt contra legem Liciniam ſupra quingenta iugera multi poſſiderent, Gracchos in iis agris, quos per legem habere non liceret, plebem conſtituiſſe.

Non ſum autem ego is conſul] Praeclara verba ad conciliandam populi beneuolentiam, vt Rulli legem improbare, tamquam iniquam, et inutilem, non vt hominem odiſſe videatur.

Quorum conſiliis, ſapientia, legibus multas eſſe video reipublicae partes conſtitutas] Videtur ſignificare tres leges, vnam de iure ciuium Romanorum, alteram de prouinciis, tertiam de iudiciis: quas omnes C. Gracchus tribunus plebis tulit. de prima, in ea pro Rabirio c. 4. *C. Gracchus legem tulit, ne de capite ciuium Romanorum, iniuſſu veſtro iudicaretur.* De ſecunda pro domo c. 9. *Tu prouincias conſulares, quas C. Gracchus, qui vnus maxime popularis fuit, non modo non abſtulit a ſenatu, ſed etiam, vt neceſſe eſſet quotannis conſtitui per ſenatum, decreta lege ſanxit.* De tertia, pro Cluentio c. 54. 55. *Ne quis coiret, quo quis iudicio publico condemnaretur.*

Negabant me adduci poſſe] Tamquam omnibus plebis Romanae commodis aduerſarium.

Princeps erat agrariae legis] Pluribus legem ferentibus tribunis plebis, vnus tamen princeps erat, a quo nomen perlata lex accipiebat. Pro Sextio c. 35. *Princeps rogationis, vir mihi amiciſſimus, Q. Fabricius, templum aliquanto ante lucem occupauit.*

Capillatior, quam ante, barbaque maiore] Quo terrorem inferret.

ferret. in luctu quoque capillum et barbam alere moris erat.

Legem hominis] Vt promulgaretur, exſpectabam.

Explicat] Quaſi volumen.

Verbis valde bonis] Sententiis tamen obſcuris.

Vtrum inſidiarum, cauſſa] Vtrum improbitate, an inſcitia: *inſidiarum* autem, vt plebem ipſam deciperet.

Me deſignato] Cum Rullus magiſtratum iam iniſſet. inibant enim, vt iam dixi, tribuni plebis IV. id. Dec. conſules Kalendis Ian.

CAPVT VI.

Auctor eius] Tamquam conſul.

Adiutor] In ſuadenda lege, vt Maniliam ſuaſit praetor, de Pompeio contra Mithridatem mittendo.

Seditioſis atque improbis tribunis plebis] Vt L. Opimius C. Graccho, L. Saturnino C. Marius.

Vis tribunicia nonnumquam libidini reſtitit conſulari] Reſtiterunt tribuni plebis C. Iulio, T. Quintio coſſ. de qua re Liuius lib. IV. c. 26. *Cum alia,* inquit, *aliis terribiliora afferrentur, nec in auctoritate ſenatus conſules eſſent, Q. Seruilius Priſcus, ſummis honoribus egregie vſus, Vos,* inquit, *tribuni plebis, quoniam ad extrema ventum eſt, ſenatus appellat, vt in tanto diſcrimine reipublicae dictatorem dicere conſules pro poteſtate veſtra cogatis. Qua voce audita, occaſionem oblatam rati tribuni plebis augendae poteſtatis, ſecedunt: proque collegio pronunciant, placere, conſules ſenatui dicto audientes eſſe: ſi aduerſus conſenſum ampliſſimi ordinis vltra tendant, in vincula ſe duci eos iuſſuros. Conſules ab tribunis, quam ab ſenatu, vinci maluerunt.*

Non poteſtatum diſſimilitudo] Aeque enim tribuni plebis et conſules vtrique pro ſua poteſtate tueri rempublicam debent.

Animorum disiunctio] Ex occaſionibus orta.

Honeſte] Pro ea perſona, quam ſuſtineo.

Libenter] Pro veſtris commodis. nunc eiusmodi legem eſſe video, vt eam mihi neque per dignitatem meam, neque per vtilitatem veſtram liceat defendere.

Cogitatum, ſuſceptum, actum] Seruat rerum ordinem. cogitata enim ſuſcipiuntur, ſuſcepta aguntur.

Decem reges] Non decemuiri.

Liberorum populorum] Foederatorum, ſuis legibus vtentium.

Certis hominibus] Decemuiris.

Eripi etiam libertatem] Reges enim conſtituuntur. infra c. 11. *Reges conſtituuntur, non decemviri, Quirites: iique ab his initiis fundamentisque naſcuntur, vt, non modo cum gerere coeperint, ſed etiam, cum conſtituentur, omne veſtrum ius, poteſtas, libertasque tollatur.*

Praeſidem libertatis] Ne plebs a patriciis indigna ſeruitute premeretur. Liuius.

Simulatione largitionis] Quod ſupra dixit, *ſpecie largitionis:* et, *legis agrariae ſimulatione atque nomine.*

CAPVT VII.

Qui eam legem tulerit] Se ipſum ſignificabat Rullus: ipſe enim legem agrariam promulgauerat.

Tribus

Tribus XVII.] Cum XXXV. omnino eſſent, ruſticae; XXXI. vrbanae quattuor.

Non certa conditione iuris] Primum peccat in eo, quod creari decemuiros iubet a paucis tribubus: deinde, quod eas ipſas non delegit certa conditione iuris, id eſt, vt pro ſua quaeque conditione deligatur; (erant enim aliae aliis nobiliores) ſed ſortitur, aequata omnium conditione.

Ad vſurpandam libertatem] Retinendae libertatis gratia: ne populo ſuffragiorum ius, et libertatem ſuam adimere videatur. infra c. 12. *ad vſurpationem vetuſtatis adumbrata* vocauit comitia curiata, pro, retinendae et conſeruandae vetuſtatis gratia.

Vocare] Non, vocare ad vſurpandam libertatem, ſed, vocare ad creandos decemuiros, libertatis vſurpandae gratia.

Vt comitiis pontificis maximi] Comitia vocabat Rullus, in quibus non tribus omnes, ſed tantum XVII forte ductae, de pontifice max. ſuffragium ferrent. at Cicero infra c. 10. negat eſſe comitia: *Iam hoc,* inquit, *inauditum, et plane nouo more, vti curiata lege magiſtratus detur, qui nullis comitiis ante ſit datus.* Creabantur pontifices max. a populo, non vniuerſo, ſed tantum a tribubus XVII. ex vetere inſtituto: reliqui ſacerdotes a collegiis. poſtea ipſi quoque lege Domitia a populo creari coepti ſunt. qua de re copioſe disputauimus in libro noſtro de Legibus c. 2.

Per populum creari fas non erat] Sacrum a profanis.

Propter amplitudinem ſacerdotii] Magnas enim res, et ad ciuitatem vniuerſam pertinentes, deferri ad populum, vt is iudicet, aequum eſt.

Populo ſupplicari] A populo peti. Temporis cauſſa vſus eſt verbo populi maieſtatem indicante: quo magis Rullum in odium adduceret, qui, comitia e ſolis XVII tribubus conſtituens, populum tribunus plebis contemnere videtur.

De ceteris ſacerdotiis] De pontificibus minoribus, auguribus, quindecimuiris Sibyllinis, triumviris epulonum.

Cn. Domitius, tribunus plebis] Ahenobarbus, Q. Catuli minoris auunculus, qui tribunus plebis fuit, auctore Pediano in Cornel. II. C. Mario II. C. Fimbria coſſ. is cum augur eſſe non potuiſſet, iratus, tamquam accepta iniuria, cooptandorum ſacerdotum poteſtatem, lege lata, a collegiis ad populum transtulit: vt ita crearentur a populo, id eſt, a XVII tribubus, quemadmodum pontifex max. creari ſolitus erat. Cicero pro C. Cornelio, Velleius lib. II. c. 12. Suetonius in Nerone c. 2.

Vir clariſſimus] Accepta a patre, auo, maioribus nobilitate, vt ait Cicero pro Cornelio: vel *clariſſimus*, habita honorum ratione, quos poſtea geſſit: conſul enim cenſorque fuit. argumentum: Si vir clariſſimus hoc fecit, quia aliter facere non poterat, vt ſacerdotes a XVII tribubus creari iuberet: tu tibi, Rulle, minime cum eo conferendus, licere idem putas in decemviris creandis?

Per caerimonias] Quod ſupra dixit, *propter religionem ſacrorum.*

Ratio-

Ratione] Conſilio, et prudentia.

Quoad poſſet] Plus enim non poterat.

Quoad fas eſſet] Quantum religio concederet.

Quoad liceret] Per leges de religione latas.

Populi ad partes daret] Partes populi ſunt tribus: *ad partes* igitur *populi*, ad tribus XVII. non ad vniuerſum populum. Suſpectus locus e nouitate ſermonis. quod ſi, *populo*, legatur, minus offendat.

Nemo imminuit, nemo immutauit] Imminuit ex aliqua parte, immutauit totum.

Ante acciperent a populo beneficium] Ante a populo crearentur, non, vt Rullus iubet, a partibus populi.

Eripere vobis] Creati enim a XVII tribubus decemuiri, non a populo, ſed a partibus populi beneficium accipient.

Nullo modo] Excuſatur Domitius, qui, quod poteſtate non poterat, vt ſacerdotes a populo vniuerſo crearentur, ratione conſecutus eſt, vt creati viderentur: accuſatur Rullus, qui, cum decemuiros ab vniuerſo populo creari liceret, creari potius a populi parte voluerit. ille igitur poteſtatem ratione auxit: hic poteſtatem ratione peruertit.

Quadam] Per contemtum, *quadam.* non enim cum Domitii ratione conferenda. ea vero ratio eſt, vt XVII tribus ſuffragium ferant; ne ſuam populo poteſtatem eripuiſſe videatur, quam tamen eripit.

CAPVT VIII.

In tanta iniuria] Quia, quod populi proprium ſemper fuit, vt curatores agrorum vniuerſus crearet, id ille vobis eripere, atque e manibus extorquere conatur.

Tantaque impudentia] Quia facere audet, quod in eiusmodi re nemo vnquam.

Illi] De quibus orat. I. c. I. *Dabitis igitur Alexandriam clam petentibus iis, quibus apertiſſime pugnantibus reſtitiſtis?*

Homo felix] Quia ſortietur, quas volet: quod felicitatis eſt. Fraus autem in ſortitione demonſtratur: vt infra c. 9. *Quis tribus, quas voluit, vocauit, nullo cuſtode ſortitus?*

Notis hominibus] In malam partem, pro, corruptis. pro Coelio c. 13. *Res eſt omnis in hac cauſſa nobis, iudices, cum Clodia, muliere non ſolum nobili, ſed etiam nota.*

Licinia eſt lex, atque altera Aebutia] Vtraque, vt opinor, tribunicia: ne quid in ferenda lege praeter populi commodum ſpectaretur. Liciniae mentio fit in oratione pro domo c. 20.

Gratiam beneficii tui] Vt tibi gratia apud populum ex beneficio tuo comparetur.

Hoc] Vt qui legem fert, pro ſua libidine ſanciat ea, quae ſupra infraque dicuntur, contra Liciniam, et Aebutiam legem.

CAPVT IX.

Optimae leges] Licinia, et Aebutia.

Sine vlla exceptione] Totae, nulla excepta parte.

Locus primus] In ferenda lege.

Inuidiae] Non, vt ipſe putauit, gratiae popularis.

Ceteri fructus] Hoc vnum Rulli proprium erit, vt ſit princeps

ceps legis, eiusque nomen legi praeſcribatur: ceteri legis fructus inter decemuiros communes.

Cautione] Ita cautum eſt inter eos, ne ſua quisquam fructuum parte fraudetur.

Viderunt ii] Qui Pompeii gloriae inuidebant, Craſſus in primis, Craſſique amicus Caeſar.

Ad Cn. Pompeium] Qui hoc tempore bellum in Aſia contra Mithridatem gerebat, regno quidem expulſum, amiſſo exercitu, adhuc tamen in vltimis terris aliquid molientem, ſeque Maeotide palude, et itinerum anguſtiis, atque altitudine montium defendente.

Terra et mari] Piratico primum, lege Gabinia, deinde Mithridatico, Manilia.

Reus denique] Non excipitur. nam ſubauditur, *non*.

Praeſentem eum profiteri iubet] Is autem adeſſe non poterat, longinquo bello impeditus: itaque excludebatur lege Rulli.

Quod nulla alia in lege vmquam fuit] Vt praeſentes profiteri iuberentur. licebat enim abſentibus profiteri per amicos praeſentes: et eorum ita ratio habebatur, ſi ad comitia prius, quam haberentur, accuriſſent, et praeſentes magiſtratum a populo petiuiſſent.

Certus ordo] Annali lege praeſcriptus.

Timebat enim, Pompeius, ne, ſi adeſſet, (Ern. *Pompeius ſi adeſſet, ne*) *ferri non poſſet*] Horum verborum hic eſt ordo. *Timebat Rullus, ne, ſi Pompeius adeſſet, lex ferri non poſſet.* Sed vt dicam, quod ſentio, nonnihil offendor hac ſtructura, et, *Pompeius,* gloſſema fuiſſe puto.

CAPVT X.

Contumelia legis] Contumelia, quam Pompeio lex imponit.

Quod initio dixi, regnum comparari, libertatem veſtram hac lege funditus tolli] Initio dixit haec c. 6. *Ego a primo capite legis vsque ad extremum reperio, Quirites, nihil aliud cogitatum, nihil aliud ſusceptum, nihil aliud actum, niſi vti decem reges, aerarii, vectigalium, prouinciarum omnium, totius reipublicae, regnorum, liberorum populorum, orbis denique terrarum domini conſtituerentur, legis agrariae ſimulatione atque nomine. Sic confirmo, Quirites, hac lege agraria, pulchra atque populari, dari vobis nihil, condonari certis hominibus omnia: oſtentari populo Romano agros, eripi etiam libertatem: priuatorum pecunias augeri, publicas exhauriri: denique, quod eſt indigniſſimum, per tribunum plebis, quem maiores praeſidem libertatis, cuſtodemque eſſe voluerunt, reges in ciuitate conſtitui.*

Cupiditatis oculos adieciſſent] Sic lib. II. in Verr. c. 15. *Videbant, adiectum eſſe oculum hereditati.*

Curatione] Agrorum.

Imprudentiam] Inſcientiam. lib. II. de Inuent. c. 31. *Imprudentia eſt, cum ſciſſe aliquid is, qui arguitur, negatur.* Imprudentiam autem in eo, quia non cognitam legem acceperitis.

Negligentiam meam] In eo, quia vitia legis non patefecerim.

A certis hominibus] Iis, quos ſaepe nutu, ſignificationeque appellat.

Lege curiata] Quae imperium, et rei militari neceſſaria dabat. infra

infra c. 12. *Conſuli, ſi legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet.*

Ornat] Inſtruit iis rebus, quas habere ſine curiata lege non licet. eae non multo poſt nominantur.

Magiſtratus detur] Magiſtratum curiata lex non dabat, ſed ornabat. ergo, *detur*, id eſt, confirmetur, propter ea, quae magiſtratui curiata lex dabat.

Nullis comitiis] Comitia enim non ſunt XVII tribus.

Ab eo praetore] Et hoc nouum. curiatam enim legem conſules ferebant: vt infra c. 12. *Conſulibus. legem curiatam ferentibus, a tribunis plebis ſaepe eſt interceſſum.* Et ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Legem curiatam conſuli ferri opus eſſe, neceſſe non eſſe.*

Primus] Qui plura, quam ceteri, ſuffragia tulerit. pro lege Manilia c. 1. *Ter praetor primus centuriis cunctis renunciatus ſum.* Et contra competitores: *Neſcis me praetorem primum eſſe factum.*

Nullos a plebe deſignari] Non enim a plebe, ſed a parte plebis decemuiros deſignari iubet.

In ſecundo capite] In quo erat, vt decemuiri item, eodemque modo crearentur, vt comitiis pontificis max. ii vero a tribubus XVII creabantur.

CAPVT XI.

De omnibus magiſtratibus] Maioribus, et minoribus. maior autem conſul, et praetor: minores reliqui.

Bis] Centuriatis, et tributis comitiis, qui mos manſit. prius autem, quam tributa comitia Publilia lege inducerentur, curiata et centuriata magiſtratum dabant.

Centuriata lex] *Legem* pro comitiis vſurpat.

Cum centuriata lex cenſoribus ferebatur, cum curiata ceteris patriciis magiſtratibus] Difficilis admodum locus; qui praeſtanti viros ingenio, doctrinaque torſit. ego, cum ita de ceteris exiſtimem, vt eos mihi praeferam, audebo tamen meam ſententiam interponere: ne, quas interpretandi partes ſuſcepi, eas neglexiſſe videar labore deterritus. Binis comitiis de omnibus magiſtratibus a populo ſententiam ferri, maioribus placuerat. magiſtratus autem ita diſtinguuntur, vt alii patricii ſint, alii plebeii: patricii, quaeſtor, aedilis curulis, praetor, conſul, cenſor: plebeii, tribunus plebis, aedilis plebis, alii. Sed bina comitia primum fuere de patriciis magiſtratibus, plebeiis nondum creatis, centuriata, et curiata. excipio cenſores, qui licet inter patricios magiſtratus eſſent, vnis tamen centuriatis creabantur. ideo dicit Cicero: *Centuriata lex cenſoribus ferebatur.* Vbi vero plebeii magiſtratus creati ſunt: in curiatorum comitiorum locum tributa ſucceſſere. nam curiatis nihil cum plebeiis magiſtratibus: inſtituta ſunt enim patriciorum cauſſa, multo ante originem plebeiorum. Dicet aliquis: Cur non eadem ratione centuriata ſublata ſunt, inſtituta a Seruio rege, cum nulli dum plebeii magiſtratus eſſent? Reſpondetur: Vt eſſent aliqua comitia auſpicato, quibus patricii magiſtratus crearentur. nam tributa auſpicata non erant. Quemadmodum

igitur de patriciis magiſtratibus, cenſore tamen, vt diximus, excepto, centuriatis primum, deinde curiatis comitiis, ante quam plebeii crearentur, populus ſuffragium tulit: ſic, vbi plebeii creati ſunt, centuriatis, et tributis, curiatis auſpiciorum cauſſa remanentibus, idem populus ſuffragium tulit. Nunc, vt ad intelligentiam aditus lectori facilior ſit, ſingula verba ponderemus.

Centuriata lex cenſoribus ferebatur] Centuriata comitia, ſine curiatis, cenſoribus creandis fiebant, cum curiatis vero, ceteris patriciis magiſtratibus.

Tum iterum] Eo tempore centuriatis, curiatisque comitiis, cum tributa nondum eſſent, nunc centuriatis, et tributis, cum ſublata curiata ſint, de omnibus plane magiſtratibus ſuffragium populus fert.

Prima] Ratione curiatorum non habita.

Tantum auſpiciorum cauſſa] Non vt de magiſtratibus iudicet, ſed vt, quae auſpicato fuerant inſtituta, remanere videantur. infra c. 12. *Sint igitur decemuiri, neque veris comitiis, hoc eſt, populi ſuffragiis, neque illis ad ſpeciem, atque ad vſurpationem vetuſtatis per XXX lictores, auſpiciorum cauſſa, adumbratis, conſtituti.*

Hic autem tribunus plebis] Qui tueri veſtra iura debet.

Populi, aut plebis] Populum vocat conſul, id eſt, patricios ſimul et plebeios, plebem tribunus plebis, quia patricios vocandi ius non habet: vnde *plebiſcitum*, quod a tribuno plebis vocata plebs iuſſit.

Curiatis ea comitiis] Vel, *ea*, quae ſcripta ſunt in lege de ornandis decemuiris: vel, *eam*, reponendum: quod aliis placet: vt ad poteſtatem referatur.

Non ſinitis] Pro, *ſinitis*, alii legunt, *initis*, alii, *ſciſcitis*. ego nihil muto: vt ſit, *non ſinitis*, pro, non permittitis, non relinquitis, haberi non vultis: cum tributa, eorum loco, repoſita ſint.

Religionem] Cui religio fuit, decemuiris poteſtatem dare ſine lege curiata: cum eidem religio non fuerit, multa ſancire in ſua lege, quae nec aequa, nec vtilia populo ſint.

Diligentiam] In decemuiris curiata lege ornandis. iubet enim legem ferri: iubet, a praetore: iubet ab eo praetore, qui primus ſit factus: iubet, ſi is ferre non poſſit, ab eo ferri, qui poſtremus ſit.

Vidit, et perſpexit, ſine curiata lege decemuiros habere poteſtatem non poſſe] Hoc ad religionem pertinet. nam infra, *ad religionem*, inquit, *hominis reuertamur. Videt, ſine lege curiata nihil agi per decemuiros poſſe.*

Luſiſſe] Qui a primo praetore ad poſtremum, mediis omiſſis, ius ferendae curiatae legis transferat. Sequitur: *Ita peruerſum, vt ridiculum.*

Neſcio quid] Fraudem aliquam. ſequitur enim, *aut ita malitioſum, vt obſcurum.*

Peruerſum] In ordine: cum latio legis non a primo praetore ad ſecundum, ſed ad vltimum transferatur.

Malitioſum] Cupit enim decipere, ſed ita, ne quis fraudem intelligat.

Si ea lata non erit] Intercedente aliquo tribuno plebis, vel obnunciante aliquo magiſtratu.

Eodem iure] Ampliſſimo ſcilicet. id enim haec addita verba, *quo qui optima lege*, ſignificabant, vt ait Feſtus.

Quo qui optima lege] Creantur a populo. ſic locutus Phil. V. c. 16.

Si hoc fieri poteſt] Quod fieri nullo pacto poteſt: ſed ſi poteſt, vt Rullus putat: quid attinet, tertio capite, legem curiatam ferre, iubere? *Fieri* autem, magis placet, quam *ferri:* quod antea legebatur. notat enim Rulli vel impudentiam, vel ignorantiam, qui iubeat id, quod fieri non poteſt.

CAPVT XII.

Exiſtimamus] De tribuno plebis impediente iudicamus.

Poteſtatem tamen eandem conſtituit] Vult enim, ſi curiata lex ferri non poſſit, eodem tamen iure decemuiros eſſe, quo qui optima lege.

Populi] Vniuerſi. nam vera comitia non ſunt, cum ſolae XVII tribus ſuffragium ferunt.

Per XXX lictores] Vt triginta veteres curiae referantur: ne ſublata penitus, quae auſpicato inſtituta fuerant, curiata comitia viderentur.

Iubet] Caput legis quartum.

Auſpicii coloniarum deducendarum cauſſa] Vt auſpicato coloniae deducantur.

Pullarios] Qui ex pullis gallinaceis auſpicia captarent, rei, quae ageretur, confirmandae gratia.

Tresuiri] Qui agros a diuitibus ſupra legitimum numerum, id eſt, ſupra quingenta iugera, contra legem Liciniam poſſeſſos, pauperibus diuiderent. ii fuere, lator ipſe legis Ti. Sempronius Gracchus, Ap. Claudius, eius ſocer, et Caius, Tiberii frater. Plutarchus in Gracchis.

CAPVT XIII.

Centuriis] Si ſic legatur: plane quid hoc ſit, ego non aſſequor: licet *mulum centuriatum* a Vopiſco in Aureliano c. 7. videam nominari. *Canteriis*, fortaſſe rectius. ſed videntur ſtatim poſt, *mulis*, nominari debuiſſe, non inter tabernacula et ſupellectilem interponi.

Sumtum haurit ex aerario] Quod ſatis eſſe debuit: et tamen ſuppeditat a ſociis.

Ianitores ex equeſtri loco ducentos] Omnibus decemuiris. nam ſi ſingulis, dixiſſet, *ducenos.*

Furioſus] Nemo enim inſignia illa poteſtatis, niſi per inſaniam, ſine populi ſuffragiis aſſumeret.

Primum permittitur infinita poteſtas] Caput legis quintum.

Sine conſilio] Nemine adhibito, qui ſimul iudicaret.

Sine prouocatione] Erat enim a quocumque magiſtratu ad populum prouocatio.

Sine auxilio] Affectis iniuria tribuni plebis auxilio erant.

Liberos populos] Qui nihil populo Romano penderent.

Regnorum vel dandorum] Regnorum etiam dandorum, quibus vellent. quo quid maius? Aegyptum in primis, propter Alexandri regis teſtamentum, ſed alia quoque regna ſignificat: de quibus infra c. 14. *Regna omnia permiſſu legis continentur.*

Cum commodum ſit] Cum libeat: vt orat. I. c. 3. *Hic permittit ſua lege decemuiris, vt, in quibus commodum ſit tenebris, aut in qua velint ſolitudine, bona populi Romani poſſint diuendere.*

Quaeſtori permittant] De agris vendendis. vnde *quaeſtorios* appellant *agros* Hyginus, et Flaccus, qui bello capti, per quaeſtorem venduntur.

Finitorem] Qui fines agris conſtituat. infra c. 17. *Cum faſcibus, cum illa delecta finitorum iuuentute.* Et aliquanto poſt c. 20. *Haſta poſita, cum ſuis formoſis finitoribus auctionantem.*

Vni illi] Non quaeſtori, ſed decemuiro. nam, *mittant*, ad decemuiros refertur.

CAPVT XIV.

Libera a vobis] Quae nihil publice pendunt.

Ignorata] Extra veſtrum imperium. nam de imperio iam dixit.

Datur igitur eis] Verbum, *igitur*, hoc ad idem legis caput, quod eſt de poteſtate decemuirum, pertinere, ſatis oſtendit.

M. Tullio, Cn. Cornelio conſulibus] Dictatore Sulla.

Caecum] Patiendi ſignificatione, pro, quod non videtur. non enim, ea quae eſſent, in lege Rullus appellauerat. Eodem ſenſu dixit pro Milone c. 19. *caeca nox:* Virgilius lib. VI. Aen. v. 734. *carcere caeco:* Lucretius lib. III. v. 317. *caecas cauſſas.*

Reſtitutam] Suſtulit Sulla victor, odio in plebem incenſus, quia pro Mario ſteterat: reſtituere Pompeius et Craſſus conſules.

Nemo attigit] Metu tribunorum plebis.

Periculi perfugia] Vt, eo qui confugeret in periculo, ſaluus eſſet.

Lege tribunicia] Cum antea propter ipſos tribunos plebis nemo attigerit.

Mons Gaurus] Campaniae, vbi vina naſcebantur optima.

Minturnas] Oppidum Campaniae.

Herculanea] Ab oppido item Campaniae Herculaneo.

Multarum deliciarum] Propter amoenitatem: et ideo vendibilis.

CAPVT XV.

Commodum erit] Libebit.

Disceptationem (Ern. *disputationem*)] Iudicium. nam ſequitur: *Cum idem et diſſeret, et iudicabit.* Nota verbi ſignificatio.

Quam hereditatem] Bithyniam populo Romano Nicomedes rex teſtamento reliquerat.

Creuimus] Adiuimus: vt alibi.

Statiua] Munita loca.

CAPVT XVI.

Mitylenae] Oppidum in Lesbo inſula.

Belli lege] Nam ſecutae partes Mithridatis, ad extremum, paullo ante obitum Sullae, captae, dirutaeque ſunt: in epitome lib. LXXXIX. quamquam, ſi dirutae ſunt, quaeri poteſt, cur Cicero dicat: *Vrbs et deſcriptione aedificiorum, et pulchritudine in primis nobilis.* Fortaſſe, quia bello dirutae, in pace reſtitutae. Vel, quod potius arbitror, vt Rulli lex improbetur, et decemvirum poteſtas in odium adducatur, oratorie ſupra veritatem laudantur.

Vt

Vt occulte latet] Orat. I. c. 1. *Quae res aperte petebatur, ea nunc occulte cuniculis oppugnatur.*

Regis Alexandri] De quo orat. I. c. 1.

Auctoritatem ſenatus] Quae differt a *ſenatus conſulto*, nec eam habet vim. nam cum plerique ſenatores aliquid decernerent, nec tamen, tribuno plebis aliquo intercedente, ſenatus conſultum fieri poſſet; referebatur in publicas tabulas, quod ſenatus eo die decreuiſſet: quae *ſenatus auctoritas* vocabatur.

Alexandro mortuo] Poſt Sullam et Pompeium conſules. ideo Rulli lege regnum Aegypti in decemuirum poteſtatem veniet.

Tyrum] Vrbem Phoeniciae: de qua Plinius lib. V. c. 19. *Tyrus, quondam inſula, praealto mari ſeptingentis paſſibus diuiſa, nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens.*

Noſtris] Romanis.

L. Philippum] Cum ſubiungat: *memoria teneo:* patrem eius, qui cum Marcellino poſt aliquot annos conſul fuit, omnino ſignificat.

Eum] Ptolemaeum Auletem. rat. I. c. 1.

Neque animo regio eſſe] Deliciis enim deditum fuiſſe, tibiisque mire delectatum, vnde Auletis cognomen, Strabo lib. XVII. docet.

Omnium regnorum] Cum iam ab Attalo Aſiam, ab Apione Libyam, a Nicomede Bithyniam, heres teſtamento factus, accepiſſet: alia praeterea regna, capta bello, teneret.

Verum iudicabit] Recte, et iuſte iudicabit? pro Murena c. 35. *Negat verum eſſe, allici beneuolentiam cibo.* Pro domo c. 8. *Quid ad te, qui negas eſſe verum, quemquam vlli rei publicae extra ordinem praefici?*

Vtrumque] Vt iudicet, et verum iudicet.

Neque concedendum, neque ferendum] Neque iudicandi poteſtas concedenda: neque, quod iudicabit, ferendum.

Ex ſua lege vendet Alexandriam] Nam ſi regnum illud adiudicabit populo Romano, ſine dubio vendet, ea ratione, quod poſt Sullam et Pompeium conſules publicum factum ſit.

CAPVT XVII.

Eosdem curſus hoc tempore] Idem orat. I. c. 1.

Directo (Ern. *decreto*)] Non oblique, ſed recto curſu. Antea, *decreto:* nos, *directo.*

An quietis iis] Placet vel, *an Quirites, ii*, vel, *an quietis nobis.*

Tactris tenebris] Occulta legis fraude.

Vnaque] Perſpicue mendoſum: vſitatum, et apertum eſſet, *animisque.*

Legatos noſtros] Idem orat. I. c. 3.

Finitorum] Qui terminos agris imponent.

In imperio] Quod agrorum curatores habere non ſolent.

Sumtus] Quem ſuppeditari a ſociis leges vetant. lib. V. ad Attic. epiſt. 16. *Nullus ſit ſumtus in nos, neque in legatos, neque in quaeſtorem, neque in quemquam.*

Quanta calamitas populi] Eius ciuitatis, in quam venerint.

Dixerit] Decemuir.

Ipſi] Decemuiro.

Quaeſtus] Magnam enim pecuniam ab eo populo accipiet.

Omnes terras] Vt bellum Mithridaticum.

Omnia maria] Vt bellum piraticum.

Eſſe permiſſa] Extra ordinem.

Multa committi] Vt Pompeio.

Condonari] Vt decemuiris. grauius enim eſt, condonari, quam permitti; omnia, quam multa; decemuiris, quam Pompeio.

Vel (abeſt ab Ern.) *labori*] Etiam ſi, *vel*, in ſequenti membro, non iteretur, hic tamen abundare non arbitror.

Imprudente (Ern. *impudenter*)] Inſciente. nam fraude legis decipitur.

CAPVT XVIII.

Incidant neruos populi Romani] Nerui ſunt populi Romani, vectigalia, et aerarium.

Veſtra vectigalia] Vectigales agros: de quibus orat. I. c. 4. *Iubet eosdem decemuiros omnibus agris pergrande vectigal imponere, vt iisdem poſſint et liberare agros, quos commodum ſit, et, quos ipſis libeat, publicare.*

Populi Romani auctionem] Acerbius, quam ſi dixiſſet, *bonorum publicorum auctionem*: vt in extrema oratione, c. 36. *ipſum Cn. Pompeium proſcribere*: id eſt, ea, quae armis a Pompeio parta ſunt.

Siluas] Siluam Scantiam vendi primum iubebat. quam cum praeco in auctione recitanda nominaſſet, haec Cicero ſubiecit: *Vt in ſuis rebus, ita in republica luxurioſus eſt nepos.*

Quam vineas] Cum vineae prius vendi ſoleant, vt minoris pretii. ſed ille, perdendi bonorum publicorum cupidus, item vt ſua per luxuriam diſſipauit, initium vendendi non ab aliqua publica vinea, ſed a Silua Scantia ſumſit.

Percenſuiſti] Ex vectigalibus Italicis nullum eſſe praetermiſſum a Rullo dicit, quod vendi nollet. Cenſorio verbo vſus eſt: quia, quemadmodum cenſores in quinquennium vectigalia locabant, ſic Rullus in perpetuum ea vendebat.

Perge in Siciliam] Recitaſti Italica vectigalia: Sicula nunc recita.

Nihil eſt in hac prouincia] Cum praeco legiſſet eam partem, quae ad Siciliam pertinebat; ſubiecit haec Cicero.

Proprium] Populi Romani.

Nobis] Malim, *vobis*: quo magis populum commoueat: cum ſequatur, *maiores vobis*.

Recenti victoria] Cum inferat, *maiores*, vix puto de victoria M'. Aquillii accipi poſſe. is enim patrum aetate, non maiorum, puero Cicerone, ſeruos in Sicilia deuicerat. Sin, *recenti victoria*, ad ipſos maiores, id eſt, ad Rupilii, Laeuini, Marcelli victorias, referatur: interpretabimur, *recenti*, ſtatim poſt victoriam.

Vinculum pacis] Vt, agri parte a nobis poſſeſſa, defectionem ſocii non facile cogitent. itaque pacis vinculum poſſeſſio agrorum illorum eſt.

Monumentum belli] Vt exſtet belli, quo ſocii a nobis victi ſunt, memoria.

Perſonam hanc impoſuiſtis] Cum legem Maniliam, de Mithridatici belli cura abſenti Pompeio mandan-

mandanda, ſuffragiis veſtris, me praetore ſuadente, comprobaſtis.

Illius abſentis] Sic enim nunc abeſt, vt cum Maniliam legem ſuaſi. tunc enim piratici belli reliquias perſequebatur.

CAPVT XIX.

P. Seruilii] Qui de Cicilia triumphauit, captis Coryco, Olympo, Phaſelide. Aſconius lib. I. in Verr. c. 21.

Regios] Poſſeſſos antea a Nicomede rege.

Attalicos] Qui Attali regis fuerant.

Regis Philippi, ſiue Perſae] Philippum T. Flamininus, Perſam L. Paullus deuicit.

Corinthios] Ex L. Mummii victoria.

Apionis] Ptolemaei, Cyrenarum regis, qui heredem reliquit populum Romanum. Epitome lib. LXX. Tacitus lib. XIV. Annal. c. 18. Marcellinus lib. XXII. c. 16. et Obſequens c. 109.

Non legibus datis] Victis enim leges de ſenatus ſententia a decem legatis dabantur.

Imperatoris] Cn. Pompeii, bellum adhuc gerentis.

Potiſſimum] Vt ab ipſo praecipue, qui legem tulerit, expetitam.

CAPVT XX.

Te volo curare] Inuidioſa verba. ſunt enim Rulli Pompeio Magno imperatori, optime de republica merito, imperantis.

An Pompeium non adhibebit] Hoc illud eſt, quod ſupra c. 19. dixit, *non auditis verbis imperatoris.*

Manubias] Agros armis partos.

CAPVT XXI.

Hoc ex loco] Ex Roſtris.

Indemnatorum] Marianarum partium. damnatis autem adimere bona licebat.

Arbitris] Iudicibus: vt alibi.

Sequitur] Caput ſextum.

Omnes agros extra Italiam] Non recitat omnia legis verba: quae fortaſſe haec erant: *Omnes agros publicos extra Italiam vectigales faciunt, pergrandi impoſito vectigali: publici autem qui ſint, quiue priuati, iidem cognoſcunto.* qua de re ſic orat. I. c. 4. *Iubet eosdem decemuiros omnibus agris publicis pergrande vectigal imponere, vt iidem poſſint et liberare agros, quos commodum ſit, et, quos ipſis libeat, publicare.* Quibus verbis imponendi primum vectigalis, deinde cognoſcendi poteſtas declaratur.

Infinito ex tempore] Ciceronis, non Rulli verba.

Imponitur] Quia lex imponi iubet. Quo modo autem imponitur? ſi publicus ager iudicabitur. iudicium autem et cognitio decemuirum e quaeſtu pendebit: ſiue priuatum agrum publicabunt, pergrandi impoſito vectigali: ſiue publicum, id eſt, eum, qui aliquid publice pendit, pecunia a priuatis accepta, liberabunt. orat. I. c. 4. *Quo in iudicio perſpici non poteſt, vtrum ſeueritas acerbior, an benignitas quaeſtuoſior ſit futura.*

Nulla disceptatione] Nulla deliberatione, cognitione omiſſa. orat. I. c. 7. *Laceſſo vos; in concionem*

 cionem

cionem voco; populo Romano diſceptatore vti volo.

Nullo conſilio] Nullis iudicibus.

Priuata publicare, publica liberare] Orat. I. c. 4. *Iubet eosdem decemuiros omnibus agris publicis pergrande vectigal imponere, vt iidem poſſint et liberare agros, quos commodum ſit, et, quos ipſis libeat, publicare.*

Excipitur] Ne vectigal imponatur. orat. I. c. 4.

Propter hominum neceſſitudinem] Conſtitutam in quaeſtura Sicilienſi: quam ita geſſit, vt Siculos omnes amore ſibi deuinxerit, diſcedens magnum ſui deſiderium, iucundamque memoriam reliquerit.

Propter aequitatem] Priuatum oſtendit agrum eſſe, non publicum.

Saepe vehementer gaudeo] Cum dicat, *ſaepe*, intermiſſionem gaudii ſignificat. ſed in ea re, quae probatur, et placet, perpetuum eſt gaudium. itaque, *ſaepe*, mendoſum eſſe ſemper duxi. poſtulat ſententia, *ſane*, vel ſimile aliquid.

Amiciſſimis ſedibus] Malim, *antiquiſſimis.*

Permittere, vt publici iudicentur] Quod vendi poſſunt; aut, quo vectigal eis arbitratu decemvirum imponatur.

Hunc excipere nominatim, qui publicus eſſe fateatur] Sic antiqui libri. mutationem peperit eorum inſcientia, qui, *fateatur*, patiendi ſignificatione non probarunt: cum tamen, vſitatum id veteribus fuiſſe, Priſcianus auctor ſit.

Alia ratione] Nummis aut datis, aut promiſſis.

CAPVT XXII.

Quaeſtuoſa exceptio] Excipiuntur enim agri, non iure, ſed quaeſtu, de quibus cautum ſit foedere. orat. I. c. 4. *Excipit in vectigali imponendo agrum Recentoricum Sicilienſem: in vendendis agris eos agros, de quibus cautum ſit foedere. hi ſunt in Africa, qui ab Hiempſale poſſidentur.*

Tegit] Defendit, excipit. qui enim tegitur, ab iniuria tutus eſt. ad Seruilium lib. XIII. Fam. epiſt. 66. *Etiam atque etiam te rogo atque oro, vt eum et in reliquiis veteris negotiationis colligendis iuues, et ceteris rebus tegas, atque tueare.*

C. Cottam] Aureliae gentis, clarum oratorem, qui conſulatum geſſit cum L. Octauio, biennio poſt obitum Sullae.

Veretur Hiempſal, vt ſatis firmum ſit et ratum] In optatis rebus, *vereor vt*, veteres dicebant; in iis, quae ſi contingant, dolemus, *vereor ne.* optabat autem Hiempſal, vt foedus illud, quo agri excipiebantur, firmum, ratumque eſſet.

Tollitur veſtrum iudicium] Quod enim foedus vos non iuſſiſtis, eo agros excipi non licet.

Totum] Agri igitur excipiuntur omnes, foedere poſſeſſi.

Comprobatur] Tamquam a vobis iuſſum.

Minuit] Exceptione. minor enim decemuirum quaeſtus erit.

Amico] Diſſenſit igitur ab Hiarba patre, cum quo Pompeius bellum geſſit, victoque triumphauit. ideo donatus eſt Hiempſal a victore Pompeio paterno regno.

Voli-

Volitat] Pecuniam oſtentans, quo foedus excipiatur lege.

Aurum, argentum] Caput ſeptimum.

Ex praeda, ex manubiis] Idem orat. I. c. 4.

Ad quoscumque peruenit] Orat. I. c. 4. *peruenit, peruenerit.* hic alterum verbum omittitur, librarii fortaſſe culpa.

De clariſſimis viris, qui populi Romani bella geſſerunt] Iterat, quod orat. I. c. 4. dixit: *Audite, audite vos, qui ampliſſimo populi ſenatusque iudicio exercitus habuiſtis, et bella geſſiſtis. Quod ad quemque peruenit, peruenerit, ex praeda, ex manubiis, ex auro coronario, quod neque conſumtum in monumento, neque in aerarium relatum ſit, id ad decemuiros referri iubet.*

Translatum] A praetore, eiusque conſilio.

Nullum iudicium] Immo ſummum iudicium. mendum igitur in *nullum.*

Vir optimus] Qui nocere nolit ei, quem amat. ironia. non enim Pompeium amat. ideo ſequitur: *Vnde iſte amor tam improuiſus, ac tam repentinus?*

Improuiſus] Nullo ſigno cognitus.

Repentinus] Repente declaratus. differunt enim, *improuiſus,* et *repentinus.*

Prope nominatim] Quia praeſentem profiteri iubet. Pompeius autem cum abſit longiſſime, prope nominatim excludi videtur honore decemuirali.

Legumque datio] Diximus iam, victis populis leges dari ſolitas.

Ius imperatorium] Vt iudicaret, leges daret, cognoſceret.

Soli eripitur] Solus enim hoc tempore bellum gerebat.

Inuidia quaeri] Qui ſolus excipiatur: quod inuidioſum eſt.

CAPVT XXIII.

Nihil ſibi appetit praecipue Pompeius, nihil] Iteratum verbum in fine ſententiae, vim habet: vt in Cluentiana c. 35. *Non fuit illud iudicium iudicii ſimile, non fuit.*

Portitores] Tamquam publicani, qui, conductis portibus, vectigal exigunt, excuſſis omnibus, ne, mercede non ſoluta, praetereant. propterea ſubiicitur: *Imperatores noſtros excutiant.*

Quam ceteri] Qui exercitus habuerunt, et bella geſſerunt.

Remiſſis manubiis] Quas Pompeium ad decemuiros referre non vult.

Nihil praetermiſſum, ſed omnes vrbes] Lego aliter, et diſtinguo, non dubitans, quin ſit rectius hoc modo: *Nihil praetermiſſum ſit: omnes vrbes.*

CAPVT XXIV.

Ad certorum hominum importunam auaritiam] Mirus eſt in amplificanda re. nam et, *auaritiam*, et, *importunam*, et, *certorum hominum* dixit.

Nomen] Cum a nomine res ipſa vehementer differat. quod enim populo oſtentatur, id paucorum erit, qui ſe decemuiros ſperant futuros.

Quaeſitum] Vt vos grato et auribus veſtris iucundo nomine deciperent.

Hac pecunia iubet agros emi] Caput octauum.

Luſcinos, Calatinos, Acidinos] Significat C. Fabricium Luſcinum, qui conſul primum de Etruſcis, Galliſque, iterum de Lucanis, Bruttiis, Tarentinis, Samnitibus triumphauit: A. Atilium Calatinum, qui triumphavit praetor ex Sicilia de Poenis. nam C. Atilio, qui de Poenis navalem triumphum conſul egit, non Calatino, ſed Regulo primum, deinde Serrano cognomen fuit; quia miſſi a ſenatu ad eum arceſſendum, vt imperium populi Romani ſuſciperet, ſemen ſpargentem inuenerunt. id Cicero pro Sex. Roſcio c. 18. Valerius lib. IV. c. 4. Plinius lib. XVIII. c. 5. docet: L. Manlium Acidinum, qui propraetor, citeriore in Hiſpania re bene geſta, vrbem ouans introiuit.

Patientia paupertatis] Quia paupertatem, quae grauis et odioſa multis eſt, aequiſſimo animo tulerunt. itaque repudiatam a Fabricio, quam ei Pyrrhus rex pecuniam miſit, ſcripſit Cicero in Paradoxo vltimo. eiusdem paupertatem efferunt Valerius, Plinius.

Ornatos] Vt aliis diuitiae, ſic his ornamento paupertas fuit.

Catones] Cato ille Cenſorius.

Phili (Ern. *Philippi*)] L. Furii Phili, aequalis Africani, et Laelii, quem Cicero de iuſtitia diſputantem induxit in libris de rep. nominatur in oratione pro Archia c. 7. et in ea pro Murena c. 31. ſed mendoſe: legitur enim non in peruulgatis modo libris, verum etiam in ſcriptis *L. Philippo*, pro, *L. Philo*.

Laelii] Qui Sapiens eſt appellatus; quia, cum Ti. Graccho legem agrariam ferenti, fauere coepiſſet, poſtea, locupletum factione commotus, ne periculoſam ciuitati ſeditionem excitaret, deſtitit ab incepto.

Odorari] Quaſi praedam quaerentes, vt venaticos canes.

Committite vos nunc, Quirites, his omnibus haec omnia, quos odorari hunc decemuiratum ſuſpicamini: reperietis, partem eſſe eorum, quibus ad habendum, partem, quibus ad conſumendum nihil ſatis eſſe videatur] Permittit, et minatur. permittit in, *committite:* minatur in, *reperietis.* Praeclara figura, ex praeſentibus futura proponens: cui ſimilis illa pro domo c. 14. *Probate genus adoptionis: iam omnium ſacra interierint, quorum cuſtodes vos eſſe debetis; patricius nemo relinquetur.* Ibidem c. 18. *Date hanc tribuno plebis licentiam, et intuemini paullisper animis iuuentutem, et eos maxime, qui imminere iam cupiditate videntur in tribuniciam poteſtatem: collegia, medius fidius, tribunorum plebis tota reperientur, hoc iure firmato, quae coeant de hominum locupletiſſimorum bonis, praeda praeſertim populari et ſpe largitionis oblata.* Et aliquanto poſt c. 47. *Date de hac religione aditum, pontifices: iam nullum fortunis communibus exitum reperietis.*

Partem eſſe eorum, quibus ad habendum, partem, quibus ad conſumendum nihil ſatis eſſe videatur] *Ad habendum*, de M. Craſſo, *ad conſumendum*, de C. Caeſare dictum.

CAPVT XXV.

Omnibus legibus] Sempronianas iam nominauit.

Agris

Agris publicis priuatos eſſe deductos] Cum eos nullo iure poſſiderent. Rullus autem contra maiorum conſuetudinem emere agros a priuatis decemuiros iubet.

Horrido ac truce] De quo ſupra c. 5. *Veſtitu obſoletiore, corpore inculto et horrido, capillatior, quam ante, barbaque maiore: vt oculis et adſpectu denunciare omnibus vim tribuniciam, et minitari reipublicae videretur. Horrido* igitur ad veſtitum, *truce*, ad animum refero: cuius indices oculi ſunt.

Mercaturam] Non ſatis honeſtam ex quacumque re: ideo ſenatoribus eam exercere non licebat: ex bonis vero populi Romani turpiſſimam.

Obſcura ſpe] Sperat enim opimos, et fertiles agros: ſed obſcura ſpe ducitur, cum a Rullo, nec qui agri illi ſint, quos emi vult, nec quibus in locis, definiatur.

Pendere] Vſurpatur hoc verbum in rebus dubiis. nam qui pendet, firmus non eſt. transfertur ad animum: vnde, *animi pendeo.*

Albanus ager eſt] A porta Capena, qua in Appiam viam iter eſt. Albanus autem ager, Setinus, Priuernas, in Latio: Fundanus, Veſtinus, Falernus, Linternus, Caſſinas, Cumanus, in Campania.

Ab alia porta] Collina.

Capenas, Faliſcus] In Etruria.

Venafranus, Alliſanus] In Samnio.

Trebulanus] In Sabinis: itaque coniungi cum Reatino debuit.

Coaceruare] Nullo delectu, nulla mora: cum abundet pecunia.

Definio, inquit, Italiam] Quia lex in Italia iubebat eos agros emi, quo plebs deduceretur.

Satis certa regio] Ironia. non enim certa regio eſt Italia; cum in ea regiones multae ſint. Italiam igitur, Rulle, definiſti, vt arbitratu ſuo decemuiri poſſent, quoquo vellent, tam ſcilicet in Apuliam, quam in Maſſici montis radices, plebem deducere. quod ſi in Apuliam, vel incultam ob ſterilitatem, vel deſertam ex peſtilentia: nullum plebs ex tua lege beneficium capiet.

An in Italiam] Lego, *an in Apuliam.* nam ſi locus eſt cum loco conferendus: quis putet cum Maſſico monte Italiam, quae Maſſicum ipſum continet, totum videlicet cum aliqua parte, conferri? Apulia vero recte opponitur Maſſici radicibus, locus videlicet maxime vitandus loco maxime expetendo.

Quidnam (Ern. *quid? naturam*) *agri*] Pro, *qui ager? Agri* enim generandi caſu dixit.

Vero, inquit] *Vero,* affirmantis aduerbium, veteribus vſitatum.

Exile] Tenue, non denſum.

Perſtringi] Exerceri, findi. transfertur ad offenſiones animi. pro Sulla c. 16. *Nemo vmquam me tenuiſſima ſuſpicione perſtrinxit, quem non praeuerterim.* Lib. I. ad Attic. epiſt. 14. *Quod* (Craſſus) *meis omnibus litteris in Pompeiana laude perſtrictus eſſet*, id eſt, laeſus, non tamen grauiter.

CAPVT

CAPVT XXVI.

Vim] Sententiam.

Ne ii quidem] Nedum qui ſuos, non publicos agros poſſident.

Qui agros publicos poſſident] Qui decedere, non accepta pecunia, debent. cur enim, quod publicum eſt, vendat? ſupra c. 25. *Omnibus legibus agris publicis priuatos eſſe deductos.*

Inuidioſas] Licet non publicas: *inuidioſas* autem ob eam cauſſam, quia ſupra modum: cum ciues plurimi premantur inopia. Infra quoque: *Agros partim publicos, partim plenos inuidiae.*

Fortunis locupletat] Quia publicorum agrorum poſſeſſores, quanti volent, eos decemuiris vendent, quaſi mercatura quadam inter eos conſtituta.

Inuidia liberat] Imminuto poſſeſſionum modo, accepta ſcilicet a decemuiris pecunia.

Sullanorum] Quos inimicis ademtos aut largitus eſt militibus ſuis, aut proſcriptos vendidit.

Horrebant] Metu agrariae legis.

Veſtram vim] Veſtram poteſtatem. licet enim vobis, Sullanas aſſignationes veſtris infirmare ſuffragiis.

Orabuntur] Prope a ſupplicibus.

Hoc carmen] Certis, immutabilibusque verbis. id enim eſt *carmen.* pro Rabirio perduellionis reo c. 4. *Haec tua, quae te hominem clementem popularemque delectant,* I LICTOR: COLLIGA MANVS: *non modo huius libertatis manſuetudinisque non ſunt, ſed ne Romuli quidem, aut Numae Pompilii: Tarquinii, ſuperbiſſimi atque crudeliſſimi regis, iſta ſunt cruciatus carmina.* Liuius lib. I. c. 26. *Lex horrendi carminis erat, Duumuiri perduellionem iudicent.*

Sibi intus canit] Hoc non ad veſtram, ſed ad ſuam vtilitatem confert. ſumtum de Aſpendio citariſta, ſibi intus omnia canente: vnde prouerbium. Lib. I. in Verr. c. 20. et ibi Pedianus.

Socerum] Valgium: de quo orat. I. c. 5. *Quantum tibi agri vendet, vt alios omittam, ſocer tuus?* Et orat. III. c. 1. *Vt facile appareat, eam legem non a veſtrorum commodorum patrono, ſed a Valgii genero eſſe conſcriptam.*

Virum optimum] Contrarium intelligi, ſatis indicant ea, quae ſtatim ſubiiciuntur. et de eodem orat. III. c. 3. *Socer huius, vir multum bonus eſt.* cum ironia ſcilicet. De ipſo autem Rullo ſupra c. 22. *Hic tamen vir optimus eum, quem amat, excipit, Cn. Pompeium.*

In illis reipublicae tenebris] Oppreſſa ciuili bello republica, cum in Sullae partibus eſſet Rulli ſocer.

Subuenire] Emendis ab eo agris.

Sullanis oneribus graui] Multitudine agrorum, quos, victore Sulla, ad libidinem occupauit. *Graui* autem, ex inuidia laboranti. qui ſi agros vendet, inuidiam, quae grauis eſt, deponet. Translatio in quinque verbis, *ſuccumbenti, oppreſſo, oneribus, graui, deponere.*

Et vos non dubitatis] Haec inferuntur, vt plebem ab accipienda Rulli lege remoueat. Legem, inquit, non pro veſtris, ſed pro domeſti-

domeſticis commodis ferente Rullo, et quaſi carmen ſibi intus canente, dubitatis vectigalia veſtra vendere, plurimo maiorum veſtrorum ſanguine et ſudore quaeſita, vt Sullanos poſſeſſores diuitiis augeatis, periculo liberetis? Id eſt: dubitare debetis, et minime vendenda ſtatuere. nam ſi pro lege Manilia c. 14. cum ait Cicero: *Et quisquam dubitabit, quin huic tantum bellum hoc transmittendum ſit, qui ad omnia noſtrae memoriae bella conficienda diuino quodam conſilio natus eſſe videatur?* haec, inquam, cum ait, ſi affirmat, et Pompeio transmittendum eſſe bellum Mithridaticum ſignificat: certe hic, addita particula, *non,* negat potius, quam affirmat, et oſtendit, vectigalia non eſſe vendenda: et vt ex his verbis, *dubitabit quisquam, quin*, elicitur affirmatio; ſic ex his, *non dubitatis quin*, id, quod affirmationi contrarium eſt.

Periculo] Quod ex inuidia imminet.

Veri] Qualis non eſt Rullus, qui ſe fingit popularem eſſe, cum ſit oſtentatione potius, quam veritate.

Fortis] Quid eſt enim bona mens animo deſtituta? *Fortis* igitur, quem a populari cauſſa nihil deterreat.

Stridorem vnum] Nedum conciones multas, magna voce habitas.

Vobis inducetur] Vobis, vt magno emtus, oſtendetur. Animaduertenda verbi ſignificatio. nam, *inducere*, et hic, et infra, valet, in tabulas publicas referre: vt ad Appium lib. III. Fam. epiſt. 10. *Teſtes ſunt rationes ciuitatum, in quibus, quantum quaeque voluit, legatis tuis datum induxit.*

Vaſtum] Nullis cultoribus: vt pro Sextio c. 24. *vaſtum forum,* in quo ſolitudo.

Emetur ab iis] Pro, *de iis.* ement enim decemuiri ab iis, qui propter ſterilitatem agros illos non eſſe colendos, aut propter peſtilentiam relinquendos putant.

Dictum eſt in ſenatu] Potuit hoc Rullus dicere ante Kal. Ian. cum aliquot diebus antea vetere inſtituto magiſtratum iniuiſſet.

Vrbanam plebem] Agris carentem. propterea ruſtica nobilior, cui rura. erant autem vrbanae tribus, Palatina, Eſquilina, Collina, Suburana: in quas transferri, vt ait Plinius lib. XVIII. c. 3. ignominia eſſet. in his et vrbana plebs, et libertini ſuffragium ferebant. Epitome lib. XX. et Aſconius act. I. in Verr. c. 8.

Nimium in republica poſſe] In ſuffragiis: cum in quattuor tribubus diſpertita eſſet.

Exhauriendam eſſe] Verbum plebis auribus iniucundum. contemtu enim quodam dici videtur, ſimilitudine rerum, quae, quia non placent, exhauriuntur.

CAPVT XXVII.

Retinete iſtam poſſeſſionem] Vrbem Romam ne relinquite ſuaſu tribuni plebis, certorum hominum, ſuaque potiſſimum, non veſtra commoda cogitantem.

Gratiae] Quam inire licet ab iis, de quibus magiſtratum petentibus in campo Martio ſuffragium fertis.

Libertatis] Nam ſeruire legibus libertas eſt. alibi alia fortaſſe ratio.

Suffra-

Suffragiorum] Quae ſunt in manu veſtra.

Dignitatis] Non modo *dignitas*, verum etiam *maieſtas* tribuitur interdum populo Romano. quid enim maius, quam poſſe magiſtratus et imperia mandare?

In Sipontina ſiccitate] Vnde ſterilitas.

In Salapinorum peſtilentiae finibus] Vnde ſolitudo. Oppida Apuliae ſunt Sipontum, et Salapia. Vitruuius lib. IV. c. 1. Plinius lib. III. c. 11. Strabo lib. VI. Lucanus lib. V. v. 377.

Rullo duce] Videte, quem ſecuturi ducem ſitis: eum, qui vos eo ducet, vbi vel agri ſteriles, vel peſtilens caelum.

At dicat] Si mentior, ipſe me refellat, agris nominatis, quos emturus ſit.

Arenam aliquam] Vbi inculti agri, vt in Sipontina ſiccitate.

Paludes] Vbi peſtilentes, vt in Salapinorum finibus.

Emat] Deinde magno ſe emiſſe dicat, quod minimo emerit, in hoc quoque carmen ſibi intus canens.

Quid pecunia fiet] Pro, *de pecunia.* vſitatus loquendi modus. lib. I. in Verr. c. 16. *Quid hoc homine faciatis?* Terentius in Andr. act. III. ſc. 5. v. 8.

> *Nec, quid me nunc faciam, ſcio. —*

Referre in aerarium lex vetat, exigi prohibet] Orat. I. c. 5. *Pecunia coacta eſt ad agros emendos: ii porro ab inuitis non ementur. Si conſenſerint poſſeſſores non vendere, quid futurum eſt? referetur pecunia? non licet. exigetur? vetat.*

Noſtra] Priuatos agros.

In Ianiculum] De hoc, et ſequentibus, orat. I. c. 5.

Ad vim tuam] Libri veteres, *ad vim tuam etiam.* quod ſi accipimus, erit ſenſus: ad vim quoque tuam, nedum ad reliquas libidines.

CAPVT XXVIII.

Suis praeſidiis] *Praeſidia* vocat colonos in veteres colonias adſcriptos: quos alibi *ſuos milites.*

Colonos deducant] *Colonos,* non *colonias:* quia colonia noua in coloniam veterem, auſpicato deductam, dum eſſet incolumis, deduci non poterat: nouos tamen colonos adſcribi licebat. Phil. II. c. 40.

At enim] Argumentum pro Rulli lege; quod infirmatur paullo poſt.

Capuam] Quae adhuc praefectura erat, colonia vero facta eſt C. Caeſaris lege.

Vrbem ampliſſimam atque ornatiſſimam] Quo gratior plebi lex debet eſſe. cum ei ſedes ac domicilium in eiusmodi vrbe proponatur.

Atqui quid ad haec poſſumus dicere] Hoc loco quid eſt quod reſpondeam? Quaſi reſponderi nihil poſſe videatur: cum tamen ipſe paullo poſt multa reſpondeat.

De oppido] Vide ingenium. cum pro lege diſputat, quod ex Rulli perſona facit, *vrbem* vocat, dignitatis gratia: cum aduerſus legem, *oppidum*, vt plebi minuat migrandi cupiditatem.

Si quis eſt forte] Satis argute: cum eſſe nemo debeat.

Roma] Emphaſis in nomine.

Ad

Ad hunc numerum] Vt hic numerus conficiatur.

Quingenos ſibi ſinguli ſument] Arbitratu ſuo decemuiri, permittente lege, deligent, ſinguli quingenos, vt quinque colonorum millia ſint. quo primum beneficio ſibi deuinctos habebunt: deinde, quos in agrum Campanum deduci lex iubet, eorum nomine agrum ipſi tenebunt, et fruentur.

Conſolari] Spe agri Campani.

Vere] Vti ſe res habet, non et inani et falſa quadam ſpe.

Integris] Probis: vnde *integritas*.

Quietis, otioſis] *Quietis* ad animum, *otioſis* ad corpus refertur.

Veſter honos] Hoc ſignificat, laborandum eſſe populo de honore potius, quam de commodo, ſe tamen commodi quoque rationem habiturum.

Omnes reipublicae partes] Ne quid respublica detrimenti patiatur.

Conniuebo] Quaſi honoris immemor.

Veſtro nomine] Quaſi vobis hac agraria lege conſulatur.

Opes] Decemuirum.

Praeſidia] Milites, colonorum ſpecie, ac nomine.

Continuabunt] Aliis emtis iugeribus. ſupra c. 26. *Sullanus ager, a certis hominibus latiſſime continuatus.*

Corneliam] L. Sullae.

Agrum Praeneſtinum] Quo Sulla, Praeneſtinis, tamquam Marianis, infenſus, coloniam miſerat. et colonia vocatur orat. I. in Catil. c. 3.

A paucis] Ademtum colonis a Sulla miſſis.

Familiarium] Seruorum.

Sumtum (Ern. *ſumtus*)] Qui ſit maximus voluptatis gratia in amoeniſſimis Cumanis, Puteolanisque praediis.

CAPVT XXIX.

Vrbanis] Qui agros non habent.

Oſtenditur] Cum in ſenatu dixerit, *vrbanam plebem nimium in republica poſſe: exhauriendam eſſe.* quaſi eam in agrum Campanum mittere cogitaret.

Omnibus vobis] Et ruſticis, et vrbanis tribubus.

Deſcribat] Diuidat agrum Campanum. infra c. 31. *Adiungit Stellatem campum agro Campano, et in eo duodena deſcribit in ſingulos homines iugera.* Et ad Caſſium lib. XII. Fam. epiſt. I. *Immunitates dantur: pecuniae maximae deſcribuntur.*

A Suburbana (Ern. *Suburana*)] Libri veteres, *ab vſura nam.* de quo dubitante olim Faerno, dixi reponendum, *a Suburana.* erat enim Suburana tribus, vrbana: et in vrbanis eam Varro lib. IV. de ling. Lat. primam nominat: valet autem, *a Suburana vsque ad Arnienſem*, a prima vrbana vsque ad vltimam ruſticam: vt populus comprehendatur vniuerſus.

Arnienſem] Locorum interuallo a Suburana longiſſime disiunctam: quod ex ipſo patet nomine: dicta eſt enim ab *Arno*, Etruriae fluuio.

Deludi vosmetipſos] Falſa agrorum oſtentatione.

Fundum pulcherrimum populi Romani] Hac de re ſic orat. I. c. 7. *Praetermitto illa, quae nemo eſt, quin grauiſſime et veriſſime conqueri poſſit: nos caput patrimo-*

trimonii publici, pulcherrimam populi Romani poſſeſſionem, ſubſidium annonae, horreum belli, ſub ſigno clauſtrisque reipublicae poſitum vectigal ſeruare non potuiſſe. Et pro lege Manilia c. 2. *Aguntur certiſſima populi Romani vectigalia, et maxima: quibus amiſſis, et pacis ornamenta, et ſubſidia belli requiretis.* In eadem oratione c. 6. dicit idem aliis verbis: *Haec vobis prouincia, Quirites, ſi et belli vtilitatem, et pacis dignitatem ſuſtinere vultis, non modo a calamitate, ſed etiam a metu calamitatis eſt defendenda.*

Italico bello] Quod et Sociale, et Marſicum dictum eſt. Itali enim ſe iure ciuitatis, iam promiſſo, excludi aegerrime ferentes, grauiſſimum populo Romano bellum intulerunt.

Quantos agri Campani fructibus exercitus alueritis] Idem lib. II. in Verr. c. 2.

Illa magnifica] Transmarina, quae pluris, quam Italica, locantur.

Tenuiſſima ſuſpicione praedonum, aut hoſtium iniecta] Hoc eſt, quod ait pro lege Manilia c. 6. *Ceteris in rebus, cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur. at in vectigalibus non ſolum aduentus mali, ſed etiam metus ipſe affert calamitatem. nam cum hoſtium copiae non longe abſunt, etſi irruptio facta nulla ſit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deſeritur, mercatorum nauigatio conquieſcit. ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex ſcriptura vectigal conſeruari poteſt. quare ſaepe totius anni fructus vno rumore periculi, atque vno belli terrore amittitur.*

Bellis infeſtum] Quia bellis non vexatur, cum ſit ſub ſigno, clauſtrisque reipublicae poſitum: vt orat. I. c. 7. dixit. *Infeſtum*, hic patiendi ſignificatione accipiendum, vt pro Sex. Roſcio c. 11. *Filii vita infeſta, ſaepe ferro, atque inſidiis appetita.* Pro Plancio c. 1. *Dolebam, iudices, et acerbe ferebam, ſi huius ſalus ob eam ipſam cauſſam eſſet infeſtior, quod is meam ſalutem, atque vitam ſua beneuolentia, praeſidio, cuſtodiaque texiſſet.*

Nec fructibus varium] Numquam enim fructus imminuuntur.

Caelo ac loco] Propter caeli temperiem, loci ſalubritatem.

Non imminuerunt] Non diuiſerunt, quos diuidi Rullus lege ſua vult, plebi Romanae agros de Campanis captos, ſed, vt fundum populi Romani, ſubſidium belli, fundamentum vectigalium, retinendum putarunt.

Quod et (Ern. *ei*) *tenebant*] Sequor antiquorum librorum conſenſum, non aduerſante ſententia. alii pro, *et*, reponunt, *ei*: vt ſit, *quod ii tenebant.* Sed, *ei*, nominandi caſu, inuſitatum puto.

Quibus adimi iure non poterat] Quia victi bello non erant, ſed in pace manſerant.

Duo Gracchi] Qui leges agrarias tulerunt. ſupra c. 5.

Sine vlla religione] Cui tamen religio fuit Campanum agrum attingere.

Dimoueret (Ern. *demoueret*)] Vt plebi diuideret.

CAPVT XXX.

Veſtrum eſſe dicitis] Quod enim publicum eſt, populi Romani eſt.

Quem

Quem per] Poetice, pro, *per quem*, vt *tranſtra per et remos*, Virgilius lib. V. Aen. v. 663. ſed in antiquis libris quod legitur, *quem pariter, iter qui faciunt*, ego ſane non contemno. quid enim habet vitii? at illud, *quem per*, improbari ea ratione poteſt, quod iter per viam, non per agrum fit: idque confirmatur verbo, *praetereuntes*. nam, *praeterire*, non eſt, per aliquem locum, ſed ante aliquem locum transire: vt lib. X. ad Attic. epiſt. 4. *Praeteriit villam meam Curio.*

Ad paucos] Ad ipſos decemviros. ſupra c. 28. *Deducent ſuos, quorum nomine ipſi teneant et fruantur: coement praeterea: iſta dena iugera continuabunt.*

Paternis atque auitis] Quas patres, auique veſtri, non priuatim, ſed publico vectigalium nomine tenuerunt.

P. Lentulus] Auus eius Lentuli, qui cum Catilina coniurauit. orat. III. in Catil. c. 5.

Pecunia publica coemeret] Vt ager publicus continuaretur, priuata poſſeſſione non interruptus.

Ex illo ſolo fundo numquam malum nuncium audiſſet] Hoc ideo dicit, vt populus Romanus, priuati hominis exemplo, turpe ſibi putet a republica dimoueri, et quinque millibus colonorum diuidi vectigal agri Campani, vnde malus nuncius numquam audiatur, id eſt, quod ſemper idem ſit, non bellis infeſtum, non fructibus varium, non caelo ac loco calamitoſum: cum e ceteris vectigalibus malus nuncius nonnumquam audiatur.

Gratis] Vult enim Rullus in eum agrum quinque millia colonorum deduci, pecunia non ſoluta. nam colonis agri diuidebantur gratis.

M' Aquillius] Qui de ſeruis, in Sicilia deletis, ouauit.

Belli facultatibus (Ern. *difficultatibus*)] Rebus iis, quae ſunt in bello. eſt enim lepor quidam in ſententia, iteratione eiusdem verbi. Cetera vectigalia belli facultatibus affliguntur: hoc vectigali etiam belli facultates ſuſtentantur. quod ſi quis malit, *difficultatibus:* eius non improbabo ſententiam, a mea tamen non diſcedam.

Non oportere] Quaſi nunc ea ratione Rullus ad agri Campani diuiſionem adducatur, quod ab hominum cultura deſeratur.

CAPVT XXXI.

Plebem] Campanam, quae publicum agrum colit, et inde ſibi victum quaerit.

A plebe, et a plebe optima] A pauperibus, optimis viris: quo minus expelli debent. Leporem habet iteratio eiusdem verbi.

Plebicola] Deriſio: qui enim ſe plebis conſulere commodis profitetur, is plebem optimam, et modeſtiſſimam ex iis agris, in quibus nata, educataque eſt, exturbabit, atque expellet.

Glebis ſubigendis] Cum ceteras artes ignorent, quibus parare victum poſſent.

Hunc agrum] De Campano loquitur.

Aliis] Ipſis decemuiris. ſupra c. 28. *Agrum Campanum, quem vobis oſtentant, ipſi concupiuerunt: deducent ſuos, quorum nomine ipſi teneant et fruantur.*

Eripiatur vobis] Ager enim Campanus publicus patrimonium eſt

eſt populi Romani, maiorum armis, et virtute partum.

Stellatem campum agro Campano] Hic non differt *campus* ab *agro:* vt ſequentibus apparet. *Campum* tamen appellat, vel, quia non, vt Campanus, totus coleretur, vel quia parem fructum non ferret. ad Atticum etiam lib. II. epiſt. 16. *campum* vocat, non *agrum:* ſimiliter Suetonius in Iulio c. 20.

Et multitudo] Placet quod aliis, *ſed*, pro, *et:* cum in antiquis libris, *ac Stellatis, et multitudo*, legatur.

Theanum] Quod eſt in Campania. nam alterum in Apulia, nominatum in Cluentiana c. 69.

Nunc] Libertate fortaſſe, et ſuo iure a Sulla donati, quia pro Mario non pugnaſſent. quo patet, cetera oppida, proxime nominata, in ſua poteſtate, vt Puteolos, non fuiſſe, nec ſuo iure, ſuaque libertate vſos eſſe: quia ſcilicet municipia erant, et cum ciuitatis Romanae ius haberent, ſuffragiumque in tribubus ferrent, Romanis legibus vti cogebantur.

CAPVT XXXII.

Exſilium (Ern. *vexillum*)] *Vexillum*, eſſe reponendum, docet antiquus mos, indicatus Phil. II. c. 40. his verbis: *Caſilinum coloniam deduxiſti, quo erat paucis annis ante deducta, vt vexillum tolleres, et aratrum circumduceres.* Coloniae igitur cum vexillo, auctore etiam Appiano lib. II. de bell. ciu. deducebantur.

Inferetur] Hoſtile verbum: quo magis timeatur decemuirum poteſtas.

Communem patriam omnium noſtrum] Siue nati Romae ſimus, ſiue non ſimus. ipſe enim Arpinas, alii alibi nati. duas autem patrias, naturae vnam, iuris alteram appellat lib. II. de Leg. c. 2.

Quo in oppido] Iterato oppidi vocabulo, magis periculum oſtendit ex noua colonia, argumento a maioribus ducto.

Portibus] Duobus, vno ad occidentem, altero ad orientem ſpectante.

Excurrere] In mediterraneas regiones: vel generatim dictum, excurrere quocumque vellet.

Imminere] Vt maxime propinquis.

Ita] Aut abundat, aut mendoſum eſt. nec, *Italiae*, placet: non enim Africa Italiae, ſed propinquioribus imminet inſulis.

Fructuoſiſſimis] Siciliae, et Sardiniae.

Duo maria] Ionium, et Aegaeum: vnde *bimarem* poetae nuncuparunt.

Diuerſa] Cum Ionium ad Italiam, Aegaeum ad Aſiam ſpectet.

Pertenui discrimine] Iſthmo, ſex millibus paſſuum. alioqui peninſula Peloponneſus.

Litterae publicae] Non epiſtolae, ſed quae ſcripta ſunt ad reipublicae memoriam in ſenatu. lib. I. in Verr. c. 6. *Quo in negotio induſtriam meam celeritas reditionis, diligentiam multitudo litterarum et teſtium declarauit.* Ibidem c. 35. *Decem naues iuſſu L. Murenae populus Mileſius ex pecunia vectigali populi Romani fecerat, ſicut pro ſua quaeque parte Aſiae ceterae ciuitates. quamobrem vnam ex decem, non praedonum repentino aduentu,* non

non legati latrocinio, non vi tempeſtatis, ſed hac horribili tempeſtate ſociorum amiſſam, in litteras publicas retulerunt.

Senatum, publicum ex illa vrbe conſilium ſuſtuliſſent] Quaſi definitionem ſenatus addidit, *publicum conſilium.*

CAPVT XXXIII.

M. (M. abeſt ab Ern.) *Bruti*] Qui legem tulit de colonia Capuam deducenda.

Qui hanc rempublicam Capuam totam transferre vellent] Indignationis commouendae gratia, non, coloniam Capuam deducere, quod propriis apertisque verbis explicari poterat, ſed, rempublicam, et rempublicam totam Capuam transferre dixit: vt ſupra quoque c. 32.

Quibus conſulibus] Diſſentit a Liuio lib. XXVI. c. 9. qui non a Q. Fuluio conſule, ſed ab eo proconſule, biennio ante, captam Capuam ſcribit.

Philippo] Philippus, et Perſa filius, Macedoniae reges, ille a T. Quintio Flaminino, hic a L. Aemilio Paullo victus eſt. Antiochus Aſiae, ab Africani maioris fratre L. Scipione. Pſeudophilippus Macedoniae, a Q. Metello: Ariſtonicus Aſiae minoris, Attali filius ex pellice, a M' Aquillio: Mithridates Ponti, a Sulla, Murena, Lucullo, Pompeio: quorum duo priores antea, Lucullus hoc anno, Pompeius triennio poſt triumphauit.

Carthaginienſium] Primum, ſecundum, tertium, quod Africanus minor, euerſa Carthagine, confecit.

Corinthium, Numantinum] Corinthum L. Mummius deleuit, Numantiam Africanus. vterque triumphauit, ſicuti omnes iam nominati.

Fregellanum] Fregellas L. Opimius, is, qui conſul C. Gracchum occidit, praetor cepit, et euertit. Velleius lib. II. c. 6. Aſconius in Piſon. c. 39. Epitome lib. LX. alii.

Marſicum] Sociale: a Marſis primis arma ſumentibus, ademtae ciuitatis dolore, et iracundia. Italicum, Sociale, Marſicum, idem vocatur.

CAPVT XXXIV.

Reprehendenda] Quia de coloniis Capuam deducendis cogitarunt.

Ipſe, qui deduxit] Lator legis Brutus, idem coloniam deduxit.

Qui magiſtratum Capuae et Leocreanti (Ern. *ea lege creati*) *ceperunt*] Conſidium, et Saltium, duumuiros, ſignificat. Illud autem, *et Leocreanti*, quod corruptum eſſe conſtat, ſimilitudinem litterarum, et ſententiae veritatem ſecutus, ita corrigo, *ea lege creati.* nam et Caeſare conſule gener eius Pompeius, ſocer Piſo, eadem lege, quam ille de colonia Capuam deducenda tulit, duumuiri creati ſunt.

Impiorum] Quaſi de patria, qui Capuae colonos, et magiſtratum eſſe vellent, contra quam maiores ſtatuerant, impie cogitarint.

Coloniam deductam] Lege M. Bruti.

Non cum bacillis] Solis, vt in ceteris coloniis.

Praetoribus] Vt, quod ſibi nomen ſumſerant, praetoriae poteſtatis

ſtatis inſignia praeferentes, re ipſa comprobarent.

Cum faſcibus duobus] In vrbe praetores binis lictoribus, in provinciis ſex vtebantur: vt ex Cenſorino c. 24. Polybio, Ciceronis oratione pro lege Manilia c. 12. intelligitur.

Hoſtiae maiores] Vt taurus, iuvencus. minores enim, agna, ſus, caper, capra.

Ab his praetoribus] Cum irriſione: quia, cum duumuiri eſſent, praetores appellari malebant.

Probatis (Ern. *probatae*)] Vitioſa vox: integra, *probantibus*. ſed omnes in mendo conſentiunt veteres libri.

Ad tibicinem] Praecinere ſolitum in ſacris tibicinem, vt omittam Liuium, indicat lapis antiquus, quem accurate depictum miſit ad me vir optimus, excellens iure ciuili, et idem elegantiore doctrina perpolitus, Luca Paetus, nobilis Romanus ciuis.

Patres conſcripti] Ironia. tunicati enim erant, qui Capuae a duumuiro Conſidio, tamquam Romae ſenatores a conſule, aut a praetore, vocabantur.

Vt grandi (Ern. *vegrandi*) *macie torridum*] *Vegrandi*, rectius videtur.

Magios, Bloſſios, Iubellios] Veteres Campanos. D. Magius nominatur a Liuio lib. XXIII. c. 7. 8. 10. D. Iubellius Taurea eodem libro c. 8. et XXVI. c. 15. et in epitome lib. XII. Bloſſius a Cicerone in Laelio c. 11. Quod autem, *Decios, Magios*, legitur oratione in Piſonem c. 11. fortaſſe mendoſum; et reponi poteſt, *Decimos Magios*.

Tunicatorum] Non, vt Romae, togatorum.

In Albana, et Seplaſia] Quibus in foris vnguenta vendebantur.

Hinc Roma] Quaſi ex vrbe ignobili.

CAPVT XXXV.

Haec] Superbiam, et arrogantiam, ingeneratam ex iis rebus, quibus alimur, et viuimus.

Campani ſemper ſuperbi] De quorum ſuperbia ſic apud Valerium Max. lib. IX. c. 5. *Inſolentiae inter Carthaginienſem et Campanum ſenatum quaſi aemulatio fuit. ille enim ſeparato a plebe balneo lauabatur: hic diuerſo foro vtebatur.*

Alterum Capua conſulem poſtulauit] Bello Punico ſecundo. Liuius lib. XXIII. c. 6.

Huc] In eum locum, qui mores hominum facile corrumpat.

Iſti decemuiri] *Iſti*, qui ſuam potentiam, non veſtra commoda, curabunt.

Centum decuriones] Tamquam ſenatores in colonia. centum autem ad imaginem ſenatus a Romulo conſtituti.

Non optimis viis, anguſtiſſimis ſemitis] Qualis ad incendium Neronis manſit: vt ex Taciti verbis lib. XV. Annal. c. 38. colligitur. *Impetu*, inquit, *peruagatum incendium, plana primum, deinde in edita aſſurgens, et rurſum inferiora populando, anteiit remedia velocitate mali, et obnoxia vrbe arctis itineribus, hucque et illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit.*

Prae illis ſemitis] *Semitae* differunt a *viis:* anguſtiores enim ſunt. *Illis* dixit tamquam irridendis, ex perſona Campanorum,

Conten-

Contendent] Conferent. pro lege Manilia c. 13. *Ea magis ex aliorum contentione, quam ipſa per ſeſe, cognoſci atque intelligi poſſunt.* Tacitus lib. IV. Annal. c. 32. *Nemo Annales noſtros cum ſcriptura eorum contenderit, qui veteres populi Romani res compoſuere.*

Non (abeſt ab Ern.) *comparabunt*] Abeſt, *non*, ab antiquis libris. vt haec Cicero cum ironia dicat, pro, ſcilicet comparabunt.

Si paullum aſſumſerint vetuſtatis ac roboris] Si inueterauerint; vt eorum vires dies augeat.

CAPVT XXXVI.

Sceleris] Quia coloniam deducere Capuam, agrumque Campanum publicum, vnde annuum reſpublica fructum capit, priuatis diuidere conatus eſt. Cum verbo, *ſceleris*, congruit illud de eodem Bruto ſupra c. 34. dictum, *impiorum poenas pertulerunt.*

Monumenta] Magnifice loquitur de maioribus. praeſtant enim monumenta veſtigiis, et maiores, M. Bruto, de quo dixit, *veſtigia.*

Auctoribus (Ern. *actoribus*)] Iis, qui tibi, vt agrariam legem ferres, auctores fuerunt.

Venderetis] Vt ea pecunia dividendos plebi agros diuideretis.

Expilaretis (Ern. *expleretis*)] Non, venderetis, verum expilaretis, exacta pecunia, quae poſt nos conſules ex nouis vectigalibus recipietur. Significat, quod ſupra c. 23. dixit: *Cauet, vt, ſi qua pecunia poſt nos conſules ex nouis vectigalibus recipiatur, ea decemuiri vtantur.*

Noua] Pompeii virtute parta. haec enim praecipue ſpectabat Rullus.

Cum omnem pecuniam ex aerario exhauſiſſetis] Exhaurit ex aerario, qui vectigalia vendit, aut eos agros, vnde vectigal capitur, plebi diuidit. Hoc puto ſignificari, non eum ſumtum, quem in decemuiros fieri lex iubebat: de quo ſupra c. 13. *Ornat apparitoribus, ſcribis, librariis, praeconibus, architectis: praeterea mulis, tabernaculis, centuriis, ſupellectili: ſumtum haurit ex aerario.* Non enim eo de ſumtu diceret, *cum omnem pecuniam ex aerario exhauſiſſetis.*

Inuidioſos] Ob latitudinem poſſeſſionum. Supra c. 26. *Sullanus ager, a certis hominibus latiſſime continuatus, tantam habet inuidiam, vt veri ac fortis tribuni plebis ſtridorem vnum perferre non poſſit.*

A Sullanis] De Sullanis. emtores enim decemuiros, venditores Sullanos poſſeſſores fore ſignificat.

A veſtris neceſſariis] Et hic accipio de veſtris neceſſariis: qui vendent libenter deſertos, ac peſtilentes agros: quos tamen vos, quaſi magno emtos, inducetis, id eſt, in publicas tabulas relatum oſtendetis populo Romano, non mediocri lucro per hanc fraudem quaeſito. Eodem ſenſu ſupra c. 26. *Hic ager omnis, quoquo pretio coemtus erit, tamen ingenti pecunia vobis inducetur.*

A vobismetipſis emtos] Vt fraus lateat. quis enim, quanti emeritis, ſcire poterit, cum vosmetipſi emetis?

Improbiſſimos ciues] Vt Domitium Carbonem, Sertorium, alios.

 Proſcri-

Proſcribere] Vendere. inuidioſum verbum: quaſi Pompeius ipſe venderetur, cum pecuniam ex vectigalibus, eius virtute partis, poſt Ciceronem conſulem decemuiri venderent. Eodem modo, *vicinos proſcribere*, orat. III. c. 4.

Horum conſpectu priuare] Cum ſine populi Romani iudicio ex nouis Pompeii vectigalibus in longinquis regionibus recepta pecunia decemuiri vti poſſent.

Numero et ſuffragiis] Pro, numero ſuffragantium. nota ſignificatio.

Nihil elata (Ern. *vi ac*) *manu*] Cum ſequatur, *perfringi*, placet eorum ſententia, qui legendum putant, *nihil vi ac manu:* cum ſit in vno vetere libro, *velata*, in altero, *vel lecta*. nam, *vel*, parum diſtat a *vi*. Scribebant enim veteres, *vei*, pro *vi*. quod et Politianus in Miſcell. admonuit. atque hac obſeruatione duobus ex locis mendum olim ſuſtulimus, primum ex libro de Vniuerſitate c. 7. vbi legebatur, *vel cum eadem coniunxit*, pro, *vi cum eadem coniunxit:* deinde ex Tuſc. I. c. 35. vbi erat, *quaſi vero iſta vel quidquam tum potuerit ei melius accidere:* cum legendum ſit, *iſta vi*.

Si commodum vobis eſſet] Si vobis liberet. quo de genere loquendi iam diximus.

Magiſtratus reliquos] Cum tamen decemuiri eſſetis.

Legibus omnibus ſoluti] Nam nec qui gerit magiſtratum, alium petere poteſt, nec, qui abeſt, niſi ſoluatur legibus.

Adducere] Vt acta veſtra iudicentur.

Producere] Quod minus eſt, quam *adducere*. videtur enim *adducere* magiſtratus, *producere* priuatus.

Non in cunabulis] Vt ii, qui maiorum claritate, rebusque geſtis populo Romano commendantur.

In campo] Suis meritis.

Appellare] Translata verba, a creditoribus ſumta, *ſpoponderunt*, *creditum eſt*, *petere*, *debeo*, *appellare*.

CAPVT XXXVII.

Habitandum] Diu manendum: vt in Bruto c. 89. *Diſerti Q. Varius, C. Carbo, Cn. Pomponius: et ii quidem habitabant in Roſtris.* pro Murena c. 9. *Qui in foro habitarunt.* Phil. XII. c. 1. *Hic etiam fautores Antonii, quorum in vultu habitant oculi mei, triſtiores videbam.*

Si tribunus plebis duci iuſſiſſet] Vt Bibulum conſulem duci iuſſit quadriennio poſt P. Vatinius tribunus plebis. et de Bruto ac Naſica coſſ. a C. Curiatio tribuno plebis in carcerem coniectis, hiſtoriae loquuntur. Malim autem, *iuſſerit*, quam, *iuſſiſſet*.

Nondum veſtris armis armatus] Nondum conſul, qui armatur inſignibus, imperio, auctoritate.

In hunc locum] In Roſtra.

Improbitati hominis] Cuius hominis? non Verris, quem non de Roſtris ad populum, ſed ad iudices priuatus accuſauit. praeterea de reo non diceret, *reſiſtere*. reſiſtimus enim oppugnanti, non cauſſam dicenti. An Catilinae? credi poteſt. male enim de republica cogitanti reſiſtere, et in eum concionari conſul deſignatus Cicero potuit.

Tantis

Tantis munita praeſidiis] Me conſule. iam enim conſularia praeſidia nominauit.

Quae nobis deſignatis timebatis] Supra c. 3. *Omnia turbulenta conſilia contra hunc reipublicae ſtatum, et contra veſtrum otium partim iniri, partim, nobis conſulibus deſignatis, inita eſſe dicebantur. ſublata erat de foro fides, non ictu aliquo nouae calamitatis, ſed ſuſpicione ac perturbatione iudiciorum, infirmatione rerum iudicatarum: nouae dominationes, extraordinaria, non imperia, ſed regna, quaeri putabantur.*

Conſilio meo ac ratione prouiſa ſunt] Hoc ad Catilinam pertinere potius, quam ad Rullum, videtur.

Quibus otioſi negotium faceſſimus] Quibus ita moleſtum eſt otium noſtrum, vt, nobis quieſcentibus, ipſi quieſcere non poſſe videantur. quaerunt enim res nouas, hoc reipublicae ſtatu non contenti. ad Appium a Dolabella accuſatum, lib. III. Fam. epiſt. 10. *Cum eſt ad nos allatum de temeritate eorum, qui tibi negotium faceſſerent.*

Otioſiſſimos reddam] Non permittam, vt rempublicam perturbare poſſint.

Nam etſi ii (Ern. *ſi ii*)] Aptius videtur, *nam ſi ii.*

Sub ipſo otio] Locus multis maculis inquinatus, quas ſine veterum librorum ope vix arbitror eluere quemquam poſſe.

Qui honori inuiderunt meo] Inviderunt nobiles, claritatem novi hominis non ferentes.

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM III.
DE
LEGE AGRARIA
CONTRA
P. SERVILIVM RVLLVM
TRIBVNVM PLEBIS

EXPLANATIO

De *lege agraria*] Dixi iam, non in hac oratione Ciceronem diſputare contra legem, ſed reſpondere tribunis plebis, criminantibus eum, quod ideo legem reprehenderet, vt Sullanarum aſſignationum poſſeſſoribus gratificaretur. propterea lib. II. ad Attic. epiſt. I. tres orationes non nominat, ſed ait: *Sunt praeterea duae breues, quaſi ἀποσπασμάτια legis agrariae.*

CAPVT I.

Commodius] Rectius: vt lib. I. de Orat. c. 54. *Oratio commode ſcripta.* Et lib. I. de Fin. c. 19. *In dialectica veſtra nullam vim exiſtimauit eſſe, nec ad melius viuendum, nec ad commodius diſſerendum.*

Veſtrae diſceptationis] Veſtrae deliberationis, veſtri iudicii: vt orat. I. c. 7. *Populo Romano diſceptatore vti volo.*

Superiorum] Tribunorum plebis.

Ius ſuae poteſtatis] Quae enim ad vos de me retulerunt, ea cum, abſente me, dixerint, ius ſuae poteſtatis imminuere, et quodam modo praeſentem timere viſi ſunt.

Prouocati a me] Proxima ſuperiore concione.

Reuocati] Iucunditatem quaeſiuit in ſimilibus verbis, *prouocati, reuocati.*

Neſcio quid] Contra me.

Proxima] Superiorem orationem ſignificat.

Leuiter immutatos] Propter ea, quae apud vos de me tribuni plebis

plebis detulerunt; quaſi veſtris commodis obſiſtam.

Septem tyrannis] Verbum vſurpauit, quo tribuni plebis vſi erant. Septem autem Sullani homines potiſſimum inuidia poſſeſſionum, quas a Sulla maximas acceperant, laborabant.

Minui] Si non prorſus adimi, ſaltem minui.

Certo capite legis] De quo ſtatim infra.

Impudentiſſime] Contra veſtra commoda, quorum ſe defenſorem eſſe profitetur.

A Valgii genero] A P. Rullo: vt ſocero ſuo Valgio, Sullanos agros poſſidenti, ſua lege caueat.

Vſus eſt] Valgii gener Rullus.

Veſtram] In verbis legis ſuae conſiderandis.

CAPVT II.

Cicatricem] Ex belli ciuilis memoria.

Hunc ſtatum reipublicae] A Sulla relictum.

Tacere] In ſua lege: ne loquendi de ſe occaſionem praebeat.

De Sulla tulit] Quae ſignificatur et lib. I. de Leg. c. 15.

Valeria] L. Valerii Flacci interregis.

A ſuſpicione] Ne quis ab eo Sullanos agros confirmari, et ſanciri putaret; non dixit, poſt Sullam dictatorem, ſed poſt C. Marium, Cn. Carbonem coſſ. Marium autem iuniorem ſignificat.

Marianus] Vt ipſe fingit: cum Sullanus vere ſit, qui, ea, quae Sulla dictator dedit, aſſignauit, conceſſit, lege ſua confirmet.

Nos Sullanos] Vt ipſe ait, ita de nobis mentiens, vt de ſe ipſo.

Data] Generale vocabulum: cui particularia ſubiiciuntur. dantur enim ea, quae aſſignantur, venduntur, conceduntur. Dedit autem Sulla de Marianorum bonis.

Labefactat] Sullanas aſſignationes. ironia.

Partem aliquam iuris] Quam nullam habent: et eos tamen Rullus confirmat.

Iſtorum] Qui Sullanos agros poſſident.

Agi ſecum praeclare] Sed res aliter habet. nullam enim iſti agri partem iuris, nullam ſimilitudinem propriae poſſeſſionis, nullam ſpem diuturnitatis attingunt. quo Rullus impudentior; qui, quod quisque habet, habere vult.

Quis vetat] Nemo obſtat, cur non habeant. at tu non hoc modo quaeris, verum etiam, vt ita habeant lege tua, vt quae optimo iure priuata ſint.

Vt priuatum] Vt ita habeant, vt priuatum? at tu meliore etiam conditione eos habere vis.

Fundus Irpinus] Circa Soractem montem.

Id enim caues] Iis verbis, *vt quae optimo iure priuata ſint.* non enim optimo priuata omnia iure ſunt.

Serua] Quae publice aliquid pendent.

Si modo Sullana ſunt] Sullanis enim tantum cauet Rullus.

Aqua Crabra] Nominatur ad Tironem lib. XVI. Fam. epiſt. 18. et a Frontino de Aquaeductibus c. 9.

CAPVT III.

Paternis] Quae non optima conditione ſunt.

Quae eiusmodi cauſſa] Quae eo nomine inſimulare quemquam audeat, quod rationes Sullae nimium vehementer defendat.

Quemquam] Criminatus enim erat Ciceronem Rullus, rationes eum Sullae nimium vehementer defendere.

Repentinus Sulla] Aſſignat enim, vt alter Sulla.

Quo (Ern. *quo qui*) *optimo privatum*] Quo iure optimo priuatum tenetur.

Ius ciuile] Quo poſſeſſionum iura diſtinguuntur: cum Rullus omnia confundat, nihil diſtinguens.

Praetorum interdicta] Quibus de poſſeſſione litigatur.

Priuatos facit] Tamquam privatos poſſideri vult: cum a Sulla publicati ſint. infra c. 4. *Habet publicos: reddam priuatos.*

Quae veſtra ſunt] Cum ea Sulla nemini aſſignauerit, aut vendiderit, ſed publicauerit. publica enim veſtra.

Condonari] Eo verbo, *poſſeſſa.*

Poſſeſſoribus] Paucis hominibus, contra legem Corneliam impudentiſſime poſſidentibus.

Vir multum bonus eſt] Quia non diſſimulat, nec appetit aliena, vt Rullus, ſed, quod occupauit antea, retinere vult. occupauit autem et Irpinum agrum totum, et in Caſinati fundos multos. Aduerbii loco, *multum*, dixit, pro valde: vt Horatius lib. II. epiſt. 2. v. 62.

Poſcentes vario multum diuerſa palato.

Et Tibullus lib. IV. carm. 10. v. 1.

Gratum eſt, ſecurus multum quod iam tibi de me
Promittis. —

CAPVT IV.

Dubia] Sullana: quorum certa poſſeſſio non eſt, vtpote quae ab vnius libidine nata ſit.

Per vos] Veſtris ſuffragiis. nam ſancit, vt ea omnia eo iure ſint, vt quae optimo iure privata.

Reſiſto] Contra legem eius disputans.

Defendere criminatur (Ern. *criminor*)] Si ſic legatur, ſubaudiendum eſt, *me.* ſed cum Priſcianus lib. VIII. ſcripſerit: *Quaedam eadem voce vtrumque ſignificant, id eſt, actionem, et paſſionem, vt* oſculor te, *et* oſculor a te, criminor te, *et* criminor a te: libenter ſequor antiquos libros, in quibus eſt, *defendere criminor.*

Inquit] Lepida obiectio, dicentem inducens Rullum, quod cogitabat potius, quam dicebat.

Quanti volet] Ement enim ipſi decemuiri, in quibus erit Valgii gener Rullus, et inducent populo Romano, quanti volent. ita et Valgius, et decemuiri, decepto populo, quaeſtum facient. ſupra c. 1.

Reddam priuatos] Quia mea lege, quaecumque poſſidentur, eo iure eſſe iubeo, vt quae optimo iure priuata ſint. ſupra c. 3. *His cauet, hos defendit, hos privatos facit.*

Vicinos proſcriberet] Vicinorum agros. ſic orat. II. c. 36. *Vt ipſum Cn. Pompe[illegible] [illegible]ſcribere, atque horum conſpectu priuare poſſetis.*

Oculos continuando (Ern. *oculis conformando*)] *Continuauit fundos*, proxime dixit: aptius igitur, *oculis*, quam, *oculos.* quod aliis quoque placuit.

Cum

Cum aliquo metu] Propter inuidiam poſſeſſionis iniuſtae. vicinos enim, quoad libuit, proſcripſit.

Vos eſtis in poſſeſſione] Nam ſi publicus eſt, veſter eſt, vt reliqua vectigalia.

Praeclara illa Capua] Superba, crudelis, luxu diffluens, minime vobis expetenda. perſpicua ironia.

Contra Cn. Pompeium] Orat. II. c. 20. *Sperant, ſi conceſſum ſit inimicis Cn. Pompeii, cum imperio, cum iudicio omnium rerum, cum infinita poteſtate, cum innumerabili pecunia, non ſolum aliis in locis vagari, verum etiam ad ipſius exercitum peruenire: aliquid illi inſidiarum fieri, aliquid de eius exercitu, copiis, gloria, detrahi poſſe.*

Hominum audaciſſimorum] Quos in agro Campano arbitratu ſuo decemuiri conſtituent, quinque ſcilicet colonorum millia, ſinguli quingenos.

Vobis flagitantibus] Vt eorum criminationibus praeſens reſpondere poſſet. Captat a populo, tamquam ſui ſtudioſo, qui abſentem accuſari noluerit, beneuolentiam.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

ORATIONEM

PRO

C. RABIRIO

PERDVELLIONIS REO

ARGVMENTVM

T. *Attius Labienus tribunus plebis diem dixit C. Rabirio, et perduellionis crimen intendit, quod L. Appuleium Saturninum tribunum plebis interfeciſſet. defenderunt eum Q. Hortenſius, et conſul Cicero. Acta primum cauſſa eſt apud duumuiros ex antiquo more: quos fuiſſe C. Caeſarem, et L. Caeſarem, auctor eſt Dio lib. XXXVII. deinde, reo condemnato, et ad populum prouocante, in campo Martio, comitiis centuriatis. de quo iudicatum non eſſe propter militare ſignum a Metello Celere praetore de Ianiculo ablatum; quod cum accideret, diſſolui comitia vetere inſtituto neceſſe erat; nec voluiſſe iterum Labienum habere comitia; et ea ratione Rabirium ſeruatum eſſe, Dio narrat eodem libro.*

EXPLANATIO

CAPVT I.

Capitis] Vitae: nam ciuibus Romanis vno perduellionis crimine, quod inter crimina maieſtatis maximum, et grauiſſimum erat, adimi vita poterat.

Salus reipublicae] Haec eſt cauſſa, de qua dixit: *Quae iuſtiſſima mihi cauſſa ad hunc defendendum eſſe viſa eſt, eadem vobis ad abſoluendum debet videri.*

Mihi vni a vobis (Ern. *vna vobiscum*)] Centuriatis comitiis: quemadmodum et nunc centuriatis comitiis de Rabirio iudicatis.

Veteres, iuſtae, grauesque] Sed iniuſtae, quibus L. Appuleius

ius tribunus plebis, et C. Seruilius Glaucia praetor, et C. Saufeius, et alii perditi ciues adducti ſunt, vt rempublicam oppugnarent.

Summum auxilium maieſtatis atque imperii] Cum illud ſenatus conſultum exprimit neceſſitas temporum, *dent operam conſules, ne quid respublica detrimenti patiatur.*

De republica tolleretur] Quandoquidem ex eo ſenatus conſulto Rabirius conſules C. Marium, et L. Valerium ſecutus, contra reipublicae hoſtes arma ſumſit. quem qui capitis in discrimen vocant, nimirum illud maieſtatis, atque imperii ſummum auxilium tollere conantur.

Auctoritas ſenatus] Quae, niſi valeat illud ſenatus conſultum, quod extremis reipublicae temporibus, domeſtici belli metu, fieri ſolet, prorſus exſtinguetur.

Conſulare imperium] Imperant enim conſules ex eo ſenatus conſulto, vt, qui rempublicam ſalvam eſſe velint, arma capiant, et ſequantur.

Conſenſio bonorum] Qui conſulari parentes imperio, nefarios ciues, Saturninum, et Glauciam oppreſſerunt.

Infirmitas, ſolitudoque] Cum ſit infirmus ab opibus, nudus a propinquis, facile ſperarunt eum poſſe opprimi: non quod de vnius hominis exitio ac morte admodum laborent: ſed hunc tentant, hunc oppugnant, vt cum eo ſimul res illas euertant.

CAPVT II.

A tribuno plebis] T. Attio Labieno.

A conſule] Se ipſum ſignificat.

Vt nullum ſit poſthac in republica publicum conſilium] Nullus in republica ſenatus. Dicit idem quod ſupra c. 1. *Vt illud ſummum auxilium maieſtatis atque imperii, quod nobis a maioribus eſt traditum, de republica tolleretur: vt nihil poſthac auctoritas ſenatus, nihil conſulare imperium, nihil conſenſio bonorum contra peſtem ac perniciem ciuitatis valeret.*

Pacem] Inter ciues. Reſpexit ad verbum, *dimicatione.*

Veniam] Vt, ſi quid a nobis contra eorum voluntatem commiſſum eſt, ignoſcant.

Ad rempublicam conſtituendam] Cuius agitur ſalus in hoc iudicio, cum ſalute Rabirii.

Hominis miſerrimi atque innocentiſſimi] Eius hominis, cuius miſeriis veſtra miſericordia, innocentiae iuſtitia debetur.

Salus reipublicae] Eadem precatur a populo, quae precatus eſt ab Ioue Opt. Max. vitam Rabirii, ſalutem reipublicae.

Adhibeatis in hominis fortunis miſericordiam] Iuſtitiam non poſtulat, ne diffidere videatur, in quo populus offenderetur, ſed miſericordiam rogat, quae extra iuſtitiam eſt, vt altera cum altera coniungatur.

In ſemihorae curriculum coegiſti] Videtur in perduellionis iudicio poteſtatem accuſator habuiſſe praeſcribendi temporis rei defendendi: idque ſubito Labienus fecit praeter opinionem Ciceronis, qui ſibi ſpatium defenſionis comparauerat, et conſtituerat. ita ſe excuſat ſimul, et accuſatorem vt iniquum accuſat: populum

populum conciliat ſibi, alienat a Labieno.

Parebitur] Et hoc verbo quaerit inuidiam accuſatori. paretur enim ei, qui imperat: aequa vero conditio non eſt, cum ita duo contendunt in iudicio praeſertim capitis, famae, fortunarumque omnium, vt alter imperet, alter parere cogatur; imperet autem et accuſator, et idem inimicus; pareat non ſolum defenſor, ſed etiam conſul.

Niſi forte] Significat ideô ſe a Labieno coactum eſſe in curriculum ſemihorae, ne pluribus verbis ad ea, quae obieciſſet, reſpondere poſſet.

A C. Macro] Qui Rabirium iam antea de locis religioſis, et de locis ab eo violatis accuſauerat. Hunc opinor eſſe C. Licinium Macrum, qui de repetundis reus cum ſe damnari videret a Cicerone praetore, damnationem voluntaria morte vitauit. ita rem domeſticam legis beneficio ſeruauit. hoc Plutarchus in Ciceronis vita, et Valerius Max. lib. IX. c. 12. memoriae tradiderunt: hoc et Cicero ipſe lib. I. ad Attic. epiſt. 4. his verbis: *Nos hic incredibili ac ſingulari populi voluntate de C. Macro transegimus. cui cum aequi fuiſſemus, tamen multo maiorem fructum ex populi exiſtimatione, illo damnato, cepimus, quam ex ipſius, ſi abſolutus eſſet, gratia cepiſſemus.*

CAPVT III.

Propinquus C. Rabirii] Sororis maritus: vt infra conſtat.

Virtute] Innocentia.

Ad iudicii morant] Iudicii, quo C. Curtius reus erat.

Atque ita cariorem] Amplificandi modus, vt pro lege Manilia c. 3. *Regnat: et ita regnat, vt ſe non Ponto, neque Cappadociae latebris occultare velit, ſed emergere è patrio regno, atque in veſtris vectigalibus, hoc eſt, in Aſiae luce verſari.* Quo loco pluribus exemplis hanc figuram confirmauimus.

Apuliae] Ex qua regione ortus, aut etiam in qua natus erat Rabirius.

Campaniae vicinitatis] Non repugno antiquis libris: magis tamen arrideret, *Campanae vicinitatis.*

Longam orationem] Quid multa reſpondeam, cum tu nihil dixeris?

In eadem multae irrogatione] Irrogabat Rabirio Labienus accuſator multam, violatae et ſuae, et alienae pudicitiae nomine. *Eadem irrogatione*, dicit, quia irrogatio eadem plura complectebatur, de locis religioſis, lucisque violatis, de peculatu facto, de tabulario incenſo, de necato ſororis filio, de ſeruis alienis contra legem Fabiam retentis, de ciuibus Romanis contra legem Porciam verberatis, aut necatis.

Quae patroni diligentiam deſiderant] Cum ab accuſatore intenduntur, qui de his aliquid dicere videatur, non, vt a te ſunt obiecta, nullo argumento.

Intelligis] Ex iis, quae breuiſſime reſpondi, vides eam ipſam ſemihoram, quam tu mihi ad reum defendendum praeſtituiſti, nimium etiam longam fuiſſe.

Illam alteram partem] Duas partes Labieni complectebatur accuſator: vnam, quae Rabirio multam propter crimina ſupra nominata,

minata, alteram, quae mortem propter Saturninum ab eo interfectum irrogabat.

Nimis exiguam atque anguſtam] Quod ad Rabirii defenſionem attinet. me enim conſulem, quod perduellionis iudicium ſuſtulerim, non Rabirium, quod Saturninum occiderit, accuſaſti.

Aut primus, aut ſolus] Suſtulit enim ante Ciceronem M. Porcius Cato, ſuſtulit et C. Gracchus. ita ſolus eam laudem Cicero non eſt adeptus.

Carnificem de foro] Ne carnifex ciuem Romanum, iniectis vinculis, vllo crimine de foro poſſet abducere.

Crucem de campo] Ne quis, a populo damnatus, in crucem, quae in campo Martio figebatur, agi poſſet. quo intelligitur, ciuium Romanorum, qui perduellionis crimine damnarentur, ſupplicium, item vt ſeruorum, crucem fuiſſe.

Infeſtam] Paſſiue, pro, vexatam: de quo iam diximus.

Lenitate legum] Vt leniter vobiscum, non crudeliter ageretur.

CAPVT IV.

Comitiis centuriatis] Vt maximum inter crimina maieſtatis erat perduellio, ſic maximis populi comitiis, id eſt, centuriatis, iudicabatur. exemplum in Rabirio non obſcurum, clariſſimum autem in Claudio et Sempronio cenſoribus: de quibus lib. XLIII. c. 16. Liuius.

Auſpicato in loco] Auſpiciis conſularibus conſecrato. ſic enim eſt in orat. IV. in Catil. c. 1.

Funeſtari] Pollui, contaminari, quaſi funere ad maerorem traduci.

Contagione carnificis] Ne carnifex impurus in concione quemquam attingat.

Nefarii ſceleris] Quod eſt in capiendo ciue Romano, et in campum Martium, id eſt, ad necem, ſi a populo damnaretur, adducendo.

Veſtigiis] Ne quod, remoto carnifice, veſtigium ſupereſſet.

Caſtam] Puram a ſcelere.

Porcia lex] Quam, vt opinor, tulit M. ille Porcius Cato cenſorius, etſi nec auctor Plutarchus in eius vita ſit, nec alius quisquam.

I lictor, colliga manus] Verba decemuiri in Horatii iudicio apud Liuium lib. I. c. 26. et Torquati, cum filium occidi iuberet, apud eundem lib. VIII. c. 7. *I lictor, deliga ad palum.*

Caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito] Verba Hoſtilii regis de Horatio, qui ſororem occiderat, haec a Liuio recitantur lib. I. c. 26. *Duumuiros, qui Horatio perduellionem iudicent ſecundum legem, facio.* ſequitur: *Lex horrendi carminis erat, Duumuiri perduellionem iudicent. Si a duumuiris prouocarit, prouocatione certato: ſi vincent, caput obnubito: infelici arbori reſte ſuſpendito: verberato vel intra pomerium, vel extra pomerium.* Infelices arbores fuere, ficus atra, quaeque baccam nigram, nigroſque fructus ferunt, acrifolium, et quae praeterea Macrobius nominat lib. II. Saturn. c. 16. felices ab infelicibus diſtinguens.

CAPVT V.

Patrui tui] Cum Saturnino interfecti.

Tuis

Tuis facultatibus] Iis rebus, quae in te ſunt.

Hanc conditionem] Vt poteſtatem in corpora ciuium Romanorum habeat carnifex, vt eorum caput obnubat, vt eos in crucem agat.

Obductio capitis] Cum dicat Liuius, *caput obnubito*, rectius hic putarem, *obnuptio.* mendum fortaſſe verbi peperit inſolentia.

Vna vindicta] Vna manumiſſione: cum in libertatem ſerui dominorum benignitate vindicantur. Liberandorum autem ſeruorum tria genera cum ſint, cenſus, vindicta, teſtamentum, vt in Topicis c. 2. Cicero docet: vſitatius vindicta fuit.

Nos a verberibus, ab vnco] Perduellionis damnati, primum verberabantur, deinde vnco trahebantur, poſtremo in crucem agebantur. hic quidem ſupplicii ordo e Ciceronis verbis colligitur.

Fateor] A me ſublatum eſſe perduellionis iudicium: quod tu criminari ſoles.

Eſſe depulſum] Cogitabas enim, id quod ego conſul mea lege vetui, crudeliter, importune, non tribunicio, ſed regio more in ciues Romanos agere.

Qua tu in actione] Contra Rabirium.

Omnia exempla maiorum, omnes leges] Non enim maiores occidi quemquam ciuem Romanum voluerunt: de quo lex eſt Porcia, atque Sempronia. Hoc eſt, quod ſupra c. 3. dixit: *Iſta laus primum eſt maiorum noſtrorum, qui, expulſis regibus, nullum in libero populo veſtigium crudelitatis regiae retinuerunt: deinde multorum virorum fortium, qui veſtram libertatem non acerbitate ſuppliciorum infeſtam, ſed lenitate legum munitam eſſe voluerunt.*

Omnem auctoritatem ſenatus] Quo ego auctore legem de tollendo perduellionis iudicio tuli.

Omnes religiones, atque auſpiciorum publica iura] Dicit, quod ſupra c. 4. *In campo Martio, comitiis centuriatis, auſpicato in loco, crucem ad ciuium ſupplicium defigi et conſtitui iubes.*

Clariſſimi patrui tui] Rectius videtur, *cariſſimi*, vt ſit amara Labieni deriſio, qui patruum hoſtem reipublicae, amore et caritate adductus, exitio Rabirii conetur vlciſci.

CAPVT VI.

Q. Hortenſio copioſiſſime defendente] Eius orationem pro Rabirio nominat Cariſius in verbo, *cicatricum.*

Si mihi eſſet integrum] Quod non eſt. iam enim confiteri non poſſum, quod Hortenſius multorum teſtimoniis docuit eſſe falſum.

Nihil me clamor iſte commouet] Apoſtrophe ad quoſdam in concione clamantes, cum illud audiſſent, *vtinam hanc mihi facultatem cauſſa concederet, vt poſſem hoc praedicare, C. Rabirii manu L. Saturninum, hoſtem populi Romani, interfectum.* Caedes eius nonnullos commouebat, quia necatus tribunus plebis eſſet.

Si vere poſſem, aut etiam, ſi mihi eſſet integrum] Non modo ſi verum eſſet, confiterer, ſed etiam, ſi iam non probaſſet Hortenſius eſſe falſum: cuius oratio hanc mihi confitendi criminis facultatem ademit, effecitque, ne iam ſit integrum.

Ad

Ad crimen] Ad agnoſcendum, confitendumque crimen, de quo tu Rabirium accuſas.

CAPVT VII.

Praeter Glauciam] Lege, *praetores praeter Glauciam.* omiſſum eſt enim verbum, *praetores*, propter ſimilitudinem ſequentis. praetorem autem C. Seruilium Glauciam cum L. Saturnino tribuno plebis occiſum eſſe, quis ignorat? vnum tamen ex orat. I. in Catil. c. 2. exemplum afferre non grauabor: *Simili ſenatus conſulto C. Mario et L. Valerio conſulibus permiſſa eſt respublica. num vnum diem poſtea L. Saturninum tribunum plebis, et C. Servilium praetorem mors ac reipublicae poena remorata eſt?*

C. Saufeius] Quaeſtor.

Ille ex compedibus, atque ergaſtulo Gracchus] Qui cum ſe Ti. Gracchi filium ſimularet, tribunus plebis creatus, cum Saturnino, Glaucia, Saufeio arma cepit. De quo Valerius Max. lib. IX. c. 7. his verbis: *L. Equitium, qui ſe Ti. Gracchi filium ſimulabat, tribunatumque aduerſus leges cum L. Saturnino petebat, a C. Mario ſextum conſulatum gerente in publicam cuſtodiam ductum, populus, clauſtris carceris conuulſis, raptum humeris ſuis, per ſummam animorum alacritatem portauit.* Et c. 15. *Ne Equitium, Firmo Piceno monſtrum veniens, relatum iam in huiusce libri ſuperiore parte, praeteream; eius in amplectendo Ti. Graccho patre, euidens mendacium, turbulento vulgi errore, ampliſſima tribunatus poteſtate vallatum eſt.* Eundem cum Saturnino fuiſſe, non tamen occiſum, ſignificat Appianus lib. I. de bell. ciu.

Omnem dignitatem iudiciorum] Tunc enim equeſter ordo lege C. Gracchi iudicia adminiſtrabat: donec Sulla, rerum potitus, ab equitibus ad ſenatores iudicia transtulit: poſtremo C. Aurelius Cotta praetor legem tulit, vt tres ordines iudicarent, ſenatores, equites, tribuni aerarii.

M. Aemilius] Scaurus, cuius conſtantiam, et grauitatem Cicero laudat.

Q. Scaeuola] Q. F. augur, qui cum L. Metello Dalmatico conſul fuerat. nam Q. Scaeuola P. F. pontifex max. cum L. Craſſo oratore quinquennio poſt Marium et Flaccum conſules, qui Saturninum, et Glauciam oppreſſerunt, conſulatum geſſit.

Praepeditus morbo] Pedum. Duo veteres libri, *praeditus*: tres, *perditus*: quod placet.

L. Metellus] Dalmaticus, qui cum Q. Scaeuola Q. F. conſulatum geſſerat. conſulares enim hic nominantur.

Ser. Galba] Sulpiciae gentis, qui conſul fuit cum M. Aemilio Scauro.

C. Serranus, P. Rutilius, C. Fimbria, Q. Catulus] Serranus cum Q. Caepione, Rutilius cum Cn. Manlio, Fimbria cum C. Mario, Q. Catulus cum eodem Mario.

Cn. et L. Domitii] Vterque Ahenobarbus, et, opinor, fratres. Cnaeus cum Caſſio Longino, Lucius cum Coelio Caldo conſul fuit.

L. Craſſus, Q. Mucius] Craſſus orator, Mucius pontifex max.

C. Claudius] Conſul cum Perperna.

 M. Dru-

M. Druſus] Qui conſul non fuit, ſed in tribunatu plebis initio belli Marſici a neſcio quo domi ſuae eſt interfectus.

Octauii] Tres Octauii conſulatum geſſere, primus Cn. F. Cn. N. qui a L. Cinna collega eſt interfectus: alter Cn. Octauius M. F. Cn. N. qui cum C. Curione conſul fuit: L. Octauius Cn. F. Cn. N. conſul cum C. Cotta, fratre Cn. Octauii, quem primum nominauimus.

Metelli] Q. Metellus Nepos conſul cum T. Didio.

Iulii] Sex. Iulius Caeſar conſul cum L. Philippo, et L. Caeſar cum P. Rutilio Lupo.

Caſſii] C. Caſſius Varus conſul cum L. Gellio.

Catones] L. Poctius Cato, conſul cum Cn. Pompeio Strabone.

Pompeii] Cn. Pompeius Strabo conſul cum L. Porcio Catone: Q. Pompeius Rufus cum L. Sulla.

L. Philippus] Conſul cum Sex. Iulio Caeſare.

L. Scipio] Conſul cum C. Norbano.

M. Lepidus] Cum Q. Catulo.

D. Brutus] Cum Mam. Aemilio Lepido Liuiano.

P. Seruilius] Iſauricus poſtea dictus, cum Ap. Claudio Pulchro.

Imperatore] Bellum in Cilicia gerente, ex qua de Iſauris triumphauit.

Q. Catulus] Conſul cum M. Lepido, eius Catuli filius, qui cum C. Mario conſulatum geſſit.

C. Curio] Cum Cn. Octauio, pater eius Curionis, qui ciuili bello, pro Caeſare pugnans, in Africa periit.

CAPVT VIII.

Omnis praefectura] Quae fuerit, omiſſo nomine, non apparet: in agro Piceno arbitror fuiſſe, quia ſequitur: *Quid ager Picenus vniuerſus?*

CAPVT IX.

Exſilium] Et hoc recte, nec tamen, *exitium*, male.

Qui tum extra vrbem cum praeſidio fuit] Iuſſu conſulum. nam anno ſequenti conſulatum geſſit.

CAPVT X.

Caerimoniisque, quibus praeerat] Tamquam pontifex max.

Quid iam iſta C. Mario, inquit, nocere poſſunt] *Iſta:* ſi eum cum C. Rabirio condemnamus.

CAPVT XI.

Fiſtulas] Hiſtoriam ex Plutarcho, et aliis licet petere: itaque ſuperuacanea interpretatio eſt.

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM I.
IN
L. SERGIVM CATILINAM

ARGVMENTVM
QVATTVOR ORATIONVM
CONTRA CATILINAM

L. *Sergius Catilina, patricii generis, ciuili bello Sullanarum partium, adminiſtrata poſt praeturam Africa, accuſatus eſt primum a P. Clodio repetundarum, vt ait Aſconius. accuſatus autem M. Aemilio Lepido, L. Volcatio Tullo coſſ. quod in oratione contra competitores Cicero docet his verbis:* Te vero, Catilina, conſulatum ſperare, aut cogitare, non prodigium, atque portentum eſt? a quibus enim petis? a principibus ciuitatis? qui tibi, cum L. Volcatius conſul in conſilio fuiſſet, ne petendi quidem poteſtatem eſſe voluerunt. *Vbi Pedianus:* Catilina, cum de prouincia Africa decederet, et legati Afri queſti de eo in ſenatu grauiter eſſent, profeſſus eſt ſe petere conſulatum. L. Volcatius Tullus conſilium publicum habuit, an rationem Catilinae habere deberet. nam quaerebatur repetundarum. Catilina ob eam cauſſam deſtitit a petitione. *His teſtimoniis duae res probantur, vna, accuſatum eſſe Lepido et Tullo coſſ. altera, accuſatum eſſe ante comitia conſularia. Nec tamen eo anno peracta cauſſa eſt. nam eum Torquato et Cotta coſſ. id eſt, anno ſequenti, reum de repetundis inuenio in oratione pro Sulla c. 29.* Parens tuus, Torquate, *ait Cicero,* conſul reo de pecuniis repetundis Catilinae fuit aduocatus. *Partem igitur eius anni, quo Lepidus et Tullus conſulatum, Cicero praeturam geſſit, Catilina in Africa fuit, et eodem anno, conſularium comitiorum cauſſa, id eſt, ante Quintilem menſem, in vrbem rediit: vbi ſtatim repetundarum crimine ab Afris in iudicium vocatus eſt. quamquam Cicero in ora-*

 tione

tione pro Coelio c. 4. cauſſae ſeruiens, totum annum, quo ipſe praetor fuit, eum abſuiſſe, oſtendit his verbis: Fuit aſſiduus mecum, praetore me: non nouerat Catilinam. Africam tum praetor ille obtinebat. Secutus eſt annus. cauſſam de pecuniis repetundis Catilina dixit. mecum erat hic: illi ne aduocatus quidem venit vmquam. deinceps fuit annus, quo ego conſulatum petiui. *Quibus verbis tres anni continui deſignantur, primum is, quo Cicero praeturam geſſit, id eſt, Lepido, et Tullo coſſ. deinde, quo cauſſam de pecuniis repetundis Catilina dixit, id eſt, Torquato, et Cotta coſſ. poſtremo, quo Cicero conſulatum petiuit, id eſt, Caeſare, et Figulo coſſ. Primum igitur id conſtat, accuſari coeptum eſſe repetundarum Lepido et Tullo coſſ. deinde non eodem anno, ſed ſequenti, Torquato et Cotta coſſ. cauſſam dixiſſe. Addo illud, abſolutum eſſe P. Clodio accuſatore praeuaricante. de quo ſic in ea de haruſp. reſp. c. 20.* A Catilina pecuniam accepit, vt turpiſſime praeuaricaretur. *Quod Pedianus confirmat. Iterum autem accuſatus eſt inter ſicarios a L. Paullo, Caeſare, et Figulo coſſ. quod a Salluſtio, Pediano, Dione traditur. quamquam in Pediano,* L. Lucullus, *mendoſe legitur, pro,* L. Paullus: *quem Salluſtius, teſtis eorum temporum, nominat. Vtroque iudicio abſolutum eſſe, cognoſcitur ex lib. I. ad Attic. epiſt. 16. in qua eſt:* Bis abſolutum eſſe Lentulum, bis Catilinam. *Vt argumentum illud omittatur, quod, niſi abſolutus eſſet, petere conſulatum Cicerone et Antonio coſſ. non cogitaſſet. Haec de accuſationibus: nunc de conſulatus petitionibus, poſtremo de illius coniurationibus agemus. quae niſi ſeparatim ſingula oſtenderentur; fore ſum ſuſpicatus, ne lectori laborem, et difficultatem ordo hiſtoriae confuſus afferret, vt mihi ſaepe attulit: qui nunc, vt meo labore labor aliis adimatur, quantum licet, operam do. Petere conſulatum Catilina voluit, quo anno ex Africa rediit, conſulatum gerentibus Lepido, et Tullo: ſed eius rationem non eſſe habitam, iam oſtendimus. Eo anno petendi poteſtate excluſus, petiit anno ſequenti, Cotta, et Torquato coſſ. et repulſam tulit. petiitque iterum Caeſare, et Figulo coſſ. nec obtinuit. vtramque petitionem ſignificat Cicero in oratione pro Coelio c. 5.* Tot, *inquit*, annos verſatus in foro ſine ſuſpicione, ſine infamia, ſtuduit Catilinae iterum petenti. *De ſecunda autem et petitione, et repulſa perſpicuum ſit ex his Aſconii verbis:* Poſt effecta comitia conſularia, et Catilinae repulſam, fecit eum reum inter ſicarios L. Paullus. *Videtur et Cicerone conſule aut petiiſſe, aut petere voluiſſe: quod prima declarat in eum Ciceronis oratio c. 5.* Cum proximis comitiis conſularibus, *inquit*, me conſulem in campo, et competitores tuos interficere voluiſti, compreſſi tuos nefarios conatus amicorum praeſidio, et copiis. *Eodem pertinent illa Salluſtii in Catil. c. 26.* Poſtquam dies comitiorum venit; et Catilinae neque petitio, neque inſidiae, quas conſuli fecerat, proſpere ceſſere: conſtituit bellum facere, et extrema omnia experiri. *Remotum a petitione, conſilio potiſſimum Ciceronis conſulis, lib. XXXVII. demonſtrat Dio. Sed contra Plutarchus in Cicerone, nec obſcure Cicero ipſe pro Murena c. 26. eum petiiſſe dicit. Quod ad coniurationes*

nes attinet, coniurauit primum cum Cn. Piſone, L. Varginteio, P. Autronio: quo anno conſules fuere Lepidus, et Tullus: vnde illa in oratione pro Sulla c. 24. Scilicet is ſum, qui exiſtimem, Cn. Piſonem, et Catilinam, et Vargunteium, et Autronium nihil ſcelerate, nihil audacter ipſos per ſeſe ſine P. Sulla facere potuiſſe. De quo etiam ſi quis dubitaſſet antea, num id, quod tu arguis, cogitaſſet, interfecto patre tuo, conſule, deſcendere Kalendis Ianuariis cum lictoribus? *Si cogitauit Sulla, cum Piſone, Catilina, Vargunteio, Autronio deſcendere cum lictoribus, interfecto Torquato conſule: nimirum ſuperioribus conſulibus Lepido et Tullo inita de conſulum caede conſilia fuerant, Eiusdem annus coniurationis e Salluſtio c. 18. cognoſcitur.* Erat, *inquit*, eodem tempore Cn. Piſo, adoleſcens nobilis, ſummae audaciae, egens, factioſus: quem ad perturbandam rempublicam inopia, atque mali mores ſtimulabant. Cum hoc Catilina, et Autronius, (*circiter nonas Dec.*) conſilio communicato, parabant in Capitolio Kalendis Ian. L. Cottam et L. Torquatum conſules interficere; ipſi, faſcibus correptis, Piſonem cum exercitu ad obtinendas duas Hiſpanias mittere. Ea re cognita, rurſus in nonas Febr. conſilium caedis tranſtulerant. Iam tum non conſulibus modo, ſed plerisque ſenatoribus perniciem machinabantur. quod ni Catilina maturaſſet pro curia ſignum ſociis dare: eo die poſt conditam vrbem peſſimum facinus patratum foret. quia nondum frequentes armati conuenerant, ea res conſilium diremit. *Pedianus autem eandem rem exponit his verbis:* Fuit opinio, Catilinam, et Cn. Piſonem, adoleſcentem perditum, coniuraſſe ad caedem ſenatus faciendam ante annum, quam haec dicta ſunt, Cotta, et Torquato coſſ. eamque caedem ideo non eſſe factam, quod prius, quam parati eſſent, coniuratis ſignum dediſſet Catilina. *Altera coniuratio fuit Caeſare et Figulo coſſ. petentibus conſulatum Cicerone, Antonio, ipſo Catilina. cuius rumor quidam cum in vulgus emanaſſet*, ſtudia hominum accendit, *vt ait Salluſtius c. 23.* ad conſulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. *Haec igitur ſecunda coniuratio, occultis conſiliis agitata, erupit denique in conſulatum Ciceronis. qui cum totam rem, indicante per Fuluiam Q. Curio coniurato, cognouiſſet, et ſedentem tamen in ſenatu Catilinam vidiſſet, ira commotus, acerbiſſime in eum hac prima oratione eſt inuectus, et eum vrbe egredi, ſecumque ſuos iuſſit educere: ac tantum profecit, vt Catilina perterritus profugerit. quod eſt primae orationis argumentum. In ſecunda oratione, de Catilina eiecto gloriatur: relictos ab eo ſignificat nobiles viros, qui non ſolum in foro volitent, ſed etiam in ſenatum veniant: quattuor hominum genera commemorat, qui reipublicae occultum bellum indixerint, et diſſimulantes, egrediente Catilina, Romae remanſerint. contra quorum inſidias, Quirites monet, vt ſua tecta cuſtodiis, vigiliisque defendant: ipſis, vt exeant, ſi velint, permittit: minatur, ſi cuius factum, conatumue contra patriam deprehenderit: ſeueritatem cum clementia pollicetur. Quirites hortatur, vt venerantes deos immortales opem ab iis in praeſenti periculo ſupplices petant. Tertia, captos eſſe coniurationis principes, et ſublatum*

tum iam imminentis periculi metum, re, quemadmodum geſta erat, explicata, ſignificat. Tum habere bonum animum Quirites iubet; quod geſtum ſit, acceptum diis immortalibus refert: rogat, vt, cum ipſe, ne iis hominum audaciſſimorum ſceleratae, nefariaeque mentes nocere poſſent, ſua vigilantia prouiderit, ipſi viciſſim, ne quando ſibi noceant, curam ſuſcipiant. Concluſio, Iouem vt venerentur, et vt ſua tecta vigiliis, cuſtodiisque defendant. In quarta nonis Dec. habita, vt lib. II. ad Attic. epiſt. 1. de ſupplicio coniuratorum refert, et ſimul, ipſe quid ſentiat, oſtendit. disputat de ſententiis duabus, vna D. Iunii Silani, qui, tamquam conſul deſignatus, omnium primus de more rogatus erat, vt mors coniuratis poena eſſet: altera C. Caeſaris, aedilis curulis, vt aeternis tenebris vinculisque mandarentur, bona eorum publicarentur, vitam tamen retinerent. vtramque ſententiam laudat: quam tamen Silanus dixerat, ſequendam cenſet. Memoriam ſui conſulatus a ſenatu poſtulat: ſi quid ſibi acciderit, paruum filium commendat: hortatur, vt de coniuratorum ducibus, cum agatur in eo ſalus ciuitatis, vniuerſaeque reipublicae, diligenter fortiterque decernat: ſuum et in conſulatu, et in omni vita praeſidium, auxiliumque pollicetur. Nunc, vt puto, non male opera poſita videbitur, ſi, quo quaeque die habita oratio ſit, oſtendam. Prima habita eſt VIII. id. Nou. non obſcuris argumentis. in ipſa enim oratione c. 4. ſunt haec: Recognoſce tandem mecum noctem illam ſuperiorem. iam intelliges, multo me vigilare acrius ad ſalutem, quam te ad perniciem reipublicae. Dico te priori nocte veniſſe inter Falcarios (non agam obſcure) in M. Laecae domum: conueniſſe eodem complures eiusdem amentiae, ſceleriſque ſocios. *Et paullo poſt:* Fuiſti igitur apud Laecam illa nocte, Catilina: diſtribuiſti partes Italiae: ſtatuiſti, quo quemque proficiſci placeret: delegiſti, quos Romae relinqueres, quos tecum educeres: deſcripſiſti vrbis partes ad incendia: confirmaſti, te ipſum iam eſſe exiturum: dixiſti, paullulum tibi eſſe etiam tum morae, quod ego viuerem. Reperti ſunt duo equites Romani, qui te iſta cura liberarent, et ſeſe illa ipſa nocte paullo ante lucem me in meo lectulo interfecturos pollicerentur. *Quae ſit haec nox, quam is dies conſecutus eſt, quo Cicero ſenatum habuit, et in Catilinam haec dixit, docet oratio pro Sulla c. 18. his verbis:* Quid tandem de illa nocte dicit, cum inter Falcarios ad M. Laecam, nocte ea, quae conſecuta eſt poſterum diem nonarum Nou. me conſule, Catilinae denunciatione conuenit? quae nox omnium temporum coniurationis acerrima fuit, atque acerbiſſima. Tum Catilinae dies exeundi, tum ceteris manendi conditio, tum deſcriptio totam per vrbem caedis, atque incendiorum conſtituta eſt: tunc tuus pater, Corneli, id quod tandem aliquando confitetur, illam ſibi officioſam prouinciam depopoſcit, vt, cum prima luce conſulem ſalutatum veniret, intromiſſus meo more, et iure amicitiae, me in meo lectulo trucidaret. *Hic Cicero, qua nocte in M. Laecae domum Catilina venit, dicit eam fuiſſe, quae conſecuta eſt poſterum diem nonarum Nou. id eſt, quae fuit inter nonas, et VIII. id. Nou. ex quo patet, habitam eſſe primam in Catilinam*

orationem

orationem VIII. id. Nou. cum in ea ſit: Dico te priori nocte veniſſe inter Falcarios, in M. Laecae domum. *Secunda oratio poſtridie habita videtur: quod ex iis verbis, quae ſunt in ea c. 3. liceat intelligere.* Omnia, *inquit*, ſuperioris noctis conſilia ad me delata eſſe ſentiunt: patefeci in ſenatu heſterno die: Catilina ipſe pertimuit, profugit. *Tertia, multis interiectis diebus, habita eo die, quo Lentulus, eiusque ſocii, Allobrogum indicio comprehenſi, et in ſenatum introducti ſunt: ſententiaeque de iis dictae a principibus, vt in cuſtodiam traderentur. quem diem non video cur non putem pridie non. Dec. fuiſſe: cum quartam orationem nonis Dec. habitam eſſe, conſtet ex lib. II. ad Attic. epiſt. 1. veriſimile autem non videatur, tanta res cum ageretur, moram vllam interiectam, ſed primo illo die, quo Lentulus, et alii coniurati ſimul comprehenſi ſunt, factum eſſe ſenatus conſultum, vt in cuſtodiam traderentur; ſequenti autem die alterum ſenatus conſultum, vt ſupplicio afficerentur. quo die, dictis a Silano et Caeſare ſententiis, quartam orationem Cicero habuit, qua ſenatum ad ſeueritatem eſt hortatus: et ſenatus, vti Cato cenſuerat, decreuit, vt de iis, qui traditi in cuſtodiam erant, ſupplicium ſumeretur. Prima igitur oratio, vt ſuperiora breuiter colligantur, in ſenatu VIII. id. Nou. ſecunda ad Quirites, poſtridie, tertia ad eosdem pridie non. Dec. quarta in ſenatu nonis Dec. habita eſt.*

EXPLANATIO

CAPVT I.

Quousque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra] Vocem interrogantis indignatio exprimit, et iracundiae magnitudo. nam cum nefaria contra patriam Catilinae conſilia Cicero cognouiſſet, et eum tamen in ſenatu ſedentem vidiſſet, non tulit, ſed accuſauit eum audiente ſenatu, hac oratione, quam Salluſtius c. 31. *luculentam, atque vtilem reipublicae* vocat. *Abutere* dixit, quia, cum peſtem bonis omnibus, exitiumque reipublicae Catilina machinaretur, proximaque ſuperiore nocte cum ſociis in M. Laecae domo fuiſſet, venire tamen in ſenatum auderet. Sed hic Salluſtii verba recitare, operae pretium videtur. *At Catilinae*, inquit, *crudelis animus eadem illa mouebat: tametſi praeſidia parabantur, et ipſe lege Plautia interrogatus erat ab L. Paullo. Poſtremo diſſimulandi cauſſa, et ſui expurgandi, ſicuti iurgio laceſſitus foret, in ſenatum venit. Tum M. Tullius conſul, ſiue praeſentiam eius timens, ſiue ira commotus, orationem habuit luculentam, atque vtilem reipublicae: quam poſtea ſcriptam edidit. Sed, vbi ille aſſedit, Catilina, vt erat paratus ad diſſimulanda omnia, demiſſo vultu, voce ſupplici poſtulare, Patres conſcripti ne quid de ſe temere crederent: ea familia ortum, ita ab adoleſcentia vitam inſtituiſſe, vt omnia bona in ſpe haberet: neque exiſtimarent, ſibi patricio homini, cuius ipſius, atque maiorum plurima beneficia in plebem Romanam eſſent, perdita*

republica opus eſſe, cum eam ſervaret M. Tullius, inquilinus ciuis vrbis Romae.

Eludet] Quaſi per ludum contemnet?

Effraenata] Quae ſeſe rationis fraeno non continet: ſed, quaſi ſine fraeno ſit, ita ſe iactat.

Palatii] Collis foro coniuncti, ideo muniti nocturno praeſidio.

Munitiſſimus] Nam in Capitolio, in templo Iouis Statoris ſenatus habebatur: de quo ſic infra c. 5. *Magna diis immortalibus habenda eſt gratia, atque huic ipſi Ioui Statori, antiquiſſimo cuſtodi huius vrbis.*

Conſcientia] Scientia. non enim accipiendum, quia ſibi conſcii ſint, ſed quia ſciant, et norint.

Quid proxima] Proxima nox eſt, quam conſecutus eſt dies VIII. id. Nou. de qua infra c. 4. *Dico te priori nocte veniſſe inter Falcarios (non agam obſcure) in M. Laecae domum: conueniſſe eodem complures eiusdem amentiae ſcelerisque ſocios.* Et pro Sulla c. 18. *Quid tandem de illa nocte dicit, cum inter Falcarios ad M. Laecam, nocte ea, quae conſecuta eſt poſterum diem nonarum Nou. me conſule, Catilinae denunciatione conuenit?*

Q. (Ern. *C.*) *Seruilius Ahala*] Magiſter equitum. exſtat apud Liuium lib. IV. c. 14. hiſtoria.

Habemus ſenatus conſultum in te, Catilina, vehemens et graue] Quattuor ſenatus conſulta in cauſſa coniurationis facta ſunt, duo propter Catilinam, duo propter Lentulum, et octo praeterea coniuratos, qui, Catilina egreſſo, cum in vrbe remanſiſſent, Allobrogum indicio comprehenſi ſunt. primum ſenatus conſultum propter Catilinam factum, cum eius nefaria conſilia iam paterent, illud eſt, quod hic ſignificatur, ex vetere inſtituto renouatum in magno reipublicae diſcrimine, vſitatis verbis: *Darent operam conſules, ne quid respublica detrimenti caperet.* de quo Salluſtius c. 29. *Ea cum Ciceroni nunciarentur; ancipiti malo permotus, quod neque vrbem ab inſidiis priuato conſilio longius tueri poterat, neque, exercitus Mallii quantus, aut quo conſilio foret, ſatis compertum habebat, rem ad ſenatum refert, iam antea vulgi rumoribus exagitatam. Itaque, quod plerumque in atroci negotio ſolet, ſenatus decreuit,* DARENT OPERAM CONSVLES, NE QVID RESPVBLICA DETRIMENTI CAPERET. *Ea poteſtas per ſenatum, more Romano, magiſtratui maxima permittitur: exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis ſocios atque ciues: domi militiaeque imperium atque iudicium ſummum habere. aliter, ſine populi iuſſu, nulli earum rerum conſuli ius eſt.* Alterum ſenatus conſultum eſt, quo Catilina et Mallius hoſtes iudicati ſunt. quod eodem teſte Salluſtio c. 36. cognoſcitur: *Paucos dies,* inquit, *commoratus apud C. Flaminium in agro Reatino, dum ciuitatem, antea ſollicitatam, armis exornat, cum faſcibus, atque aliis imperii inſignibus in caſtra ad Mallium contendit. Haec vbi Romae comperta, ſenatus Catilinam et Mallium hoſtes iudicat.* Tertium ſenatus conſultum eſt, de quo orat. III. c. 6. his verbis: *Indiciis expoſitis*

ſitis atque editis, Quirites, ſenatum conſului, de ſumma reipublicae quid fieri placeret. Dictae ſunt a principalibus acerrimae ac fortiſſimae ſententiae, quas ſenatus ſine vlla varietate eſt conſecutus. Et quoniam nondum eſt perſcriptum ſenatus conſultum, ex memoria vobis, Quirites, quid ſenatus cenſuerit, exponam. Subiungitque paullo poſt: *Atque ita cenſuerunt, vt P. Lentulus, cum ſe praetura abdicaſſet, tum in cuſtodiam traderetur: itemque vti C. Cethegus, L. Statilius, P. Gabinius, qui omnes praeſentes erant, in cuſtodiam traderentur: atque idem hoc decretum eſt in L. Caſſium, qui ſibi procurationem incendendae vrbis depopoſcerat: in M. Ceparium, cui ad ſollicitandos paſtores Apuliam eſſe attributam, erat indicatum: in P. Furium, qui eſt ex his colonis, quos Feſulas L. Sulla deduxit: in Q. Magium Chilonem, qui vna cum hoc Furio ſemper erat in hoc Allobrogum ſollicitatione verſatus: in P. Vmbrenum, libertinum hominem, a quo primum Galios ad Gabinium perductos eſſe conſtabat.* decreuerat enim ſenatus, vt viderent conſules, ne quid respublica detrimenti caperet.

CAPVT II.

Clariſſimo patre] Ti. Sempronio Gracebo, qui bis conſul fuit, et de Celtiberis triumphauit.

Auis, (Ern. *auo*) *maioribus*] Non tamen conſularibus.

Cum liberis] Duobus. Plutarchus in Gracchis, Velleius lib. II. c. 6. 7.

Viceſimum iam diem] Integrum numerum amat orator. dies enim tantum erant XVIII. ſic in Piſonem c. 2. *Ego in C. Rabirio, perduellionis reo, XL annis ante me conſulem interpoſitam ſenatus auctoritatem ſuſtinui contra inuidiam atque defendi.* Quo loco Pedianus, *poſſit*, inquit, *aliquis credere, lapſum memoria Ciceronem, qui dicat, XL annis ante ſe conſulem factum eſſe ſenatus conſultum aduerſus L. Appuleium Saturninum tribunum plebis: cum XXXVI anni a C. Mario et L. Valerio Flacco conſulibus numerentur. Sed hic non ſubtilis computatio annorum facta eſt, verum ſummatim tempus comprehenſum eſt: et perinde accipiendum, ac ſi dixerit,* prope XL annis. *haec enim conſuetudo eſt ipſius Ciceronis: itaque idem in ea quoque, quam habuit in Catilinam in ſenatu, cum octauusdecimus dies eſſet, poſtea, quam factum ſenatus conſultum, vt viderent conſules, ne quid respublica detrimenti caperet, dixit:* Vigeſimum iam diem patimur hebeſcere aciem horum auctoritatis. habemus enim ſenatus conſultum, verumtamen incluſum in tabulis, tamquam gladium in vagina reconditum.

Horum] Senatorum.

Non diſſolutum] Ita me cupio eſſe clementem, vt diſſolutus ne ſim: ne virtus in vitium delinat. aliquid enim permittere, clementiae eſt, nimium, animi diſſoluti. Vitium a virtute diſtinxit Cicero ad Metellum lib. V. Fam. epiſt. 2. *Cognoſce nunc*, inquit, *humanitatem meam; ſi humanitas appellanda eſt in acerbiſſima iniuria remiſſio animi ac diſſolutio.*

Credo, erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni ſerius a me, quam quisquam crudelius

 factum

factum eſſe dicat] Implicatam negantibus particulis ſententiam vt expediam operam dabo. Fore, inquit, non dubito, quin hoc omnes boni potius a me ſerius factum eſſe dicant, quam quisquam crudelius.

CAPVT III.

C. Mallium (Ern. *Manlium*)] Sic vbique lego, non *Manlium*, primum ex antiquis libris, deinde, quia Manlii nobiles, et patricii, Mallii ignobiles, et plebeii. et Mallium illum, qui cum P. Rutilio Rufo conſulatum geſſit, ignobilem Cicero vocat in Planciana c. 5.

Tuorum conſiliorum reprimendorum cauſſa] Ne tibi liceret exequi, quod cogitabas: ne tibi faciendae caedis optimatum facultas daretur.

Profugerunt] Commoti, ac deterriti meis verbis.

Illam coloniam] Coloniam quoque nominat Frontinus, aut quicumque ille fuit, cuius fragmentum quoddam exſtat de coloniis. Sed perſpicue, coloniam fuiſſe, Gellius docet, cum ait lib. XVI. c. 13. *Praeneſtinos maximo opere a Tiberio imperatore petiiſſe oraſſeque, vt ex colonia in municipii ſtatum redigerentur.* Quo tempore deducta ſit, nec Velleius, nec Liuius, nec alius quisquam docet. ego tamen, quin a L. Sulla deducta ſit, dubitandum non puto. Argumento ſunt illa verba orat. II. in Rullum c. 28. *Si dicent, per legem id non licere: ne per Corneliam quidem licet: at videmus, vt longinqua mittamus, agrum Praeneſtinum a paucis poſſideri.*

Non modo (Ern. *non*) *audiam*] Deſiderari arbitror *non:* vt legatur: *Non modo non audiam.* infra c. 6. *Nihil agis, nihil ſequeris, nihil moliris, quod mihi latere valeat in tempore.*

CAPVT IV.

Priori nocte] Quae conſecuta eſt poſterum diem nonarum Nou. vt in oratione pro Sulla c. 18. itaque dixit haec VIII. id. Nou. is enim dies nonas Nou. conſequitur.

Inter Falcarios] Vicus Romae fuit, nominatus etiam in oratione pro Sulla c. 18.

M. Laecae (Ern. *Leccae*)] M. Porcii Laecae ſenatoris, conſcii et participis eiusdem ſceleris. idem in ea pro Sulla c. 18. Salluſtius autem c. 27. *Vbi multa,* inquit, *agitanti nihil procedit, rurſus intempeſta nocte coniurationis principes conuocat per M. Porcium Laecam: ibique multa de ignauia eorum queſtus, docet ſe Mallium praemiſiſſe ad eam multitudinem, quam ad capienda arma parauerat: item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent: ſeque ad exercitum proficiſci cupere, ſi prius Ciceronem oppreſſiſſet: eum ſuis conſiliis multum officere.*

O dii immortales! vbinam gentium ſumus] Rei nefandae narrationem excipit exclamatio. ſupra quoque c. 1. cum dixiſſet: *Quid proxima, quid ſuperiore nocte egeris, vbi fueris, quos conuocaueris, quid conſilii ceperis, quem noſtrum ignorare arbitraris?* ſubiecit: *O tempora! o mores! Senatus haec intelligit, conſul videt: hic tamen viuit. Viuit? immo etiam in ſenatum venit.*

Diſtri-

Diſtribuiſti partes Italiae] Pro Sulla c. 18. *Tum Catilinae dies exeundi, tum ceteris manendi conditio, tum deſcriptio totam per vrbem caedis, atque incendiorum conſtituta eſt: tunc tuus pater, Corneli, id quod tandem aliquando confitetur, illam ſibi officioſam prouinciam depopoſcit, vt, cum prima luce conſulem ſalutatum veniret, intromiſſus meo more, et iure amicitiae, me in meo lectulo trucidaret.*

Reperti ſunt duo equites Romani, qui te iſta cura liberarent, et ſeſe illa ipſa nocte paullo ante lucem me in meo (Ern. *me meo in*) *lectulo interfecturos pollicerentur*] Salluſtius c. 28. non duos equites, verum vnum equitem C. Cornelium, alterum ſenatorem L. Vargunteium fuiſſe dicit.

Comperi] Curio per Fuluiam ſignificante. Hac de re Salluſtius c. 28. his verbis: *Perterritis ac dubitantibus ceteris, C. Cornelius, eques Romanus, operam ſuam pollicitus, et cum eo L. Vargunteius ſenator, conſtituere, ea nocte paullo poſt cum armatis hominibus, ſicuti ſalutatum introire ad Ciceronem, ac de improuiſo domi ſuae imparatum confodere. Curius, vbi intelligit, quantum periculum conſuli impendeat, propere per Fuluiam dolum, qui parabatur, enunciat. Ita illi ianua prohibiti, tantum facinus fruſtra ſusceperant.*

CAPVT V.

Huic ipſi Ioui Statori] Cuius in templo ſenatus habebatur.

Antiquiſſimo cuſtodi huius vrbis] Cuſtodiuit vrbem, orante Romulo rege, vt Romanorum fugam, Sabinis perſequentibus, ſiſteret. quod cum impetraſſet, Ioui Statori, quo primum loco fugae finem Romani fecere, templum exſtruxit.

Toties iam effugimus] Oratorie: nam ſemel antea cum Cn. Piſone Catilina coniurauerat. quamquam videri poteſt non de Catilinae coniuratione contra rempublicam, ſed de inſidiis, ab eo ſibi priuatim factis, et conſuli deſignato, et conſulatum gerenti, ſermonem habere.

Competitores tuos] In quibus fuere Silanus, et Murena; qui, cum haec Cicero diceret, conſules deſignati erant.

Facere non (Ern. *nondum*) *audeo*] Vt te interfici iubeam.

Quod iam tua ſponte faciebas] Si me occidiſſent ii, quos tu mane ad me ſalutatum miſeras. ſupra c. 4. *Confirmaſti, te ipſum iam eſſe exiturum: dixiſti, paullulum tibi eſſe etiam tum morae, quod ego viuerem.*

CAPVT VI.

Qui te (*te* abeſt ab Ern.) *non oderit*] Recte poſt metum ſubiunxit odium: amare enim, quem metuat, nemo poteſt: vnde illud Ennii: *Quem metuunt, oderunt.*

Infamiae] Tuae. Fuiſſe video qui legerent, *in fama*, vel, *in familia*, quod vtrumque repudio.

Cui tu adoleſcentulo, quem corruptelarum illecebris irretiſſes, non aut ad audaciam ferrum, aut ad libidinem facem praetuliſti] Huc pertinent illa Salluſtii c. 14. *Si quis etiam a culpa vacuus in amicitiam eius inciderat; quotidiano vſu, atque illecebris facile par,*

par, ſimilisque ceteris efficiebatur. Sed, maxime adoleſcentium familiaritates appetebat: eorum animi molles, et aetate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur. Nam, vt cuiusque ſtudium ex aetate flagrabat, aliis ſcorta praebere, aliis canes atque equos mercari, poſtremo neque ſumtui, neque modeſtiae ſuae parcere, dum illos obnoxios, fidosque ſibi faceret.

Nouis nuptiis] Aureliae Oreſtillae, copioſae mulieris. Salluſtius c. 15.

Alio incredibili ſcelere] Priuigno necato. *Captus* enim *amore Aureliae Oreſtillae, cuius,* vt ait Salluſtius, *praeter formam nihil vmquam bonus laudauit, quod ea nubere illi dubitabat, timens priuignum adultum aetate; pro certo creditur, necato filio, vacuam domum ſceleſtis nuptiis feciſſe.*

Proximis idibus] Quo die vſuram creditae pecuniae feneratori ſoluere neceſſe erat. hunc morem declarat Cicero Phil. II. c. 37. *Tu autem,* inquit, *quadringenties ſeſtertium, quod idibus Martiis debuiſti, quonam modo ante Kalendas Aprilis debere deſiiſti?* et Horatius epod. 2. v. 67.

> *Haec vbi locutus fenerator Alfius,*
> *Iam iam futurus ruſticus,*
> *Omnem relegit idibus pecuniam.*

Idem lib. I. Serm. ſat. 6. v. 72.

> — *Magni*
> *Quo pueri magnis e centurionibus orti,*
> *Laeuo ſuſpenſi loculos tabulamque lacerto,*
> *Ibant octonis referentes idibus aera.*

Stetiſſe in Comitio cum telo] Si Lepido et Tullo coſſ. ſtetit in Comitio cum telo, anno ſuperiore, id eſt, Piſone et Glabrione coſſ. Africam rexit. legitimus igitur ei annus ille erat petendi conſulatus, biennio ante geſta praetura, Lepido et Tullo coſſ. quem tamen non petiit. ſic enim eſt in oratione contra competitores: *Te vero, Catilina, conſulatum ſperare, aut cogitare, non prodigium, atque portentum eſt? a quibus enim petis? a principibus ciuitatis? qui tibi, cum L. Volcatius conſul in conſilio fuiſſet, ne petendi quidem poteſtatem eſſe voluerunt.*

Conſulum] Cottae et Torquati, quos interficere cogitauit primum Kalendis Ian. deinde nonis Febr. vt in oratione pro Sulla c. 24. et apud Salluſtium c. 18.

Non mentem aliquam] Non quia conſilium mutaueris.

Fortunam reipublicae] Quae conſiliis Catilinae et Kalendis Ian. et nonis Febr. obſtitit. vt Salluſtius c. 18. docet.

Vt aiunt] Ii, qui de duobus pugnantibus loquuntur.

Mihi latere] Cum dandi caſu: quod, vt arbitror, apud Ciceronem ſingulare eſt. nec tamen cum accuſandi caſu crebro reperitur. ſemel enim illud inueni in oratione pro Sulla c. 23. *Lex dies fuit propoſita paucos; ferri coepta numquam: poſita eſt in ſenatu; populum Romanum latuit.*

In tempore] Tum, cum tu id agis, aut ſequeris, aut moliris.

Extorta eſt ſica iſta de manibus] Conſiliis noſtris. occurrimus enim, ne, quod cogitabas, patrare poſſes. Paullo ante: *Quot ego tuas petitiones, ita coniectas, vt vitari non poſſe viderentur,*

tur, parua quadam declinatione, et, vt aiunt, corpore effugi?

Excidit caſu aliquo] Dicit, quod ſupra: *Sceleri ac furori tuo non mentem aliquam, aut timorem tuum, ſed fortunam reipublicae obſtitiſſe.*

Quibus abs te initiata ſacris, ac deuota ſit] Quod enim, qui ſacris initiantur, ſe facturos eſſe promittunt, ac vouent, id, quaſi deo teſte promiſerint, ne obſeruent, haud facile adducuntur.

Conſulis in corpore] Quia non modo Ciceronem ipſum, ſed biennio ante occidere Cottam et Torquatum conſules voluerat.

CAPVT VII.

Iniuria] Nullo meo merito: cum tu conſcientia ſcelerum tuorum agnoſcas odium omnium iuſtum, et iam diu tibi debitum.

Senſusque] Oculos.

Nullum iam tot annos (Ern. *aliquot iam annis*) *facinus*] Huiusmodi proſopopoeiis mire variatur, inquit Fabius lib. IX. c. 2. et excitatur oratio. hoc ornamenti genere Cicero redundat. nam et infra c. 11. rempublicam ita loquentem induxit: *M. Tulli, quid agis?* Et pro Coelio c. 14. Appium illum Caecum: *Mulier, quid tibi cum Coelio?* et alibi ſaepe.

Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen, vt potui, tuli] Similiter ad Terentiam lib. XIV. Fam. epiſt. 4. *Cetera, quamquam ferenda non ſunt, feramus.*

CAPVT VIII.

Apud M. Lepidum] *Ad*, non *apud*, legit Seruius in eo verſu: (lib. I. Aen. v. 24.)

Prima quod ad Troiam pro caris geſſerat Argis.

mihi tamen, *apud*, placet: nec aliter in antiquis libris. *M'* autem, id eſt, *Manius*, non *M.* legendum non dubito: vt ſit is, qui cum L. Volcatio Tullo conſul fuerat.

Q. Metellum praetorem] Celerem ſignificat, qui poſt biennium cum Afranio conſulatum geſſit.

Sodalem tuum] Sodalitates Romae erant honeſtae, legibusque conceſſae, vt ſodalitas Lupercorum, in oratione pro Coelio c. 11. Et de haruſp. reſp. c. 21. *Quod affinis, et ſodalis, vir clariſſimus, qui illum reum non laudarat, excluſerat.*

Virum optimum] Ironiam putabit, qui attendet id, quod ſequitur: *Quem tu videlicet et ad cuſtodiendum te diligentiſſimum.* Quod ſi ironia eſt, duo in ſenatu M. Marcelli fuere. alter enim paullo poſt cum laude nominatur.

Vt intelligas] Ex eorum ſilentio, cum te egredi iubeo.

Patiuntur] Iubere me, vt egrediaris.

P. Sextio] Qui hoc anno C. Antonii conſulis quaeſtor erat: vt in oratione pro ipſo c. 3.

M. Marcello] Eius fortaſſe patri, qui cum Ser. Sulpicio poſt annos XI. conſul fuit. nam filium, cum eſſet adoleſcens, virum fortiſſimum appellare Cicero non potuit.

Cum tacent, clamant] Tale illud in Diuin. c. 6. *Etiam ſi tacent, ſatis dicunt.*

Quorum tibi auctoritas eſt videlicet cara] Ironia. Quos, inquit, a te contemni, quis non putet, cum de illorum caede cogites?

CAPVT

CAPVT IX.

Sed eſt tanti (Ern. *mihi tanti*)] Videtur hoc ſenſu dictum: ſed ego, quidquid mihi euenturum eſt, non recuſo. In eundem orat. II. c. 7. *Eſt mihi tanti, Quirites, huius inuidiae falſae atque iniquae tempeſtatem ſubire, dummodo a verbis huius horribilis belli ac nefarii periculum depellatur.* Et lib. IV. in Verr. c. 12. *Hic tibi in mentem non venit, iubere, vt haec quoque referret, H-S VI millibus ↄ ſe tibi vendidiſſe? metuiſti, ne aes alienum tibi creſceret, ſi H-S VI millibus ↄ tibi conſtarent ea, quae tu facile poſſes vendere H-S CC millibus? Fuit tanti, mihi crede. haberes, quod defenderes.*

Tibi praeſtolarentur] Cum accuſandi, et dandi caſu hoc verbum vſurpatur. lib. II. ad Attic. epiſt. 15. *In Formiano tibi praeſtoler vsque ad III. non. Maii.*

Ad forum Aurelium] In Aurelia via, quae per Etruriam fert. orat. II. c. 4. et Phil. XII. c. 9.

Praeſtolarentur] Vt Aurelia via ſimul ad C. Mallium Feſulas iretis.

Aquilam] Signum legionis: de qua Salluſtius c. 59. *Ipſe cum libertis et colonis propter aquilam adſiſtit, quam bello Cimbrico C. Marius in exercitu habuiſſe dicebatur.*

Argenteam] Non modo aquilam, ſed cetera quoque ſigna militaria ex argento fuiſſe, auctor eſt Plinius lib. XXXIII. c. 3.

Conſtitutum fuit] Adſeruari ſolitam dicit in ſacrario Catilinae: quod ſacrarium ſcelerum, non ſacrorum, fuit: vt ſtatim ſubiungitur.

CAPVT X.

Haec res] Bellum contra patriam.

Ex perditis, atque ab omni non modo fortuna, verum etiam ſpe derelictis] Quod Salluſtius c. 21. dixit, *quibus mala omnia abunde erant, ſed neque res, neque ſpes bona vlla.*

Qui feruntur] Qui tamquam ad gloriam tuam narrantur. ideo dixit orat. II. c. 5. *Stuprorum et ſcelerum exercitatione aſſuefactus, frigore, et fame, et ſiti, ac vigiliis perferendis, fortis ab iſtis praedicabatur.* Eodem ſenſu pro Archia c. 9. *Noſtra ſemper feretur, et praedicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depreſſa hoſtium claſſis, et incredibilis apud Tenedum pugna illa naualis.*

Habes, vbi oſtentes] In exercitu improborum contra rempublicam conflato.

Illam praeclaram tuam patientiam] Mire exprimit cum irriſione, quod in Catilina praedicabatur, ſummam patientiam famis, frigoris, inopiae rerum omnium. irriſio autem apparet in quattuor ſimiliter deſinentibus caſibus, *illam praeclaram tuam patientiam.* quale illud pro Murena c. 9. *Operarum harum quotidianarum putat eſſe conſulatum.* Dixit idem de Catilina in ea pro Coelio c. 6. *Quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior?*

Famis, frigoris, inopiae rerum omnium] Idem orat. II. c. 5. *Stuprorum et ſcelerum exercitatione aſſuefactus, frigore, et fame, et ſiti, ac vigiliis perferendis, fortis ab iſtis praedicabatur.* Orat. III. c. 7. *Frigus, ſitim, famem*

famem ferre poterat. Et Salluſtius c. 5. *Corpus patiens inediae, vigiliae, algoris, ſupra quam cuiquam credibile eſt.*

Quibus] Fame, frigore, inopia rerum omnium.

Cum te a conſulatu repuli] Cum ego, te repulſo, conſul deſignatus ſum: aut: cum, te conſulatum petente, ego conſul effeci, vt repulſam ferres, qui tuos nefarios ſenſus, improbamque mentem iam antea cognitam penitus haberem. Ter, vt in argumento diximus, conſulatum Catilina petiit, primum Cotta et Torquato coſſ. deinde Caeſare et Figulo: poſtremo Cicerone et Antonio.

Latrocinium potius; *quam bellum*] *Latrocinium*, priuato duce Catilina: *bellum*, quod ab eo conſule excitatum eſſet.

CAPVT XI.

Perſaepe etiam priuati] Vt P. Scipio pontifex max. qui Ti. Gracchum occidit. aliorum exempla, quod quidem ego ſciam, non exſtant. nam Q. Seruilius Ahala, qui Sp. Melium, ſtudentem nouis rebus, interemit, non videtur priuatus fuiſſe, cum eſſet magiſter equitum. Aut igitur oratorie, *perſaepe*, Cicero dixit: aut priſca quoque tempora complectitur, nondum lata Porcia lege, quae vetuſtior Sempronia fuit.

Leges] Porcia, et Sempronia C. Gracchi. nam etſi dicit interdum Cicero: *O lex Porcia, legesque Semproniae:* (lib. V. in Verr. c. 63.) vna tamen Sempronia et in hac ipſa oratione, (orat. IV. c. 5.) et in ea pro Rabirio c. 4. quam tulit C. Gracchus, nominatur. Salluſtius c. 51. praeter Porciam, alias leges agnoſcit.

Seueritatis ac fortitudinis] Interfecto Catilina.

Inertiae ac nequitiae] Emiſſo.

CAPVT XIII.

Diu iam (Ern. *iam diu*)] A conſulatu Lepidi, et Tulli.

Conſuli] Sibi duos equites Romanos inſidiatos eſſe, iam dixit.

Circumſtare] Vt deterreant praetorem vrbanum, ius dicentem inter ciues de creditis pecuniis: nam in ſociis Catilinae ex aere alieno multi laborabant.

Hisce omnibus (Ern. *ominibus*)] Pro, cum hisce omnibus improbis. ſic locutus Phil. XIV. c. 10. *His viginti cohortibus, nullo equitatu, Hirtius ipſe aquilam quartae legionis cum inferret.* Et Coelius ad Ciceronem lib. VIII. Fam. epiſt. 15. *Eo nunc cohortibus mihi per niues eundum eſt.* pro, *cum cohortibus.*

Tu, Iuppiter] Cuius in templo ſenatus habebatur. ſupra c. 5.

Vere] Quia tuo nomine, tuaque ope Romani, Sabinis infeſtantibus, conſtitere. quo ſeruata haec vrbs, imperiumque conſtitutum.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM II.
IN
L. SERGIVM CATILINAM

EXPLANATIO

CAPVT I.

V*obis, atque huic vrbi ferrum, flammamque minitantem*] Vobis ferrum, vrbi flammam. infra: *Quod incolumes ciues, quod ſtantem vrbem reliquit.*

Quod ei ferrum de manibus extorſimus] Orat. I. c. 6. *Quoties iam tibi extorta eſt ſica iſta de manibus?*

CAPVT II.

Quales eſſe omnes oportebat] Oportebat omnes comprehendendum potius Catilinam, cenſere, quam emittendum: ſed quam multos fuiſſe putatis, qui, quae ego deferrem, non crederent? quam multos, qui etiam defenderent?

Proſequi (Ern. *perſequi*)] *Perſequi*, videtur eſſe rectius: vt ſit, poſt Catilinam morte multatum, ſocios eius puniendi gratia perquirere, et perſequi. mitior autem in, *proſequi*, ſignificatio eſt. proſequitur enim, qui abeuntem comitatur.

Quam vehementer] Accipe a contrario ſenſu pro, quam non vehementer.

In praetexta] Cum puer adhuc eſſet, libidinis cauſſa.

In popinam (Ern. *popina*)] Accuſandi caſu dixit propter verbum, *contractum*, in quo motus eſt.

CAPVT III.

Gallicanis legionibus] Ordinariis: ad quas delectus accedebat, habitus a Metello Celere praetore in agro Piceno, et Gallico.

Edictum praetoris] Ex quo praetor vrbanus contra creditores ius dicit.

Fulgent purpura] Delicatos, et laſciuos adoleſcentes deſignat. Purpura

Purpura autem lati claui, quae ſenatorum tunica erat: vt anguſtus clauus equitum.

Video, cui Apulia ſit attributa] Apuliam C. Iulio, Etruriam C. Mallio, agrum Picenum Septimo cuidam Camerti attributum ſcribit Salluſtius c. 27. agro Gallico quis praepoſitus a Catilina ſit, non ſignificat: motum tamen ait fuiſſe in Gallia citeriore, atque vlteriore, inconſulte, ac veluti per dementiam cuncta ſimul agentibus iis, quos ante Catilina dimiſerat.

Qui ſibi has vrbanas inſidias caedis, atque incendiorum depopoſcerit] *Caedis*, Cethegus, et alii: *incendiorum*, Gabinius et Statilius: auctore Salluſtio c. 43.

CAPVT IV.

Aurelia via] Per Etruriam ducente. Orat. I. c. 9. *Qui tibi ad forum Aurelium praeſtolarentur armati.* Phil. XII. c. 9. *Tres viae: a ſupero mari, Flaminia: ab infero, Aurelia, media, Caſſia.*

Circumſcriptor] Circumſcribit is, qui aliquem incautum decipit, vt ab eo aliquid auertat. proprieque *circumſcribi* dicuntur pupilli, et adoleſcentes: quibus inſidias, et fraudes noſſe, et cauere per aetatem non licet. Iuuenalis de pupillo ſat. XV. v. 135.

— *Pupillum ad iura vocantem*
Circumſcriptorem. —

de adoleſcentibus Cicero Phil. XIV. c. 3. *Aut eiiciunt vicinos, aut adoleſcentulos circumſcribunt.* Et lib. III. de Offic. c. 15. *Circumſcriptio adoleſcentium lege Laetoria.*

CAPVT V.

Diuerſa ſtudia in diſſimili ratione] Quid enim tam diſſimile, quam gladiator, et hiſtrio? illum caedes, hunc ſcenica leuitas, et nequitia delectat. Eleganter in primis, et ornate Cicero hoc expreſſit in ea pro Coelio c. 5. *Neque ego*, inquit, *vmquam fuiſſe tale monſtrum in terris vllum puto, tam ex contrariis diuerſisque inter ſe pugnantibus naturae ſtudiis, cupiditatibusque conflatum.*

Stuprorum, et ſcelerum exercitatione aſſuefactus] Eadem ſtupra, eademque ſcelera orat. I. c. 10. attigit his verbis: *Ad huius vitae ſtudium meditati ſunt illi, qui feruntur, labores tui: iacere humi non modo ad obſidendum ſtuprum, verum etiam ad facinus obeundum.* Statimque ſubiicit, vt interdum copia delectatur: *Vigilare non ſolum ad inſidiandum ſomno maritorum, verum etiam bonis otioſorum.*

Frigore, et fame, et ſiti] Orat. I. c. 10. *Habes, vbi oſtentes illam praeclaram tuam patientiam famis, frigoris, inopiae rerum omnium.*

Induſtriae ſubſidia] Quibus rebus adiuuari ſolet induſtria, frigore, fama, ſiti, vigiliis perferendis.

Inſtrumenta virtutis] Quibus ad bene agendum, tamquam inſtrumentis, vtitur virtus.

In libidine, audaciaque] *Libidine*, in ſtupris: *audacia*, in ſceleribus.

Fides] Cum iis nemo iam pecuniam credat. Caeſar lib. III. de bell. ciu. c. 1. *Cum fides tota Italia eſſet anguſtior.*

Comeſſationes] Ientacula matutina, ante prandium; comeſſationes veſpertinae, poſt cenam erant: vt exemplis intelligitur.

Qui mihi] *Mihi*, quod ad ſententiam attinet, abundat: ſed ornatum quendam, et vim habet, a contemnente pronunciatum.

Eructant] Apte: cum dixerit, *vino languidi, confecti cibo.*

Caedem bonorum, atque vrbis incendia] Quod orationis initio de Catilina dixit, *vobis, atque huic vrbi ferrum flammamque minitantem.*

Vnius virtute] Cn. Pompeium ſignificat, multis antea bellis, nunc etiam Mithridatico victorem.

Reſecanda] Vt in morbis medicinam chirurgiae requirentibus: in qua translatione ſubiunxit *manare*, vt ad Caſſium lib. XII. Fam. epiſt. 1. *Manabat illud malum vrbanum.* Phil. I. c. 2. duobus verbis vſus eſt: *Cum ſerperet in vrbe infinitum malum, idque manaret in dies latius.*

CAPVT VI.

Aquilam illam argenteam] Vide orat. I. c. 9.

Iſte centurio] Mallium Feſulanum ſignificat, qui belli faciundi poſtea dux fuit, vt ait Salluſtius c. 27.

Maſſiliam, vt aiunt] Qua de re ſic apud Salluſtium c. 34. *At Catilina ex itinere plerisque conſularibus, praeterea optimo cuique litteras mittit: ſe, falſis criminibus circumuentum, quoniam factioni inimicorum reſiſtere, nequiuerit, fortunae cedere, Maſſiliam in exſilium proficiſci.* Ibant autem Romani exſules Maſſiliam in exſilium. quod exemplo Milonis, qui Clodium occidit, perſpicuum ſatis eſt.

CAPVT VII.

Eſt mihi tanti] Non recuſo: orat. I. c. 9. *Sed eſt tanti; dummodo iſta priuata ſit calamitas, et a reipublicae periculis ſeiungatur.*

Hoc quod agit] Vt patriam oppugnet.

Quam queramur] Non enim ibit.

CAPVT VIII.

Maiores etiam poſſeſſiones habent] Itaque poſſunt, ſi velint, aere alieno liberari.

Quarum amore adducti diſſolui nullo modo poſſunt] *Diſſolui*, quo ſunt obſtricti, aere alieno. De hoc hominum genere ſic in oratione pro Sulla c. 20. *Illud erat genus hominum horribile, et pertimeſcendum, qui tanto amore ſuas poſſeſſiones amplexi tenebant, vt ab iis membra diuelli citius, ac distrahi poſſe diceres.*

Fidem acquirere (Ern. *acquirere ad fidem*)] Quam amiſerunt; quia non ſoluunt, quibus debent. Supra c. 5. de alio dixit hominum genere: *Res eos iampridem, fides deficere nuper coepit.*

Tabulas nouas] Vt nemini ſoluatur.

Auctionariae] Vt eorum bona proſcribantur, et in auctione vendantur.

Alia ratione vlla] Niſi hac, vt venditione ſuarum poſſeſſionum

ſionum ſatisfaciant creditoribus ſuis.

Certare] Cum tamen vſurae fructus praediorum vincant.

Vota facturi] Domi quieſcentes amore poſſeſſionum ſuarum.

Arma laturi] Ad bellum profecti.

CAPVT IX.

Praeſentis (Ern. *praeſentes*) *auxilium eſſe laturos*] Non dubito, quin, *praeſentes*, rectius ſit: vt ad, *deos*. referatur, non ad, *ſceleris*. nam et orat. III. c. 8. *Ita praeſentes his temporibus opem et auxilium nobis tulerunt, vt eos paene oculis videre poſſemus*.

Fugitiuo alicui, aut gladiatori] Qui arma cum his contra rempublicam tulerint.

Aetate iam effoetum (Ern. *affectum*)] Supra c. 3. *Ego illum exercitum magnopere contemno, collectum ex ſenibus deſperatis*.

Rapinarum veterum] Sullani temporis.

Proſcriptiones et dictaturas] Proſcripſit Sulla dictator, quos in bello aduerſarios habuerat.

CAPVT X.

Varium] Quia non vno tantum vitio, ſed partim inertia, partim male gerendo negotio, partim etiam ſumtibus in vetere aere alieno vacillaut.

Premuntur] Aere alieno.

Vacillant] Non videntur ſtare poſſe. itaque ſubiungitur: *Si ſtare non poſſunt, corruant*.

Inſitiatores] Qui negent ſe debere, quod iure negare non poſſunt. qui mos eorum eſt, qui ſoluendo non ſunt.

Lentos] *Lentos*, et *acres*, oppoſuit. *Lentos* autem *inſitiatores* dixit, quia ſolutionem infitiando differrent, omniaque lente agerent. procraſtinantes.

Non modo ciuitas] Non modo nullo reipublicae, ſed ne priuati quidem hominis damno. *Sentiant*, metaphoram abſoluit, quae coepit in verbo, *vacillant*: et ad eandem illud pertinet, *ſi ſtare non poſſunt, corruant*.

Si viuere honeſte non poſſunt] In vrbe, propter aes alienum, quo numquam emergent.

Perire turpiter] Ciuili bello, cum hoſtibus reipublicae coniuncti.

Cum multis] Catilinae ſociis.

Si ſoli pereant] Domi, procul ab armis.

Bene barbatos] Cum ſubiungat, *hi pueri tam lepidi ac delicati*: non videtur in eos conuenire, *bene barbatos*: et legendum fortaſſe, *paene barbatos*.

Manicatis] Cum probro: quale illud Virgilii lib. IX. Aen. v. 616.

Et tunicae manicas, et habent
redimicula mitrae.

Talaribus] Quod muliebre eſt.

Velis] Tenuiſſimis togis.

Antelucanis] Quae cum hora nona coeptae ſint, vſque eo nocte producantur, vt ad lucem prope accedant ſequentis diei.

CAPVT XI.

Reſpondebunt] Similes erunt. cum ironia.

Suppeditamus] Abundamus.

CAPVT XII.

Gladiatores] Qui ne cum Catilina coniungi poſſent, decreuit ſenatus, vti Capuam, et in cetera municipia distribuerentur pro cuiusque opibus. Salluſtius c. 30.

Pars patriciorum] Qui Catilinae fauent.

Poteſtate tamen in veſtra (Ern. *tamen noſtra*) *continebuntur*] Distributi Capuam, et in cetera municipia.

Q Metellus] Celer, qui praetor erat.

Omnes eius motus conatusque prohibebit] De quo Salluſtius c. 57. *Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno praeſidebat, ex difficultate rerum eadem illa exiſtimans, quae ſupra diximus, Catilinam agitare. Igitur, vbi iter eius ex perfugis cognouit, caſtra propere mouit, ac ſub ipſis radicibus montium conſedit, qua illi deſcenſus erat in Galliam properanti.*

CAPVT XIII.

Vix optandum videtur] Potius enim optandum videtur, vt in tanto, et tam inſidioſo bello improbi multi morte multentur.

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM III.
IN
L. SERGIVM CATILINAM

EXPLANATIO

CAPVT I.

Hodierno die] Patefacta Allobrogum indicio coniuratione, et in cuſtodiam traditis coniurationis principibus. lib. II. ad Attic. epiſt. 1.

Is] De ſe ipſo dicit. Gemina comparatio eſt: vna inter eos dies, quibus conſeruamur, et eos, quibus naſcimur; altera inter Romulum, qui vrbem condidit, et ſe ipſum, qui conditam ſeruauit.

CAPVT II.

Legatos Allobrogum] Publice, priuatimque aere alieno oppreſſos.

A P. Lentulo] Praetore.

Vulturtium] Salluſtius c. 44. Publium appellat, et Crotonienſem, cui poſtea ſenatus praemia dedit ampliſſima: orat. IV. c. 3.

L. Flaccum] Pro quo exſtat oratio.

C. Pontinium (Ern. *Pomtinum*)] Qui poſt aliquot annos de Allobrogibus triumphauit, Ciceroniſque legatus in prouincia fuit.

De (Ern. *ex*) *praefectura Reatina*] Oppida Italiae cuncta, vel municipia, vel coloniae, vel praefecturae erant, legis Iuliae beneficio, quae belli Marſici tempore, ciuitatem Italis cunctis, arma deponentibus, largita eſt, praefecturae autem ſuis legibus vtebantur.

Res erat praetoribus nota ſolis] Si Salluſtio credimus, Allobrogum quoque legatis nota erat. cum enim diu in incerto habuiſſent, quid conſilii caperent; tandem Q. Fabio Sangae, cuius patrocinio plurimum ciuitas eorum vtebatur, rem omnem, vti cognouerant, aperiendam eſſe cenſuerunt. Cicero autem, per Sangam conſilio cognito, Allobrogibus praecepit, vt ſtudium coniurationis vehementer ſimularent;

 ceteros

ceteros adirent; bene pollicerentur; darentque operam, vti eos quam maxime manifeſtos haberent. Haec Salluſtius c. 41.

CAPVT III.

Horum omnium ſcelerum improbiſſimum machinatorem Cimbrum Gabinium] De quo Salluſtius c. 40. *Gabinium arceſſit, quo maior auctoritas ſermoni ineſſet: eo praeſente coniurationem aperit: nominat ſocios.*

Cethegus] C. Cornelius Cethegus ſenator.

In (*in* abeſt ab Ern.) *litteris dandis*] Ad Catilinam.

Praeter conſuetudinem] Quia vigilare ſolitus non eſſet: propterea infra c. 7. *Quem quidem egó cum ex vrbe pellebam, hoc prouidebam animo, Quirites, remoto Catilina, nec mihi eſſe P. Lentuli ſomnum, nec L. Caſſii adipem, nec C. Cethegi furioſam temeritatem pertimeſcendam.*

Reperta non eſſent] Nondum apertis litteris, nec dum confitentibus Gabinio, Statilio, Cethego, Lentulo.

Coegi] In aede Concordiae. infra c. 9. et Salluſtius c. 46.

CAPVT IV.

Vt ſeruorum praeſidio vteretur] In litteris, quarum exemplum Salluſtius c. 44. ponit, hoc erat: *Conſideres, quid tuae rationes poſtulent: auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis.* Et Cicero c. 5. easdem litteras recitans, cum aliqua tamen varietate, inquit: *Cura, vt omnium tibi auxilia adiungas, etiam infimorum.*

A L. Caſſio] Longino, qui Ciceronis competitor fuerat in conſulatu. Pedianus in argumento orat. in toga candida, haec de illo candidato conſulari: *Caſſium, qui iners ac ſtolidus tum magis, quam improbus, videretur, ſed poſt paucos menſes in coniuratione Catilinae eſſe apparuit, ac cruentiſſimarum ſententiarum fuiſſe auctorem.*

Tertium illum Cornelium] Eadem Salluſtius c. 47. omiſſa tamen Virginum abſolutione. *Lentulum*, inquit, *diſſimulantem coarguunt, praeter litteras, ſermonibus, quos habere ſolitus: ex libris Sibyllinis regnum Romae tribus Corneliis portendi. Cinnam atque Sullam antea, ſe tertium, cui fatum foret, vrbis potiri: praeterea, ab incenſo Capitolio illum eſſe vigeſimum annum, quem ſaepe ex prodigiis haruſpices reſpondiſſent bello ciuili cruentum fore.* Quibus verbis conſtat, quod Cicero non explicat, illud, de tribus Corneliis, e Sibyllinis libris ductum eſſe, de Capitolii autem incenſione, ex haruſpicum reſponſis.

Virginum] Veſtalium.

Abſolutionem] De inceſtu. Abſolutae ſunt Veſtales virgines M. Piſone defendente. de quo ſic in Bruto c. 67. *Is, cum ſatis floruiſſet adoleſcens, minor haberi eſt coeptus poſtea. deinde ex Virginum iudicio magnam laudem eſt adeptus.*

Capitolii incenſionem] Quod poſtea Q. Catulus refecit.

Saturnalibus] Quorum dies erat primus XVI. Kal. Ian.

CAPVT V.

Tabellas] Litteras: vt in Piſonem c. 17. *Ne tum quidem, Paulle*

Paulle noſter, tabulas Romam cum laurea mittere audebas? Et paullo poſt: *An amici tui tabellas abdiderint.*

Imago aui tui] P. Lentuli, principis ſenatus, qui contra C. Gracchum pugnauit, et in ea pugna graue vulnus accepit. quam hiſtoriam orat. IV. c. 6. attigit his verbis: *Niſi vero cuipiam L. Caeſar, vir fortiſſimus, et amantiſſimus reipublicae crudelior nudius tertius viſus eſt, cum ſororis ſuae, feminae lectiſſimae, virum, praeſentem, et audientem, vita priuandum eſſe dixit; cuius aui iuſſu conſularem interfectum, filiumque eius impuberem, legatum a patre miſſum, in carcere necatum eſſe dixit.*

Dicendi exercitatio, qua ſemper valuit] Refert eum Cicero in Bruto c. 64. inter oratores, Hortenſii aequales.

Qui ſim, ex eo] Easdem litteras retulit in ſuam hiſtoriam Salluſtius c. 44. non nihil tamen ab his diuerſas.

CAPVT VI.

A principibus] D. Silano, et C. Caeſare: qui poſtridie ſententias dixerunt.

Senatus conſultum] Non de nece coniuratorum, ſed vt in cuſtodiam traderentur. nam de nece ſenatus conſultum in ſententiam Catonis factum eſt nonis Dec. quo die quarta eſt habita oratio.

Cum ſe praetura abdicaſſet] Conſul ante aliquot annos fuerat: poſtea, cum ſenatu motus eſſet a cenſoribus, praeturam petiit, vt ordinem ſenatorium, quem cenſoria notatione amiſerat, iure magiſtratus recuperaret.

Qui omnes praeſentes erant] Ceteri igitur, infra nominati, non aderant, Caſſius, Ceparius, Furius, Chilo, Vmbrenus.

M. Ceparium] Qui paullo ante domo egreſſus, cognito indicio, ex vrbe profugerat: ſed ex fuga retractus, Cn. Terentio ſenatori traditus in cuſtodiam eſt.

Q. Magium (Ern. *Manlium*) *Chilonem*] Salluſtius c. 17. *Q. Annium* vocat: ego *Magium*, vt magis probem, cognomine Chilonis adducor. Sulpicius in epiſt. ad Ciceronem de morte Marcelli, lib. IV. Fam. 12.

Gallos ad Gabinium perductos eſſe] Salluſtius c. 40. non Gallos ad Gabinium, ſed eos in domum D. Bruti perductos, eodemque Gabinium arceſſitum docet, quo maior ſermoni auctoritas ineſſet.

Nouem hominum] De quinque tantum, auctore Salluſtio c. 55. ſumtum ſupplicium eſt, Lentulo, Cethego, Statilio, Gabinio, Cepario: reliqui quattuor deprehenſi non ſunt, Caſſius, Furius, Magius, Vmbrenus. Quod autem nouem hominum poena rempublicam eſſe conſeruatam ait, ſignificat id, quod ſenatus de iis cenſuerat, quamquam in poteſtate non eſſent.

Quod mihi primum poſt hanc vrbem conditam togato contigit] Orat. IV. c. 3. *Meo nomine ſupplicationem decreuiſtis: qui honos togato habitus ante me eſt nemini.* Ea vero ſupplicatio ex L. Cottae ſententia decreta eſt. nam Phil. II. c. 6. *L. Cotta, inquit, vir ſummo ingenio, ſummaque prudentia, rebus iis geſtis, quas tu reprehendis, ſupplicationem decreuit verbis ampliſſimis: eique illi ipſi, quos modo nominaui, conſulares,*

ſulares, ſenatusque cunctus aſſenſus eſt: qui honos, poſt conditam hanc vrbem, habitus eſt togato ante me nemini.

CAPVT VII.

C. Cethegi furioſam temeritatem] Orat. IV. c. 6. *Verſatur mihi ante oculos adſpectus Cethegi, et furor in veſtra caede bacchantis.* Et pro Sulla c. 19. *Cum Catilina egrederetur ad exercitum; Lentulus in vrbe relinqueretur; Caſſius incendiis, Cethegus caedi praeponeretur.* De hoc Salluſtius c. 43. *Natura ferox, vehemens, manu promtus, maximum bonum in celeritate putabat.*

CAPVT VIII.

Opem et auxilium nobis tulerunt] Coniurationem ſignis non obſcuris praedicentes. De haruſp. reſp. c. 9.

In Capitolio] Haec prodigia Dio quoque narrat lib. XXXVII.

Legum aera liquefacta] Aereis enim tabulis inciſae leges in Capitolio ſeruabantur.

Prope] Correctio quaedam. fata enim mutari, flectiue non poſſunt.

Ludi] In honorem deorum.

CAPVT IX.

Coniurati] Lentulus, Cethegus, Statilius, Gabinius. nam ceteri quinque aberant. quamquam Ceparius paullo poſt ex fuga retractus eſt: vt ait Salluſtius c. 47.

Eorum indices] Allobrogum legati, et Vulturtius.

A patriciis hominibus] A P. Cornelio Lentulo praetore, Catilina, et aliis, qui patricii generis erant. non enim dubitabant, quin Catilina, quamquam, cum ſollicitati ſunt, abeſſet, vrbe iam egreſſus, cum Lentulo, Gabinio, et aliis, qui in vrbe erant, conſentiret.

CAPVT X.

Collegam ſuum] Cinnam.

Omnis hic locus] Vrbs vniverſa.

Lumina ciuitatis exſtincta ſunt] Q. Catulus, M. Antonius, C. et L. Iulii fratres, Q. Scaeuola pontifex max.

M. Lepidus] Conſul, Sullae factionis aduerſarius: cui, poſt obitum Sullae de reſcindendis eius actis legem promulganti, Catulus collega obſtitit.

Ipſius interitus] Pugnauit cum Catulo in campo Martio, magnaque ſuorum caede victus eſt: et cum in Sardiniam nauigaſſet, morbo periit. Appianus lib. I. de bell. ciu.

Ceterorum] Qui cum eo caeſi ſunt.

CAPVT XI.

Duos ciues] Cn. Pompeium, et ſe ipſum ſignificat.

Non terrae, ſed caeli] Cum dicit, *caeli*, mare ſignificat. orat. II. c. 5. *Omnia ſunt externa vnius virtute terra marique pacata.*

CAPVT XII.

In honore veſtro] Cum dederitis conſulatum, qui ſummus magiſtratus eſt.

In gloria virtutis] Parta meis rebus geſtis, republica domeſticis inſidiis meo labore, conſilio,

lio, periculo liberata. Coniungit honorem, ſibi a populo datum, cum virtutis gloria, a ſe quaeſita. ſimiliter ad Appium lib. III. Fam. epiſt. 7. *Ita et accepi, et geſſi maxima imperia, vt mihi nihil neque ad honorem, neque ad gloriam acquirendum putarem.*

Vt ea virtute, non caſu, geſta eſſe videantur] Ad Metellum lib. V. Fam. epiſt. 2. *Huius ego temeritati ſi virtute, atque animo non reſtitiſſem: quis eſſet, qui me in conſulatu non caſu potius exiſtimaret, quam conſilio, fortem fuiſſe?*

Illum Iouem] Cum hoc diceret, Iouis templum Statoris indicabat, in cliuo Capitolino poſitum: quo in templo prima in Catilinam oratio habita eſt. nam ante hanc iterum ſenatum habuit in aede Concordiae, comprehenſis Allobrogum indicio coniuratis: vt et ipſe in hac oratione c. 9. et Salluſtius c. 46. auctor eſt.

Cuſtodem huius vrbis, ac veſtrum] Qui hanc vrbem a flamma, vos a caede ſuo numine, atque auxilio liberauit. *Cuſtodem* appellat et in prima oratione c. 5. Romuli tempora ſignificans, cum Romanis fugientibus animos reſtituit.

Prouidebo] Hoc verbo daturum ſe operam ſignificat, vt ſenatus conſultum de puniendis coniuratis quamprimum fiat.

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM IV.
IN
L. SERGIVM CATILINAM.

EXPLANATIO

CAPVT I.

Video, P. C.] Bis antea ſenatum habuerat, ſed in templo Iouis Statoris, cum in Catilinam praeſentem eſt inuectus: iterum in aede Concordiae, cum introduxit principes coniurationis, Allobrogum indicio comprehenſos: tertio nunc, ſenatu in eiusdem Iouis templum conuocato, hanc orationem de puniendis coniuratis habet. nam cum infra c. 2. dicat: *Neque enim turpis mors forti viro poteſt accidere, neque immatura conſulari:* et in Phil. II. c. 46. *Si abhinc annis prope viginti hoc ipſo in templo negaui poſſe mortem immaturam eſſe conſulari: quanto verius nunc negabo ſeni?* haec, inquam, dicens perſpicue demonſtrat, quo in templo illa in Antonium oratio habita ſit, eodem hanc in Catilinam quartam habitam eſſe. illam vero in Antonium in templo Iouis Statoris eſſe habitam, ipſo teſte Cicerone cognoſcitur. Hanc autem orationem, dictis a Silano, et Caeſare ſententiis, cum nondum Cato rogatus eſſet, habendam putauit, vt ſenatum ad ſeueritatem hortaretur, veritus ne ſententiam Caeſaris ſequeretur, quae mortis poenam remouebat, ceterorum ſuppliciorum acerbitates amplectebatur.

Si id depulſum ſit] Morte illorum, qui traditi in cuſtodiam ſunt.

Non campus, conſularibus auſpiciis conſecratus] Auſpicatum locum vocat in oratione pro Rabirio perd. reo c. 4.

Non lectus, ad quietem datus] Orat. I. in Catil. c. 4. *Reperti ſunt duo equites Romani, qui te iſta cura liberarent, et ſeſe illa ipſa nocte paullo ante lucem me in meo lectulo interfecturos pollicerentur.*

Sella curulis (abeſt ab Ern.)] Sella curuli, ſedebant aedilis, praetor,

praetor, conſul. Sed cum dixerit, *haec ſedes honoris:* venit in mentem ſuſpicari, ne, *ſella curulis*, additum ſit interpretandi gratia, non a Cicerone ſcriptum.

CAPVT II.

Horumque omnium lacrumis] Non propinquorum, ſed amicorum, qui ſenatores erant. nam propinqui ſunt frater, filius, gener, quos nominat.

Paruulus filius] Bimus. natus enim eſt Cotta et Torquato coſſ. vt ex lib. I. ad Attic. epiſt. 2. intelligitur.

Quem mihi videtur amplecti respublica] Fortaſſe rectius: *Qui mihi videtur amplecti rempublicam*, vt hoc dicatur: ideo amplecti rempublicam videtur, vt per eam ſibi caueatur ab improbis ciuibus ob conſulatum meum ſeueriſſime, id eſt, pro ipſa republica geſtum.

Adſtat in conſpectu meo] Extra curiae valuas, vt opinor. nam cum quaeſtor fuerit Piſone et Gabinio coſſ. vt in orat. poſt red. in ſen. c. 15. non videtur Cicerone conſule ſenator eſſe potuiſſe: cum praeſertim ſenatum aliquot annis ante cenſores legiſſent Lentulus, et Gellius.

Gener] C. Piſo L. F. Frugi, cui Tulliolam biennio ante, id eſt, Cotta et Torquato coſſ. collocauit: vt lib. I. ad Attic. epiſt. 3.

Qui C. Memmium occidit] Conſulatum petentem, virum optimum. Appianus lib. I. de bell. ciu.

CAPVT III.

Nominatim] Lentulus P. Lentulo Spintheri, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Caeſari, Gabinius M. Craſſo, Ceparius Cn. Terentio. Salluſtius c. 47.

De facto] De eo, quod ab iis commiſſum eſſe conſtat, qui in cuſtodiam dati ſunt.

Suſtentando] Morando, vt lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 7. *Aedificationem Areani ad tuum aduentum ſuſtentari placebat.* Et lib. II. de Inuent. c. 49. *Ex lege vtrum ſtatim fieri neceſſe ſit: vtrum habeat aliquam moram et ſuſtentationem.*

CAPVT IV.

Duas] Nondum ſententiam Cato dixerat.

D. Silani] Conſulis deſignati. qui enim priore loco deſignatus erat conſul, is in ſenatu primus omnium ſententiam rogabatur.

Hoc genus poenae ſaepe in improbos ciues in hac republica eſſe vſurpatum recordatur] Orat. I. c. 11. *Perſaepe etiam priuati in hac republica pernicioſos ciues morte multarunt.* Quae ſententia reſpicit, vt arbitror, priſca tempora, cum lex Porcia, quae virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amouit, lata nondum eſſet. nam poſt eam legem ſaepe ciues Romanos morte multatos eſſe non arbitror.

Si imperare velis] Municipiis, vt eos cuſtodiant.

Difficultatem] Nam ſi, vt eos cuſtodiant, rogemus; non facile impetrabimus.

Decernatur tamen] Quod Caeſar ſentit.

Susci-

Suſcipiam] In me recipiam.

Voluerunt] Quod Cicero credere non videtur: idque non hic modo, ſed etiam in Cluentiana c. 61. et in Tuſc. I. c. 5. 6. ſignificat. Horatius quoque lib. I. Carm. ode 4. v. 16. et Plato in Phaedone, et lib. I. de Rep. fabulam appellat. Homerus tamen vera illa ſupplicia putat, ſicuti ſunt.

CAPVT V.

Poenas reipublicae dependiſſe] Interfectus eſt enim C. Gracchus, vt auctor pernicioſarum legum, ab Opimio conſule.

CAPVT VI.

Ex fatis] Ex libris Sibyllinis, fata praedicentibus.

Purpuratum eſſe] Praetextatum, in magiſtratu.

Et (Ern. *hunc*) *Gabinium*] Etiam Gabinium, quamquam ſenator non ſit. erat enim, vt Salluſtius c. 17. docet, equeſtris ordinis.

In veſtigiis huius vrbis] Non in hac vrbe, quam illi incendio tollere, ac delere cogitabant, ſed, vrbe incenſa, in eius veſtigiis. propterea ſequitur, *in cinere deflagrati imperii.*

Sororis ſuae] Matris Antonii, qui triumuir poſtea fuit: nunc P. Lentuli, coniuratorum principis, vxor erat.

Praeſentem] In ſenatu.

Cuius aui (Ern. *cum auum*)] P. Lentuli, principis ſenatus: de quo orat. III. c. 5. *Eſt vero, inquam, ſignum notum, imago aui tui, clariſſimi viri, qui amauit vnice patriam, et ciues ſuos.*

Conſularem (Ern. *iuſſu conſulis*)] M. Fuluium Flaccum.

Interfectam] Opimii conſulis iuſſu.

Filiumque eius] Minorem filium, qui nihil peccauerat: in quo Opimius, vt nimium crudelis, accuſatus eſt.

CAPVT VII.

Ad ea tranſigenda] Ad ſupplicium de coniuratis ſumendum.

Templi] Iouis Statoris.

Cum ſibi viderent eſſe pereundum] Aere alieno. hi ſunt, quos orat. II. c. 10. in quartum genus improborum ciuium retulit. quo loco haec dixit: *Non intelligo, quamobrem, ſi viuere honeſte non poſſunt, perire turpiter velint: aut cur minore dolore perituros ſe cum multis, quam ſi ſoli pereant, arbitrentur.*

Cum omnibus] Si de ſociis Catilinae loqueretur, *cum multis*, diceret, non, *cum omnibus:* vt orat. II. c. 10. communem igitur perniciem ſignificat: quam illi maluerunt, quam ſoli perire.

Ex multorum annorum diſſenſione] Propter iudicia: quae cum C. Gracchus ademta ſenatoribus ad equeſtrem ordinem transtuliſſet, poſtea Sulla victor ab equitibus ad ſenatum reuocauit. nunc etſi vterque ordo Aurelia lege iudicabat; adhuc tamen inter eos diſſenſiones erant.

In conſulatu confirmatam meo] Id ſignificat lib. I. ad Attic. epiſt. 17. his verbis: *Tueor, vt poſſum, illam a me conglutinatam concordiam.* Et ad eundem lib. II. epiſt. 1. *Nunc vero, cum equitatus*

tatus ille, quem ego in cliuo Capitolino, te ſignifero ac principe, collocaram, ſenatum deſeruerit.

Perpetuam] Perpetua non fuit ea coniunctio, duabus de cauſſis, primum, quia, publicanis a ſenatu petentibus, vt induceretur locatio, qua redemerant Aſiae vectigalia, in qua fatebantur, ſe, cupiditate prolapſos, nimium magno conduxiſſe, ſenatus non conceſſit. qua de re ſic lib. I. ad Attic. epiſt. 18. *Cato, qui miſeros publicanos, quos habuit amantiſſimos ſui, tertium iam menſem vexat, neque iis a ſenatu reſponſum dari patitur.* Et lib. II. ad eundem epiſt. 1. *Quid impudentius publicanis renunciantibus? fuit tamen, retinendi ordinis cauſſa, facienda iactura. Reſtitit, et peruicit Cato.* Altera cauſſa eſt de accuſandis iis, qui ob rem iudicandam pecuniam accepiſſent. quod perſpicue ad equeſtrem ordinem pertinebat, id eſt, ad illa tempora, quibus cum ſoli equites iudicarent, acceptae pecuniae infamia laborarunt. de quo in eadem epiſt. *Quid verius, quam in iudicium venire, qui ob rem iudicandam pecuniam acceperint? cenſuit hoc Cato: aſſenſit ſenatus. Equites curiae bellum, non mihi. nam ego diſſenſi.*

Hic (Ern. *haec*) *dies*] Nonae Dec.

Ab exſpectatione ſortis] Quae ſortitio futura eſſet, hiſtoria non oſtendit. fortaſſe, qui ſcribae operam aerario dare deberent anno ſequenti, ſorti permittebatur.

Haec templa] Quae circa forum erant.

CAPVT VIII.

Libertinorum] Qui non erant ingenui.

Virtute ſua] Sua probitate, ſuisque meritis erga eos, quibus antea ſeruiebant.

Fortunam ciuitatis] Vt a dominis manumiſſi ciues Romani eſſent.

Vere] Cum vere non ſit. nati enim ſerui ſunt, nec in vrbe omnes, aut etiam in Italia.

Summo nati loco] Vt Lentulus, vt Catilina, patricii generis vterque.

CAPVT IX.

Hodierno die primum] Nam cum Sp. Melio, quem occidit Seruilius Ahala, et cum Gracchis, quorum alterum P. Scipio pontifex max. alterum L. Opimius conſul, et cum Saturnino, et Glaucia, quos C. Marius conſul, multi fuerunt.

CAPVT X.

Sit Scipio clarus ille] Ita quattuor laudat imperatores, vt varietate lectorem delectet: primum, *ſit clarus:* alterum, *ornetur eximia laude:* tertium, *habeatur vir egregius:* quartum, *ſit in aeterna gloria.* Quae tamquam communis laudatio eſt. ſic enim, non modo quicumque res bello praeclaras geſſerit, verum etiam, quicumque aliqua virtute praeſtet, laudari poteſt. at Pompeii propria quaedam laus et ſingularis eſt: *Cuius res geſtae, atque virtutes iisdem, quibus ſolis curſus, regionibus ac terminis continentur.* et orat. III. c. 11. de eodem: *Fines veſtri imperii*

imperii non terrae, ſed caeli regionibus terminaret.

Conſilio] Quia putauit in Africam transeundum, vt Hannibal Italiam relinquere cogeretur.

Virtute] Sine qua conſilium inutile fuiſſet.

Qui bis Italiam obſidione, et metu ſeruitutis liberauit] *Bis*, dicit, propter Ambrones, et Teutonas in Gallia, Cimbros in Italia deuictos.

CAPVT XI.

Pro exercitu] Quem habuiſſet in prouincia.

Pro prouincia, quam neglexi] Ea Gallia fuit: vt in oratione in Piſonem c. 2. de qua ad Catonem lib. XV. Fam. epiſt. 4. *Et prouinciam ornatam, et ſpem non dubiam triumphi neglexi.*

Vt inſtituiſtis] Nam ſuperiore ſenatu, quem habuit in aede Concordiae, indiciis contra coniuratos expoſitis, confeſſisque coniuratis, cum ſenatum conſuluiſſet, de ſumma reipublicae quid fieri placeret; dictaeque eſſent a principibus acerrimae ac fortiſſimae ſententiae; ſenatus eas ſine vlla varietate eſt conſecutus: vt orat. III. c. 6.

Per ſe ipſum praeſtare] Efficere, ne quis eas ciuis improbus infirmare poſſit. *Per ſe ipſum*, dicit, quod aliorum opem exſpectaturus in ea defenſione non ſit.

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

ORATIONEM

PRO

L. LICINIO MVRENA

ARGVMENTVM

Comitiis conſularibus, quae conſul Cicero habuit, D. Iunius Silanus, et L. Licinius Murena conſules deſignati ſunt. poſt comitia Murenam de ambitu competitor eius accuſauit clari nominis iuriſconſultus Ser. Sulpicius cum tribus ſubſcriptoribus, M. Catone, probitate, ſenſuque erga rempublicam inſigni viro, Cn. Poſtumio, Ser. Sulpicio adoleſcente. Defendit eum Cicero, defenſum iam a Q. Hortenſio, et M. Craſſo. Iucunda in primis oratio eſt. nam et iuriſconſulti propter Sulpicium exagitantur: et Stoica diſciplina, cui deditus erat Cato, facete lepideque deluditur: adeo vt Cato, dignam conſule grauitatem ei detrahens, dixerit id, quod in Plutarcho legimus: Dii boni, quam ridiculum conſulem habemus.

EXPLANATIO

Pro L. Murena] Sic lapides Capitolini: *Muraena*, tamen ratio poſtulat, cum a piſce deducatur: cuius nomen Graeci ſcribunt Μύραινα.

CAPVT I.

Auſpicato] Non enim ſine auſpiciis comitia in campo habebantur: ideo campus ipſe et in oratione pro Rabirio c. 4. *locus auſpicatus*, et orat. IV. in Catil. c. 1. *conſularibus auſpiciis conſecratus* appellatur.

Renunciaui] Cur non eius collega Antonius? quia conſul priore loco creatus, comitia habebat conſularia.

Me rogante] Non, precante, ſed interrogante: vt cum diceret: *Rogo vos, Quirites, velitisne L. Licinium Murenam conſulem fieri.* quod ſi populus probabat.

babat, ſuffragiorum tabellas ferebat ita inſcriptas, V. R. id eſt, vti rogas.

CAPVT II.

Ad certam rationis normam dirigenti] E Stoica diſciplina.

Quae mancipi ſunt] Quae mancipio alienatae ſunt.

Is periculum iudicii praeſtare debet] Efficere, vt alienatio illa, et venditio rata ſit: ne quid is, qui emit, damni patiatur.

Qui ſe nexu obligauit] Qui pro rebus mancipio alienatis ita promiſit, vt corpus etiam obligaret. Varro lib. III. de L. L. et ad Curium lib. VII. Fam. epiſt. 30. *Cuius cum proprium te eſſe ſcribis mancipio et nexu, meum autem vſu et fructu, contentus iſto ſum. Nexus* autem dicebatur, quod per aes, et libram gereretur.

Ex magna iactatione] Poſt magna pericula.

Terram videntem] Ad finem conſulatus, tamquam ad portum, accedentem.

Duos conſules] Silanum, et Murenam. vnus enim eſſet, Murena condemnato. Decembri menſe, et poſt nonas habita videtur oratio, coniuratis interfectis: cum dixerit ſupra, *qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediantur.*

CAPVT III.

Legem de ambitu tuli] In qua erat, vt condemnatis decem annorum exſilium, praeter veteres poenas irrogaretur.

Non abrogarem] *Ferre* et *abrogare legem*, contraria: ex contrariis autem ſententia leporem aſſumit. Putas, inquit, me tuliſſe ciuibus omnibus legem de ambitu, quam vero mihimet ipſi de ciuibus defendendis iampridem tulerim, eam abrogaſſe? Argute, *ſibi ipſi legem ferre de ciuibus defendendis*, pro, ſtatuere ſibi ciues eſſe defendendos.

Ab republica mihi impoſitam] Pro ſalute ſua.

Huius imperii] Conſularis.

Etiam alieniſſimos] Nedum Murenam, quicum et vetus, et magna mihi amicitia eſt.

CAPVT IV.

Non idcirco obruetur] Non idcirco fructum amico nullum feret.

Ab eodem] A Sulpicio.

Superata eſt] Quia Sulpicio potius, quam Murenae, in petitione conſulatus adiutor fui. in quo amicitia, quae mihi cum Murena eſt, ab ea, quae cum Sulpicio, ſuperata eſt. ſupra c. 3. *Sic exiſtimo, ſic mihi perſuadeo, me tibi contra honorem L. Murenae, quantum tu a me poſtulare auſus ſis, tantum debuiſſe: contra ſalutem, nihil debere.*

Quae ſi cauſſa non eſſet] Amicitia cum Murena.

Tanti periculi] In qua ſummus eius honos agitur. nam damnatus conſulatum amitteret.

Te aduocato] Hic, *aduocatus*, non eſt is, qui ad iudicium venit, vt ſuam praeſentiam commodet reo, quemadmodum ait Aſconius; verum is, qui de iure conſulenti reſponſum dedit, et cuius conſilio litigatur. quo item ſenſu ſcripſit ad Trebatium lib. VII. Fam. epiſt. 14. *Quod ſi ſcribera*

bere oblitus es; minus multi iam, te aduocato, cauſſa cadent.

Illum ipſum, quem contra veneris]. Aduerſarium amici tui, contra quem alio tempore, in alio iudicio, veneris. Argumentum eſt: Si tu ne inimicis quidem tuis deeſſe vis: cur ego deſim amicis meis? quamquam ego in arte mea parum, tu in tua vales plurimum: vt, ſi ego tecum conferar, riuuli cum fontibus conferri videantur.

Quem contra veneris] Cuius cauſſam oppugnaueris. modus loquendi, vt pro Q. Roſcio c. 6. *Quid tu. Saturi, qui contra hunc venis, exiſtimas aliter?* Lib. II. in Verr. c. 43. *Quid, ſi omnium mortalium Sthenio nemo inimicior, quam hic C. Claudius, tum ſemper, tum in his ipſis rebus et temporibus fuit? Si de litteris corruptis contra venit?* Phil. II. c. 2. *Contra rem ſuam me, neſcio quando, veniſſe, queſtus eſt.* Phil. VIII. c. 6. *Cum ſuo magno eſſet beneficio, veniſſe eum contra ſe.*

Cauſſa cadere] Litem perdere contra reſponſum, conſiliumque tuum.

Q. Hortenſio, M. Craſſo] Qui Murenae cauſſam ante defenderant. nam perorandi locus, in quo plurimum valet oratio, Ciceroni dabatur. quod ipſe ſcripſit in Bruto c. 51.

Iſto in loco] In hac dignitate conſulari.

Officio, fidei, religioni] Eſt enim officii, fideique meae, quem conſul renunciauerim, eundem defendere: eſt etiam religionis, cum eum auſpicato renunciauerim.

CAPVT V.

Donis militaribus] Ob virtutem a patre acceptis.

Patre imperatore] Murenae pater, Sullae legatus, de Mithridate triumphauit.

CAPVT VI.

Tempeſtiui conuiuii] Vide, quae diximus lib. III. in Verr. c. 25. ad illud: *Statuitur Lollius in illo tempeſtiuo gladiatorum conuiuio.*

CAPVT VII.

Hominibus litteratis, et hiſtoricis] Iis, qui vetera legunt. nam a patre, et auo nobilis non es.

Pater enim fuit equeſtri loco] Animaduerte patricii generis equitem Romanum eſſe. nam Sulpicia gens patricia. equeſtri autem loco is eſt, qui ab equeſtri ordine in ſenatorium non transiit.

Auus nulla illuſtri laude celebratus] Hic videtur ſenator quidem fuiſſe, ſed honores eos, quibus nobilitas comparatur, adeptus non eſſe.

Q. Pompeio] Qui cum L. Sulla conſul fuit. de hoc lib. V. in Verr. c. 70. *Q. Pompeius, humili atque obſcuro loco natus, nonne plurimis inimicitiis, maximisque ſuis periculis, ac laboribus ampliſſimos honores eſt adeptus?*

Memoriam prope intermortuam] Hoc Aſconii verbis in orat. pro Scauro explanatur: *Scaurus, inquit, ita fuit patricius, vt tribus ſupra eum aetatibus iacuerit domus eius fortuna. nam neque pater, neque auus,*

 neque

neque etiam proauus, vt puto, propter tenues opes, et nullam vitae induſtriam, honores adepti ſunt. itaque Scauro aeque ac nouo homini laborandum fuit.

CAPVT VIII.

Curiis, Catonibus] M' Curio Dentato, M. Porcio Catone, nouis hominibus.

Pompeiis] Mendoſum ſuſpicor. non enim Q. Pompeius, vt nouus homo proxime nominatus, qui conſul fuit adoleſcentulo Cicerone, inter antiquos referri poteſt, cum praeſertim recentes appellentur C. Marius, T. Didius, C. Coelius, qui omnes ante illum conſules fuere: ita vt omnium recentiſſimus ipſe dici poſſit. *Appiis* fortaſſe legi poſſet, vt ſignificetur Appius ille Claudius, qui ex Sabinorum vrbe Regillo Romam profectus in patricios adſcriptus eſt. Sed huic opinioni aduerſatur illa ratio, quod ante Curium, et Catonem vtroque vetuſtior nominandus fuit. veteres igitur libri conſulendi.

Coeliis] C. Coelius Caldus eſt, de quo lib. V. in Verr. c. 70. et Q. Cicero de petitione conſulatus c. 3.

Altero modeſtiſſimo atque optimo viro] Duo patricii P. Sulpicius Galba, L. Sergius Catilina conſulatum cum Cicerone petierunt. Galbam Aſconius in argumento orat. contra competitores ſobrium ſanctumque virum appellat.

Propterea quod renunciatio gradus habeat] Neceſſe enim eſt, vnum primo loco ſolum renunciari, alterum ſecundo, et deinceps inferiore quemque gradu.

Pari momento ſortis] Nullum enim ſors campum dedit, in quo excurrere virtus cognoſcique poſſet.

Lege Titia] Abeſſe mendum numquam credidi: primum quia Murena prouinciam habuit ſorte, non lege; deinde quia ſic prouinciam Murenae nominari oportuit, vt Sulpicii nominatur Oſtienſis. reponendum fortaſſe *Lautia:* quae munera fuerunt, legatis exterarum nationum dari ſolita, et ad quaeſtores ea cura pertinuit. huic ego tamen coniecturae, niſi ſuffragantibus antiquis libris, non aſſentior.

Oſtienſem] De re frumentaria: quam curam ab Oſtienſi quaeſtore L. Saturnino ad M. Scaurum transtulit ſenatus; eaque res ab optimatum partibus alienatum, ad mentem impulit ſeditionis concitandae.

CAPVT IX.

Hic nobiscum] In vrbano otio. excuſare Seruium videtur, cum dicit, *nobiscum:* ſed eſt irriſio quaedam: ſicuti cum ſubiungit, *hanc vrbanam militiam.* quae enim in vrbe militia? aut quis eas res, quas vel peritiſſimus, et diligentiſſimus iurisconſultus in vrbe agit, cum iis conferat, quas fortiſſimus in bello dux contra hoſtes pro republica gerit? ille reſpondet, ſcribit, cauet: hic exercitum ducit: ſigna confert: manum conſerit: hoſtium copias fundit: vrbes capit.

Reſpondendi, ſcribendi, cauendi] Tribus verbis iurisconſultorum conſuetudinem expreſſit. reſpondent enim de iure conſulentibus, cum dicunt: hoc in lege ſcriptum

ſcriptum eſt, hoc ius poſtulat. id reſponſum vel voce tantum, vel ſi rudior, et imperitior eſſet is, qui conſulebat, ſcriptum dabatur. inde natus eſt iocus ille ad Valerium iurisconſultum lib. I. Fam. epiſt. 10. *Qui iſtinc nunc veniunt, partim te ſuperbum eſſe dicunt, quod nihil reſpondeas: partim contumelioſum, quod male reſpondeas.* Et ad Trebatium lib. VII. epiſt. 16. *Qui iſtinc veniunt, ſuperbiam tuam accuſant, quod negent te percunctantibus reſpondere.* *Scribere* autem dicuntur, cum formulas ſcribunt litigantibus. quo ſpectat illud ad Trebatium epiſt. 14. *Quod ſi ſcribere oblitus es; minus multi iam, te aduocato, cauſſa cadent.* *Cauere*, de iisdem proprie vſurpatur. cauent enim, cum aliquem conſilio iuuant, atque inſtruunt, ſiue is litiget, ſiue contrahat. ad Appium lib. III. epiſt. 1. *L. Valerium iurisconſultum valde tibi commendo: ſed ita etiam, ſi non eſt iurisconſultus. Melius enim ei cauere volo, quam ipſe aliis ſolet.* et ad Trebatium lib. VII. epiſt. 6. *Tu, qui ceteris cauere didiciſti, in Britannia ne ab eſſedariis decipiaris, caueto.* et in prooemio Topicorum ad eundem: *Cum tu mihi meisque ſaepe cauiſſes.*

Aſiam iſtam] Cuius nomen Murenae obiicitur.

Refertam] Opibus: vt, in ea nullum auaritiae veſtigium reliquiſſe, laus Murenae magna ſit.

Delicatam] Luxui deditam. quo maiore laude Murena dignus videtur, cuius in ea prouincia ſignum luxuriae nullum appareat.

In bello] Mithridatico.

L. Lucullo] Vel iudice, vel aduocato, ſed aduocato potius: nam iudicem Seruius, vt Murenae amantiſſimum, reieciſſet.

Publicis] A Lucullo publice miſſis.

Quantum neque ambitioſus imperator] Quantum Lucullus, vt ei tribueret, numquam adductus eſſet, ſi vel ambitioſus fuiſſet, vel alienae gloriae inuidiſſet. Laudat Lucullum, qui aderat.

Si mihi per Seruium liceat] Per quem non licet: plus enim ſibi aſſumit honeſtatis, et dignitatis, quam Murenae concedit.

Agitat] Reprehendit: vt Murenae ſimul detrahat.

Aſſiduitatis] Qua ipſe vtitur: aſſiduus enim in foro eſt. Haec aſſiduitas his etiam declaratur ſequentibus verbis, *qui in foro habitarunt.*

Operarum harum quotidianarum] Trium verborum ſimiliter deſinentium ſonitum ad irriſionem quaeſiuit, vt orat. I. in Catil. c. 10. *Illam praeclaram tuam patientiam.*

Putat eſſe conſulatum] Mercedem, et praemium putat, non rebus in bello geſtis, verum aſſiduitati, et operis his quotidianis deberi conſulatum.

Magno meo labore] Defenſionibus amicorum.

Idem fortaſſe] Quia Seruius et ipſe cauſſas, nec ſine laude, agebat: ſed minime cum Cicerone conferendus.

Vtrique noſtrum deſiderium nihil obfuiſſet] Si abfuiſſemus, vt abfuit Murena, nobis non obfuiſſet: id eſt, fortaſſe magis expediiſſet.

Actionem] Formulam de modo litigandi. nam *actio*, et *formula* idem ſunt.

Vt aquae pluuiae arceantur] Ne noceant. nocent enim aut loci vitio, aut manu. Cicero in Topic. c. 9. et L. 1. §. 1. D. de aqua et aquae pluu. arc.

In regendis] Agrorum: ne quis de alieno detrahat. Murena vero fines imperii propagare ſolitus eſt. quanto igitur publica priuatis, tanto ille tibi praeſtat.

CAPVT XI.

Eorum qui res iudicant] Iudicum. Sic enim ſignificabantur: vt exemplis intelligitur.

Largitioni] Quae fit in comitiis ab iis, qui magiſtratum petunt.

Saepe etiam non nobiles] Quo ſe ipſum in numero ponit.

Prope in ſingulis litteris, atque interpunctionibus verborum occupatae] Extenuat res, ex quibus iuriſconſultorum ſcientia efficitur, cum eas dicit non in verbis, ſed in litteris, atque adeo in ſingulis litteris, nec vero in litteris tantum, ſed in ipſis verborum interpunctionibus, quae litterae non ſunt, eſſe poſitas. mos apud veteres quoque fuit interpungendi. inde iuriſconſulti ſuas nonnumquam interpretationes colligebant. quod autem ex minimo fit, ipſum quoque minimum eſſe neceſſe eſt. Iam, *occupatae*, obſcurae diligentiae ſignificationem habet.

Poſſet agi lege] *Agere lege*, eſt, ſuum ius in iudicio a praetore legibus petere. Lib. II. in Verr. c. 16. *Quis vmquam, iſto praetore, Chelidone inuita, lege agere potuit?* Lege agere, non quotidie, ſed faſtis tantum diebus licebat. Faſti autem dies non omnibus olim noti erant, ſed a pontificibus petebantur; poſtea publicati ſunt ab eorum ſcriba Cn. Flauio. lib. VI. ad Attic. epiſt. 1. *Quid ergo profecit, quod protulit faſtos? occultatam putant quodam tempore iſtam tabulam, vt dies agendi peterentur a paucis. nec vero pauci ſunt auctores, Cn. Flauium ſcribam faſtos protuliſſe, actionesque compoſuiſſe.* Liuius lib. IX. c. 46. *Ciuile ius, repoſitum in penetralibus pontificum, euulgauit, faſtosque circa forum in albo propoſuit, vt, quando lege agi poſſet, ſciretur.* Ouidius lib. I. Faſt. v. 47.

Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur:
Faſtus erit, per quem lege licebit agi.

Qui conſulebantur] De iure. qui tum pontifices erant.

Dies] Quibus lege agi poſſet.

Tamquam a Chaldaeis] Qui, ſiderum obſeruatione, quid cuique euenturum, et quo quisque fato natus eſſet, praedicebant. petebantur igitur agendi dies a pontificibus, tamquam ab iis, qui, tamquam Chaldaei, de bonis, malisue diebus diuinare poſſent.

Scriba quidam] Verbis vtitur iuriſconſultos contemnentibus.

Qui cornicum oculos confixerit] Qui ſapientes fefellerit: vt in ea pro Flacco c. 20. *Hic hercule cornici oculum, vt dicitur. nam hunc Hermippum, hominem eruditum, ciuem ſuum, cui debebat eſſe notiſſimus, percuſſit. eius enim fide ſumſit a Fufiis.*

Catis

Catis (Ern. *cautis*)] Cautis, prudentibus: a *caueo.* Lib. I. de Orat. c. 45. et Tuſc. I. c. 9.

Egregie cordatus homo, catus
Aelius Sextus.

Iureconſultis (Ern. *iurisconſultis*)] Sic Ciceronem ſcripſiſſe, dicendum tamen, *iurisconſultus,* auctor Cariſius. ego Ciceronem eo ſequor libentius, quia ſic ab aliis quoque ſcribi ſolitum animaduerto. eſt enim haec Romae in aedibus patricii ornatiſſimi Flaminii Galgani antiqua inſcriptio: L. AQVILIVS. IVRECONSVLTI. GEMELLVS.

Notas quasdam] Obſcura quaedam verba. De quibus Manilius lib. IV. Aſtron. v. 209, ſeqq.

Hinc etiam legum tabulas, et condita iura
Nouerit, atque notis leuibus pendentia verba,
Et licitum ſciet, et vetitum quae poena ſequatur,
Perpetuus populi priuato in limine praetor.

Ipſi intereſſent] Tamquam earum notarum doctores.

CAPVT XII.

Ex iure manu conſertum] Sic loquebantur, pro, ad litigandum. verſus Ennii ſunt apud Gellium lib. XX. c. 9.

Non ex iure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt ſolida vi.

Ille, vnde petebatur] Modus loquendi, quem videntur veteres libentius vſurpaſſe, quam vt dicerent, *debitor*, aut *debitores.* Ad Trebatium lib. VII. Fam. epiſt. 11. *Ego omnibus, vnde petitur, hoc conſilii dederim, vt a ſingulis interregibus binas advocationes poſtulent.* Et lib. I. de Orat. c. 37. *Homo ex numero diſertorum poſtulabat, vt illi vnde peteretur, vetus atque vſitatā exceptio daretur, cuius pecuniae dies fuiſſet.*

Transit idem iurisconſultus] Transit ab eo, qui petit, ad eum, vnde petitur, et ei quoque ſuum carmen componit, hoc ſcilicet: *Vnde tu me ex iure manu conſertum vocaſti, inde ibi ego te reuoco.*

Tibicinis Latini modo] Vt Latinus tibicen transire ſolitus eſt: quem ignotum nobis eſſe morem, cogimur fateri.

Ne pulchrum ſe ac beatum putaret] Ne conditione ſe eſſe putaret optima.

Vtrisque ſuperſtitibus praeſentibus] Vtrisque litigantibus. *Superſtitibus* autem valet, praeſentibus. itaque neceſſe non fuit addere, *praeſentibus:* quod additum ab aliquo fortaſſe eſt interpretandi gratia. Plautus: *Superſtitem vtrumque monui, ne iniuſſi abeant.*

Inite viam] Quid ſit, *inire viam*, et *redire viam*, quod praetor iubebat, explanatur ſequentibus illis verbis: *Homines, cum recte, atque in loco conſtitiſſent, iuberi abire: vt, vnde abiſſent, eodem ſtatim redirent.* Id enim fiebat in iudicio ante praetorem, docente iurisconſulto.

Sapiens ille] Iurisconſultus: cuius in his ineptiis poſita ſapientia erat.

Iam tum] Priſcis illis temporibus.

Apud illos barbatos] Homines minime malos, vt illis temporibus

poribus erant, qui tamen haec fortaſſe ridebant. Triplex in barbis mos fuit: ante minorem Africanum, vt nemo raderetur: poſt Africanum, vt iuuenes tantum: poſtremis reipublicae temporibus, vt omnes, exceptis quibusdam adoleſcentulis laſciuiae deditis: de quibus lib. I. ad Attic. epiſt. 14. *Concurſabant barbatuli iuuenes, totus ille grex Catilinae, duce filiola Curionis.* et pro Coelio c. 14. *Aliquis mihi ab inferis excitandus eſt ex barbatis illis, non hac barbula, qua iſta delectatur, ſed illa horrida, quam in ſtatuis antiquis, et imaginibus videmus.* Quibus ex verbis priſcorum quoque temporum mos de non raſa barba demonſtratur. de more autem, qui fuit minoris Africani aetate, lib. III. c. 4. auctor eſt Gellius. Hic Cicero cum ait, *apud illos barbatos*, perſpicue morem ſignificat priſcorum temporum, exempli gratia, cum viueret Appius Caecus; cuius exemplum ſubiecit in oratione pro Coelio, cum dixiſſet: *Aliquis mihi ab inferis excitandus eſt ex barbatis illis.*

Dicis qui cauſſa (Ern. *dicis, qui cauſſa*)] Alii obiter diſtinguunt, micantes videlicet, vt dici ſolet, in tenebris. ego haec, et ipſius aetate Ciceronis obſcura, et breuiter hic ab eo pronunciata, vix arbitror eſſe, qui intelligat. antiquum eſſe, *dicis cauſſa*, ait Varro. id quale ſit, quoue ſenſu accipiatur, explanauimus lib. IV. in Verr. c. 24.

In tutorum poteſtate] Quod etiam in oratione pro Caecina c. 25. ognoſcitur: ex ea vero pro Flacco c. 30. morem eundem apud Graecos fuiſſe.

Quae poteſtate mulierum continerentur] Vidit ante nos huius loci difficultatem, ciuilis iuris illuſtrator, ſummaeque doctrinae vir Andreas Alciatus lib. IX. Parerg. c. 19. et aliquid tamen attulit, quod aequus lector, mea quidem ſententia, probare poſſit. Eius opinionem iisdem verbis, quibus ille ſcriptam reliquit, ſubiiciam. loco enim Ciceronis recitato, haec adſcripſit. *Quale id ſit, vix poſſim inuenire: niſi dicamus, mulieres ſeruos ſuos actori publico conceſſiſſe, et poſtquam publici effecti eſſent, procuraſſe, vti ſibi in tutores darentur. etenim tales hodie quoque non plane ſerui ſunt, nec magis a tutela reiici, quam ceteri tabularii, poſſunt, et tamen nec omnino liberi videntur, et propter reliquias prioris dominii aliquo modo poſſunt dici poteſtate mulierum contineri. Non abſimilis fraudis mentio eſt et apud Cornelium Tacitum lib. II. Annal. c. 30.* Negante reo, agnoſcentes ſeruos per tormenta interrogari placuit. Et quia vetere ſenatus conſulto quaeſtio in caput domini prohibebatur, callidus, et noui iuris repertor Tiberius mancipari ſingulos actori publico iubet: ſcilicet, vt in Libonem ex ſeruis, ſaluo ſenatus conſulto, quaereretur.

Sacra interire illi noluerunt] Sacrorum priuatorum conſeruatio magnae curae fuit apud Romanos. hinc illud in orat. pro domo c. 13. *Quid? ſacra Clodiae gentis cur intereunt, quod in te eſt?* Et lib. II. de Leg. c. 9. *Sacra priuata perpetua manento.* Quod Cicero cum interpretaretur c. 19. *De ſacris*, inquit, *haec ſit vna ſententia, vt conſer-*

ventur

ventur ſemper, et deinceps familiis prodantur, et, vt in lege poſui, perpetua ſint ſacra.

Senes ad coemtiones faciendas] Iuriſconſulti, extinguendorum ſacrorum cauſſa, quae perpetua eſſe debebant, rationem hanc excogitarunt, vt ſenes coemerent ea bona, quae qui haberent, ſacris adſtringerentur. ii vero ſenes cum interirent, nemine ſuccedente, ſacra ſimul interibant. hunc morem Curius eleganter expreſſit in epiſtola ad Ciceronem lib. VII. Fam. 29. *Sum*, inquit, *χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici noſtri. ergo fructus eſt tuus, mancipium illius: quod quidem ſi inter ſenes coemtionales venale proſcripſerit, egerit non multum.* *Coemtio* autem actio illa tota dicebatur, cum, ſenibus illis eam partem bonorum, quae ſacris obnoxia eſſet, coementibus, reliqua omnia mulieris in mariti poteſtatem dotis nomine transibant. pro Flacco c. 34. *In manum, inquit, conuenerat. Nunc audio. ſed quaero, vſu, an coemtione? vſu non potuit. nihil enim poteſt de tutela legitima ſine omnium tutorum auctoritate diminui. coemtione? omnibus ergo auctoribus.*

Interimendorum] Tollendorum, vt ea interimerent, neque iis mulieres adſtringerentur.

Iudicem, an arbitrum] Apud Ciceronem ipſum haec nomina confunduntur, vt alibi docuimus.

Rem, an litem] Propterea iudices *res iudicare* dicebantur. ſupra c. 11. *Grauis etiam illa eſt, et plena dignitatis dicendi facultas, quae ſaepe valuit in conſule deligendo, poſſe conſilio atque oratione et ſenatus, et populi, et eorum, qui res iudicant, mentes permouere.*

CAPVT XIII.

Non modo beneficii collocandi ſpem] Vt beneficium in quemquam conferre poſſitis.

Quod aliquando fuit] Cum de iure conſulentibus apertiora reſponſa dabantur.

Licet conſulere] Quod ii dicere ſolebant, qui ſuum ius perſequi iudicio cogitabant. dicebant enim, *licet iuriſconſultos conſulere.* quod iam non licere, propter obſcuritatem reſponſorum, Cicero ſignificat.

Rebus prolatis] *Res prolatae* dicebantur, cum feriari licebat, munerum vrbanorum vacatione conceſſa: quo tempore ludi fiebant, Votiui, Romani, Victoriae, Plebeii. ideo dixit Plautus in Capt. act. I. ſc. 1. v. 10. ex perſona paraſiti:

Vbi res prolatae ſunt, cum rus homines eunt,
Simul prolatae res ſunt noſtris dentibus.

Et lib. VII. ad Attic. epiſt. 12. *Nec cum rerum prolatio, nec ſenatus, magiſtratuumque diſceſſus, nec aerarium clauſum tardabit.* Lib. XIV. epiſt. 5. *Meam ſtultam verecundiam, qui legari noluerim ante res prolatas, ne deſerere viderer hunc rerum tumorem.* Et lib. III. ad Q. Fr. epiſt. 8. *Res prolatae. ad interregnum comitia adducta.*

Nemo poteſt] Nemo iuriſconſultus.

In eo, quod ſciunt omnes] Quod ſe ſcire ſolos iuriſconſulti profitentur, id ſciunt omnes.

 itaque

itaque de eo controuerſia oriri nullo modo poteſt.

Minime obſcuris litteris] Loquitur de iure ſcripto: quod cum et breue ſit, et minime obſcurum, cognoſci ab omnibus facile poſſit: vt exſultare, quaſi difficilem aliquam rem conſecuti, iurisconſulti non debeant.

Homini vehementer occupato] Argumentum contra iurisconſultos; ne, tamquam difficili re cognita, glorientur: quippe, cum id vel homo vehementer occupatus triduo poſſit percipere.

Stomachum moueritis] Et hoc ludibrio dictum. nam niſi ſtomachum moueritis; veſtram iſtam ſcientiam non attingam; iurisconſultus vt ſim, non laborabo.

Profitebor] Vt vos, tamquam rem magnam, et difficilem adepti, profitemini.

De ſcripto aguntur] In iudiciis.

Scripta ſunt omnia] A ſuperioribus iurisconſultis: vt ea noſſe cuiuis liceat.

Qua de re agitur, addere] *Videre*, pro *addere*, reponendum crediderim: cur credam, his adducor exemplis. lib. II. de Fin. c. 1. *Omnis in quaerendo, quae via quadam et ratione habetur, oratio, perſcribere primum debet, vt quibusdam in formulis, quae res agatur: vt, inter quos diſſeritur, conueniat, quid ſit id, de quo diſſeritur.* Subiungitque de Epicuro c. 2. *Negat definiri rem placere: ſine quo fieri interdum non poteſt, vt inter eos, qui ambigunt, conueniat, quid ſit id, de quo agatur.* Et lib. V. c. 26. *Si eſt quisquam, qui acute in cauſſis videre ſoleat, quae res agatur, is es profecto tu.* Et de Fato c. 5. *Haec diſſerens, qua de re agatur, et in quo cauſſa conſiſtat, non videt.* Et in Bruto c. 79. *Qua de re agitur, illud, quod multis locis in iurisconſultorum includitur formulis, id vbi eſſet, videbat.*

Idem videare reſpondiſſe, quod Seruius] Prudenter, et recte reſpondiſſe videatur. Eximit Servium ex imperitorum numero.

Controuerſum ius] Quod interpretationis eſt dubiae, et de quo disputare licet in vtramque partem.

Formulis atque actionibus] Idem eſt *actio*, quod *formula*. modus enim et certa ratio a iurisconſultis excogitata, vt privatae res in iudicio caute agerentur, *actiones* et *formulae* dicebantur. Notae ſunt Aquillii formulae, de dolo malo, de acceptilatione, de poſtumis. Formula eſt illa quoque petitoris: *Fundus, qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur, meus eſt. eum ego ex iure Quiritium meum eſſe aio.* Formula eius, vnde petitur: *Vnde tu me ex iure manu conſertum vocaſti, inde ibi ego te revoco.* Formula praetoris: *Vtrisque ſuperſtitibus iſtam viam dico: inite viam.* Formularum autem libri *actiones* vocabantur: vnde Manilianae, Hoſtilianaeque actiones ita peruulgatae Ciceronis aetate, vt eas etiam ruſticis in manibus fuiſſe Varro lib. II. de re ruſt. c. 5. dicat.

Hoc] Dicendi facultatem.

Iſtuc] Ad veſtram ſcientiam.

Delapſi] Caſus potius, quam voluntas, indicatur. nam quod voluntatis erat, vt eloquentiam adipiſcerentur, id non ſucceſſit. ita, quod initio minime placuit, eo ſunt delapſi, non ſponte devene-

venerunt, non iudicio ſe contulerunt.

Auletas (Ern. *auloedos*)] *Auletes* cognomen fuit regis Aegyptii Ptolemaei, patris Cleopatrae, notiſſimae feminae, quia tibiis maxime delectaretur. Sed quo nobilior cithara, quam tibia, eo nobiliores citharoedi, quam auletae. *In Graecis artificibus*, dixit, quia Romae ars muſica, et genus illud oblectationis, vt indignum Romana grauitate contemneretur.

Salubritas quaedam] Non omnino ſalus ipſa, quae petitur ab oratoribus, ſed quaedam ſalubritas, vt ſalubriter agatur; ne quid committatur, quo ſalus ipſa periclitetur. eſt enim ſalubritas quaſi quoddam ſalutis inſtrumentum. quod autem propter aliud ſit, non eſt cum eo conferendum, cuius cauſſa ſit: quemadmodum artes iis, quibus illae vtuntur, inſtrumentis nobiliores eſſe nemo negabit.

Veſtra reſponſa atque decreta] Nam quae reſpondetis, et decernitis, ea deferuntur in iudicio. ibi ſubiecta ſunt eloquentiae: aut enim euertuntur dicendo, aut confirmantur.

Firma eſſe] Contrarium contrario opponitur, *euertuntur*, *firma eſſe*.

Parcius de eius laude dicerem] Nam ſi copioſe dicerem, ideo laudare viderer eloquentiam, vt me ipſum laudarem.

Nunc nihil de me dico] *Nunc*, pro, *ſed*, vt pro Archia c. 11. *Nunc inſidet quaedam in optimo quoque virtus.* et alibi ſaepe.

CAPVT XIV.

Pacis ornamenta] Pacem ornat dignitas: dignitatem pariunt magiſtratus: ad magiſtratus eloquentia duce peruenitur.

Ipſae per ſe] Separatim ſingulae, etiam ſine eloquentia.

Iuſtitia] Ne cui fiat iniuria.

Fides] Non ſolum, ne quid fiat, vltra quam promiſimus, ſed etiam contra quam debemus, vel propinquitatis, vel amicitiae cauſſa. vnde illud ad Coelium lib. II. Fam. epiſt. 16. *Te tamen oramus, quibuscumque erimus in terris, vt nos, liberosque noſtros ita tueare, vt amicitia noſtra, et tua fides poſtulabit.*

Pudor] In conſuetudine, et conuictu: quae virtus, cum omnes aetates, tum in primis adoleſcentiam decet. itaque dixit Cicero pro Sex. Roſcio c. 51. *Quoniam ad dicendum impedimento eſt aetas, et pudor, qui ornat aetatem; cauſſam mihi tradidit.*

Temperantia] In omni vita: quae virtus ea reiicit, vnde oritur damnum, aut infamia.

Ad honorem] Cuius oritur ſplendor ex magiſtratus, et populi gratia.

Non de inſita cuiusque virtute] Nam neque ars imperatoris, neque boni facultas oratoris virtutes inſitae ſunt, ſed extrinſecus aſſumuntur, quae autem inſitae, earum fructus non ita late patet.

Omnia iſta] Ius ciuile, et dicendi facultatem ſignificat. quod Ennii verſus infra ſcripti declarant.

Auctor valde bonus] Cui credendum ſit, vt probo, et ſapienti viro: de quo etiam in Catone c. 1.

Ille vir haud magna cum re,
ſed plenus fidei.

Promulgatis] Publicatis, iuſtitio indicto.

Verboſo] In quo ſupra c. 12. quoque iuriſconſultos reprehendit, in eo loco: *Cum hoc fieri belliſſime poſſet: fundus Sabinus meus eſt: immo meus: deinde iudicium: noluerunt.* FVNDVS, *inquit,* QVI EST IN AGRO, QVI SABINVS VOCATVR. *Satis verboſe.*

Domina rerum] Quae res tantum ipſas amplectitur, verba reſpuit.

De rege Pyrrho] Epirotarum rege, qui anno vrbis CCCCLXXIII. a Tarentinis vocatus, in Italiam contra Romanos venit. de eo triumphauit poſt annos quinque M' Curius Dentatus. teſtis omnis hiſtoria.

De Philippo] Perſei patre, vltimi Macedoniae regis: de quo, et de Macedonia capta triumphauit L. Aemilius Paulius: de Philippo autem T. Quintius Flamininus. Liuius lib. XXXIV. c. 52. et lib. XLV. c. 40. Plutarchus in vita Aemilii Paulli, alii.

De Aetolis] De quibus triumphauit M. Fuluius Nobilior, anno vrbis DLXVI. Liuius lib. XXXIX. c. 5. Eutropius lib. IV. c. 5. alii.

De Pſeudophilippo] De quo, et de Macedonia deuicta triumphauit Q. Metellus propraetor: vnde Macedonici cognomen. quod Liuius lib. LII. Pauſanias in Achaicis c. 13. alii praeterea tradiderunt.

De Corinthiis] De quibus, et de Achaeis Mummius triumphauit, Achaicique cognomen eſt adeptus. eum ſignificauit Virgilius his verſibus: (lib. VI. Aen. 837, ſeq.)

Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho,
Victor aget currum, caeſis inſignis Achiuis.

Cum Antiocho] Cui victo pacis conditiones hae datae ſunt, vt Europa abſtineret, Aſiaque omni, quae cis Taurum eſt, decederet: XV millia talentorum Euboicorum daret: mille talentum per XII annos daret: Eumeni regi, qui populum Romanum in bello iuuerat, CCCC talenta redderet.

Virtus enituit egregia M. Catonis] Praeſertim ad Thermophylas, cum eſſet tribunus militum M' Acilii Glabrionis conſulis. Plutarchus in vita Catonis, Cicero in Catone c. 10. alii.

CAPVT XV.

Pugna excitatum] Non repreſſum, ſed commotum, vt deinde cum pace dimittendum Sulla putauerit.

Non rudis imperator] Vidit, cum rudis imperator non eſſet, cum pace potius eſſe dimittendum, quam cum eo, dubio Marte, pugnandum.

Vt aliud nihil dicam] Maior enim in eo bellica virtus et ſcientia fuit, quam vt dicendum ſit, *non rudis imperator.*

Oceanum cum Ponto] Oceanum tenebat Sertorius, in Ponto regnabat Mithridates. Vide pro lege Manilia c. 8. vt hiſtorias omittam.

Alterius res] M. Aurelii Cottae, quem Mithridates, irruptione in Bithyniam facta, terra fudit, mari claſſe pulcherrima exuit. Salluſtius lib. IV. Hiſt.

Ad

Ad Cyzicenorum moenia] Pro Archia c. 9. et apud Plutarchum in Lucullo.

Contento curſu] *Raperetur*, dixit in Maniliana c. 8.

Acerrimis ducibus] *Sertorianis.* in eadem.

Spe atque animis inflata] *Studio inflammato.* ibidem.

Rege Armeniorum] Tigrane, genero Mithridatis.

CAPVT XVI.

Senatus, et populus Romanus] Bellum igitur Mithridaticum Lucullo mandatum eſt et ſenatus conſulto, et lege.

Populus Romanus] Legem ferente C. Manilio. ſenatus hic nulla mentio: quia principes optimatum Q. Catulus, et Q. Hortenſius aduerſati ſunt.

Vita expulit] Expulſum iam locis omnibus.

CAPVT XVII.

Quod enim fretum] Anguſtum mare, *fretum* eſt. ibi crebri fluctuum motus.

Quem Euripum] Fretum eſt inter Aulidem Boeotiae portum, et Euboeam inſulam, horis XXIV. magno impetu ſepties recurrens.

Superari poſſe] In conſulatus petitione.

A Cn. Mallio (Ern. *Manlio*)] Et hic, deiecto Catulo, conſul factus eſt: vt in orat. pro Plancio c. 5. legendum autem, *Mallio*, non *Manlio*, docuimus in ea pro Sex. Roſcio c. 7.

M. Scaurum] Qui poſtea ſenatus princeps fuit, patrem eius, pro quo exſtant fragmenta quaedam orationis apud Pedianum.

Hominem grauiſſimum] Grauitatem, et conſtantiam, ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. tribuit illi Cicero his verbis: *In quo cum omnes homines, tum M. illum Scaurum ſingularem virum, conſtantia et grauitate ſuperaſſet.* Et act. I. in Verr. c. 17. *Si* (ceperis) *ſoceri Scauri conſtantiam, vt ne quis te de vera et certa poſſit ſententia dimouere.*

A Q. Maximo] Cui Eburno cognomen fuit propter candorem.

CAPVT XVIII.

Duae res] Vna, quod, cum praeturam petiit Murena, exercitus Luculli, qui teſtis in Aſia prouincia, et liberalitatis eius, et virtutis fuerat, nondum ex prouincia deceſſerat: qui ſi affuiſſet, ita prior in praeturae petitione Murena renunciatus eſſet, vt eorum ſuffragiis, te repulſo, conſul creatus eſt. affuit enim hoc anno, cum ad Luculli triumphum veniſſet. Triumphaſſe autem Lucullum, quo anno conſulatum Murena petiit, id eſt, Cicerone, et Antonio coſſ. Cicero ipſe Acad. libro, qui Lucullus inſcribitur, c. 1. auctor eſt. Altera res, quae Murenae profuit in conſulatu, munus illud fuit, quod praetor populo ampliſſimum dedit.

Exſpectatio muneris] Exſpectatio ludorum Apollinarium, quos praetor vrbanus dabat, vt oſtendit Cicero Phil. II. c. 13. Liuius lib. XXVII. c. 23. praetorem autem vrbanum fuiſſe Murenam, infra c. 20. patet.

Ad conſulatus petitionem reſeruauit] Vt ei prodeſſet primum exercitus Luculli, deinde

memoria

memoria muneris in praetura dati.

Quod petitio praeturae deſiderabat] Quod iam tum deſiderabatur, cum praetura peteretur.

Praetura reſtituit] Vt promiſſum ac debitum: non quia dari non ſoleret, ſed quia Murena dedit ampliſſimum.

Omen praerogatiuum] Praerogatiua centuria: cuius voluntatem, et iudicium centuriatis comitiis reliquae centuriae ſequebantur: vt omen ea comitiorum fuerit.

CAPVT XIX.

Ludorum huius elegantiam] De Apollinaribus loquitur.

Scenae magnificentiam] Argenteam ſcenam dediſſe Murenam infra cognoſce: de qua Plinius lib. XXXIII. c. 3. *L. Murena, et Caius princeps in circo pegma duxit, in quo fuere argenti pondo CXXIV.*

L. Otho] L. Roſcius Otho, tribunus plebis Cicerone conſule, legem tulit, vt in theatro equitibus Romanis quattuordecim gradus proximi, ſpectandi cauſſa, darentur. qua lege reſtitutam ait Cicero equeſtri ordini cum dignitate voluptatem. Liuius lib. XCIX. Aſconius in Cornel. Plutarchus in vita Ciceronis.

Antonii ludis commouebar] Qui ſcenam totam argento praetexuerat. Valerius Max. lib. II. c. 4. et Plinius lib. XXXIII. c. 3.

Caſu nullos feceras] Verbum, *caſu*, ad ſortem ſpectat, quae Sulpicio non dedit, ſed Murenae, vt praetor vrbanus eſſet, ad quem ludorum Apollinarium cura pertinuit.

CAPVT XX.

Aequitatis largitio] Recte largitionis nomen ad aequitatem adiunxit. nam ſaepe, quod ius negat, aequitas largitur.

Catenarum] Oratorie. non enim catenae in iudicium afferebantur. et catenas videtur pro carcere vſurpaſſe. quamquam in carcere vincula potius, quam catenae, videntur fuiſſe.

Cogendi iudices inuiti] Hominem homini natura conciliat: ideo libenter nemo iudicat in eo crimine, vnde ſummam reo calamitatem impendere videt.

Scriba damnatus, ordo totus alienus] Scribam Seruius praetor de peculatu damnauerat: quo totus ordo ſcribarum offenſus quin comitiis poſtea conſularibus Murenam Seruio praepoſuerit, non eſt cur dubitetur.

Sullana gratificatio reprehenſa] Sulla victor iis, qui ſuas partes in bello iuuerant, de publico largitus eſt. ea largitio poſt illius interitum, peculatus nomine in iudicium vocata, multique Seruio praetore condemnati. vnde illi pars ciuitatis infenſa. eodem crimine Fauſtum, ipſius Sullae filium, accuſatum eſſe, locum tamen ei ab iudicibus non eſſe conſtitutum, cognoſcitur ex orat. pro Cluentio c. 34.

Multi viri fortes] Qui pro Sulla pugnauerant, et quibus ille poſt victoriam gratificatus erat.

Lites ſeuere aeſtimatae] Damnatis reis, vel de repetundis, vel de peculatu, lites aeſtimari ſolebant: cum quibus tamen interdum benignius agebatur: ſeuerius autem actum eſſe Seruio praetore

praetore in cauſſa peculatus, hic locus oſtendit.

Cui placet] Placet autem accuſatori.

L. Murenae prouincia] Gallia transalpina, quam poſt praeturam rexit.

CAPVT XXI.

Amiſſo iam tempore] Cum praeterierit occaſio.

Accuſandi terrores] Accuſandi de ambitu, vt nunc accuſas Murenam. quos terrores iam tum candidatus iaciebas.

Populi opinionem a ſpe adipiſcendi auertunt] Efficiunt, vt populus opinetur, eum qui terroribus eiusmodi vtitur, adipiſci conſulatum non poſſe. qui enim candidatus competitoribus ſuis minatur, is parum ſperare conſulatum videtur. quod cum populus animaduertit, deſperantem deſerit, et amicorum ſtudia debilitantur.

Et in forum, et in campum] In foro prenſatur, in campo petitur.

Hoc nouo more] Quem ambitio peperit. alius enim erat mos maiorum.

Domos omnium] Candidatorum.

Abiecit haſtas] Translatio ab iis, qui ſe victos in pugna, haſtis abiectis, confitentur.

Teſtatam rem abiiciunt] Suffragationem omittunt, teſtati cur omittant; ne ſcilicet ei faveant, qui ſibi ipſe deſperet.

Iudicio et accuſationi] Cum amicus eorum candidatus aliquem e ſuis competitoribus de ambitu accuſauit.

CAPVT XXII.

E ciuitate] Damnati enim de ambitu poſt legem, quam hoc anno Cicero conſul ante comitia conſularia tulit, in exſilium ibant.

Et vero etiam per alienos] Auget, *vero*, vt lib. III. in Verr. c. 81. *Quod cum magnitudine pecuniae, tum iniuriae genere quemuis debet commouere: et vero eo magis, quod ad hoc crimen non ingenioſa aliqua defenſio, ſed improbiſſima confeſſio comparatur.*

Et accuſandi] Accuſauerat C. Verrem.

Accuſandi denunciationem] Ante ipſa comitia denunciauit Seruius, accuſare ſe velle de ambitu.

CAPVT XXIII.

Legem ambitus flagitaſti] Petiiſti a ſenatu, vt noua de ambitu lex ferretur: cum tu Calpurnia lege, praeſertim ſeueriſſime ſcripta, contentus eſſe poſſes.

Tota illa lex] Quam flagitaſti, et quae lata eſt.

Exſilium in noſtrum ordinem] A te flagitatum eſt: quod Calpurnia lex non irrogabat.

Morbi excuſationi poena addita eſt] Videtur Seruius et petiiſſe a ſenatu, et obtinuiſſe, vt lex ferretur de cogendis omnibus ad comitia conſularia, poena addita, ſi quis morbum excuſaret.

Laborandum eſt] Eundum ad comitia.

Aut incommodo morbi etiam ceteri vitae fructus relinquendi] Aut, ſi propter morbum ad comitia non iuiſſent, poteſtate ſuffragandi in poſterum priuarentur. Sic

Sic enim illud accipio: *ceteri vitae fructus relinquendi.*

Is, qui auctoritati ſenatus, voluntati tuae paruit] Ego tuli, ſed inuitus: nam et ſenatui, et tibi, neceſſario meo, parendum putaui.

Cui minime proderant] Non enim ideo legem illam tuli, quia mihi prodeſſet.

Illa] Dixit ea, quae lata ſunt in lege, ſe quidem inuito: nunc ea narrat, quae lata non ſunt, ſumma ſua voluntate. vtraque autem ſignificat Seruio nocuiſſe.

Confuſionem ſuffragiorum flagitaſti] Petierat Seruius, non vt, latis ſuffragiis, centuriae numerarentur, quod fieri ſolebat; ſed vt omnia centuriarum omnium ſuffragia confunderentur: iisque numeratis, quis conſul factus eſſet, qui reiectus, intelligeretur. ita fiebat, vt ambitus tolleretur, cum nullius centuriae beneficium appareret.

Prorogationem legis Maniliae] Vt lex Manilia de ſuffragiorum confuſione, quae iam abrogata fuerat, in poſterum valeret.

Aequationem gratiae, dignitatis, ſuffragiorum] Confuſis ſuffragiis hoc ſequebatur, vt eorum, qui ſuffragia ferebant, non gratia, non dignitas exſtaret.

In ſuis ciuitatibus et municipiis] Ciuitatum nomine colonias, et praefecturas deſignat, quae, praeter municipia, ferendi ſuffragii ius habebant.

Et dignitatis, et gratiae gradus] Acquirit enim dignitatem, et gratiam municipium illud, et illa colonia, et praefectura, cuius aliquem ſuffragiis conſulem creatum eſſe conſtat. quod ſi ſuffragia confunduntur, ſuffragatorum omnium gratia, et dignitas aequatur: beneficium enim vnde ſit, non apparet.

Editicios iudices] Vt accuſator ipſe ederet, quos de ambitu iudicare vellet, quod ſenatus repudiauit. vidit enim fore, vt ederentur iudices ii tantum, qui reo quacumque de cauſſa infenſi eſſent. hoc poſtea latum eſt in crimine ſodalitii, quod ad ambitum pertinuit. id ex oratione pro Plancio c. 15. perſpicuum fit.

Illa plaga eſt iniecta] Id maxime nocuit. infra c. 24. *Quam te ſecurim putas inieciſſe petitioni tuae:* translatis vt verbis rem augeret.

Non tacente me] Monente me, ne accuſationem, depoſita petitione, comparares.

CAPVT XXIV.

Obſeruationes] Quis largiretur, quis acciperet.

Teſtificationes] Comparationes teſtium.

Subſcriptorum] Qui ſubſcriberent accuſationi.

Vultus obſcuriores] Non, vt candidatorum bene ſperantium ſolent eſſe, alacres, atque laeti. Sibi autem diffidentibus populus non fauet.

Choro iuuentutis] Quae facile ad res nouas impellitur. *Chorum*, pro comitatu poſuit, in quo ſpecies quaedam eſſet.

Indicibus] Iis, quorum indicio ad aliquem circumueniendum, atque accuſandum vti ſolitus eſſet.

Spe militum] Qui ad triumphum Luculli conuenerant.

Promiſſis] Cum Catilina C. Antonium conſulem conſenſiſſe, opinio multorum fuit. teſtes Salluſtius in Cat. c. 26. et Cicero in orat.

orat. pro Coelio c. 31. et in Piſon. c. 2.

Colonorum Arretinorum, et Faeſulanorum] Hos numerabat amicos ſuos Catilina, quia, cum illas colonias Sulla miſiſſet, cuius ipſe in partibus fuerat, iure quodam, iis ſuffragantibus, bene ſperare poſſe videbatur.

Exercitu] Per ſimilitudinem. erant enim multi.

Diſſimillimo ex genere] Quid enim diſſimilius, quam qui Sulla victore beneficia acceperunt, et qui ſuas fortunas amiſerunt? hoc autem genus hominum ideo libenter Catilinam conſulem expetebat, vt, eo duce, republica perturbata, amiſſas fortunas in tumultu recuperare poſſent.

CAPVT XXV.

Vnum debile, infirmo capite] Si contrariis contraria referenda, legendum videtur, *firmo capite:* vt vnius corporis debilitas cum alterius firmitate, et eiusdem firmum caput cum nullo capite conferatur. Vnum autem debile corpus firmo capite, ſunt partes optimatum, quarum caput eſt ſenatus, conſul, praetor, et reliqui magiſtatus. alterum vero corpus firmum ſine capite, plebs eſt, cuius multitudo ſi ducem habeat, optimates facile vincit. Sed quid diſputo, quaſi ambigua coniectura ſit? mecum ſentit Plutarchus, aut ego potius cum illo, vt antiquitati honor habeatur. Eius haec verba ſunt in Ciceronis vita: *Τί γὰρ δεινὸν πράττω, εἰ, δυοῖν σωμάτων, τοῦ μὲν ἰσχνοῦ, καὶ κατεφθινηκότος, ἔχοντος δὲ κεφαλὴν, τοῦδ᾽ ἀκεφάλου μὲν, ἰσχυροῦ δὲ, καὶ μεγάλου, τούτῳ κεφαλὴν αὐτὸς ἐπιτίθημι.*

Neque tamen ſatis ſeuere, pro rei indignitate, decreuit] Quid ſenatus decreuerit, non apparet. proprie tamen nihil eum in Catilinam decreuiſſe, licet ex eo coniicere, quia ſubiicitur: *Erupit e ſenatu, triumphans gaudio:* et quia non deſiit ire in campum tamquam petiturus conſulatum. Dio autem non petiiſſe Catilinam conſulatum, lege de ambitu lata deterritum, auctor eſt. quod Salluſtius c. 26. vt mihi videtur, in dubio relinquit: tantum enim ait, Catilinae petitionem proſpere non ceſſiſſe: vt pariter intelligi poſſit, vel eum petitionem abieciſſe, vel petiiſſe quidem, ſed repulſam tuliſſe. Mihi Ciceronis verba petitionem videntur oſtendere, et aperte Plutarchus eum petiiſſe dicit.

Ruina reſtincturum] Salluſtius c. 31. Catilinam ait ſimiliter dixiſſe, non quo die Cato ei iudicium minitatus eſt, ac denunciavit, ſed quo Cicero conſul in eum oratione illa eſt inuectus, quae nunc prima inter quattuor legitur. *Ad haec*, inquit, *maledicta alia cum adderet; obſtrepere omnes, hoſtem atque parricidam vocare. Tum ille furibundus, Quoniam quidem circumuentus, inquit, ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina reſtinguam.*

CAPVT XXVI.

Cum illa lata inſignique lorica] De qua etiam Plutarchus.

Caput et collum ſolere petere] Coniicit hoc in Sullanam proſcriptionem: quo tempore qui proſcriptorum ciuium capita ad Sullam

lam afferebant, praemio donabantur: in quibus Catilinam fuiſſe, documento ſunt illa verba in oratione contra competitores: *Populum vero, cum, inſpectante populo, collum ſecuit hominis maxime popularis, quanti faceret, oſtendit.* Et illa Pediani: *Catilinam, cum in Sullanis partibus fuiſſet, crudeliter feciſſe, nominati etiam poſtea Cicero dicit, quod occiderit Q. Caecilium, M. Volumnium, L. Tantaſium. M. etiam Marii Gratidiani, ſumme popularis hominis, qui ob id bis praetor fuit, caput abſciſſum per vrbem ſua manu Catilina tulerat.* Et eiusdem: *Marii Gratidiani quod caput geſtarit, obiicit. quo loco dicit Catilinam caput M. Marii geſtaſſe, quod caput etiam tum plenum animae, et ſpiritus, ad Sullam vsque ab Ianiculo ad aedem Apollinis manibus ipſe ſuis detulit.* Huc et illa ſpectant pro Sex. Roſcio c. 29. *Neſcimus, per iſta tempora eosdem fere ſectores fuiſſe collorum, et bonorum?*

Ad virum bonum] Qualis eſt Murena.

Adiumentis] Quae ſtatim dicuntur.

Grata in munere] Ludorum Apollinarium.

Ornata in prouincia] Propter liberalitatem, et virtutem. dixit enim ſupra c. 18. *Quod ii, quos in prouincia, ac legatione omnis et liberalitatis, et virtutis ſuae teſtes habuerat, nondum deceſſerant.*

Minanti] Catilinae.

Catilinae ſubitam ſpem] Ortam ex eo, quia te videbat accuſationem comparare, depoſita, atque abiecta petitione.

Diuiſorum] A quibus pecunias populo pro Murena diuiſas eſſe, Poſtumius dicebat.

Adoleſcenti] Quis non intelligit, Ser. Sulpicii filium ſignificari? qui et ipſe cum Poſtumio, et Catone, patri, Murenam accuſanti, ſubſcripſerat.

De equitum centuriis] A L. Natta, Murenae priuigno, ad prandium inuitatis. quod infra c. 35. narratur. Equitum centurias ex inſtituto Seruii regis XVIII fuiſſe, Liuius lib. I. c. 43. et Dionyſius docet. eas e cenſu in prima claſſe ſuffragium tuliſſe, nemo ambiget, qui claſſis primae cenſum fuiſſe ſupra centum millia, equeſtris autem ordinis CCCC millia, non ignorabit, quod et Dionyſius perſpicue narrat. propterea, cum L. Aelium Lamiam, praeturam petentem, Cicero D. Bruto commendaret, lib. XI. Fam. epiſt. 16. *Quando*, inquit, *equitum centurias tenes, in quibus regnas, mitte ad Lupum noſtrum, vt is nobis eas centurias conficiat.*

De ſenatus conſulto] Infra c. 32. *Dixiſti, ſenatus conſultum, me referente, eſſe factum, ſi mercede corrupti obuiam candidatis iſſent, ſi conducti ſectarentur.*

De republica] Quia dixerat Cato, ſe ad accuſandum a republica eſſe adductum. infra c. 37.

CAPVT XXVII.

Etiam in veteris fortunae diſcrimen adducitur] Primum eſt ei timendum, ne dignitatem, et quam habet relictam a patre, auo, maioribusque ſuis, et quam ipſe adeptus eſt, amittat; deinde, ne, dum ſtudet nouae laudi, veteris etiam fortunae iacturam faciat.

faciat. Diuidit Cicero Murenae ſtatum in dignitatem, et fortunam.

Sodalis filii] Honeſtae ſodalitates quaedam erant. exemplum occurrit illud in orat. de haruſp. reſponſ. c. 21. *Quod frater conſul, ne fieret, obſtiterat, quod affinis et ſodalis, vir clariſſimus, qui illum reum non laudarat, excluſerat.* Et pro Coelio c. 11. *Neque vero illud me commouet, quod ſibi in Lupercis ſodalem eſſe Coelium dixit.*

Cuius ingenio] Nemini creari periculum debuit ex eius ingenio, ſed ſalus potius defendi paternorum amicorum. Tale illud infra c. 28. *Illud deprecabor, ne ea ſoli huic obſint bona M. Catonis, quae ille adeptus eſt, vt multis prodeſſe poſſet.*

Praetorius candidatus] Praetorius candidatus Poſtumius praeturam petere deſtiterat, vt candidatum conſularem accuſaret Murenam. quod mirari iure licuit. cur enim ſuos potius competitores non accuſaret? an exſpectabat, vt amicus aliquis alienam perſequeretur iniuriam? nimirum, ait Cicero, eiusmodi hoc eſt, vt ſi deſultorius in quadrigarum curriculum incurrat. quid enim deſultorio cum quadrigis? *Deſultorii* dicebantur, qui ex vno equo in alterum, non intermiſſo curſu, celerrime deſiliebant. Varro lib. II. de re ruſt. c. 7. *Aliter quadrigarius, ac deſultor.* Liuius lib. XXIII. c. 29. *Deſultorum in modum binos trahentibus equos, alter acerrimam ſaepe pugnam in recentem equum ex feſſo armatis tranſultare mos erat.*

Si nihil deliquerunt] Si largiti non ſunt, vt praeturam adipiſcerentur.

CAPVT XXVIII.

Exſpectatio tribunatus] Erat enim tribunus plebis deſignatus. Plutarchus, et alii.

Accuſauit L. Cottam] Vide in Diuinatione c. 21.

Ser. Galbam] Ser. Sulpicium Galbam, hominem eloquentiſſimum, accuſauit ad populum L. Libo tribunus plebis, rogatione in eum lata, quod Luſitanos contra interpoſitam fidem praetor occidiſſet. eam rogationem M. Cato Cenſorius paulo ante mortem ſuaſit. non enim ipſe Galbam in iudicium vocauit: et ſuaſionem illam hic Cicero ſignificat, ſubiungens, *incumbenti ad eius perniciem.* vide in Bruto c. 23.

Deſcenſurum ad accuſandum non fuiſſe] Proprie, *ad accuſandum deſcendere*, vt in Diuin. c. 1. *Subito nunc mutata voluntate, ad accuſandum deſcendere.*

Iniquam legem] Simile abſurdum illud eſt. et ſimiliter inducitur, ad Appium lib. III. Fam. epiſt. 8. *Sin autem eo genere delectaris, vt, quae tibi in mentem veniant, aliis attribuas: genus ſermonis inducis in amicitiam minime liberale.*

CAPVT XXIX.

Inquit ille fortiſſimo viro ſenior magiſter] Ex aliqua fortaſſe tragoedia ſumtum, de Chirone Achillem, cuius magiſter fuit, inſtruente.

Huius ſententiae ſunt, et praecepta eiusmodi] Expedit Laertium videre, et Paradoxa Ciceronis.

CAPVT XXX.

Petunt aliquid publicani] A ſenatu: vt cum petiere non mul-

 to

to poſt, de minuenda vectigalium mercede, quoniam quidem cupiditate prolapſi nimium magno conduxiſſent. quibus reſtitit vnus, et peruicit Cato. lib. I. ad Attic. epiſt. 18. et lib. II. epiſt. 1.

Male dici putat] Errare enim, ſapientis non eſt.

Iratus dixiſti] *Dixi*, legerem: vt conſentiat cum ſuperiore verbo, *dixi in ſenatu.*

CAPVT XXXI.

Te, atque L. Murenam] Te tribunum plebis, Murenam conſulem.

Etiam, in diſſoluenda ſeueritate] Senſus, vt opinor, hic eſt. Fateor: probo: cum praeſertim agitur de diſſoluenda ſeueritate. nam, *etiam*, aduerbium eſt aſſentiendi, notum exemplis.

Scipio ille] Africanus minor, qui Stoico Panaetio, doctiſſimo homine, magiſtro vſus eſt.

C. Laelio] Qui Sapiens dictus eſt, Africani amiciſſimus.

De L. Philippo] Locus vnus ex iis, quibus, contra veteres libros, coniecturam libenter ſequor. quis enim hiſtoriae peritus, *de L. Philo*, non probabit magis, quam, *de L. Philippo?* Philus doctrina, et ſapientia clarus: itaque coniungitur, item vt hic, cum Scipione, Laelio, Catone in oratione pro Archia c. 7. *Ex hoc*, inquit, *eſſe hunc numero, quem patres noſtri viderunt, diuinum hominem, Africanum: ex hoc C. Laelium, L. Furium, modeſtiſſimos homines et continentiſſimos: ex hoc fortiſſimum virum, et illis temporibus doctiſſimum, M. Catonem illum ſenem.* Et orat. II. in Rullum c. 24. *Catones, Phili, Laelii.* At de L. Philippo, tamquam ſapiente, et docto, quae loquitur hiſtoria?

De C. Gallo] C. Sulpicio Gallo, clariſſimo viro, aſtrologiae peritiſſimo, qui de Liguribus triumphauit. in Catone c. 14. *Mori videbamus in ſtudio paene dimetiendi caeli atque terrae C. Gallum.* Plinius lib. II. c. 12. *Rationem defectus vtriusque primus Romani generis in vulgus extulit Sulpicius Gallus.* Liuius lib. XLIV. c. 37. *Caſtris permunitis, C. Sulpicius Gallus, tribunus militum ſecundae legionis, qui praetor ſuperiore anno fuerat, conſulis permiſſu ad concionem militibus vocatis, pronunciavit: nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora ſecunda vsque ad quartam horam noctis Lunam defecturam eſſe.*

Condita] Translatum tranſlato reddidit: dixerat enim, *adſperſeris.*

CAPVT XXXII.

Gladiatoribus] Cum gladiatores populo dantur.

CAPVT XXXIII.

Rogatos] Vt in campum Martium aduenienti ex prouincia Murenae obuiam prodirent.

Deductum] In campum, honorem aliquem petentibus infimorum hominum filiis.

Societates] Publicanorum.

Tota natio candidatorum] Praetorii candidati, aedilicii, quaeſtorii, alii.

Non modo dignitati] Officium illud non modo propter dignitatem eius praeſtatur, cui obuiam prodi-

proditur, ſed voluntati etiam interdum, non dignitati, tribuitur.

CAPVT XXXIV.

Vno baſilicae ſpatio] Cum ſpatiamur in baſilica, vel ſemel, non modo iterum et ſaepe.

Si, vt ſuffragentur] Hoc mihi videtur abundare. nihil enim poſt illud requiritur: *Si nihil erit, praeter ipſorum ſuffragium, tenue eſt.*

Reſtiterunt] Parere noluerunt.

Tributim] Non omnibus tribubus, ſed Murenae tribulibus. infra: *Vt locus et in Circo, et in foro daretur amicis et tribulibus.* Et c. 35. *Locum tribulibus ſuis dediſſe.*

Data] Circenſibus ludis in Circo, gladiatoribus in foro.

Modo] Modice.

Punctorum] Suffragiorum. quorum numerus poſt comitia punctis excipiebatur. pro Plancio c. 22. *Dubitabitis, inquit, quin coitio facta ſit, cum tribus pleraſque cum Plotio tulerit Plancius? An vna fieri potuerunt, ſi vna tribus non tuliſſent? At nonnullas punctis paene totidem.* quod imitatus dixit Horatius de arte poetica v. 343.

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

CAPVT XXXV.

Totas tabernas] Vt ex iis ludos ſpectare poſſet.

A multitudine] Ab iis, qui ſuffragia comitiis centuriatis tulerunt.

In tuam nimiam diligentiam coniecta ſunt] Non in Murenae culpam. Videt populus, nimium te diligentem in his criminibus fuiſſe, Murenam tamen expertem culpae putat.

Ab ſenatus auctoritate] Qui non decreuit crimen eſſe, cum obuiam proditur, aut cum ſectantur multi, ſed cum proditur mercede, et mercede item ſectantur multi.

Sed vulgo, paſſim] Quod a Murena commiſſum non eſt. tantum enim L. Natta, Murenae priuignus, equitum centuriis prandium dedit, non tam, vt hoc munere vitrico ſuo Murenae prodeſſet, quam vt ipſe ad reliquum tempus gratioſus eſſe poſſet. in quo munere ſi crimen eſſet, non id Murenae, qui non dedit, fraudi, aut crimini deberet eſſe.

L. Natta] Nattae, Pinarii ſunt: vt lib. II. de Diuin. c. 21. Tacitus lib. IV. Annal. c. 34. Faſti Capitolini anno vrbis CCCXC. Hic eſt L. Natta, qui poſtea pontifex fuit, quoque praeeunte, et poſtem tenente, P. Clodius tribunus plebis eiecti Ciceronis domum conſecrauit. de quo ſic in oratione pro domo c. 52. *Quem ego tamen credo, ſi eſt ortus ab illis, quos, memoriae proditum eſt, ab ipſo Hercule, perfuncto iam laboribus, ſacra didiciſſe, in viri fortis aerumnis non ita crudelem fuiſſe, vt in viui, et iam ſpirantis caput buſtum ſuis manibus imponeret.* Subiungitque paullo poſt: *Viderat ille Murenam, vitricum ſuum, conſulem deſignatum, ad me conſulem cum Allobrogibus communis exitii indicia afferre.*

Adoleſcens] Non ſenator, ſed adhuc eques Romanus, ideo centurias equitum ad prandium inuitauit.

Ad hoc officium neceſſitudinis] Ad populum pro vitrico ſuo Murena

rena rogandum: quod neceſſitudinis, et propinquitatis officium eſt.

Fraudi] Damno.

Aut crimini] Quod eſt grauius.

Virgo Veſtalis] Cum aliis priuilegiis, tum hoc Veſtales Virgines fruebantur, vt, cum gladiatores pugnarent, ſpectare poſſent.

Verum eſſe] Pro, aequum eſſe, de quo iam diximus.

Delicatae iuuentutis] Ad cenam vocatae.

In robore accumbunt] Cum nos accumbamus in lectis.

Tempora voluptatis] Malunt enim cum voluptate, quam, vt Lacedaemonii, et Cretes, cum labore cibum capere.

Vno aduentu noſtri exercitus] De Cretibus loquitur: quos Q. Metellus, qui cum Q. Hortenſio conſul fuit, *ingentibus proeliis intra triennium*, vt ait Eutropius lib. VI. c. 11. debellauit, et ex ea inſula triumphum duxit, Cretici cognomen adeptus. Oratorie minuit rem Cicero, cum ait, *vno aduentu noſtri exercitus deleti ſunt.* nam et diu, nec ſine diſcrimine pugnatum eſt. Poſſit tamen aliquis interpretari, *vno aduentu*, quod exercitus Metelli bellum confecit: vt in eam inſulam alios poſtea exercitus mittere, quod Mithridatico bello contigit, neceſſe non fuerit. In qua re non eſt omittendum, nondum triumphaſſe Metellum, cum haec Cicero diceret, impeditum paucorum inuidia: triumphaſſe autem anno ſequenti, Silano, et Murena coſſ. quod Velleius lib. II c. 34. Eutropiusque lib. VI. c. 16. docent.

Diſciplinam ſuam] Antiquiſſimam, a Lycurgo cum legibus acceptam.

Conſeruant] Vt ſocii noſtri, quibus inferre bellum nemo audet.

CAPVT XXXVI.

Eodem ex ſtudio] E Stoica diſciplina.

Et honeſtus homo, et nobilis] Non ſolum honeſto loco natus, verum etiam nobilis.

Q. Tubero] Aeliae gentis.

Q. Maximus] Q. Fabius Maximus, Paulli Aemilii nepos, qui poſtea Allobrogicus appellatus eſt.

Vt triclinium ſterneret] Vt epulum populo daret in Capitolio, ante cellam Iouis. *Triclinium* poſuit pro lectis in triclinio poni ſolitis. infert enim: *ſtrauit pelliculis haedinis lectulos Punicanos.* Sic et Plinius *triclinia aerata,* pro lectos aeratos appellauit lib. XXXIV. c. 3.

Lectulos Punicanos] Similes iis, quibus olim Phoenices vtebantur. ii lignei erant, vt lib. XV. epiſt. ad Lucilium (epiſt. 96.) docet Seneca. Plinius infra Deliacam ſpeciem Punicam ponit lib. XXXIII. c. 11.

Vaſa Samia] Fictilia: vt idem Seneca. Offendit populum Romanum Tubero, dum e Stoicorum inſtituto ſplendorem, et magnificentiam contemnit, in tribus rebus, lectulis ligneis, pellibus haedinis, vaſibus fictilibus: cum alii lectos aeratos, eburneos, argenteos etiam pretioſa veſte ſternere ſolerent, exponere autem non fictilia vaſa, ſed Corinthia, vel Deliaca, ad gratiam populi colligendam.

His haedinis pelliculis] Cum ludibrio dictum: vt ſimul Stoicum Catonem irrideret.

Voluptatis] Voluptas autem populi quaerenda fuit in illo epulo,

lo, quo diuini hominis Africani mors honeſtabatur.

Vt mihi praeſis] Cum eris in magiſtratu.

Nomenclatorem] Seruum, cui ciuium omnium nomina nota erant, eaque domino ſuo candidato, vt is ſuo quemque nomine ſalutaret, inſuſurrabat in campo.

Ad rationem ciuitatis] Ad morem ciuitatis.

Diſciplinae] Stoicae.

CAPVT XXXVII.

Vsque eo L. Catilina] Quorſum hoc? vt oſtendat, quamquam egreſſus Catilina ſit, reipublicae tamen a ſociis eius, qui in vrbe remanſerint, vehementer timendum: itaque non eſſe priuandam optimi conſulis cuſtodia. infra: *Hi et integrum conſulem, et bonum imperatorem, et natura, et fortuna cum reipublicae ſalute coniunctum, deiici de vrbis praeſidio, et de cuſtodia ciuitatis veſtris ſententiis deturbari volunt.*

Equus Troianus] In quo latent, qui caedem ciuibus, vrbi flammam inferunt.

Quid ego Catilinam metuam] Iam egreſſum. Cur ideo vis abſolvi Murenam, aiebat Cato, quia bonus imperator? an Catilinam, cum paucis egreſſum, times?

Integrum conſulem] Malis conſiliis non infectum.

Natura, et fortuna] Qui et ipſe per ſe bene animatus in rempublicam eſt, et, vt ſit, fortuna etiam adducitur: res enim nouas quaerunt, qui mala fortuna vtuntur. infra c. 38 *Conſulem, quod maxime tempus hoc poſtulat, fortuna conſtitutum ad amplexandum otium.*

In campo] Catilina conſulatum petente. Supra c. 26. *His tamen rebus commotus, et quod homines iam tum coniuratos cum gladiis in campum deduci a Catilina ſciebam, deſcendi in campum cum firmiſſimo praeſidio fortiſſimorum virorum, et cum illa lata inſignique lorica.* Et orat. I. in Catil. c. 5. *Cum proximis comitiis conſularibus me conſulem in campo, et competitores tuos interficere voluiſti, compreſſi tuos nefarios conatus amicorum praeſidio et copiis.*

In foro] Ab iisdem petitus.

Etiam domi meae] Cum ad me, miſſi a Catilina, venerunt, vt ſpecie ſalutationis me interficerent. orat. I. in Catil. c. 4.

Id quod ego, multis repugnantibus, egi atque perfeci] Habitis comitiis, quae multi protrahebant, id ſpectantes, vt, praeſidio cuſtodiaque conſulum initio ſequentis anni carente republica, facilius eam inteſtini hoſtes, nullo contra reſiſtente, opprimerent.

CAPVT XXXVIII.

Intonuit vox pernicioſa] Pro coniuratis contra rempublicam.

Deſignati tribuni plebis] Non dubito, quin haec in Metellum Nepotem conferantur. qui cum ſe hoc anno tribunatum plebis eſſe petiturum profiteretur, M. Cato, male de illo ſentiens, tribunatum et ipſe, vt eius perdita conſilia frangeret, petere voluit. quod cum Plutarchus, tum Cicero ipſe docet ſequentibus verbis: *Contra quem multum tua mens, multum omnes boni providerunt, qui te ad tribunatus petitionem vocaverunt.* Improbi animi ſignum illud hic Metellus, magiſtratum ingreſſus, primum dedit, cum

pridie Kal. Ian. abeuntem magiſtratu Ciceronem concionis habendae poteſtate priuauit, dicendi poteſtatem ei fieri negans oportere, qui in alios animaduertiſſet indicta cauſſa. lib. V. Fam. epiſt. 2. in Piſonem c. 3. et apud Plutarchum in vita Ciceronis.

Ab eo tempore] Ab extremo die conſulatus Lepidi, et Tulli. orat. I. in Catil. c. 6. *Poteſtne tibi huius vitae lux, Catilina, aut huius caeli ſpiritus eſſe iucundus, cum ſcias, horum eſſe neminem, qui neſciat, te pridie Kal. Ian. Lepido, et Tullo conſulibus, ſtetiſſe in Comitio cum telo? manum, conſulum et principum ciuitatis interficiendorum cauſſa, parauiſſe?*

Ex iſtorum inſidiis ac mucronibus] Hinc illa exclamatio orat. IV. in Catil. c. 1. *Ego ſum ille conſul, P. C. cui non forum, in quo omnis aequitas continetur; non campus, conſularibus auſpiciis conſecratus; non curia ſummum auxilium omnium gentium; non domus, commune perfugium; non lectus, ad quietem datus; non denique haec ſedes honoris, ſella curulis, vmquam vacua mortis periculo, atque inſidiis fuit.*

Vident, in tuorum poteſtate collegarum fore] Tacite ſignificat, non optime ſperare ſe de tribunis plebis, vno Catone excepto. nam ſi, Murena damnato, ne conſul ſufficiatur, non timent, id fore videntes in tribunorum plebis poteſtate: nimirum voluntatem eorum habent cognitam: qui, ſi alter conſul Silanus comitia conſularia habere voluerit, obſiſtent, vel interceſſione, vel auſpiciis, vel quacumque ratione. Pertinet ad hanc ſententiam, quod paullo ante dictum eſt: *Iam enim heſterna concione intonuit vox pernicioſa deſignati tribuni, collegae tui.* Et quod infra c. 39. de Catilina ſubiicitur: *Petunt rationes illius, vt orbetur auxilio respublica: vt minuatur contra ſuum furorem imperatorum copia: vt maior facultas tribunis plebis detur, depulſo aduerſario, ſeditionis ac discordiae concitandae.* Et illud: *Vnus erit conſul, et is non in adminiſtrando bello, ſed in ſufficiendo collega occupatus. hunc iam qui impedituri ſint.*

Silanum] Quem Cato, ſororis ſuae virum, accuſare de ambitu noluit, cum tamen ante comitia in concione iuraſſet, ſeſe omnium, qui largitionem feciſſent, accuſatorem fore. Plutarchus in Catone.

Non cupidum] Rerum nouarum.

Quamquam huiusce rei poteſtas omnis in vobis ſita eſt] Correctio: quia nimium Catoni tribuere viſus eſt.

CAPVT XXXIX.

In campo exercitus] Catilinae ſocii, cum Silanus collegae ſufficiendo comitia habebit.

Ornata] Inſtructa: vt *ornare claſſem, prouinciam.*

Priuatorum] In quibus ipſe erit. nam de ſe potiſſimum, non dubito, quin hoc dicat.

CAPVT XL.

Fidem veſtram vel defenſoris] Hic mihi ſuſpicionem mendi varietas affert antiquorum exemplarium. in duobus, *veſtram*, abeſt: in altero legitur, *fide in vos defenſoris:* vnum cum peruulgatis libris conſentit. placeret, *fide defenſoris, et amici officio adductus.*

ductus. fides enim proprie defenſoris eſt, officium amici. Quid porro fidem hic iudicum orare opus eſt? quale autem videtur, (vt verba quoque conſideremus) *fidem veſtram oro?* Quae ſi parum aut nihil habent momenti, diſſenſio certe veterum librorum contemnenda non videtur.

In municipium antiquiſſimum] Lanuuium: vt in extrema oratione.

Demiſſis] Qui efferri ſuperbia non ſolent, qualem ſe Murena praebuit in omni vita.

In hoc praeclaro conſulatu] Quem praeclarum eſſe quiddam homines opinantur: cum tamen plena res laboribus, curis, periculisque ſit.

CAPVT XLI.

Quo ſe miſer vertet? domumne] Locus ad commouendam miſericordiam aptiſſimus, vt ille C. Gracchi lib. III. de Orat. c. 56. *Quo me miſer conferam? quo vertam? in Capitoliumne? at fratris ſanguine redundat. an domum? matremne vt miſeram lamentantemque videam, et abiectam?* Hoc de genere plura diximus lib. V. in Verr. c. 48. in eo loco: *Quo confugient ſocii? quem implorabunt? qua ſpe denique, vt viuere velint, tenebuntur, ſi vos eos deſeritis? ad ſenatum deuenient, qui de Verre ſupplicium ſumat? non eſt vſitatum, non ſenatorium. ad populum Romanum confugient? facilis eſt cauſſa populi.*

Lugentemque] Pro, *lugenti ſimilem.* Oratoria licentia. imago enim non luget.

Noua poena legis] Decem annorum exſilium irrogabat lex, hoc anno ab ipſo lata Cicerone conſule.

Legatus] L. Luculli, bello Mithridatico.

In contrariam partem terrarum] Occidentem verſus.

C. Murenam] Quem decedens Lucullus prouinciae praepoſuit, vt Cicero Ciliciae C. Coelium Caldum.

Fortunae] Paucis diebus a ſumma laetitia ad ſummam miſeriam conuerſa.

Sermonis] Inter homines prouinciales.

Celebraſſent] Peruulgaſſent, multis notum feciſſent. nam, *celebrare*, frequentiam ſignificat. itaque *celebris locus* opponitur *deſerto:* et, *domus celebratur*, ob conuentum multorum, lib. II. ad Attic. epiſt. 22. Cicero dixit.

Pudori] Quem ſupra quoque c. 40. in Murena laudauit: *Sit apud vos modeſtiae locus: ſit demiſſis hominibus perfugium: ſit auxilium pudori.*

Generi, et familiae] Latius patet *genus*, quam *familia.* plures enim eiusdem generis familiae eſſe poſſunt: vt Pulchrorum, Neronum, Marcellorum familiae, Claudii generis: Scipionum, Lentulorum, Dolabellarum, Sullarum, Merularum, aliorum familiae, Cornelii. *Generi* igitur, Licinio: *familiae*, Murenarum.

Date etiam Lanuuio, municipio honeſtiſſimo] Libentius lego cum tribus antiquis Maſaeiorum libris, *Lanuuio municipio honeſtiſſimo*, quam, vt quidam libri mendoſe, *Lauinio:* cum Iuno Soſpita Lanuuii, non Lauinii, coleretur.

Vidiſtis] Non, quod abiiſſent municipes ante quam ſententiae ferrentur: ſed *vidiſtis*, dum cauſſa ageretur. alloquitur enim iudices

dices in exitu iudicii, cum ſententias de reo laturi iam eſſent.

Patriis] Quae in eius patria Lanuuio Iunoni Soſpitae fiunt.

Iunonis Soſpitae] Non Lanuvii ſolum, verum etiam Romae delubrum Soſpitae Iunonis fuit, auctore P. Victore. de Lanuuina autem Iunone Liuius lib. VIII. c. 14. et lib. XL. c. 19. Ouidius lib. VI. Faſt. v. 60. Silius lib. XIII. v. 364. Simulacrum eius fingi ſolitum cum pelle caprina, et haſta, et ſcuto, et calceis repandis, oſtendit Cicero lib. I. de Nat. deor. c. 29.

Facere] Sacra facere: vetere loquendi more.

Neceſſe eſt] More a maioribus accepto.

Auellere] Ab inuita. gratius enim ei, ſi ſacra ſua facientem videat domeſticum, ſuumque conſulem, quam ſi ceteros omnes conſules, qui quotannis ei facere conſueuerunt.

Momenti] Tenuiter dixit: cur enim commendatio cuiusquam valeat apud iuratos iudices? auxit igitur ſubiungens, *auctoritatis*. aequum eſt enim, auctoritatis habere aliquid conſulem de conſulis innocentia confirmantem.

Cupidiſſimum otii] Et natura, et fortuna: natura, quia bonus: fortuna, quia ſtatu optimo. quo qui ſunt, iis mutatio rerum odio eſt. propterea dixit ſupra c. 38. *Fortuna conſtitutum ad amplexandum otium.* et paullo ante c. 37. *Et natura, et fortuna cum reipublicae ſalute coniunctum.*

Contra ſeditionem] Tribuniciam. fauere enim, qui tribuni plebis deſignati erant, Catilinae conſiliis, iam demonſtrauimus.

In bello] Quod cum Catilina gereretur. aliud enim bellum ſignificari non poteſt: et quaecumque hic Cicero de Murena promittit, ac ſpondet, nullam in partem, niſi ad Catilinam, eiusque coniurationem, ſpectant.

Labefactat] Perturbat, vt ipſa respublica talem plane conſulem requirere videatur, qualem ego vobis futurum eſſe Murenam promitto, ac ſpondeo.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

ORATIONES

PARS ALTERA

LIPSIAE

APVD WEIDMANNI HEREDES ET REICHIVM

A. cIↃIↃCCLXXXIII

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

ORATIONEM

PRO

L. VALERIO FLACCO

ARGVMENTVM.

Accuſatum a P. Laelio L. Flaccum de repetundis ex Aſia, cui triennium poſt praeturam praefuerat, Cicero defendit. Tota fere defenſio ex confutatione teſtium Aſiaticorum. et Graecorum. qui Flaccum oppugnabant, et ex ipſius Flacci ſuperiore vita, magnisque erga rempublicam meritis conſtat. Egit eandem cauſſam et Q Hortenſius: de quo ſic in oratione c. 17. De hoc teſte, totoque Mitridatico crimine diſſeruit et ſubtiliter et copioſe Q. Hortenſius. *Et lib. II. ad Attic. epiſt. vlt.* Hortenſius quam plena manu, quàm ingenue, quam ornate noſtras laudes in aſtra ſuſtulit, cum de Flacci praetura, et de illo tempore Allobrogum diceret. *Atque ex illa quidem epiſtola, accuſatum eſſe Flaccum, Caeſare et Bibulo coſſ. ſatis intelligitur. quod hiſtoriae quoque ratio docet. nam cum praetor Flaccus fuerit Cicerone conſule, triennium autem Aſiam rexerit, quod ipſa oſtendit oratio: quis non videt, eius accuſationem in Caeſarem et Bibulum conſules incidere?*

EXPLANATIO

CAPVT I.

Huius maioribus] Propter memoriam P. Valerii Poplicolae, qui pro libera ciuitate contra Tarquinium regem proſpere pugnauit, legesque populo Romano gratas tulit.

Prope quingenteſimo anno] Anni vere numerantur a Valerio Poplicola, patriae liberatore, ad conſulatum Ciceronis, quo praetor Valerius Flaccus patriam a coniuratione Catilinae incolumem ſeruauit, CCCCLXVI. ſed Ciceroni mos eſt, non ſub-

tiliter annos interdum nume-rare.

Spe praeditum ſummae dignitatis] Ita coniunge, vt ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 7. *eximia ſpe, ſummae virtutis adoleſcentem.*

CAPVT II.

Senatumne] De hac figura ſatis multa diximus lib. V. in Verr. c. 48. in eo loco: *Quo confugient ſocii? quem implorabunt? qua ſpe denique, vt viuere velint, tenebuntur, ſi vos eos deſeritis? ad ſenatum deuenient, qui de Verre ſupplicium ſumat? non eſt vſitatum, non ſenatorium. ad populum Romanum confugient? facilis eſt cauſſa populi. legem enim ſociorum cauſſa iuſſiſſe, et vos ei legi cuſtodes ac vindices praepoſuiſſe dicet.*

Confirmationem auctoritatis ſuae] Vt ſenatus mentem de L. Flacci ſalute veſtrae ſententiae confirment.

Principes eius ordinis quinquaginta] Senatores, equites, tribuni aerarii lege Aurelia iudicabant.

Damnatus eſt is] C. Antonius, a M. Coelio accuſatus, a Cicerone defenſus. infra c. 38. *Oppreſſus eſt C. Antonius. eſto: habuit quandam ille infamiam ſuam: neque tamen ille ipſe (pro meo iure dico) vobis iudicibus damnatus eſſet: cuius damnatione ſepulcrum L. Catilinae, floribus ornatum, hominum audaciſſimorum, ac domeſticorum hoſtium conuentu epulisque celebratum eſt: iuſta Catilinae facta ſunt. Nunc a Flacco Lentuli poenae per vos expetuntur.*

Cur non is] Flaccus.

Repulit] Ademto ei ſubſidio coniuratorum, qui ad vrbem illum vocabant.

Rapitur (Ern. *repetitur*) *ad poenam*] Antonius.

Excepit] Tradita a Flacco, qui ea protulit, et patefecit. infra c. 40. *Tu, tu Flacce, praetor communis exitii nuncios cepiſti: tu incluſam in litteris reipublicae peſtem deprehendiſti: tu periculorum indicia, tu ſalutis auxilia ad me, et ad ſenatum attuliſti.*

Vtrum tamen (Ern. *tum*)] Imperfecta ſententia: cum nonnulla deſiderentur.

CAPVT III.

P. Seruilio] Iſaurico, qui de Cilicia, et Iſauris triumphauit, vnde cognomen.

M. Piſoni] Pupio, Hiſpaniam, ex qua Hortenſio, et Metello coſſ. triumphauit, poſt praeturam adminiſtranti. nam cum Flaccus Cicerone conſule praetor fuerit, non potuit M. Piſoni poſt eius conſulatum, quem biennio poſt Ciceronem conſulem geſſit, quaeſtor eſſe.

Geſſit] Legatus cum Q. Metello, qui de Creta triumphauit, et Creticus dictus eſt. infra c. 40. *Prodeſſe L. Flacco, iudices, debet, quod ſe tribunum militum, quod quaeſtorem, quod legatum imperatoribus clariſſimis, exercitibus ornatiſſimis, prouinciis grauiſſimis, dignum ſuis maioribus praeſtitit.*

Muta eſt huius temporis accuſatio] Silet prorſus accuſator de Cretici belli tempore.

Praeturae] Fuit Flaccus praetor vrbanus, vt iam dixi, Cicerone conſule: deinde in Aſiam iuit. infra c. 40. *Aſiaticae iurisdictioni*

dictioni vrbana iurisdictio reſpondebit.

At vero (Ern. *ea vero*)] Malim, *et vero*, notiſſimo, et in primis venuſto loquendi genere.

In ſummo et periculoſiſſimo reipublicae tempore] Quod fuit praetore Flacco, et quo multorum hominum gratioſorum voluntates laedere, cum ius diceret, coactus eſt.

Tmolites (Ern. *Timolites*)] A *Tmolo*, vel, vt putat Stephanus, a *Tymolo*, Lydiae vrbe: vt *Tmolus* per ſyncopen factum ſit.

Prouinciae maximae] Cilicia, in qua tribunus militum, Hiſpania, vbi quaeſtor, Creta, vbi legatus fuit.

CAPVT IV.

Iratus] Ira autem teſtimonio fidem derogat.

Condemnatus] A Flacco Aſiae praetore. infra c. 35. *In Lurconis libertum iudicium ex edicto dedit. hoſtis eſt Lurco.*

Cum cuperet] Modus loquendi, vt ad Gallum lib. VII. Fam. epiſt. 24. *Reſpondi, nullo modo me facere poſſe, cum vellem.* Alii ſine cauſſa mutant.

Religio] Iurisiurandi. nam teſtes iurati dicebant.

Quam promtus homo P. Septimius? quam iratus de iudicio, et de villico] Infra c. 35. *Litteras miſit de villico P. Septimii, hominis ornati, qui villicus caedem fecerat: Septimium ardentem iracundia videre potuiſtis.*

Putaſſet] Flaccus, Aſiae praetor.

Sublatus erat] Ipſe Coelius.

CAPVT V.

His rebus] Sunt, qui legant contra veteres libros, *aliis rebus*: ego nihil muto, et, *his rebus*, dictum arbitror pro, hoc tam vehementi ſtudio, hac tanta diligentia.

Cauſſae] Noſtrae. vbi enim odium accuſatoris contra reum apparet, non facile fidem facit accuſatio.

Gloriae cauſſa] Quam ex Flacci condemnatione ſperauit.

CAPVT VI.

De vi, de manu, de armis, de copiis] Quae, quod inquiſitionis nomine fieri ſoleant, vel etiam quod ab ipſo Laelio accuſatore inquirente facta ſunt: ideo lata lex eſt, quae lata numquam fuerat, vt certus inquiſitioni comitum numerus conſtitueretur. Haec proprie conferri in Laelium, indicant illa verba, quae ſequuntur: *Vt hanc vim omittam, quanta illa ſunt? quae quoniam accuſatorio iure et more ſunt facta, reprehendere non poſſumus.* Cum enim Cicero ita loquitur, oſtendit, vim illam accuſatorii iuris et moris non fuiſſe, a Laelio tamen gloriae cupiditate eſſe factam.

Recenti ac noua] *Recenti*, ad propinquum tempus, *noua*, ad vniuerſum refertur. proxime, inquit, lata lex eſt, quae lata numquam fuerat. ſic ad D. Brutum lib. XI. Fam. epiſt. 21. *Segulium negligamus, qui res nouas quaerit: non quo veterem comederit: nullam enim habuit: ſed hanc ipſam recentem nouam deuorauit.*

Paterno amico] Cui veriſimile videatur, adoleſcentem Laelium

Pompeii

Pompeii patris, ſummi viri, qui ante annos XX perierat, amicum ac perneceſſarium fuiſſe? ſuſpicor omnino, *paterno*, ſincerum non eſſe.

Familiarem] Vt eius crimina propter familiaritatem noſſe potuerit.

Regum] Mithridatis et Tigranis.

Adiunxit illa] Laelius.

Quae recitantur] In iudicio contra Flaccum.

Pſephiſmata] Cymaeorum, Pergamenorum, de quibus infra c. 7.

CAPVT VII.

Diſtributis partibus] A Laelio: vt alii ſcilicet aliis in locis eum ſermonem diſſiparent. eodem ſenſu, *partibus diuiſis*, dixit in Iulio c. 80. Suetonius: *Primum cunctati, vtrumne illum in campo, per comitia tribus ad ſuffragia vocantem, partibus diuiſis, e ponte deiicerent, atque exceptum trucidarent.*

Tributim et centuriatim] *Tributim*, cum ſciſceret plebs: *centuriatim*, cum populus vniuerſus iuberet.

Auctoribus] Iis, qui plebiſcitum, populiue iuſſum ſuaderent.

Sedentis] Cum Romana concio ſtaret.

Illa vetus] A Piſiſtrato ad Philippum Macedoniae regem, non amplius annis CL.

Tum optime meritos ciues e ciuitate eiiciebant] Vt Themiſtoclem, Ariſtidem, Cononem.

Caeſus eſt virgis] Quod Romae per Valeriam legem, et Semproniam non licebat. Caeſus autem iuſſu Flacci praetoris.

Cymaeus] A Cyma, Aſiae vrbe.

In fame] Nedum in caritate. ſic pro domo c. 5. *Atqui vtrumque fuiſſe perſpicuum eſt, difficultatem annonae, ſummamque inopiam rei frumentariae, vt homines non iam diuturnam caritatem, ſed vt famem plane timerent: nemo negat.*

Data concio Laelio eſt] Non Laelius, verum Athenagoras concionatus eſt: vt e ſequentibus patet. quare legendum puto, *a Laelio:* qui concionandi facultatem Athenagorae dederit.

Hoc teſtimonium eſt] Cymaeae ciuitatis, quae pſephiſmata contra Flaccum in iudicium miſerat.

Nuper epulati] Epulo accepto a Mithridate.

Pergameni] Qui et ipſi pſephiſma contra Flaccum miſerant.

Ego] Cum accuſarem C. Verrem.

CAPVT VIII.

Legationis] Sunt, qui legant, *largitionis*. quod non probo. ſuperuacaneum eſſet id, quod ſubiungitur, *priuata etiam benignitate prolectat.* hic autem agitur de viatico publico, quod eos Laelius a ciuitate ſperare volebat, cum fore diceret, non vt teſtes, verum vt legati mitterentur.

Scriptura, decumae, portorium] Vectigalia, quae prouinciales inuiti pendebant, acerbius interdum publicanis exigentibus.

CAPVT IX.

Proferuntur] Ab accuſatore.

Commodum eſt] Libet. non enim commodum, ſed libido oſtenditur:

ditur: vt infra c. 29. *Si quando tibi peregrinari commodum eſt.*

Hypſaeum] Qui Pompeii Mithridatico bello quaeſtor fuit.

His auctoribus] Pompeio, et Hypſaeo.

CAPVT X.

Qui numeraſſe dicitur] Pecuniam Flacco.

In conditione] In communi ſorte, fortuna, ſtatu: vnde *infimae conditionis homo.*

CAPVT XIII.

H-S ter et quadragies] CXXIX millia ſcutatorum.

Ptolemaeum regem] Anno ſequenti, Piſone et Gabinio coſſ. lege Clodia regno priuatum.

Cn. Domitii] Caluini, qui poſtea conſul fuit cum Meſſalla.

CAPVT XIV.

Ab Hemo (Ern. *Aeno*) *in Aſiam*] *Hemo*, deprauatum eſt. maritimum enim huius nominis locum, vnde Craſſus cum claſſe diſceſſerit, inuenire non licet. veteres libri, *Eno*, mendoſe.

Non refert vero, quid lucretur (Ern. *Non refert vero. Quid lucretur?*)] Dixerat Laelius, non debuiſſe Flaccum pecuniam imperaſſe, vt lucraretur: lucratum autem eſſe, ex eo conſtare, quia pecuniam illam in publicas rationes non retulerit. Reſpondet Cicero: Quid ad rem? ſiue retulerit, ſiue non retulerit. tu enim in eo crimen ponis, quod pecuniam imperauerit. et ille ſe non negat imperaſſe: crimen tamen eſſe negat: quia, quod fecit, aliorum exemplo fecit. quod ſi fatetur id, quod tu crimen eſſe vis, de pecunia imperata: quid eſt, cur obiicias de non relata? in quo crimen eſſe, qui probas? At, ſi retuliſſet, lucratus non eſſet. itaque crimine careret. Satis habeas, inquit Cicero, confiteri de imperata pecunia, vnde crimen intendis. non enim refert, quid lucretur.

Onus (Ern. *genus*) *imperatae pecuniae ſuscipit*] Malo, *onus*, ex Maſaeiorum libris, quam *genus*, vt eſt in aliis. congruit enim cum verbo, *ſuscipit*. ideo autem *onus*, quia crimen in eo ſtatuebat accuſator: vt, id confiteri, onus eſſe videretur.

Fratris mei laude] Malim, *hac laude*: cum ſequatur, *aliis*.

CAPVT XV.

Praeconem mentiri] Qui vnum citauerit Aſclepiadem, ceteros omiſerit.

Drachmarum CCVI millia] Maſaeiorum liber, CCVI. Fuluii Vrſini, *et* M. mendoſe vterque: quod ſi legas cum vulgatis libris, *CCVI millia*: ſcutatorum erunt XXIV millia DCCXX. vt drachmae Atticae pro Romanis denariis accipiantur: quod Graecis vſitatum: quia nullum Graecae monetae genus denario ſimilius.

Drachmas CCVI (Ern. *drachmarum CCVI millia*) *dediſſe*] Sic veteres libri: ſed mendoſa ſumma. quis enim credat, priuatum hominem auſum eſſe dicere, Flacco ſe tot drachmas dediſſe, quot ciuitatem publice? quare velim ex hac ſumma centum drachmarum millia detrahere. nam etſi hoc quoque modo mendacium erit impudens; quod ſequentibus verbis Cicero ipſe demonſtrat: longius tamen aberit ab impuden-

impudentia, quam ſi legatur, *CCVI millia.*

Ab A. Sextilio] Per A. Sextilium.

Praeclarus iſte auctor ſuae civitatis] Ironia. Laedebat enim publicam exiſtimationem, cum ſolere dicebat ſuos ciues ex tempore, quod opus eſſet, obſignare.

Diſtingui] Vt Flaccum abſentem ſua laudatione ornauerint, Laelio praeſenti nihil temporis cauſſa ſcripſerint.

CAPVT XVI.

Ceram eſſe vidimus] Quod ſignum falſitatis eſt.

CAPVT XVII.

Ne forte iſti parum verſuti eſſe videantur] Hoc enim fingunt: quod verum eſt, occultant.

Iudicium fieri videtur] Species in eo quaedam iudicii eſt.

Tres equites Romani] Recuperatores, vt opinor.

Periculo noſtro viuere] Id eſt, niſi viuant, accuſari nos poſſe vt mortis eorum auctores.

Praeſertim quod] Eleganter pro, *in eo quod:* alii ſine cauſſa mutant.

Qui arborem fici numquam vidiſſet] Fortaſſe quod arida nimis regio eſſet: vt in aliquot etiam Italiae partibus nec fici, nec vuae naſcuntur.

Cuius mors te ex aliqua parte releuauit] Aperta ſententia: nec aliter in iis, quos vidimus, antiquis libris. aliis placet, *te aliqua releuauit.* quod mihi quoque placet, ſi modo eſt, vt ipſi dicunt, in vetere libro. Et erit, *aliqua*, pro, ex aliqua parte.

Aculeo iam emiſſo (Ern. *dimiſſo*)] Cum in Flaccum, quae voluit, dixiſſet.

Homo doctus, et ſapiens] Imperite facit, et ſtulte.

Cum iam teſtem illum effugere non poſſit] Quia teſtimonium iam in Flaccum dixit.

CAPVT XVIII.

Ad illam aetatem] Ad ſenectutem, ad illam, quam videtis, aetatem.

Pari felicitate] A contrario ſenſu: id eſt, aeque infelix: quia nec ipſe in ſenatum vlla conditione peruenire potuit.

Hi tres] Legati Temnitarum.

Falſas eſſe voluerunt] Pro, corrumpere voluerunt, cum falſum ſeruorum numerum profeſſi ſunt.

Decreto] Suae ciuitatis in Flaccum.

Praetore Flacco] Quae odii cauſſa fuit in Flaccum.

CAPVT XIX.

Conficientiſſima litterarum] Quae perſcribit omnia diligenter.

Nummus moueri (Ern. *commoveri*) *nullus poteſt*] Sic lib. I. ad Attic. epiſt. 12. *A Caecilio propinqui minore centeſimis nummum mouere non poſſunt.* Eſt igitur, *mouere*, pro, auferre.

Occulte referenda] In decretum, cui ſcribendo primus affuerat Lyſanias. illi autem occulte illud, de drachmarum quindecim millibus, retulerant. tantum enim ſcripſerant, praetorem vnum de quinque pecuniam illam Flacco dediſſe. quod ſimile criminis videri non poteſt: cum in Temno acerrima, et conficientiſſima

ma litterarum ciuitate nummus moueri non poſſet ſine quinque praetoribus, tribus quaeſtoribus, quattuor menſariis. De pecunia vero eidem Flacco in aedem ſacram reficiendam data, occulte in decretum non retulerunt, ſed aperte: nam ſcripſerunt datam a cunctis praetoribus, quaeſtoribus, menſariis. Cur igitur, acute inquit Cicero, non eodem modo relata ſunt omnia?

Nihil timent] Quia, datam ei ab vno tantum praetore illam pecuniam, audacter perſcribunt, odio ſcilicet, ac maleuolentia compulſi.

Cum operi publico referunt] Cum perſcribunt et referunt pecuniam eidem datam in aedem ſacram reficiendam, eundem pertimeſcunt, id eſt, ita ſcribunt, datam ei a cunctis praetoribus, quaeſtoribus, menſariis, quaſi timeant, ne ab illo refellantur, ne ſibi datam neget.

A quaeſtore] De quo ſcriptum in decreto non eſt.

A menſa publica] Et hoc omittunt in decreto: quo modo igitur crimen probas?

Perſonarum] Praetorum quinque, qui Flacco dederint, quaeſtorum trium, qui praetoribus numerarint, menſariorum quattuor, a quibus quaeſtores acceperint. quae cum perſcripta non ſint, totum hoc, de drachmarum quindecim millibus, fictum crimen eſſe ſatis conſtat.

Vel quod eſt] Modus loquendi in augenda re vſurpatus, vt ad Gallum lib. VII. Fam. epiſt. 24. *Vel proxime de Tigellio.* et alibi. Eſt autem hoc alterum argumentum contra decretum.

Iudicatum duxit] Pecuniae Hermippo debitae condemnatum. qui cum iudicatum non ſolueret, Hermippo addictus eſt, et ab eo ductus, vt in eius ſcilicet poteſtate eſſet. id enim ius erat creditoris in debitorem, qui iudicatum non ſolueret. infra c. 20. *Cum iudicatum non ſolueret, addictus Hermippo, et ab hoc ductus eſt.* De hoc verbo diximus lib. II. in Verr. c. 12. in eo loco: *Si petit, ducas.*

Hic Hermippus] Videtur Hermippus fuiſſe Romae, aut etiam in iudicio affuiſſe, cum addatur pronomen, *hic.*

A ſuis ciuibus] A Temnitibus, apud quos nec in ſenatum venire potuit, et omnibus turpiſſimis iudiciis conuictus eſt.

Vsque Tmolo petiuit] Non accepit praeſens, ſed vsque a monte Tmolo petiuit.

In ſua ciuitate] Nam legatio eſt extra ciuitatem.

Vna (Ern. *vni*) *in vita commiſſa ſola eſt*] Nulla omnino praeter hanc vnam. auget, *ſola.* nam, *vna*, ſufficere videbatur. et vtrumque alibi quoque Cicero coniungit.

Vltroque iis ſumtum intulit] Immo hoc amplius: iis ſumtum intulit. tantum abeſt, vt exactam pro frumento pecuniam ſuis ciuibus retulerit, vt etiam, ſumtum a ſe factum eorum nomine, in rationes contulerit. Et eſt, *intulit*, hic, vt alibi, *induxit*: de quo verbo iam diximus: cum ſubauditur, *in rationes.*

CAPVT XX.

P. Fuluii] Qui pro Heraclide ſpopondit.

Is (Ern. *ei*)] Heraclides.

A C. et M. Fufiis] Qui nec ipſi crediderunt Heraclidi, ſed.

ſed, Hermippo ſpondente, ſoluerunt.

Cornici oculum] Qui callidum hominem fallit, *cornici oculum confixiſſe* dicitur. pro Murena c. 11. *Inuentus eſt ſcriba quidam Cn. Flauius, qui cornicum oculos confixerit.* Ductum ab eo, quia mortuorum oculos auide erunt cornices. cornicum autem qui oculos configunt, eas quodam modo fallere, et in eo ipſo, quo illae excellunt, ſuperare prudentia videntur. vt iureconſultos Flauius ille ſcriba, faſtis publice propoſitis, fefellit.

Percuſſit] Fefellit, damno affecit.

Crederet] Quisquam. etſi anteceſſit, *neminem*, ſed vnde non minus elici poteſt affirmatio, quam negatio: eſt enim ex vtraque compoſitum: vt alibi docuimus.

Ille] Otioſa vox.

Ab hoc ductus eſt] In huius poteſtatem traditus.

CAPVT XXI.

Iudex ſumitur] *Iudex*, pro arbitro.

Quod iudicium lege non erat] Non erat iudicium illud lege, ſed partium voluntate conſtitutum. itaque licuit actori Heraclidi ab eo iudice abire, et cauſſam totam relinquere.

Deciane] Vnus erat ex accuſatoribus Flacci.

Nudum eſſe voluiſti] *Nudum*, bis dixit, primum Deciani turpem libidinem, deinde auaritiam carpens.

Pecuniam adoleſcentulo, grandi fenore, fiducia tamen accepta, occupauiſti] *Occupare pecuniam*, eſt, in quaeſtu collocare, vt hic infra c. 25. *Cum ipſi graui fenore iſtam pecuniam multos annos occupauiſſent.* Lib. I. in Verr. c. 36. *Pecunias occuparat apud populos.* Pro lege Manilia c. 2. *Quorum magnae res aguntur, in veſtris vectigalibus exercendis occupatae.* Et apud Nonium. Fiduciam autem, auctore Boetio quarto commentario Topicorum, is dicitur accepiſſe, cui res aliqua ea lege mancipatur, vt mancipanti aliquando remancipet, fide vtrinque data ſine teſtibus, aut litteris: ideoque fiduciaria mancipatio dicitur. Nunc de fiducia commiſſa. *Committere multam*, vel *poenam*, eſt. multam, vel poenam eſſe commeritum, in multam, vel poenam incidiſſe. eodem ſenſu dicitur, *multa* vel *poena commiſſa eſt.* pro Cluentio c. 37. *Vt illam multam non commiſerit.* In Verrem lib. I. c. 10. *Qui illam hereditatem Veneri Erycinae commiſſam eſſe dicerent.* Lib. II. c. 14. *Petant hereditatem, quod eam palaeſtrae commiſſam eſſe dicant.* Lib. III. c. 12. *Poenam octupli, ſine vlla dubitatione commiſſam, non perſequebantur.* Cum vero dicitur, *alicui commiſſam eſſe hereditatem;* ſignificatur, ad eum deuolutam eſſe hereditatem, ab alio herede, qui non obſeruauerit ea, quae debuerat ex teſtamento. *Commiſſae hypothecae* dicuntur, vbi accidit, vt bona aliqua pignoris loco creditori obligata, propria eius efficerentur, debitore ad diem non ſoluente.

Hanc fiduciam commiſſam tibi dicis] Fiducia erat: iam tui proprii iuris eſſe fundum dicis, elapſo tempore, de quo conuenerat inter vos, vt is fundus, a Lyſania

nia fiduciario nomine Deciano nuncupatus, niſi Lyſanias certa die pecuniam reddidiſſet, Deciani proprius fieret. Haec igitur verba, *hanc fiduciam commiſſam tibi dicis*, hoc valent: hunc fundum tuum eſſe dicis, tenes hodie, ac poſſides. Carpit autem Cicero Decianum, vt iniquiorem in Lyſaniam, cui fundum paternum ademerit: ſimul oſtendit, eius fundi recuperandi ſpe veniſſe Lyſaniam ad dicendum teſtimonium in Flaccum.

Qui quoniam teſtimonium (Ern. *nondum*) *dixit*] Teſtimonium a Lyſania nondum eſſe dictum, oſtendunt ea, quae ſequuntur: itaque negationem deſidero.

CAPVT XXII.

Ad eam ciuitatem] Tralles dicit.

Sine cenſu] Sine re domeſtica.

Cuius auctor inuentus eſt nemo] Quis enim Maeandro credat, auctori leuiſſimo?

CAPVT XXIII.

Neque ſeuere] Quia miſerit eum, cuius in teſtimonio auctoritas nulla.

Siluerunt (Ern. *exſiluerunt*)] Contra Flaccum de pecunia Caſtricio ſoluta nihil dixerunt.

Ablatam] A Flacco filio.

Quid licuerit Flacco] Vtrum Flacco licuerit eam auferre.

Queruntur] Quia ſequitur, *dicant*, orta nonnullis coniectura eſt, legendum, *querantur:* quaſi eiusdem vtrumque temporis eſſe debeat: cum ipſa ſententia, *queruntur*, omnino poſtulet, non *querantur*. ordo enim hic eſt. Quam pecuniam a ſe ablatam Tralliani queruntur, eam ſuam ne dicant, ab iis requiram.

L. Flacci patris] Qui et ipſe Aſiae praefuerat, poſt conſulatum, quem cum C. Mario geſſit.

Illud tenebo] Collatam a ciuitatibus ad Flacci patris dies feſtos, atque ludos.

Queritur] Iniuſte. cur enim retineat alienum.

Grauis, locuples, ornata] Pungit eam, quae talis cum ſit, queratur tamen, quod alienum non retineat.

Quod non retinet alienum] Sua enim illa pecunia non fuit: ſed ideo queritur, quia transferebat eam a diebus feſtis, et ludis in quaeſtum, et fenerationem.

CAPVT XXIV.

An id, quod Pergami] Id eſt, plane idem, quod Pergami: quod Aſiae caput erat.

Vna epiſtola] Significat id, quod in Maniliana c. 3. expoſuit his verbis: *Vna die tota Aſia, tot in ciuitatibus, vno nuncio, atque vna litterarum ſignificatione ciues Romanos necandos, trucidandosque denotauit.*

Mithridatis] Ponti regis.

Violarent] Trucidandis ciuibus Romanis.

Filium] Flaccum.

Eſt confitendum] Aut ille motus ex Mithridatis epiſtola conſilio principum eſt excitatus: aut, ſi temeritate multitudinis, non conſilio principum, ita delicta vulgi et omnium imperitorum, quos Maeandrius concitauit, inſector, vt ea ſeparem a publica cauſſa, et ciuitatem hac laedendi Flacci culpa liberem.

CAPVT XXV.

Ex quibus ipſe nihil capiebat] Ipſe Flaccus filius. quem enim illi honores filio fructum fere-bant?

Quod Laelius dixit] Eos dixiſſe.

Dicere auderent] Cum Flaccus filius praetor eam pecuniam peteret.

Grauius agerem] Fingit ſe parcere Trallianis pro ſua, fratrisque amicitia: et tamen ſubiungit ea, quibus acerbiora reperire non poterat.

Euhyum (Ern. *Euium*)] Quaſi alterum Bacchum, ornabant Aſiatici Mithridatem iisdem cognominibus, quibus ipſe Bacchus appellari ſolebat. *Euhyus* autem dictus, quaſi bonus filius.

CAPVT XXVI.

Ex vera atque integra Graecia] Nam illi, qui contra Flaccum venerant, Graeci erant Aſiatici, corruptis moribus.

Fruges] Auctore Triptolemo, qui aratrum et agriculturam invenit.

Leges] Latae a Solone, ſapientiſſimo viro.

In omnes terras diſtributae] Inde ſuas leges et Romani petendas exiſtimarunt.

Metello] Cretico: de quo ſupra c. 3. et infra c. 40.

Quaeſtoremque] Praetore M. Pupio Piſone, de quo ſupra c. 3.

Tam procul a Graecorum omnium regionibus] Nam ſi propinqua eſſet, ſapientiam a Graecis accepiſſe videretur.

CAPVT XXVII.

Vt obſeſſam teneret] Tamquam infidam, et male animatam.

Cum periculo] Quia Carum fidei committendum nihil ſit.

Primarum partium] Non, vt putatur, qui ſaepius in ſcenam redit, ſed, vt arbitror, cui primae partes dantur in agendo propter ingenium, et artem.

CAPVT XXVIII.

A gradibus Aureliis] Circa quos Iudaea gens verſari ſolebat.

Illa turba] Iudaeorum.

Non adiuuabo] Summiſſa voce agam, ne magis in me incitentur.

Barbarae ſuperſtitioni] Opinor quia Iudaei aurum illud, vel ſaltem eius partem, quod vbique colligerent, in Iudaeam mitterent, vt in Solomonis fano reponeretur: quae illis religio videbatur: quam Cicero ſuperſtitionem vocat. hinc illud infra: *At Cn. Pompeius ex illo fano nihil attigit.*

Flagrantem] Tumultuantem, turbas commouentem, quia exportare aurum vetaretur.

Edictum] Flacci praetoris, ne exportaretur aurum ex Aſia.

Iudicatum] A ſenatu.

Prolatum] Aurum, quod exportabant Iudaei.

Pondo centum] Scutatorum decem millia.

Vox in coronam turbamque effunditur] Vt Iudaei concitentur.

Sua cuique ciuitati religio, Laeli, eſt, noſtra nobis] Reprehendit illam Iudaeorum religionem in auro in Solomonis fanum inferendo.

Elocata] Pretio locata, vt *elocare fundum*, apud Ciceronem lib. III. in Verr. c. 22. *boues*, apud Columellam lib. I. c. 7.

Serua-

Seruatae] Multos hic locus torquet: nec ſane mihi conſtat, quae ſententia poſſit elici ſatis apta, ſi ſic legatur. opem autem veteres libri nullam afferunt. nam quod, *ſerua facta*, quidam legunt, longe diſtat ab antiquis litterarum veſtigiis, et idem tamen eſſet, quod *elocata*. Videndum igitur (vt aliquid tamen dicam) an, *ſeruata*, fortaſſe valeat, *obſeruata*, in cuſtodias tradita, et quaſi obſeſſa, ne quid rerum nouarum moliri poſſit.

CAPVT XXIX.

Deciani] Vnius e ſubſcriptoribus Laelii.

In libera ciuitate] Apud Apollonidenſes, populi Romani ſocios.

Sed tamen (Ern. *in*) *Pergameno*] Feſtiua correctio. nam illud, *annos iam triginta in foro verſaris*, dictum cum laude videbatur: ſed, ne de foro Romano locutus eſſe videretur, in quo diu verſari, laudem habet; addidit, *ſed tamen Pergameno*, Romani diſſimillimo.

Commodum eſt] Pro libet, vt ſupra c. 9.

Purpuram Tyriam] Vel in lato clauo, ſi ſenator erat: quod non arbitror; cum annos triginta Pergami fuiſſet: vel in anguſto, ſi eques Romanus.

Vnis veſtimentis] Notat in veſtitu parſimoniam, quod eandem, quoties ad vrbem rediret, tunicam referret.

Pater tuus] Qui apud eosdem negotiatus eſt.

Habere] Non, emere, ſed, habere; quia fraude occupauerat.

Craſſi agri] Pingues, ex terra denſa, et glutinoſa, non ſoluta, et friabili.

Pedibus compenſari pecuniam] Quia quo minoris emuntur, eo laborioſius viſuntur longinqui agri; et quod in pecunia lucrum fit; pedum labore compenſatur.

A Tiberi] Secundum quem agri ſunt Cruſtumini, et Capenates in Etruria.

Ad Caicum] Phrygiae fluuium, ex Myſia fluentem.

Agamemnon cum exercitu erraſſet] Hoc Euſtathius in Iliad. α in verſu illo Homeri, (59.) παλιμπλαγχθέντας, explanat his verbis: Οἱ μὲν, ἀντὶ τοῦ ἐκδευτέρου πλανηθέντας φασὶ, χρώμενοι τῇ τῶν νεωτέρων ἱστορίᾳ τῇ λεγούσῃ ὅτι τὰ πρῶτα ἐπιστρατεύσαντες τῇ Τροίᾳ οἱ Ἕλληνες, ἥμαρτον τῆς ὁδοῦ, καὶ τὴν μηδὲν αὐτοῖς εἰς τιμωρίαν προσήκουσαν γῆν ἐληΐζοντο. ἡ δὲ, ἦν ἡ ὑπὸ τῷ Τηλέφῳ μυσία. ὁ δὲ Τήλεφος αὐτικαταστὰς, ἐποίησέ τι κακὸν, καὶ ἔπαθε. πέπονθε μὲν, τραῦμα δεινὸν ὑπ' Ἀχιλλέως, ἀμπέλου ἕλικι συμποδισθέντος αὐτῷ τοῦ ἵππου κατὰ Διονύσου πρόνοιαν, καὶ πεσόντος εἰς γῆν. ἐποίησε δὲ, τὸ ἀπράκτους ὑποχωρῆσαι τοὺς Ἕλληνας, ὡς δὲ τὸ τραῦμα εἶχεν ἀθεράπευτον, χρᾶται. καὶ ὁ χρησμὸς, ἀνεῖπε τὸ θρυλλούμενον, ὡς ἄρα ὁ τρώσας, ἰάσεται. πλέει γοῦν τὴν ταχίστην ἐπ' Ἀχιλλέα, καὶ συμβαίνει τὸν μὲν, ἰάσασθαι τὴν ὠτειλὴν, τὸν δὲ, δοῦναι μισθὸν τῆς ὑγείας τὴν εἰς Τροίαν ὁδηγίαν.

Emiſſes] Emere debebas.

CAPVT XXX.

Tutor] Eius mulieris, a qua ſe praedia emiſſe Decianus fingebat.

Graecorum legibus] Romanis quoque: ideo pro Caecina c. 25. *Quod mulier ſine tutore auctore promiſerit, deberi.* Pro Murena c. 12. *Mulieres omnes propter infirmitatem conſilii maiores in tutorum poteſtate eſſe voluerunt.* Hic admonendus eſt lector, non eſſe, *legibus*, in quibusdam antiquis libris. quod ſi recte: vel mendum eſt in verbo, *Graecorum:* vel legendum, *tutor his, legibus Graecorum adſcribendus fuit.* vt pro, *rebus*, reponatur, *legibus.*

Non (Ern. *num*) *reſtituis*] Praedia Amyntae: quae retinere non potes, Polemocrate condemnato, qui mulierum tutor cum Deciano in fraudatione conſenſit.

Quam Smyrnaea (Ern. *Smyrna*)] Deridet laudationes tam Pergamenorum, quam Smyrnaeorum. Honeſtior, inquit, Smyrnaea ciuitas eſt, quam Pergamena. quod ne ipſi quidem Pergameni negant. at Smyrnaei Caſtricium mortuum ita laudarunt, vt eum deriſiſſe videantur. quod ſi laudatio Smyrnaeorum honorem non affert, quanto minus Pergamenorum? cur igitur ea laudatione gloriaris?

CAPVT XXXI.

P. Scipioni] Ei, qui Ti. Gracchum occidit: quo facto Pergamum in exſilium abiit.

Alia ornamenta cenſeo quaeras] Noli gloriari, quod te Pergameni laudauerint: nam illa te laudatio non ornat.

Tibi] Praeſenti.

Recitabant] E pſephiſmate.

Litteris] Verbo: ſcriptis quidem litteris, non re vera.

Imponebant] Nolim hoc verbo aliquem falli: non enim hoc dicit, Deciani praeſentis capiti coronam auream vere eſſe a Pergamenis impoſitam. nam, impoſitam non eſſe, ex verbo, *litteris*, intelligitur. Sed, *imponebant litteris*, valet, imponendam pſephiſmate decernebant. aliud eſt autem, litteris, aliud, re ipſa imponere. Sed cum litteris, tum te, inquit, ludebant. nam re vera tibi non plus aurum committebant, quam monedulae: cui ſi quis committeret, amiſſum ſciret: auis enim illa aurum et argentum auide furatur, auctore Plinio lib. X. c. 29. conſtat ex duabus partibus ſententia, vna de corona, altera de venuſtate, et facetiis. Cum tibi coronam, inquit, litteris imponebant; ſed re vera cum tibi non plus aurum, quam monedulae, committebant, ne tum quidem venuſtatem eorum, et facetias perſpexiſti?

Proſcriptiones] Praediorum, quae Decianus a ſe emta dicebat.

P. Orbius] Tres Aſiae praetores nominat, P. Orbium, P. Globulum, L. Flaccum. Orbius, inquit, contra te decreuit: in Globulum fuiſti gratioſior, id eſt, munera contuliſti: ideo nihil contra te decreuit. Flaccum decreuiſſe fateris, verum inimicitiis et iracundia incitatum.

CAPVT XXXII.

P. Globulum] Seruiliae gentis, qui tribunus plebis obſtitit C. Cornelio collegae, quem poſtea Cicero defendit, inuito ſenatu legem ferenti, ne quis, niſi per populum legibus ſolueretur. Hic ſi praetor fuit ante Flaccum, aedilitatem omiſerit neceſſe eſt: cum

cum tribunus plebis fuerit, auctore Pediano in argumento Cornel. C. Piſone M. Glabrione coſſ.

Conſul] Bis conſul fuit, ſemel cum C. Mario, iterum cum L. Cinna, ſuffectus in Marii mortui locum.

Non potuerit priuatus in ciuitate conſiſtere] Eo iudicio damnatus, quo in exſilium ire coactus eſt.

Tribunus militum] In Cilicia, imperatore P. Seruilio.

In eius legione] Non quod ſolus in ea legione tribunus militum eſſet: nam, vt apud Polybium lib. VI. c. 17. legimus, quattuor in ſingulis legionibus tribuni militum erant: ſed quod in ea, tribunus militum cum eſſet, plurimum poſſet.

Praetor] Flaccus, Romae.

In conſilium] Vt iudex eſſes. in quo tibi honorem habuit, oblitus inimicitiarum, quae patri tuo cum illius patre fuerant.

Quae quidem quam ſancte ſolita ſint obſeruari] Quaenam? fuiſſe militem in eius legione, vocatum ab eo eſſe in conſilium: quae tu, Deciane, non obſeruas: Flaccum enim accuſas.

Decreuit Flaccus] Cum praetor Aſiae praeeſſet.

In liberos] Quod querebatur Decianus.

Num aliter, ac cenſuit ſenatus] Cenſuerat ſenatus, vt praetor Aſiae non modo in ſocios, verum etiam in liberos, quorum in numero ciues Romani, et in iis Decianus erat, ius diceret.

Senatus conſultum] Vt in liberos a praetore Aſiae ius dici poſſet.

Sed edixiſſet] Quod pro imperio fit: cum decernatur iure, cauſa cum conſilio cognita.

Num etiam fratris mei] Qui Flacco ſucceſſit.

Quas easdem mulieres (Ern. *mulieri*)] Locus deprauatus: quem alii, ſi, *mulieribus*, legatur, corrigi putant poſſe. mihi et apertior, et melior ſententia videtur, ſi legatur, *queis easdem mulieres amandatas apud Pataranos requiſiuit.* Quas enim mulieres, id eſt, Amyntae vxorem, et filiam reddendas eſſe Flaccus decreuerit, eas cum Decianus, ne redderet, apud Pataranos amandaſſet, Q. Cicero litteris requiſiuit. nondum tamen, cum haec haberetur oratio, redditas eſſe, dictum eſt ſupra c. 30. *Hodie*, inquit, *apud Decianum eſt et vxor Amyntae, et filia.*

Ad Globulum delata non ſunt] Non acta, vt apud Orbium, qui contra Decianum omnia decreuit, ſed delata tantum, quia Globulus nihil decreuit, corruptus a Deciano. vnde illud ſupra: *In P. Globulum fuiſti gratioſior.*

In cenſu dedicauiſti] Profeſſus es, in cenſum retuliſti. antiqua locutio, ſed exemplis parum confirmata. ſic locutum Africanum minorem, teſte Gellio cognoſcitur. *In vno ſcorto*, inquit lib. VII. c. 11. recitans Africani verba, *maiorem pecuniam abſumſiſti, quam quanti omne inſtrumentum fundi Sabini in cenſu dedicauiſti.*

Conuicta ab Apollonidenſibus] Iudicio tibi ademta ab Apollonidenſibus, condemnatione Polemocratis.

A noſtris magiſtratibus] A duobus praetoribus Aſiae, P. Orbio, et L. Flacco. nam Globulus nihil contra Flaccum videtur decreuiſſe.

Mitto, quod nullo in iure, (Ern. *nullo iure*) *neque in re, neque*

que (Ern. *in*) *poſſeſſione tua*] Alii, *nullo iure, neque in re, neque in poſſeſſione tua.* ego nihil muto, et ſic interpretor: Mitto quod nullo tuo in iure, neque tua re, neque in tua poſſeſſione, id eſt, neque iuris tui, neque rei, neque poſſeſſionis illa praedia ſunt. nam poſſeſſione noſtra multa fiunt, iure ſcilicet vſucapionis.

Sintne iſta praedia cenſui cenſendo] Opinor hoc dici: eiusmodi ne ſint, vt cenſeri poſſint? vt *cenſeri cenſus* dicatur, pro, fieri. fiebat autem, cum bona cenſebantur.

Habeant ius ciuile] Quod habent omnia, quae cenſentur. nam ſi non habent, quo modo cenſentur?

Sint, necne ſint, mancipi] Ita tui iuris, vt abalienari poſſint. pro Murena c. 2.

Subſignari] Cum probatum erat ab eo, qui profitebatur, ſiue fundum, ſiue domum, ſiue aliud quid, eſſe cenſui cenſendo, habere ius ciuile, eſſe mancipi, tum ſubſignabatur apud aerarium, et apud cenſorem, id eſt, in tabulas publicas referebatur.

In qua tribu denique iſta praedia cenſuiſti] Quo modo enim, quae apud ſocios praedia ſunt, ea cenſeri in nulla tribu poſſunt?

Commiſiſti] Vide, quam feceris imprudenter. commiſſum a te eſt, vt, cum haec praedia et in cenſu Romae dedicata a te ſint, et eadem tamen Apolloniae quoque, vt bona ſocrus Amyntae, in cenſu ſint, duplex tributum ſoluere cogaris, vnum pro cenſu Romano, alterum pro Apollonidenſi: tributum enim pro bonorum aeſtimatione cuique imponitur: bonorum autem aeſtimatio cognoſcitur e cenſu. [Perſpicua ſententia: quae prorſus obſcurabitur, ſi legatur, *promiſiſti*, vt eſt in quibusdam antiquis libris, quos probare nonnulli videntur.

Tempus aliquod grauius] Bellum eiusmodi, vt vbique tributum imperari neceſſe eſſet.

Magnum agri modum cenſeri] Dignum animaduerſione loquendi genus, vt aliquis magnum agri modum cenſeri dicatur. ſic infra: *Cum te audiſſet ſeruos ſuos eſſe cenſum.* Et: *Si aliena cenſendo Decianus ſua facere poſſet.*

Qui diuidi plebi Romanae non poteſt] Quo maioris copiae tuae videntur. diuidi autem ideo non poteſt, quia ſit in regione Apollonidenſium, qui ſocii liberi ſunt, ſuisque legibus viuunt. id ſupra c. 29. oſtenditur iis verbis: *Otium te delectat: lites, turbae, praetor odio eſt: Graecorum libertate gaudes.* Addere non grauabor, quod mihi hoc loco, ipſa Ciceronis verba examinanti, in mentem venit: quod tamen non fidenter, ſed dubia coniectura dicam: fortaſſe, ſi quis agrum, qui non eſſet cenſui cenſendo, qui ius ciuile non haberet, qui mancipi non eſſet, in cenſum retuliſſet, multam fuiſſe, vt ager plebi Romanae diuideretur. ab ea vero multa ſe tutum eſſe Decianus intelligebat, cum is ager diuidi non poſſet.

CXXX (Ern. *centum triginta H-S millia*)] Seſtertiorum centum triginta millia: quae nummo noſtro ſunt, ſcutatorum tria millia, nongenti: parua omnino ſumma: cum praeſertim Decianus glorioſus eſſet. quod ſi, CXXX pro *centies tricies*, accipiamus: praeclare Deciani gloriae ſatisfiet.] erunt enim ſcutatorum

torum trecenta nongenta millia. in quo Cicero iocatur, mentitum eſſe Decianum oſtendens gloriae cauſſa. Eam tu pecuniam, inquit, numquam, vt opinor, ipſe tibi numeraſti: ideo fieri poteſt, vt maiorem ſis profeſſus, quam quanta re vera ſit.

Neque huic vllam in eo feciſti iniuriam] Non enim ſuis ideo mancipiis eum priuaſti.

Aliena cenſendo] Et hic paſſive dictum, *cenſendo.*

CAPVT XXXIII.

Scilicet (Ern. *ſed*) *defendam Decianum*] *Sed*, magis quam, *ſcilicet*, aliis placet. mihi plus feſtiuitatis habere ſententia videtur cum *ſcilicet.* eſt enim quaedam ironia, *ſcilicet defendam Decianum;* pergitque cum eodem ioco: *Non eſt, mihi crede, corruptus.*

Quod ab eo redimeretur] Quod ab eo Flaccus emeret.

Sex horas] Tres accuſatori, totidem defenſori, in cauſſa repetundarum.

Inuidiſti] Propter ea fidem illius in dubium vocaſti.

Circumueniebat] De hac laude ſupra c. 10. his verbis: *Bene teſtem interrogauit: callide acceſſit: reprehendit: quo voluit, adduxit: conuicit, et elinguem reddidit.*

Feciſti (Ern. *feciſtis*) *et tu, et populi ſermo, ne exciperes*] Nulla fere mutatione turpis ex hoc luco eluitur macula. nam ſi legatur, *feciſſet, vt ex populi ſermone excideres:* vitii nihil ſuperſit. Si locum, inquit, illi tamquam ſubſcriptori tuo eiusdem agendae cauſſae dediſſes, fortaſſe tuam laudem obſcuraſſet; feciſſet, vt de ipſo potius, quam de te, populus loqueretur.

Vsque ad coronam applicuiſti] Adduxiſti eum in conſpectum populi, nihil amplius: nullas enim ei dicendi partes, de illius perfidia queſtus, reliquiſti.

Vt a fide ſe abduceret] Et haec, et quae ſequuntur verba, vnum de ſubſcriptoribus Laelii Lucceium fuiſſe, planiſſime demonſtrant.

Seſtertium vicies] Sexaginta ſcutatorum millia.

Et eum tu accuſas auaritiae] Cum Lucceio hic agit, non cum Laelio.

Qui teſtes ab eo prodirent] Subaudi, *indicares.*

Habitare vna] Supra c. 17. Laelii contubernales appellauit.

Tabulas in Laelii poteſtate fuiſſe] Tabulas publicas. quod non licebat. nam ſupra c. 17. *Qui de tabulis*, inquit, *publicis recitat iis, quae in accuſatoris poteſtate fuerunt, non debet habere auctoritatem.*

Nunc facis ſuſpicionem] Te a Flacco eſſe corruptum.

Ita enim dixiſti] Ita frigide, ita ieiune Flaccum accuſaſti, vt corruptus ab eo videri poſſis.

Neſcio quid] Hoc ipſum, ne vehementer, ne copioſe accuſares. Infantiam Lucceii, non Flacci corruptionem, quae nulla fuerit, frigidae, ieiunaeque accuſationis cauſſam fuiſſe oſtendit.

CAPVT XXXIV.

Ad ipſum] Quod Valeriae propinquus eſſet, et illa inteſtato eſſet mortua. infra c. 36. *Communem hereditatem, quae aequaliter ad vtrumque lege [illegible]ſſet, conceſſit adoleſcenti, propinquo ſuo.*

Quod falſum intenderit] Quod actione falſa hereditatem illam petiuerit.

Ingenua, inquit, fuit] Significare volebat accuſator, a libertinis mulieribus, inteſtato mortuis, non ab ingenuis, ad eandem gentem hereditates venire.

In manum, inquit, conuenerat] Docto viro, et in primis ingenioſo, legenti, *in matrimonium*, vt aſſentiar, a me non impetro. Cum enim in manum viri mulier conuenerat, eius bona dotis nomine viro ſubiecta erant. auctor Cicero in Topicis c. 4. *In matrimonium* autem *conuenire*, eſt, ſimpliciter matrimonium contrahere.

Vſu] Annua poſſeſſione. Vlpianus in Fragm. tit. XIX. §. 8.

An coemtione] Hic locus, et alter pro Murena c. 12. quid ſit *coemtio*, videtur oſtendere. eſt autem actio quaedam, qua mulier in alienam poteſtatem, atque adeo in aliena ſacra, ſuis interemtis, auctoribus omnibus tutoribus, cum tota re domeſtica tranſit.

Flaccum fuiſſe non dices] Qui eſſe debuit, cum tutor eſſet. quod ſi non fuit, coemtio fieri non potuit. ergo nec vſu, nec coemtione Valeria in manum conuenit. potuit igitur hereditatem illam, vt ſibi iure debitam, Flaccus praetor petere.

Vſu amittes] Vſu res et acquiruntur, et amittuntur. eſt igitur, *vſu amittes*, non adibis illam hereditatem, ſed, vt alius eam vſucapiat, permittes.

Impreſſio] Impetus.

Occaſio] Inter impreſſionem, et vim, occaſionem nominari non placet, ſed coniungi malim cum eo, quod ſequitur, *non tempus*, hoc ordine: *Non impreſſio, non vis, non occaſio, non tempus.*

Legationes liberas] Quae ſenatoribus dabantur.

Socios video queri] Quia cum ſenatoribus non aequo iure litigarent. lib. III. de Leg. c. 8. *Omitto, quemadmodum iſti ſe gerant, atque geſſerint, qui legatione hereditates aut ſyngraphas ſuas perſequuntur.*

Si hereditatem in prouincia creuerit (Ern. *non reliquerit*)] *Cernere hereditatem*, pro, adire, capere, vſitatum eſt.

CAPVT XXXV.

Moderatus eſt in teſtimonio dicendo religioni ſuae] Quia iuratus teſtimonium dicebat, rationem aliquam ſuae religionis habuit.

Sermo inſidioſus] Superiora de praetoribus dixit, haec de prouincialibus: quorum ſermo inſidias tendit, aſſentatio ad perniciem ſpectat.

In praetermittendis prouinciis] De ſe ipſo dicit, qui poſt conſulatum ire in prouinciam noluit: cum poſtea conſilium mutauerit, et in Ciliciam iuerit.

Litteras miſit] Flaccus Aſiae praetor, vt Septimii villicus, qui eadem fecerat, comprehenderetur.

Ardentem iracundia] In teſtimonio dicendo. ſupra c. 4. *Quam promtus homo P. Septimius? quam iratus de iudicio, et de villico?*

Lurconis libertum] Supra c. 4. *Iratus Flacco dixit M. Lurco, quod, vt ipſe aiebat, libertus erat eius turpi iudicio condemnatus.*

Ex edicto] Aliter facere non potuit, ſi ſuum edictum ſeruare voluit.

Flaccus

Flaccus exercuit (Ern. *exercet*)] An credat aliquis, ideo veſtros libertos Flacco damnatos eſſe, quia ſimultates cum iis exerceret?

CAPVT XXXVI.

Iſte Andro] Valeriae vir.

Deciſionis arbiter] Inter Andronem, et Flaccum, vt decideret, et ſtatueret.

Obſignator] Valerianae pecuniae. Hoc ideo dicit, ne quid Flaccus de Valerianis bonis attigiſſe putaretur.

Pactionem fieri] Pactionem Flaccus et Andro fecerunt, vt arbiter C. Caecilius decideret.

Seni illi Flacco] L. Flacci adoleſcentis patri.

Eum contra leges pecunias non cepiſſe] Quo crimine cauſſam dicebat.

Talenta quinquaginta] Scutatorum triginta ſex millia, id eſt, ſeſtertium nongenta millia, vt infra.

CAPVT XXXVII.

H-S DCCCC] Talenta quinquaginta ſupra nominata.

Quod certe multo pluris eſſet] Alioqui lucri nihil faceret.

Minus igitur lucri facit] Sed lucratur tamen. quod ſi lucratur, cur Albanum fundum vendi iubet? non igitur pecuniam illam Flacco dedit. ſed ipſe confecit.

Ab negotio] Iocatur. nullum enim erat Falcidio in Graecia negotium, niſi vt pergraecaretur, id eſt, cum Graecis ipſis. Graeco more bibendo, contenderet.

Auctore] Cui tu credi velis.

Laudato] Cum ironia: pro, nequiſſimo homine, qui patrimonium ſatis lautum pergraecando confecerit.

Poſtulo (abeſt ab Ern.)] Tam deprauatum nihil eſt, vnde homines imperiti ſenſum aliquem non percipiant. recta autem intelligendi conſuetudo, quod venuſtum, purumque non ſit, quod cum ratione, cum Latini ſermonis dignitate, cum tota verborum compoſitione non congruat, nihil probat. mihi ſurperuacuum omnino videtur, *poſtulo:* delere tamen, cum in eo libri omnes antiqui conſentiant, non audeo.

In quo motu temporum] Nutare iam coeperat ſtatus reipublicae Caeſare, et Bibulo coſſ. quae malorum denique omnium, publicaeque ſeruitutis cauſſa et origo fuit.

CAPVT XXXVIII.

Oppreſſus eſt] Damnatus de maieſtate, accuſante M. Coelio. ſupra c. 2.

Infamiam] Quaſi cum Catilina conſenſiſſet. culpam non dixit, vt eum crimine liberaret. itaque ſubiungit: *Neque tamen ille ipſe vobis iudicibus damnatus eſſet.*

Pro meo iure dico] Meo quodam iure hoc mihi videor affirmare poſſe, iuſtitia fretus et ſapientia veſtra ſingulari.

Sepulcrum L. Catilinae] Pro tempore ab impiis exſtructum, occaſione damnationis Antonii. nam Catilinae ſepulcrum in patria non fuit, cum hoſtis a republica iudicatus, procul ab vrbe in Etruria pugnans occubuiſſet.

A Flacco Lentuli poenae expetuntur] Vt Catilinam Antonius interemit, ſic Lentulum, virum conſularem, et tum praeturam gerentem,

gerentem, coniuratorum, qui poſt Catilinae diſceſſum in vrbe remanſerant, principem, Flaccus in vrbe oppreſſit.

Cethego] C. Cornelio Cethego, qui cum Lentulo in carcere necatus.

Si (*ſi* abeſt ab Ern.) *populi Romani perſpiciunt mentem*] Rectius, quam *proſpiciunt:* quod aliis placuit, vtriusque verbi vi parum animaduerſa. nam, *proſpicere*, de futuris rebus, *perſpicere*, de praeſentibus vſurpatur. hic autem de praeſenti re ſermonem eſſe, quis non intelligit ex iis verbis? *Omnibus rebus, quibus poteſt, populus Romanus ſignificat, quid ſentiat.*

CAPVT XXXIX.

M'. Aquillium] De quo lib. V. in Verr. c. 1. et alibi.

Clariſſimis viris] Ser. Sulpicio, M. Catone.

Me auctore] Monente, et hortante.

Duos conſules] Qui non fuiſſent, ſi Murena condemnatus eſſet.

CAPVT XL.

Prouinciam Galliam] De qua ſupra c. 26. *Neque vero te, Maſſilia, praetereo, quae L. Flaccum militem praetoremque cognoſti.*

Ciliciam] In qua fuit tribunus militum.

Hiſpaniam] In qua quaeſtor.

Cretam] In qua legatus.

P. Seruilius et Q. (Ern. *A.*) *Metellus*] Seruilius Iſauricus, Metellus Creticus.

O nox illa] Qua Flaccus et Pontinius praetores in transitu pontis Muluii legatos Allobrogum, cum litteris mandatisque ad ſuos ciues, et eodem itinere ad Catilinam miſſos, comprehenderunt. orat. III. in Catil. c. 2. et Salluſtius c. 45.

O nonae illae Decembres] Quo die expoſitis in ſenatu, atque editis coniurationis indiciis, conſule Cicerone, quid fieri placeret, conſulente, ſenatus cenſuit, vt P. Lentulus, cum ſe praetura abdicaſſet, itemque alii octo, qui cum eo coniurauerant, in cuſtodiam traderentur.

CAPVT XLI.

O nox illa] Qua Flaccus legatos Allobrogum cum litteris comprehendit.

Vobis vilior fuiſſet] Si de honore noſtro parum laboraſſetis.

Illam viam] Ciuium improborum, diuerſam ab ea, quam ſecutus eſt Flaccus.

CAPVT XLII.

Praecipitem et lubricam] Eiusmodi, vt ea perueniri ad honores non poſſet.

Huic planae et ſtabili] Quae bonos antea viros recto itinere ad honores duxit.

Nomen clariſſimum et fortiſſimum] *Nomen*, hic locum non habet: nec apte, et proprie, *nomen fortiſſimum*, dici, recte intelligens quispiam putauerit. quod ſi, *ciuem*, reponatur, congruent omnia.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM
PRO
P. CORNELIO SVLLA

ARGVMENTVM.

P. Cornelius Sulla, L. Sullae dictatoris propinquus, conſul deſignatus cum P. Autronio Paeto, damnatus erat cum collega de ambitu, et in eorum locum accuſatores L. Cotta, et L. Torquatus legis beneficio ſucceſſerant. Eundem Sullam accuſauit aliquanto poſt de coniuratione L. Torquatus filius. defendit Hortenſius primum, deinde Cicero. abſolutum eſſe, ſatis ex eo conſtat, quia Gabinium accuſauit. qua de re ſic lib. III. ad Q. Fr. epiſt. 3. Gabinium de ambitu reum fecit P. Sulla, ſubſcribente priuigno Memmio, fratre Caecilio, Sulla filio. *Hic eſt P. Sulla, a quo reo ſeſtertium vicies emturus Cicero Palatinam domum, mutuo accepit: vt ait Gellius lib. XII. c. 12. De eodem lib. II. de Offic. c. 8.* Nec vero vmquam bellorum ciuilium ſemen et cauſſa deerit, dum homines perditi haſtam illam cruentam et meminerint, et ſperabunt; quam P. Sulla cum vibraſſet, dictatore propinquo ſuo: idem, ſexto et triceſimo anno poſt, a ſceleratiore haſta non receſſit. *Mortem eius lib. IX. Fam. epiſt. 10. Cicero Dolabellae ſignificat his verbis:* Te tamen hoc ſcire volo, vehementer populum ſollicitum fuiſſe de P. Sullae morte, antequam certum ſcierit. Nunc quaerere deſierunt, quomodo perierit. ſatis putant, ſe ſcire, quod ſciunt. Ego ceteroqui animo aequo fero: vnum vereor, ne haſta Caeſaris refrixerit. *Et ad Caſſium, lib. XV. Fam. epiſt. 17.* Nos hic P. Sullam patrem mortuum habebamus. alii, a latronibus, alii, cruditate dicebant. populus non curabat. combuſtum enim eſſe conſtabat. Hoc tu, pro ſapientia tua feres aequo animo, quamquam πρόσωπον πόλεως amiſimus. Caeſarem putabant moleſte laturum, verentem, ne haſta refrixiſſet. *Habita videtur oratio anno proximo poſt Ciceronem conſulem. quod illa verba ſignificant orationis extremae:* Seueritatem iudiciorum, quae

quae per hos menſes in homines audaciſſimos facta eſt, lenitate ac miſericordia mitigate. *nam a coniuratorum nece, id eſt, a menſe vltimo conſulatus Ciceronis, longius diſtare accuſationem ceterorum, veriſimile non eſt. Suffragari videntur huic opinioni illa quoque verba, a Cicerone in accuſatorem Sullae Torquatum c. 10. coniecta.* Nihil eſt tam alienum ab eo, qui alterum coniurationis accuſet, quam videri coniuratorum poenam, mortemque lugere. Quod cum is tribunus plebis facit, qui vnus videtur ex illis ad lugendos coniuratos relictus, non mirum eſt: difficile eſt enim tacere, cum doleas. te, ſi quid eiusmodi facis, non modo talem adoleſcentem, ſed in ea cauſſa, in qua te vindicem coniurationis velis eſſe, vehementer admiror. *Quibus verbis, paullo ante coniuratos periiſſe, cognoſcitur.*

EXPLANATIO

CAPVT I.

D*ignitatis ſuae ſplendorem obtinere*] Vt conſul deſignatus erat, ita conſulatum adminiſtrare. quod cum ei non licuerit, amiſſo conſulatu, ſplendorem ſimul amiſit ſuae dignitatis.

Poſt calamitatem acceptam] Poſt damnacionem.

Modeſtiae fructum aliquem potuiſſet percipere] Vt, quia calamitatem modeſte tulit, propterea fructum aliquem ſuae modeſtiae ferret: quem autem fructum? vt nouam ei calamitatem creare nemo vellet.

Ampliſſimo in honore (*in* abeſt ab Ern.)] In conſulatu.

Communi ambitionis inuidia] Non propria culpa, ſed communi eorum odio, qui malis artibus, ambitu praeſertim, honores adipiſcuntur.

Autronii] P. Autronii Paeti: cui propter improbitatem, et nequitiam inſenſi omnes erant: et quia ſimul deſignati erant conſules, Autronii culpae affinis eſſe Sulla exiſtimatus eſt.

Quosdam] Torquatum filium ſignificat; quo accuſante, de ambitu damnatus conſulatum amiſerat.

Ne ſupplicio quidem ſuo] Ne poena quidem conſulatus amiſſi.

Nunc, quaſi intermiſſam] Quia ſeuere contra Catilinam, eiusque ſocios decreuit.

Neceſſitatem] Neceſſitudinem.

Q. Hortenſii factum] Sullae defenſio.

Mihi maiorem haec (Ern. *hae*) *res dolorem*] Quia conſul in ciues impios animaduerti, et huius puniendi criminis cura magis ad me, quam ad quemquam alium, pertinet.

CAPVT II.

Celebrari hoc iudicium] Venerant non vt patroni cauſſam acturi, ſed vt aduocati reum ſua praeſentia, ſuaque auctoritate ſubleuaturi.

In quibus ſubſelliis] Rei Sullae.

Illum in locum] Qualem ipſi obtinent: in illam honeſtatem, qua ipſi ſunt. explanatur ſequentibus verbis.

In hanc celſiſſimam ſedem dignitatis atque honoris] Quae conſularium

ſularium virorum eſt: conſulatum autem iis acceptum refert.

Hoc genere quaeſtionis] De maieſtate, cuius laeſae vltor fuerim.

De ceteris] Qui ſenſerunt, et ſentiunt idem, quod ego. neminem enim defenderunt hoc genere quaeſtionis, nunc tamen huic adſunt.

M. Laecam] M. Porcium Laecam, cuius in domum coniuratos Catilina conuocauit: vt infra c. 18. et orat. I. in Catil. c. 4.

C. Cornelium] Qui ſe Ciceronem conſulem interfecturum eſſe pollicitus erat. infra c. 18. et apud Salluſtium c. 28.

Autronio] Apparet eum bis eſſe damnatum, de ambitu primum, deinde, quod hic ſignificatur, de maieſtate.

CAPVT III.

Abfuiſſe] Neminem ex iis, qui nefarium patriae bellum indixerant, defendi.

Auctoritatis] Quae eſſe debet in eo, qui interfuit, qui cognovit, qui particeps et conſilii fuit, et timoris. haec enim ſunt eiusmodi, vt ei fides habenda videatur.

CAPVT IV.

Lepido, et Tullo (Ern. *Volcatio*) *conſulibus*] Vt ſequentis anni conſules Cotta et Torquatus Kalendis Ian. in Capitolio occiderentur, ſtatimque Catilina et Autronius, correptis faſcibus, deſcenderent. id autem conſilium Catilina, cum eius ratio, quia repetundarum quaerebatur, habita non eſſet, iniuit cum Piſone, et Autronio, circiter non. Decembr. De die caedis conſulum, id eſt, de Kalendis Ian. ſic infra c. 24. *De quo etiamſi quis dubitaſſet antea, num id, quod tu arguis, cogitaſſet, interfecto patre tuo, conſule, deſcendere Kalendis Ian. cum lictoribus?* E Salluſtio autem c. 18. non ſolum de die caedis, verum etiam de tempore, quo Catilina cum Piſone, et Autronio conſilium communicauit, intelligitur. cum enim de Cn. Piſone, propter inopiam, et malos mores nouarum rerum cupido. locutus eſſet, *cum hoc*, inquit, *Catilina, et Autronius*, (circiter non. Decembr.) *conſilio communicato, parabant in Capitolio Kalendis Ian. L. Cottam, et L. Torquatum conſules interficere; ipſi, faſcibus correptis, Piſonem cum exercitu ad obtinendas duas Hiſpanias mittere.*

Defenſum ab eo eſt] Crimen hoc Hortenſius a Sulla remouit.

Se non crimine coniurationis, ne adeſſent ceteris] Crimine coniurationis accuſatur Sulla, et a bonis tamen viris defenditur: eodem crimine accuſati alii ſunt, nec tamen defenſi: quia de hoc bene exiſtimatur, de aliis non item. qui igitur huic adſunt in crimine coniurationis, oſtendunt ſe, cum ceteris non affuerunt, non crimine coniurationis, ſed hominum maleficio deterritos eſſe.

CAPVT V.

Non prodeſſet] Quae non profuit.

Ita ſe gerebat] Damnati de ambitu in exſilium non ibant ante Ciceronem conſulem. ille damnatis exſilium lege lata irrogavit. pro Murena c. 41.

Locus

Locus eſt ipſe] Ignobile municipium, exigua frequentia, nullis opibus fuiſſe conſtat: ſiquidem conſolari potius calamitoſorum animos, quam inflammare poterat.

CAPVT VI.

Marcellis, patri, et filio] Caio praenomen vtrique fuit. ii ſunt, ad quos Cicero ſcribit lib. XV. Fam. epiſt. 7. 8. 10. 11.

Cauſſa] Cum bona cauſſa eſſet P. Sullae, non vt Autronii. ad lenitatem igitur, et miſericordiam ipſa me natura, cauſſa non aduerſante, hortata eſt.

CAPVT VII.

In quos teſtimonia dixiſti] Vt in Autronium.

Te in eos dixiſſe] Vterque igitur falſum diximus.

Isne] Tu ſcilicet.

Iterum] A C. Mario primum, deinde ab ipſo Cicerone, liberata coniurationis periculo republica.

Ti. Coruncanio] Qui de Vulſinienſibus, et Vulcientibus triumphauit.

Curioni (Ern. *Curio*)] *M' Curio*, legendum. ſermo enim eſt de veteribus, quos virtus potius, quam patria, nobilitauerit. nec inter eos referri Curio quisquam poteſt. at M' Curius, cui Dentato cognomen fuit, quia cum dentibus natus eſt, Coruncanii aequalis, honoribus, et rebus geſtis clarus fuit. ter enim conſulatum eſt adeptus: de Samnitibus, de Sabinis, de Lucanis, de Pyrrho rege triumphauit. hi omnes a Cicerone nominati, ex municipiis in vrbem venerunt; honoresque ſummos, quamquam plebeii generis, adepti ſunt.

CAPVT IX.

Sibi haberent alii (*alii* abeſt ab Ern.) *honores*] Similiter in Catone c. 16. *Sibi igitur habeant arma, ſibi equos, ſibi haſtas, ſibi clauam, ſibi pilam, ſibi natationes, et curſus: nobis ſenibus ex luſionibus multis talos relinquant, et teſſeras.*

Ex domeſticis imaginibus] M. Manlium ſignificat, qui, deiectis ex Capitolio Gallis, poſtea, cum in ſuſpicionem regni veniſſet, de rupe Tarpeia deturbatus eſt.

CAPVT X.

Illis meis praeſidiis] Bonorum omnium ſtudiis.

Conſolare te] Si meis inuides bonis, conſolare te odio improborum omnium contra me vnum. Cum Torquatum videatur accuſare, ſe ipſum laudat.

Fortiſſimi conſulis] Qui fortiſſimus anno ſuo conſul fuit.

Tantummodo vt vos] Non vt eos, qui circum iudicium ſtabant.

Qui ea probatis] Qui vera eſſe dicitis.

Leuiter (Ern. *leniter*)] Suppreſſa voce. carpit Torquatum, ita de coniuratis agentem, vt eorum cauſſae fauere videretur: cum tamen Sullam coniurationis accuſaret.

Quibus ſe venditabat] Iis, qui circum iudicium ſtabant.

Is tribunus plebis] Fortaſſe Metellus Nepos, qui Ciceronem abeuntem conſulatu concionis habendae poteſtate priuauit, cum diceret, ei, qui in alios animaduertiſſet

vertiſſet indicta cauſſa, dicendi ipſi poteſtatem fieri non oportere. quod ſi Metellus Nepos eſt; habita haec oratio Silano et Murena coſſ.

CAPVT XI.

Clariſſimum virum generis veſtri] T. Manlium Torquatum, qui tertium conſul, Latino bello filium, qui contra ſuum edictum pugnauerat, necari iuſſit.

De inuidioſis rebus] De nece coniuratorum: qua me Torquatus putat in odium veniſſe plebi Romanae, tamquam ea, quae conſul pro communi ſalute geſſi, non probanti.

Sine delectu] Militum.

Quinque] P. Lentulo, C. Cethego, ſenatoribus, L. Statilio, P. Gabinio, equitibus Romanis, M. Cepario Terracinenſe. Salluſtius c. 55. ipſe tamen Cicero, a ſe diſſentiens, nouem homines, non quinque poena affectos eſſe, ait in orat. III. in Catil. c. 6. ad eos quinque, quos iam nominavi, addens L. Caſſium, P. Furium, Q. Magium Chilonem, P. Vmbrenum.

Quae iuratus in maxima concione dixiſſem] Vltimo conſulatus die iurauit, a ſe ſeruatam eſſe rempublicam. id ipſe narrat in orat. in Piſonem c. 3. et in ea pro domo c. 35.

CAPVT XII.

Te amare] Tamquam ſui ſimilem.

L. ille Torquatus] Hic ipſe, qui Sullam accuſat.

Meus contubernalis in conſulatu] Ita tunc mos erat, vt adoleſcentes quotidiano conuictu et ſermone clarorum virorum, adminiſtrandae reipublicae ſcientiam perciperent. Sic L. Gellius C. Carbonis in conſulatu contubernalis fuit: vt in Bruto c. 27. Sic M. Coelius Q. Pompeio proconſuli contubernalis in Africam eſt profectus: vt in orat. pro ipſo c. 30.

Cum ſignifer eſſet iuuentutis] Fortaſſe hoc abundat: cum ſequatur: *Cum princeps, cum auctor, cum ſignifer eſſet iuuentutis.*

Omnibus rebus illis interfuit] Cum e Macedonia reuertiſſet. primis enim menſibus conſulatus Ciceronis eum abfuiſſe, illa orat. in Piſonem c. 19. verba declarant: *Ex qua prouincia modo vir omni dignitate ornatiſſimus, L. Torquatus, magnis rebus geſtis, me referente, abſens imperator eſt appellatus.*

Cum infirmitatem corporis animi virtute ſuperaret] Non diſſimile illud de Hirtio Phil. VII. c. 4. *Qua imbecillitate? qua macie? ſed animi vires corporis infirmitas non retardauit.* Et Phil. XIV. c. 2. de eodem: *Cuius imbecillitatem valetudinis animi virtus, et ſpes victoriae confirmauit.*

Nam ſi Torquatus Sullam ſolum accuſaſſet: ego quoque hoc tempore nihil aliud agerem, niſi eum, qui accuſatus eſſet, defenderem] Sumſiſſe videtur a Demoſthene ex oratione περὶ τοῦ ϛεφάνου, in qua ſunt haec: Εἰ μὲν γὰρ οὖν περὶ ὧν ἐδίωκε μόνον κατηγόρησεν Αἰσχίνης, κἀγὼ περὶ τοῦ προβουλεύματος εὐθὺς ἀπελογούμην. ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἐλάττω λόγον τἄλλα διεξιὼν ἀνάλωκε, καὶ τὰ πλεῖϛα κατεψεύσατό μου.

CAPVT

CAPVT XIII.

L. Caſſium] Longinum, vnum ex coniuratis, ſenatorii ordinis, et fortaſſe praetorium. nam Ciceronis competitor fuerat in conſulatu. plebeii generis, nobilem tamen, Pedianus in argumento orat. contra competitores fuiſſe dicit. nominatur orat. III. in Catil. c. 4. 6. 7. 10.

Subleuat] Excuſat. quod veriſimile eſt. cur enim excuſet? ne illi Sullam indicent? at ipſe Caſſius, quia fore non putabat, vt illi quemquam indicarent, de ſe ipſo confeſſus iam erat.

Neſciuit] Ex perſona Torquati: vt, cum dixiſſet Caſſius neſcire ſe, purgatum non eſſe Sullam oſtenderet.

CAPVT XIV.

Aliter, ac dictum eſt] Ab Allobrogibus.

In tabulas publicas] Cum eſſem conſul.

CAPVT XV.

Cum tua vox numquam ſit audita] In foro agendis cauſſis.

CAPVT XVI.

Retuliſſe gratiam] Par pari retuliſſe.

CAPVT XVII.

Quia coactus] Veritate, et ſtudio reipublicae.

CAPVT XVIII.

Honor ad patrem] Sullae conſulatus ad Torquatum patrem delatus eſt.

Inſignia honoris ad te] Te enim ornat patris conſulatus, Sullae ademtus.

Factum tuum] Quod Sullam accuſas.

Satis idoneum officii iudicem poſuiſſe]. Fortaſſe hoc dicit, iudice te vti exiſtimo officii tui ſatis idoneo parente tuo: id eſt, patrem tuum, quid te facere deceat, tibi praeſcribere, et accuſationis auctorem eſſe. Satis idoneus autem filio pater eſt officii iudex. Vel ideo, *ſatis idoneum*, dixit, quaſi Sullae inimicum, cui conſulatum ademerat. quis autem, qui oderit, idoneus officii iudex eſt?

C. Cornelii] Equitis Romani, quem immiſſum ab Autronio ad Ciceronem conſulem interficiendum, ſupra c. 6. dixit.

Sapientem] Ironia. ſtultum enim ſignificat.

Reliquerit] Nam ſi indicaret ipſe, indicii praemium, id eſt, abſolutionem, conſequeretur. cum vero per filium indicat, praemium reliquit.

In confeſſione] Culpam enim fatetur, cum Sullae conſilia ſibi nota fuiſſe dicit, qui gladiatores, Fauſti ſimulatione, ad caedem, ac tumultum emerit.

Cum Hortenſio] Ipſo quoque Sullae patrono.

Illum comitatum Autronii et Catilinae] Sic muta: *Illo comitati Autronius et Catilina:* nihil vitii ſupererit. alioqui non explicabitur ſententia.

Inter Falcarios] Vicus hoc nomine Romae fuit, ita dictus, quod ibi erant falcarii: vt Priſcianus interpretatur. Orat. I. in Catil. c. 4. *Dico te priori nocte veniſſe inter Falcarios in M. Laecae domum.*

Quae

Quae conſecuta eſt poſterum diem nonarum Nouembris] Quae fuit inter non. Nou. et VIII. id. nam, *poſterum diem*, valet, ſequentem diem.

Officioſam] Quia ſpecies quaedam officii erat in eo, cum prima luce ſalutatum veniret.

CAPVT XIX.

In agro Camerti] *Camers* a *Camerino*, quod eſt in Vmbria, deducitur: *Camerinus* a *Camerio*, quod in Latio deletum a Romulo eſt: *Camarinenſis*, a *Camarina*, vrbe Siciliae.

Emtos eſſe] A P. Sulla.

Arrepta eſt familia] Obiectio accuſatoris, repente gladiatores illos eſſe emtos, ad caedem ſcilicet, ac tumultum. Solutio: At ii ſi emti non eſſent, alios emere potuit, quibus Fauſti munus praeberet. Eſt autem breui cum obiectione breuis item coniuncta ſolutio: vt obiectionis infirmitatem ſolutionis breuitas oſtendat. infertur enim ſolutio per praenomen, *quae*. nam cum dici poſſet: *At ea ſi eſſet praetermiſſa:* dicitur, *quae ſi eſſet praetermiſſa*. Sic pro Archia c. 4. *At domicilium Romae non habuit is, qui, tot annis ante ciuitatem datam, ſedem omnium rerum ac fortunarum ſuarum Romae collocauit*. *Familia* ſeruos hic deſignat. ſerui autem gladiatores, ideoque emuntur. *Arrepta*, properationem Sullae ementis oſtendit: quod infra quoque confirmatur iis verbis: *Properatum vehementer, cum longe tempus muneris abeſſet*. Ex quo miror, cum nec obſcuritatis, nec vitii ſententia quidquam habeat, cur nonnullis, locum mutare, et pro, *arrepta*, reponere, *at emta*, in mentem venerit.

Haec ipſa] Quam vos reprehenditis, et, vnde argumentum ducitis, de caede ac tumultu Sullam cogitaſſe.

Iniquorum inuidiae] Qui Fauſto inuident propter opes ei a Sulla patre relictas: quibus non ſatisfacit haec familia, vt exigua, parum reſpondens eius honoribus, cui mortuo dabatur.

Exſpectationi] Maiorem enim familiam, et magnificentiorem apparatum a Fauſto exſpectabant.

Properatum vehementer] A P. Sulla in emendis gladiatoribus, vt iis non ad Fauſti munus, cuius longe tempus aberat, ſed ad caedem, ac tumultum vteretur. Obiectio accuſatoris eſt.

Nec opinante] Pro, non opinante. numquam enim hoc participium cum, *non*, Cicero coniungit. ad Sulpicium lib. XIII. Fam. epiſt. 18. *Admirabar magis, te, quaſi rogatus, aut certe admonitus, vltro ad eum ſcripſiſſe, eique nec opinanti voluntatem tuam tantam per litteras detuliſſe.* Et haec obiectio eſt.

L. Caeſarem] M. Antonii, qui poſtea triumuir fuit, auunculum.

Q. Pompeium] Sullae nepotem ex filia. Pedianus in argumento orat. pro Milone.

C. Memmium] P. Sullae priuignum. vt lib. III. ad Q. Fr. epiſt. 3.

At praefuit familiae Cornelius] Aut, *Cornelius*, abundat: quod arbitror: aut P. Cornelius Sulla, pro quo eſt oratio, deſignatur: qui tamen Sulla ſemper, numquam Cornelius, appellari ſolet.

Ferramenta] Quibus gladiatores in pugna vterentur.

Eaque res] Totum illud negotium, quod per Sullam adminiſtratum eſſe, cum eum praefuiſſe dicunt, aduerſarii probare conantur.

CAPVT XX.

Cum Mauritaniae rege] Cum Hiempſale, qui nominatur agr. I. c. 4.

Si in Hiſpania turbatum eſſet] Quid apertius? cur igitur placet nonnullis, *ſi in Hiſpaniam turbatum iſſet?*

Cum ceteri deficerent] Sociali bello.

Qui tanto amore ſuas poſſeſſiones amplexi tenebant] Orat. II. in Catil. c. 8. *Vnum genus eſt eorum, qui magno in aere alieno maiores etiam poſſeſſiones habent: quarum amore adducti, diſſolui nullo modo poſſunt.*

Cognationem] Quae disiungi non poteſt. aliena duxit, non cognata: itaque facile eſt adductus, vt ea ab ſeſe remoueret.

CAPVT XXI.

Pompeianos] Ab oppido Pompeiis.

Exagitata] Inter ipſos.

Sulla diſſenſerit] Qui et ipſe patronorum vnus erat.

In omni fortuna, atque omni honore] Sullae damnatio de ambitu deſignatur.

Ab illis] Sullae accuſatoribus.

Cum ab hoc illa colonia deducta ſit] Dominante L. Sulla.

*Populi Romani (*Ern. *reipublicae) fortuna*] Opinor quia Pompeianos L. Sulla ciuitate [et iure ſuffragii priuauerit.

Alteros] Pompeianos.

Dimouiſſe] Colonis inductis.

CAPVT XXII.

Gladiatores] Supra c. 19. nominati.

Rogationis Caeciliae cauſſa] Vt per vim ferretur lex, quam frater P. Sullae Caecilius tribunus plebis de minuenda ambitus poena promulgauerat.

De leuanda] Quia damnatus fuerat Sulla de ambitu. eam poenam noua lege Caecilius minuere cupiebat.

Fratris auctoritate] Quia Sulla remouit eum a conſilio ferendae legis.

Per L. Caecilium] Quia Caecilius eam legem promulgauerat.

Eam ferebat] Placet quod aliis, *auferebat.* niſi ſi dicas, voluiſſe Caecilium eam ferre poenam, non quae cum vltima lege, (vltima autem Calpurnia tunc erat, qua Sulla damnatus eſt) ſed quae cum ſuperioribus congrueret: in quibus aliquanto leuior, quam in vltima, ambitus poena conſtituta erat. vt, *ſuperioribus legibus*, valeat, iis, quae ante vltimam latae fuerant. *Nuper* autem ſit, non multo ante vltimam.

Queritur] Vt nimium graui.

CAPVT XXIII.

Nos] Apparet, conſulem fuiſſe Ciceronem, quo anno Coelius tribunus plebis fuit.

Q. Metellus praetor] Metellus Celer, qui poſt biennium, legitimo interuallo, cum Afranio conſul fuit.

Agrariae legi] A Rullo promulgatae: contra quam extant Ciceronis orationes.

Onere depoſito domeſtici officii] Omiſſo conſilio ferendae legis, quam

quam promulgauerat impulſus amore fraterno.

Ne per vim quid ageretur] Reſpondet ad illam obiectionem, de qua ſupra c. 22. *At enim et gladiatores, et omnis iſta vis, rogationis Caeciliae cauſſa comparabantur.*

Autronii] Qui et ipſe de ambitu damnatus conſulatum amiſerat.

Tum honoris] Quia ſimul conſules deſignati fuerant.

Tum etiam calamitatis] Quia ſimul de ambitu damnati.

Secundas fortunas] Conſulatum.

Sine vllo remedio] Autronii enim odio Sulla premebatur.

CAPVT XXIV.

Cn. Piſonem] Qui Cotta et Torquato coſſ. cum Catilina et Autronio coniurauerat. Cicero, Salluſtius, Pedianus.

Deſcendere] In forum. Sic enim loquebantur, quia nobiliores in collibus habitabant. tale illud Phil. XIV. c. 5. *Scitis enim, per hos dies creberrimum fuiſſe ſermonem, me per idus Quintiles, qui dies hodie eſt, cum faſcibus deſcenſurum.* Et lib. IV. ad Attic. epiſt. 3. *Cum ſacra via deſcenderem.*

Cum lictoribus] Vt conſulem: quia deſignatus conſul fuerat.

Exſpectationi hominum] Iis, qui meam pro Sulla orationem exſpectabant.

Reuocandi eſtis eo] Ad mores, vitamque P. Sullae.

Cogit animis (Ern. *animos*)] *Vos cogit animis*, vereor ne cuiquam paullo durius eſſe videatur. nec vero magis placet ita diſtinctum, *cogit, animis:* vt, *animis*, non ad, *cogit*, ſed ad, *reuocandi eſtis*, referatur. nimis enim longe diſiunctum.

CAPVT XXV.

Conatum eſſe] Quid? non, vt arbitror, coniurare, ſed rempublicam perdere: quod eorum, qui coniurant, conſilium eſt. Vnus Fuluii Vrſini liber habet, *contaminatum eſſe*, ceteri omnes, *conatum eſſe.* mihi, *conatum eſſe*, placet: vt e ſuperiore vita nefarii conatus oriantur, nec eos reſpuant cuiusquam aures, qui Catilinam nouerit. eſt autem, *conari*, de re, quam non aſſequimur. quod Catilinae contigit. inde illud in Oratore c. 30. *Vides profecto, illum multa perficere, nos multa conari.*

Ad ciuile latrocinium] Ad ciues occidendos.

Cum indicibus] Quos in bona, fortunasque ciuium innocentium immitteret. ſic de Catilina in orat. pro Murena c. 24. *Vallatum indicibus, atque ſicariis.*

Inſaniam libidinum] Qui modum in cupiditatibus ignorat, recte de eo dicitur, *inſania libidinum.*

Peruerſam atque impiam religionem] Non rectam, neque cum reipublicae ſalute conſentientem. Significat, opinor, illud, quod orat. III. in Catil. c. 4. ſcripſit, quod et Salluſtius c. 47. memoriae tradidit: Lentulum dicere ſolitum, *ex libris Sibyllinis, haruſpicumque reſponſis ſe eſſe tertium illum Cornelium, ad quem regnum huius vrbis, atque imperium peruenire eſſet neceſſe: Cinnam ante ſe et Sullam fuiſſe.*

Aut nefarie, aut ſtulte] *Nefarie* contra patriam, *ſtulte* de regno.

Aut ſtulte] Hoc ad illud ſpectat, *inſaniam libidinum.*

Finitimum] Quia, cum ſimul vterque de ambitu, poſtea vero de coniuratione etiam Autronius damnatus eſſet, quo de crimine reus erat Sulla: videbatur eius nomen Sullae periculo et crimini finitimum eſſe.

In ſtuprorum defenſionibus] Cum obiecta ſtupra defenderet.

CAPVT XXVI.

Deformata] Propter condemnationem de ambitu.

A natura inchoata] Principia illarum rerum a natura data adhuc remanent.

Celebratio quotidiana] Celebratur quotidie Sullae domus civium honeſtiſſimorum conuentu.

Familiaris dignitas] Pro, familiarum dignitas. infra c. 28. *Ex hoc hominum numero, ex hac familiari dignitate, in impiorum partem, atque in parricidarum coetum ac numerum transferetis?*

Fortuna in hoc fuit fortaſſe grauior, quam in ceteris] Quia, cum in pari culpa alii fuerint, ſolus tamen Sulla damnatus eſt.

Cum lege retineretur] Lege Calpurnia, quae de ambitu damnatis exſilium non irrogabat. poſtea decem annorum exſilium addidit Tullia lex, a conſule Cicerone lata.

CAPVT XXVII.

Turpiſſima morte] Cum ſumma infamia.

CAPVT XXVIII.

Moderatur] Grauiora facit, aut leuiora.

Regit] Arbitratu ſuo gubernat.

Libido] Quaeſitoris.

Corrumpit ſpes] Corrumpit tormenta, id eſt, eos, qui torquentur. ſpe enim praemiorum dicunt ea, quae non ſunt: iidemque metu tacent ea, quae ſunt.

Torqueatur] Pro, examinetur: cum hoc verbo congruit id, quod ſequitur, *ex ea quaeratur:* et illud infra, *ſi a vobis vitae perpetuae vox ea, quae grauiſſima debet eſſe, audietur.* nam, *vox,* ad tormenta reſpicit, in quibus emittitur. alioqui cur hic voci locus eſſet? Hoc ideo dixi, ne quem eorum coniectura moueat, qui legendum putabant: *Vita P. Sullae, Torquate, exquiratur.* Sed verbum, *torqueatur,* ſi mutetur, pulcherrima ſententia deprauabitur.

Disquiſitionibus] Cum de aliquo crimine disquiritur.

Dedere ſuſpicioni] Nolite, propter quorundam ſuſpicionem, vitam Sullae condemnare.

Munite communem arcem bonorum] Quam arcem? vt ante acta cuiusque vita fidem in iudicio faciat.

Obſtruite perfugia improborum] Quae ſunt perfugia improborum? vt anteacta vita ne ſpectetur, ſed falſis teſtibus bonorum ſalus oppugnetur.

Valeat ad poenam, et ad ſalutem plurimum] Subaudi, *vita:* de qua proxime dictum eſt.

CAPVT XXIX.

Illumque laudarunt] Cotta et Torquato coſſ. cum de repetundis, accuſante P. Clodio, cauſſam diceret. ſequitur: *Nulla tum patebat, nulla erat cognita coniuratio.* quae ſcilicet poſtea patuit, et cognita eſt. eius auctores,

res, et principes Cn. Piſo, Catilina, Vargunteius, Autronius, ſupra c. 24. nominati.

Alio in iudicio] Cum accuſatus eſt Catilina inter ſicarios, Caeſare et Figulo coſſ. poſt effecta comitia conſularia, cum repulſam paſſus eſſet. Hac tota de re vide quae diximus in argumento quattuor orationum in Catilinam.

Nihil audierunt] Vt nihil Torquatus audierat, aut certi nihil cognouerat, cum ei conſul affuit, de coniuratione prima.

Illa res prima] Prima coniuratio.

Valuit] Effecit, ne cum ceteris adeſſet.

Non inueterata] Non debuit inueterata eius animum mouere, quae recens non mouerat. tunc enim reo conſul affuit.

Ante hunc] Ante Sullam.

Deſcripti] Deſignati. vnde illud lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 3. *Reſpondit ei vehementer Pompeius; Craſſumque deſcripſit.*

Quod ſatis eſſet ad teſtandam memoriam (Ern. *atteſtante memoria*) *omnium*] Quantum ſatis eſſe, et probari poſſet omnium memoriae teſtimonio.

CAPVT XXX.

Caſu magis, et felicitate a me, quam virtute, et conſilio geſta eſſe videantur] Eadem ſententia ad Metellum lib. V. Fam. epiſt. 2. *Huius ego temeritati ſi virtute atque animo non reſtitiſſem: quis eſſet, qui me in conſulatu non caſu potius exiſtimaret, quam conſilio fortem fuiſſe?*

Graue eſſe videretur] Ironia. quaſi dicat: Graue nequaquam videri deberet. Sed, ſi graue eſt, hoc omittam, quod in his cauſſis coniurationis pudori meo tribuam, non auctoritati. pudor enim eſt ita dicere, non defenderem Sullam, ſi coniuraſſe arbitrarer: auctoritas eſſet, non defenderem, ſi coniuraſſet.

Cui vni togato ſupplicationem decreuerit] Scripſit idem ad Catonem lib. XV. epiſt. 4. his verbis: *Tu idem mihi ſupplicationem decreuiſti togato, non, vt multis, republica bene geſta, ſed, vt nemini, republica conſeruata.* Et in Piſonem c. 3. *Mihi togato ſenatus, non, vt multis, bene geſtae, ſed, vt nemini, conſeruatae reipublicae, ſingulari genere ſupplicationis, deorum immortalium templa patefecit.* Et Phil. XIV. c. 8. *Mihi conſuli ſupplicatio, nullis armis ſumtis, non ob caedem hoſtium, ſed ob conſeruationem ciuium, nouo et inaudito genere, decreta eſt.*

De re (Ern. *republica*) *P. Sullae rem vllam ad me eſſe delatam*] Vitium apparet: itaque nonnulli, *de re*, tamquam ſuperuacaneum inducendum putarunt. in quibusdam antiquis libris, *de reatu*, legitur, quod idem vitioſum eſſe conſtat. Nobis placeret, *de crimine.* non enim longe differt *crimine* a *re*, ſi, *crimine*, contracte legatur.

CAPVT XXXI.

Perſolui patriae, quod debui] Poena coniuratorum.

Amiſſa ſunt] Cum de ambitu damnatus eſt.

Cui honoris integros fructus] Inſignia conſulatus, quae, niſi Sulla damnatus eſſet, ad filium perueniſſent. ſupra c. 18. *Honor ad patrem, inſignia honoris ad te delata ſunt.*

Si non integra] Iam enim conſulatum amiſit.

Gratulari] Abſoluto a vobis.

CAPVT XXXIII.

Reiectione interpoſita] Facile eſt intelligere, vnius accuſatoris in crimine coniurationis reiectionem iudicum fuiſſe. veriſimile eſt autem, in reiectorum locum eos deligi ſolitos ab accuſatore, quos putaret de reo ſeueriſſime iudicaturos. quam Cicero, ex accuſatoris mente, *acerbitatem* appellat: iudicum autem gratiam, et clementiam aucupatur in eo, quod ſubiungit: *A fortuna nobis ad praeſidium innocentiae conſtituti.* Et infra: *Eſt veſtri animi, atque virtutis, declarare, non eos eſſe vos, ad quos potiſſimum, interpoſita reiectione, deuenire conuenerit.* Quo loco ſignificat, ſi crudeles iudices accuſator quaeſierit, erraſſe in delectu: quos enim delegit, a crudelitate longe abeſſe.

Quid de me populus Romanus exiſtimaret] Quem intelligere cupiebam, non me natura, ſed reipublicae cauſſa ſeuerum in improbos fuiſſe: itaque Sullae innocentis defenſionem libenter ſuscepi.

Per hos menſes] Licet coniicere, Sullam a Cicerone defenſum ſtatim poſt eius conſulatum, id eſt, Silano, et Murena coſſ. nam, *per hos menſes*, praeſentem annum oſtendit.

Ipſa cauſſa] Quam a me iam plane cognouiſtis.

Deuenire] Spes accuſatorem fefellit. vos enim delegit potiſſimum ad ſpem acerbitatis: ego autem, cum ipſam cauſſam conſidero, cum veſtrum animum, veſtram virtutem intueor, non a vobis crudelitatem, ſed lenitatem potius, ac miſericordiam exſpecto.

A nobis] A me, propter conſulatus mei ſeueritatem: a vobis, abſolutione P. Sullae.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

ORATIONEM

PRO

ARCHIA POETA

ARGVMENTVM

Vrbem Romam eximia primorum regum, primorumque conſulum virtus, quam poſteritas imitata eſt, ab humili principio ad ſummam amplitudinem, gloriamque perduxit. Ac mihi quidem in eas cauſſas, vnde opes tantae manarunt, intuenti, cum aliae nequaquam leues occurrunt, tum illa non ſane minimi videtur eſſe ponderis, quod gentibus bello victis non modo locus in ciuitate, verum etiam paria cum ceteris ciuibus iura concedebantur. tranſiit ea benignitas in ſingulos ciues: et primum ii, qui ſtrenuam in proeliis operam nauaſſent, mox etiam, ſi qui, doctrina praeſtantes, ad ornandas populi Romani res geſtas ingenium contuliſſent, ciuitatis iura conſequebantur. atque alii quidem aliis temporibus, Archias autem, Antiochiae in Syria natus, Ciceronis aetate hunc honorem ſingulari principum ciuium ſtudio eſt adeptus. qui cum poetica laude floreret, vbique iam in Italia clarus, ab omnibus fere populis expetitus, primum a Tarentinis, Rheginis, Locrenſibus, Neapolitanis, deinde ab Heraclienſibus ciuitate donatus, poſtremo etiam in ciuium Romanorum numerum adſcitus eſt verum, vt multi ſaepe reperiuntur non modo artium optimarum expertes, verum etiam inimici, exſtitit quidam Gracchus, qui, quod Archiae beneficium virtus pepererat, in dubium reuocaret, eique litem de ciuitate, ex lege, quam Siluanus et Carbo tribuni plebis tulerant, intenderet. Reſpondit ei Cicero: cauſſam probauit: merita hominis extulit: dignum oſtendit, non modo qui ciuitatem non amitteret, quam iure optimo teneret, verum etiam, qui, niſi eam haberet, conſequeretur. Eſt autem haec omnis in quattuor diſtributa partes oratio. Primum ab officio ſuo, quo adductus Archiae defenſionem ſusceperit, Cicero exorditur. Deinde, quorum ille ciuium amicitia, et familiaritate floruerit, et quibus tamquam gradibus ad

Romanae ciuitatis honorem adſcenderit, magna cum eius laude narrat. Tum, accuſatori reſpondens, Archiam neganti ciuem Romanum eſſe, argumenta, quibus ille vtebatur, diluit, ac refellit. Quarto loco; qua doctrina praeſtet Archias, eam laudat a tribus rebus, a fructu, quod adoleſcentiam alat, ſenectutem oblectet; ſecundas res ornet, aduerſis perfugium, ac ſolatium praebeat; delectet domi, non impediat foris: a dignitate, quia ceterarum rerum ſtudia praeceptis, arte, doctrina conſtent; poeta vero ſuas vires, et ſuam praeſtantiam ab ipſa natura ſumat, et quaſi ope quadam ac munere deorum immortalium excellat: a publica laude, quia, non eorum modo, quorum res geſtas poetae verſibus perſequuntur, ſed populi quoque Romani nomen illuſtretur. Poſtremo, vbi iudices et docuit ſatis, et delectauit, et mouit; docuit, donatione ciuitatis probata; delectauit, digreſſus a cauſſa in laudes poeticae facultatis; mouit, argumentis, et exemplorum copia: commendat iis Archiae ſalutem: et ſimul quaſi veniam petit, quod et de hominis ingenio, et communiter de ſtudiis humanitatis, ac litterarum liberius aliquanto ſit locutus, quam fori et iudiciorum conſuetudo ferre videatur. Habitam orationem puto D. Iunio Silano, L. Licinio Murena coſſ. cum dicat Cicero, Archiam proximis cenſoribus cum L. Lucullo apud exercitum fuiſſe: proximos autem ſine dubio ſignificet Cn. Lentulum Clodianum, et L. Gellium. nam a L. Cotta et P. Seruilio, qui Caeſare et Figulo coſſ. cenſuram geſſere, cenſum non eſſe actum, et Dio narrat, et hic Cicero ipſe teſtis eſt. habitam autem poſt Ciceronem conſulem, declarant ea, quae de periculis reipublicae, id eſt, de coniuratione Catilinae dicuntur. quod ſi et poſt Ciceronem conſulem, et ante cenſores, qui poſt eum fuere, habita eſt: neceſſario, vt mihi videtur, in Silani et Murenae conſulatum incidit.

EXPLANATIO

CAPVT I.

S*i quid eſt in me ingenii, iudices, quod ſentio quam ſit exiguum*] Grata iudicibus defenſio eſt, quae ab officio naſcitur, patrono, quantum reo debeat, et quibus rebus debeat, oſtendente. Tria Cicero proponit, ingenium, exercitationem dicendi, rationem, id eſt, naturam, vſum, artem. *Φύσις, ἐμπειρία, τέχνη*, ab Ariſtotele nominantur. quae ad acquirendam eloquentiae laudem aeque omnia requiruntur. quis enim naturae fructus eſt, niſi accedat exercitatio? quae porro exercitationis vtilitas, niſi eam ars moderetur, ac regat? in his omnibus ſi quid profecerit, hoc eſt, ſi quid eloquentia valeat, (in haec enim tria per amplificationem eloquentiam diuiſit) id Archiae in primis acceptum a ſe referri debere, ingenue fatetur. Vitat autem ſuſpicionem arrogantiae, cum ſubiungit: *Quod ſentio quam ſit exiguum:* et cum exercitationem fuiſſe mediocrem fatetur: et cum in ratione non ſe dicit ſemper eſſe verſatum, ſed ab ea nullum

lum aetatis ſuae tempus abhorruiſſe. illud affirmantis erat, hoc non negantis: in quo maior modeſtiae laus. Illa quoque non eſt inutilis animaduerſio, cum dubitatio antecedit, ſubiici definitionem. dubitatur in eo, *ſi quid in me ingenii, iudices:* definitur, *quod ſentio quam ſit exiguum.* Eiusdem generis duo ſunt inferiora membra. eſt enim dubitatio, *ſi qua exercitatio dicendi:* definitio, *in qua me non infitior mediocriter eſſe verſatum.* Tertia dubitatio eſt, *aut ſi huiusce rei ratio aliqua.* eam excipit definitio, *a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruiſſe.* Vtramque colligit concluſio, *earum rerum omnium.* Quae ſimul agnoſcuntur ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 1. praemiſſa enim dubitatione, *regis cauſſa, ſi qui ſunt, qui velint:* ſequitur definitio, *qui pauci ſunt:* et poſt definitionem concluſio, *omnes rem ad Pompeium deferri volunt.* Vno contenti ſimus exemplo, ne copia ſatietatem pariat: ſatis enim opinamur, ſi quid huius generis occurrat, vnde augeri ſententia, elocutio poſſit illuſtrari, notare paucis verbis, et, vt ait hic noſter, quaſi digitum ad fontem intendere.

Earum rerum omnium] Ingenii, exercitationis, rationis.

Vel in primis] Non ille quidem ſolus, (ne vni Archiae operam dediſſe videatur) cum et oratores audierit, et a philoſophis multa didicerit, ſed in primis, quia iam inde a pueritia illo auctore et principe complexus ea ſtudia ſit, quorum ope multorum ſalutem, vel, vt ipſe modeſte ait, nonnullorum defenderit atque ſeruarit.

Hic A. Licinius] Lucullorum praecipue beneficio ciuitatem adeptus Archias, nomen Liciniae gentis de more ſumſit, vetere ſeruato cognomine. Auli autem praenomen, a quo Lucullo ceperit, haud ſatis conſtat. nam quos Lucullos eius amicos ac familiares Cicero dicit fuiſſe, non dubito quin Lucius, et Marcus, fratres, deſignentur. Aulum vero Lucullum non modo neminem, cuius conſuetudine ſit vſus Archias, ſed neminem prorſus, qui quidem his temporibus vixerit, inuenimus. niſi ſi Marcus, Lucii frater, quem a Terentio Varrone adoptatum faſti Capitolini demonſtrant, Aulus fuit ante adoptionem, Marcus autem eſſe coepit adoptatus: quod ſi verum eſt, potuit Archias ab eo, nondum adoptato, praenomen accipere.

Fructum a me repetere] Vt optime de me merito gratiam referam. poteſt enim repetere, quae dedit, iure quodam ſuo. dedit autem, quidquid ingenio, exercitatione, ratione mihi videor praeſtare poſſe.

Et pueritiae memoriam recordari vltimam] Non vltimam, id eſt, vltimos pueritiae annos, ſed quae longiſſime a virili diſtaret aetate, quaeque cadere in memoriam poſſet: quae vel media, vel etiam prima, ſi modo in memoriam caderet, potuit eſſe pueritiae pars.

Horum ſtudiorum] Quae infra c. 2. vocat *ſtudia humanitatis.*

Quod alia quaedam in hoc facultas ſit ingenii] Differt enim poeta ab oratore.

Huic cuncti (Ern. *vni*) *ſtudio*] *Cuncti:* toti: vt ſit, toti penitus

tus dediti. *Studio* autem, eloquentiae.

Omnes artes, quae ad humanitatem pertinent] Ars oratoria, poetica, hiſtoria.

CAPVT II.

Me in quaeſtione] Praetorum duo iudicabant, vnus inter ciues, qui praetor vrbanus dicebatur, alter inter peregrinos. ceteri de criminibus quaerebant, qui et *quaeſitores* ideo vocabantur, vnde *quaeſtio*. quaerebatur autem in hoc iudicio, ciuis Romanus necne, eſſet Archias, praetore iudicium exercente.

Legitima] De qua lex eſt, et quae lege exercetur.

In iudicio publico] *Iudicium publicum* eſt, de quo accuſare cuiuis licet: *priuatum*, in quo priuata lis agitur, et priuatim duo litigant inter ſe, ius dicente praetore vrbano, aut peregrino, qui recuperatores dare conſueuerant. De praetore in ea pro Quintio c. 2. de iudicio publico in Diuinatione c. 1. ſatis multa diximus.

Praetorem populi Romani] Additur, *populi Romani*, exaggerandi gratia: vt cum dicitur, *ſenator populi Romani.* nam et praetor, et ſenator, per ſe appellantur.

Seueriſſimos iudices] Apud quos, extra cauſſam ſi quid affertur, locum habere non videtur. qui ſunt hi iudices? trium ordinum, ſenatorum, equitum, tribunorum aerariorum, qui de plebe erant. hi omnes hoc tempore ſimul iudicabant, ex lege Aurelia, quam praetor L. Cotta, Pompeio et Craſſo coſſ. tulerat. iudicabant autem, quod ex Pediano in Milon. c. 35. licet intelligere impari numero, equites vno pauciores ſenatoribus, tribuni aerarii vno pauciores equitibus, habita ſcilicet cuiusque ordinis dignitate. et quamquam ſinguli ordines ſeparatim ſententias ferrent, numerus tamen omnium plane iudicum, non ordines, in abſolutione, aut condemnatione ſpectabatur. cuius moris documento eſt epiſtola Coelii, lib. VIII. Fam. 8. in qua ſunt haec legis verba: *Quod eorum iudicum maior pars iudicarit, id ius ratumque eſto.*

Tanto conuentu hominum ac frequentia] Magna populi corona. nam ad audiendos oratores, praeſertim vbi cauſſa illuſtris aliqua ageretur, populus conuenire conſueuerat.

Hoc vti genere dicendi] De ſtudiis, quae ad humanitatem pertinent.

A forenſi ſermone] Sermo enim in foro de huiusmodi ſtudiis eſſe non ſolet.

Accommodatam huic reo] Qui excellit eo ſtudiorum genere, de quo ſum dicturus.

Non moleſtam] Pro veſtra humanitate, cum de ſtudiis loquar humanitatis.

Eruditiſſimo homine] Summus enim poeta, etſi magnam vim atque facultatem a natura ſumit, eruditione tamen ornatur vehementer, atque expolitur.

Hoc concurſu hominum litteratiſſimorum] Audiendi ſtudium non in populo tantum rudi, et litterarum experte, ſed in doctiſſimis etiam hominibus reus Archias, poeta ſummus, et homo eruditiſſimus, defendente praeſertim Cicerone, commouerat.

Hac

Hac veſtra humanitate] Litterarum illarum ſcientia, de quibus mihi ſermo futurus eſt. Hoc ſenſu interdum accipitur *humanitas:* quod cum exempla declarant, tum Gellius quoque lib. XIII. c. 16. docuit.

Hoc denique praetore exercente iudicium] A rebus quattuor argumentum ſumit, cur ſibi liceat de ſtudiis humanitatis, ac litterarum paullo loqui liberius: ab ipſo reo, ab iis, qui ad audiendum conuenerant, a iudicum humanitate, et praetore lectiſſimo viro. eſt enim emphaſis quaedam in pronomine, *hoc.*

De ſtudiis humanitatis] Quae ad humanitatem informant, quae animos humanitate excolunt. ſignificatur autem hiſtoria in primis, et poetice. nam vtraque infra laudatur. Gellius alias quoque diſciplinas humanitatis nomine comprehendit, cum eam *eruditionem* vocat, et ait propemodum eſſe, quam παιδείαν Graeci dicunt: exemplis tamen valde probantibus non vtitur. et in hac ipſa oratione c. 3. cum ait Cicero: *Ab iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari ſolet:* quid putemus? mathematicane, et phyſica ſignificari? at haec Romae tum non colebantur: aut virili certe aetate, non puerili: et omnino a perquam paucis. quare, quod ad Gellii opinionem attinet, nec probare poſſum, nec improbare audeo: aſſenſum libenter ſuſtineo.

Minime in iudiciis periculisque tractata eſt] Cum nouus Archias in iudiciis, periculisque ſit, mihi quoque concedendum videtur, vt in eius cauſſa prope nouo quodam, et inuſitato vtar genere dicendi. *Tractata eſt. tractare,* vſum, et experientiam ſignificat.

Perficiam profecto] Cognita Archiae virtute.

Cum ſit ciuis] Oratorie, quaſi aliud agens, Archiae cauſſam ſe eſſe probaturum ſignificat, vbi ad locum peruenerit.

Adſciſcendum] Aggregandum, adiungendum. hoc verbum de foro migrauit ad omnes res. nam, *ſciſcere,* plebis eſt: vnde *plebiſcitum.* ciuitas autem hoc tempore non ſigillatim, plebe ſciſcente, dabatur: ſed, quicumque foederatae ciuitati adſcriptus fuiſſet, ſi Romae domicilium habuiſſet; et ſi ſexaginta diebus apud praetorem eſſet profeſſus; is, vel nullo plebiſcito, ciuitate donatus intelligebatur. Oppoſita ſunt igitur, *ſegregandum, adſciſcendum.*

CAPVT III.

Ex pueris exceſſit] Ex pubertatis annis: quod Terentius in Andr. act. I. ſc. 1. v. 24. dixit, *ex ephebis exceſſit.*

Ab iis artibus] A cognitione artis poeticae, rhetoricae, hiſtoriae.

Ad humanitatem] Iis enim artibus animi rudes ad humanitatem, et morum elegantiam excoluntur.

Informari] Quaſi formae initium a litteris accipiat puerilis aetas, quae per ſe informis eſſet. *Informare* autem non abſolutam formam, ſed inchoatam ſignificat: vt ſit, in formam inducere. vnde illud lib. I. ad Attic. epiſt. 1. *Petitorum haec eſt adhuc informata cogitatio.* Et lib. VII. ad eundem epiſt. 3. *Nae tu haud multum requireres illum virum,*

rum, qui in ſexto libro informatus eſt.

Loco nobili] Honeſtis parentibus, non obſcura familia.

Celebri quondam vrbe] *Celebris*, et *deſertus*, opponuntur. frequentiam igitur ciuium ſignificat: addit rerum copiam, artium liberalium ſtudia. vbi enim haec tria ſunt, nihil illa vrbe commodius, nihil nobilius.

Ingenii gloria] Scriptis parta.

Contigit] Non contigit Romae, non in Italia, ſed Antiochiae primum, vbi natus eſt.

Vt famam ingenii exſpectatio hominis, exſpectationem ipſius aduentus, admiratioque ſuperaret] Magna laus, vbi famam res ipſa vincit. id Cicero tribuit Catoni Vticenſi, in eo libro, quem poſt eius interitum ſcripſit. *Contingebat*, inquit, *in eo, quod plerisque contra ſolet, vt maiora omnia re, quam fama, viderentur, id quod non ſaepe euenit, vt exſpectatio a cognitione, aures ab oculis vincerentur.* Inde ſumſit illud, delectatus egregia ſententia, Virgilius lib. XI. Aen. v. 124.

— *O fama ingens, ingentior actis,*
Vir Troiane, quibus caelo te laudibus aequem?

Erat Italia] Transit ex Aſia in Graeciam, ex Graecia in Italiam, ex Italia in Latium, ex Latio ad vrbem Romam: quibus omnibus in locis Archiam propter ingenii praeſtantiam in honore fuiſſe dicit.

Tunc plena Graecarum artium] Sero admodum Graecas artes, nec fere niſi poſt euerſam Carthaginem, Italia cognouit, ſecuro otio potita, nihil iam timens ab externis hoſtibus.

In Latio vehementius tum colebantur] Nondum exorto ſociali bello, quo litterarum ſtudia ſunt intermiſſa.

Propter tranquillitatem reipublicae] Sublatis omnibus bellis.

Non negligebantur] Maiorem Latio laudem tribuit, quam Romae. nam de Latio dixit, *colebantur:* de vrbe Roma, *non negligebantur.*

Tarentini, et Rhegini, et Neapolitani] Qui ſunt omnes in Italia, extra Latium. ii, quo tempore Archiam ciuitate donarunt, foederati erant, et ſuis legibus, non Romanis vtebantur; poſtea lege Iulia, belli ſocialis anno primo lata, municipes facti ſunt. nam quod ait Velleius lib. I. c. 15. Tarentum coloniam eſſe deductam poſt annum quam Fabrateriam, id eſt, Cn. Domitio, C. Fannio coſſ. anno vrbis DCXXXI. id videtur eſſe falſum; cum aliquot poſt annis tamquam in foederatam ciuitatem adſcribatur Archias. Rheginos foederatos tum fuiſſe, eadem ratio probat: municipes poſtea, id eſt, ciues Romanos, docet hic noſter lib. IV. in Verr. c. 60. *Quid arbitramini Rheginos, qui iam ciues Romani ſunt, mereri velle, vt ab iis marmorea Venus illa ne auferatur?* De Neapoli idem dico, poſt legem Iuliam municipium fuiſſe. argumento illud eſt ad Acilium lib. XIII. Fam. epiſt. 30. *L. Manlius eſt Soſis. Is fuit Catinenſis: ſed eſt vna cum reliquis Neapolitanis ciuis Romanus factus, decurioque Neapoli.* erat enim adſcriptus in id municipium, ante ciuitatem ſociis, et Latinis datam. Antea vero exſules Romanos Neapoli, tamquam in foederata ciuitate eſſe potuiſſe,

potuiſſe, Polybius ait lib. VI. c. 12.

Iam abſentibus notus] Non video, cur mutare, et pro, *iam*, reponere, *etiam*, quod Faerno placebat, neceſſe ſit. coniungo enim, *iam notus*, non, *iam abſentibus.*

Romam venit, Mario conſule, et Catulo] Poſtulare mos videbatur, *Mario et Catulo coſſ.* ſed in Bruto quoque c. 96. ita loquitur: *Ille a Craſſo conſule et Scaevola vsque ad Paullum, et Marcellum conſules floruit.*

Nactus eſt] Quod fortunae fuit.

Quorum alter] Marius.

Cum res geſtas] Triumphauerat enim Catulus de Cimbris, Marius autem de iisdem, de Ambronibus, de Teutonis, praeterea triennio ante de Numidis.

Tum etiam ſtudium] Studium legendo, aures audiendo. Catulus enim Graecas diſciplinas videtur nouiſſe: cum dicat Cicero lib. III. de Orat. c. 47. *Ariſtoteles, Catule, veſter.* Et in Bruto c. 35. *Iam Q. Catulus, non antiquo illo more, ſed hoc noſtro, niſi quid fieri poteſt perfectius, eruditus. multae litterae, ſumma non vitae ſolum atque naturae, ſed orationis etiam comitas.*

Aures] Quae, quod audirent, iudicare poſſent.

Luculli] Lucius, et Marcus, fratres: quorum Lucius de Mithridate, et Tigrane, Marcus ex Macedonia triumphauit.

Praetextatus] Nondum natus annos XVII. ea enim aetate, praetexta depoſita, virilem togam ſumebant. Hic tamen eſt, cur mirer, praetextatum Archiam dici, cum de eodem ſupra dictum ſit, *vt primum ex pueris exceſſit Archias.* quo tempore adhuc erat Antiochiae: nec potuit, niſi multis poſt menſibus, Romam peruenire: cum praeſertim Tarenti, Rhegii, Neapoli aliquandiu eum fuiſſe, vt ingenii ſui ſpecimen daret, quo ciuitatum illarum honorem obtinuit, veriſimile ſit. quem nodum, ſi quis velit, ita ſoluat, ex pueris exceſſiſſe Archiam, dici, id eſt, ex aetate puerili, non cum annos XVII natus eſſet: quod praetextae deponendae tempus erat.

Non ſolum ingenii, ac litterarum] Multi enim ingenio, litterisque praeſtantes amicitiam ad ſenectutem naturae vitio non perducunt.

Naturae atque virtutis] Humanitatis, et probitatis.

Q. Metello illi Numidico] Et hic, et filius propter nobilitatem ac virtutem ita noti ſunt, vt longior de iis oratio minime requiratur.

Audiebatur] Recitabant, atque adeo muſice canebant poetae ſuos verſus, nec ſolum in coetu familiari, ſed etiam in foro, audiente populo. vnde illud Catulli carm. 54.

Riſi neſcio quem modo in corona:
Qui cum mirifice Vatiniana,
Meus crimina Caluus explicaſſet,
Admirans, ait, haec, manusque tollens,
Dii magni, Salicippium diſertum.

Sic enim adoleſcentulus, examinatis diligenter in quattuor Controuerſiarum Senecae verbis, olim emendaui. Iuuenalis quoque ſat. I. v. 1.

Semper

Semper ego auditor tantum? numquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theſeide Codri?

M. Aemilio] Scauro, principe ſenatus, patre eius, quem poſtea Cicero defendit.

L. Craſſo] Oratore ſummo.

Druſum] M. Liuium Druſum, M. Catonis Vticenſis auunculum, qui tribunus plebis initio belli ſocialis a neſcio quo domi ſuae eſt interemtus. Velleius lib. II. c. 14. et alii.

Octauios] Tres Octauios, vnum Cnaeum, qui conſul fuit cum Cinna: alterum Cnaeum, non eodem patre natum, C. Curionis in conſulatu collegam: tertium Lucium, fratrem Cnaei, quem primum nominauimus, qui cum C. Cotta conſulatum geſſit.

Catonem] Marcum fortaſſe, patrem Catonis Vticenſis, nominatum lib. III. de Offic. c. 16. qui praeturam petens deceſſit. fuit et alter Cato, Lucii praenomine, qui cum Cn. Pompeio Strabone, anno ſecundo ſocialis belli, conſul in proelio occiſus eſt.

Afficiebatur ſummo honore] Non ab iis tantum, qui proxime ſunt appellati, ſed prorſus ab omnibus.

CAPVT IV.

Cum L. Lucullo] Poſt conſulatum.

Heracleam] Plures hoc nomine vrbes fuere: haec in Italia Heraclea eſt.

Aequiſſimo iure ac foedere] Quod cum ea, Pyrrhi temporibus, C. Fabritio conſule ictum eſſe, docet oratio pro Balbo c. 22. Foederati autem erant iure Italico Tarentini, Rhegini, Neapolitani, quod erant extra Latium: qui vero intra Latium populi, iure Latii. qui in Gallia, iure Gallico. Sed cum dicat hic Cicero: *Quod erant aequiſſimo iure, ac foedere;* videtur omnino ſignificare, meliore quodam iure, ac foedere Heraclienſes fuiſſe, quam Tarentinos, Rheginos, Neapolitanos. alioqui cur in eos adſcribi cuperet Archias, quaſi ceteris, in quos adſcriptus antea fuerat, neglectis? quorum etiam tabulis Archiam non vti, quod ſemper ſe Heraclienſem eſſe voluerit, infra c. 5. dicit.

Auctoritate] Viri conſularis.

Data eſt ciuitas, Siluani lege, et Carbonis] Tranſitus eſt ab Heraclea Archiae data, ad vrbem Romam, vt omnibus dari poſſet, qui foederatis ciuitatibus adſcripti fuiſſent, ſi tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuiſſent, et ſi ſexaginta diebus apud praetorem eſſent profeſſi. M. Plautius Siluanus, et C. Papirius Carbo, eius Carbonis, qui eloquentia excelluit, filius, eam legem tulere, cum tribuni plebis eſſent, Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone coſſ.

Q. Metellum] Eum, qui poſt biennium cum Q. Hortenſio conſul fuit, et, in Creta re bene geſta, Cretici cognomen obtinuit.

Cauſſa dicta eſt] Nam legi ſatisfecit Archias. ergo ciuis eſt. ſi negas, haec infirma.

Gracche (Ern. *Grati*)] Arbitror hunc eſſe Numerium Quintium Gracchum, qui tribunus plebis fuit, quo anno Cicero reſtitutus eſt: et, cum de reditu eius magiſtratus omnes promulgaſſent, ſolus cum collega ſuo Sex. Atilio Serrano, et vno Ap. Claudio

Claudio praetore, P. Clodii fratre, diſſenſit: vt in oratione pro Sextio c. 33. in Piſonem c. 15. et apud Pedianum.

Non opinari, ſed ſcire: non audiuiſſe, ſed vidiſſe: non interfuiſſe, ſed egiſſe] Non eſt diſſimilis illa figura pro Milone c. 4. *Eſt igitur haec, iudices, non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus. accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus.*

Qui hunc adſcriptum Heracli-enſem dicunt] Nam tabulae publicae interierant.

Hic] Non abeſt indignatio quaedam: quale illud ad Lucceium lib. V. Fam. epiſt. 15. *Hic tu ea me abeſſe vrbe miraris, in qua domus nihil delectare poſſit, ſummum ſit odium temporum, hominum, fori, curiae?* Et ad Trebatium lib. VII. epiſt. 13. *Hic tu me etiam inſimulas, nec ſatisfactionem meam accipis.*

Tabulas Heraclienſium publicas] Quibus, eum Heracleae adſcriptum eſſe, iudicibus probem.

Italico bello] Quod exortum eſt anno vrbis DCLXIII. ſociis indignantibus, quod lege Licinia et Mucia ſuas in ciuitates redire iuſſi eſſent. Triplex nomen eius belli fuit, Italicum, Sociale, Marſicum.

Incenſo tabulario] Quo tabulae, in quibus ciuium omnium nomina ſcripta erant, cuſtodiebantur. id videtur fuiſſe in poteſtate cenſorum et Heracleae, et reliquis in ciuitatibus, ſicuti Romae fuit. nam Liuius lib. XLIII. c. 16. *cenſores*, inquit, *extemplo in atrium Libertatis adſcenderunt: et ibi ſignatis tabellis publicis, clauſoque tabulario, et dimiſſis ſeruis publicis, negarunt ſe prius quidquam publici negotii geſturos, quam iudicium populi de ſe factum eſſet.* In oratione pro Milone c. 27. non in atrio Libertatis, ſed in aede Nympharum, loco fortaſſe mutato, tabularium fuiſſe conſtat. ibi enim de Clodio: *Eum, qui aedem Nympharum incendit, vt memoriam publicae recenſionis, tabulis publicis impreſſam, exſtingueret.*

De hominum memoria tacere] Qui Archiam Heracleae adſcriptum dicebant, et cum mandatis, publicoque teſtimonio venerant.

Ampliſſimi viri] L. Luculli.

Religionem] Teſtimonium cum iureiurando dictum. ſupra: *Adeſt vir ſumma auctoritate, et religione, et fide, L. Lucullus.*

Integerrimi] Quod corrumpi non poſſit.

Municipii] Haec dicente Tullio, municipium Heraclea fuit; antea, cum in eam Archias adſcribi voluit, libera ciuitas et foederata. dixit enim ſupra: *Quae cum eſſet ciuitas aequiſſimo iure, ac foedere, adſcribi ſe in eam ciuitatem voluit.* Infra quoque c. 12. municipium appellat.

Is, qui] Reſponſio ad obiectionem, prope coniuncta: vt irrideatur accuſator, qui obiecerit imperite, quod refelli nullo negotio poſſit. Similiter in oratione pro Sulla c. 19. diluitur obiectio cum irriſione quadam, ratione non ſeparatim ſubiecta, ſed ſtatim illata. *Abrepta*, inquit, *eſt familia: quae ſi eſſet praetermiſſa, poſſet alia familia Fauſti munus praebere.*

Ante

Ante ciuitatem datam] Siluani lege, et Carbonis. quae ciuitatem non dabat, niſi qui domicilium in Italia, cum lex ferretur, habuiſſet.

Romae collocauit] Relicta Heraclea, in quam adſcriptus erat.

CAPVT V.

Appii] Praetoris.

Gabinii] Praetoris.

Quamdiu incolumis fuit] Antequam condemnaretur.

Omnem tabularum fidem reſignaſſet] Omnem eius tabulis, in quibus profeſſorum erant nomina, fidem abrogaſſet. *Reſignaſſet*, inquit, quia tabulae obſignabantur annulo praetoris.

Et ad iudices] Vt de litura illa, quam in ſuis tabulis deprehenderat, iudicarent.

In nomen A. Licinii] Erunt fortaſſe, qui legendum exiſtiment, *in nomine:* ſed nihil mutandum: eſt enim, *in nomen*, pro, contra nomen, ad deprauationem nominis.

Humili aliqua arte praeditis] Vt ſcenicis artificibus. hos enim paullo poſt ad exemplum nominat. Romae quoque nec a ciuibus, praeſertim nobilioribus, muſice colebatur, vt Aemilius Probus in Epaminonda c. 1. ſcriptum reliquit: et hiſtriones omnes, praeter actores Atellanarum, tribu mouebantur, et ſtipendiis, vt infames repellebantur. Liuius lib. VII. c. 2. Valerius lib. II. c. 4.

Gratuito] Nullo eorum merito, nulla, aut humili arte.

In Graecia] Partem illam Italiae ſignificat, quae magna Graecia vocabatur, cuius a Latii finibus initium erat. Latium autem amne Liri terminabatur: vt docet Plinius lib. III. c. 5.

Homines] Populi, vt Rhegini, Locrenſes, Neapolitani, Tarentini, qui extra Latium erant in Graecia.

Locrenſes] Hos ſupra c. 3. non nominauit: cum tamen a reliquis, hic nominatis, ciuitate donatum eſſe Archiam diceret.

Summa ingenii praedito gloria] Summis ingenii meritis, non gratuito: quod de ſcenicis artificibus dixit.

Poſt ciuitatem datam] Duabus legibus, Iulia, et Plautia Papiria. leges enim de ciuitate biennio duae latae ſunt, vna conſularis, altera tribunicia: conſularis, L. Iulii Caeſaris, anno primo Italici belli, vt ſociis, qui in fide manſiſſent, aut arma depoſuiſſent, ciuitas daretur, nulla peregrinorum mentione facta: tribunicia, M. Plautii Siluani, C. Papirii Carbonis, anno altero eiusdem belli, non vt Italis daretur ſolis, verum vt peregrinis etiam, qui modo foederatis ciuitatibus adſcripti fuiſſent, et tum, cum lex ferretur, domicilium Romae haberent, et apud praetorem ſexaginta dies profeſſi eſſent.

Poſt legem Papiam] Duae leges Papiae diuerſis temporibus latae ſunt, vna ante annum vrbis conditae DCXXIII: quod ex Valerio Max. lib. III. c. 4. perſpicuum fit: altera anno DCLXXXVIII. Dione teſte lib. XXXVII. prior videtur fuiſſe non modo de ſociis nominis Latini, de quibus antea C. Claudius conſul lege lata ſanxerat, verum etiam de peregrinis omnibus in ſuas ciuitates reiiciendis: poſterior de omnibus peregrinis,

Italis exceptis. quibus Iulia lex Italico bello ciuitatem dederat. de qua nunc lege Cicero loquitur.

In municipiorum tabulas irrepſerint] Vt ciuitatem, quam peregrinis Papia lex poſterior ademiſſet, adſcripti municipiis tamquam Itali conſequerentur. Municipia, cum haec Cicero diceret, erant Rhegium, Locri, Neapolis, Tarentum legis Iuliae beneficio, antea ciuitates foederatae fuerant, ſine iure ciuitatis. ad quam ſententiam quia pertinet id, quod ſcriptum eſt ad Acilium lib. XIII. Fam. epiſt. 30. locum iisdem verbis recitabo: *L. Manlius eſt Soſis. Is fuit Catinenſis: ſed eſt vna cum reliquis Neapolitanis ciuis Romanus factus, decurioque Neapoli. erat enim adſcriptus in id municipium ante ciuitatem ſociis et Latinis datam.* Quo loco municipium appellat Neapolim, habita ratione ſui temporis, iure ciuitatis lege Iulia ſociis et Latinis iam donato, non eius temporis, quo Soſis ille Catinenſis (nam L. Manlius non ante dictus eſt, quam ciuitatem Romanam cum reliquis Neapolitanis eſt adeptus) in ciuitatem Neapolitanam adſcriptus eſt. Prima igitur lex Iulia, non peregrinis, ſed Italis, ciuitatem dabat: ſecunda Plautia Papiria, peregrinis quidem dabat, ſed cum triplici conditione: tertia Papia, peregrinos excludebat, iis tamen exceptis, qui in municipiorum tabulas adſcripti fuiſſent.

Irrepſerint] Latenter, et dolo; quod alia ratione conſequi non poterant. hoc ſenſu idem verbum vſurpatur in ea pro Balbo c. 2. *Non furatus eſſe ciuitatem, non genus ſuum ementitus, non in aliquo impudenti mendacio delituiſſe, non irrepſiſſe in cenſum dicitur.* Et lib. III. de Offic. c. 19. *Si vir bonus habeat hanc vim, vt, ſi digitis concrepuerit, poſſit in locupletium teſtamenta nomen eius irrepere, hac vi non vtatur.*

Cenſus noſtros requiris] Vt de ciuitate Archiae data cognoſcatur.

Scilicet] Subaudi, *debes eos requirere.* ironia: vt illud Virgilianum lib. IV. Aen. v. 379.

Scilicet is ſuperis labor eſt. —

Et Terentius in Andr. act. I. ſc. 2. v. 14.

— *Id populus curat ſcilicet.*

Hoc autem a ſuperioribus diſtinxi. nam antea, nulla diſtinctione, legebatur, *cenſus noſtros requiris ſcilicet.*

Proximis cenſoribus] Cn. Lentulo Clodiano, et L. Gellio. nam qui poſt eos fuere, Catulus, et Craſſus, abdicarunt: qui vero poſt eos creati ſunt, Cotta, et Seruilius Iſauricus, cenſum non egerunt: qui actus poſt triennium eſt, non exſpectato legitimo quinquennio, auctoribus Dione, et Cicerone lib. I. ad Attic. epiſt. 18. Praeterea non Catulo, et Craſſo, neque Cotta, et Seruilio, ſed Lentulo, et Gellio cenſoribus, Lucullus cum Mithridate bellauit, Pompeio, et Craſſo coſſ. quod Cicero docet lib. IV. in Verr. c. 22. his verbis: *Quid? Eupolemo Calatino, homini nobili, Lucullorum hoſpiti, ac perfamiliari, qui nunc apud exercitum cum L. Lucullo eſt, non idem fecit?* Orationes autem in Verrem habitae ſunt, vel ſcriptae potius, Pompeio conſule, et

Craſſo: quo anno cenſores creatos eſſe Lentulum, et Gellium, ex Cicerone, Aſconio, Plutarcho ſatis conſtat. quo autem anno Catulus, et Craſſus, vel Cotta, et Seruilius cenſores fuere, Lucullus ad vrbem, obſiſtentibus inimicis, ne triumphare poſſet, morabatur. nec niſi Cicerone conſule triumphauit.

L. Lucullo] Mithridaticum bellum gerente.

Apud exercitum] *In exercitu*, et *apud exercitum*, non eodem ſenſu dicitur: *in exercitu*, qui miles eſt; *apud exercitum*, qui vel negotii, vel rei militaris cognoſcendae gratia, vel quouis potius, quam ſtipendii, nomine, in exercitu eſt. ſic in Verrem lib. IV. c. 22. *Quid? Eupolemo Calatino, homini nobili, Lucullorum hoſpiti, ac perfamiliari, qui nunc apud exercitum cum L. Lucullo eſt, non idem fecit?* Archias autem non miles erat, ſed pro ſua virtute contubernalis imperatoris.

Superioribus] Philippo, et Perperna.

Primis, Iulio, et Craſſo] Fortaſſe, *Iulio*, *et Craſſo*, gloſſema eſt: cum ceterorum cenſorum nomina ſint omiſſa.

Nullam populi partem eſſe cenſam] Propterea triennio poſt Philippus et Perperna creati ſunt ante legitimum tempus.

In beneficiis ad aerarium delatus eſt] Hunc ego morem deferendi ad aerarium, ſi qui bene de republica meriti eſſent, didici olim ex lib. V. Fam. epiſt. 20. in qua ſic eſt: *Quod ſcribis de beneficiis: ſcito a me et tribunos militares, et praefectos, et contubernales dumtaxat meos delatos eſſe.* Qui enim vtilem reipublicae operam in bello quacumque ratione nauauerant, eorum nomina, ex eo bello reuerſi, vel praetores, vel imperatores ad aerarium deferebant: quae *beneficia* dicebantur: quia beneficium erat erga illos, quorum nomina deferebantur.

CAPVT VI.

Neque ſuo, neque amicorum iudicio] *Suo*, quia legi ſatisfecit. nam et foederatae ciuitati adſcriptus eſt: et domicilium Romae multos annos ante legem latam habuit: et apud praetorem Q. Metellum profeſſus eſt. Reſpondet ad illud: *Iis temporibus, quae tu criminaris, ne ipſius quidem iudicio in ciuium Romanorum iure eſſe verſatum. Amicorum:* quia in beneficiis ad aerarium delatus eſt a L. Lucullo praetore, et conſule.

Reuincetur] Conuincetur, coarguetur.

Tempeſtiuis conuiuiis] Si cum alea, et cum pila coniunguntur; certe in turpibus rebus eſſe habita, licet exiſtimare. de quo plura diximus lib. III. in Verr. c. 25. in eo loco: *Statuitur Lollius in illo tempeſtiuo gladiatorum conuiuio.*

Aleae] *Alea* dicitur, ſi quid fortunae committitur, ſiue ioco agitur, ſiue ſerio, vt *alea certaminis* apud Liuium. et quoniam aleae ludus proprie in iactu teſſerarum eſt, quarum incertus euentus; propterea Caeſar belli ciuilis initio, cum Rubiconem amnem transiret, *iacta*, inquit, *eſt alea:* vt dubio Marte de iure publico dimicandum oſtenderet.

Recolen-

Recolenda] Ex interuallo repetenda. proprie enim intermiſſa recoluntur.

Mihi concedendum eſt magis] Qui praeter ceteros in eloquentia, et dicendi facultate operam, curamque pono.

Numquam amicorum periculis deſuit] Dixerat glorioſe, *mihi concedendum eſt magis:* et, *quantacumque in me eſt:* nunc vtrumque corrigit, benignitatem ſuam oſtendens in amicis adiuuandis.

Quae ſi cui leuior videtur] Ego quoque, inquit, grauiora, et praeſtantiora eſſe alia, quam haec eſt oratio, et facultas, eaque ex alio fonte ſumi, non ignoro. ac me quidem ita ſentire, et ita ab adoleſcentia conformatum fuiſſe, indicat illud tempus, cum veſtra mihi ſalus ita cara fuit, vt pro ea me in tot, ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecerim. Significat autem eas litteras, quae praeſtantiore quodam ſcientiae genere animos ad laudem, et ad honeſtatem excitant: quae philoſophiae pars eſt nobiliſſima. atque huc pertinent illa verba, *niſi multorum praeceptis, multisque litteris mihi ab adoleſcentia ſuaſiſſem, nihil eſſe in vita magnopere expetendum, niſi laudem atque honeſtatem.* Delector, inquit, hac oratione, et facultate: quae ſi cui leuior videtur, me ſciat grauiora ſimul ſtudia iam inde ab adoleſcentia coluiſſe. Sententia non videtur obſcura: nonnullis tamen in mentem venit, *lautior*, reponere pro, *leuior:* qui quam recte ſentiant, ex iis, quae diximus, coniicere cuiuis licet.

Multisque litteris] Magno doctrinarum ſtudio.

Niſi laudem atque honeſtatem] Eadem ſententia in oratione pro Sextio c. 10. de Piſone laudi, atque honeſtati voluptatem praeſerente. *Eos*, inquit, *qui dicerent dignitati eſſe ſeruiendum, reipublicae conſulendum, officii rationem in omni vita, non commodi, eſſe ducendam, ſubeunda pro patria pericula, vulnera excipienda, mortem oppetendam, vaticinari, atque inſanire dicebat.*

Obieciſſem] Cum Catilinae coniurationem oppreſſi.

Libri] Libris, vocibus, exemplis conformatur animus, et ſtudio laudis, atque honeſtatis accenditur.

Lumen accederet] Sic legendum, non, *accenderet.* nam ad abſoluendam metaphoram, *lumen*, quod *tenebris* reſpondet, ſatis eſt. vt omittam, quod inter tenebras et lumen, *accendere*, locum non habet. Eodem verbo in eadem ſententia vſus eſt Valerius Max. lib. VIII. c. 14. *Superior Africanus*, inquit, *Ennii poetae effigiem in monumentis Corneliae gentis collocari voluit, quod ingenio eius opera ſua illuſtrata iudicaret; non quidem ignarus, quam diu Romanum imperium floreret, et Africa Italiae pedibus eſſet ſubiecta, totiusque terrarum orbis ſummum culmen arx Capitolina poſſideret, eorum exſtingui memoriam non poſſe: ſi tamen litterarum quoque lumen illis acceſſiſſet, magni aeſtimans.*

Non ſolum ad intuendum, verum etiam ad imitandum] *Ad intuendum*, voluptatis gratia: *ad imitandum*, vt eorum exemplo laudabiliter viuamus. Eandem vtilitatem, comparatione quadam aeneorum ſignorum, vultus hominum artificis ingenium exprimen-

exprimentium, ſignificat Horatius lib. II. epiſt. 1. in iis verſibus: (248, ſeqq.)

Nec magis expreſſi vultus per ahenea ſigna,
Quam per vatis opus mores, animique virorum
Clarorum apparent.

Propterea Spartanorum rex, multis excellens virtutibus, Ageſilaus, nec, vt pingeretur, nec, vt fingeretur, laborauit, ſufficere Xenophontis libellum, qui laudes eius complectitur, ad aeternam ſui memoriam arbitratus.

Ipſa cogitatione] Librorum lectio cogitationem, cogitatio actionem parit. ita, quales libri, tales hominum actiones exſiſtunt.

CAPVT VII.

Iſtane doctrina] Philoſophiam ſignificat.

Difficile eſt hoc de omnibus confirmare] Nam nec omnes eruditi, nec omnes litterarum expertes.

Eſt certum, quid reſpondeam] Pro ea ſcilicet doctrina, quam laudibus effero. dicam enim, ſi ea cum natura coniungatur, neſcio quid praeclarum, ac ſingulare ſolere exſiſtere.

Multos homines excellenti animo, ac virtute] Vere, *multos.* nam per multa ſaecula Romani Graecas artes ac diſciplinas ignorarunt: animo tamen ac virtute praeſtantes, ampliſſimam ex minima rempublicam fecerunt. primus, opinor, M. Cato Cenſorius inter ſecundum, et tertium Punicum bellum in litterarum ſtudiis egregia cum induſtria verſatus eſt. poſt eum Africanus minor, C. Laelius, L. Furius, aequales; qui ſimul infra nominantur.

Per ſe ipſos et moderatos, et graues exſtitiſſe] Ex doctrina igitur et moderatio ſumitur, et grauitas: quae ſi a natura dantur, quod non omnibus contingit, magnae res, et immortali laude dignae, nulla doctrinae ope, geruntur: otioſam autem, languentemque naturam doctrina ſaepe excitat.

Africanum] Paulli Aemilii filium, qui minor Africanus dictus eſt, habita ratione temporis: nam virtute minorem fuiſſe, nemo vere dixerit. minorem autem hic ſignificari, non maiorem, primum ex eo liquet, quia cum Furio nominatur, qui fuit aequalis eius: deinde, quia maior litterarum expers, minor ſcientiae deditus: poſtremo, vt de maiore dicatur, *quem patres noſtri viderunt*, hiſtoriae ratio non patitur.

L. Furium] Philum, qui cum Sex. Atilio Serrano conſul fuit. is perbene loqui putabatur, litteratiusque, quam ceteri: vt in Bruto c. 28. de iuſtitia diſputantem induxit Cicero in libris de rep. Et quemadmodum hic cum tribus praeſtantiſſimis viris, natura, doctrinaque pariter inſtructis, Africano, Laelio, Catone, ſic in orat. pro Murena c. 31. cum iisdem coniungitur, vt in laude ſimillimus. quamquam in omnibus libris, qui ad hanc diem exierunt, ibi deprauate legitur, *L. Philippo*, pro, *L. Philo.*

Modeſtiſſimos (Ern. *moderatiſſimos*) *homines, et continentiſſimos*] Laudat hos, doctrina excultos, ab eisdem virtutibus, quas paullo ante

ante tribuit iis, quos nulla doctrina praeditos, moderatos tamen, et graues fuiſſe dixit.

Hanc animaduerſionem (Ern. *animi aduerſionem*)] Sic antiqui libri omnes: vt *animaduerſio* pro ſtudiis accipiatur: quod in ſtudiis animaduerſio ſit, et ſtudiis operam dare, nihil aliud ſit, quam animaduertere, et conſiderare. itaque ſequitur, eodem ſenſu: *Nam ceterae neque temporum ſunt, neque aetatum omnium.* quod ſine dubio de ſtudiis dicitur. Moueor equidem inuſitato verbo: ſed conſenſum tueor, quantum in me eſt, veterum librorum: praeſertim cum nihil occurrat melius.

Liberaliſſimam] Dignam in primis homine liberaliter educato.

Iudicaretis] Pro, iudicare deberetis.

Haec ſtudia] Quae remiſſiones animi ſunt, verum a ceteris diuerſae: ſunt enim haec temporum, aetatum, locorum omnium, ceterae non item.

Adoleſcentiam alunt (Ern. *agunt*)] Recte, *alunt*, de aetate, quae creſcit. libri veteres in mendo conſentiunt: habent enim omnes, *agunt:* vt interdum neceſſaria coniectura videatur.

Neque attingere] Neque noſſe.

Neque ſenſu noſtro guſtare] In iis, qui ea noſſent.

Cum in aliis videremus] Tacite ad amplectendum Archiam inuitat eos iudices, qui ea ſtudia, quibus ille excelleret, neque attingere, neque ſuo ſenſu guſtare poſſent.

CAPVT VIII.

Roſcii] In arte hiſtrionica principis: vnde illud, quod in prouerbium abiit, ore duriſſimo eſſe, qui geſtum ageret ſpectante Roſcio: et vt quisque arte aliqua praeſtaret, Roſcius in illa arte vocabatur.

Venuſtatem] In motu corporis.

Ergo ille corporis motu] Argumentum a minori. nam ſi Roſcium propter corporis motum tantopere diliximus: quanto magis Archiam propter animi motum, et ingenii celeritatem diligere debemus?

Ceterarum rerum ſtudia] Minime cum poetica laude conferenda. ſiquidem haec ab hominibus adiuuantur: poeta vero, quantum valet, totum id a natura, et a diis accipere videtur.

Quaſi diuino quodam ſpiritu afflari (Ern. *inſlari*)] Scripſit idem lib. II. de Orat. c. 46. *Saepe audiui, poetam bonum neminem (id quod a Democrito et Platone in ſcriptis relictum eſſe dicunt) ſine inflammatione animorum exſiſtere poſſe, et ſine quodam afflatu quaſi furoris.* Et lib. I. de Diuin. c. 37. *Negat, ſine furore, Democritus, quemquam poetam magnum eſſe poſſe.* Idem Plato tradidit in Ione, et Phaedro.

Sanctos] Propterea dixit Horatius in epiſt. ad Piſones v. 391.

Siluestres homines ſacer, interpresque deorum
Caedibus, et victu foedo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones.

Et Tacitus in dialogo de oratoribus c. 12. creditum eſſe, ait, poetas deorum reſponſa proferre, et eorum epulis intereſſe. Princeps autem philoſophorum Plato modo

modo deorum filios, modo interpretes appellat.

Dono atque munere] Differre videntur *donum*, et *munus*: cum dicat etiam pro Cluentio c. 24. *Tantum donis datis, muneribusque profecerat.* Et lib. II. de Orat. c. 71. M. Cincium legem tuliſſe *de donis, et muneribus.* Vlpianus L. 194. D. de verb. ſignific. ita diſtinguit, vt donum genus eſſe dicat, munus autem ſpeciem: quia donum a donando dictum ſit: munus cum cauſſa donetur, vt puta, natalitium, nuptalitium. ideo veteribus placuit vtrumque coniungere: non quia doni nomen, ſiquidem genus eſt, non ſufficeret: ſed quo magis, quidquid donatur, duobus nominibus comprehenderetur. et omnino mihi, vtrumque diligenter conſideranti, donum a voluntate potius, quam ab officio, proficiſci, munus cum aliquo officio coniunctum videtur eſſe: vt omitti donum ſine vlla reprehenſione poſſit, munus omnino non poſſit.

Sit igitur, iudices, ſanctum apud vos, humaniſſimos homines, hoc poetae nomen] Contraria poſuit, *humaniſſimos homines, barbaria.* quod enim barbaria non violat, id ſanctum ducit: et quod barbariae ſanctum eſt, id eſſe multo magis debet humaniſſimis hominibus. Argumentum pro poeta ſumſit a barbaria, a rebus inanimis, a beſtiis immanibus.

Saxa et ſolitudines voci reſpondent] Poeticum quiddam habet haec oratio: nec vitioſum: cum de poeta ſermo ſit; et dicendi genus ad ſubiectam rem ſi accommodetur, abſurde, aut indecore nihil fiat. Simile quiddam lib. V. in Verr. c. 67. *Si non ad homines, verum ad beſtias, aut etiam, vt longius progrediar, ſi in aliqua deſertiſſima ſolitudine ad ſaxa, et ad ſcopulos haec conqueri et deplorare vellem: tamen omnia muta, atque inanima tanta et tam indigna rerum atrocitate commouerentur.*

Beſtiae ſaepe immanes cantu flectuntur] Nota Orphei, et Arionis fabula, terreſtres, maritimasque beſtias cantu flectentium.

Rebus optimis] Quibus ad humanitatem informamur.

Poetarum voce] Suos verſus canentium.

Itaque etiam delubrum eius in oppido dedicauerunt] Delubri mentio locum oſtendit vacare mendo. nam Homero Smyrnaei, tamquam ciui ſuo, templum condiderunt. Id Strabonis hiſtoria lib. XIV. docet his verbis: *Στοὰ τετράγωνος ἔχουσα νεὼν Ὁμήρου καὶ ξόανον. ἀντιποιοῦνται γὰρ καὶ οὗτοι διαφερόντως τοῦ ποιητοῦ. καὶ δὴ καὶ νόμισμά τι χαλκοῦν παρ' αὐτοῖς Ὁμήρειον λέγεται.* Latine ſic: *Porticus quadrata eſt in ea, quae templum, et ſtatuam habet Homeri. nam et hi praecipue poetam ſibi vindicant. atque etiam nummus quidam aereus apud ipſos, Homerus dicitur.* Ita Fuluio Vrſino, perelegantis ingenii viro, magnaeque doctrinae, placebat: ita nobis quoque, teſtimonio Strabonis commotis, videbatur.

Permulti alii] Argiui, Athenienſes, Rhodii, hic omiſſi, in Graeco autem epigrammate nominati. rurſus, qui a Cicerone Chii nominantur, eos Graecum non habet epigramma. ſe quidem Chium eſſe, Homerus ipſe tradidit

tradidit in illo verſu in Apollinem: (172.)

Τυφλὸς ἀνὴρ, οἰκεῖ δὲ Χίῳ ἐνὶ παιπαλοέσσῃ.

CAPVT IX.

Ipſi illi C. Mario] Qui Cimbros deuicit.

Acroama] *Acroama* eſt, et qui aliquid recitat auditu iucundum, et id, quod recitatur. hic pro ipſa re accipiendum videtur: cum ſequatur, *aut cuius vocem:* quo ſignificatur is, qui recitat.

Eius, a quo ſua virtus optime praedicaretur] Idem ſcripſit lib. VIII. c. 14. Valerius Max. *Theatrum*, inquit, *petens, cum interrogaretur, cuius vox auditu illi futura eſſet gratiſſima, dixit, eius, a quo artes meae canentur optime.*

L. Plotium] Nominatum a Suetonio inter claros rhetores c. 2. his verbis: *De hoc Cicero ad M. Ticinium ſic refert: Equidem memoria teneo, pueris nobis primum Latine docere coepiſſe L. Plotium quendam. ad quem cum fieret concurſus, quod ſtudioſiſſimus quisque apud eum exerceretur; dolebam, mihi idem non licere. Continebar autem doctiſſimorum hominum auctoritate, qui exiſtimabant, Graecis exercitationibus ali melius ingenia poſſe. Hunc eundem (nam diutiſſime vixit) M. Coelius in oratione, quam pro ſe de vi habuit, ſignificabat, dictaſſe Atratino, accuſatori ſuo, actionem: ſubtractoque nomine hordearium eum rhetorem appellat, deridens vt inflatum, ac leuem, et ſordidum.*

Magnum, atque difficile] Magnitudinem, atque difficultatem eius belli, praeter Plutarchum oſtendit Cicero in duabus orationibus, pro lege Manilia, et pro Murena.

Totum ab hoc expreſſum eſt] Non plane totum, ſed quod a Lucullo geſtum eſt, vt ſequentibus declaratur: nam res a Luculli ſucceſſore Pompeio geſtas non attigit: opinor, quod ei cum amiciſſimo ſuo Lucullo parum conueniret. Pompeius autem ſcriptorem habuit rerum ſuarum Theophanem Mitylenaeum.

Non maxima manu] Itaque rex Armeniorum Tigranes, gener Mithridatis, cum Romanum exercitum, multis partibus inferiorem ſuo, ad ſe venientem vidiſſet, *ſi vt legati*, inquit, *veniunt, multi, ſi vt milites, pauci.* Plutarchus in Lucullo.

Cyzicenorum] Omittam quod ſcriptum reliquit Plutarchus in Lucullo: dicam id, quod idem Cicero in orat. pro Murena c. 15. prodidit: *L. Luculli vero res tantae exſtiterunt, vt neque maius bellum commemorari poſſit, neque maiore conſilio, et virtute geſtum. Nam, cum totius impetus belli ad Cyzicenorum moenia conſtitiſſet, eamque vrbem ſibi Mithridates Aſiae ianuam fore putauiſſet, qua effracta, et reuulſa, tota pateret prouincia: perfecta ab Lucullo haec ſunt omnia; vt vrbs fideliſſimorum ſociorum defenderetur, vt omnes copiae regis diuturnitate obſidionis conſumerentur.* Et Tacitus lib. IV. Annal. c. 36. *Obiecta*, inquit, *publice Cyzicenis incuria caerimoniarum diui Auguſti, additis violentiae criminibus aduerſum ciues Romanos: amiſere libertatem, quam bello Mithridatis meruerant circumſeſſi, nec minus ſua conſtan-*

conſtantia, quam praeſidio Luculli, pulſo rege.

Feretur] Multorum ſermone. haec enim vis eſt in hoc verbo: vt orat. I. in Catil. c. 10. *Ad huius vitae ſtudium meditati illi ſunt, qui feruntur, labores tui.*

Apud Tenedum] Idem in orat. pro Murena c. 15. *Quid illam pugnam naualem ad Tenedum, cum contento curſu, acerrimis ducibus, hoſtium claſſis Italiam ſpe, atque animis inflata peteret; mediocri certamine, et parua dimicatione commiſſam arbitraris?*

Carus fuit Africano ſuperiori noſter Ennius] Eandem rem lib. VIII. c. 14. ſic explicat Valerius Max. *Superior Africanus Ennii poetae effigiem in monumentis Corneliae gentis collocari voluit, quod ingenio eius opera ſua illuſtrata iudicaret; non quidem ignarus, quam diu Romanum imperium floreret, et Africa Italiae pedibus eſſet ſubiecta, totiusque terrarum orbis ſummum culmen arx Capitolina poſſideret, eorum exſtingui memoriam non poſſe: ſi tamen litterarum quoque lumen illis acceſſiſſet, magni aeſtimans: vir Homerico, quam rudi, atque impolito praeconio dignior.* Et Ouidius lib. III. de arte am. v. 409.

Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

In ſepulcro Scipionum] Ad portam Capenam. in quo tamen an Africanus ille, cui carus Ennius fuit, ſepultus ipſe ſit, ambigitur. periiſſe enim a multis creditur in Campaniae vico Literno, ibique ſepultus eſſe, addita in monumento inſcriptione: *Ingrata patria ne oſſa mea quidem habeto.* Id quidem Strabo lib. V. diſerte narrat his verbis: *Poſt Sinueſſam Linternum eſt oppidum, vbi prioris Africani ſepulcrum. nam ibi vltimam conſumſit aetatem, omiſſa, propter quorundam ſimultatem, reipublicae cura.* Alii autem, non Literni, ſed Romae mortuum, elatumque tradiderunt, auctore Liuio. apud quem haec lib. XXXVIII. c. 56. ſcripta ſunt: *Alii Romae, alii Literni et mortuum, et ſepultum: vtrobique monumenta oſtenduntur, et ſtatuae. Nam et Literni monumentum, monumentoque ſtatua ſuperimpoſita fuit: quam tempeſtate disiectam, nuper vidimus ipſi: et Romae extra portam Capenam in Scipionum monumento tres ſtatuae ſunt: quarum duae P. et L. Scipionum dicuntur eſſe, tertia poetae Q. Ennii.* Nam quod idem ait lib. XLV. c. 38. *Literni domicilium et ſedem fuiſſe domitoris Africae, Literni ſepulcrum oſtendi:* non loquitur ex perſona ſua, ſed ingratum Romanis animum exprobrantis. Nec certior Plutarchi ſententia. quamquam, vbi Hannibalem et Scipionem comparat, mortuum Literni, non Romae videtur credere: in quo ei cum Strabone conuenit: quorum auctoritatem in re dubia libenter ſequor. verſibus tamen illis, quos Plutarchus recitat, fidem abrogo.

Deuicto Hannibale, capta Carthagine, et aucto
Imperio hos cineres marmore tectus habes.
Cui non Europa, non obſtitit Africa quondam,
Reſpice res hominum, quam breuis vrna premit.

Quid

Quid enim attinet cineres, et vrnam nominare, cum Africanum crematum non eſſe, ſatis conſtet. erat enim Corneliae gentis patriciae: Cornelii autem patricii non cremabantur, ſed eorum corpora terrae mandabantur. primus autem ex Corneliis patriciis L. Sulla igni voluit cremari. id quod de bono auctore Cicerone lib. II. de Leg. c. 22. accepimus: qui etiam de ipſo Africano teſtimonium adducit ex illo Ennii verſu, *hic eſt ille ſitus.* Et ſubiungit: *Vere: nam ſiti dicuntur ii, qui conditi ſunt.* Atque ego (vt aliud ex alio) iis Ennii verbis adducor, vt Valerium quoque Max. inſcitiae aut negligentiae condemnem, qui ſcripſerit: *Superior Africanus Ennii poetae effigiem in monumentis Corneliae gentis collocari voluit:* cum Ennius poſt Africanum vixerit, et de mortuo ſcripſerit: *Hic eſt ille ſitus.*

Conſtitutus e marmore] Tale illud in ea pro domo c. 43. *Eius non longe a Tanagris ſimulacrum e marmore in ſepulcro poſitum fuit.* Et lib. IV. in Verr. c. 49. *Qui acceſſiſtis Ennam, vidiſtis ſimulacrum Cereris e marmore.* Hunc locum acuti vir ingenii, me puero, emendauit Honoratus Faſcitelius, qui poſtea Epiſcopus Inſulanus fuit. legebatur enim in omnibus libris, manifeſto turpique errore, *conſtitutus. et marmoratis laudibus.*

Huius] Ob ſingularem virtutem, ac probitatem M. Cato, Vticenſis poſtea dictus, ſignificatur; cum tamen Catones in ciuitate multi eſſent.

Proauus] Ille Cenſorius, quem ſupra c. 7. cum Africano minore, C. Laelio, L. Furio coniunxit. eius filius fuit M. Cato Salonianus, Saloniani Marcus, qui praeturam petens deceſſit: ex quo natus eſt Marcus, qui ſe bello ciuili Vticae interemit. qua de re diligenter diſſeruit Gellius lib. XIII. c. 19.

Maximi, Marcelli, Fuluii] Militari laude clari, qui ſecundo Punico bello contra Hannibalem egregie pro republica pugnarunt. ſunt autem hi, Q. Fabius Maximus Cunctator; M. Claudius Marcellus, qui ducum Romanorum primus Hannibalem docuit poſſe vinci; Q. Fuluius Flaccus, qui Capuam recepit.

CAPVT X.

Illum] Ennium.

Qui haec fecerat] Qui res geſtas Catonis, Maximi, Marcelli, Fuluii verſibus perſecutus erat.

Rudium hominem] Rudiae oppidum Apuliae, foederata ciuitas, quo tempore Ennius in ciuitatem eſt receptus: quae poſtea colonia fuit, a Q. Fuluio Nobiliore deducta, cuius beneficio ciuis Romanus factus eſt Ennius; vt in Bruto c. 20. legimus.

Heraclienſem] Nobiliorem, quam Ennium. non enim Rudiae cum Heraclea conferendae.

Multis ciuitatibus expetitum] Donauerant enim eum ciuitate Rhegini, Locrenſes, Neapolitani, Tarentini.

Legibus] Lege, quam tulerant Siluanus, et Carbo tribuni plebis.

Ex Graecis verſibus] Graeca igitur, non Latina, erant Archiae poemata: itaque ſupra c. 9. non dixit Cicero, a C. Mario audiebatur, ſed C. Mario iucundus fuit. Graecas enim litteras Marius

rius ignorauit: et ipſe apud Salluſtium in Iug. c. 85. *neque litteras Graecas,* inquit, *didici. parum placebat eas diſcere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerunt.*

Latina ſuis finibus] Non imperii Romani, quod latiſſime patebat, et, vt ſubiungitur, orbis terrae regionibus definiebatur, ſed Latii tantum: itaque ſequitur, *exiguis ſane.* erat enim vltra Latii fines Graeca lingua, erat Gallica, erat Etruſca.

Orbis terrae regionibus] Ab occidente, Hiſpania vlteriore, ab oriente, Euphrate fluuio, qui Parthorum ditionem a Romano diſtinguebat imperio. Galliam autem Romani nondum tenebant, neque Germaniam, nec alias regiones. ſed eſt oratoria amplificatio, vt etiam orat. III. in Catil. c. 11. *Vno tempore in hac republica duos ciues exſtitiſſe, quorum alter fines veſtri imperii, non terrae, ſed caeli regione terminaret; alter eiusdem imperii domicilium, ſedemque ſeruaret.* Et in eundem orat. IV. c. 10. *Anteponatur omnibus Pompeius, cuius res geſtae, atque virtutes iisdem, quibus ſolis curſus, regionibus ac terminis continentur.* Et quod de Pompeio, dicit idem de Caeſare poſt aliquot annos in ea pro Balbo c. 28. *C. Caeſar,* inquit, *abeſt longiſſime, atque in iis eſt nunc locis, quae regione, orbem terrarum, rebus illius geſtis, imperium populi Romani definiunt.*

Gloriam famamque penetrare] Graecis verſibus prolatam.

Cum ipſis populis, de quorum rebus ſcribitur, haec ampla ſunt] Eandem rem quam varie, quam eleganter Cicero expreſſerit, cur non oſtendamus? praeſertim cum ad ſtudioſorum vtilitatem hoc, quidquid eſt, a nobis elaboretur. nam cum ex Archiae ingenio non modo priuatam eorum, quorum facta verſibus expreſſerat, ſed publicam quoque manare laudem, vellet oſtendere, haec dixit: *Qui libri non modo L. Lucullum, fortiſſimum et clariſſimum virum, verum etiam populi Romani nomen illuſtrant.* Eiusdem generis illud eſt: *Populi Romani laus eſt, vrbem amiciſſimam Cyzicenorum eiusdem conſilio, ex omni impetu regio, ac totius belli ore, ac faucibus ereptam eſſe atque ſeruatam.* Et illud, quod proxime ſequitur: *Noſtra ſemper feretur et praedicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depreſſa hoſtium claſſis, et incredibilis apud Tenedum pugna illa naualis: noſtra ſunt trophaea, noſtra monumenta, noſtri triumphi. Quare, quorum ingeniis haec feruntur, ab iis populi Romani fama celebratur.* Iam de Ennio: *Iis laudibus certe non ſolum ipſi, qui laudantur, ſed etiam populi Romani nomen ornatur.* De eodem: *In caelum huius proauus Cato tollitur. magnus honos populi Romani rebus adiungitur.* Nec diſſimile illud: *Maximi, Marcelli, Fuluii non ſine communi omnium noſtrum laude decorantur.*

Secum habuiſſe] Secum habuit Calliſthenem, de quo Trogus lib. XII. Ariſtobulum, de quo Arrianus: Clitarchum, de quo Plinius lib. VI. c. 31. vt alios omittam, qui res ab illo geſtas litterarum monumentis tradiderunt; quos Plutarchus quidem nominat, non tamen comites eius fuiſſe oſtendit.

Home-

Homerum paeconem] Si, quae ſcripſit in Probi vita c. 1. Flauius Vopiſcus, attendantur, Homerum Alexander non nominauit. *Alexander*, ait, *Magnus Macedo, cum ad Achillis ſepulcrum veniſſet, grauiter ingemiſcens, Felicem te, inquit, iuuenis, qui talem praeconem tuarum virtutum reperiſti: Homerum intelligi volens, qui Achillem tantum in virtutum ſtudio finxit, quantum ipſe valebat ingenio.* Inuidit igitur Alexander propter Homerum Achilli, non propter eius virtutem, quo ſignificabat, ſcriptores rerum ſuarum cum Homero minime conferendos. habebat autem ſecum, vt dixi, Calliſthenem, Ariſtobulum, Clitarchum, praeterea Ptolemaeum, qui poſtea Aegyptiis imperauit.

Qui cum virtute fortunam adaequauit] De eodem in oratione pro Balbo c. 4. *An ingenium? cum etiam ipſi caſus, euentusque rerum non duces, ſed comites eius conſiliorum fuerint? in quo vno ita ſumma fortuna cum ſumma virtute certauit, vt omnium iudicio plus, quam poſſit, minus, quam deceet, tribueretur.*

Theophanem Mitylenaeum] Cuius gratia patriam eius Mitylenem, cum ad eam oppugnandam veniſſet, liberauit. is eſt, qui Cornelium Balbum adoptauit: vt in oratione pro Balbo c. 25.

Ruſtici] Rure habitabant, agrosque colebant milites. de quibus Cato in libro de Senectute c. 20. *Quod igitur adoleſcentes, et ii quidem non ſolum indocti, ſed etiam ruſtici, contemnunt, id docti ſenes extimeſcent?* Et ad D. Brutum lib. XI. Fam. epiſt. 7. *Denique homines ruſticos, ſed fortiſſimos viros, ciuesque optimos, dementes fuiſſe iudices, primum milites veteranos, commilitones tuos, deinde legionem Martiam.*

In eum] *In*, et laudandi vim habet, et vituperandi: hic ad laudem ſpectat.

Tantummodo] Nihil habebat praeterea, quod iucunde legi poſſet; omni lepore, omni carens poetica venuſtate.

Alternis] Vt prior ſex, poſterior quinque pedibus conſtaret.

Per Lucullos] Metelli Pii cognatos, Lucium, et Marcum: ait enim Plutarchus, L. Luculli matrem Q. Metello Numidico, Pii patri, ſororem fuiſſe. quod etiam lib. IV. in Verr. c. 66. Cicero confirmat.

Peregrinum] Latino quidem ſermone, ſed vt in eo peregrinitas quaedam agnoſceretur.

Aures ſuas dederet] Cum Hiſpaniae praeeſſet.

CAPVT XI.

Decimus quidem Brutus] Is, qui de Luſitanis, et Gallaecis triumphauit. de quo Valerius Max. lib. VIII. c. 14. *Honoratus animus erga poetam Attium Decimi Bruti, ſuis temporibus clari ducis, exſtitit: cuius familiari cultu, et promta laudatione delectatus, eius verſibus templorum aditus, quae ex manubiis conſecrauerat, adornauit.*

Fuluius] M. Fuluius Nobilior: de quo ſic in Tuſc. I. c. 2. *Honorem huic generi non fuiſſe, declarat oratio Catonis, in qua obiecit, vt probrum, M. Nobiliori, quod is in prouinciam poetas duxiſſet. duxerat autem conſul ille in Aetoliam, vt ſcimus, Ennium.*

Poeta-

Poetarum nomen] Vt Brutus, qui Attii carminibus templorum ac monumentorum aditus exornauit ſuorum.

Muſarum delubra] Vt Fuluius, qui, deuictis Aetolis, Martis manubias Muſis conſecrauit.

A poetarum ſalute] Quod ciuitatis honorem Archias tanti faceret, vt in eo ſalutem ſitam eſſe ſuam exiſtimaret.

Vt id libentius faciatis] Cum intelligetis, quantopere id ego cupiam, Archiae deuinctus propter conſulatum meum eius ingenio celebratum.

Vobiscum ſimul] Aucupatur iudicum gratiam, et eos Archiae conciliat, gloria cum iis communicata, quam Archiae verſibus conſequetur.

Si nihil animus praeſentiret in poſterum] Copioſe in primis, et ornate disputat in hanc ſententiam in Catone c. 23. *Nemo,* inquit, *vmquam mihi, Scipio, perſuadebit, aut patrem tuum Paullum, aut duos auos, Paullum, et Africanum, aut Africani patrem, aut patruum, aut multos praeſtantes viros, quos enumerare non eſt neceſſe, tanta eſſe conatos, quae ad poſteritatis memoriam pertinerent, niſi animo cernerent, poſteritatem ad ſe pertinere.*

Nunc] *Nunc,* pro, *ſed:* vt alibi, et apud Graecos νῦν.

In optimo quoque] Immortalis gloriae cupiditatem optimorum virorum eſſe propriam, in Catone quoque c. 23. oſtendit his verbis: *Quod quidem ni ita ſe haberet, vt animi immortales eſſent: haud optimi cuiusque animus maxime ad immortalitatis gloriam niteretur.*

Gloriae ſtimulis] Pro, gloriae cupiditate: ſed quia translatis verbis propria vincuntur, *ſtimulis,* maluit, quam, *cupiditate.*

Concitat] Ne langueat, ne vmquam conſiſtat, ſed vsque eo moueatur, donec eam gloriam, cui nulla dies finem afferat, aſſequatur.

Non cum vitae tempore dimetiendam (Ern. *dimittendam*) *commemorationem nominis noſtri*] Non ita viuendum, vt, quibus vita finibus, iisdem noſtri nominis fama terminetur.

CAPVT XII.

Tam parui animi] Qui tam exiguo vitae curriculo, tamque breui contentus eſſe velit.

Cum vsque ad extremum ſpatium nullum tranquillum atque otioſum ſpiritum duxerimus] Sic Cato apud Ciceronem c. 23. de ſe ipſo loquitur: *An cenſes, me tantos labores diuturnos nocturnosque domi, militiaeque ſuſcepturum fuiſſe, ſi iisdem finibus gloriam meam, quibus vitam, eſſem terminaturus? nonne melius multo fuiſſet, otioſam aetatem, et quietam, ſine vllo labore et contentione traducere?*

Statuas et imagines, non animorum ſimulacra]. Latius patet *imago,* quam *ſtatua:* nam et picturam complectitur, et omnino quidquid rei verae ſimilitudinem repraeſentat. eademque *ſimulacri* ſignificatio eſt. propterea dixit ad Lucceium lib. V. Fam. epiſt. 12. cum et de picta ab Apelle, et de ficta a Lyſippo Alexandri Magni effigie loqueretur: *Illi artifices corporis ſimulacra ignotis nota faciebant: quae vel ſi nulla ſint, nihilo ſunt tamen obſcurio-*

obſcuriores clari viri. Nec minus eſt Spartiates Ageſilaus ille perhibendus, qui neque pictam, neque fictam imaginem ſuam paſſus eſt eſſe, quam qui in eo genere laborarunt. vnus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando facile omnes imagines omnium ſtatuasque ſuperauit. Et pro Coelio c. 14. *Aliquis mihi ab inferis excitandus eſt ex barbatis illis, non hac barbula, qua iſta delectatur, ſed illa horrida, quam in ſtatuis antiquis et imaginibus videmus.* Quod autem de imagine, et ſimulacro, idem de *effigie* dictum intelligatur. his enim vocabulis eadem ſubiecta omnibus notio eſt.

Conſiliorum ac virtutum noſtrarum] Mentis conſilia ſunt, virtutes in rebus exſiſtunt.

Expreſſam et politam] *Expreſſam*, vt nihil deſit: *politam*, in qua nihil oculos offendat.

Ego vero] Ne vitium in eo, quod laudat, eſſe videatur, exemplum ſumit a ſe ipſo, et flagrare ſe profitetur laudis amore ſempiternae.

Quae gerebam] In conſulatu.

Spargere me ac diſſeminare] Mirus eſt in oratione ſuperlatis verbis exornanda. proxime dixit, *expreſſam et politam:* infra, *cogitatione quadam, ſpeque:* hic, *ſpargere, ac diſſeminare.* ſpargitur enim ſemen, terraque excipitur, vt eius complexu, et calore fructum ferat.

Vt ſapientiſſimi homines putauerunt] Pythagoras, Socrates, Academia tota.

Ad aliquam animi mei partem pertinebunt (Ern. *pertinebit*)] Vt ea ſentiat animus meus ex aliqua parte. ſunt enim animi partes multae: quarum aliae alia, cum a corpore diſceſſerint, in illa aeternitate contemplantur: aliqua tamen pars ad haec mortalia reſpicit, et ea ſentit, quae pro ſalute patriae geſſimus. Praeclara ſententia, et Maſaeianorum librorum, quibus vtor, et Vaticanorum omnium teſtimonio comprobata. vnus tamen, isque ſatis antiquus Fuluii Vrſini, vocem, *animi*, non habet. quod prorſus non improbo. nam, *ad aliquam mei partem* valet, ad meum ſenſum. pars enim hominis aliqua ſenſus eſt, et iam dixerat, *ſiue a meo ſenſu poſt mortem abſutura ſunt.*

Cogitatione quadam, ſpeque delector] Dum et cogito, et ſpero futurum, vt ea poſt obitum quoque ſentiam.

Quare conſeruate, iudices, hominem pudore eo] Quae ſunt, perorata iam cauſſa, vna pro reo, altera pro ſe ipſo, digreſſiones: pro reo, *conſeruate, iudices, hominem pudore eo:* et quae ſequuntur: pro ſe ipſo, *quae non fori, nec iudiciali conſuetudine, et de hominis ingenio, et communiter de ipſius ſtudio locutus ſum, ea, iudices, a vobis ſpero eſſe in bonam partem accepta; ab eo, qui iudicium exercet, certe ſcio.* Quod ad priorem attinet, interdum venit in mentem ſuſpicari de ordine praepoſtero. primum enim petitur a iudicibus, vt Archiam conſeruent, deinde, vt in fidem accipiant: cum in fidem prius accipi, quam conſeruari, debeat. Accedit ea ratio, quod, cum extra cauſſam Cicero euagatus, artis poeticae ſtudium ſummis laudibus extulerit; non videntur poſt ea, quae proxime commemorauit, haec ſatis appoſite ſubiici, de pudore Archiae,

de

de ingenio, de cauſſa; ſed illa potius, quae commendationem habent a cauſſa disiunctam, ductam ab Archiae meritis, et genere ſtudiorum: a meritis in eo, *qui vos, qui veſtros imperatores, qui populi Romani res geſtas ſemper ornauit:* a genere ſtudiorum, cum ſubiungitur, *quique eſt eo numero, qui ſemper apud omnes ſancti ſunt habiti atque dicti.* Quae ſi lector attendat; non dubito, quin haec ei concluſio potius arrideat: *Quare conſeruate, iudices, hominem,* quam illa: *Quae cum ita ſint: petimus a vobis, iudices.*

Tum dignitate, tum etiam venuſtate (Ern. *vetuſtate*)] Nec Maſaeiorum libri, quibus vtor, nec alii habent, *ſtudiis:* et ſane non requiritur a ſententia. remanet ſcrupulus in verbo, *venuſtate:* quod iam antea mendoſum eſſe exiſtimaui, idemque nunc exiſtimo. nam etſi poſſit aliquis, tuendae librorum antiquorum auctoritati plus aequo deditus, ita dicere, in *amicorum dignitate* viros, in *venuſtate* adoleſcentes indicari; mihi tamen haec opinio ponderis habere parum, minimeque cum M. Antonii Mureti, praeſtantis ingenio viri, coniectura videtur eſſe conferenda. is vnius litterae mutatione, pro, *venuſtate*, reponit, *vetuſtate*, ſententia comprobante. floruiſſe enim Archiam iam inde ab adoleſcentia clarorum virorum amicitiis, quorum adhuc viuebant multi, et aderant aduocati, ipſa docet oratio.

Beneficio legis] A Siluano et Carbone latae.

Municipii] Heracleae, quam ſupra quoque c. 4. municipium vocauit.

Teſtimonio Luculli] Supra c. 4. *Adeſt vir ſumma auctoritate, et religione, et fide L. Lucullus; qui ſe non opinari, ſed ſcire, non audiuiſſe, ſed vidiſſe, non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit.*

Tabulis] In quas referebantur eorum nomina, qui ciuitatis adipiſcendae gratia apud praetorem ex lege profitebantur.

Metelli] Q. Metelli praetoris, apud quem profeſſus eſt Archias.

Si qua non modo humana, verum etiam diuina in tantis negotiis commendatio debet eſſe] Particula, *ſi*, quae dubitandi vim habet, hic affirmat: eſt enim ſenſus: Quandoquidem Archias is, qui vos, qui veſtros imperatores, qui populi Romani res geſtas ſemper ornauit, ob tanta negotia dignus eſt, quem vobis non homines modo, verum etiam dii commendent; petimus a vobis, vt eum ſic in veſtram accipiatis fidem, vt humanitate veſtra leuatus potius, quam acerbitate violatus eſſe videatur. Tale illud pro Rabirio perduellionis reo c. 1. *Si eſt boni conſulis, cum cuncta auxilia reipublicae labefactari conuellique videat, ferre opem patriae, ſuccurrere ſaluti, fortunisque communibus, implorare ciuium fidem, ſuam ſalutem poſteriorem ſalute communi ducere: eſt etiam bonorum et fortium ciuium,* &c. In Catilinam orat. I. c. 7. *Si hoc poſt hominum memoriam contigit nemini, vocis exſpectas contumeliam, cum ſis grauiſſimo iudicio taciturnitatis oppreſſus? Humana:* cum ingenium Archiae ornamentum hominibus afferat, tradendis immortalitati rebus eorum memoria dignis: quod ſubiungitur: *Qui vos, qui veſtros imperatores, qui*

qui populi Romani res geſtas ſemper ornauit. Diuina: hoc ſupra c. 8. explanauit his verbis: *Suo iure noſter ille Ennius ſanctos appellat poetas, quod quaſi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis eſſe videantur.* Et hic ſubiungit: *Qui eſt eo numero, qui ſemper apud omnes ſancti ſunt habiti, atque dicti.*

In tantis negotiis] Meritis ipſius Archiae: non quia proprie negotia ſint merita: ſed ea, quae Archias verſibus perſecutus erat, tum negotia fuerant maxima, quia non facile quiuis eadem praeſtare potuiſſet; tum etiam merita, quod ad populi Romani gloriam pertinerent. *Negotiis* igitur dixit potius, quam *rebus;* quia maius quiddam in negotio, quam in re.

Domeſticis periculis] Ob coniurationem Catilinae.

Violatus] Is, qui ſanctus eſt. ſimiliter ſupra c. 8. *Sit igitur, iudices, ſanctum apud vos, humaniſſimos homines, hoc poetae nomen, quod nulla vmquam barbaria violauit.*

Breuiter, ſimpliciterque] Ne vobis aut oratione ſuperuacanea, aut artificio moleſtus eſſem.

Non fori, neque iudiciali conſuetudine] De quo veniam in exordio c. 2. petiit his verbis: *Ne cui veſtrum mirum eſſe videatur, me in quaeſtione legitima, et in iudicio publico, cum res agatur apud praetorem populi Romani, lectiſſimum virum, et apud ſeueriſſimos iudices, tanto conuentu hominum, ac frequentia, hoc vti genere dicendi, quod non modo a conſuetudine iudiciorum, verum etiam a forenſi ſermone abhorreat: quaeſo a vobis, vt in hac cauſſa mihi detis hanc veniam,* &c.

Communiter] De ipſo poeticae ſtudio.

Ab eo, qui iudicium exercet] A praetore.

Certe (Ern. *certo*) *ſcio*] Propterea quod ſtudiis potiſſimum delectetur humanitatis, iis, quibus excellit Archias.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM
POST REDITVM AD QVIRITES

ARGVMENTVM

Poſt exſilium ſedecim menſium, P. Lentulo, Q. Metello coſſ. reſtitutus, gratum ſe, officiique memorem, vt antea ſenatui, ſic nunc populo Romano oſtendit. Atque in huius quidem, quae, ad Quirites, inſcribitur, orationis parte prima, beneficii magnitudinem, et reditus honorem commemorat; cum haec ſimul omnia recuperauerit, primum liberos, fratrem, rem familiarem, amicitias, conſuetudines, vicinitates, clientelas; deinde honorem, dignitatem, locum, ordinem; poſtremo, patriam ipſam, qua nihil carius, nihil iucundius. In ſecunda parte non modo ademtam ſibi calamitatem, ſed auctam etiam dignitatem oſtendit: neminem enim tam honorifice, non P. Popillium, non Q. Metellum Numidicum, non C. Marium, eſſe reſtitutum: cum illi, ſupplicante propinquorum multitudine, rogationibus tantum tribuniciis, nulla ſenatus auctoritate, nullis Italiae precibus, redierint; ipſe autem, nemine praeter fratrem ſupplicante, et ſenatus conſulto, et lege, ſumma Italiae conſenſione, incredibili bonorum omnium ſtudio, agente P. Lentulo, deprecante Cn. Pompeio, ſit in patriam reuocatus. Poſtremo ſummam, et perpetuam erga populum Romanum pietatem, et, quaecumque praeſtare officia poſſit, pro gratia referenda pollicetur.

EXPLANATIO

CAPVT I.

Deuoui] Deuouet ſe, qui, vt alterum ſeruet, ſponte calamitatem, vel periculum ſubiit: vt Decii, ne periret exercitus, ipſi ſe deuouerunt. Sic Cicero, ne caedes bonorum fieret, armis dimicare cum tribuno plebis Clodio, et cum conſulibus noluit, ſed pro communi ſalute ſe deuouit, et in exſilium abiit.

Quae ante geſſeram] Cum nefariam Catilinae coniurationem conſul

conſul patefecit, protulit, exſtinxit.

Eius deuotionis me eſſe conuictum] In deuotione votum ineſt, vt ii ſeruentur, quorum cauſſa ſe aliquis deuouet. ita videtur dicere: eius deuotionis me compotem eſſe factum; id eſt, quem illa deuotione fructum petiui, eum tuliſſe me.

Laetitiae voluptate] Voluptate, quae oritur ex laetitia.

Reliquae meae fortunae] Praeter liberos, et fratrem, reliquae fortunae.

Ludi denique] Quos etiam principes viri ſpectare conſueuerant. Sed hoc dicit fortaſſe temporis cauſſa. nam quos alii dies ludis dabant, ipſe vel in ſcribendis orationibus, vel in ſtudiis conſumebat. vnde in illa pro Plancio c. 27. *Quas tu commemoras, Caſſi, legere te ſolere orationes, cum otioſus ſis: has ego ſcripſi ludis, et feriis, ne omnino vmquam eſſem otioſus.* Et pro Archia c. 6. *Quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure ſuccenſeat, ſi, quantum ceteris ad ſuas res obeundas, quantum ob feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, et ad ipſam requiem animi, et corporis conceditur temporis: quantum alii tribuunt tempeſtiuis conuiuiis: quantum denique aleae, quantum pilae; tantum mihi egomet ad haec ſtudia recolenda ſumſero?* Aut haec ipſa quoque tempori tributa ſunt.

Locus] Exiſtimatio. ad Terentiam lib. XIV. Fam. epiſt. 18. *Vos videte, quid aliae faciant iſto loco feminae.*

Caritatis] Quae caritas eſt, quae non illi debeatur? lib. I. de Offic. c. 17. *Omnes omnium caritates patria vna complexa eſt.*

CAPVT II.

Illis accepi temporibus] Belli enim ſocialis initio ſumſit virilem togam: nec multo poſt ſecutum eſt Marianum ciuile bellum: et in vtroque reſpublica bello verſata eſt in ſummo diſcrimine. ideo ſubiungit, *quae paene amiſſa eſt.*

Vnius opera] De ſe ipſo loquitur, propter exſtinctam conſilio ac virtute ſua coniurationem.

CAPVT III.

P. Popillii] Quem C. Gracchus tribunus plebis expulit. poſt red. in ſen. c. 15.

Q. Metello] Numidico.

Filius] Pius poſtea dictus.

Non Q. (Ern. *C.*) *Metellus cenſorius*] Legendum, *C.* non *Q.* vt ex faſtis, et in orat. poſt red. in ſen. c. 15. eſt autem C. Metellus Caprarius, qui cum Numidico cenſor fuit.

Non ſororum filii. Luculli, Seruilii, Scipiones] Sororum Metellorum. nam L. Lucullus Q. Metelli Numidici ſorore natus eſt, auctore Plutarcho: P. Seruilius Iſauricus Q. Metelli Macedonici filia, ſorore Metellorum quattuor, filiorum Macedonici. quod his verbis oſtendit Cicero in ea pro domo c. 47. *C. Atinius patrum memoria bona Q. Metelli, qui eum ex ſenatu cenſor eiecerat, aui tui, Q. Metelle, et tui, P. Seruili, et proaui tui, P. Scipio, conſecrauit.* Et lib. III. in Verr. c. 90. *P. Seruilius quinquennium exercitui cum praeeſſet, et iſta ratione innumerabilem pecuniam facere*

cere poſſet, non ſtatuit ſibi quidquam licere, quod non patrem ſuum, non auum Q. Metellum facere vidiſſet. P. autem Scipio, Macedonici nepos, eius pater Scipionis fuit, qui cum genero ſuo Cn. Pompeio conſulatum geſſit: cuius proauum Macedonicum in orat. pro domo c. 47. Cicero vocat.

Res geſtae] Numidico bello.

Illos veteres] Popillium, et Metellum iam nominatos. idem poſt reditum in ſen. c. 15.

Subiit indigniſſimam fortunam] Inimicorum arma fugiens nullo comite.

Praeſtantiſſima ſua gloria] Quia virtutem animi numquam perdidit. infra c. 8.

In diſſenſu ciuium] Pro in diſſenſione: vt *conſenſus*, et *conſenſio: aſſenſus*, et *aſſenſio.*

Exercitu ſe, armisque reuocauit] Iratus ſenatui, quem paene cunctum deleuit.

Qui domi, qui in foro poſſet eſſe] Nam vxor, filia, et filius paruus in foro eſſe non poterant, nec a vobis meam ſalutem deprecari.

Itineribus neceſſariis] Cum ad amicorum domos irent.

CAPVT IV.

Non modo non a ſenatu, ſed etiam oppreſſo ſenatu eſt reſtitutus] Poſt red. in ſen. c. 15. *Non modo a ſenatu non eſt reſtitutus, ſed reditu ſuo ſenatum cunctum paene deleuit.*

Semper ſenatus flagitauit] Etiam Piſone et Gabinio coſſ.

Cum primum licuit] Lentulo, et Metello coſſ.

Iis, a quibus eiectus ſum] Piſone, et Gabinio coſſ.

Inimico autem] Q. Metello conſule; qui tribunus plebis Ciceronem abeuntem conſulatu concionis habendae poteſtate priuauerat.

Optimo viro, et mitiſſimo] Verbis vtitur lenientibus id, quod dixerat, *inimico autem.* et ob eandem cauſſam de eodem in oratione pro Sextio c. 33. dixit, *quae moderatio de me.*

Cum is inimicus] Adduci non poſſum, vt hunc eſſe credam P. Clodium: primum, quia, poſt mentionem conſulum, non de priuato homine, ſed de magiſtratu loquitur: Clodius autem magiſtratum nullum gerebat hoc anno: deinde, quia, quod ſequitur, *qui ad meam perniciem vocem ſuam communibus hoſtibus praebuiſſet;* ad eum pertinere non poteſt. qui ſunt enim hi Ciceronis, et Clodii communes hoſtes? contra potius, qui hoſtis Clodii, Ciceronis amicus; et qui hoſtis Ciceronis, amicus Clodii. itaque ſignificari crediderim Atilium illum, qui Kalendis Ian. Lentulo conſule de reditu Ciceronis referente, rem diſtulit. de quo ſic infra c. 5. *Kalendis vero Ian. poſtea quam orba reſpublica conſulis fidem, tamquam legitimi tutoris, implorauit, P. Lentulus conſul, parens, deus, ſalus noſtrae vitae, fortunae, memoriae, nominis, ſimul ac de ſollemni religione retulit, nihil humanarum rerum ſibi prius, quam de me, agendum iudicauit. Atque eo die confecta res eſſet, niſi is tribunus plebis, quem ego maximis beneficiis quaeſtorem conſul ornaueram, cum et cunctus ordo, et multi eum ſummi viri orarent, et Cn. Oppius ſocer, optimus vir, ad pedes eius flens iaceret, noctem*

ſibi

ſibi ad deliberandum poſtulaſſet: quae deliberatio non in reddenda, quemadmodum nonnulli arbitrabantur, ſed, vt patefactum eſt, in augenda mercede conſumta eſt. Et pro Sextio c. 34. *Cum omnes certatim, aliusque alio grauius atque ornatius de mea ſalute dixiſſet, fieretque ſine vlla varietate diſceſſio: ſurrexit, vt ſcitis, Atilius hic Gauianus: nec auſus eſt, cum eſſet emtus, intercedere; noctem ſibi ad deliberandum poſtulauit. Clamor ſenatus, querelae, preces, ſocer ad pedes abiectus. Ille ſe affirmare, poſtero die moram nullam eſſe facturum. Creditum eſt: diſceſſum eſt. illi interea deliberatori merces, longa interpoſita nocte, duplicata eſt.*

Vocem ſuam] Cum in ſenatu, referente Lentulo conſule, Kalendis Ian. interceſſit. vox autem intercedentis haec eſt, *veto.*

Communibus hoſtibus] P. Clodio, eiusque amicis.

CAPVT V.

L. Opimius] Quo conſule et C. Gracchus, qui Popillium eiecerat, occiſus, et Popillius reſtitutus eſt.

Qui ſecutus eſt] Qui conſul poſt Marium fuit.

Superiores conſules] Piſo et Gabinius.

Ne gratiae cauſſa] Ironia. non enim id veriti ſunt, ſed, pactione prouinciarum irretiti, quae mei funeris merces fuit, numquam referre voluerunt.

Quod alter mihi affinis erat] Piſo, quia Ciceronis filia C. Piſonis vxor erat.

Pertulerunt] Quia, cum queri ſenatum, lugere bonos, Italiam gemere viderent, de me tamen referre noluerunt.

Is tribunus plebis] Atilius ille, de quo paullo ante locuti ſumus.

Vt patefactum eſt] Quia poſtero die interceſſit: cum ſe moram nullam eſſe facturum dixiſſet.

Cum variis rationibus impediretur] Pro Sextio c. 35. *Cum omni mora, ludificatione, calumnia, ſenatus auctoritas impediretur.*

Ad vos] Per Q. Fabricium tribunum plebis.

Cum homines in tribunali Aurelio palam conſcribi, centuriarique vidiſſem] Quo anno ſum eiectus. hoc eſt, quod ait in ea poſt red. in ſen. c. 13. *Seruos ſimulatione collegiorum nominatim eſſe conſcriptos, copias omnes Catilinae paene iisdem ducibus ad ſpem caedis et incendiorum eſſe reuocatas.* Et pro domo c. 21. *Cum in tribunali Aurelio conſcribebas palam non modo liberos, ſed etiam ſeruos, ex omnibus vicis concitatos, vim tum videlicet non parabas?* Idem pro Sextio c. 15. et in Piſonem c. 5.

Ex ea parte homines] Ex parte optimatum.

Proditores] Quod mihi inuiderent.

Deſertores ſalutis meae] Quod ſibi timerent.

Egeſtatem] De Gabinio dicit: cuius egeſtatem in orat. pro Sextio c. 8. et in Piſonem c. 6. memorat.

Auaritiam] In Piſonem confertur.

Libidines ſuas] In vtrumque conferem.

Imperiis] Grauius, quam, *edictis.*

Flumine ſanguinis] VIII Kal. Febr. cum Q. Fabricius, templo occupato, legem ferre vellet. vide pro Sextio c. 35. in ea vero poſt red. in ſen. c. 3. *Ego*, inquit, *meam ſalutem deſerui, ne propter me ciuium vulneribus respublica cruentaretur: illi meum reditum non populi Romani ſuffragiis, ſed flumine ſanguinis intercludendum putauerunt.*

CAPVT VI.

Priuati] Cn. Pompeius, metu inſidiarum Clodii tribuni plebis.

Tribuni plebis] P. Sextius: vt in oratione pro ipſo c. 37.

Conſulis faſces] Q. Metelli: vt in ea poſt red. in ſen. c. 3.

Deorum immortalium] Nympharum: vt in ea pro Milone c. 27. in Parad. IV. poſt red. in ſen. c. 3.

Paene omnes] Excepto vno praetore Appio, P. Clodii fratre; duobus tribunis plebis, Sex. Atilio Serrano, Numerio Quinctio. in Piſonem c. 15. pro Milone c. 15.

Vno diſſentiente] P. Clodio. poſt red. in ſen. c. 10.

CAPVT VII.

Qui ſunt, fuerunt, erunt] Vſitata ſententia vel laudanti, vel vituperanti: vt ad D. Brutum lib. XI. Fam. epiſt. 21. *Dii iſti Segulio maleſaciant, homini nequiſſimo omnium, qui ſunt, qui fuerunt, qui futuri ſunt.*

In eo me loco] In ea dignitate: vt enim centuriatis comitiis conſul factus ſum, ſic lege centuriatis comitiis lata reſtitutus.

Deinceps] Iis, qui poſt meum conſulatum magiſtratum geſſerunt: cum respublica me conſule grauiter periclitata eſſet.

Eo tempore] Cum lata de meo reditu lex eſt.

Suam claſſem] Cuius cuſtos erat, dum ferrentur ſuffragia. Centuriatis autem comitiis claſſes, in quas Ser. Tullius rex populum deſcripſerat, ad ſuffragia vocari ſolitas, ex Liuio, Dionyſio, Cicerone cognoſcitur.

Attentatam] A Clodianis corrumpere conantibus.

Magno cum ſuo periculo] Orta contentione ipſo praeſente.

In concione veſtra] Recte: ſed omnes tamen libri veteres, *in concione veſtrum.* ſunt qui, *veſtra*, deleant: ego libenter retineo: quia, cum ad Quirites verba faciat, *veſtra*, locum habet.

CAPVT VIII.

En ego tot teſtimoniis] Videtur eſſe rectius, *ergo tot teſtimoniis.*

Obſidione] Barbararum gentium, Ambronum, Teutonum, Cimbrorum, ad vrbem irruentium.

CAPVT IX.

Eius imperii, quod erat penes ipſos] Quis non videt, conſules Gabinium et Piſonem ſignificari? de quibus etiam ſubiungit, *mercatores prouinciarum, reuocando domum, atque ab iis prouinciarum rationem repetendo.*

Precibus] Eorum, qui nos offenderunt.

Repetere] Malim, *petere:* vt ſit: petere, ne colas bene meritos.

tos. reſpondet autem ad illud, *temporibus reipublicae communique vtilitate deponi.*

Verum etiam impius] Vt *pius* eſt, qui, cum acceperit maxima beneficia, gratiam refert: ſic *impius*, qui non refert. nam qui, mediocribus acceptis beneficiis, gratiam nullam refert, is *ingratus* dicitur potius, quam *impius*.

Pecuniam qui retinet, non diſſoluit] Eadem ſententia, et iisdem fere verbis, in oratione pro Plancio c. 28. *Diſſimilis eſt pecuniae debitio, et gratiae. nam qui pecuniam diſſoluit, ſtatim non habet id, quod reddidit: qui autem debet, is retinet alienum: gratiam autem et, qui refert, habet; et qui habet, in eo ipſo, quod habet, refert.* Et lib. II. de Offic. c. 20. *Commode autem, quicumque dixit, pecuniam qui habeat, non reddidiſſe.*

CAPVT X.

Repromitto] Plus eſt, quam *promitto:* valet enim, pro veſtris in me meritis viciſſim promitto.

In ſententia ſimpliciter referenda] Quid eſt, *referre ſimpliciter ſententiam?* non in ſenatu. nam id eſt, *dicere ſententiam:* neque hoc populo, ſed ſenatui, promittendum. aut igitur, *efferenda*, legerem, id eſt, pronuncianda, ad populum ſcilicet: vt ſit, *ſententia*, pro, animi ſenſu: aut interpretemur, ſententiam, in ſenatu ſimpliciter et bona fide dictam, referre ad populum: vt ſciret populus, quid actum eſſet in ſenatu.

Animi beneuolentiam] Ita dictum, vt *animi voluntas*, ad Meſcinium lib. V. Fam. epiſt. 20.

Cunctis ſuffragiis] Centuriatis comitiis, nemine diſſentiente.

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM
POST REDITVM IN SENATV

ARGVMENTVM

Miram in reſtituendo Cicerone voluntatem et ſenatus, et populus Romanus oſtendit. vtrique gratias egit: et vtraque exſtat oratio. quamquam eam, quae, ad Quirites, inſcripta eſt, ſuſpicor interdum ſcriptam eſſe, non habitam. eius enim, ſi habita eſſet, ita videtur mentionem facturus fuiſſe lib. IV. ad Attic. epiſt. 1. vt mentionem fecit orationis in ſenatu habitae, his verbis: Poſtridie in ſenatu, qui fuit dies non. Sept. ſenatui gratias egimus. *In hac igitur, qua ſenatui gratias egit, commemorat, atque amplificat eius ordinis erga ſe merita: laudat conſules P. Lentulum, et Q. Metellum: tribunos plebis octo, et in iis praecipue Milonem, et Sextium: ſeptem praetores, et Cn. Pompeium. Habita Lentulo, et Metello coſſ.*

EXPLANATIO

CAPVT I.

Ne meae naturae potius] Deprecatur naturae culpam: ne quis eum noluiſſe putet, quod praeſtare non potuerit.

Haec tenuimus] Quae ſunt a parentibus tradita.

Cuius honoribus] Populi Romani ſuffragiis mandabantur honores ii, quibus in curiam aditus patebat.

In ampliſſimo conſilio, et in altiſſimo gradu dignitatis, atque in hac omnium terrarum arce] Officium ſenatoris ab amplitudine rerum, de quibus deliberat; honorem ex eo, quia nulla dignitas in ciuitate praeſtantior; curiam ipſam ab omnium gentium perfugio deſcribit.

Quod (abeſt ab Ern.) *haec antea*] Niſi deleatur, *quod*, implicabitur ſententia. delere autem cur dubitem, cum antiquus liber optimi doctiſſimique viri Latini Latinii, coniecturam meam confirmet?

Per

Per illos] Per populum Romanum, per parentes, per deos immortales.

CAPVT II.

Referente] Kal. Iun. vt docet oratio pro Sextio c. 31.

Ninnio] Quadrato, tribuno plebis, ex Dione lib. XXXVIII.

Et maxime fidelem, et minime timidum, ſi dimicare placuiſſet, defenſorem ſalutis meae] Eundem laudat his verbis in ea pro Sextio c. 31. *Cuius in mea cauſſa numquam fides virtusque contremuit.*

Si dimicare placuiſſet] Non placuit Ciceroni: ne ſuos ciues, olim a ſe ſeruatos, et ſe ſeruare cupientes, ſeruis armatis obiiceret.

Per eum tribunum plebis] Aelium Ligurem, quia interceſſit. pro Sextio c. 31. *Interceſſit Ligus iſte, neſcio qui, additamentum inimicorum meorum.*

Per ſe] Homo ignobilis, nullis opibus.

Sub alieno ſcelere] P. Clodii, quem ſecutus eſt in delenda republica.

Ab iis conſulibus] Piſone et Gabinio.

Vendiderant] Clodio, pactione prouinciarum, quae ſceleris merces fuit.

Malueram] Quia cedere malui, quam, dimicatione ſuscepta, patriam in diſcrimen adducere.

Octo (Ern. *hos*) *tribunos*] Nam duo reliqui, Sex. Atilius Serranus, Num. Quintius Gracchus, promulgare noluerunt.

Promulgauit] Non dixit, *tulit*, ſed, *promulgauit:* ne legem Clodiam agnoſcere videatur, quam ſaepe legem eſſe negat.

Si reuixiſſent ii] Socii Catilinae.

Vtrumque confeſſus eſt] Quorum in altero ſuam improbitatem ſignificat, quia vitam illorum deſiderat: in altero periculum reipublicae ex illorum vita, ſalutem ex meo reditu demonſtrat.

Magno in periculo rempublicam futuram] Nam ſi hoſtes, atque interfectores reipublicae reuiuiſcunt, qui poteſt non in magno respublica periculo verſari?

Aut ego non reuertiſſem] Ipſis reuiuiſcentibus: vt rempublicam iterum contra perditos eorum conatus mea vigilantia tueri, et ſeruare poſſem. Non grauabor idem aperire pluribus verbis adoleſcentulorum gratia. Cum promulgaſſet Clodius tribunus plebis, vt ſi reuixiſſent ii, quos coniurationis crimine conuictos capitali poena ſenatus affici voluerat, tum Cicero in patriam rediret; quod ideo Clodius in ſua lege poſuerat, vt omnem redeundi ſpem Ciceroni adimeret, data redeundi facultate cum ea re, quae fieri nullo modo poſſet: ex iis verbis eam Cicero ſententiam elicit; quae ipſum Clodium in odium ſenatus adducat, ſibi autem gloriam vel maximam afferat. Cum hoc, inquit, Clodius dixit, primum id confiteri viſus eſt, eorum a ſe vitam deſiderari, deinde illud, magno rempublicam in periculo futuram, ſi aut hoſtes reipublicae reuixiſſent, aut ego, ipſis reuiuiſcentibus, non reuertiſſem. Cum enim coniunxit haec, *vt ego tum redirem, cum ii reuixiſſent;* id plane confiteri viſus eſt, meum reditum, iis reuiuiſcentibus, eſſe neceſſarium; ne ſcilicet vulneri medicina deeſſet: ſiquidem ego rempublicam

blicam contra perditos eorum conatus meo more defenderem.

Principes (Ern. *princeps*) *ciuitatis*] Pompeium ſignificat: quia Clodii petitus inſidiis, domi tamdiu ſe tenuit, quamdiu ille in tribunatu fuit.

Parentibus perpetuis] Quales eſſe conſules debent. plus autem praeſtare ſolet pater, quam tutor.

CAPVT III.

Paene omnium] Duobus exceptis, Sex. Atilio Serrano, Num. Quintio Graccho.

Quo quidem menſe] Kal. Febr. Q. Fabricius, princeps rogationis de Cicerone promulgatae, Roſtra aliquanto ante lucem occupauit, vt rogationem perferret. tum Clodiani, cum forum, comitium, curiam, multa de nocte armatis hominibus occupaſſent, impetu in Fabricium facto, manus attulerunt: occiderunt nonnullos, vulnerarunt multos, caedem in foro maximam fecerunt, ſic, vt ſpongiis e foro ſanguis effingeretur. pro Sextio c. 35.

Flumine ſanguinis] Ad Quirites c. 5. *Corporibus ciuium trucidatis, flumine ſanguinis meum reditum intercludendum putauerunt.* Translatione rem amplificat, ex magna caede, multisque vulneribus. et ſubiungit, *intercludendum*, ex eo quod accidere ſaepe ſolet, vt, qui aliquo iter habent, auctis fluminibus intercludantur.

Cum is exceſſiſſet] De ſe ipſo loquitur.

Reſtiterat] Coniuratione oppreſſa.

Clariſſimi conſulis] Q. Metelli.

Tribuni plebis] P. Sextii.

Tactum ac violatum manu] Quod per ſacratas leges non licebat.

Vulneratum ferro] Infra c. 12. *Quid de P. Sextio loquar? qui ſuam erga me beneuolentiam, et fidem non ſolum animi dolore, ſed etiam corporis vulneribus oſtendit.*

Nonnulli magiſtratus] Non praetores, quos defenſores habuit ſeptem, id eſt, omnes, vno excepto P. Clodii fratre Appio, vt infra c. 10. patet, et in ea in Piſonem c. 15. aediles igitur, quaeſtoresque ſignificat.

CAPVT IV.

Parens ac deus] Ad Quirites c. 5. *Parens, deus, ſalus noſtrae vitae, fortunae, memoriae, nominis.* In Bruto c. 77. *Publius ille, noſtrarum iniuriarum vltor, auctor ſalutis.*

Non ſaepe vnum conſulem improbum, duos vero numquam, poſt Romam conditam, excepto illo Cinnano tempore, fuiſſe] Cinnano tempore Cinna ipſe, et Papirius Carbo, improbiſſimi conſules fuere. Dictum Catuli recitat in ea quoque pro domo c. 43. *O Q. Catule, tantumne te fefellit, cum mihi ſumma et quotidie maiora praemia in republica fore putabas? negabas fas eſſe, duos conſules eſſe in hac ciuitate inimicos reipublicae. Duo ſunt inuenti, qui ſenatum tribuno furenti conſtrictum traderent.*

Conſul fuiſſet inimicus (Ern. *vnicus*)] Qui mihi inimicus erat. infra c. 10. *Q. Metellus, et inimicus, et frater inimici, perſpecta veſtra voluntate, omnia priuata odia depoſuit.* Mendoſe antea

antea pro, *inimicus*, legebatur, *vnicus;* quod in nullo reperitur vetere libro. in eo, qui eſt apud Fuluium Vrſinum, legitur, *non inimicus.* cum eo conſentiunt Maſaeiani omnes, vno excepto, in quo eſt, *conſul fuiſſet inimicus.* quem ſecuti ſumus.

Quorum alter] Gabinius.

Amatorem ſuum] Virum Gabinii Catilinam paullo poſt c. 5. appellat, et in oratione pro domo c. 24. Gabinium *Catilinae delicias.*

Alter] Piſo.

Cethegum] Vnum ex coniurationis principibus, qui decreto ſenatus cum aliis quattuor in carcere ſtrangulatus eſt.

Conſobrinum ſuum (*ſuum* abeſt ab Ern.)] Pro domo c. 24. *Conſules epulabantur, et in coniuratorum gratulatione verſabantur: cum alter ſe Catilinae delicias. alter Cethegi conſobrinum fuiſſe diceret.*

Conſulari] Ad ipſos enim conſules defenſio maxime ſalutis meae pertinebat: cum ego conſul res illas pro ſalute patriae geſſiſſem, quarum cauſſa vexari me iniquiſſime, et oppugnari a tribuno plebis videbant. In Piſonem c. 9. *Cum enim eſſet omnis illa cauſſa mea conſularis, et ſenatoria; auxilio mihi opus fuerat. et conſulis, et ſenatus.*

Quorum alter] Gabinius.

CAPVT V.

Domeſtico lenocinio] Egreſſus aetate puerili, cum ſe iam ad alienas libidines diuulgare non poſſet, domi ſuae lenocinium exercuit.

Niſi in aram tribunatus confugiſſet] Ad aram qui confugiunt, ſeruantur. *portum tribunatus*, dixit pro Sextio c. 8. *Olim, ne Scyllaeo illo aeris alieni in freto ad columnam adhaereſceret, in tribunatus portum perfugerat.*

De piratico bello] Quod Pompeio mandauit. pro lege Manilia c. 19.

Piraticam ipſe feciſſet] Subuenit enim egeſtati ſuae, cum Pompeii legatus piratico bello eſſet. pro lege Manilia c. 19.

Verſatus eſt] Conſul.

Tribunus plebis] P. Clodius.

Ne auſpiciis obtemperaretur] Quibus obtemperari lex Aelia iubebat. Aſconius in Piſonem c. 4.

Obnunciare] Obnunciabat magiſtratus, qui de caelo ſeruauerat. Clodius autem, quo poſſet arbitratu ſuo, quandocumque vellet, exitioſas reipublicae leges ferre, ſuſtulit auſpicia, obnunciationem, interceſſionem. quam rem Cicero oſtendit in ea de prouinciis c. 19. et in Piſonem c. 4.

Concilio] *Concilium* dicitur, cum pars populi tantum coit. comitiis autem coit vniuerſus.

Lex Aelia, et Fuſia] Quae auſpicia, obnunciationem, interceſſionem confirmabant: ne pernicioſis legibus improbi tribuni plebis reipublicae nocere poſſent.

Ad eum veniſſet] In forum.

Eaque dixit, quae, ſi eius vir Catilina reuixiſſet, dicere non eſſet auſus] Pro Sextio c. 12. *Habet orationem talem conſul, qualem numquam Catilina victor habuiſſet.*

Nonarum Decembr.] Quo die contra coniuratos actum eſt in ſenatu.

Cliui Capitolini] Equeſter ordo, cum in templo Concordiae ſenten-

ſententiae dicerentur de ſupplicio coniuratorum, cliuum Capitolinum praeſidii cauſſa cum gladiis occupauit. infra c. 13. *Dixerat in concione conſul, ſe cliui Capitolini poenas ab equitibus Romanis repetiturum.* Pro Sextio c. 12. *Equites Romanos daturos illius diei poenas, quo, me conſule, cum gladiis in cliuo Capitolino fuiſſent.*

Quos ei commodum fuit] Quos ei libuit. hoc enim ſenſu saepe ita loquitur Cicero.

Compellauit] Nominatim appellauit, et ſermone deterruit. infra c. 13. *Nominatim alii compellabantur, alii citabantur, alii relegabantur.*

L. Lamiam] Pro Sextio c. 12. *L. Lamiam, qui, cum me ipſum pro ſumma familiaritate, quae mihi cum fratre, cum patre eius erat, vnice diligebat, tum pro republica vel mortem oppetere cupiebat, in concione relegauit: edixitque, vt ab vrbe abeſſet millia paſſuum ducenta: quod eſſet auſus pro ciue, pro bene merito ciue, pro amico, pro republica deprecari.*

Praeſtanti dignitate hominem] Hoc addit, quia non ſolum eques Romanus, ſed princeps etiam erat equeſtris ordinis: vt ad D. Brutum lib. XI. Fam. epiſt. 16. *Clodianis temporibus, cum equeſtris ordinis princeps eſſet, proque mea ſalute acerrime propugnaret, a Gabinio conſule relegatus eſt.*

Pro fortunis ſuis] Quorum amplae fortunae ſunt, ii praeſentem reipublicae ſtatum amant, nouari nihil volunt: qui vero ſunt a fortunis, rebusque domeſticis imparati, iis respublica cara non eſt: quaerunt enim nouitatem rerum, vel cum publica pernicie; vt ſuis priuatis vulneribus medeantur.

Vt, quo minus occulte veſtrum malum gemeretis, nihil diceret] Vt pro republica, et pro ſalute mea nihil diceret. ſic enim effeciſſet, ne veſtrum malum occulte gemeretis. quod efficere non potuit, quamquam edixerit, ne palam, veſte mutata, incommoda patriae lugeretis.

CAPVT VI.

Madenti coma] Supra c. 5. *vnguentis oblitus.*

Fluentibus buccis] In Piſonem c. 11. *Erant illi comti capilli, et madentes cincinnorum fimbriae, et fluentes ceruſſataeque buccae.*

Calamiſtrati] Calamiſtrata coma, capillo calefacta acu intorto. infra c. 7. *Frons calamiſtri notata veſtigiis.*

Saltatoris] Saltandi ſtudium, quod Romae turpe erat, ſaepe obiicit Gabinio. Aemilius Probus in Epaminonda c. 1. *Scimus muſicen noſtris moribus abeſſe a principis perſona, ſaltare etiam in vitiis poni.*

Caeſoninus Caluentius] L. Piſo: qui Caeſonini cognomen a patre, Caluentii autem nomen a patris ſocero accepit: vt ei Cicero per ignorantiam obiicit. nam re vera Calpurniae gentis erat Piſo. vide Pedianum in Piſon.

Non conſulis (Ern. *iuris*) *ſtudium*] Non caret vitio locus. quo enim pertinet *conſulis* mentio? quid prodeſt agentibus in foro cauſſas conſulis ſtudium? legerem *conſulendi*: vt ſubaudiatur, *iurisconſultos*, ad eos enim ventitare ſolebant adoleſcentes: vt, cognito iure ciuili, cauſſis pruden-

prudenter, ac perite agendis, bonorum oratorum nomen adipiſcerentur. Antiquus liber habet, *non conſ. ſtudium, non rei militaris.*

Cum ſtipite Aethiope] In, *ſtipite*, ſtuporem Piſonis, in, *Aethiope*, deformitatem notat, coloremque ſeruilem. Sic in oratione c. 1. *Non enim nos color iſte ſeruilis, non piloſae genae, non dentes putridi deceperunt.* Et ibidem: *Obrepſiſti ad honores errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum, quarum ſimile habes nihil, praeter colorem.* Et: *Colore ipſo patriam aſpernaris, oratione genus, moribus nomen.*

Neglectum (Ern. *negotium*)] Mendi ſuſpicionem afferunt duo veteres libri, in quibus eſt, *negotium.*

Cappadocem] Seruum ex iis vnum, qui ex Cappadocia ad vrbem aduehebantur.

Non ianua receptis, ſed pſeudotyro intromiſſis voluptatibus] Non palam intemperans, ſed occulte.

Quaecumque eſt] Licet non bona ſit.

Non ex iſtis ineptis] Loquitur ex perſona Piſonis, cui, qui dies totos de officio, ac de virtute differerent, inepti homines videbantur.

CAPVT VII.

Is non me (Ern. *is me* etc.)] Me quidem non decepit, ſed vos, populumque Romanum, qui conſulem creauiſtis.

Propter Piſonum affinitatem] Cum eſſem affinis Piſonum, propter filiam meam C. Piſoni collocatam; eum tamen non cognoram, qualis eſt: quippe cum a Piſonum moribus diſceſſiſſet, cognatione materna, translatus ad alios mores. Matris autem Piſonis Caluentius quidam, transalpinus homo, qui profectus in Italiam Placentiae conſedit, pater fuit.

Longe hinc (Ern. *hunc*)] Longe ab vrbe Roma, in Galliam ſcilicet, id eſt, ad Gallicos mores.

Iſto oculo] Vitium in altero Piſonis oculo fuiſſe, cum hic locus indicat, tum ille in oratione pro Sextio c. 8. *Tanta erat grauitas in oculo, tanta contractio frontis, vt illo ſupercilio reſpublica tamquam Atlante caelum niti videretur.*

Cum illius re ſimilis fuiſſes] In pernicie mea.

Frontis tibi integumento] Quam enim tibi ſeueritatis et integritatis opinionem frons afferebat, eam, conſociatis cum Gabinio peſtis meae conſiliis, prorſus amittebas. eius enim vnguentorum odor, vini anhelitus, frons calamiſtri notata veſtigiis cum tua ſeuera fronte minime congruebant, ſed te quoque talem in flagitiis eſſe, quamquam ſimulares, oſtendebant.

Ad occultanda tanta flagitia] Quae occultare antea frontis integumento ſolitus eras.

Addiceres] Tribuno plebis Clodio.

Ne luctu quidem, ac veſtitu] Edixit enim Piſo cum Gabinio collega, vt ſenatus, qui ſenatus conſulto veſtem mutauerat, ad veſtitum rediret. pro Sextio c. 14. in Piſonem c. 8.

Conſulem eſſe, ſicut eras eo tempore] Duumuir Piſo Capuae erat, in colonia nuper conſtituta, et

eodem

eodem anno conſul Romae. ideo in orat. pro domo c. 23. *Campanum illum conſulem cum ſaltatore collega.* Et in Piſonem c. 11. *Seplaſia, vt dici audiebam, te, vt primum adſpexit, Campanum conſulem repudiauit.*

Productus] A P. Clodio tribuno plebis.

Cum tuo illo pari] Cum Gabinio collega, tui ſimillimo. Sic in orat. in Piſonem c. 8. *Edicere eſt auſus cum illo ſuo pari, quem tamen omnibus vitiis ſuperare cupiebat, vt ſenatus, contra quam ipſe cenſuiſſet, ad veſtitum rediret.*

Te ſemper miſericordem fuiſſe] Dixit in concione, crudelitatem ſibi non placere: vt eſt in oratione contra ipſum c. 6. fortaſſe et hoc addidit, ſe miſericordem ſemper fuiſſe: quod quidem ex hoc loco licet intelligere.

Cum a patria peſtem expellerent] Cum in coniuratos animadverterent.

Affinem tuum] Ob filiam C. Piſoni collocatam.

Comitiis] Quibus conſulatum Piſo petiit.

Praefeceras] Vt primus cuſtos eſſem in praerogatiua centuria, ne qua fraus committeretur. iudicium enim praerogatiuae tota comitia ſequebantur.

Tertio loco] Primum fortaſſe, abſente C. Caeſare genero ſuo, Cn. Pompeium, alterum M. Craſſum, tertium Ciceronem rogavit. in Piſonem c. 5. *Cui primam comitiis tuis dederas tabulam praerogatiuae, quem in ſenatu ſententiam rogabas tertium.*

Clementia ac miſericordia ſingulari] Ironia: quia dixerat Piſo in concione, ſe miſericordem ſemper fuiſſe.

Ne vnam quidem horam] Clodius enim, cum rogationem de Cicerone tuliſſet, ſtatim de provinciis tulit, vt Macedoniam Piſo, Syriam Gabinius adminiſtraret. vnde illud in Piſonem c. 9. *Eodem in templo, eodem et loci veſtigio, et temporis, arbitria non mei ſolum, ſed patriae funeris abſtuliſti.* Et pro Sextio c. 24. *Illo ipſo die, die dico? immo hora, atque etiam puncto temporis eodem mihi reique publicae pernicies, Gabinio et Piſoni prouincia rogata eſt.*

Illa lamentatio] De me expulſo.

Concidiſſe (Ern. *occidiſſe*) *rempublicam*] Lata de Cicerone rogatione.

Arbitria] Praemia: vt pro domo c. 37. *arbitria petentes funeris.* Et in Piſonem c. 9. *Eodem in templo, eodem et loci veſtigio, et temporis, arbitria non mei ſolum, ſed patriae funeris abſtuliſti.*

Funeris] Reipublicae. dixit enim, *concidiſſe rempublicam.*

Ad vicinum conſulem] Piſonem. vide orationem in ipſum c. 11.

Ad item vicinum alterum conſulem] Gabinium, qui fundum habebat in Tuſculano, vbi poſtea villam ingentem exſtruxit, de qua in orat. pro domo c. 47. pro Sextio c. 43. in Piſonem c. 21.

CAPVT VIII.

Iudicia ſublata eſſe] Significat illud, quod eſt in ea pro Sextio c. 41. *Ecce tibi conſul, praetor, tribunus plebis, noua noui generis edicta proponunt: ne reus adſit,*

ſit, ne citetur: ne qua eatur: ne mentionem omnino cuiquam iudiciorum facere liceat.

Ne ille omnia vi poſſet efficere, curauit] Suam enim vim aliquanto firmiorem oppoſuit. pro Sextio c. 41.

M. Ciſpius] Sic repoſui, cum legeretur, *Moſopius:* quam mihi coniecturam attulit eiusdem, vt arbitror, Ciſpii mentio in oratione pro Plancio c 31.

Publici beneficii memoria priuatam offenſionem oblitterauerunt] Hoc eſt, quod ait de eodem Ciſpio in orat. pro Plancio c. 31. *An ego, qui meorum lacrumis, me abſente, commotus, ſimultates, quas mecum habebat, depoſuiſſet, meaeque ſalutis non modo non oppugnator, vt inimici mei putarant, ſed etiam defenſor fuiſſet, huius in periculo non dolorem meum ſignificarem?*

Qui mihi quaeſtor fuit] In conſulatu.

M. (Ern. *M'.*) *Curtius*] Quidam libri, *Curius*, vtrum rectius, quis diuinet? ſed ſi, *Curius;* Marci praenomen in Manii mutarem, proprium Curiae gentis: et a *M.* minimum differt *M'.*

Cuius ego patri quaeſtor fui] Valde hic haereo. huic enim Curio, neque conſuli, qui conſulatum numquam geſſit, neque prouinciam aliquam poſt praeturam adminiſtranti quaeſtor eſſe Cicero potuit, quem ſcimus quaeſtorem Sex. Peducaeo in Sicilia fuiſſe.

Separatim] A collegis.

Initio] Cum primum tribunatum iniit.

Quae de me agere conatus eſt] Legem enim promulgauit: ne perferret, Clodiana vis obſtitit.

CAPVT IX.

Cum collegis paene omnibus] Vno excepto Appio, Clodii fratre. in Piſonem c. 15. *De me cum omnes magiſtratus promulgaſſent, praeter vnum praetorem, a quo non fuit poſtulandum, fratrem inimici mei, praeterque duos de lapide emtos tribunos plebis, legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus conſul de collegae Q. Metelli ſententia.* Et pro Milone c. 15. *Septem praetores, octo tribuni plebis, illius aduerſarii, defenſores mei.* Hic quoque ſeptem praetores nominantur. Quibus locis de toto praetorum numero admonemur.

M. Calidius] Orator optimus, niſi vis ei dicendi abfuiſſet. vide in Bruto c. 79. 80.

Huic homini] Patet ex iis, quae ſequuntur, ſignificari P. Lentulum conſulem.

Qui rempublicam ſaluam vellent] In Piſonem c. 15. *Ad meam vnius hominis ſalutem ſenatus auxilium omnium, cuncta ex Italia, qui rempublicam ſaluam eſſe vellent, conſulis voce et litteris implorandum putauit.* Et pro domo c. 12.

Qua voce a te, Romule, (Ern. *ter omnino*) *poſt Romam conditam conſul vſus eſſet pro vniuerſa republica*] Quid opus eſt, *a te, Romule*, cum ſequatur, *poſt vrbem conditam?* vidit mendum Vbaldinus Bandinellus, cuius in hac emendandi ratione excelluit induſtria: vident, opinor, omnes, qui iudicio aliquid valent. Sed profecto, quod ſincerum non eſt, id videre, multo procliuius eſt, quam corrigere. legebat Vbaldinus, *qua voce antea ſemel:* alii, *qua voce ter omnino:* ſatis longe, vt

vt mihi videtur, vterque a vetere ſcriptura: verumtamen concedamus aliis, quod ipſi nobis non concedimus, vt coniectura liberior eſſe poſſit: rem ipſam ponderemus. Videtur Vbaldinus, cum, *ſemel*, reponendum putauit, de vno conſule P. Valerio Poplicola cogitaſſe: qui, cum Ap. Herdonius noctu Capitolium arcemque cum exſulibus, et ſeruis occupaſſet, ipſe pro imperio conſulari, nullo ſenatus conſulto, nullo populi iuſſu, in concione illa dixit, quae ſcripta ſunt apud Liuium lib. III. c. 17. *Se arma capere, vocare omnes Quirites ad arma. ſi quis impediat, iam ſe conſularis imperii, iam tribuniciae poteſtatis, ſacratarumque legum oblitum, quisquis ille ſit, vbicumque ſit, in Capitolio, in foro, pro hoſte habiturum.* Quid vero ii, qui, *ter*, maluerunt, quam, *ſemel*, ſpectarunt? tria ſcilicet tempora, vnum Poplicola conſule, alterum L. Opimio, qui Gracchum occidit, tertium C. Mario, qui Saturninum tribunum plebis, et Glauciam praetorem. Vtra igitur opinio ad Ciceronis mentem propius accedit, nihil decerno, tantum aliquid dicam veritatis indagandae gratia. Mihi de vno potius conſule Poplicola, quam de Opimio ſimul, et Mario, loqui Cicero videtur. nam ea maior eſt laus, vt, cum ſemel tantum, non ter, poſt vrbem conditam conſul eos, qui exaudire poſſent, pro vniuerſa republica ad arma vocauerit, ſenatus ad vnius ſalutem defendendam omnibus agris, vicis, oppidis ciues, totamque Italiam excitaret: vt comparetur ſenatus factum pro vno ciue reſtituendo cum conſulis facto pro vniuerſa republica liberanda, quod ſingulare tamen fuerit poſt vrbem conditam. Attigit eandem rem in oratione pro Sextio c. 60. et in Piſonem c. 15.

CAPVT X.

Q. Metellus] Alter conſul.

Frater inimici] P. Clodii: vel quia Metellus Clodia, vel quia Clodius Metella natus eſſet. ſic pro domo c. 27. et lib. IV. ad Attic. epiſt. 3. fratres vocantur.

Diuina quadam grauitate] De eodem in ea de haruſp. reſp. c. 1. *Cuius ſi etiam vim, et grauitatem illam ſingularem ac paene diuinam aſſequi poſſem.*

Fratrem] Q. Metellum Celerem. lib. V. Fam. epiſt. 1. 2. 3.

Diſſenſit vnus] P. Clodius. de haruſp. reſp. c. 7. et pro Sextio c. 61.

Is qui ſua lege coniuratos etiam ab inferis excitandos putarat] Scripſerat enim in lege, vel certe promulgarat, (nam legem ſcripſit Sex. Clodius) vt, ſi reuixiſſent ii, quos Cicero indicta cauſſa condemnarat, tum in patriam rediret.

CAPVT XI.

Calumniarentur] Aſtute rem producerent. id enim interdum eſt, *calumniari*. vnde illud ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 4. *Res ab aduerſariis noſtris extracta eſt variis calumniis.* Et pro Sextio c. 35. *Cum omni mora, ludificatione, calumnia ſenatus auctoritas impediretur.*

Res cum rediſſent (Ern. *cum res rediſſet*)] Legendum videtur, *ad res cum rediſſent*: id eſt, ad ſua negotia. id colligitur ex ea pro

pro Sextio, in qua c. 62. idem dicitur his verbis: *Decreuit eodem tempore ſenatus, vt iis, qui ex tota Italia ſalutis meae cauſſa conuenerant, agerentur gratiae, atque vt iidem ad res redeuntes, vt venirent, rogarentur.*

Illa dignitate] Qui ſenatores fuerunt: vt in Piſonem c. 15.

Rogatores] Eos, qui rogarunt populum Romanum pro ſalute Ciceronis.

Diribitores] Qui ſuffragiorum tabulas diſtribuerunt.

Cuſtodes] Tabellarum. Locum huic ſimillimum ex ea in Piſonem c. 15. recitare non grauabor. *Ex vobis*, inquit, *audio, nemini ciui vllam, quo minus adeſſet, ſatis iuſtam excuſationem eſſe viſam: nullis comitiis vmquam neque multitudinem hominum tantam, neque ſplendidiorem fuiſſe. hoc certe video, quod indicant tabulae publicae, vos rogatores, vos diribitores, vos cuſtodes fuiſſe tabularum.*

Domo ſe teneret] Quamdiu Clodius tribunus plebis fuit.

Referrent] In ſenatu: quod lex Clodia vetabat. retulit L. Ninnius: vt in ea pro Sextio c. 11. 31.

In colonia] Capuae.

Nuper conſtituta] A C. Caeſare conſule anno ſuperiore.

Magiſtratum] Duumuiratum, collega L. Piſone conſule. vnde illud ſupra: *Capuaene te putabas, in qua vrbe domicilium quondam ſuperbiae fuit, conſulem eſſe, ſicut eras eo tempore, an Romae?* Et in ea pro domo c. 23. et in Piſonem c. 11.

Nemo erat emtus interceſſorum (Ern. *interceſſor*)] Hoc in Aelium Ligurem tribunum plebis coniicit; qui Kalendis Iun. referente L. Ninnio de Cicerone reuocando, emtus a Clodio, interceſſit.

Priuilegii] Clodii legem, qua pulſus eſt, inuidiae cauſſa *priuilegium* vocat. pro domo c. 17. *Vetant leges ſacratae, vetant XII tabulae, leges priuatis hominibus irrogare: id eſt enim priuilegium.*

Conſignauit (Ern. *conſignarit*)] Teſtatam eſſe voluit, ad Clodiani ſceleris memoriam.

CAPVT XII.

Recolenda] Memoria repetenda, animo recognoſcenda. Phil. XIII. c. 20. *Quae ſi tecum ipſe recolis: aequiore animo et maiore conſolatione moriere.*

Vni] Cn. Pompeio.

Quoad licuit] Nam per conſules, Piſonem, et Gabinium, diu non licuit.

CAPVT XIII.

Conſul] Gabinius. ſupra c. 5.

Compellabantur] Appellabantur: et cum iis, ne pro Cicerone deprecarentur, agebatur.

Relegabantur] L. Lamiam ſignificat. ſupra c. 5.

Templorum] Templi Caſtoris. pro domo c. 21. *Cum vero gradus Caſtoris conuelliſti, ac remouiſti: tum, vt modeſte tibi agere liceret, homines audaces ab eius templi aditu, atque adſcenſu repuliſti.* Et pro Sextio c. 15.

Demolitione] Conuulſis remotisque gradibus.

Suorum praemiorum] Prouinciae Macedoniae.

Erat alius] C. Caeſar, qui extra vrbem erat.

Cum

Cum imperio in multos annos] Cum imperio quinque annorum, lege Vatinia dato.

Magnoque exercitu] Quattuor legionibus: cum quibus profectus eſt ad Gallicum bellum.

Altera] Clodius, et conſules.

Altera] Boni viri.

Auxerunt dimicationis metum] Effecerunt, vt viri boni dimicationem eo magis timerent: quia Caeſar in primis, cum inimicus mihi eſſe diceretur, tacebat, Craſſo, et Pompeio conniuentibus.

Infitiando] Hoc referri neceſſe eſt non ad eos, qui Ciceronem depoſcebant, ſed ad eos, qui ab iis Ciceronis inimici eſſe dicebantur: qui cum non infitiarentur, ſed tacerent, hominum ſuſpicio, et cura non minuebatur, ſed augebatur bonis viris dimicandi metus. Traduxit in hunc locum mutatione aliqua ſenarium illum, qui eſt in oratione in Piſonem c. 33.

Numquam iſtam imminuam curam infitiando tibi.

Huc fortaſſe adſpexit, cum illa quoque pro Sextio c. 3. diceret: *Atque ego de Antonio nihil dico, praeter vnum: numquam illum in illo ſummo timore, ac periculo ciuitatis, neque communem metum omnium, neque propriam nonnullorum de ipſo ſuſpicionem aut infitiando tollere, aut diſſimulando ſedare voluiſſe.*

Simulatione collegiorum] Collegia Clodius in tribunatu non ſolum vetera, a ſenatu antea ſublata, reſtituit, ſed noua quaedam ex omni vrbis faece, ac ſeruitio conſtituit. ad Quirites c. 5. *Cum homines in tribunali Aurelio palam conſcribi, centuriarique vidiſſem.* Pro domo c. 21. *Cum in tribunali Aurelio conſcribebas palam non modo liberos, ſed etiam ſeruos, ex omnibus vicis concitatos, vim tum videlicet non parabas?* Pro Sextio c. 15. *Iisdem conſulibus inſpectantibus, ſeruorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio, nomine collegiorum.* Et in Piſonem c. 5.

Proſcriptionis] Exemplo L. Lamiae relegati.

CAPVT XIV.

Reuocata eſt] Mutatis conſulibus.

Cn. Plancius] Cum in Macedonia quaeſtor eſſet.

Prouincialibus ornamentis] In orat. pro ipſo Plancio c. 41. *Simul ac me Dyrrhachium attigiſſe audiuit: ſtatim ad me, lictoribus dimiſſis, inſignibus abiectis, veſte mutata, profectus eſt.*

Commodisque] Sua commoda, dum me ſuſtentaret, et conſeruaret, neglexit omnia.

CAPVT XV.

P. Popillio] C. Gracchi lege pulſo, deinde reſtituto. ad Quirites c. 3. pro domo c. 31.

Nobiliſſimo homine] Conſulari.

Q. Metello] Numidico, de quo L. Appuleius Saturninus tulit.

Filius] Qui, quod pro patre exſule ſupplicaſſet, Pii cognomen eſt adeptus.

L. et C. Metelli conſulares] L. Metellus Dalmaticus, C. Metellus Caprarius, et conſularis, et cenſorius, vterque Macedonici filius.

Non Q. Metellus Nepos] Q. Metelli Balearici, qui Dalmatici, et

Caprarii

Caprarii ſrater fuit, filius, auctore Pediano in Corneliana.

Luculli] Lucius, et Marcus, Metelli Numidici ſorore nati, vt ait Plutarchus.

Seruilii] P. Seruilius, Iſauricus poſtea dictus, Macedonici filia genitus.

Scipiones] P. Scipio, et ipſe ex Macedonici filia ſusceptus, pater eius Scipionis, qui Pompeii Magni ſocer fuit. Vide, quae diximus in ea poſt red. ad Quir. c. 3.

Qui in me pietate filius] Poſt red. ad Quir. c. 3. *Vnus hic, qui domi, qui in foro poſſet eſſe mihi pietate filius, inuentus eſt, beneficio parens, amore idem, qui ſemper fuit, frater.*

Tribuniciis rogationibus] Rogationem de Popillio tulit L. Beſtia, vt in Bruto c. 34. de Metello Q. Calidius, vt pro Plancio c. 28. 29.

Interfectis inimicis] Inimico Popillii C. Graccho, Metelli L. Saturnino.

Alter eorum] Popillius, qui diſceſſit inuito quidem, ſed auctore tamen ſenatu.

Vim] Saturnini tribuni plebis, atque adeo C. Marii VI conſulis, qui tunc Saturnini partes adiuuabat, veteresque cum Metello inimicitias exercebat.

Qui hac hominum memoria tertius ante me conſularis tempeſtate ciuili expulſus eſt] Primus Popillius, alter Metellus, ille C. Gracchi, hic L. Saturnini ſeditione expulſus: tertius ipſe Marius, cum Sullae victoris arma fugit.

Ea non habeam] Virtutem, et fidem.

Quae ipſe praeſtare poſſim] Quae in poteſtate mea ſunt, quae mihi adimere inimicorum iniuria non poteſt.

Illa] Patriam, dignitatem, fortunas meas.

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM
PRO
DOMO SVA
AD PONTIFICES

ARGVMENTVM

Reſtitutus in patriam Cicero, Lentuli praecipue conſulis opera, XVI. menſe, poſtquam in exſilium iniquiſſima lege Clodia pulſus erat, ſtatim habuit hanc orationem ad pontifices, in qua neruos omnes intendit, vt domum ſuam, eadem lege publicatam, et euerſam, deinde, ne profana vmquam fieri poſſet, Libertati conſecratam, neque publicari, neque conſecrari potuiſſe, oſtenderet. qua de re ſic lib. IV. ad Attic. epiſt. 1. Nos tacemus, et eo magis, quod de domo noſtra nihil adhuc pontifices reſponderant. qui ſi ſuſtulerint religionem, aream praeclaram habebimus. *Et in epiſt. 2. eiusdem libri:* Poſt illas datas litteras, ſecuta eſt ſumma contentio de domo. diximus apud pontifices pridie Kal. Octobres. acta res eſt accurate a nobis: et ſi vmquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam, ſi vmquam alias fuimus, tum profecto doloris magnitudo vim quandam nobis dicendi dedit. *Tantum autem de domo recuperanda laborabat, vt, cum eſſet in exſilio, ita ſcripſerit ad vxorem lib. XIV. Fam. epiſt. 2.* Quod de domo ſcribis, hoc eſt, de area: ego vero tum denique mihi videbor reſtitutus, ſi illa nobis erit reſtituta. *Ac domum quidem ei reſtitutam eſſe, ſatis conſtat ex eadem ad Attic. epiſtola: in qua ſunt haec:* Cum pontifices decreſſent, ita, ſi neque populi iuſſu, neque plebis ſcitu, is qui ſe dedicaſſe diceret, nominatim ei rei praefectus eſſet, neque populi iuſſu, aut plebis ſcitu id facere iuſſus eſſet; videri, poſſe ſine religione eam partem areae mihi reſtitui; mihi facta ſtatim eſt gratulatio. nemo enim dubitat, quin domus nobis eſſet adiudicata. *Sed planiſſime in oratione de haruſp. reſp. c. 6.* Meam domum P. Lentulus, conſul et pontifex, P. Servilius,

vilius, M. Lucullus, Q. Metellus, M'. Glabrio, M. Meſſalla, L. Lentulus, flamen Martialis, P. Galba, Q. Metellus Scipio, C. Fannius, M. Lepidus, L. Claudius, rex ſacrorum, M. Scaurus, M. Craſſus, C. Curio, Sex. Caeſar, flamen Quirinalis, Q. Cornelius, P. Albinouanus, Q. Terentius, pontifices minores, cauſſa cognita, duobus locis dicta, maxima frequentia ampliſſimorum, ac ſapientiſſimorum ciuium adſtante, omni religione, vna mente, omnes liberauerunt. *Eſt autem omnis haec in ſeptem partes diſtributa oratio. Prima reſpondet Clodio, qui apud pontifices ea vituperauerat, quae per eos dies Cicero in ſenatu de republica, id eſt, de Cn. Pompeio rei frumentariae praeficiendo ſenſerat. Secunda de iure publico agit, et in ea oſtenditur, legibus iis, quibus Romana ciuitas vteretur, non poſſe quemquam ciuem eiici, aut de capite eius, vel de bonis quidquam detrahi ſine iudicio ſenatus, aut populi, aut eorum, qui de quaque re conſtituti iudices ſint. In eadem rationes afferuntur, cur tribunus plebis eſſe Clodius non potuerit. quo modo enim, cum patricius eſſet, ad plebem tranſiuit? adoptione? at ea rata eſſe non poteſt: primum quia ſeruatum adoptandi ius non eſt. nam cum adoptare debeat is, qui neque procreare iam liberos poſſit, et, cum potuerit, ſit expertus: adoptauit Clodium ſenatorem annos viginti natus:. qui liberos non modo procreare poteſt, cum habeat vxorem, ſed procreauit etiam. Et cum quaeri a pontificum collegio ſoleat, quae cauſſa ſit adoptionis, quae ratio generum, ac dignitatis, quae ſacrorum: nihil horum in illa adoptione quaeſitum eſt. Atque haec de non ſeruato adoptionis iure, quae omnis notio pontificum eſſe debuit, apud ipſos pontifices dicuntur: ad augures autem, qui aderant, de curiata lege diſputat, qua Clodius eſt adoptatus. Neſas, inquit, eſt agi cum populo, cum de caelo ſeruatur. at quo die lata lex eſt, Bibulus conſul de caelo ſeruauit. rata igitur eſſe non poteſt. quod ſi rata non eſt: qui potuit Clodius, contra auſpicia adoptatus, tribunus plebis eſſe? Accedit ad infirmandam curiatam legem altera ratio. Quid ſeruatur in ferendis legibus? trinundinum, id eſt, vt promulgata lex per tres nundinas, antequam feratur, populo pateat. quod ſpatium, tantum abeſt, vt ſeruatum ſit, vt eam legem Caeſar conſul vix per tres horas promulgatam tulerit. Tertia pars, vel ſi tribunus plebis et per auſpicia, et per leges Clodius eſſe potuerit, quod vtrumque iam negatum eſt, ab eo tamen legem nominatim de capite ciuis indemnati fieri non potuiſſe demonſtrat. id enim priuilegium eſt: quod ſacratae leges, et XII tabulae vetant. Neque vero hoc tantum contra leges, ſed illud etiam, quod de eius capite, fortunisque omnibus, qui neque adeſſe ſit iuſſus, neque citatus, neque accuſatus, legem illam Clodius tulerit: cum iudicia populi ita moderata eſſent a maioribus conſtituta, primum, vt ne poena capitis cum pecunia coniungeretur: deinde, ne, niſi prodicta die, quis accuſaretur: tum, vt ante magiſtratus accuſaret intermiſſa die, quam multam irrogaret, aut iudicaret: poſtremo, vt eſſet accuſatio trinum nundinum, id eſt, ab eo die, quo quis ad populum accuſari coeptus eſſet, ad diem iudicii trinae nundinae intercederent; prodicta die, qua die iudicium eſſet futurum: eamque diem*

diem ſi qua res auſpiciis, aut excuſatione ſuſtuliſſet, tota cauſſa, iudiciumque tolleretur. Nec verba legis vitio carent: ſunt enim haec: Velitis, iubeatis, vt M. Tullio aqua, et igni interdictum ſit: *cum ferri debuerit*, vt interdicatur, *non*, vt interdictum ſit. *quo modo enim, quod factum non eſt, id vt ſit factum, ferri ad populum, aut verbis vllis ſanciri, aut ſuffragiis confirmari poſſet? peccatum eſt igitur in forma legis: quid in ipſa veritate? non minus. ſcriptum eſt enim:* Quod M. Tullius falſum ſenatus conſultum retulerit. *qui ſi falſum retulit, recte ſcripta lex eſt: ſi verum, nulla eſt. verum autem retuliſſe, nec ipſum pro ſuo imperio, ſed ſenatus iuſſu in coniuratos animaduertiſſe, ſenatus ipſe, cum eum reſtituit, indicauit. Sunt igitur haec in lege vitia, primum, quod lata nominatim ſit de capite ciuis indemnati: alterum, quod imperite, vt interdictum eſſet aqua, et igni, cui nondum interdictum eſſet: tertium, quod ſimul de pluribus rebus: quartum, quod per vim. id quod Lentulus conſul in lege vidit, quam de Ciceronis reditu tulit. non enim tulit, vt ei venire Romam liceret, ſed vt veniret. Quarta pars Clodii maledictum, exſulem Ciceronem appellantis refellit duabus cauſſis, vel quod ex peccato, vel quod ex damnatione ſubeatur exſulis nomen. Peccaſſe me, inquit, negant omnes: optime de patria meritum, ſenatus, equeſtris ordinis, ſcribarum, plebis vrbanae, id eſt, paganorum, et montanorum, denique etiam municipiorum, coloniarum, et totius Italiae de meo reditu decreta declarant. In ferenda vero lege, quae celebritas vmquam maior populi Romani, quantus omnis generis hominum, aetatum, ordinumque ſplendor? Quod ad damnationem attinet, exſul non ſum. indemnatus enim diſceſſi. nemo me vlla vmquam lege interrogauit: nemo poſtulauit: nemo diem dixit. libertatem vero, aut ciuitatem amittere ciuis Romanus nemo poteſt, niſi auctor ipſe factus ſit. Infirmatur Clodii maledictum ea quoque ratione, quod in ipſa rogatione nihil tulerat, quo minus Cicero eſſet non modo in ciuium, ſed etiam in ſenatorum numero: et quod in lege illa ſuffragium tulerit non populus Romanus, ſed multitudo hominum e ſeruis conductis, et facinoroſis, et egentibus congregata. Quinta, primum eidem Clodio reſpondet, accuſanti Ciceronem, quod de ſe ipſo glorioſius praedicaret: deinde iis, qui obiicerent ei diſceſſum e patria. Sexta de domo recuperanda quantum laboret, quamque improbe Clodius fecerit in ea dedicanda, et quid ſpectarit, oſtendit. Dedicatio improbatur, quod non affuerit collegium pontificum; ſed vnus tantum pontifex, isque frater vxoris Clodii, adoleſcens imperitus, nouus ſacerdos, ſororis precibus, matris minis adductus, mente, et lingua titubante. In extrema parte preces ad Iouem, Iunonem, Mineruam, ad patrios penates, et familiares, ad Veſtam continentur: vt, ſi nefariam flammam ab eorum templis, ac delubris depulerit; ſi ſuum caput, pro eorum caerimoniis, atque templis, perditiſſimorum ciuium furori, ferroque obiecerit; ſi nihil vmquam magis, quam de reipublicae ſalute laborauerit; hunc fructum ferat, vt ſibi redire in ſuas ſedes liceat. Iisdemque precibus, conuerſus ad pontifices, vtitur, vt ab ipſis iam in patriam reſtitutus, nunc, auctore ſenatu, manibus*

eorum

eorum in ſuis ſedibus collocetur. Habita eſt oratio iisdem conſulibus, quibus in patriam rediit, id eſt, Lentulo, et Metello. De genere, de ſtatu, de partibus orationis, quae nonnulli oſtentationis potius, quam vtilitatis publicae cauſſa, ſedulo perſequuntur, nihil addam: vel quia ſunt in promtu, ſatisque patent ex rhetorum libris: vel quod a veterum interpretum conſuetudine non libenter diſcedo.

EXPLANATIO

CAPVT I.

Diuinitus] Diuina ſaepe transferuntur ad humana per ſimilitudinem; cum in ſingulari laude communia vocabula ſufficere non videntur. Sic, *diuinus ſenatus*, *diuina ſenatus conſulta*, *Deus ille noſter Plato.* eadem ratione eſt hic, *diuinitus*, pro, praeclare: ideoque ſubiungitur, *tum nihil praeclarius.*

Pontifices] Minores, abſente pontifice max. C. Caeſare, qui tum in Gallia bellum gerebat. eorum nomina poſuimus in argumento.

Vos (ab Ern. abeſt) *eosdem, et religionibus deorum immortalium et ſummae reipublicae praeeſſe*] Non tam eos, qui tum pontifices erant, qui longe aberant a maiorum aetate, quam ſuperiores omnes pontifices; vt religioni praeeſſet nemo, qui ſummam rempublicam ſimul non adminiſtraret, id eſt, qui ſenator non eſſet. infra: *Conſilium maiorum in ampliſſimis viris ad ſacerdotia deligendis.*

Amentes ac perditos magiſtratus] Qualis in tribunatu Clodius fuit.

Improborum ac ſceleratorum ciuium praeſidio] Numquam enim deerunt, qui opem illis ferant in oppreſſione bonorum, niſi mihi mea domus, Clodii tribuni plebis furore ademta, et Libertati conſecrata, veſtris hodierno die ſententiis liberetur.

An etiam deorum immortalium religione armare] Armauit Clodius, ac muniuit improbitatem ſuam religione deorum immortalium, cum domum Ciceronis, a ſe publicatam atque euerſam, dedicandam etiam curauit.

Labes ac flamma reipublicae] Quia ſuis rempublicam ſceleribus deformauit, atque incendit.

Quem aequitate humana tueri non poteſt] Quia reſciſſa ſunt, et reſcindentur a ſenatu, populoque Romano ea, quae geſſit in tribunatu. quod praecipue, reſtituto Cicerone, cognitum eſt.

Interpretes religionum] Pontifices, de quibus dixit iam: *Pontifices religiones ſapienter interpretando.*

Requirendi] Vobis, et religiones, et rempublicam deferentibus.

Ab aliis oppreſſa] Oppreſſit rempublicam Clodius, deſeruerunt Pompeius, Caeſar, Craſſus, prodiderunt conſules Piſo, Gabinius.

Per hos dies] VIII. id. Sept. vt opinor, id eſt, biduo poſt quam in vrbem rediit. Significat ſententiam a ſe dictam in ſenatu de Pompeio, cum eſſet annonae ſumma caritas, rei frumentariae praeponendo. qua de re

re ſic lib. IV. ad Attic. epiſt. 1. *Eo biduo, cum eſſet annonae ſumma caritas, et homines ad theatrum primo, deinde ad ſenatum concurriſſent, impulſu Clodii; mea opera frumenti inopiam eſſe clamarent; cum per eos dies ſenatus de annona haberetur, et ad eius procurationem ſermone non ſolum plebis, verum etiam bonorum Pompeius vocaretur, idque ipſe cuperet; multitudoque a me nominatim, vt id decernerem, poſtularet: feci, et accurate ſententiam dixi; cum abeſſent conſulares, quod tuto ſe negarent poſſe ſententiam dicere, praeter Meſſallam, et Afranium. factum eſt ſenatus conſultum in meam ſententiam, vt cum Pompeio ageretur, vt eam rem ſuſciperet, lexque ferretur.*

Vituperaſſet] Apud vos. Videtur Clodius apud pontifices verba feciſſe, priusquam Cicero de ſua domo ageret. cuius orationi ſtatim reſpondendum putavit: vt, ſi qua facta eſſet in pontificum animis offenſio, eam deleret, priusquam ad cauſſam accederet: quod boni oratoris eſt. praeoccupatis enim iudicum animis opinione aliqua, vel odio, iracundia, inuidia commotis, agi cauſſa aequo iure non poſſet.

Aliquem ſe aditum ad aures veſtras eſſe habiturum putauit] Vel quod inuidere vos Pompeii gloriae, vel quod offenſos eſſe arbitraretur, quod ſenatus conſultum illud de re frumentaria Pompeio mandanda, vobis abſentibus, factum eſſet. Non affuerunt eo die conſulares, quod tuto ſe negarent poſſe ſententiam dicere. De conſularium autem numero pontifices aliquot erant, vt P. Seruilius, M. Lucullus, C. Curio, M. Craſſus, Q. Metellus, M' Glabrio.

Qua ille vti non poteſt] Quia prudentiam, ac mentem requirit oratio.

Muniuit] Confirmauit, atque auxit, naturalem petulantiam nulla poena coercente.

CAPVT II.

Quae te tanta poena tuorum ſcelerum, flagitiorumque vexet, vt arbitrere] Scelera enim, et flagitia in malas opiniones, tamquam in poenam, homines impellunt.

Specie ipſa] Maieſtate quadam oris, et corporis.

Suſtinent] Tuentur, atque conſeruant.

Salutem ciuium] Annonae caritate periclitantium.

Cum honore Cn. Pompeii] Quem rei frumentariae mea ſententia praefeci.

Mihi eſſe iratos] Quod iis abſentibus eam de honore Cn. Pompeii ſententiam dixerim, in quam ſenatus conſultum factum eſt. Id aliquanto clarius non multo poſt c. 4. *At enim*, inquit, *liberum ſenatus iudicium propter metum non fuit. Si timuiſſe eos facis, qui diſceſſerunt: concede, non timuiſſe eos, qui remanſerunt. ſin autem ſine iis, qui tum abfuerunt, nihil decerni libere potuit: cum omnes adeſſent, coeptum eſt referri de inducendo ſenatus conſulto. ab vniuerſo ſenatu reclamatum eſt.*

Ac me abſente ſenſerint] In ſenatu, cum et de ſalute mea, et de meis bonis ageretur. Hoc eſt, opinor, quod ait in ea de haruſp. reſp. c. 6. cauſſam de domo duobus locis eſſe dictam: ſemel

mel videlicet in ſenatu, abſente Cicerone, iterum in foro, ipſo agente. Propterea ſubiungitur: *quoniam te ad populum contuliſti:* id eſt, in forum, vbi populus aderat. Niſi ſi hoc ſenſu dictum accipias. Quoniam, cum extraordinarium imperium ad Pompeium detuliſti, ſenatum, et pontifices ipſos, qui ſenatores ſunt, et tamquam ſenatores ab extraordinariis imperiis abhorrent, offendiſti: vt a ſenatu ad populum defeciſſe videaris.

Superior] Cum in ſenatu de Cicerone actum eſt.

Inferior] Apud eosdem.

A libidinoſa ſententia] Ab ea ſententia, quam libido, non ratio afferat.

Certum et definitum ius religionum] Libidini contrarium.

Vetuſtas exemplorum] Quae meam cauſſam probant.

Auctoritas litterarum] In ea, quae ſcripta ſunt, de iure dedicandi, de religione vel inferenda, vel tollenda.

Monumentorumque] Rerum, quae exſtant, conſeruatae religionis indicio.

Tune es ille, inquit, quo ſenatus carere non potuit] Non eſt hoc negantis Clodii, ſed plane confitentis, Cicerone ſenatum carere non potuiſſe, eique honorem illum ac beneficium exprobrantis, quo maiorem eius culpam oſtendat, qui ſtatim adueniens prodiderit auctoritatem optime de ſe meriti ſenatus, facto ſenatus conſulto, cum liberum ſenatus iudicium propter metum non eſſet, abeſſent autem ſummi ordinis principes viri conſulares.

CAPVT III.

Ferro, et armis] Seruis improbisque ciuibus armatis.

Exercitus terrore] Exercitus Caeſaris, qui tunc erat ad portas, cum de Cicerone Clodius legem tulit. poſt red. in ſen. c. 13. *Erat alius ad portas cum imperio in multos annos, magnoque exercitu.* Pro Sextio c. 18. *Caeſar, quem maxime homines ignari veritatis mihi eſſe iratum putabant, erat ad portas, erat cum imperio, erat in Italia eius exercitus.*

Conſulum] Piſonis, et Gabinii.

Seruorum delectu] Collegiorum nomine. infra c. 21. *Cum in tribunali Aurelio conſcribebas non modo liberos, ſed etiam ſeruos.* pro Sextio c. 15. *Iisdem conſulibus inſpectantibus, ſeruorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio, collegiorum nomine.* In Piſonem c. 5. poſt red. ad Quir. c. 5.

Obſeſſione templorum] Templum Caſtoris ſignificat. pro Sextio c. 15. *Iisdem conſulibus arma in templum Caſtoris palam comportabantur.* Et in Piſonem c. 5.

Ne cum improbis] Hoc ad Ciceronem, non ad Clodium refertur. Se enim patria ceſſiſſe, ne ſua cauſſa res ad arma deduceretur, et ſaepe in orationibus, et in epiſtolis gloriatur.

Turbulento illo die] Commota plebe propter annonae caritatem.

In Capitolium] In quo ſenatus habebatur.

Praetuliſſet] Cum me in patriam reſtituit.

Officio (Ern. *beneficio*) *ſuo*] Erga ſalutem meam.

Cuſtodem, defenſoremque] Catilinae temporibus.

Eos] Conſules.

Condemnare] Iudicio meo, ſi in ſenatum non venirem. infra c. 4. *An, quia non condemnaui ſententia mea duos conſules, ſum reprehendendus?*

CAPVT IV.

Nonnulli] Praeſertim conſulares, qui tunc in ſenatum non venerunt, exceptis Meſſalla, et Afranio.

Tuto omnino in ciuitate eſſe non poſſe] Cum tuis armis ceſſi.

Illi non item (Ern. *illuc irem?*)] Non item exiſtimarunt: quia, me timente, ipſi non timuerunt. Aliter hic antea, nec ſine mendo, legebatur: ego ſic reſtitui ex antiquo libro ſummi poetae, doctiſſimi hominis, amiciſſimi mei, Petri Angelii Bargaei.

Et meam, et aliorum vicem] Et mea, et aliorum cauſſa.

Non condemnaui] Quos condemnare viſus eſſem, ſi ab iis in ſenatum arceſſitus non veniſſem.

Indemnatus] Eiectus nullo iudicio. vnde illud pro Milone c. 14. *Diem mihi, credo, dixerat: multam irrogarat: actionem perduellionis intenderat.*

Damnatorum poenam ſuſtinerem] Ne exſularem, vt damnati.

Optimum conſilium] Cum ideo ſenatum haberent, vt annonae difficultatem opportuno remedio tollerent.

Quam populi ſermo] Senſimus id, quod ſentire populum, atque expoſcere videbamus, vt curandi frumenti munus Pompeio mandaretur.

In animis noſtris] In ſenatorum animis.

Superioribus diebus] Ante meum aduentum.

Propter metum] Plebis, circa curiam adſtantis.

Qui remanſerunt] Qui ſi timuiſſent, non remanſiſſent.

Ab vniuerſo ſenatu reclamatum eſt] Patet igitur, eos, qui tum abſuerunt, ſi affuiſſent, idem ſenſuros fuiſſe, quod ii, qui affuerunt.

CAPVT V.

An alio potius confugiendum fuit] Non ad Pompeium. infra c. 8. *Negat oportuiſſe quidquam vni extra ordinem decerni.*

Conſilia tua] De renouandis ob annonae cauſſam latrociniis.

Ob annonae cauſſam] Occaſione praeſentis annonae: ob annonam ſpecie, re vera improbo conſilio.

Concurſus eſt ad templum Concordiae factus] Lib. IV. ad Attic. epiſt. 1. *Eo biduo cum eſſet annonae ſumma caritas, et homines ad theatrum primo, deinde ad ſenatum concurriſſent, impulſu Clodii; mea opera frumenti inopiam eſſe clamarent.*

Capere potuit] Pro debuit, vt lib. II. ad Attic. epiſt. 9. *Feſtiue, mihi crede, et minore ſonitu, quam putaram, orbis hic in republica eſt conuerſus: citius omnino, quam potuit.*

In cauſſa fuit annona] Malim, *cauſſa fuit*, ſublata, *in*, praepoſitione.

Hoc delatum malum] Seditionem a te concitatam.

Nihil de me dicam] Se quoque inſidiis a Lollio petitum ſignificat.

Cn. Pompeium] Damnianum quendam Pedianus, locum interpretans

pretans pro Milone c. 14. inſidiatorem Pompeii nominat. praeter eum, potuit et hic Lollius de tollendo Pompeio, impulſus a Clodio, cogitare.

Per cauſſam inopum, atque imperitorum] Quaſi defenderet inopes, atque imperitos. nam, *per cauſſam*, eſt, per ſpeciem, ſignificatione falſa.

Decuriatos] In decurias diſtributos. Sic pro Sextio c. 15. *Cum vicatim homines conſcriberentur, decuriarentur.*

Materiam ſeditionis] Annonae difficultatem.

Iſta funeſta fax] Clodius cum ſua ſeditioſorum ad caedem, ad direptionem parata manu. Tribus verbis inducta translatio, *materiam*, *fax*, *adhaereſceret.*

CAPVT VI.

Annonam praeſtare] Annonae ſubuenire, inopiae mederi.

Imperitis iniecerat] Apte, *iniecerat*, verbum temeritatis, cum, *imperiti*, dixiſſet.

In templo Iouis Opt. Max.] Recitabo verba pro Sextio c. 61. quibus eadem ſententia continetur. *Quid ego*, inquit, *illa de me diuina ſenatus conſulta commemorem? vel quod in templo Iouis Opt. Max. factum eſt, cum vir is, qui tripartitas orbis terrarum oras, atque regiones tribus triumphis, adiunctas huic imperio, notauit, de ſcripto ſententia dicta, mihi vni teſtimonium patriae conſeruatae dedit: cuius ſententiam ita frequentiſſimus ſenatus ſecutus eſt, vt vnus diſſentiret hoſtis.*

CAPVT VII.

Non habebatur] Quid? frumenti videlicet copia. mihi tamen ſuſpectus locus eſt.

Amico locupletiori] Pompeio.

CAPVT VIII.

Horum ego ſententiam ne laudem] Laudare non poſſum, in eo, quod ſe dicunt extra ordinem nihil cuiquam dare.

Tribus (abeſt ab Ern.) *triumphis*] Triumphauit ex Hiſpania, Sertorio et Perperna deuictis, ex Africa, Hiarba et Domitio, ex Aſia, Mithridate et Tigrane.

Conſtantiam probo] Quod extra ordinem nihil cuiquam dant.

Qua mihi quoque vtendum fuit] Ipſi faciunt, quod ſolent, cum extra ordinem Pompeio nihil dant: aeque enim id omnibus negant. ego quoque, quod antea feceram in bello Mithridatico extra ordinem Pompeio mandando, idem feci nunc in rei frumentariae procuratione eidem extra ordinem decernenda: et quam in illis conſtantiam probo, eadem in me ipſo delector.

Quo ille auctore] Praetor Cicero orationem habuit pro lege Manilia, vt Pompeius cum Mithridate, ac Tigrane extra ordinem bellum gereret.

Poſſum aliquid disputare] Suam enim quandam rationem habent, cum nimiam in vno homine potentiam non probant. tu vero cur id non probas in Pompeio, quod in Catone antea probaſti? quaenam haec impudentia eſt, vt in re ſimili non ſimiliter ſentias?

Populumque Romanum ſcelere obligaſſes] Inductum a te, vt legem

gem tuam de publicando Ptolemaei regno ſuis ſuffragiis comprobaret. Nota ſatis hiſtoria.

Latrocinium huius imperii] Latrocinium enim vere dici poteſt illa publicatio.

Si quis] Malim, *ſi is.*

Quid ad te] Catonis laudes tuum factum non excuſant. nam ſi iuris non eſt, vlli rei quemquam extra ordinem praefici: cur tu Catonem praefeciſti?

CAPVT IX.

Subduxeras] Ne tibi aduerſaretur in tuo tribunatu.

Sergiis, Lolliis, Titiis] Sergium, Lollium ſupra c. 5. et infra c. 33. Titium in ea pro Sextio c. 52. et de haruſp. reſp. c. 27. nominat.

Carnificem ciuium] Quia ſententiam illam dixit de coniuratis vltimo ſupplicio afficiendis, quam ſenatus ſecutus eſt. Salluſtius in Cat. c. 53. Plutarchus in vita Ciceronis.

Illius tui ſceleris] In amandando Catone.

A C. Caeſare] Ex Gallia. notae ſunt Caeſaris et Catonis inimicitiae.

Libertatem ademiſſes] Catoni: ne poſſet in poſterum contra extraordinarias poteſtates verba facere. quod enim ipſe accepiſſet, in aliis reprehendere non poſſet. huc illud pertinet ex oratione pro Sextio c. 28. *Qui in concione palam dixerint, linguam ſe euelliſſe M. Catoni, quae ſemper contra extraordinarias poteſtates libera fuiſſet.*

Homini poſt homines natos turpiſſimo] Gabinium ſignificari conſtat.

Quis bellum pacatiſſimis gentibus] Pro, bellum contra pacatiſſimas gentes. infra c. 23. *Integerrimas pacatiſſimasque gentes ad diripiendum tradidiſſes.*

Pecuniam] Ex aerario.

Agros] Campanos, qui lege C. Caeſaris populo diuiderentur.

Item extra ordinem] Vt de Syria.

Pretio amplificato] Maiore, quam pro Cilicia.

Populos liberos] Vide orationem in ipſum Piſonem c. 16. et de prouinciis c. 4.

Generi ipſius] C. Caeſaris.

Decreta] Hoc abundat fortaſſe: aut lege, *decerni,* dele, *conſtitui:* cum ſequatur, *per ſenatum decretas.*

Reſcidiſti] Tua lege, ademtas iis, quibus eas lege Sempronia ſenatus decreuerat.

Sine ſorte] Sortiri enim prouincias, vel comparare inter ſe ſolebant.

Rei maximae] Rei frumentariae.

CAPVT X.

Excitatus] Qui ſopitus aliquandiu fuerat: vt etiam Ciceronem ipſum, optime de ſe meritum, eiici patria ſit paſſus. de eadem re pro Sextio c. 31. *Hic aliquanto ſerius, quam ipſe vellet, Cn. Pompeius, inuitiſſimis iis, qui mentem optimi ac fortiſſimi viri ſuis conſiliis, fictisque terroribus a defenſione meae ſalutis auerterant, excitauit illam ſuam non ſopitam, ſed ſuſpicione aliqua retardatam conſuetudinem reipublicae bene gerendae.*

Mutam] *Mutilatam,* vel, *mutilam,* fortaſſe rectius: cum ſequentibus enim congruere magis videtur.

Heluoni

Heluoni ſpurciſſimo] Quia cunnilingus putaretur. infra c. 18. *Hanc tibi legem Clodius ſcripſit, ſpurciorem lingua ſua, vt interdictum ſit, cui non ſit interdictum?*

Praeguſtatori libidinum tuarum] Quia pudenda lingeret ſororis Clodii, cum qua Clodius ipſe rem habuiſſe diceretur.

Socio tui ſanguinis] Qui tibi ſocius eſſet in turpi conſuetudine ſororis tuae.

Sua lingua] Dixi iam, cunnilingum putatum eſſe.

Abalienauit] Effecit, vt ipſa magis eum diligeret, quam te.

Mancipes] Publicanorum principes, qui publica ſuo periculo redimebant.

Impuriſſimo] Et hoc ad illud refertur, *heluoni ſpurciſſimo*.

Parricida, fratricida, ſororicida] Qui in patrem, fratrem, ſororem impius fuiſti.

CAPVT XI.

Iisdem machinis] Fictis ſermonibus, et falſis criminibus.

Illuſtrius (Ern. *induſtrius*)] Sic malo, quam, vt antea, *induſtrius*. mendi origo fuit litterarum ſimilitudo, quia ſcribebant veteres, *inluſtris*.

Fictis ſermonibus] Pro Sextio c. 18. *Quem virum, ſtudioſum mei, cupidiſſimum reipublicae conſeruandae, domi meae certi homines, ad eam rem compoſiti, monuerunt, vt eſſet cautior: eiusque vitae a me inſidias apud me domi poſitas eſſe dixerunt.* Et in Piſonem c. 31. *Veſtrae fraudes, veſtrum ſcelus, veſtrae criminationes inſidiarum mearum, illius periculorum, nefarie fictae, ſimul eorum, qui, familiaritatis licentia, ſuorum improbiſſimorum ſermonum domicilium in auribus eius, impulſu veſtro, collocauerunt, veſtrae cupiditates prouinciarum effecerunt, vt ego excluderer, omnesque, qui me, qui illius gloriam, qui rempublicam ſaluam eſſe cupiebant, ſermone atque aditu prohiberentur.*

Meum tempus] Et hic, et paullo poſt, *tempus* accipe pro aduerſo tempore, vt in prooemio Manilianae, *amicorum temporibus*.

Prouiſi] Cogitati, a ratione profecti.

Sim paſſus] Fictis ſermonibus, et falſis criminibus.

Quid ſibi iſte vult] Cur tantopere Pompeium ornat? quid ſpectat?

Paene deditum] Grauius eſt, *deditum*, quam *deſertum*.

CAPVT XII.

Cum dixiſſet] Cum peroraſſet: vide duas poſt reditum orationes: ex quibus ea patent, quae dixit Pompeius, antequam obſecrauit.

Aut de republica] Subiungit, cognitionem pontificum in ius religionis, et in ius reipublicae fuiſſe diſtributam.

CAPVT XIII.

Omnes actiones tuas] Sed eam tantum, quae ad me vnum pertinet.

Parricidium] *Patricium*, ſententia poſtulat.. nam ſi patricius eſt, ſequitur, vt tribunus plebis eſſe non potuerit. cur autem patricius ſit, probatur in ſequentibus.

Augures

Augures adſunt] Non quod omnes, quicumque augures erant, adeſſent: ſed ii tantum, qui pontifices iidem erant. hac enim in cauſſa non augurum, ſed pontificum iudicium erat. itaque domum ſuam a pontificibus religione liberatam, dicit in ea de haruſp. reſp. c. 14. Et ad Atticum ſcribens, lib. IV. epiſt. 2. religionis iudices pontifices appellat, apud eos ait ſe dixiſſe, eos de ſua domo decreuiſſe: mentionem augurum nullam facit.

Quod eſt, pontifices, ius adoptionis] De iure adoptionis vide Gellium lib. V. c. 19.

Generum ac dignitatis] Ne ſcilicet a genere clariſſimo ad obſcuriſſimum, a ſumma dignitate ad infimam conditionem adoptione transeatur. infra c. 14. *Ita adoptet, vt ne quid aut de dignitate generum, aut de ſacrorum religione minuatur.*

Sacrorum] Ne ſacra intereant. adoptati autem in aliena ſacra transibant. Valerius Max. lib. VII. c. 7. *M. Anneius in Suffenatis familiam ac ſacra tranſierat.* Pro Murena c. 12. *Sacra interire illi noluerunt.*

Filium]. Clodium: ne adoptivus naturales hereditatis parte priuet. infra: *Neque patris heres.*

Intereunt] Quia, cum adopteris a Fonteio, ad Fonteiae gentis ſacra tranſis.

Quaeſitum eſt] Cum adoptareris.

Eius] Fonteii.

Qui adoptabat] Annos viginti natus.

Alter Oreſtem, alter Piſonem adoptauit] Oreſtem Aufidius, Piſonem Pupius. conſul autem cum M. Meſſalla M. Pupius Piſo biennio poſt Ciceronem fuit.

Tutelarum] Nec tutor, nec heres iam eſſe potes: amiſiſti enim ius Quiritum, ſacris perturbatis, contaminata vtraque gente, Clodia, quam deſeruiſti, Fonteia, quam polluiſti.

CAPVT XIV.

Probate genus adoptionis: iam omnium ſacra interierint, quorum cuſtodes vos eſſe debetis: iam (*iam* abeſt ab Ern.) *patricius nemo relinquetur*] Abſoluta aliqua narratione, vſurpat ſaepe hanc figuram orator, vt ex vno facto, ſi iudices male iudicauerint, commune damnum proponat. ſic infra c. 18. *Date hanc tribuno plebis licentiam, et intuemini paulliſper animis iuuentutem, et eos maxime, qui imminere iam cupiditate videntur in tribuniciam poteſtatem: collegia medius fidius tribunorum plebis tota reperientur, hoc iure firmato, quae coeant de hominum locupletiſſimorum bonis, praeda praeſertim populari, et ſpe largitionis oblata.* Aliquanto poſt c. 47. *Date de hac religione aditum, pontifices: iam nullum fortunis communibus exitum reperietis.* Simile et illud orat. II. in Rullum c. 24. *Committite vos nunc, Quirites, his hominibus haec omnia, quos odorari hunc decemuiratum ſuſpicamini: reperietis, partem eſſe eorum, quibus ad habendum, partem, quibus ad conſumendum nihil ſatis eſſe videatur.*

Non licere] Non licebat enim patriciis.

Anguſtiorem] Anguſtior ideo eſt patriciis, quam plebeiis: quia duo patricii ſimul eſſe conſules

vetere

vetere lege non poſſunt, plebeii vero poſſunt.

In ſacerdotium] In ea ſacerdotia, quae ſolis plebeiis patent.

Neque regem ſacrorum] Enumerat eos ſacerdotes, qui plebeii eſſe non poterant.

Auctores] Qui probabant ea, quae centuriatis, curiatisque comitiis fiebant: quos ex antiquo more, cum ſenatus e ſolis patriciis conſtabat, patricios eſſe oportebat.

Curiatorum] Quorum ſpecies et imago quaedam, triginta lictoribus curias repraeſentantibus, auſpiciorum cauſſa remanſerat. orat. II. in Rullum c. 12.

Auſpiciaque] Penes patricios magiſtratus auſpicia fuere: patricii vero magiſtratus, conſul, praetor, aedilis curulis, quaeſtor, interrex. In epiſt. 5. ad M. Brutum: *Dum vnus erit patricius magiſtratus, auſpicia ad patres redire non poſſunt.*

Cum interrex nullus ſit] Nullus autem erit, ſi patricii ſenatores, a quibus prodatur, non erit.

Et ipſum patricium eſſe] Aſconius in argumento orat. pro Milone.

CAPVT XV.

Reſponſa ſunt] Ab auguribus: cum de ſuo iure a magiſtratibus interrogarentur. itaque cum populo ea potui diſcere.

Cum de caelo ſeruatum ſit] Servare de caelo, id eſt, impedimento eſſe, quo minus lex ferretur, cunctis plane magiſtratibus, tam plebeiis, quam patriciis, licebat.

Lata eſſe dicatur] Non dicit, *lata ſit*, ſed, *lata eſſe dicatur:* ne legem appellet, quam contra auſpicia latam oſtendit. tulerat autem eam C. Caeſar conſul, Bibulo collega de caelo ſeruante.

Neque enim mea iam quidquam intereſt] Quid ad me, ſi Caeſaris acta firma ſint? cum defunctus iam ſim, nec mali quidquam amplius ex illius actionibus exſpectem.

Immiſſa ſunt] A Clodio tribuno plebis, non aduerſante Caeſare, quia tribunum popularem a ſe alienare nolebat, metuens, ne acta ſua ſuperioris anni a praetoribus inimicis, atque a ſenatu infirmarentur. excepit igitur Cicero ea tela, et exſilii calamitatem ſubire propter actiones Caeſaris coactus eſt: cum vero in patriam reſtitutus iam eſſet, nihil eius intererat, ſi Caeſaris acta rata eſſent.

Auſpiciorum patronus] Vt Caeſaris acta reſcinderentur: quod eum nihil ſaluis auſpiciis egiſſe diceres.

Appio] Praetore, anno poſt Clodii tribunatum proximo.

Vbi] Qua in re. amentiae enim ſummae fuit, cum eius tribunatus inter acta eſſet Caeſaris, iisque infirmatis nullus eſſet, ea ipſa acta reſcindere conari.

CAPVT XVI.

C. Antonium] A M. Coelio de maieſtate accuſatum, et damnatum.

Illius miſeri] Miſerum vocat, quia damnatus exſulabat.

Viros fortes] C. Caeſarem ſignificat, qui legem curiatam de Clodii adoptione conſul tulit, vt tribunus plebis deinde factus Ciceronem in exſilium pelleret. Suetonius in Caeſare c. 20.

Trinun-

Trinundinum (Ern. *trinum nundinum*)] Ne qua lex feratur, niſi promulgata per tres nundinas populo patuerit. Caeſar autem legem curiatam de adoptione Clodii tribus horis pertulit. nam cum hora ſexta, quae ego in Antonii cauſſa dixeram, cognouiſſet, hora nona legem pertulit.

Eadem obſeruanda ſunt] Videtur omnino de trinundino non obſeruato aliquid ſubiungere debuiſſe: et ſane lex Caecilia et Didia, quod ex Phil. V. c. 3. liceat colligere ad trinundinum pertinent: verumtamen Druſi leges a ſenatu ſublatas eſſe, non quia ſeruatum in iis trinundinum non eſſet, verum quia contra auſpicia latae, Cicero ipſe lib. II. de Leg. c. 6. auctor eſt. Ego de trinundino in lege curiata non obſeruato prorſus accipiendum arbitror. iam enim Cicero diſputationem de auſpiciis abſoluerat: nunc agit de trinundino: quod et ea, quae ſupra c. 15. dicta ſunt, et quae ſequuntur, ſatis probant.

Decreuit ſenatus] Referente Philippo conſule, Druſi inimico.

M. Druſi] Eius filii, qui, ſuſcepto ſenatus patrocinio, C. Gracchi tribuni plebis potentiam fregerat.

Hoc totum] Te tribunum plebis non fuiſſe.

Quosdam] M. Catonem ſignificat.

Te cum plebe iure agere potuiſſe] Te tribunum plebis fuiſſe. Id autem ideo ſentiebat Cato, quia, ſi, Clodium tribunum plebis non fuiſſe, probaretur, infirmabantur ea, quae ipſe in Cypro inſula, lege Clodia miſſus, egiſſet.

Iure indictum] Idem in ea de prouinciis c. 19. *Iidem illam proſcriptionem capitis mei contra ſalutem reipublicae, ſed ſaluis auſpiciis rogatam eſſe dicebant. Itaque vir ſumma auctoritate, ſumma eloquentia, dixit grauiter, caſum illum meum funus eſſe reipublicae, ſed funus iuſtum, et indictum.*

Quod ſaluis auſpiciis egiſſes (Ern. *tuliſſes*)] Id ſi negaſſet Cato, legem Clodiam, de Cicerone latam, ſustuliſſet.

Eas actiones] Leges a Caeſare conſule latas, inter quas curiata fuit.

Comprobauerunt] Negantes leges Caeſaris contra auſpicia latas, vt Clodii tribunatum, et cum eo ſuas ipſi auctiones conſtituerent.

Iure] Sacrorum et auſpiciorum, quod ſupra c. 15. negauit.

Lege] Trinundino in ferenda curiata lege ſeruato: quod ſeruatum non eſt.

Hic ipſe] Vnus ex pontificibus.

Rullus] P. Seruilius Rullus, qui nominatur inter pontifices, in oratione de haruſp. reſp. c. 6. fuit et P. Seruilius Vatia, Iſauricus. hic autem Rullus fortaſſe is eſt, contra quem Ciceronis exſtant orationes.

CAPVT XVII.

Sacratae] In Sacro monte, in quem plebs irata patribus ſeceſſerat, latae.

Prodicta die] Conſtituta ante die.

Auſpiciis] Aduerſis: vt illo die agi per auſpicia non liceret.

Excuſatione] A reo allata, cum adeſſe non poſſet.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Vbi crimen eſt, vbi accuſator, vbi teſtes] Quae in mea cauſſa non fuerunt.

Liberis] Otioſum hoc videtur.

Praeda praeſertim populari] Grata propter ſpem largitionis.

Clodius] Sex. Clodius ſcriba: qui poſtea, Clodii cadauere in curiam illato, et incenſo, quo incendio curia ipſa conflagrauit, in exſilium miſſus eſt, et a M. Antonio conſule, poſt Caeſaris interitum, reſtitutus.

Spurciorem lingua ſua] Nam cunnilingus putabatur. ideo ſequitur, *hoc quoque ligurris.* Et aliquanto poſt c. 31. *Quaere hoc ex Clodio, ſcriptore legum tuarum: iube adeſſe: latitat omnino: ſed ſi requiri iuſſeris, inuenient hominem apud ſororem tuam, occultantem ſe, capite demiſſo.* Et ſupra c. 10. *Heluoni ſpurciſſimo, praeguſtatori libidinum tuarum.*

Bona venia dic (*dic* abeſt ab Ern.)] Aggreditur diſputare: propterea ſubiicit, *quoniam iam dialecticus es.*

Hoc quoque] Hanc laudem, vt dialecticus habearis.

Ligurris] Appetis, auide ſumis, item vt cum lingis mulierum pudenda. Nam eo ſpectat hoc verbum.

Clodium eſſe] Aut, *Clodium*, gloſſema eſt: aut ideo dictum, vt emphaſis eſſet in nomine.

Qui contra leges faceret] Non qui leges aliis ſcriberet.

Solerent] Quos adire debuiſti, non eum, qui non ſoleret.

Operum architectis] Proprio, non translato, vtitur ſermone. non enim, *operum*, pro, *actionum*, dixiſſet: quod Latini ſermonis elegantia reſpueret: ſed *operum*, dixit, Libertatis aedem ſignificans, a Clodio in euerſa Ciceronis domo exſtructam. ex quo infra c. 20. *Quid operum publicorum exactio?*

Adhibere] Ad aram Libertatis conſecrandam. pontifice enim praeeunte cenſecrauit Clodius.

Quem velles] Pro, *quemquem velles*, id eſt, quem omnes probarent. adhibuiſti enim adoleſcentem imperitum, nouum ſacerdotem, ſororis precibus, matris minis adductum, ignarum, inuitum: vt infra c. 54. Et c. 55. *Non potuit vllo modo non in agendo ruere, ac ſaepe peccare, praeſertim illo pontifice, et magiſtro, qui cogeretur docere, antequam ipſe didiciſſet.*

In praedae ſocietate] In diuiſione bonorum meorum.

Mancipem] Qui emeret. mancipes enim ſunt, qui ſpe lucri ab auctione emunt aut conducunt.

Praedem ſocium] Malim, *praedae ſocium:* idque arbitror ad ſententiam eſſe aptius.

CAPVT XIX.

Amici illi tui] Ad Vatinium hoc pertinet, qui, aedilitatem petens, repulſam tulerat.

Te vno amico tecti et beati] Ironia. quis enim vno amico tectus ac beatus eſſe poteſt, praeſertim omnibus infamiae maculis notato, qualis Clodius fuit?

Qui ſe populo commiſerant] Comitiis magiſtratum petentes.

Palatinam] Tribum, in qua Clodius cenſebatur, et ſuffragium ferebat. quam in oratione pro Sextio c. 53. hanc ipſam rem commemorans, nominat his verbis: *Aedilitatem petiuit cum*

bonis

bonis viris, et hominibus primis, ſed non praeſtantiſſimis opibus et gratia: tribum ſuam non tulit: Palatinam denique, per quam omnes illae peſtes vexare populum Romanum dicebantur, perdidit.

Damnabantur] Accuſatores de calumnia, rei vero de aliis criminibus: cum ipſe tribunus plebis Clodius pro iis deprecaretur. pro Sextio c. 31. *Quisquis erat, qui aliquam partem in meo luctu ſceleris Clodiani attigiſſet, quocumque venerat, quod iudicium cumque ſubierat, damnabatur.*

Ille nouitius Ligur] Nouus in vrbe ciuis, nuper e Liguria profectus. Notat eum, vt ignobilem, et Ligurem. nam cum eſſet Aeliae gentis, vt ab Aeliis nobilibus originem ducere videretur, Liguris cognomen ex Aeliorum imaginibus aſſumſit. quo tamen cognomine, non cuius generis eſſet, ſed cuius nationis, indicare viſus eſt. eam ignobilitatem in oratione pro Sextio c. 31. oſtendit his verbis: *Interceſſit Ligus iſte, neſcio qui, additamentum inimicorum meorum.* De patria vero ſic, aliquanto poſt c. 32. *Ex nouem tribunis, quos tunc habueram, vnus, me abſente, defluxit, qui cognomen ſibi ex Aeliorum imaginibus arripuit, quo magis nationis eius eſſe, quam generis, videretur.*

Adſcriptor, et ſubſcriptor tuus] Adſcripſerat ſe, pecunia emtus, ad amicos Clodii, ſubſcripſerat, quia ſecutus eſt eiusdem Clodii voluntatem, cum, Cicerone iam in exſilium profecto, L. Ninnio tribuno plebis de eius reditu referente, interceſſit. pro Sextio c. 31.

Mortem eius ſe velle perſequi dixit] Quaſi veneno ſublatus eſſet.

Accuſare non eſt auſus] Nominis delationem accuſatio ſequebatur: ſed Ligur, cum nomen iam detuliſſet, accuſationem omiſit, veritus, ne calumniae damnaretur, qui accuſaret eum, in quo culpa non eſſet, cum in ipſo potius crimen haereret, qui Papirium, fratrem ſuum, hereditatis cupiditate, et ſpe tollendum curaſſet. ideo ſubiungitur: *Alienae damnationis, ſceleriſque ſocius.* quia damnari nemo vere poſſet, niſi ſimul, ſceleris eiusdem ſocius, Ligur damnaretur.

Digito, voce] Qui eam ſcripſit, et qui laudauit ad populum.

Quocumque venit] Ad quodcumque iudicium. ſic pro Sextio c. 31. *Quisquis erat, qui aliquam partem in meo luctu ſceleris Clodiani attigiſſet, quocumque venerat, quod iudicium cumque ſubierat, damnabatur.*

Repudiatus conuictusque] Repudiati accuſatores, rei conuicti.

Falſum ſenatus conſultum] De afficiendis vltimo ſupplicio coniuratis.

Retulerit] Quo, et vnde? ad aerarium e ſenatu. Phil. V. c. 4. *Senatus etiam conſulta, pecunia accepta, referebat: ſyngraphae obſignabantur: ſenatus conſulta numquam facta, ad aerarium referebantur.*

A ſenatu iudicatum] Qui me decretis honorificentiſſimis in patriam reuocauit.

Vno ſortitu retuliſti] Non refert ad populum, ſed fert tribunus plebis. refert autem vel ipſe, vel ceteri magiſtratus ad ſenatum. itaque pro, *retuliſti*, malim *tuliſti.*

tuliſti. Nec in, *ſortitu*, ſatis acquieſco. ſorte enim tribunus plebis in ferenda lege non vtitur. quare, *ſcitu*, puto eſſe rectius: vt, quod ſciuit plebs, intelligatur.

M. Druſus] Tribunus plebis, pater tamen, an filius, non omnino conſtat, ſed de patre dictum ideo videtur, quia nominatur ante M. Scaurum, et L. Craſſum, qui et poſt M. Druſum patrem, C. Graccho aequalem, et ante filium, qui L. Philippo conſule tribunus plebis fuit, in republica floruerunt. Mouet me illa quoque ratio, quod filii non pleraeque leges, vt hic ait Cicero, ſed omnes plane vno ſenatus conſulto, referente conſule Philippo, ſublatae ſunt.

Bonus ille vir, M. Scaurus] Cuius in tuenda republica conſtantiam vehementer Cicero laudat in ea pro Sextio c. 47. et alibi.

L. Craſſus] Oratorum aetate ſua princeps.

Conſularis] Lego, *conſulares*. nam tribunus plebis eſſe non potuit Scaurus, cum patricius fuerit, ex Aemilia gente.

Decumis] Opinor hunc eſſe Decimum illum, de quo ſic lib. IV. ad Attic. epiſt. 3. *Vix iam Decimum deſignatorem, vix Gellium retinet.*

Clodiis] Sex. Clodio ſcriba, quem paullo ante c. 18. dixit legem illam P. Clodio de Ciceronis exitio tuliſſe.

CAPVT XX.

Certe non] Supra c. 10. *An de peſte ciuis, quemadmodum omnes iam dii atque homines iudicauerunt, conſeruatores reipublicae, quemadmodum autem tute ipſe confiteris, non modo indemnati, ſed ne accuſati quidem, licuit tibi ferre non legem, ſed nefarium priuilegium?* Pro Sextio c. 26. *Reducti exſules Byzantium condemnati tum, cum indemnati ciues e ciuitate eiiciebantur.* Pro Milone c. 14. *Diem mihi, credo, dixerat: multam irrogarat: actionem perduellionis intenderat.*

Quid operum publicorum exactio] Obſcurum eſt, quid dicat: dici tamen hoc arbitror: cum id, quod in publicata et euerſa Ciceronis domo aedificatum fuerat, (id autem quid eſſet, ſatis infra oſtenditur) Clodius a conductoribus exegiſſet, id ei facere non licuiſſe: cum opera publica ab iis exigi ſolerent, qui ei muneri publice praepoſiti eſſent.

Quid nominis inſcriptio tibi] Homini priuato in opere publico?

Per legem Liciniam] Orat. II. in Rullum c. 8. *Licinia eſt lex, atque altera Aebutia; quae non modo eum, qui tulerit de aliqua curatione ac poteſtate, ſed etiam collegas eius, cognatos, affines excipit, ne eis ea poteſtas, curatione mandetur.*

Monumentum feciſſe in meis aedibus] Diſtinguit monumentum ab aedibus: quia *monumentum* eſt id, quod ad memoriam exſtruitur: propterea dicit infra c. 37. *In conſpectu totius vrbis domus eſt mea, pontifices: in qua ſi manet illud, non monumentum vrbis, ſed ſepulcrum, inimico nomine inſcriptum; demigrandum potius aliquo eſt.*

Signum] Libertatis.

Cyprius rex] Ptolemaei, regis Alexandrini, frater: qui, co-

gnita regni ſui publicatione, ſe ipſe veneno necauit. hanc hiſtoriam et in oratione pro Sextio c. 27. Cicero attigit.

Exſules Byzantium reducerentur] Quod iniquum fuit: cum praeſertim libera ciuitas Byzantium, et ſui iuris eſſet. pro Sextio c. 26. *Reducti exſules Byzantium condemnati tum, cum indemnati ciues e ciuitate eiiciebantur.*

Eidem] M. Catoni.

Romae (Ern. *Roma*)] *Roma*, ſententia poſtulat. coniungit enim ea, quae diuerſa admodum ſint, vt idem in Aſiam, ex Aſia in Hiſpaniam eat; idem, cum Roma deceſſerit, conſulatum petere poſſit: quod abſentibus per leges non licebat, idem, vbi conſul factus ſit, prouinciam Syriam adminiſtret.

Quae eſt quaſi (Ern. *quaeſo*) *alia vis, quae ſententia Caeciliae legis, et Didiae*] Legem Caeciliam, et Didiam eſſe de trinundino, ſupra c. 16. oſtendit: hic autem non de trinundino, ſed de pluribus rebus vna lege comprehenſis eam eſſe, non obſcure dicit. an igitur loquitur pugnantia? non arbitror: ſed cum eſſet in lege Caecilia, et Didia de trinundino in promulgata lege ſeruando; quodammodo ea, quae fieri non ſolerent, prohibere videbatur. in iis autem erat illud, ne quis de pluribus rebus vna lege ferret. nam ideo per tres nundinas legem promulgatam patere populo lex Caecilia, et Didia iubebat, vt ſpatium conſiderandi populus haberet, ſi quid in ea contra ceteras leges, moremue maiorum ſcriptum eſſet, quod poſtea ſuffragiis vel antiquari, vel accipi oporteret. Non igitur diſertis verbis lex Caecilia, et Didia vetabat, ne pluribus de rebus vna lege ferretur: ſed cum ſeruari trinundinum iubebat, ſimul hoc alterum quaſi iubere videbatur. in quo verba Ciceronis operae pretium eſt conſiderare. non enim dicit, *quae eſt alia vis:* ſed, *quae eſt alia quaſi vis.* nam illud, *quaſi*, oſtendit non eam plane vim, et ſententiam eius legis fuiſſe.

Lapides iacti] Non affirmat, ſed negat. nam, *lapides iacti*, ſpectat ad illud, quod proxime ſequitur, *ſi manus collata non eſt:* vt ſit: Si lapides iacti non ſunt, ſi manus collata non eſt. abfuiſſe enim fatetur illam vim, quae lapidibus, manuque fit: nec tamen dici poſſe, Clodiam legem ſine ſumma vi latam eſſe. nam ſi lata eſt contra legem Caeciliam et Didiam: certe, quamquam nec lapides iacti, nec manus collata ſit, lata per vim eſt. Subiungit autem, quae Clodius, vim cogitans, effecerit, ne quis legi ſuae, cum ferretur, auderet obſiſtere.

CAPVT XXI.

Cum in tribunali Aurelio] Hac de re ſupra c. 3. diximus.

In aedem Caſtoris] In qua legem Clodius tulit. infra c. 42.

Ingens pecunia] Supra c. 9. *Quis pecuniam, ad emendos agros conſtitutam, ereptam vi ex Caeſaris rebus actis, quis imperium infinitum dedit?*

Suos paratos (Ern. *ſperatos*) *centuriones*] Pro, *ſuos paratos*, placuit aliis, *ſparatos*. quod probare non poſſum: cum nec centurionum, nec legionariorum militum,

litum, ſed ruſticorum ſparus telum ſit.

Familias] Seruos.

Equitibus Romanis] L. Lamiam, pro ſalute Ciceronis deprecantem, a Gabinio conſule relegatum, ſignificat. poſt red. in ſen. c. 5. et pro Sextio c. 12.

CAPVT XXII.

Si dies dicta eſſet] Idem pro Milone c. 14. *Diem mihi, credo, dixerat.*

An ſine iudicio priuilegium] Neutrum debui pertimeſcere, nec vt iudices, nec vt populus me condemnaret.

Per ſe] Me enim cauſſae bonitas reſtituit.

Vt me ab omnibus ad meam priſtinam dignitatem expetitum, atque reuocatum queratur] Huc illa ſuperiora c. 2. pertinent: *Tune es ille, inquit, quo ſenatus carere non potuit? quem boni luxerunt? quem respublica deſiderauit? quo reſtituto, ſenatus auctoritatem reſtitutam putabamus, quam primum aduenien prodidiſti?*

Multa irrogaretur] Populi ſuffragiis, agente tribuno plebis pro Milone c. 14. *Diem mihi, credo, dixerat: multam irrogarat.*

A magiſtratibus] A tribunis plebis, cum lex ferretur.

CAPVT XXIII.

Toties per inſidias interficere voluiſtis] Oratorie: vt in Clodium iudices incendat.

Campanum conſulem] Piſonem: qui, quo anno conſul Romae, eodem Capuae, quam ſuperiore anno coloniam C. Caeſar conſul fecerat, duumuir cum Pompeio fuit. vnde in oratione contra ipſum c. 11. *Seplaſia mehercule, vt dici audiebam, te, vt primum adſpexit, Campanum conſulem repudiauit.* Et poſt red. in ſen. c. 7. *Capuaene te putabas, in qua vrbe domicilium quondam ſuperbiae fuit, conſulem eſſe, ſicut eras eo tempore: an Romae, in qua ciuitate omnes ante vos conſules ſenatui paruerunt?*

Saltatore] Poſt red. in ſen. c. 6. *Cur in luſtris, et heluationibus huius calamiſtrati ſaltatoris tam eximia virtus tamdiu ceſſauit?* In Piſonem c. 8. *Tu ex tenebricoſa popina conſul extractus cum illa ſaltatrice tonſa ſenatum reipublicae occaſum, atque interitum lugere vetuiſti.*

Cum alteri] Piſoni.

Achaiam, Theſſaliam, Boeotiam, Graeciam] Populos liberos. in Piſonem c. 16. *Lege Caeſaris iuſtiſſima atque optima populi liberi plane et vere erant liberi: lege autem ea, quam nemo legem, praeter te et collegam tuum, putauit, omnis erat tibi Achaia, Theſſalia, Athenae, cuncta Graecia addicta.* In quo animaduertendum, proprie Graeciam vocari, quae ab Iſthmi anguſtiis inciperet, Hellas Graecis dicta: cuius in prima parte Atticam Plinius lib. IV. c. 7. ponit.

Liminum meorum, et columnarum, et valuarum] Quae abſtulerunt. quo modo igitur non cupidi? aut, ſi non cupidi, cur abſtulerunt? Subiungitur ratio: odium illud fuit, non praedae cupiditas: *vt hoſtium vrbes, nec omnium hoſtium, verum eorum, quibuscum acerbum bellum inteſtinumque ſuſcepimus, non praeda adducti, ſed odio ſolemus excidere:*

dere: quod, in quos propter eorum crudelitatem inflammatae mentes noſtrae fuerunt, cum horum etiam tectis ac ſedibus reſidere aliquod bellum ſemper videretur.

CAPVT XXIV.

Etiam tuo iudicio] Hominis inimiciſſimi, nedum aliorum.

Ciuis incolumis] Quia condemnatus non eram: et mea tamen, quaſi condemnatus eſſem, domus in Palatio, villa in Tuſculano, altera ad alterum conſulem transferebatur.

Altera ad alterum conſulem] Domus ad Piſonem, villa ad Gabinium.

Ad ſocrum conſulis] Errorem vetuſtate iam confirmatum ante multos annos ex hoc loco ſuſtulimus. legebatur enim, *ſocerum.* at in Piſonem c. 11. *Apud ſocrum tuam, prope a meis aedibus, cuius domum ad meam exhauriendam patefeceras, ſedebas, non exſtinctor, ſed auctor incendii.* Vbi Pedianus: *Socrus Piſonis quae fuerit, inuenire non potui, videlicet, quod auctores rerum non perinde in domibus ac familiis feminarum, niſi illuſtrium, ac virorum nomina tradiderunt.* Correctionis cauſſa patet.

Non fortuito, ſed oblato incendio] In Piſonem c. 11. *Cum in Palatio mea domus ardebat, non caſu aliquo, ſed ignibus iniectis.*

Conſules epulabantur] Pro Sextio c. 24. *Domus ardebat in Palatio: conſules epulabantur.*

Cum alter ſe Catilinae delicias] Gabinium ſignificat. *Delicias* appellat, quaſi eum Catilina turpiter amaſſet. poſt red. in ſen. c. 4. *Quorum alter a me Catilinam, amatorem ſuum, multis audientibus, alter Cethegum, conſobrinum ſuum, repoſcebat.*

Decii] Pater, et filius.

Ne auditores quidem ſuae gloriae] Quia mortem oppetentes, gloriam ſunt adepti.

CAPVT XXV.

Infractus] Fractus: vt apud Virgilium lib. XII. Aen. v. 1.

Turnus vt infractos aduerſo Marte Latinos
Defeciſſe videt. —

Extrudere ad Cypriam pecuniam] Ad vendenda Ptolemaei Cyprii regis bona: ex quibus pecuniam exactam Romam retulit.

Praeda perierit] Verba Clodii: ſi Catonem, virum optimum, ad Cypriam pecuniam mitto; haec mihi praeda omnino peribit.

Hunc modo amandandum eſſe] Subaudi, ſtet, fixum ſit: deinde aliam praedam quaeremus.

Regis amici] Tigranis hiſtoriam narrat Pedianus pro Milone c. 14.

Foro curiaque priuarit] Saepe hoc dicit: nec interpretatione opus eſt.

Vis illa] Contra me.

Cn. Pompeium] In maximis bellis ab ineunte aetate verſatum.

Diſtracta] Cum Gabinius conſul a Clodio Pompeii cauſſa defeciſſet.

CAPVT XXVI.

Nihil eſſe inſcriptum] Opinor legendum, *nihil eſſe iure ſcitum.*

Defendiſtis] Vt ſenatores, non vt pontifices; cum in ſenatu de meo reditu ageretur.

Illam eſſe nullam] Legem, nam a ſuperioribus pendet.

Proſpe-

Proſpexiſtis] Cum legem de me ferri voluiſtis.

Scripto illo iſtius] Lege Clodia. poſt red. in ſen. c. 4. *Cum a tribuno plebis vetaretur, cum praeclarum caput recitaretur, ne quis ad vos referret, ne quis decerneret, ne disputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret, ne ſcribendo adeſſet: totam illam* (clauſulam) *proſcriptionem, non legem, putavit.*

Verum ea lege] Qua tamquam emti conſules Clodio promiſerant, ſe legem illius obſeruatúros, id eſt, de Ciceronis reditu non eſſe ad ſenatum relaturos.

CAPVT XXVII.

Hanc] Non quam de Macedonia, et Syria, ſed quam de Cicerone tulerat.

Deſignatus conſul] Quod proxime dixit, *priuatus.*

Iſti] Gabinius, et Piſo.

Quid eſt enim exſul] Hoc disputat in Parad. II.

Poena damnati] Vel ſine peccato.

An re iudicata] Quia damnatus fuerim. Refertur enim hoc ad illud, *poena damnati.*

Iam] Cum et a ſenatu, et a populo Romano ſim reſtitutus.

Felicem] Tacite ſignificat, non puniri Clodium, hoſtem reipublicae, cum penitus Catilina ſit.

Qui ſolebant] Antequam eſſem reſtitutus.

CAPVT XXVIII.

Societates] Quae nomen ſumebant ab ea prouincia, cuius vectigalia redemiſſent. erant autem omnes equeſtris ordinis.

Nobiscum] Cum ſenatoribus.

Collegium] Vt fabrorum et fictorum: quae nominat Pedianus in Corneliana.

Pagani] Qui pagos extra vrbem, in agro tamen Romano, habitabant. eaque plebs vrbana vocabatur, quia cenſeretur in vrbanis tribubus. nam plebs ruſtica, quae cenſebatur in ruſticis, multo nobilior.

De meis in omnes mortales meritis] Ne putentur haec arroganter dicta. non enim ſunt ex perſona Ciceronis, ſed eorum, quorum in ſe reſtituendo vnum iudicium, vnumque conſenſum ait fuiſſe. qui cum fuerint omnes mortales, ſequitur, vt eos omnes Ciceronis merita in eam mentem adduxerint.

CAPVT XXIX.

Cum id feci] Cum patriam a coniurationis peſte liberaui.

Propter te] Cuius auctor fuiſti.

Niſi cum pro populo feciſti] *Pro populo facere,* non ſolum eſt, populi rem, cauſſamque tueri, ſed etiam, pro populo ſacra facere: quod ſacerdotum eſt. Ludit igitur Cicero in ambigua ſententia: ſed re vera pungit acerbe Clodium, renouata illius temporis memoria, cum Pompeiae, Caeſaris pontificis max. vxoris, amore flagrans, ad ſacra Bonae deae, quae in domo pontificis max. a mulieribus pro ſalute populi fiebant, muliebri veſtitu, quaſi et ipſe pro populo facere vellet, acceſſit.

Scilicet] Hoc a ſequentibus diſtinxi: alioqui ſententia penderet. eſt autem in, *ſcilicet*, ironia: vt dicatur: ſcilicet hoc tribunicium eſt, hoc populare eſt. illud autem, *quamquam vbi tute populaſrem,*

pularem, niſi cum pro populo feciſti, potes dicere? parentheſi includatur.

Niſi ipſe auctor factus ſit] Niſi ipſe conſenſerit.

In tua cauſſa] Cum es adoptatus a Fonteio.

Vitae necisque poteſtatem haberet, vt in filio] Expedit Gellii verba recitare ex lib. V. c. 19. *Cum in alienam familiam,* inquit, *inque liberorum locum extranei ſumuntur, aut per praetorem fit, aut per populum. Quod per praetorem fit, adoptio dicitur: quod per populum, arrogatio.* Idem infra: *Arrogatio dicta, quia genus hoc in alienam familiam transitus per populi rogationem fit. Eius rogationis verba haec ſunt: Velitis, iubeatis, Quirites, vti L. Valerius L. Titio tam iure legeque filius ſiet, quam ſi ex eo patre matreque familias eius natus eſſet: vtique ei vitae necisque in eum poteſtas ſiet, vti patri endo filio eſt. Haec ita, vt dixi, ita vos, Quirites, rogo.*

Libertatem] Quam amittit is, qui per arrogationem in alienam poteſtatem transit.

Inuitus] Inuitus autem videtur, qui aut negat, aut tacet.

Sacramentum in libertatem iniuſtum iudicaſſent] Aliquem de libertate litigantem liberum non eſſe iudicaſſent. ſic in oratione pro Caecina c. 33. *ſacramentum noſtrum iuſtum iudicauerunt,* pro, liberam eſſe mulierem Arretinam iudicauerunt. nam eius mulieris libertatem Cicero defendebat. ita locus locum aperit: et quamquam vetuſti moris ratio non omnino patet, ſententiam tamen ipſam perſpicue videmus.

Tamen] Subaudiri videtur: *Quamquam cetera a decemuiris iudicata referri non ſolerent.*

Hoc in genere ſe (Ern. *in hoc genere ſolo*)] Mendum eſt in *ſe:* veritatis autem in Vaticano libro veſtigia exſtant: ſic enim in eo legitur: *Hoc in genere ſororem,* vt, ſi legas, *hoc in genere ſolo rem,* vnius litterae mutatione locus emendetur.

CAPVT XXX.

Sedulio principe] Primo ſuffragium ferente. pro Plancio c. 14. *Primus ſciuit legem de publicanis.*

In eius nomen incideris] Mihi legendum videtur, *in aes eius nomen incideris?* aeneis enim tabulis incidebantur leges, et cum iis eorum nomina, qui primi ſciuiſſent.

Probaueris] Cum de inceſtu es accuſatus. pro Milone c. 17. et lib. II. ad Attic. epiſt. 1.

Ereptor ciuitatis] Quem minime decet legem ferre de publicis iniuriis: cum tamen lex ipſa bona ſit.

Anagnino neſcio cui Menulae, per gratiam] Non tulit eam legem Clodius, vt ciuitati caueret, ſed vt Menulae gratificaretur: cuius intererat eam legem ferri: credo, vt exciperetur ipſe, aut aliqua ei ratione caueretur, qui multa ſcelera in ſuos municipes commiſiſſet.

In tua tanta iniuria] Ereptis mihi aedibus meis.

Inſcriptionem ſtatuae] Inſcripſerat Menula, *P. Clodio*, ob latam legem de publicis iniuriis.

CAPVT XXXI.

Hominis dignitate] Ironia.

In eo loco] In ſenatu: ad quem, vel ſine cenſoria lectione, aditus

erat

erat iis, qui magiſtratus curules geſſiſſent.

Gracchus] Caius tribunus plebis, cuius orationes in Popillium a veteribus nominantur. exſulavit autem Popillius iudicio populi, vt infra c. 32. patet, et in ea pro Balbo c. 11. ex qua etiam Laenati cognomen fuiſſe, cognoſcitur.

De Metello] Numidico, qui iurare in eius legem noluerat.

Etiam quibus damnatis interdictum eſt] Cum ego damnatus non ſim.

Occultantem ſe capite demiſſo] Fellatorem ſignificat. Catullus carm. LXXXIX. v. 8.

Non ſi demiſſo ſe ipſe voret capite.

Patrem tuum] Qui cum P. Servilio Iſaurico conſul fuit.

Diſſimilemque veſtri] Cum dicat, *veſtri*, pungit ſimul Appium, P. Clodii fratrem.

Imperium] Conſulare.

Poena legitima] A tribuno plebis irrogata: cum a te irrogata legitima non ſit: cum tu tribunus plebis eſſe non potueris.

Ea praeſertim] Exſilium.

Ne in ipſa quidem rogatione] In qua ſcriptum non erat, vt mihi aqua et igni interdiceretur. ſupra c. 18.

CAPVT XXXII.

L. Philippus] Tertius in oratoria laude poſt Craſſum, et Antonium, pater eius Philippi, qui Octauiani vitricus fuit.

Meo loco] *Meo me loco*, erat apertius.

Iudicem] Iudicum prima decuria initio anni ex ordine ſenatorio Aurelia lege ſumebatur.

Kaeſo ille Quintius] Defenſor nobilitatis acerrimus contra plebem.

M. Furius Camillus] Qui vrbem Romam a Gallis liberauit.

M. Seruilius Ahala] Qui Sp. Melium, regnum appetentem, iuſſu L. Quintii Cincinnati dictatoris magiſter equitum ſua manu obtruncauit.

CAPVT XXXIII.

Inimicis interfectis] C. Graccho Popillii, Saturnino Metelli.

Comitiis centuriatis] Legem ferente Lentulo conſule.

Integer] Indemnatus, non, vt illi, legibus.

Conſule] Metello Nepote.

Praetore] Appio, Clodii fratre germano.

Patiente (Ern. *petente*)] Antea, *petente*. nos, *patiente*, reponere auſi ſumus ex ingenio. quod aliis tamen iudicandum permittimus.

Niſi tabernis clauſis] Fuit igitur illa non ruſtica, ſed vrbana plebs infimae conditionis.

Non tabernis] Vt qui ad ferendum in tuis legibus ſuffragium, et ad conciones tuas, mercede conducti, facinoroſi, egentes, venire ſoliti ſunt.

CAPVT XXXIV.

Sine populi praeſidio] Erepto mihi a te tribuno plebis, et a Piſone, Gabinioque conſulibus.

P. Scipionis] Naſicae, qui Ti. Gracchum occidit.

Vis intima] Diſplicet, *intima*: placet, *vltima*, pro ſumma, ad ſanguinem, caedemque perducta. Sic Liuius lib. II. c. 63. *Non vltra videbatur latura plebs dilationem*

tionem agrariae legis: vltimaque vis parabatur. Et lib. III. c. 17. *Vim vltimam apparebat futuram.*

Segnior] Quia contra Ti. Gracchum arma capere noluit: ne belli ciuilis auctor fuiſſe videretur.

Non modo defendit] Pro Plancio c. 36. *Tam iuſti, quam P. Mucius, qui arma, quae priuatus P. Scipio ſumſerat, ea, Ti. Graccho interemto, iure optimo ſumta eſſe defendit.*

Ad ſeruos] Serui contra bonos ciues arma cepiſſent.

Odium retinebat] Fero, ſed, *tenebat*, vſitatius.

Sororem tuam] Quae vxor fuit Q. Metelli Celeris: vt in oratione pro Coelio c. 24. quamquam non vnam, ſed tres a Clodio ſorores eſſe violatas, ex epiſt. ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. intelligatur.

Eandem ſororem et vxorem] Qualis Ioui Iuno fuit.

CAPVT XXXV.

Ante haec duriſſima reipublicae tempora] Antequam eiicerer.

Audiente populo Romano] Vltimo conſulatus die, cum eum tribunus plebis Q. Metellus Nepos habendae concionis poteſtate priuaſſet, iurauit a ſe rempublicam eſſe ſeruatam. quod eum iure iuraſſe populus iurauit. ad Metellum lib. V. Fam. epiſt. 2.

Duplicata gloria] Vna pulcherrimi facti, altera iudiciis populi factum comprobantis.

Diſceſſiſſem] Ex iudicio: abſolutus eſſem.

CAPVT XXXVII.

Arbitria] Praemia. vt in Piſonem c. 9. *Arbitria non mei ſolum, ſed patriae funeris abſtuliſti.* Et poſt reditum in ſenatu c. 7.

Cuius ſalutem] Diſceſſit enim reipublicae cauſſa, ne, ſi armis tueri ſe contra Clodium vellet, reipublicae ſalutem in diſcrimen adduceret. ſupra c. 36. *Rempublicam concidere vnius diſceſſu, quam omnium interitu occidere malui.*

In omni mea cauſſa] Cum eſt acta in ſenatu.

In conſpectu totius vrbis] In Palatio.

Sepulcrum inimico nomine inſcriptum] Significatur id, quod in ea de haruſp. reſp. c. 27. *Inimicorum domos disturbauit: veſtris monumentis nomen ſuum inſcripſit.*

CAPVT XXXVIII.

Ab eodem exſtructam] Exſtruxit enim Clodius in euerſa Ciceronis domo Libertatis aedem. Infra c. 58. *Domo per ſcelus erepta, per latrocinium occupata, per religionis vim ſceleratius etiam aedificata, quam euerſa, carere ſine maxima ignominia reipublicae, meo dedecore ac dolore non poſſum.*

Sp. Melii] Quem occidit M. Seruilius Ahala, ſupra c. 32. nominatus.

Aequimelii] Quo nomine complanatio illa eſt appellata.

Sp. Caſſii] Vuſcelini, qui ter conſul fuit. Liuius, Dionyſius, Cicero, Valerius.

M. Vacci] M. Vitruuii Vacci: qui Fundanorum dux contra Romanos pugnauit: eius aedes in Palatio dirutae Vacci prata ſunt appellata. Liuius lib. VIII. c. 19. 20.

CAPVT XXXIX.

Niſi quem forte] Apparet, eam domus partem, in qua noua porticus

porticus exſtructa eſt a Clodio, dedicatam, licet ea ipſe vti cogitaret. infra c. 44. *Porticum cum conclauibus pauimentatam trecentum pedum concupierat.*

Caſtiſſimi ſacerdotis] Acerba in Clodium ironia: qui, tamquam ſacerdos, noctu libidinis cauſſa domum C. Caeſaris pontificis max. in qua mulieres pro populo faciebant, muliebri veſtitu introiuit.

Pontificis maximi] C. Caeſaris: cuius domum cum eſt ingreſſus, eripuiſſe religionem videtur. ingredi enim, cum mulieres ſacra facerent, viris non licebat.

Is in meam intulit] Exſtructa Libertatis aede.

Hunc, inquam (Ern. *hunccin'*)] Malim, *hunc hunc, inquam.*

Quod ſeuere de religione decerneret] Cum de inceſtu Clodius eſt accuſatus: qui ſpe corrumpendi iudicii, contendit, et obtinuit, adiuuante in primis M. Pupio Piſone conſule, ne ſuam cauſſam ſenatus iudicaret. lib. I. ad Attic. epiſt. 16.

CAPVT XL.

Nimium eſſe ſuperſtitioſum] Nimium eſſe cupidum ea videndi, quae viris videre non licet. Pungit eum non ſine feſtiuitate, quod, cum viris adſpicere ſacra Bonae deae non liceret, ipſe tamen, vbi ea fiebant, in domum pontificis max. eſſet ingreſſus. eademque feſtiuitate ſubiungit: *Quid tibi neceſſe fuit, anili ſuperſtitione, homo fanatice, ſacrificium, quod alienae domi fieret, inuiſere?*

Qui caecus eſt factus] Senectute: cui tamen vt caeco licuit intereſſe. Ap. Claudium Caecum, qui diſſuaſit Pyrrhi pacem, ſignificat.

Falſo homines opinari] Vt cum opinantur, tabulam eſſe de luminibus amittendis, ſi quis vir Bonae deae ſacra viderit. nam, vt Clodius, qui non ſolum adſpectu, verum etiam inceſto flagitio et ſtupro caerimonias eius deae polluit, lumina non amiſerit, caecus tamen, quod ad mentem attinet, factus eſt. nihil enim rectum videt, nihil iuſtum, nihil pium: praeceps in ſcelera ruit tamquam caecus.

Ille] Ap. Claudius Caecus.

Nihil viderat ſciens] Tu autem vidiſti ſciens, quod non licebat. ille, cum auctor fuiſſet Potitiae genti, vt, quae olim ſacra ab Hercule didicerat, eorum ſollemnia ſeruos publicos doceret, poſt aliquot annos memori deum ira luminibus captus eſt. Liuius lib. IX. c. 29.

Quod nefas eſſet] Quod videre nefas eſſet.

Non exceperas] Quod excipi ſolet in legibus.

CAPVT XLI.

Non eſt auſus meam domum poſſidere] Cum emiſſet, poſſidere tamen non eſt auſus. Huc illud pertinet, quod infra c. 44. legitur: *Domus mea illa prope tota vacua eſt.*

Sua ipſi templa tenuerunt] Vrbe a me ſeruata Catilinae temporibus.

Immigrare voluiſſe] Libertatem quis credat in meas aedes immigraſſe? cum ego libertatem in vrbe conſeruauerim.

CAPVT XLII.

Bonam eſſe oportet] Renouat memoriam Bonae deae, cuius caerimonias nefario ſtupro Clodius polluerat.

Negares liberos eſſe] Intercedentes, aut obnunciantes contemneres.

In templum Caſtoris] In quo legem Clodius, reuulſis gradibus, ne quis introire poſſet, contra Ciceronem tulit.

Hunc] M. Lucullum, vt opinor.

Indemnatum] Se ipſum ſignificat.

Principem orbis terrae virum] Cn. Pompeium.

CAPVT XLIII.

Quidam homo nobilis] Deſcribit Ap. Claudium, P. Clodii fratrem.

Non alienus] Iocus quidam eſt. Loquitur enim de P. Clodii fratre.

Tota e Graecia] In qua legatus, aut quaeſtor fuerat.

Sane frugaliter] Appii rapinas notat.

A L. Piſone conſule] Vt eſſet praetor, ſicuti fuit, Appius Lentulo et Metello coſſ.

Si modo eadem prima littera competitorem habuiſſet aliquem] Vt reliquae nominis litterae, prima tantum incolumi, corrumpi mutarique poſſent.

O Q. Catule, (patrem appellem, an filium)] Similis illa figura in Oratore c. 63. *O M. Druſe, (patrem appello)* et Phil. III. c. 11. *O C. Caeſar, (adoleſcentem appello.)*

CAPVT XLIV.

Excogitauit] Fero, ſic tamen, vt, *cogitauit*, magis probem.

Coniungere] Meam cum ſua.

Poſtumus] Q. Seius Poſtumus. Vſitatum eſt Ciceroni, quod primo cognomen omiſerit, ſolum ſubiicere: vt lib. II. de Orat. c. 69. facta P. Rutilii mentione, ſubiunxit: *C. Canius, eques Romanus, cum Rufo adeſſet.* Erat autem Rufus, cognomen Rutilii.

Quid fieri oporteret] Intellexit, veneno eſſe tollendum.

Litigatoribus (Ern. *licitatoribus*) *defatigatis*] In auctione victis; ſed malim, *licitatoribus*.

Prope tota vacua eſt] Nam etſi emit eam Clodius, poſſidere tamen non eſt auſus. quod ſupra c. 41. dictum eſt.

Ad Catuli porticum] Catuli porticum deleuerat Clodius, et ibi aliam porticum exſtruxerat. ſupra c. 38. *Clariſſimi viri mortui monumenta delebat.* Deinde ſubiungit de Clodii porticu c. 39. *Hanc vero in Palatio, atque in pulcherrimo vrbis loco porticum eſſe patiemini?* Appellat igitur Catuli porticum, non quae eſſet, ſed quae fuerat. ex qua, et ex parte aedium Ciceronis porticum trecentum pedum Clodius fecerat.

Cauſſa fuit ambulatio] A Clodio facta ambulatio cauſſa fuit, vt ad eam porticum vix pars aedium mearum decima acceſſerit.

Monumentum] Sacra aedes.

Tanagraea Libertas] Signum Tanagraeae meretricis.

Oppreſſa libertate] Iocum quaeſiuit ex varia ſignificatione eiusdem nominis.

Periſty-

Periſtylum] Locum columnis clauſum.

Illis tantis tenebris] Cum nec vmbram honeſti cerneret.

Sua virtute] Suis vitiis. id enim argute ſignificat.

CAPVT XLV.

Affuit] Cum dedicarem.

Vxoris meae] Fuluiae, non tamen germanus, (nam et ipſe Fuluius fuiſſet) ſed aut conſobrinus, aut vterinus. fuit enim hic adoleſcens L. Pinarius Natta L. Murenae, qui poſt Ciceronem conſul fuit, vitricus. Pinarium fuiſſe, quod infra c. 52. legitur, oſtendit: *Quem ego, inquit, credo, ſi eſt ortus ab illis, quos memoriae proditum eſt ab ipſo Hercule, perfuncto iam laboribus, ſacra didiciſſe, in viri fortis aerumnis non ita crudelem fuiſſe, vt in viui, et iam ſpirantis caput buſtum ſuis manibus imponeret.* Ab Hercule autem ſacra didiciſſe Pinarios et Potitios, auctor eſt Liuius lib. I. c. 7. et lib. IX. c. 29. ſed Potitiorum, eodem auctore, tota gens interiit: Pinarii ſuperfuerunt. Ibidem infra: *Viderat ille Murenam, vitricum ſuum.* At in oratione pro Murena c. 35. vitricum eum appellat, L. Nattae. Nattam autem Pinariae gentis cognomen fuiſſe, qui vel hunc noſtrum lib. II. de Diuin. c. 21. vel Tacitum lib. IV. Annal. c. 34. vel faſtos Capitolinos anno CCCXC. legerit, ignorare nemo poſſit.

Fratri tuo germano] Appio. alius enim Clodio germanus frater non erat.

Antelatum] Te tribuno plebis ei comitiis populi fauente.

Prouidiſti, ne frater te accuſare poſſet] Qua ratione prouiderit, obſcurum. niſi ſi non ipſe Clodius de creando pontifice vxoris fratre ad populum tulit, ſed alium induxit, qui ferret: ne frater eum accuſare poſſet.

Non denique adoleſcentem quemquam] Praeter vxoris tuae fratrem.

Verone (Ern. *ergone*)] Antea, *verbone*, quod mendoſum duxi. vſitatum autem, *vero:* vt in Brut. c. 87. *Vero, inquam, Brute.* Totus hic locus male antea diſtinguebatur: ego ſic interpunxi. *Verone, pontifices, putatis, ſi poſtem tenuerit, et aliquid dixerit, domum vniuscuiusque conſecrare poſſe? an iſtae dedicationes, et templorum, et delubrorum religiones ad honorem deorum immortalium ſine vlla ciuium calamitate a maioribus noſtris conſtitutae ſunt: eſt inuentus tribunus plebis, qui conſularibus copiis inſtructus, omni impetu furoris in eum ciuem irrueret, quem perculſum ipſa reſpublica ſuis manibus extolleret?* Quod etiam legitur, *ſi is poſtem tenuerit,* malim, *ſi quis:* vt generaliter dicatur: in quo certe vis maior eſſet.

CAPVT XLVI.

Inimici ſui] Exortas inter eos inimicitias ex occaſione annuli aurei in auctione empti, Plinius ait lib. XXXIII. c. 1.

Nemo vmquam tenuit] Ambulatio enim templum non eſt, neque templi pars.

Sine religione loco moueri poteſt] Auferatur ſimulacrum, aut ara Libertatis: ſi modo ea ſunt a te per pontificem dedicata. poteſt enim id fieri religione ſalua: aedes

aedes autem meae, non iure, non more dedicatae, mihi reddantur: ſiquidem ambulationis poſtes nemo vmquam tenuit in dedicando.

Hoc dicere tibi non licebit] Simulacrum, aut aram te per pontificem dedicaſſe: cum iam dixeris, ipſum pontificem non ſimulacrum, aut aram, ſed ambulationis poſtem in mearum aedium dedicatione tenuiſſe.

Dixiſti] Supra: *Pontifex, inquit, affuit.*

Loquar (Ern. *loquor*)] Magis placeret, *loquor:* et, *disputo,* pro *disputabo.*

CAPVT XLVII.

Acta eſſe dicerem] Quae acta eſſe nego.

Perire ſuo nomine noluiſſet] Disceſſi enim, ne patriam in discrimen adducerem: quod tu cum tuis ſatellitibus optabas. ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Qui meos ciues, et a me ſeruatos, et me ſeruare cupientes, ſpoliatos ducibus, ſeruis armatis obiici noluerim.*

Date de hac religione (Ern. *huic religioni*) *aditum*] Ad ſimilem religionem. ſi hanc dedicandi rationem fertis: aditus hic erit ad commune exitium. vbi enim tribunus plebis alicui erit inimicus, eius bona conſecrabit.

Paene ſollemnibus] Paene iisdem, quibus vtuntur pontifices ad conſecrandum.

Non valebit] Oſtendit eſſe timendum, ne valeat: quamquam, valere non debere, probat ſequentibus exemplis.

C. Atinius] Labeo, tribunus plebis. Liuii epitome lib. LIX.

Q. Metelli] Macedonici. Plinius hiſtoriam narrat lib. VII. c. 44.

Aui tui, Q. Metelle] Nepotem appellat, non Celerem, qui iam perierat: vt ex oratione in Vatinium c. 8. colligitur, ſed Nepoti proauus, non auus, Macedonicus fuit, duobus inter vtrumque interiectis Metellis, Balearico Macedonici filio, et Nepote Balearici, huius Q. Metelli Nepotis patre. eſt igitur *μνημονικὸν ἁμάρτημα.*

P. Seruili] Iſauricus eſt: cui ſi Macedonicus auus, maternus fuit.

Proaui tui, P. Scipio] Hic eſt Scipio ille, quem Q. Metellus Pius, Numidici filius, adoptauit: itaque Scipio Metellus interdum appellatur. pronepos Macedonici eſſe potuit, matre natus, cui pater fuerit aliquis ex Macedonici filiis, aut mater ex filiabus aliqua. in oratione poſt red. ad Quir. c. 3. et in ſen. c. 15. *Luculli, Seruilii, Scipiones, Metellarum filii.*

Foculo poſito in Roſtris, adhibitoque tibicine] Quod ſollemne erat in ſacrificiis. conſecratio autem ſine ſacrificio non erat. Plinius lib. XXII. c. 6. *Inuenio apud auctores, eundem, praeter hunc honorem, adſtantibus Mario, et Catulo coſſ. praetextatum immolaſſe ad tibicinem, foculo poſito.*

Fraudi fuit] Nocuit?

Non fuit] Quia conſecratio illa non valuit: et bona ſua Metellus, quamquam conſecrata, poſſedit.

Cn. Lentulo cenſori] Cenſor fuit cum L. Gellio, ſex annis ante Ciceronem conſulem.

Capite

Capite velato] Tamquam eſſet pontifex.

Ad caelum tamen exſtruxit villam] Externas villas nimium quantum altitudine ſuperantem. pro Sextio c. 43. *Villam aedificare in oculis omnium tantam, tugurium vt iam videatur eſſe illa villa, quam ipſe tribunus plebis pictam olim in concionibus explicabat, quo fortiſſimum, ac ſummum ciuem in inuidiam homo caſtus, ac non cupidus vocaret.* In Piſonem c. 21. *Permutationes ad hunc Tuſculanum montem exſtruendum.*

Viſceribus aerarii] Pecunia publica: quam tu ei, lege de prouinciis lata, ſumtam ex aerario dederas, tamquam Syriae proconſuli futuro. Hoc eſt, quod proxime dixit, *heluatus tecum ſimul reipublicae ſanguinem.*

CAPVT XLVIII.

Conſecratio] Bonorum.

Dedicatio] Templi, ſimulacri, arae, ſimilium.

Si eſt illud ratum] De aedibus meis a te Libertati conſecratis.

Mitto Gabinium] Cuius a te bona conſecrata ſunt: nec tamen ea conſecratio valuit.

Cereri] Alicui deo bona conſecrabantur.

Ementiendo] Qui, valere conſecrationem debere, modo ais, modo negas.

Stuprando] Cum Bonae deae puluinaribus ſtuprum intuleris.

In Gabinio] In conſecrandis Gabinii bonis.

In alium] In Gabinium.

In te ipſum] A L. Ninnio.

Quod in Gabinio fateris] Te nefarium fuiſſe, cum eius bona conſecraſti.

Id in me infirmas] Non idem ais de mearum aedium conſecratione.

Grauius eſſe] Magis valere oportere.

Vno adoleſcente] Pontifice: quem adhibuiſti ad meae domus dedicationem.

Concione tota teſte] Cum Gabinii bona conſecraſti.

Magnam religionem] Maiorem, quam conſecratio: itaque magis obſeruanda.

CAPVT XLIX.

Vos flamines] Duo flamines affuerunt, qui cum collegio pontificum de Ciceronis domo iudicarunt, L. Lentulus flamen Martialis, et Sex. Caeſar flamen Quirinalis: vt in orat. de haruſp. reſp. c. 6.

Tu, rex] L. Claudium appellat, ſacrorum regem: vt in eadem oratione c. 6.

A gentili tuo (Ern. *homine*)] A P. Clodio.

Hoc] A te factum in domo ciuis indemnati.

Senſit] Nam ſi ſenſiſſet, vetuiſſet.

Admonere] Proponere, in mentem hominum inducere.

Ipſo loco] De hoſtibus capto, et conſecrato.

CAPVT L.

De publicis templis] De quibus Papirius ſenſit.

Tuus ſcriptor] Sex. Clodius. Supra c. 18.

Cum Byzantiis exſulibus] Tua lege reſtitutis. ſupra c. 20. et pro Sextio c. 26.

Cum legatis regiis] Regum appellationes a te ementibus.

Q. Se-

Q. Seio] Poſtumo. ſupra c. 44.
Non qualem tu affers] In dedicatione mearum aedium.

CAPVT LI.

Id quod tu ſuſtuliſti] In Piſonem c. 4. *Ab eodem homine, in ſtupris inauditis nefariisque verſato, vetus illa magiſtra pudoris, et modeſtiae, ſeueritas cenſoria ſublata eſt.* De quo vide Pedianum.

Iudicium ſenatus eſſe voluerunt] De dignitate, de legendo ſenatu, aut eiiciendis, qui a cenſore non probarentur.

Abſentis exercitus] C. Caeſaris. pro Sextio c. 18.

CAPVT LII.

Qui ſua dignitate perſonam populi Romani, atque auctoritatem imperii ſuſtinerent] Similiter ſupra c. 2. *Qui non ſolum conſiliis ſuis, ſed etiam ſpecie ipſa dignitatem reipublicae ſuſtinent.*

Ad tuum affinem] Ad fratrem vxoris tuae pontificem.

Si eſt ortus] Quod eius nomen indicat.

Ab illis] A Pinariis: de quibus ſupra c. 45. diximus.

In viri fortis aerumnis] In meis aerumnis: cum et Hercules ipſe, vir fortiſſimus, aerumnas tulerit: cui quaſi gratiam, ob ſacra ab illo cognita, referre affinis ille Clodii, id eſt, L. Pinarius Natta, videretur, ſi viri fortis aerumnoſi miſericordiam caperet.

In viui, et iam ſpirantis caput] In meas aedes, me viuo, et adhuc ſpirante.

Buſtum] Signum de buſto meretricis ablatum.

Imponeret] Tamquam ſignum libertatis.

Aut nihil dixit] Cum priſca, ſollemniaque verba dici oporteret.

Si fecit (*ſi* abeſt ab Ern.)] Si dedicauit ſine vllis verbis.

Maternae temeritatis] Mater enim coegit, quod ſupra c. 45. legitur. infra vero c. 54. *Nouus ſacerdos, ſororis precibus, matris minis adductus.*

Separatim ſemel] Cum de ambitu, Cicerone defendente, eſt abſolutus. quae exſtat oratio.

Cum vniuerſis] Catilinae temporibus.

Manum] In tenendo poſte.

Videret] Solus enim dedicauit.

Alieni ſceleris] Clodiani.

Cogeretur] A matre.

Affinitatis] Quod frater eſſet vxoris Clodii.

Impuriſſimae] Propter Clodium, hominem impuriſſimum.

CAPVT LIII.

Ad ius publicum vindicandum] Nemo eſt paullo humanior, qui, *dedicandi*, quanto ſit rectius, quam, *vindicandum*, non intelligat: cum praeſertim haud ita multo poſt c. 54. dicatur: *Quae ſunt adhuc a me de iure dedicandi diſputata.*

M. Aemilium, pontificem max.] Opinor eum eſſe, qui anno V. C. DXC. cum C. Popillio conſul fuit, quinquennio ante cenſores M. Valerium Meſſallam, et C. Caſſium Longinum, qui hic nominatur. Si quis tamen eius patrem, qui ſexies princeps ſenatus fuit, ſignificari malit, quem iis cenſoribus extrema ſenectute fuiſſe neceſſe eſt: non contendam. nam ſi ſexies, vt hiſtoriae narrant,

rant, princeps ſenatus fuit, quo eum honore affectum, niſi poſt conſulatum, veriſimile non videtur: ad cenſores Meſſallam et Longinum vitam perduxit.

Ea recte] Cum loquatur de vno Concordiae ſigno; quem locum habeat, *ea*, non video. tollerem, ſi cum opinione mea vel vnus conſentiret antiquus liber. Sed omnes in mendo conſentiunt: vnus Fuluii Vrſini habet, *eo*, pro *ea*.

In templo inaugurato] In curia Hoſtilia: quae templum erat, licet non ſacra. Eſt autem *templum* locus in caelo, vel in terra, conceptis verbis ab augure definitus. ideo *auguratum*, vel *inauguratum* dicebatur. Varro lib. VI. de ling. Lat.

In loco auguſto] Non in curia Hoſtilia: in qua ſimulacrum illud dedicari pontifices prohibuerunt.

Conſecratam] Non modo *conſecratam*, verum etiam *dedicatam:* ſequitur enim, *neque vllum eſt paſſus ex ea dedicatione litterarum exſtare monumentum.* A quo autem conſecratam, et dedicatam? ab eo ſcilicet, cui non liceret, vt a tribuno plebis, aut a praetore, nullo adhibito pontifice, ideo ſenatus ex auctoritate pontificum aram eam tollendam cenſuit.

Reipublicae tantum nomine] Pro, *tantum*, ſi, *tamen*, legatur, fortaſſe rectius.

Huiusce] Se ipſum hoc dicens indicabat.

Ad equitum notam] Cur hoc? fortaſſe quia Cicero equeſtri loco natus. mendi tamen ſuſpicione non caret.

Incideris] Tuo nomine inſcripto; ſed apertius, *tuum incideris.*

Neque is, cui licuit, neque id, quod fas fuit] Non licuit Clodio dedicare: nec fas fuit dedicare domum meam: cum praeſertim pontifex ille, quem adhibuit, poſtem ambulationis tenuerit in aedificando: quod antea factum erat numquam.

CAPVT LIV.

Coruncanii] Tiberii: quem de plebe pontificem primum eſſe factum Liuius lib. XVIII. prodidit.

Fictis religionibus] Allato de morte filii nuncio: cum dicerent, funeſta familia dedicari templum non poſſe. Liuius lib. II. c. 8.

In ſcelere] Cum nec is, cui liceret, nec id, quod fas eſſet, dedicaret.

Religio] Scientia pontificis, quae in adoleſcente imperito, nouo ſacerdote, eſſe non potuit.

Sine auctore] Nam ſi erat imperitus, auctorem ſaltem peritum, quem ſequeretur, adhibere debuit.

Qui contra fas inter viros ſaepe mulier, et inter mulieres vir fuiſſet] Simile illud lib. II. in Verr. c. 78. *Homo inertior, ignauior, magis vir inter mulieres nequam, impura inter viros muliercula, proferri non poteſt.*

CAPVT LV.

Pro deteſtatione tot ſcelerum] Quaſi diuinum numen, tot ſceleribus violatum, placare vellet.

CAPVT LVI.

Senatus] Qui decreta de me fecit honorificentiſſima.

Praeſtantiſſimi] Subolet mendum: aut, ſincerum ſi eſt, dic additum

additum eſſe, vt afferretur cauſſa, cur praefuerint: ideo ſcilicet, quia ceteris praeſtarent.

Concurſus] Ad me reſtituendum, ac defendendum. poſt red. in ſen. c. 10.

Campus] In quo de meo reditu lata lex eſt.

Tecta, ſedesque] Domum meam, extruſis diis penatibus.

CAPVT LVII.

Cuſtos vrbis, Minerua] Ad Cornificium lib. XII. Fam. epiſt. 25. *Senatus decreuit, vt Minerva noſtra, cuſtos vrbis, quam turbo deiecerat, reſtitueretur.* Inſcripſerat Cicero Mineruae ſimulacrum, quod habebat in ſuo ſacrario, *cuſtodi vrbis*, vt ex Dione lib. XXXVIII. licet intelligere, quod eam auctorem, adiutricemque habuiſſet earum rerum, quas pro ſalute patriae conſul geſſiſſet. ideo ſubiungit hic: *Quae ſemper adiutrix conſiliorum meorum, teſtis laborum exſtitiſti.* Simulacrum illud, cum a Clodio tribuno plebis patria pelleretur, in templo Iouis Capitolini collocauit. quod lib. II. de Leg. c. 17. notum his verbis eſſe voluit: *Nos, qui illam cuſtodem vrbis, omnibus ereptis noſtris rebus ac perditis, violari ab impiis paſſi non ſumus, eamque ex noſtra domo ipſius patris domum detulimus, iudicia ſenatus, Italiae, gentium denique omnium, conſervatae patriae conſecuti ſumus.* Idem oſtendit Dio, addit etiam, a Cicerone conſecratam. quod eo quoque patet, quia reuerſus in patriam non retulit eam in domum ſuam, ſed, vbi diſcedens poſuerat, ibi reliquit.

Conuictam eſſe et commiſſam] Ad exitum perductam, exitu ipſo comprobatam. Similiter in orat. ad Quirites poſt red. c. 1. *Eius deuotionis me eſſe conuictum, maxime laetor.*

Dignitatis ornamentis] Domo: quae ornamentum dignitatis eſt.

CAPVT LVIII.

Satis amplum patrimonium paterni nominis, ac memoriae] Sic ad Coelium lib. II. Fam. epiſt. 16. *Filio meo, quem tibi carum eſſe gaudeo, ſi erit vlla respublica, ſatis amplum patrimonium relinquam memoriam nominis mei.*

Sententiis] In ſenatu dictis.

Ita vult] Nam quid velit, declarauit, cum me tot decretis reſtituit.

Manibus] Quod antea ſententiis feciſtis.

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

ORATIONEM

DE

HARVSPICVM RESPONSIS

ARGVMENTVM

Exaudito in agro propinquo, et ſuburbano, qui Latinienſis vocabatur, ſtrepitu quodam recondito, et horribili armorum fremitu, perterrita tam nouo, tantoque motu ciuitate, ſenatus, vt ſolebat in ſimilibus prodigiis, atque oſtentis, haruſpices, Etruſca vetere diſciplina inſtructos, et interpretandi peritos, conſulendos cenſuit. haruſpices haec reſponderunt, ſcriptaque ſenatui dederunt: Poſtulationes debitas eſſe Ioui, Saturno, Neptuno, diis caeleſtibus:

Ludos minus diligenter factos, pollutosque:
Loca ſacra, et religioſa, profana haberi:
Oratores contra ius, faſque interfectos:
Fidem, et iusiurandum neglectum:
Sacrificia vetuſta, occultaque minus diligenter facta, pollutaque:
Monere deos immortales, ne per optimatum discordiam, diſſenſionemque patribus, principibusque caedes, periculaque creentur, auxilioque deminuti deficiantur, quare ad vnum imperium prouinciae redeant, exercitusque pulſus, deminutioque accedat:
Ne deterioribus, repulſisque honos augeatur.

Septem ſunt haec haruſpicum reſponſa: quorum ex illo, loca ſacra, et religioſa profana haberi, *Clodius aedilis curulis in concione dixit, in ea cauſſa eſſe domum Ciceronis; quam a ſe conſecratam, profanam haberi. inde ſumta Cicero occaſione ſuae domus defendendae, inuidiaque liberandae, hanc orationem habuit in ſenatu, in qua, poſt expiatam aedium ſuarum religionem, ita in ipſum Clodium eſt inuectus, vt omnia fere haruſpicum reſponſa ad ipſum pertinere oſtenderit;*

rit; quod ſi quid calamitatis reipublicae impendeat, eiusdem ſceleri, furorique tribuendum. Nam quod ad primum reſponſum attinet, vnde commota ſit ira deorum immortalium, ludos minus diligenter factos, pollutosque, *non poſſe ludos vllos, niſi Megaleſia ſignificari, quae Clodius aedilis fecerat, pollueratque ſeruorum multitudine in ſcenam immiſſa; cum ad eos ludos liberi tantum homines accedere ſolerent. De locis ſacris, religioſis, quod ſecundum reſponſum erat, quod in eum Clodius contulerat, in ipſum retorquet, dicitque ſuam domum tribus iudiciis eſſe liberatam; quam vero domum Clodius, vetere domino Q. Seio interfecto, teneat, in ea ſacellum, aras fuiſſe. in eadem cauſſa ponit amicos Clodii, L. Piſonem, qui Dianae ſacellum in Caeliculo ſuſtulerat, et Sex. Serranum, qui ſacella ſuffoderat, incenderat, inaedificarat, oppreſſerat. In tertio reſponſo,* oratores contra ius, fasque interfectos, *notari ait ſcelus Clodii, et Piſonis: quorum ille Theodoſium Chium, legatum a libera ciuitate miſſum, ſica percutiendum curauerit, hic Platonem ex Oreſtide, libera Macedoniae parte, cum ad ſe legatus veniſſet, crudeliſſima nece affecerit. Quarto,* fidem, et iusiurandum neglectum, *deſignari iudices illos, qui manifeſto inceſtus crimine Clodium contra fidem, et iusiurandum abſoluerant. In quinto,* ſacrificia vetuſta, occultaque minus diligenter facta, pollutaque, *facile Clodii culpam agnoſci, qui ſacra Bonae deae, omnium vetuſtiſſima, et occultiſſima, ſtupro nefario polluiſſet. Sextum,* monere deos immortales, ne per optimatum discordiam, diſſenſionemque patribus, principibusque caedes, periculaque creentur; auxilioque deminuti deficiantur; quare ad vnum imperium prouinciae redeant, exercitusque pulſus, deminutioque accedat, *ad Clodium ex parte quadam ſpectare; quia discordiam optimatium moliretur; ex alia parte ad optimates ipſos, inter ſe diſſidentes. Septimum,* ne deterioribus, repulſisque honos augeatur, *diſtribuitur in Vatinium, et Clodium. repulſam enim tulerat Vatinius in petitione aedilitatis: deterrimus autem omnium mortalium Clodius videbatur, qui parentes, deos immortales, patriam laeſiſſet. Habita eſt haec oratio Marcellino et Philippo coſſ.*

EXPLANATIO

De *haruſpicum reſponſis*] Aſconius in Corneliana, *de haruſpicum reſponſo* appellat: Cicero ipſe vtroque modo.

CAPVT I.

Veſtra dignitas] Cuius rationem habere nullam Clodius videbatur, cum equites Romanos, quibus ſenatus dabatur, impudenter exagitans venditaret ſe homini Syro, vobis inſpectantibus.

Quibus ſenatus dabatur] Vt audirentur controuerſiae, quae erant inter Syros, et eam publicanorum ſocietatem, quae Syriaca vectigalia de cenſoribus redemerat. Diſſenſiones autem inter prouinciales, et publicanos numquam fere non fuiſſe, notius eſt,

eſt, quam vt exemplis indicandum eſſe videatur.

Venditaret] Eſt quidam lepor, *ei ſeſe, cui totus venierat, etiam venditaret.*

Duobus inceptis verbis] Initio legis recitato infra c. 4. *Voce tantum attigi legum initium, et iudicii: concidit ille.* Accuſare Clodium de vi poterat Cicero, quia ſaxis, ignibus, ferro vaſtitatem ſuis aedibus intuliſſet. quod qui feciſſent, eos decreuit ſenatus lege de vi, quae eſſet in eos, qui vniuerſam rempublicam oppugnaſſent, teneri. infra c. 8.

Qui conſules eſſent] Non enim erant ii, qui fuerant ipſo tribuno plebis, Piſo, et Gabinius, ſed Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, L. Marcius Philippus, bene de republica ſentientes.

Se e curia repente proripuit] Valuae igitur patebant: quod etiam coniicitur ex iis verbis Phil. II. c. 44. *Cur valuae Concordiae non patent?*

Fractis iam atque inanibus] Mutata ratione temporum: cum nec ipſe tribunus plebis eſſet, nec Piſo Gabiniusque conſules.

Terroribus] Ita terrores iaciebat, vt Piſone Gabinioque coſſ.

In facto ipſo] Cum egrediens minaretur.

Grauitatem illam ſingularem, ac paene diuinam] De eodem in orat. poſt red. in ſen. c. 10. *Orationis ſuae diuina quadam grauitate.*

Inimicus] Ipſe Cicero.

Collega patris] Cum patre P. Clodii conſulatum geſſerat P. Seruilius Iſauricus.

CAPVT II.

Duobus] Conſulibus, Piſoni, et Gabinio.

Nefariae pactionis] Acceptis a Clodio prouinciis, prodita ſalute mea.

A ſociorum moenibus] Hoc ad Piſonem pertinet: de quo in ea de Prouinciis c. 2 *Macedonia ſic a barbaris, quibus eſt propter auaritiam pax erepta, vexatur, vt Theſſalonicenſes, poſiti in gremio imperii noſtri, relinquere oppidum, et arcem munire cogantur.* Et in Piſonem c. 34.

Veſter] Aeque enim, atque ipſemet, de mea calamitate doluiſtis.

CAPVT III.

Illo die] Cauſſam odii a priuata iniuria remouere, et ad publica delicta transferre, oratoriae artis eſt: habet enim id auctoritatis aliquanto plus apud eos, qui audiunt.

Ambuſtum religioſiſſimis ignibus] Eorum ſacrorum, quae apud pontificem max. in operto Bonae deae a ſolis mulieribus pro ſalute populi Romani fiebant. *Ambuſtum* vocat, quaſi ad ſacrificia ita prope acceſſerit, vt ignibus ambuſtus videri poſſit.

Vulnerati] Infamia ſtupri, Bonae deae puluinaribus illati, grauiter offenſi.

Non poſſe arceri otii finibus] Non poſſe excludi, prohiberi, amoueri. intrabit otii fines, et ciuitatem perturbabit.

Seueritatis] Iuſtitiae delicta ſeuere punientis.

Dignitatis] Cui qui ſtudet, bonus eſt.

In ipſos deos immortales] Inceſtum Clodii ſignificat.

Stipitem illum] Aelium Ligurem, P. Clodii collegam in tribunatu: qui referente L. Ninnio

nio de Ciceronis reditu, interceſſit.

Quorum hominum eſſet] Cuius nationis. pro Sextio c. 32. *Ex nouem tribunis, quos tunc habueram, vnus, me abſente, defluxit, qui cognomen ſibi ex Aeliorum imaginibus arripuit, quo magis nationis eius eſſe, quam generis videretur.*

Quo ſeſe ſcelere deuinxerit] Cum ſe Clodio adiunxit, meque oppugnauit.

Accedit] Hoc ad Clodium, non ad Ligurem, pertinet.

Deuota] Promiſſa, debita, aſſignata.

Iſta hoſtia] Accuſatorem habebit Milonem, et ab eo tamquam hoſtia mactabitur.

CAPVT IV.

Alios fugaret] Ciceronem.

Alios domi contineret] Pompeium.

Stanti tacens (Ern. *ſtans tacenti*)] *Stanti iacens*, aptius videtur. non enim tacebat Clodius, cum minaretur.

Voce tantum attigi] Supra c. 1. *Duobus inceptis verbis omnem impetum gladiatoris ferociamque compreſſi.*

Diem dixiſſet] *Diem dicere*, magiſtratus eſt, non priuati hominis. erat autem hoc anno, id eſt, Lentulo, et Marcellino coſſ. aedilis curulis Clodius. ſenſus eſt. Si me, die dicta, ad populum vocaſſet: ego illum contra eo crimine accuſaſſem; quo cauſſam ante me dicere cogeretur. Eiusmodi crimina de vi, et de maieſtate erant: quae, nulla interpoſita mora, extra ordinem diebus etiam feſtis iudicabantur. vide orationem pro Coelio c. 1. et eiusdem Coelii epiſtolam, lib. VIII. Fam. 8.

Tertius dies] Adeſſet die tertio ad cauſſam dicendam.

CAPVT V.

Qui puluinaribus Bonae deae ſtuprum intulerit] In Piſonem c. 39. *Emiſſus etiam ille auctor tuus prouinciae, cum ſtuprum Bonae deae puluinaribus intuliſſet.*

Ex ſororum cubiculo] Stuprum ſororibus Clodium intuliſſe, conſtans fama fuit.

De fremitu] In agro Latinienſi audito. infra c. 10.

Scriptum] Reſponſum illud ſcriptum erat. infra c. 10. *De ea re ſcriptum eſt.*

A religioſiſſimo ſacerdote] Ironia: quaſi ſacrum et religioſum eſſe debuerit, quod Clodius, homo impuriſſimus, conſecrauit.

CAPVT VI.

Stilo illo impuro] Leges enim ſcribere P. Clodio tribuno plebis Sex. Clodius ſolitus erat.

Ne vna quidem attigit littera religionis] Ne vna quidem littera religioſam fecit.

Vox interdiceretur] Ne poſſet vmquam dicere, meam domum, quam ipſe conſecraſſet, religione non eſſe liberatam.

Quod fit pro ſalute populi Romani] In operto Bonae deae.

Q. Metellus] Nepos. quem non eſſe ſtatim poſt P. Lentulum nominatum, et conſulem appellatum, equidem miror.

M' Glabrio, M. Meſſalla] Conſulares, Glabrio gentis Aciliae, Meſſalla Valeriae.

P. Galba] Sulpicius, qui Ciceronis competitor fuerat in conſulatu.

Duobus

Duobus locis dicta] Primum in ſenatu, abſente Cicerone, cum de reditu eius ageretur: deinde in foro apud pontifices, ipſo cauſſam ſuam agente. pro domo c. 2. *Primum illud a te, homine veſano ac furioſo, requiro, quae te tanta poena tuorum ſcelerum flagitiorumque vexet, vt hos tales viros aliud de ſumma hoc tempore religione, ſenſuros, ac me abſente ſenſerint, arbitrere.*

CAPVT VII.

Interpretatio] Disquiſitio, et explanatio facinoris, quod a virgine Veſtali commiſſum dicatur.

Poteſtatem iudicum] Poteſtatem condemnandi.

Religionis expiatio (Ern. *explanatio*)] Vt in priuatis aedibus religione liberandis.

Sententiae principe] Primus enim ſententiam dicebat conſul deſignatus.

Scribendo adeſſent] Cum ſcriberetur ſenatus conſultum.

Verum referte] Ad ſenatum, de haruſpicum reſponſo.

Vobis] Conſulibus: qui cum eſſent conſules deſignati, primi ſententiam dixerant.

Vno illo ſolo] P. Clodio.

Antiſtite ſacrorum] Ironia. Saepe enim ſacerdotem appellat, quia tamquam ſacerdos ad ſacra Bonae deae acceſſerat.

Diſſentiente] Pro Sextio c. 61. *Cuius ſententiam ita frequentiſſimus ſenatus ſecutus eſt, vt vnus diſſentiret hoſtis.*

Iure optimo] Iure illae quidem optimo, verumtamen priuato: mea vero et priuato, et publico, nec publico tantum humano, ſed etiam diuino.

Iure auctoritatis] Vſucapionis iure. vnde illud ex XII tabulis: *Vſus, et auctoritas fundi, biennium eſto.* pro Caecina c. 19. et in Topicis c. 4. et Vlpianus in Fragm. tit. XIX. §. 8.

Iure mancipii] *Ius mancipii* eſt, cum aliquid ita obligatur, vt auferri non poſſit. vnde Lucretius lib. III. v. 984.

Vitaque mancipio nulli datur,
omnibus vſu.

Iure nexi] Cum aliquid per aes, et libram alienatur.

Atque optima lege] Cum in antiquis, et nonnullis etiam impreſſis libris, *quoque*, legatur, pro, *atque;* facile in eam opinionem delabor, vt legendum putem, *quo quae optima lege:* ſicuti dixit in Rullum orat. II. c. 11. *Decemuiri eodem iure ſint, quo qui optima lege.* Et orat. III. c. 3. *Id eo iure teneret, quo qui optimo priuatum.* Recte etiam ſic: *Nego eſſe vllam domum aliam, priuato eodem optimo, quo quae optima lege.* Vel: *Vllam domum aliam aeque priuato iure, vt quae optima lege.* Cum dixerit in Rullum orat. III. c. 2. *Ea omnia eo iure ſint, vt quae optimo iure priuata ſint.*

Aedificatur] Nondum erat abſoluta, cum aedificari coepta eſſet anno ſuperiore.

CAPVT VIII.

P. Valerio] Poplicolae. vide Plutarchum.

Aiebant] Qui prope illum ſedebant. nam ego murmurantem ſolum vidi: quid diceret, longe ſedens intelligere non potui.

Ille] Non Clodius, ſed is, quem murmurantem vidit.

Litterate reſpondiſſem] Eleganter et magnifice. nobilis enim ſermo eſt, ciuis Romanus ſum: ſed quia communis eſt omnium ciuium Romanorum, minus affeciſſet eorum animos, qui Ciceronis gloriam ferre non poterant. proprie igitur de ſua laude reſpondit.

CAPVT IX.

Expedita eſt] Facilem defenſionem habet.

Oſtenti] Fremitus auditi.

Grauitate reſponſi] Reſponderunt haruſpices, loca ſacra, et religioſa profana haberi.

Qui ſtatas, ſollemnesque caerimonias pontificatu] *Pontificatu*, pro *pontificum ſcientia*, dixit. Sic etiam legitur apud Valerium Max. lib. I. c. 1. et, quod hic, *augurio*, apud illum, *augurum obſeruatione.*

Rerum bene gerendarum auctoritates] Vt ea bene geri putarentur, quae augures probaſſent.

Fatorum] Fata, quae olim Apollo vatum ore praedixiſſet.

Vatum] Sibyllarum: quarum libros dubiis rebus, temporibusque difficillimis Romani conſulebant.

Hanc recentem] Catilina duce. quae vero oſtenta apparuerint, cognoſce ex orat. III. in Catil. c. 8.

Paullo ante] Cotta et Torquato coſſ. Dio lib. XXXVII.

Praedixerint] Quibus prodigiis Italici belli principia, Sullani Cinnanique temporis calamitates, Catilinae coniurationem praedixerint, ex Obſequentis libello intelligitur.

CAPVT X.

In agro Latinienſi] In agro Latino ſuburbano, vbi Latinienſis olim populus fuerat: quem cum aliis Latii populis enumerat Plinius lib. III. c. 5.

Fremitus armorum] Vt antea C. Mario, L. Valerio coſſ. vide Obſequentem c. 105.

Scriptum eſt] In haruſpicum reſponſo. ſupra c. 5. *Reſponſum haruſpicum hoc recens de fremitu, in concione recitauit: in quo cum aliis multis ſcriptum etiam illud eſt*, etc.

Poſtulationes] *Procurationes*, appellat in extrema oratione: quod eſt, *expiationes.* nam hic ſequitur: *Audio, quibus diis violatis expiatio debeatur.* Quod ſi hoc *poſtulatio* valet, malim legere, *debitas*, quam, *decretas:* cum aliquanto poſt c. 14. dicat: *Eodem oſtento Telluri poſtulatio deberi dicitur.*

Ludos minus diligenter factos, pollutosque] Verba ſcripta in haruſpicum reſponſo.

Lentule] Marcellinum appellat, qui conſul erat.

Tui ſacerdotii] Pontifex non erat, vt e ſequentibus conſtat: erat autem, opinor, epulo Iouis Opt. Max.

Praetermiſſum] Infra: *Aut negligentia contemtum, aut ſcelere pollutum.*

CAPVT XI.

Cuius abaui manibus] P. Scipionis Naſicae; qui vir optimus in tota ciuitate a ſenatu iudicatus, Idaeam matrem, aduectam e Phrygia, ſuis manibus accepit, feminarum autem caſtiſſima Quinta Claudia. infra c. 13. et Liuius

Liuius lib. XXIX. c. 14. Suetonius in Tiberio c. 2. Poſtulare autem videtur hiſtoriae ratio, vt *ataui*, legatur potius, quam, *abaui*. fuit enim Marcellini auus ille Scipio, qui belli Iugurthini anno primo conſul mortuus eſt; proauus ille, cui Serapioni cognomen fuit; abauus is, qui Corculum dictus eſt; atauus Naſica ille, cuius manibus Idaea mater eſt accepta. nam Scipio ille, quem anno primo Iugurthini belli mortuum eſſe diximus, Marcellini pater eſſe non potuit. diſtat enim ab eius morte Marcellini conſulatus annis LIV. nec veriſimile videtur, tam ſero conſulem eſſe factum, vt concedamus eum eſſe natum vel eo ipſo anno, quo Scipio ille conſul periit. quae ſi parum certa videtur eſſe coniectura, teſte Cicerone vtamur. ſubiungit enim hic: *Tua, tum, tua, Cn. Lentule, eadem virtus fuit, quae priuato quondam tuo proauo.* Proauum appellat Marcellini Naſicam Serapionem, qui Ti. Gracchum occidit. at is pater ſine dubio fuit eius Naſicae, qui conſul mortuus eſt anno primo Iugurthini belli.

Megaleſia] Ludos in honorem Idaeae matris ab aedilibus curulibus dari ſolitos. dedit autem eos hoc anno aedilis Clodius, Marcellino conſule.

Priuato quondam tuo proauo] Scipione, Naſica Serapione, qui Ti. Gracchum. rempublicam perturbantem, conſule P. Mucio ſegniter agente, priuatus interfecit. Priuatum appellat ad maiorem laudem; quia fecit priuatus, quod Mucius conſul facere dubitabat. Sic in ea pro domo c. 34. *Non quo mihi P. Scipionis, fortiſſimi viri, vis intima, priuati hominis, diſpliceret.* Et pro Plancio c. 36. *P. Mucius, qui arma, quae priuatus P. Scipio ſumſerat, ea, Ti. Graccho interemto, iure optimo ſumta eſſe defendit.*

Nomen] Quia Corneliae gentis, origine ab eo Cornelio Scipione ducta, qui, cum in vindicandis Ti. Gracchi conatibus Q. Mucium conſulem ſegniorem videret, ſequi ſe iuſſis, qui ſaluam rempublicam vellent, impetu cum optimatibus facto, Gracchum interemit.

Imperium] Conſulare.

Sequebantur] Vt olim ſecuti ſunt proauum tuum.

Si terram non tenuit, aut tenſam, aut lorum omiſit] Quid eſt, *terram tenere?* equidem omnino legendum arbitrarer, *ſi tenſam non tenuit, aut lorum omiſit:* niſi mihi ſcrupulum iniiceret Arnobius, qui lib. IV. ita ſcriptum reliquit: *Commiſſum omnes ſtatim in religiones clamatis ſacras, ſi ludius conſtitit; aut tibicen repente conticuit; aut ſi patrimus ille, qui vocitatur, puer omiſit per ignorantiam lorum, aut terram tenere non potuit.* Nam etſi, *terram tenere*, quid ſit, ignorare me fateor, et plane ſuſpicor de mendo: mutare tamen, cum duobus in locis eodem modo ſcriptum videam, non audeo. neque hanc difficultatem tollit Plutarchus, quamquam hoc de genere ludorum aperte agat in Coriolano.

CAPVT XII.

Nam quid ego de illis ludis loquar] Aliorum ludorum mentionem videtur inducere, ſed loquitur

tur tamen de Megalenſibus, verum illis vetuſtis, non iis, quos proxime Clodius fecerat. diuerſa igitur ſunt tempora, non diuerſi ludi.

Ante templum] Aedem Matris magnae cenſores Liuius, et Clodius eodem anno, quo deuecta eſt, faciendam locauerunt. ante vero quam propriam aedem haberet, in aede Victoriae ſimulacrum eius locatum eſt. Liuius lib. XXIX. c. 14. 37.

Megalenſibus] Diebus.

Ante populi conſeſſum] Liuius lib. XXXIV. c. 54. non Africanum iterum conſulem ſenatui locum ante populi conſeſſum ait dediſſe, ſed auctorem fuiſſe, vt id facerent aediles curules eius anni Serranus, et Libo: idque etiam illis imperaſſe cenſores Paetum, et Cethegum. et Cicero pro C. Cornelio, nec dediſſe locum Scipionem ſenatui ante populum, nec auctorem fuiſſe, ſed paſſum eſſe dicit. Quam varietatem ſic excuſat Aſconius: *In ea de haruſpicum reſponſo, quia in ſenatu habebatur, cuius auribus erat blandiendum, et magnopere illum laudat, et non auctorem fuiſſe dandi, (nam id erat leuius) ſed ipſum etiam dediſſe dicit.* Eſt illa quoque inter veteres controuerſia, quod hic Cicero factum id eſſe ludis Megalenſibus plane narrat, Liuius autem, Antiatem ſecutus, non Megalenſibus, ſed Romanis, alii nec Megalenſibus, nec Romanis, ſed votiuis: quod ex Aſconii verbis licet conicere.

Quo] Redit ad ea Megaleſia, quae Clodius dederat.

Manus afferebantur] A ſeruis.

Id cum ipſum ſibi monſtrum eſt] Ipſi ſerui, in ſcenam immiſſi, monſtrum eſt..

In eo ipſo] In ſeruis ipſis.

Portenditur] Denunciatur in apum examine.

Pater tuus] Ap. Claudius, cum eſſet aedilis curulis.

Patruus] P. Claudius, Appii frater maior.

Athenionis, aut Spartaci] Qui ſeruile bellum excitarunt.

CAPVT XIII.

Sibyllino ſacerdoti] Vnus erat Clodius ex decemuiris, qui Sibyllinis libris praeerant: quod ſequentibus intelligitur.

Hac igitur vate] Sibylla.

Suadente quondam] Suis verſibus. Liuius lib. XXIX. c. 10.

Tua ſoror] Carpit impudentiam ſororis Clodii: quam et in orat. pro Coelio vehementer exagita.

Maiores tui] Quinta Claudia.

Coniuncti cum his religionibus] Quia Quinta Claudia Matrem magnam ſuis manibus accepit, eademque ſacra fecit.

Sacerdotium ipſum] Cum ſis decemuir.

Quo eſt haec tota religio conſtituta] E Sibyllinorum librorum doctrina, quibus decemuiri praeerant.

Brogitaro] Deiotari regis genero.

Atque hunc tamen Deiotarum] Forraſſe, *Deiotarum*, abundat, vt inepta a neſcio quo addita interpretatio ad verbum, *hunc.*

CAPVT XIV.

Q. Seio] Poſtumo. pro domo c. 44.

Alius]

Alius] Q. Seius.

Aperire] Sublato priuato veſtibulo.

Is, qui] Appium, P. Clodii fratrem, ſignificat. ſubiungit enim: *Meam domum, pontificum iudicio liberatam, ſecundum fratrem ſuum iudicatam eſſe dicebat.*

Poſtulatio] Expiatio. ſupra c. 10. *De ea re ſcriptum eſt, poſtulationes decretas eſſe Ioui, Saturno, Neptuno, Telluri, diis caeleſtibus.*

Vetera] Quae apud veteres fiebant.

CAPVT XV.

Sex. Serrano] Atiliae gentis, qui, cum de reditu Ciceronis promulgata lex eſt, tribunus plebis cum collega Num. Quintio diſſenſit.

Scripſeras] Scripſit enim Sex. Clodius.

Quo puluinari] Puluinar enim erat in ſacris et religioſis locis.

Quod ſtupraras] Ab aedibus ſuis ad Bonam deam ſermonem conuertit. in Piſonem c. 39. *Emiſſus ille auctor tuus prouinciae, cum ſtuprum Bonae deae puluinaribus intuliſſet.*

Meretricis] Tanagraeae. pro domo c. 43.

Imperatoris] Q. Catuli.

Monumento] Porticu, quam Clodius cum Ciceronis domo euerſam Libertati conſecrarat.

Quid habet mea domus religioſi] Quaedam domus meae pars, quia P. Clodii, hominis impuri, et ſacrilegi, parietem tangit, religionis habere quiddam videtur; vt in ea habitare nefas eſſe videatur.

CAPVT XVI.

De Alexandrinis] Quos Romam miſſos Ptolemaeus rex inſidiis pleroſque ſuſtulit. Dio lib. XXXIX.

Ab illo] Ab ipſo Clodio.

E carcere] Iudices fecit, quo anno tribunus plebis fuit, eos, qui propter ſcelera in carcerem coniecti erant.

Platorem ex Oreſtide] Eadem res narratur in orat. in Piſonem c. 34.

Vt ſe ipſe appellauit] Nam a militibus ob victoriam imperator appellatus eſt. L. Piſonem ſignificat. in oratione tamen contra ipſum c. 16. *appellatus eſt*, inquit, *hic vulturius illius prouinciae, ſi diis placet, imperator.*

CAPVT XVII.

De tuorum iudicum manifeſto periurio] Cum te de inceſtu notiſſimo abſoluerunt.

Niſi a ſenatu praeſidium poſtulaſſent] locus in iudices a Clodio corruptos, qui de eius inceſtu iudicaturi, cum a ſenatu, quaſi vim timerent, praeſidium poſtulaſſent: et Clodium tamen, nummis ab eo acceptis, poſtea abſoluiſſent: feſtiue Q. Catulus, cum ex iis quendam vidiſſet, *quid vos*, inquit, *praeſidium a nobis poſtulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur, timebatis?* lib. I. ad Attic. epiſt. 16.

Ab iis, quibuscum coniuraſti] A iudicibus, olim tua pecunia corruptis.

Quod ſacrificium tam vetuſtum eſt, quam hoc] Bonae deae fieri ſolitum.

Quae eſt in imperio] Domum pontificis max. ſignificat. nam in ea ſacrificium illud fieri ſolebat.

CAPVT XVIII.

Non ignouit, mihi crede, non] Iterata particula, *non*, venuſtatem habet: vt lib. X. ad Attic. epiſt. 11. *Non ſunt ab obſequio noſtro, non: ſuas radices habent.* Quo loco plura diximus, recitatis etiam Graecorum exemplis.

Abaui tui] Appii Caeci: quem non abauum, ſed proauum appellat in epiſt. ad Appium P. Clodii fratrem, lib. III. Fam. epiſt. 11. ſubtiliorem enim hiſtoriae rationem ſaepe Cicero negligit. nam re vera nec abauus, nec atauus, nec tritauus P. Clodii fuit Appius Caecus, ſed tritaui pater.

Flagrantes] Eidem Clodiae, quae Metelli Celeris vxor fuerat, flagrantiam oculorum tribuit in orat. pro Coelio c. 20.

In illum inuictum ciuem] In Pompeium, qui ſe domo tenuit metu armorum Clodii, quamdiu tribunus plebis fuit.

Eiulatus et gemitus] Pede ſagitta Herculis vulnerato. de Philoctete tragoediam ſcripſit apud Graecos Sophocles, quae exſtat, apud Latinos Attius, quae periit.

Exultatio Athamantis] Furore perciti, laeſa Iunone. de quo in Piſonem c. 36. et Ouidius lib. IV. Met. v. 466, ſeqq.

Matricidarum] Quorum notiſſimi Oreſtes, et Alcmaeon.

CAPVT XIX.

Auique Africani] Materni.

P. Sulpicio] Qui loquitur in oratoriis libris.

CAPVT XX.

L. Luculli] Cuius vxor erat Clodii ſoror.

Sollicitato] Bello Mithridatico. Plutarchus in Lucullo.

Cum propinquis ſuis decidit, vt (Ern. *ne*) *reos faceret*] Sic omnes plane veteres libri. mihi nec hiſtoria haec nota eſt, nec ſatis conſtat, mendone locus vacet.

A Catilina] Quem cum accuſaſſet, praeuaricatoris infamiam ſubiit. in Piſonem c. 10. et Aſconius.

Quaeſtum illum] Quem populus facere ſoleret, diuiſoribus in campo nummos diſtribuentibus.

Vir clemens] Ironia. clementem enim ſe profitebatur, eamque ſui contra Ciceronem odii cauſſam afferebat, quod ciues Romanos occidiſſet.

Deos, hominesque] *Deos*, quia violauit, cum quaeſtor eſſet, ſacra Bonae deae: *homines*, quia Pompeiae, Caeſaris pontificis max. vxori, pro populo ſacra facienti, quaeſtor ſtuprum intulit.

Pudorem, pudicitiam] Pudor eſt animi, pudicitia corporis.

Senatus auctoritatem] Quia cauſſam ſuam de inceſtu noluit a ſenatu iudicari.

Iudicia violauit] Quia, corruptis iudicibus, abſolutus eſt.

Hic ei gradus] Quaeſtura, in qua Deos hominesque, ſenatum, leges, iudicia violauit.

Noſtras diſcordias] Quarum cauſſa tanta fertur improbitas.

Ad popularem iactationem] Vt ſe populo iactaret, quaſi res praeclaras in quaeſtura geſſiſſet.

Adſcenſus] Poſt eiusmodi quaeſturam adſcendit ad honores.

res. nam et tribunatum plebis, et aedilitatem eſt adeptus. Quo ſpectant ea, quae paullo poſt c. 21. cum indignatione quadam inferuntur: *P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus ſoleis, purpureisque faſciolis, a ſtrophio, a pſaltria, a flagitio, a ſtupro, eſt factus repente popularis.*

Inuidia Numantini foederis] Plutarchus.

Saturninum, quod] Nonnulli veteres libri, *Saturninumque* habent: alii, *Saturninum quidem:* vtrique mendoſe. placeret, *Saturninum, quod eum.*

Ab optima cauſſa profectum] Hoc eſt, quod ait Aſconius in Cornel. *ab initiis bonarum actionum ad perditas progreſſus.* primum enim pro republica, deinde contra pugnauit: vnde Sulla victore eſt interfectus.

Caioque Iulio] Caeſari Straboni, qui de ridiculis lib. II. de Orat. c. 58. ſeqq. diſputat.

Conſulatum contra leges petenti] Pertinent ad hunc locum Aſconii verba in orat. pro Scauro: *C. Caeſar,* inquit, *aedilicius quidem occiſus eſt, ſed tantum in ciuitate potuit, vt cauſſa belli ciuilis contentio eius cum Sulpicio tribuno fuerit. nam et ſperabat, et id agebat Caeſar, vt, omiſſa praetura, conſul fieret. cui cum primis temporibus iure Sulpicius reſiſteret, poſtea nimia contentione ad ferrum, et ad arma proceſſit.*

CAPVT XXI.

Crocota] Crocei coloris veſte muliebri. Plautus in Epid. act. II. ſc. 2. v. 47. et Aul. in Fragm. v. 10.

Mitra] Capitis muliebre tegumentum.

Muliebribus ſoleis] Soleis mulieres, calceis viri in publico vtebantur, iidem tamen ſoleis domi: vnde Horatius lib. II. Serm. ſat. 8. v. 77.

Et ſoleas poſcit. —

Purpureisque faſciolis] Faſciis quidem crura viri tegebant, non tamen purpureis, ſed albis. quibus cum Pompeius Magnus cretatis vteretur, nouum morem laſciuia quadam inductum carpens Cicero lib. II. ad Attic. epiſt. 3. *Mihi,* inquit, *caligae eius, vt faſciae cretatae, non placebant.*

Strophio] Faſcia pectorali, qua papillae cohibebantur.

Pſaltria (Ern. *pſalterio*)] Pſaltriae veſtitu, quo ingreſſus eſt in eam domum, vbi Bonae deae ſacra fiebant.

Flagitio, et (Ern. *a*) *ſtupro*] Bonae deae puluinaribus illato.

Popularis] Populo gratus, cum eſſe deberet odioſus.

Ancillarum] Non matronarum.

Emiſſus] Ex domo pontificis max. quo ſtuprum intulerat.

Arreptus] Non delectus cum ratione aliqua, ſed improbo conſilio temere arreptus, qui rempublicam perturbaret.

Vnus ex patriciis] P. Clodius.

Non liceret] Nam patriciis tribunatus plebis non dabatur, et Clodio tamen in diſcordiis ciuium datus eſt.

Anno ante] Ante Caeſarem conſulem, qui Clodium ad plebem traduxit.

Frater] P. Clodii non germanus, ſed conſobrinus.

Metellus] Celer, conſul.

Concors etiam tum ſenatus] Qui diffidere coepit anno ſequenti,

quenti, aliis Caeſarem, aliis collegam Bibulum ſequentibus.

Principi Cn. Pompeio ſententiam dicenti (Ern. *principe — dicente*)] Si ſic legatur, videbitur Pompeius pro Clodio ad plebem traducendo ſententiam dixiſſe: cum tamen, contra eum dixiſſe, infra cognoſcatur, vbi et de conſule Metello, et de ipſo Pompeio idem iteratur his verbis: *Quod frater conſul, ne fieret, obſtiterat, quod affinis, et ſodalis, vir clariſſimus, qui illum reum non laudarat, excluſerat.* Non igitur Metellus, et ſenatus Pompeio excluſit, id eſt, negauit, ſed eum Pompeio, ſententiam contra Clodium dicente, excluſit. quare omnino legendum ſtatuo, *principe*, non *principi*, *dicente*, non *dicenti:* adiuuante Maffeiano libro, in quo eſt, *principe.*

Affinis] Pompeius, cuius filius Appii filiam, fratris P. Clodii, in matrimonio habebat.

Sodalis] Eius nomen ſodalitatis obſcurum: honeſtam quidem fuiſſe, verba ipſa declarant. ſic pro Murena c. 27. *Ser. Sulpicius, ſodalis filii.* Et pro Coelio c. 11. *Sibi in Lupercis ſodalem eſſe Coelium dixit.*

Reum] De inceſtu.

Non laudarat] Laudabantur rei a claris viris: et laudauit hoc anno Pompeius P. Sextium, de vi reum.

Is conſul] C. Caeſar, qui Clodium ad plebem traduxit.

Debuerat] Ob vxorem a Clodio ſtupratam: quo eam crimine, aut criminis certe ſuſpicione, dimiſit.

Eo auctore] Profecto ſignificatur Pompeius: qui, hoc anno vxore ducta Caeſaris conſulis filia, eius voluntatem in omni re ſecutus eſt. nec ad alium magis, quam ad Pompeium, ſpectare videtur id, quod ſequitur, *cuius auctoritatis neminem poſſet poenitere.*

Diceret] Ad excuſationem ſuam.

Cognitorem] Defenſorem.

CAPVT XXII.

In eos] In bonos viros, praeſertim in Pompeium: cui Clodius, pulſo Cicerone, ita inimicus eſſe coepit, vt eius vitae inſidias fecerit. quibus patefactis, tamdiu Pompeius domi ſe tenuit, quamdiu Clodius in tribunatu fuit.

Nos defenſi (Ern. *defendi*)] Cum, a Clodio pulſi, reſtituti ſumus in patriam.

Iisdem auctoribus] Qui me abſentem defenderant.

Vt modo vendat illis (Ern. *vt ſe modo vendat his, modo illis*)] Mutilus locus, qui fortaſſe ſic reſtitui poſſet: *vt modo his ſeſe venditet, modo illis.* Conſulendi veteres libri.

Vituperari] Vt Pompeium, quem Bibulus, Cato, Domitius, Caeſari fauentem, non amabant.

Ex hac nimia] Totus hic locus obſcuratur mendo. pateret ſententia, ſi ſic legeretur, de quo tamen nihil affirmo: *Ex hac nimia nonnullorum alienatione a quibusdam haerent ea tela in republica.*

An iſte] Deſcribit illud tempus, quo pulſus eſt a Clodio tribuno plebis.

Quorum animos] Caeſarem, Pompeium, Craſſum ſignificat. ii enim inter ſe coniuncti, a ſenatus auctoritate, id eſt, a reipublicae cauſſa deſciuerant.

Arbitra-

Arbitrabamur (Ern. *arbitrabatur*)] Rectius, *arbitrabatur:* vt in Clodium totam culpam conferat: quaſi arbitraretur id, quod omnino verum non eſſet. ita Cicero principes ciuitatis, Caeſarem, Pompeium, Craſſum, quos tunc non amicos, hoc autem tempore ſui amantiſſimos habebat, nouae coniunctionis tuendae gratia, ex aliqua parte purgat.

Niſi eos in caelum ſuis laudibus extolleret] Tum, cum tribunus plebis erat. infra c. 24. laudibus a Clodio elatum eſſe Pompeium dicit.

Praeclarus auctor] Grauis, et qui valde ornaret eos, quos in caelum laudibus extolleret. ironia.

CAPVT XXIII.

Leges Iulias] A C. Iulio Caeſare conſule, inuito ſenatu, latas.

Contra auſpicia] De caelo ſeruante, impediendi gratia, Bibulo collega.

Curiata] De adoptione Clodii.

Quae totum eius tribunatum continebat] Nam ſi curiata lex vitio lata: plebeius eſſe Clodius non potuit, ergo nec tribunus plebis.

Quidam boni viri] Caeſaris inimici, Bibulus, Cato, alii bene de republica ſentientes.

A nonnullis] Qui Pompeium oderant, cum Caeſare coniunctum.

Togatum] Ipſum Ciceronem, qui Catilinae coniurationem in vrbe oppreſſerat.

Sica] Pro Milone c. 7. *Comprehenſus eſt in templo Caſtoris ſeruus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat. extorta eſt confitenti ſica de manibus. Caruit foro poſtea Pompeius: caruit ſenatu: caruit publico: ianua ſe, ac parietibus, non iure legum iudiciorumque texit.*

Miſerrimum (Ern. *miſerum*) *magis fuit, quam turpe*] Miſeria enim carere culpa poteſt, turpitudo non poteſt. *Miſerum*, placeret magis, quam, *miſerrimum.*

In Carinis] In Pompeii domo, quae erat in Carinis. vnde illud Sex. Pompeii, *cenabimus in Carinis.*

Aedificare alteram porticum] Euerſa Pompeii domo, ſicuti, euerſa mea, porticum fecerat in Palatio.

Quae Palatio reſponderet] Quae porticum illam referret, quam in Palatina mea domo aedificauerat.

Ad rationem reipublicae] Pompeius enim, cum exire domo noluit, vni ſibi cauit: ego, cum exiui domo mea, reipublicae conſului.

CAPVT XXIV.

Cuius initia furoris] Prima tribunatus tempora.

Eorum] Caeſaris, Pompeii, Craſſi, qui tum ab optimatibus diſſentiebant.

Iam praecipitantis tribunatus] Tria ponit tempora, incipientis, deſinentis, finiti tribunatus. nam *praecipitantis*, valet, ad exitum accedentis. et Matius in epiſt. ad Ciceronem lib. XI. Fam. 28. *aetate praecipitata*, dixit, quae iam ad exitum vitae perueniſſet.

Obtrectatores eorum] Ii, quos iam ſaepe nominaui, Bibulus, Cato, Domitius.

Ne

Ne cauſſam diceret] Ne iudicium fieret, cum accuſaretur a Milone de vi. ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Impunitatem eſt eorum ſententiis aſſecutus, qui, cum tribunus plebis poenas a ſeditioſo ciue per bonos viros iudicio perſequi vellet, exemplum praeclariſſimum in poſterum vindicandae ſeditionis de republica ſuſtulerunt.* Pro Sextio c. 41. *Ecce tibi conſul, praetor, tribunus plebis noua noui generis edicta proponunt: ne reus adſit: ne citetur: ne quaeratur, ne mentionem omnino cuiquam iudicum aut iudiciorum facere liceat.*

Ne priuatus eſſet] Nam cum ante Clodii iudicium comitia aedilicia fieri voluerunt, aedilis curulis vt crearetur, effecerunt.

In ſinu atque in deliciis] Ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Inimicum meum, meum autem? immo vero legum, iudiciorum, otii, patriae, bonorum omnium, ſic amplexabantur, ſic in manibus habebant, ſic fouebant, ſic me praeſente oſculabantur, non illi quidem, vt mihi ſtomachum facerent, ſed certe vt facere ſe arbitrarentur.*

C. Glaucia] Praetor, primum amicus C. Marii conſulis, deinde et illius, et reipublicae inimicus, interfectus eſt, vt hoſtis publicus, cum Saturnino.

Alterum gratum ſit iratis] Vituperatio Pompeii.

Alterum] Vituperatio ſenatus.

Tam bonis ciuibus] Qui Pompeium oderunt.

Ne id viros optimos diutius delectet] Pompeium a Clodio vituperari.

Ornat, an potius deformat] Perſiſtit in hoc; ſi quem Clodius laudet, eum deformari potius, quam ornari.

Quid ſit, neſcio] Reconciliationem gratiae non eſſe factam ſignificat.

Ad eius laudem minuendam] Valde minuit eius laudem, cum eum laudauit.

Videant ii] Qui dicunt: *Volo eſſe, qui in concione detrahat de Pompeio.*

Si reditus ei gratiae patuerit] Si vere cum Pompeio in gratiam rediret: quod nunc, quamquam ſit falſum, in concione tamen praedicat.

Eſſe facturum] Pro Pompeio contra eos, qui eum in concionibus vituperari volebant.

CAPVT XXV.

Quas ego alias] Niſi quorundam bonorum virorum cum Pompeio?

In tuto collocant Clodium] Nihil ei portendunt mali.

Rempublicam recuperauit] De manibus improborum ciuium ereptam, optimatibus reſtituit.

Qui non tantum opibus valent] Vt Bibulus, Cato, Domitius, inimici Caeſaris, et Pompeii.

Plus poſſunt] Plus poterant Caeſar, et Pompeius.

Sententias] In ſenatu.

Hic deliteſcit] In ſenatu: ſuam enim hic mentem occultat.

Se emergit] Antique dictum. Nepos in Attici vita c. 10. *Quibus ex malis vt ſe emerſit.* ſic *erumpere*, et *ſe erumpere*, veteres dicebant.

Fertur illuc] Ad populum: nam ibi aperit conſilia ſua. *illuc* autem, Cicero cum dicebat, digito forum, apertis curiae valuis oſtendebat.

CAPVT XXVI.

In Roſtris] E quibus arbitratu ſuo, aedilitatem gerens, concionari poterat.

Verbo illo nefario] Cum iuſtitium nominauit.

Tentatas aures veſtras] An verbum illud nefarium ferre poſſent. ſed quo modo tentatae ſunt ſenatorum aures, cum illa Clodius non in ſenatu, ſed in concione dixerit? Quia poſſunt et ſenatores in concione adeſſe.

Quos munera contra leges gladiatoria parantes] Et hic, et in ſequentibus Vatinium deſignat: vt ex oratione in ipſum c. 16. et ex ea pro Sextio c. 53. intelligitur.

Tribules] Cum aedilitatem peteret, tribum ſuam Sergiam nou tulit.

Sua ſponte proſpexit] Qui Vatinio repulſam negauit.

CAPVT XXVII.

Fonteiano nomine] Quia Fonteiam in gentem adoptatus, parentum nomen, ſacra, memoriam, gentem Clodiam deleuit, atque exſtinxit.

Deorum ignes] Loquitur de ſacris Bonae deae a Clodio pollutis.

Earum templum] Nympharum, quae ſubuenire incendiis putabantur. pro Milone c. 27.

Aeliam, et Fuſiam] De his legibus alibi diximus.

Cenſuram exſtinxit] Tulit enim, ne quem cenſores in ſenatu legendo praeterirent, neue qua ignominia afficerent, niſi qui apud eos accuſatus, et vtriusque cenſoris ſententia damnatus eſſet. in Piſonem c. 4.

Interceſſionem remouit: auſpicia deleuit] Quod vtrumque lege Aelia et Fuſia confirmabatur. de Prouinciis c. 19. Aſconius in Piſon. c. 4. Dio lib. XXXIX.

Appellauit] Vt Brogitarum Gallograecum. ſupra c. 13. *Deiotarum regem appellari cum Brogitaro iubes*

Imperatorum monumenta] Q. Catuli porticum.

Inimicorum domos] Meam domum.

Veſtris monumentis] Domui meae, quae monumentum eſt veſtrum: a Clodio enim diruta publico ſumtu eſt aedificata. Ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Iidemque poſtea non meum monumentum, (non enim illae manubiae meae, ſed operis locatio mea fuerat) monumentum vero ſenatus, hoſtili nomine et cruentis inuſtum litteris eſſe paſſi ſunt.* Quibus verbis, non eſſe deletam inſcriptionem illam, intelligitur.

Imperatores] L. Lucullum.

Exercitus] Luculli. ſupra c. 20.

Byzantiorum] Exſulum, quos lege ſua reſtituit. pro domo c. 20. pro Sextio c. 26.

Brogitarorumque] Brogitari Gallograeci: cui Peſſinuntem, ſanumque Matris magnae vendidit.

Gelliis, Clodiis, Titiis] Perditis, et egentiſſimis hominibus. pro domo c. 9. pro Sextio c. 52.

CAPVT XXVIII.

Aerarium nullum eſt] Tria fuiſſe Romae aeraria, iam docuimus. eorum duo clauſa, extremis reipublicae temporibus reſeruata: tertium apertum numquam non fuit: quo vectigalia conferebantur, et vnde ad ſumtus quotidianos pecunia promebatur.

batur. de quo ſupra c. 26. *In concione auſus eſt dicere, iuſtitium edici oportere, iurisdictionem intermitti, claudi aerarium, iudicia tolli?* Enumerat enim ea, quae ſi fierent, permiſceri omnia, et conuelli ſtatum reipublicae neceſſe erat. Hoc igitur tertium aerarium ſaepe exhauriebatur; de quo dixit in ea de prouinciis c. 5. *Quibus quidem vos, in his anguſtiis aerarii, tamen ſubueniatis. neceſſe eſt*

Non fruuntur] Cur? nam bellum hoc tempore, quo vectigalia impedirentur, nullum erat. auaritiam, et rapinas eorum, qui prouinciis praeeſſent, ſignificari puto. nam in orat. de prouinciis c. 5. illa coniicit in Gabinium: *Publicanos miſeros tradidit in ſeruitutem Iudaeis, et Syris, nationibus natis ſeruituti. Statuit ab initio, et in eo perſeuerauit, ius publicano non dicere: pactiones ſine vlla iniuria factas reſcidit: cuſtodias ſuſtulit: vectigales multos, ac ſtipendiarios liberauit: quo in oppido ipſe eſſet, aut quo veniret, ibi publicanum, aut publicani ſeruum eſſe vetuit.*

Qui redemerunt] Publicani, ex equeſtri ordine.

Cecidit] Diſſenſionibus.

Ordinum] Senatus, et equitum. Ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 8. *Qui a ſenatu et ordinem coniunctiſſimum, et hominem clariſſimum abalienarunt.*

Opponat inuidiae] Improborum infenſae voluntati.

Ne optandum quidem eſt, illo impunito] Ne optare quidem licet, non modo ſperare, niſi Clodius poenas det. Tres hic Cicero ſtatus nominat, praeſentem, qui nec optimus eſt, nec deterrimus, qui nulla alia re, niſi concordia, retineri poteſt: meliorem, quem, Clodio impunito, non modo ſperare, ſed ne optare quidem licet: deteriorem, ex interitu, aut ſeruitute.

Triſtem] Seueram: vt pro Coelio c. 16. *Huic triſti ac decrepito ſeni.*

Latinienſes] Qui eam agri ſuburbani partem incolunt, vnde ſonitus inſolitus eſt auditus.

Quod nondum eſt relatum] Ad ſenatum.

Quae futura proſpicimus] Ex monitis haruſpicum.

Impendentia] Propinqua.

Mundus] Hoc nomine totum id ſignificatur, quod caeli ambitu continetur.

Procurationes] Expiationes, placationes: ſupra c. 10. *poſtulationes* vocauit.

Viam ſalutis oſtendunt] Voce ſua. nam hic fremitus, et hic terrae motus, vox Deorum, quae noſtra pericula praedicit, eſt putanda.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

ORATIONEM

PRO

CN. PLANCIO

ARGVMENTVM

Cum aedilitatem ſimul peterent Cn. Plancius, et M. Iuuentius Laterenſis, creatus aedilis eſt Plancius, Laterenſis praeteritus. qua ille commotus ignominia, Plancium de ſodalitiis accuſauit, quod inter ambitus crimina grauiſſimum eſt, vt inter crimina maieſtatis perduellio. patrocinium Cicero ſuſcepit, egitque cauſſam diligenter, memor eius temporis, quo quaeſtor in Macedonia Plancius eiectum lege Clodia complexus eſt, fouitque omni genere officii. Hanc orationem, et eam pro Scauro habuit eodem anno, id eſt, L. Domitio. Ap. Claudio coſſ. nam lib. III. ad Q. Fr. epiſt. 1. ita ſcribit: Orationes efflagitatas pro Scauro, et pro Plancio, abſolui. *Defenſum autem Scaurum eſſe iis conſulibus, diſerte narrat Aſconius. vt illud omittam, quod ex lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 1. intelligitur, tribunum plebis Plancium fuiſſe Marcellino et Philippo coſſ. quo veriſimile ſit, biennio poſt, id eſt, L. Domitio, Ap. Claudio coſſ. aedilitatem petiiſſe. Quaeſitor hac in cauſſa fuit C. Alfius, ab accuſatore editus: vt ipſa declarat oratio: et ipſi quoque iudices, editicii dicti. hanc enim Licinia lex facultatem accuſatori dabat in crimine de ſodalitiis.*

EXPLANATIO

CAPVT I.

In mea ſalute cuſtodienda] Temporibus Clodianis, cum in Macedonia Plancius quaeſtor eſſet. qua de re in extrema oratione.

Eſſet infeſtior] In diſcrimine verſaretur, oppugnaretur. ſic *mare infeſtum*, quo propter piratas nauigare tutum non eſt.

Suum meritum] Cum dixerit, *cuius;* videtur aut abundare,

dare, *ſuum*, aut *ſummum*, eſſe reponendum.

CAPVT II.

Ne quid ipſe offendam] Ne quid ipſe committam, quod reprehendi poſſit, ſi Plancii in me merita ſupra modum efferam.

In tanto vſu noſtro] In tanta conſuetudine.

Superarit] In petitione aedilitatis.

Largitionis] De qua Plancius accuſatur. nam ſi dignitate non vicit; reliquum eſt, vt comitia corruperit.

Quod ille me flagitat] Quod me Laterenſis cogit dicere. huc pertinent illa ſuperiora: *Quaerit Laterenſis, atque hoc vno maxime vrget, qua ſe virtute, qua laude Plancius, qua dignitate ſuperarit.*

Amiciſſimi hominis] Laterenſis.

Si illam accuſationis conditionem ſequar] Si illum a Plancio dignitate ſuperatum eſſe dicam. quod Laterenſis a me flagitat.

CAPVT III.

Contentione] Comparatione.

Ad illam] Quae fit in populi comitiis, cum populus, competitores dignitate non diſtinguens, aut inuidet, aut fauet arbitratu ſuo.

Tu non inanem (*inanem* abeſt ab Ern.)] Tu non inanem, nec leuem, ſed grauem, et ſapientem in honore mandando iudicem putas eſſe populum? fortaſſe non inanis nonnumquam eſt. Eadem ſententia legunt alii: *tu ne aequum:* ſed mutatione magna.

Patres] Senatus.

Vt reprehenſores eſſent comitiorum] Vt liceret iis reprehendere comitia.

Auctores non erant facti] Non probauerant. Poſtea, mutata ratione, priusquam populus ſuffragia iniret, in incertum comitiorum euentum patres auctores fiebant. Liuius lib. I. c. 17.

Qua noluit] Quia loquor de tua dignitate: quod nolebam.

CAPVT IV.

Quod tu metuis, ne a populo iudicatum eſſe videatur] Tu metuis, ne, quia praeteritus es, ideo, te eſſe indignum aedilitate, a populo iudicatum eſſe videatur. ego contra, ſi te decem ſoli viri boni, ſapientes, iuſti, graues, indignum aedilitate iudicaſſent, grauius de te iudicatum putarem, quam quod eſt a populo iudicatum. pluris enim apud me eſſet decem eiusmodi hominum iudicium, quam populi vniuerſi, quod tu metuis, ne minuerit exiſtimationem tuam.

Non enim comitiis iudicat ſemper populus] Non ſemper vere et ſimpliciter iudicat.

Discrimen] Non enim diſcernit, non diſtinguit eos, qui petunt, ex meritis, et dignitate.

Diligentia] In examinandis cuiusque meritis.

Praeſertim aediliciis] Iudicat enim diligentius conſularibus, et praetoriis.

Eblandita] Blanditiis quaeſita.

Enucleata] Libera, et a vero animi ſenſu profecta.

CAPVT V.

Ne equeſtrem quidem ſplendorem] Damnatus enim partem

tam

tam ſuarum fortunarum amiſit, quae cenſum equeſtrem, qui quadraginta millia nummum erat, imminuit: vt inter equites Romanos deinde cenſeri non potuerit. ideo dixit Horatius lib. I. epiſt. 1. v. 57.

Si quadringentis ſex ſeptem millia deſunt,
Plebs eris.

Nobiliſſimo] Patricii generis.

M. Piſoni] M. Puppio Piſoni, qui biennio poſt Ciceronem conſul fuit. in eo cum antiquae vitae ſimilitudinem, tum litteras fuiſſe multas, Pedianus auctor eſt in Piſon. c. 26. eruditum fuiſſe Graecis doctrinis maxime ex omnibus, qui ante eum fuerunt, Cicero ait in Bruto c. 67. Triumphaſſe proconſulem de Hiſpanis, idem oſtendit in orat. in Piſonem c. 26.

Praetuliſſe] In aedilitate: quod infra c. 21. narratur.

C. Serenum (Ern. *Seranum*)] Cum ſequatur mentio Cn. Mallii, ſuſpicor legendum, *C. Serranum*, qui conſul fuit ante Mallium proxime. vt non modo Serranum Catulo praelatum eſſe, quod videri poſſe tolerabilius, Cicero dicat, verum etiam Cn. Mallium poſteriore anno.

Ignobilem] Ignobiles Mallii: nobiles Manlii. de eadem re ſic pro Murena c. 17. *Quis L. Philippum, ſummo ingenio, opera, gratia, nobilitate, a M. Herennio ſuperari poſſe arbitratus eſt? quis Q. Catulum, humanitate, ſapientia, integritate antecellentem, a Cn. Mallio?* Et hic autem, et in ea pro Murena, eiecto *Manlio*, *Mallium* reſtitui. et in ea quoque pro Sex. Roſcio c. 7. *Mallius Glaucia quidam*, cum antea legeretur, *Manlius*, repoſui, quia Manliorum nota nobilitas, Mallii autem perobſcuri: in quo noſtram opinionem veterum librorum adiuuat auctoritas.

Inquit] Populus.

Cum tu eſſes Cyrenis] Quaeſtor. ſequitur enim mentio tribunatus: quem cum petere coepiſſet, omiſit. et infra c. 26. *Cyrenis liberalem in publicanos, iuſtum in ſocios fuiſſe.*

Quo plus intererat] Adeſſe te mea cauſſa.

Non videbam] Quod proxime dixit, *deſiderauerunt te oculi mei.*

Temporibus iis] Coepit enim petere tribunatum plebis Caeſare et Bibulo coſſ. deinde petere deſtitit, ne iuraret in agrariam Caeſaris legem. huius mihi ſenſum loci aperuerunt verba Ciceronis lib. II. ad Attic. epiſt. 18. *Habet*, inquit, *Campana lex execrationem in coitione candidatorum; ſi mentionem fecerint, quo aliter ager poſſideatur, atque vt ex legibus Iuliis. Non dubitant iurare ceteri: Laterenſis exiſtimatur recte feciſſe, quod tribunatum plebis petere deſtitit, ne iuraret.* Atque hoc eſt, quod in hac ipſa oratione infra c. 22. ait Cicero: *Noli exiſtimare, non magnum quendam motum fuiſſe illius petitionis tuae, de qua ne aliquid iurares, deſtitiſti.*

Quae iſtam eloquentiam et virtutem requirebant] Quia ſecuti ſunt conſules, Piſo, et Gabinius, qui ſalutem Ciceronis, contra mentem ſenatus, et bonorum omnium, prodiderunt.

Tanta in tempeſtate] Anno tam turbulento.

Eum magiſtratum] Tribunatum plebis.

Aediles quicumque erunt] Coniungerem cum ſequentibus, et ita locum hunc, ſi quid opis ferrent antiqui libri, libenter corrigerem: *Aediles quicumque erunt: tu da mihi, quod oſtenderas.* hoc ſenſu: Sint aediles quilibet: tu da mihi, quod oſtenderas, vt cum petas magiſtratum, in quo mihi magnae vtilitati eſſe poſſis.

Quod mea minus intereſt] Minus enim prodeſſe mihi potes in aedilitate, quam in tribunatu.

Paullo ante (*ante* abeſt ab Ern.)] Quod non feciſti, omiſſa tribunatus petitione, quam non omiſerat Plancius.

CAPVT VI.

Nihil, quod diremtio, nihil, quod ſupplicatio magiſtratuum, renunciatio ſuffragiorum exſpectetur] *Diremtio* de ſuffragiis dicitur. nam cum, poſtea quam lata ſunt, enumerantur, vt ex numero, quid iuſſerit, aut quid noluerit populus, cognoſcatur: *dirimi* tunc dicuntur. vnde Lucanus lib. V. v. 393.

Et non admiſſae dirimit ſuffragia plebis.

Quod cum ita ſit: quem locum inter, *diremtio*, et *renunciatio ſuffragiorum* habere poſſint illa verba, *nihil, quod ſupplicatio magiſtratuum*, non equidem video: interdumque venit in mentem ſuſpicari, ne, *ſupplicatio magiſtratuum*, in margine ſcriptum fuerit gloſſematis loco illorum verborum, *nihil iam eſt, quod populo ſupplicetur.* certe, ſi tollatur, nihil obſcuritatis in ſententia ſupererit.

Simul vt qui ſint profeſſi] Totus hic locus nec menda fortaſſe vacat, nec interpunctis recte diſtinctus eſt. ego, vt medear vtrique vulneri, mihi non arrogo: tantum dicam, quod ſentio. crederem enim hoc modo non inepte poſſe corrigi, et diſtingui: *Si, ſimul vt qui ſint profeſſi,* (*vide quid dicam: hic familia conſulari eſt, ille praetoria: reliquos video eſſe ex equeſtri loco: ſunt omnes ſine macula, ſunt aeque boni viri, atque integri: ſed ſervari neceſſe eſt gradum*) *cedat conſulari generi praetorium, nec contendat cum praetorio equeſter locus: ſublata ſunt ſtudia.* Sic enim coniungo, vt ex duobus membris cohaereat ſententia: *Si, ſimul vt qui ſint profeſſi, cedat conſulari generi praetorium, nec contendat cum praetorio equeſter locus: ſublata ſunt ſtudia.* Quemadmodum et ſupra locutus eſt: *Nam ſi, quotiescumque praeteritus erit, qui non debuerit praeteriri, toties oportebit eum, qui factus erit, condemnari: nihil iam eſt, quod populo ſupplicetur.*

Tabella] Suffragii.

Frontes aperit hominum, mentes tegit] Quia licet vnicuique liberaliter et laeta fronte polliceri, quod praeſtare tamen in ſuffragio nolit. ideo autem licet, quia tabella mentes tegit.

Cur tu in iudicio exprimis] Vt contentio de dignitate fiat.

Quod agitur] Non enim agitur, vter dignior, ſed, vter factus ſit: quod iudici ſcire ſatis eſt: cauſſam, cur ſit factus, non exquirit.

Cur iſte potius, quam ego] Ex perſona Laterenſis.

Vel neſcio] Ex perſona Ciceronis.

CAPVT

CAPVT VII.

Contentionem veſtram] Paullo ante c. 6. dixit, *contentionem veſtrum:* quod magis placet. eſt enim, *contentionem,* pro comparationem: et quod caput eſt, Maſſeianus liber habet, *veſtrum.*

Nihil dico amplius] Tacite ſignificat, eos dignitate inferiores fuiſſe Plancio, auſos tamen eſſe cum Laterenſi in aedilitatis petitione contendere.

Qui longiſſime a te abfuit] Quia populus de aliis prius, quam de Plancio, ſuffragium tulit.

Huic A. Plotio] Qui cum Plancio aedilis deſignatus erat. vt infra c. 22. *Huic:* quia Plancii advocatus aderat. iudicem enim fuiſſe non arbitror, quia Laterenſis eum, competitorem ſuum, et cum Plancio deſignatum aedilem, iudicem non edidiſſet.

Vtraque familia] Paterna, materna.

CAPVT VIII.

Fauere] Honore ſuorum laetari.

Alteri] Atinates.

Propter vicinitatem] Nam Atinatibus finitimi ſunt Arpinates.

Huius] Qui aderat: vt infra c. 12. *Cum hoc Cn. Saturnino.*

Habemus hoc nos] Vt laetemur honore municipum noſtrorum.

Num de Ti. Coruncanio] Hic ex omnibus, qui iuris adepti ſcientiam ſunt, profiteri primus coepit. Pomponius L. 2. §. 38. D. de orig. iur.

Fabiis (Ern. *Fuluiis*)] Tuſculo Fabios in vrbem veniſſe, auctor nemo eſt. itaque vir ſummae doctrinae, praeſtantis ingenii, nunc Epiſcopus Ilerdenſis, Antonius Auguſtinus legendum putat, *aliis.*

Verbum nemo facit] Quia refertum eſt municipium conſularibus, et prope iam ſaturati honoribus Tuſculani ſunt. quod aliis municipiis non contigit.

Quae cuncta comitiis affuit] Praefecturae ſuffragii ius non habebant: hic tamen, plebem Atinatem comitiis affuiſſe, plane conſtat. quid putandum? hoc, opinor, Atinates ciuitate donatos eſſe, et in municipiorum iura transiſſe. nam et infra c. 9. vt de municipio, non vt de praefectura, Cicero loquitur, cum ait: *Sic te Plancius hoc non ſolum municipii, verum etiam vicinitatis genere vincebat.*

Tribum Terentinam] In qua ſuffragium Atinates ferebant. Non, inquit, hi tot equites, hi tot tribuni aerarii tribuerunt Plancio tribum, ſed dignitatem.

CAPVT IX.

Qui carnem Latinis petant] Ex Liuio, et aliis notum eſt, ſacrificio facto in monte Albano feriis Latinis, carnem caeſarum hoſtiarum municipibus, qui affuiſſent, diſtribui ſolitam.

Ab ſociis] Quod perquam rarum, vt ab ſociis publicani diligantur. vbi enim vectigalia exiguntur, ibi fere contentiones, odiaque naſcuntur.

Huius ipſius (ipſius abeſt ab Ern.)] Cn. Plancii.

CAPVT X.

De aliquo] Qui tum petiit aedilitatem.

CAPVT XI.

A. Torquato] Qui poſt praeturam Africam rexit, conſul numquam fuit.

Saturnini] Qui videtur cum Q. Metello, cui poſtea Cretici cognomen a Creta deuicta fuit, quaeſtor fuiſſe. legatus enim non fuit: quia legati infra nominantur.

Huius Q. Metelli] Qui vel advocatus, vel iudex aderat.

C. Sacerdos] Liciniae gentis.

Ob aliam cauſſam] Cum prouinciae mandatis.

L. vero Appuleius] Cuius in Macedonia quaeſtor Plancius fuit.

Talis] Moderatus, et prudens.

Quales ſi omnes ſemper fuiſſent] Non, omnes tribuni plebis. abſurdum enim et falſum eſſet, ideo vehementem deſideratum eſſe tribunum plebis, quia reliqui omnes nec moderati, nec prudentes fuiſſent. omnes igitur ciues ſignificari arbitror: qui quoniam inſolentes, et ſuperbi fuerunt, propterea poteſtas tribunicia deſiderata eſt.

CAPVT XII.

Occurſatio] Facile eſt, ad colligendam populi gratiam, occurſare, et blandiri.

Adſpicitur, non attrectatur] Ideo certa non putatur, nec ei valde creditur.

Maritum (Ern. *bimaritum*) *appellas*] Eius, quem in prouinciam libidinis cauſſa duxit.

Vt verba fingas] Quia feminarum mariti dicuntur, non marium.

Non crimen eſt] Falſum enim.

In ſcenicos] Mima enim illa de ſcena rapta, vetere quadam licentia, in ſcenicos, praeſertim in oppidis, permiſſa.

Emiſſus] A Plancio, cum tribunus plebis eſſet.

Vt cognoſtis] Vobis enim nota illa res.

Prae mandatis] Mendi ſuſpicio non abeſt. malim, *propere mandatis:* aut, *per mandata.* nam ſi legas, *praet.* id eſt, *praetoris:* non excuſabitur Plancius, quaſi poenituerit eum, et corrigere factum voluerit. at ſi mandata illa Plancii fuerunt: excuſabitur.

CAPVT XIII.

Obeſſe filio debeat] Quia publicanus.

In praefectura florentiſſima] Atinati.

Ipſe] Pater Plancii.

P. Craſſi] Patris M. Craſſi, qui cum Pompeio conſul bis fuit. hic de Hiſpanis triumphauit, et in dominatione L. Cinnae, ne in manus inimicorum incideret, ſe ipſum interemit. vtriusque rei auctor Pedianus in Piſon. c. 24. et in orat. pro Scauro.

In Q. Scaeuolam] Qui Aſiam rexerat, et ab iniuriis publicanorum prouinciales defenderat. quam ob cauſſam poſtea virum innocentiſſimum, qui Scaeuolae quaeſtor fuerat, P. Rutilium equites Romani, cum lege Sempronia iudicarent, condemnarunt. ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Scis, quam grauiter inimici ipſi illi Q. Scaeuolae fuerint.*

CAPVT XIV.

P. Naſicae] Serapionis filio, qui, vt in Bruto c. 34. ſcripſit Cicero, mortuus eſt in conſulatu.

alium

alium enim Granii aetate Naſicam conſulem non reperio.

Edicto iuſtitio] Propter bellum Iugurthinum: quod L. Beſtiae, Naſicae collegae, mandatum eſt.

Domum deſcendens] In forum deſcendebant, non e foro domum. quare, *diſcedens*, omnino reponendum cenſeo. ſuffragatur noſtrae ſententiae Maſſeianus liber.

Quod auctiones eſſent] Iocus in Granium, qui laetus eſſe deberet, cum auctiones eſſent, vnde ipſe tamquam praeco lucrum faceret.

Quod legiones] Quae ſcribuntur edicto iuſtitio.

M. Druſo] Qui belli ſocialis initio domi ſuae tribunus plebis a neſcio quo eſt interfectus.

Tu Druſe, quid agis] Pro, quid turbas? quid in republica moliris? Nouas enim leges, de ciuitate praeſertim Italis danda, quadriennio ante lege Licinia et Mucia pulſis, Druſus ferre conabatur.

Plancio] Patri, non filio, vt e ſuperioribus, et ſequentibus intelligitur. dixerat enim Laterenſis, queſtum eſſe de ſenatoribus Plancium patrem, et eas querelas apud ſenatores iudices obeſſe filio debere.

A ſociis] A ſocietate publicanorum, qui Aſiae vectigalia conduxerant.

Et a ſe] Qui erat in ea ſocietate.

Iniuriam] Quod petentibus publicanis, vt induceretur locatio, quia nimium magno conduxiſſent, nullum a ſenatu reſponſum daretur. hac de re ſic lib. I. ad Attic. epiſt. 17. ſcripſit Cicero: *Aſiani, qui de cenſoribus conduxerunt, queſti ſunt in ſenatu, ſe, cupiditate prolapſos, nimium magno conduxiſſe: vt induceretur locatio, poſtulauerunt.* Et epiſt. 18. *Cato miſeros publicanos tertium iam menſem vexat, neque iis a ſenatu reſponſum dari patitur.*

Hic] De Plancio patre adhuc loquitur. nam filius publicanus non erat, ſed ſenator.

Quod primus ſciuit] Et hoc de Plancio patre. *Sciſcere*, eſt probare: vnde *plebiſcitum*.

Legem de publicanis] Quam tulit C. Caeſar conſul, vt publicani tertia pecuniae debitae parte releuarentur. quo facto equeſtrem ſibi ordinem adiunxit, cum et populum antea teneret. ita facilem adſcenſum ad eam, de qua ſemper cogitauit, ſingularem poteſtatem parabat. Suetonius in Iulio c. 20.

Si licuiſſet] Non licuit, in primis obſiſtente Catone.

Quia primum (Ern. *primus*) *ſciuit*] Omnino legendum, *primus*.

Si conſulis] Qui legem tulit.

Splendor etiam Plancii] Non dubito, quin is, qui primus legem ſciſcebat, deligeretur ab eo, qui legem ferebat: vt Sedulius a Clodio tribuno plebis legem in Ciceronem ferente delectus eſt. de quo ſic in ea pro domo c. 30. *Conſulari homini P. Clodius, euerſa republica, ciuitatem adimere potuit, concilio aduocato, conductis operis non ſolum egentium, ſed etiam ſeruorum, Sedulio principe, qui ſe illo die confirmauit Romae non fuiſſe? Quod ſi non fuit: quid te audacius, qui in aes eius nomen incideris? quid deſperatius, qui ne ementiendo quidem potueris auctorem adumbrare meliorem? ſin autem is primus ſciuit, quod facile potuit, propter*

inopiam tecti, in foro pernoctans: cur non iuret, ſe Gadibus fuiſſe, cum tu te fuiſſe Interamnae probaueris?

A ſummo viro] A Caeſare legem ferente.

Ordinis] Equeſtris. primus enim ſciſcebat, qui ſui princeps eſſet ordinis.

CAPVT XV.

Sed aliquando veniamus ad cauſſam] Hactenus reſpondit maledictis: quae ſunt extra cauſſam.

Nomine legis Liciniae] Laterenſis Plancium accuſauerat de ſodalitiis lege Licinia, quae non ad vniuerſum ambitum, ſed proprie ad ſodalitia, quod in ambitu grauiſſimum crimen erat, item vt in maieſtate perduellio, pertinebat. nihil autem Laterenſis, cum ea lege Plancium in iudicium vocauit, praeter hoc ſpectauit, vt ederet reo iudices, quos vellet, ex quibus vellet tribubus: quod Ciceronis verba illa declarant: *Neque enim quidquam aliud in hac lege, niſi editicios iudices, es ſecutus.* Acerbum porro iudicii genus hoc erat, quippe cum accuſator vel ſuos, vel ſuorum neceſſarios, vel eius etiam, qui accuſabatur, inimicos edere iudices poſſet. quam facultatem legislator ideo dederat, vt accuſator, cuius homines tribus pecunia corruptos eſſe ſuſpicaretur, ex ea tribu iudices caperet eos, qui corrupti non eſſent, quorum videlicet ſcientia certiſſima, dolor autem e tribulium ſuorum culpa grauiſſimus deberet eſſe.

Omnes ambitus leges complexus es] Videris accuſare Plancium voluiſſe Licinia lege: nec tamen, quo de crimine lata lex eſt, illud attingis: nihil, inquam, in Plancium de ſodalitiis affers: ſed conſers te ad eas leges, quae de ambitu ſunt, cum alia, ſodalitiis omiſſis, ambitus crimina Plancio conaris intendere. infra c. 19. *Haeſitantem te in hoc ſodalitiorum tribuario crimine ad communem ambitus cauſſam contuliſti.*

Neque enim quidquam aliud] Cum non haberes crimen, quod Plancio Licinia lege obiiceres, accuſaſti tamen ea lege, vt edendorum iudicum facultate vti poſſes. nihil praeterea ſecutus es: vnum hoc ſpectaſti.

Editicios] Quos in hac vna de ſodalitiis cauſſa, delectos ex omni populo, accuſator edebat reo.

Si eſt aequum vlla (Ern. *nulla*) *in re, niſi hac tribuaria*] Reprehendit Laterenſem, qui cum reliqua potius ambitus crimina, quam ſodalitium, in Plancium conferat, iudices tamen ediderit arbitratu ſuo: quod in vna tribuaria re, id eſt, in crimine ſodalitii, in quo tribus edebat accuſator, aequum erat. quod ſi, inquit, hoc aequum eſſet in aliis rebus, praeter hanc tribuariam: non id fieri hoc vno in genere ſenatus voluiſſet, ſed eandem iudicum edendorum rationem ad ceteras quoque cauſſas transtuliſſet, praeſertim ad ambitum, qui cum ſodalitii cauſſa quaſi affinitate quadam coniungitur. Tu, inquit, finxiſti velle te accuſare Plancium Licinia lege de ſodalitiis, vt ederes iudices, quos velles: quod aſſecutus es: accuſas tamen reliquis potius de ambitu legibus: cum vel agere de ſodalitiis Plancii debeas, vt beneficio

ficio legis in edendis iudicibus iure ac merito vſus eſſe videaris: vel, ſi te crimen ipſum, quo accuſas, deficit, ideoque accuſationem tuam ad communem ambitus cauſſam traducis, confiteris, non recte a te iudices editos eſſe, quos tantum in cauſſa de ſodalitiis edi ſenatus cenſuit, populusque iuſſit.

De ipſo denique ambitu] Si aequum eſt edi iudices in aliis rebus, niſi hac tribuaria, id eſt, niſi in cauſſa de ſodalitiis: non video, cur ſenatus non modo in ceteris diſſimilibus cauſſis, ſed in ipſo ambitu, ad quem ſodalitia pertinent, editicios iudices non probauerit. non probauit autem, quia non aequum eſſe iudicauit. cui igitur tu contra ſententiam ſenatus in ea cauſſa iudices edidiſti, in qua, legis Liciniae ſimulatione, reliquis de ambitu legibus accuſas?

De reiectione iudicum fieri voluerit (Ern. *reiectionem fieri voluerit iudicum*) *alternorum*] In omnibus cauſſis, exceptis ſodalitiorum criminibus, reiectio iudicum fiebat ab accuſatore, et reo. quod Cicero *iudicum alternorum de reiectione* appellat. Iudices enim, cum ſenatorius ordo lege Cornelia L. Sullae ſolus iudicaret, e curia ſenatoria conſcribebantur: poſtea lege Aurelia L. Cottae, qua iudicia inter tres ordines communicata, e ſenatu, ex equitibus, e tribunis aerariis. hi *ſelecti iudices* vocabantur, de quibus in oratione pro Cluentio c. 43. apud Pedianum act. I. in Verr. c. 6. et Plinium lib. XXXIII. c. 1. horum nomina in vrnam coniecta ſortito deducebantur a quaeſitore, id eſt, ab eo, qui de maioribus criminibus, ambitu, repetundis, inter ſicarios, maieſtate, quaerebat. ita de pluribus confecto per ſortitionem neceſſario numero, permittebatur accuſatori, ac reo, vt ex illo numero reiicerent, quos putarent ſibi aut inimicos, aut ex aliqua re, vt Pediani verbis vtar, incommodos fore. Poſt reiectionem, ſubſortiebatur idem quaeſitor in locum reiectorum alios, quibus ille iudicum legitimus numerus compleretur. erat igitur prima ſortitio, ſecunda reiectio, tertia ſubſortitio. His perfectis, iurabant iudices in leges, vt obſtricti religione iudicarent. cum iuraſſent omnes, praeter ipſum praetorem, qui iudicio praeerat (nam praetorem non iuraſſe, tum ex Cicerone, tum ex Pediano conſtat) nomina eorum libellis conſignabantur, et vbique habebantur; ne pro ſelectis iudicibus, vt fit in multitudine, aliqui ſuppoſiti corruptiſſime iudicarent. eorundem iudicum nomina in codicem relata praetor aſſeruabat. qua de re ſic in ea pro Cluentio c. 33. *Multam* (a Iunio) *petiuit. Qua lege? quod in legem non iuraſſet: quae res nemini vmquam fraudi fuit: et quod C. Verres, praetor vrbanus, homo ſanctus et diligens, ſubſortitionem eius in eo codice non haberet, qui tum interlitus proferebatur.* Quibus verbis illud quoque planum fit, ſubſortiri ſolitum eum, qui iudicio praeeſſet, ſiue praetor eſſet, ſiue non eſſet. nam Iunius ille, a quo multam petitam eſſe Cicero dicit, praeturam nondum adeptus erat, cum in Oppianici iudicio iudex quaeſtionis fuit. itaque miror, quod a Pediano ſcriptum eſt, et ſortitum eſſe iudices, et ſubſortitum praetorem Verrem in Oppianici

nici iudicio: contra quam et ipſius verba Ciceronis, iam a nobis proxime recitata, demonſtrant, et illa praeterea, quae dixit lib. I. in Verr. c. 61. *De ſubſortitione,* inquit, *illa Iuniana, iudices, nihil dico.* Cum igitur, vt redeam vnde diuerti, reiectio iudicum fieret in omnibus cauſſis; lata eſt Licinia lex ex ſenatus conſulto, in ſententiam Q. Hortenſii oratoris facto, vt in cauſſa de ſodalitiis iudices ab accuſatore editi, nulla interpoſita reiectione, iudicarent. quod infra Cicero docuit his verbis: *Quid? huius rei obſcura cauſſa eſt? an et agitata, cum iſta in ſenatu res agebatur, et disputata heſterno die copioſius a Q. Hortenſio? cui tum eſt ſenatus aſſenſus.* Ex eo autem ſenatus conſulto latam eſſe legem, (nam multae leges et ſine ſenatus conſulto, et contra ſenatus voluntatem ferebantur) indicat id, quod infra c. 17. ſcriptum eſt: *Si, quemadmodum ſenatus cenſuit, populusque iuſſit, ita feciſſes, vt in hunc et ſuam, et ab hoc obſeruatas tribus ederes; non modo non quererer, ſed hunc, iudicibus editis, qui teſtes iidem eſſe poſſent, abſolutum putarem.*

Cum iſta in ſenatu res agebatur] Hoc ipſo anno. nam Domitium, huius anni conſulem, legum ambitus auctorem fuiſſe, infra c. 2?. dicit.

A Q. Hortenſio] Qui cauſſam egit Plancii ante Ciceronem.

Hoc igitur ſenſimus] Nos ſenatores, tum cum illa res agebatur.

Quae honeſte magis quam vere ſodalitas nominatur] Honeſto vocabulo *ſodalitas*, vere autem et proprie *ſodalitium* dicitur: quod honeſtum vocabulum non eſt.

CAPVT XVI.

Terentinam, credo] Plancii tribum: quam in primis edere debuit, nec tamen edidit.

Cum Lemonia] Quam Laterenſis edidit.

Tertiam (Ern. *Metiam*)] Cruſtuminam.

Quae reiiceretur] Indicat hic locus, vbi tres tribus accuſator ederet, tertiam a reo reiici potuiſſe.

Non ad ſententiam legis] Ideo enim iudices editicios lex accuſatori dabat, vt ederet eos, qui largitione deuincti ſuffragium pro aliquo tuliſſe putarentur. at Laterenſis iudices edidit ex tribu Lemonia, ex Veientina, e Cruſtumina: cum quibus Plancio nihil fuiſſe ipſemet Laterenſis in ſermone oſtenderat, cum de Terentina, et Voltinia criminaretur, has autem non nominaret.

Ad ſuam ſpem aliquam] Quam nos ignoramus. Tacite iudices admonet de conſilio Laterenſis, eos iudices edentis, quos putaret aut amicos ſuos, aut inimicos Plancii, aut denique inexorabiles, inhumanos, crudeles.

De ciuitate] De omni ciuium numero, ex omnibus tribubus: quod infra dicit: *Ex omni populo.*

Quam in decernendo ſecuti ſumus] Cum in ſenatu decreuimus, vt accuſator tribus ederet, quae de reo iudicarent, id ſecuti ſumus, vt, quae maxime reo coniunctae tribus eſſent, eas ederet; quod eas maxime corruptas eſſe veriſimile videretur. tu autem, Laterenſis, eas edidiſti, cum quibus Plancio nihil eſt: qui Terentinam, et Voltiniam officiis ab

ab eo, non largitione, obſeruatas iudicares.

Notes] Deligas.

Defenſorum meorum] Ciceronis.

In proximo reo] Ipſo quoque de ſodalitiis cauſſam dicente: cui iudices conceſſerunt, vt ex iis, qui editi erant iudices, quinque reiiceret: quod Plancio conceſſum non eſt.

Vt nos, inuito te, tamen ad iudices, non ad carnifices veniremus] Conciliat Plancio iudices; cum eos laudat a iuſtitia; et ait editos eſſe a Laterenſe imprudente: quos non edidiſſet, ſi tales fore putaſſet: eius enim conſilium fuit, edere inexorabiles, inhumanos, crudeles, amicos ſuos, inimicos Plancii.

Idcirco iſta editio per ſe non acerba eſt] Quia neminem poſſumus reiicere.

CAPVT XVII.

Principibus equeſtris ordinis] Non eſt credendum, hoc tempore lata iam Aurelia lege, quae iudicia inter tres ordines communicabat, ſolum equeſtrem ordinem iudicaſſe: ſed eſt intelligendum, totum illum numerum equitum Romanorum, qui diuerſis iudiciis aſſignati erant, fuiſſe CXXV. cum iis praeterea ſenatores, et tribunos aerarios iudicaſſe: reum autem ex CXXV. iudicibus equeſtris ordinis potuiſſe reiicere quinque et LXX. et L. referre: referebat autem eos ipſos, qui de CXXV. ſupererant, qui, demtis LXXV. erant L. quam poteſtatem licet reus haberet, eius tamen amici, clariſſimi ciues, nomen editi iudicis in ea cauſſa non tulerunt. Hic quaero, cum dicat Cicero, *nomen editi iudicis*: ex quo ordine ederentur ab accuſatore illi iudices. ex equeſtri veriſimile vix videtur. nam illi CXXV. non edebantur accuſatoris arbitrio, ſed deligebantur a praetore, vt arbitror, idque ſumma diligentia: quod ex eo conſtat, *principibus equeſtris ordinis*: ex iis autem L. quos reus, LXXV. reiectis, referebat, accuſatorem edidiſſe puto, quos volebat. quod reo non videtur obeſſe potuiſſe, cum ederentur ex iis L. quos ipſe probaſſet. recte igitur dixit, *nomen editi iudicis*, quaſi nomen ipſum tantum in cauſſa verſaretur, res ipſa nulla eſſet, vtpote cum illa editio reum non laederet. Occurrit alia quaeſtio: cur vnius equeſtris ordinis mentio fiat, ſenatores, tribunique aerarii omittantur: quaſi non ex iis reiiciendi facultatem reus haberet, aut ii non item vt equites ederentur. Reſpondere licet, quod cum ratione conſentit: cum tres ordines iudicarent, non ex vno equeſtri, ſed ex reliquis quoque duobus reum quosdam reieciſſe, alios retuliſſe: ex relatis autem accuſatorem edidiſſe.

Ex delectis iudicibus] Et hoc id, quod ſupra diximus, confirmat, primum delectos eſſe iudices a praetore, deinde reiectos a reo, poſtremo editos ab accuſatore.

Ex omni populo] Nam tribus ex omni populo deligebantur.

Editos ad reiiciendum] Quod ferre poſſemus: ſed ab accuſatore conſtitutos, vt a reo reiici non poſſint, hoc vero ferendum non videtur.

Et illud acerbum iudicium] Videtur hoc per ſe conſiſtere, nec verbum,

verbum, quo ſuſtentetur, deſiderare. quaſi dicat: Et, quod acerbum iudicium eſt, ſi, quemadmodum in ſenatus conſulto et lege ſcriptum eſt, ita feciſſes, vt in Plancium, et ſuam tribum Terentinam, et ab eo obſeruatas ederes, (ſic enim lego, poſtulante ſententia, non, *ederent*) non modo non quererer, ſed, iudicibus editis iis, quibus Plancii integritas nota eſſet, abſolutum Plancium putarem.

Neque nunc multo ſecus exiſtimo] Oſtendit ſe Lemoniae, et Veientinae, quas Laterenſis ediderat, non multo ſecus confidere, quam ſi Terentina, Plancii tribus, et eius vicina Voltinia, editae fuiſſent: quamquam illae Plancii integritatem non ita, vt Terentina, et Voltinia, notam haberent.

Ignotis] Qui Plancium ignorarent.

Quam notis] Quam iis, qui Plancium noſſent. Aculeus in Laterenſis iniquitatem: qui cum ſciret, ſi Plancius iudices haberet eos, qui teſtes iidem eſſe poſſent, abſolutum iri, iis iudicibus, qui illum ignorarent, vti maluiſſe.

Fugiſti ſententiam legis] Quia, quod lex iubebat, non feciſti, vt in reum et ſuam, et ab eo obſeruatam tribum ederes.

Quid diceret apud Voltinienſes] Voltiniam tribum, quam corruptam eſſe clamitas, ſi edidiſſes: nihil haberet Plancius, quod apud eos iudices diceret: ſiquidem, vt ais, ea tribus ab eo corrupta: cur igitur non eam edidiſti? nimirum, quia iudicibus ignotis vti, quam notis, et in tenebris, quam in luce, cauſſam verſari maluiſti.

Tribules ſuos] Ex Terentina tribu.

Tacitum teſtem] Iudicem ex illis neminem tacitum teſtem haberes: teſtimonium enim de Plancii innocentia omnes dicerent.

Aut vero etiam excitares] Quia dixerat, *haberes*, non contentus eo verbo ſubiunxit: *excitares:* id eſt, quemcumque tu ex iis excitares, et exſurgere iuberes, de Plancii integritate teſtimonium diceret.

Non ediidiſſet] Sine interrogationis nota. eſt enim ironia.

Quem habet] Quaeſitorem.

Non fuiſſe fugiendum tribulem huic iudicem] Si Terentinam tribum Laterenſis edidiſſet, iudicem Plancius habuiſſet Alfium, et quidem libenter, cum eundem quaeſitorem libenter habebat, cui ſe tribuli ſuo notiſſimum eſſe ſcit, et cuius erga ſalutem ſuam ſimilis meae voluntas apparet. Alfius hic nominatur interrogatione in Vatinium c. 16.

CAPVT XVIII.

Conſilium ſenatus] Mentem ſenatus, qui cenſuit, in crimine ſodalitii, tribum rei, et ab eo obſeruatas, edi ab accuſatore debere, id eſt, eos, quibus reus optime notus eſſe poſſet, et qui iudices editi, teſtes iidem eſſe poſſent.

Sancire] Lego, *ſanciri.* non enim ſanciebantur leges a ſenatu, ſed a populo.

Reficere (Ern. *conficere*)] Reddere, reſtituere pro tribu ab ipſis accepta. Hoc verbo vſus eſt in extremo Paradoxo: *Hoc propoſito, numquam eris diues, antequam tibi ex tuis poſſeſſionibus tantum*

tantum reficiatur, vt eo tueri ſex legiones, et magna equitum, ac peditum auxilia poſſis. Lib. III. in Verr. c. 50. *Villicoque delectetur, quod tanto ſibi plus mercedis ex fundo refectum ſit.*

Reſpectent] Contra exſpectent, viciſſim exſpectent.

Decuriatio] Quia candidati ſuos tribules decuriarent, quia reliquas tribus deſcriberent, quia ſuffragia largitione deuincirent; inde ſuccenſuit ſenatus, inde lata lex eſt. *Decuriare* eſt per factionem cogere. pro domo c. 5. *Cum, deſperatis ducibus, decuriatos ac deſcriptos haberes exercitus perditorum.* Pro Sextio c. 15. *Homines vicatim conſcribere, et decuriare.*

Deſcriptio populi] Idem fere, quod *decuriatio:* certe vt ſimilia coniunguntur: vt in exemplo proxime adducto ex ea pro domo.

Conſcripſiſſe] Deſcripſiſſe populum.

Pronunciaſſe] Promiſiſſe pecuniam.

Tum mirabor] Nunc non miror: quia, cum haec docere, et proferre contra Plancium non poſſes, ideo tribum eius, et ab eo obſeruatas, quibus notiſſimus eſſe debebat, edere noluiſti.

CAPVT XIX.

Sodales] Qui per conſenſionem magiſtratuum tribum turpi largitione corrumperent. ſodalitatem honeſte appellari ſupra c. 15. dixit.

In operas] In negotia prouincialia publicanorum. hinc, *operas dare*, pro *negotium curare, rem tractare.*

Haeſitantem te] Cum, quid diceres, non haberes.

In hoc ſodalitiorum tribuario crimine] In tribubus corruptis.

Quam tibi commodum eſt] Quam tibi placet.

Per quem tulerit] Qua ratione Plancius eam ſibi ſuffragantem habuerit.

CAPVT XX.

Comitiis iam ſuperioribus] Docet Cicero orat. II. in Rullum c. 2. et 11. et poſt eum Pedianus act. I. in Verr. c. 9. maioribus placuiſſe, vt de omnibus magiſtratibus bis ſuffragia ferrentur. binis igitur tributis comitiis aedilitatem adeptus erat Plancius. nam centuriata maiorum erant magiſtratuum.

Habere coepit] Licet intelligere, poſteriora comitia aedilicia non habita eſſe a conſule: cum de eo dicat, *habere coepit:* id eſt, ſuperiora conſul habuit: quis poſteriora? aediles videlicet.

Conſul] Domitius potius, quam Appius. nam is priore loco creatus conſul erat.

Vna centuria praerogatiua] In comitiis centuriatis.

Conſularibus] Quae conſul habuit.

Aut certe] Alterius comitiis, quae non conſul, ſed aedilis habuit.

In illum annum] In ſequentem.

In quo] Id eſt, pro quo, cuius anni gratia. nam populus hoc quidem anno ſuam voluntatem declarauit, ſed ſequentis anni cauſſa, vt aedilitatem Plancius gereret.

Non exigua pars populi] Vt in comitiis centuriatis centuria praerogatiua.

Comitia tota] Illa, quae conſul habuit.

Comi-

Comitiis] Poſterioribus.

Fuerint praerogata]. Tamquam praerogatiua fuerint.

Prolatis comitiis] Non enim poſt illa ſuperiora ſtatim habita iterum ſunt.

Ambitioni] Multis enim ambientibus honor datur: ſed iis iucundior eſſe debet, quorum dignitati datur.

CAPVT XXI.

Ap. Claudium] Patrem P. Clodii.

C. Claudio] Qui cum M. Perperna conſulatum geſſit.

Factum eſſe conſulem] Cum P. Seruilio, cui poſtea cognomen Iſaurico fuit.

L. Volcatium] Tullum, qui conſul cum M' Lepido fuit, et adhuc viuebat.

M. Piſonem] A M. Seio in aedilitatis petitione ſuperatum.

In iſta aedilitate] In qua tu quoque offenſiunculam accepiſti.

Summos honores] Conſulatum. is enim ſummus honor fuit. Sed miror, cur dixerit: *Vidit pater tuus:* cum vtrumque Laterenſis videre potuerit. quamquam aedilitatis petitionem adoleſcentulus, et fortaſſe puer vidit.

P. Naſicae] Scipioni Serapioni, qui Ti. Gracchum priuatus interfecit. ideo ſequitur: *Quo ciue neminem ego ſtatuo in hac republica fortiorem.*

Conſules eſſe factos] Caeſarem cum P. Rutilio Lupo, Octauium cum L. Cinna, Tullium cum Cn. Dolabella.

Benigne a populo factum] Quia, aedilitate omiſſa, maiores magiſtratus petierunt.

L. Philippus] Qui conſul fuit cum Sex. Iulio Caeſare, anno ante bellum ſociale.

Eloquentia] Poſt Craſſum et Antonium ei primas defert in Bruto c. 64.

Q. Coelius] *C.* non *Q.* legendum. is enim eſt C. Coelius Caldus, qui conſul fuit cum L. Domitio Ahenobarbo.

P. Rutilius Rufus, C. Fimbria, C. Caſſius, Cn. Oreſtes] Rufus cum Cn. Mallio, Fimbria cum C. Mario, Caſſius cum Cn. Domitio Ahenobarbo, Oreſtes cum Lentulo Sura conſul fuit.

Non conſolandi tui gratia] Iacturam enim tuae dignitatis nullam feciſti, vt conſolandus eſſe videaris.

Neque vero quo te liberent (Ern. *liberarent*) *aliqua culpa*] *Liberarent*, pro *liberent*, et infra, *cohortarentur*, pro *cohortentur*, videtur eſſe rectius. Quae vero haec eſt culpa, quam Laterenſis verebatur, ne a ſe ſuſcepta videretur? nulla: nihil enim turpe commiſerat: ſed quia repulſam paſſus erat, verebatur, ne quid culpae ſuſcepiſſe videretur, eaque repulſa dignitati ſuae labem aliquam aſpergeret. ideo dixit ſupra: *Quaeris etiam, Laterenſis, quid imaginibus tuis, quid ornatiſſimo atque optimo viro, patri tuo, reſpondeas mortuo?* Patet igitur ſenſus. Non haec ideo dicerent, quo te liberarent aliqua culpa, quam ſcirent a te commiſſam non eſſe.

Detractum dico] *Detractum*, a me additum ex ingenio: quam recte, lector iudicet. mihi illud abſurdum, et ineptum videbatur: *Dico, ſi mehercules.* at hoc quam concinnum: *Nihil eſt de te detractum: detractum dico? ſi mehercules.* Eadem eſt figura lib. I. in Verr. c. 17. *Dictum hoc eſt in Cn. Dolabellae iudicio. dictum? etiam*

etiam aeſtimatum. Et pro Ligario c. 9. *Quae fuit igitur vmquam in vllo homine tanta conſtantia? conſtantiam dico? neſcio, an melius patientiam poſſem dicere.* Et ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Erat hoc mihi dolendum: ſed multo illud magis, quod inimicum meum, meum autem? immo vero legum, iudiciorum, otii, patriae, bonorum omnium, ſic amplexabantur.*

CAPVT XXII.

Magnum quendam motum] In populo ex illo tribunatus plebis petitione, de qua, ne iurares in agrariam Caeſaris legem, in qua de populi commodis agebatur, deſtitiſti. Hac de re ſupra c. 5.

Quam nonnulli defuncti honoribus] Curulibus: qui iurarunt in illam legem.

In diſſentiente populo] In eo populo, qui non idem ſentire ſolet vniuerſus.

Pleraſque] Easdem.

Cum (Ern. *at*) *nonnullas*] Ex perſona Laterenſis.

Punctis] Suffragiis. Horatius de arte poetica v. 343.

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

Quippe cum] Ex perſona Ciceronis.

Prope] Non omnino; cum ſupereſſent altera comitia, ſed prope, cognita populi voluntate.

Veniſſent] Ad poſteriora comitia.

Sortitionem aediliciam] Duo creabantur aediles curules. fieri tamen poterat, et vt plures, quam duo, peterent, et vt plures etiam pares ſuffragiis eſſent. quod ſi accideret, conſtitutum eſt a maioribus, vt ſortirentur, quinam ex iis aedilitatem gererent. ſin autem ſoli duo totidem ſuffragia tuliſſent, ſortitio locum non habebat: ii enim aediles renunciabantur: cum duos tantum aediles eſſe oporteret.

Anienſem] Plotii tribum.

Auulſas] A Laterenſi, quaſi per vim.

Ne in anguſtum venirent] Ne, ſi tibi easdem poſterioribus comitiis concederent, de ſua creatione in dubium venirent. infra: *Verebantur, credo, anguſtias: quaſi res in contentionem, aut in diſcrimen aliquod poſſet venire.*

Nondum cognita populi voluntate] Superioribus comitiis: cum Plotius, et Plancius de populi erga ſe voluntate, quam poſtea, latis ſuffragiis, cognouerunt, certi nihil ſcirent.

Cum iam eſſent experti, quid valerent] Cum iam ſuperioribus comitiis aediles deſignati eſſent.

Reſtrictos et tenaces] Poſterioribus comitiis: cum easdem tibi tribus, vt ais, concedere noluerint.

In idem crimen vocandum indicas] Quia deſignatus ipſe quoque ſit aedilis.

Eum te arripuiſſe] Te Plancium accuſaſſe.

A quo non ſis rogatus] Vt eum ne accuſares. quod ſi non es ab eo rogatus: argumento hoc eſſe poteſt, quia ſibi conſcius eſſet innocentiae ſuae, ideo te rogare noluiſſe.

Eos teſtes] Nam ſi plures, quam puncta: pars eorum ſuffragiis corrupta fuerit, neceſſe eſt.

Aut te ne gratuita quidem eorum ſuffragia tuliſſe] Aut, ſi corrupti non ſunt, ne gratis quidem tibi ſuffragatos eſſe. vtraque igitur

tur ratione patet, eos teſtes te adducere, quibus haberi fidem non oporteat, quippe quos vel Plancius corruperit, vt te praeterirent, vel tu ipſe, cum te iam praeterierint, pecunia emtos ad dicendum teſtimónium adducas.

CAPVT XXIII.

Caluit] Sermonibus peruulgatum eſt. Coelius ad Ciceronem lib. VIII. Fam. epiſt. 1. *Illi rumores de comitiis Transpadanorum, Cumarum tenus caluerunt.*

Re recenti] Statim poſt comitia aedilicia.

Nec quae tribus] Quae nummos acceperint.

Ita ſemper teſtimonium de ambitu dicunt] Non iudicio, et recta ambitus damnandi voluntate.

Quaſi aut moueant animos iudicum] Quos non mouent: et cum non moueant, cur in eo perſeuerant?

Me id perſequi voce] Me accuſare eorum iniquitatem. vos enim, quales ii ſint, (ſunt enim inimici reorum omnium) mente ipſi cernitis.

CAPVT XXIV.

L. Caſſium] Subſcriptorem Laterenſis.

Ne illum quidem Iuuentium tecum expoſtulaui] Quem expoſtulare debui, et negare verum eſſe, quod Caſſius ait, primum de plebe aedilem curulem eſſe factum. Laterenſis autem Iuuentiae gentis erat.

Neſciſſe id populum Romanum] Cum de Laterenſe, aedilitatem petente, ferret ſuffragia.

Mortuo Longino] C. Caſſio Longino, qui conſul fuit cum Cn. Domitio Ahenobarbo. is videtur antiquitatis peritus fuiſſe.

Me hic id ex te primum audiſſe confitear] Modeſte refellit eum vt mendacem.

Equitis Romani] Nondum ſenatorium ordinem adeptus erat Caſſius.

De ipſo fine (Ern. *de ipſo me*)] Non eo de crimine, quo accuſatur Plancius, verum de ipſo comitiorum exitu, quod Plancius, equitis Romani filius, Laterenſi, qui eſt ex familia conſulari, praepoſitus ſit.

In me reprehendendo] Quia Plancium defenderem.

Non ingrati] Meam enim erga bene de me meritos pietatem oſtendunt.

Qui eſſet familia conſulari] Hoc ſignificabat Caſſius, faciliorem ſine dubio eſſe viam ad honores iis, qui familia eſſent conſulari, quam equitum Romanorum filiis: quod cum in Laterenſe contra cecidiſſet, coniici licere, gratuita comitia non fuiſſe.

Quam mihi fuerunt] Cui fuerunt faciliimi: vt eosdem illi optare debeam.

Ad praecepta aetas non eſt gnati (Ern. *grauis*)] Quia puer adhuc erat, annos vndecim natus.

Ille a Ioue ortus] Atreus fortaſſe, Iouis pronepos. Ioue enim Tantalus, Tantalo Pelops, Pelope Atreus natus eſt. quem poetae ſceleſtum atque impium fingunt: hiſtoriae ingenio excelluiſſe, et ſolis eclipſim praedixiſſe, narrant.

Multae inſidiae ſunt bonis] Eadem in oratione pro Sextio c. 48.

Quae non ne (Ern. *non te*) *id, quod multi inuideant*] Hoc mendoſum: illud ſincerum in ea pro Sextio:

Sextio: *Sed te id, quod multi inuideant.*

Quae ſcripſit] Aut hic, aut infra, *ſcripſit*, inducendum.

Poeta] Nomen ignoratur.

Regios pueros] Agamemnonem fortaſſe, et Menelaum, Atrei, Mycenarum regis, filios.

Cn. Scipionis] Eius fortaſſe, cui *Aſinae* cognomen fuit: qui poſt alterum conſulatum de Poenis triumphauit.

Praeſtare (Ern. *praeſtaret*)] Meliore conditione eſſe.

Ei minus inuideretur] Patris enim gratia factus videretur: nunc ei, quia equeſtri loco natus aedilitatem obtinuerit, inuidetur.

CAPVT XXV.

P. Duillio (Ern. *C. Duellio*)] Non dubito, quin *C.* non *P.* legendum ſit. is enim eſt, qui primus de Poenis naualem triumphum egit.

Honore nihil amplius] Eundem enim honorem equitis Romani filius eſt adeptus, laude tamen et gloria dispari.

Triumphos] Triumphauit bis Ti. Gracchus, duorum Gracchorum, qui propter malas leges occiſi ſunt, pater, de Celtiberis primum, deinde de Sardis.

Tot optimis et ornatiſſimis ciuibus] Qui nec diſerti ſunt, nec iuris periti.

Quidnam eſt futurum] Propterea ne honores non aſſequentur?

CAPVT XXVI.

Niſi eum] Niſi hoc in eo reprehendet, quod nimis iracunde ſecum agat.

Putabis] *Putabit* rectius.

Cyrenis] Vbi quaeſtor fuit, cum iam Praeneſte ludos feciſſet.

Etiam] Affirmandi hoc in loco vim habet.

CAPVT XXVII.

Forum] Mendoſe, *eorum*, legebatur antea. locum Octauius meus emendauit, et alterum eiusdem litterae mutatione, lib. I. ad Q. Fr. epiſt. 1. pro, *quieuit*, *qui fuit*, reponens.

Eadem via] Vt in oculis habitetur, forum prematur: non vt Cyrenas eatur.

Huc] Ad eos honores, quos geſſi.

Sorte] Cum quaeſtor in Macedonia fuit. nam quaeſtores deſignati ſortiebantur prouincias.

Lege] Tribunus militum a populo creatus. nam cum eſſent duo genera tribunorum militum, vnum a populo creabatur; qui comitiati vocabantur: alterum in exercitu ab imperatoribus. Aſconius act. I. in Verr. c. 10.

Neceſſitate] Legi enim parere neceſſe eſt.

CAPVT XXVIII.

Hoc moleſtiae] Eius accuſatio, in qua gratiam reddo non ſola voluntate, ſed ipſa etiam re.

Opimium] A quo conſule M. Fuluius Flaccus conſularis, et C. Gracchus tribunicius, interfecti ſunt.

Seruatorem ipſum reipublicae] Periclitantis ob leges Gracchi.

Calidium adiungis] Damnatum.

Cuius] Tribuni plebis, vt in orat. poſt red. in ſen. c. 15.

Q. Metellus] Numidicus, a tribuno plebis Appuleio Saturnino

pulſus,

pulſus, quod in eius legem iurare noluiſſet.

Suo nomine] Quod C. Gracchum pro communi otio necaſſet.

Liberatus] Abſolutus. nam iudices eum condemnarunt.

Nec Q. Metelli Calidius] Non ideo liberatus Calidius, quia ſua lege Metellum ab exſilio reuocaſſet. Hoc ſignificabat Caſſius, quamquam Plancii magna merita in Ciceronem exſtarent, non ideo tamen eum abſolui debere: cum nec Opimius, reipublicae ſeruator, nec reſtitutor Metelli Calidius, abſoluti iudicio ſint.

CAPVT XXIX.

Si Romae eſſe potuiſſet] Proconſul erat in Hiſpania, cum Calidius eſt accuſatus.

Non fuiſſe facturum] Quaſi dicat: negari non poteſt, vtrumque facturum fuiſſe in Calidii iudicio, quod ego nunc in Plancii cauſſa facio.

Finitimo] Fregellano, Fregellis vrbe capta. Aſconius in Piſon. c. 39.

Domeſtico] Caeſis, vt iam dixi, domeſticis reipublicae hoſtibus, Flacco, et Graccho. ob quam inuidiam poſtea iudicio circumuentus eſt, et in exſilium actus. Aſconius.

Non iugulauit] Cum ad eum Macedoniae quaeſtorem lege Clodia pulſus Cicero venit.

Iugulari] A Clodianis.

Tantum? requiro (haec abſunt ab Ern.)] Etſi ferri poteſt iteratio eiusdem verbi: videat tamen lector, an ſine, *requiro*, ſit elegantius.

Toto illo anno] Tribuno plebis Clodio.

CAPVT XXX.

Vicinitatis] Arpinates enim Atinatibus finitimi erant, Plancius autem ex praefectura Atinati.

Quem mihi debere oporteret] Quia eum defenderem.

Alieno] Militi, nulla propinquitate coniuncto.

Idem quod parenti] Vitam ipſam.

Conſumerem] Quo anno aedilitas vtrique petenda eſſet.

In his Plancio gratias egi] His verbis c. 14. *Cuius mei ſenſus certiſſimus teſtis eſt hic idem, qui cuſtos capitis fuit, Cn. Plancius: qui, omnibus prouincialibus ornamentis, commodisque depoſitis, totam ſuam quaeſturam in me ſuſtentando, et conſeruando collocauit. qui ſi mihi quaeſtor imperatori fuiſſet, in filii loco fuiſſet; nunc certe erit in parentis, cum fuerit quaeſtor, non imperii, ſed doloris mei.*

Cui nihil magnopere debeam (Ern. *deberem*)] Debere enim ſe ei, cui nihil magnopere debeatur, non aſtuti, ſed ſtulti hominis eſſet.

Huius tanti officii] Quod ei praeſtandum a me ſit, optime de me merito.

Seruitutem adſtringam (Ern. *adſtringebam*)] Si nihil hic mutetur, recte: nec male tamen, ſi quid mutetur. nam mihi venit in mentem, legi poſſe, *ſeruitute me adſtringam.*

Cetera] De eodem Plancio. quae tamen in illa oratione non ſunt: ſed ea litteris a ſe mandata dicit, quo gratus eſſe videatur.

CAPVT XXXI.

Nihil in Ciſpio profeciſti] Defendiſti Ciſpium, nec tamen abſolutus

ſolutus eſt: nihil iam valent apud iudices preces tuae. M. Ciſpius tribunus plebis fuerat, quo anno Cicero reſtitutus eſt. Poſt red. in ſen. c. 8. *Quid M. Ciſpius? cui ego ipſi, parenti, fratrique eius ſentio quantum debeam: qui, cum a me voluntas eorum in priuato iudicio eſſet offenſa, publici mei beneficii memoria priuatam offenſionem oblitterauerunt.* Pro Sextio c. 35. *Venientem in forum virum optimum et conſtantiſſimum, M. Ciſpium, tribunum plebis, vi depellunt.*

Obſoletae iam ſunt preces tuae] Vſu iam tritae, atque conſumtae. Moneo lectorem, *obſoletae*, meum eſſe, *abſolutae*, et peruulgatorum, et veterum librorum. quod cuique magis placet, id ſequatur.

Qui nihil a iudicibus debeam vmquam impetrare] Nam ſi in Ciſpio nihil profeci, quod tu mihi obiicis: at in Plancio proficere me poſſe non deſpero. niſi forte eum eſſe me vis, qui nihil a iudicibus debeam vmquam impetrare.

Simultates, quas mecum habebat, depoſuiſſet] De quo proxime locum recitaui ex ea poſt red. in ſen. c. 8.

Tum] In Ciſpiano iudicio.

Gratas eſſe dicebas] Mihi enim, vt Ciſpium defenderem, auctor fueras.

CAPVT XXXII.

Tribunatum Plancii] Quem geſſit Marcellino et Philippo coſſ. lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 1.

Tam licuiſſet per hominum vim, et iniuriam populi Romani, ei gratiam referri] Significat Raciliuim populi iudicio iniuſte damnatum.

In monumento Marii] In templo Virtutis, quod C. Marius exſtruxit. pro Sextio c. 54.

De magiſtratibus] Quaeſturam enim Plancius in Macedonia gerebat.

Eum (Ern. *haec*) *cum vides*] Cum Plancium adſpicis, cui gratiam nunc refero.

A virtute verbi (Ern. *verbum*)] A ſignificatione verbi, *miſer.*

CAPVT XXXIII.

In cauſſa diſpari] Tu enim perdere Plancium vis, ego conſeruare.

Vt eum beneficio complectamini] De ſe ipſo dicit. beneficium autem, quod petit, Plancii ſalus eſt.

Ad negligendam meam gratiam] Vt meam gratiam negligatis.

Vos nec nocentes, nec litigioſos eſſe] Itaque accidere non poſſe, vt mea vobis opera in iudiciis prodeſſe poſſit. qui enim nocens non eſt, hominum eloquentium defenſione parum indiget: qui libenter non litigat, ei de oratorum gratia laborandum non eſt.

Quam neceſſaria] Sunt enim in periculis neceſſaria.

CAPVT XXXIV.

In locos (Ern. *ludos*) *cauſſam coniicere*] In locos communes, exaggerandi gratia: cum orator, vt commoueat animos iudicum, digreditur a cauſſa.

De thenſis] De ſacris vehiculis.

In aliis aedilibus] Quos anno ſuperiore, item de ambitu accuſatos, cum defenderet, facta thenſarum mentione miſericordiam commouit.

Me idcirco mea lege ex illo ambitu traxiſſe] *Mea lege:* quam

 de

de ambitu conſul tuli, irrogato decem annorum exſilio. *Ex illo ambitu:* qui me conſule fuit. *Traxiſſe:* ex illo ambitu ſumſiſſe, et quaſi per vim traxiſſe, quae in meam legem contuli.

Quo (Ern. *vt*) *miſerabiliores epilogos poſſem dicere*] Quo plus miſericordiae, cum de ambitu accuſatos defenderem, in epilogis commouere poſſem: cum reis honorem, dignitatem, patriam ipſam, ſi damnarentur, impendere dicerem. iocabatur iis verbis Laterenſis in Ciceronem, qui Rhodi, id eſt, in inſula amoeniſſima, Appollonio Moloni operam dederat.

Me vult fuiſſe] Hoc dicit, vt fuiſſe me ſignificet.

In Nicaeis (Ern. *Vaccaeis*)] Duae ſunt Nicaeae, vna in Gallia, altera in Bithynia. vtramque Cicero complexus eſt vno nomine, cum de vna tamen Bithynia loqueretur.

In Bithynia] Ego quoque eloquentiae cauſſa.

Cur ſeueriorem Nicaeam putes] Hinc apparet, quod ſupra dictum eſt: *Rhodi non fui*, ad loci reprehenſionem obiectum eſſe.

In Creta] Non quaeſtor, (nam, Cyrenis quaeſtorem fuiſſe, ſupra c. 26. demonſtratum eſt) ſed legatus.

Dictum aliquod (Ern. deleto, *dictum, aliquid*)] *Dicere dicta*, vſitatum eſt: propterea malui legere, *aliquod*, quam, *aliquid.*

In petitione tua (Ern. *in petitionem tuam*)] Aedilitatis.

Me ia perdidiſſe] Qui dictis delecta ſoleam. Sed cur Creta dicti occaſionem afferebat? opinor, quod inſula a litteris abhorrens, expers eloquentiae prorſus eſſet.

Ipſe in te dixeris] Cum admonuiſti, te in Creta fuiſſe.

De tuis rebus geſtis] In Creta, aut Cyrenis.

Quas ad aliquem miſiſſem] Significat ea, quae conſul geſſit: de quibus fortaſſe ſcripſit in Aſiam ad Pompeium. ad eum enim potius, quam ad quemquam alium, ſcripſiſſe, veriſimile videtur.

CAPVT XXXV.

Me illi auxilio peperciſſe] Me illo auxilio vti noluiſſe.

An conſularis furor] Propter conſules, cum tribuno plebis Clodio coniunctos, pugnare ſe noluiſſe oſtendit.

Exercitum perdidit] Piſo: vt in orat. de Prou. c. 2. *Exercitus ille noſter, ſuperbiſſimo delectu, et duriſſima conquiſitione collectus, omnis interiit.*

Vendidit] Gabinius Alexandrino regi. in Piſonem c. 21. *Se ipſum, faſces ſuos, exercitum populi Romani, numen interdictumque deorum immortalium, reſponſa ſacerdotum, auctoritatem ſenatus, iuſſa populi, nomen ac dignitatem imperii regi Aegyptio vendidit.*

Emtis prouinciis] A Clodio, qui, lege lata, Piſoni Macedoniam, Gabinio Syriam tradidit.

Qui exercitibus, qui armis] Hoc ad Caeſarem pertinet, qui erat adhuc in Italia cum exercitu, illud autem, *qui opibus*, ad Pompeium, et Craſſum, qui priuati erant, pertinet. pro Sextio c. 17. *Ex quibus vnum habere exercitum in Italia maximum, duos, qui priuati tum eſſent, et praeeſſe, et parare, ſi vellent, exercitum poſſe, idque facturos eſſe dicebat.*

Luctus

Luctus indicia] Atram veſtem, maeroris indicium.

Saltator ille Catilinae, conſul] Gabinius. Poſt red. in ſen. c. 6. *Cur in luſtris, et heluationibus huius calamiſtrati ſaltatoris tam eximia virtus tam diu ceſſauit?* Pro domo c. 23. *Campanum illum conſulem cum ſaltatore collega.* In Piſonem c. 8. *Tu ex tenebricoſa popina conſul extractus cum illa ſaltatrice tonſa ſenatum reipublicae occaſum atque interitum lugere vetuiſti.*

Proſcriptionis] Qui L. Lamiam in concione relegauerit, et, vt ab vrbe abeſſet millia paſſuum ducenta, edixerit. pro domo c. 21. *Equitibus Romanis mortem proſcriptionemque minitarentur.*

At tota Italia] *At*, ſine dubio abundat, fortaſſe natum ex antecedente ſyllaba.

CAPVT XXXVI.

L. Flaccus] Conſul, C. Marii collega.

Improbos ciues] M. Fuluium Flaccum conſularem, et C. Gracchum tribunicium, Opimio conſule: Saturninum tribunum plebis, et Glauciam praetorem, C. Mario, L. Valerio Flacco coſſ.

Q. Metello] Numidico.

Suum] Quia iurare noluit in legem Saturnini.

Senatus factum] Quod ego defendiſſem, ſi pugnare voluiſſem. nam ſenatus coniuratos extremo ſupplicio afficiendos cenſuit: cui conſul parui.

CAPVT XXXVII.

Ciuile praeſidium] Non enim ei mortuus opem vitam ferre poſſem.

Vis aliqua morbi] Ante exitum illum vitae, quem natura praeſcripſit. propterea ſubiungit: *aut natura ipſa.* natura enim iuvenes quoque, non modo ſenes, moriuntur.

Auxilia poſteritatis] Auxilia, quae in poſterum habere poſſet respublica.

In me retinendo] Non, *retinendo*, ne iret in exſilium: non enim ſenatus eum, populus Romanus retinuit: ſed *retinendo*, id eſt, conſeruando, reſtituendo, in quo populus Romanus cum ſenatu egregie conſenſit.

CAPVT XXXVIII.

Ab omnibus eisdem] Vt a Caeſare, et Pompeio.

Vt iam mihi ſeruirem] *Vt*, abundat: ſed iteratum apud Ciceronem ſaepe reperitur.

Qui quoniam verſetur (Ern. *verſatur*)] *Qui cum verſetur*, puto rectius. litterarum ſimilitudo errorem fortaſſe peperit. nam, *quom*, pro *cum*, olim ſcribebant, vnde, *quoniam*, facile fluxit.

CAPVT XXXIX.

Populi Romani] A quo Galliam citeriorem in quinquennium, inuito ſenatu, Vatinia lege accepit.

Senatus] A quo ſingularibus, et nouis honoribus ornatus: vt in orat. de Prou. c. 16. et ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9.

CAPVT XL.

Temporibus] Calamitatibus.

Petiui animo] Non re. nam Siciliae praetor C. Virgilius vetuit eum in inſulam ire.

Sicut domus vna] Propter quaeſturam egregie geſtam, et beneficium Verris accuſati.

Collegia] Quia collegae fuerunt in praetura: poſt praeturam autem Virgilius in Siciliam, et eodem anno Q. Cicero in Aſiam profectus eſt.

Vobiscum] Veſtris opibus muniti.

Non tuliſſemus] Ceſſi enim, tempeſtatem vitans.

CAPVT XLI.

Ad Planciumque perrexi] Fortaſſe rectius, *ad Plancium Q.* id eſt, *ad Plancium quaeſtorem.*

Lictoribus dimiſſis] Lictoribus in vrbe non vtebantur quaeſtores: vt ait Gellius lib. XIII. c. 12. in prouincia eos habere licuit: quod hic locus declarat: cui ſuffragari videntur illa verba ad Cornificium lib. XII. Fam. epiſt. 30. *Illud non nimium probo, quod ſcribis, quo illi animo aequiore ferrent, te tuis etiam legatis lictores ademiſſe.* Nam ſi legatis lictores tribuuntur, cur non quaeſtoribus, honore praeſtantibus? eſt enim legatus infra quaeſtorem: vt ad M. Coelium lib. II. epiſt. 15. et ad Thermum epiſt. 18.

Inſignibus abiectis] Quaeſtoriis ornamentis.

Veſte mutata] Depoſita praetexta.

Et cum meo fratre] Poſtulat ſententia, *mihique et meo fratri:* vel, *tum mihi, tum meo fratri.*

CAPVT XLII.

C. Flaui] Aut hic, *C. Alfi*, aut ſupra c. 17. *C. Flauium*, legendum videtur. quaeſitorem enim eſſe conſtat. de Flauio autem magis credo: vt ſit quaeſitor editus a Laterenſi. nam Alfium, vt opinari licet ex orat. in Vatinium c. 16. praetorem huius anni, veriſimile non videtur a Laterenſi quaeſitorem editum fuiſſe: cum praetorum ſua cuiusque propria, ſorte data, quaeſtio eſſet, vnde abduci nec poſſent, nec in Plancii cauſſa neceſſe eſſet, data accuſatori in crimine ſodalitii, quos ei commodum eſſet, edendi vel iudices, vel quaeſitorem, licet praetor non eſſet.

Magno in metu meo] Cum de Plancii ſalute vehementer timeam.

Subito] Statim poſtquam veſtras vidi lacrumas. Atque hoc dicit, non quia iuſtitiae, cauſſa iam ſatis disputata, et defenſa, diffidat, ſed vt iuſtitiae miſericordiam addat.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM
PRO
P. SEXTIO

ARGVMENTVM

P. *Sextius, cum, Lentulo et Metello coſſ. tribunus plebis eſſet, omnem vim tribunatus ſui ad Ciceronem patriae reſtituendum maximo animo contulit. eius conatibus cum P. Clodius, qui Ciceronem vrbe expulerat, homo ſeditioſus, ac turbulentus, obſiſteret; factum, vt VIII. Kal. Febr. inter eos, qui Ciceroni fauebant, et Clodianos magna pugna, armatis vtrinque hominibus, committeretur. eo nomine, anno poſt, Marcellino, et Philippo coſſ. P. Sextio M. Tullius Albinovanus detulit nomen, eumque lege Lutatia de vi apud M. Aemilium Scaurum praetorem poſtulauit. defenſus Sextius cum ab aliis, tum a duobus praeſtantiſſimis oratoribus, Q. Hortenſio, et M. Tullio Cicerone, atque abſolutus eſt. itaque ipſe Cicero lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 4.* Sextius, *inquit*, noſter abſolutus eſt a. d. III. id. Mart. et, quod vehementer interfuit reipublicae, nullam videri in eiusmodi cauſſa diſſenſionem eſſe, omnibus ſententiis abſolutus eſt. *Exſulauit tamen poſtea hic ipſe Sextius: quo crimine condemnatus, pro certo dici poſſe non arbitror: puto tamen, quod a Pompeio aduerſus Caeſarem ſtetiſſet: id quod conſtare poteſt vel e lib. VII. ad Attic. epiſt. 17. quidquid ſit, certe, niſi poſt interitum Pompeii, non exſulauit. exſtat epiſtola, qua ei Cicero conſolationem adhibet, lib. V. earum, quae familiares nominantur, 17.*

DE GENERE ET STATV ORATIONIS PRO SEXTIO

Cauſſa P. Sextii, quia continet accuſationem et defenſionem, eſt in genere iudiciali: quia vero partem habet honeſtatis, et turpitudinis, in ea generis parte ſita eſt, quam rhetores dubiam et ancipitem nominarunt. turpitudo patebat in eo, quod Sextius armatorum multitudine contra leges in publico vſus erat: honeſtas in eo, quod, multis ante vulneribus acceptis, vitam ſuam, ne vim iterum eandem pateretur, neceſſario praeſidio munierat. pugnat igitur cum turpitudine honeſtas: vtra vincat, apud iudices quaeſtio eſt. Quod ad ſtatum pertinet: cum de nomine controuerſia ſit, quia vim fuiſſe accuſator ait, defenſor negat, ſtatus eſt is, qui definitiuus appellatur. quod ſi quis cauſſam Sextii non ad definitiuum, ſed ad generalem ſtatum reuocet: hic, vt quidem ego ſentio, non omnino nihil viderit. cum enim in ipſam rei naturam diligenter inſpicio; facile fit, vt in hac cauſſa generalem ſtatum eſſe putem: quia, cum de Sextii facto conueniat; quale ſit, quaeritur, iuſtum ſcilicet, an iniuſtum. quam generali ſtatu contineri quaeſtionem nemo neſcit. Et quoniam hic ſtatus duas in partes diſtribuitur, iuridicialem hic agnoſco: quia, cum Sextius aequum et rectum fuiſſe dicat, praeſidium vitae aduerſus vim comparare; aequi et recti natura quaeritur. Rurſus, cum iuridicialis in abſolutam, et aſſumtiuam diuidatur: hic, excluſa abſoluta, locum habet aſſumtiua: quia res ipſa per ſe ſatis eſt infirma, ſed defenſione nititur extrinſecus petita. Aſſumtiuae autem eam partem intelligo, quae dicitur remotio: quia factum reus non negat, ſed crimen a ſe remotum in P. Clodium transfert. Cum vero in purgatione tria conſiderentur, imprudentia, caſus, et neceſſitas: neceſſitatis partem Sextius aſſumit: cum ſe, neceſſitate coactum, armatorum hominum praeſidio vſum eſſe confirmet. quid enim faceret, cum in templo Caſtoris multis vulneribus conciſus, ac paene occiſus, vitam non iure et legibus, ſed vi et armis aduerſus inimicorum audaciam ac furorem tuendam eſſe didiciſſet? Eſt igitur Sextii cauſſae ſtatus generalis, iuridicialis, aſſumtiuus, ex conceſſione, cum purgatione per neceſſitatem. quod ſi ad Hermogenis doctrinam, ſane in hoc genere praeclaram, reſpiciamus: ſtatus erit qualitatis: quia de qualitate rei, vtrum iuſta fuerit, an iniuſta, conſideratur. erit autem in qualitate *ἀντίστασις*: quia Sextius vniuerſum factum in ſe ipſum refert, cum ſe quidem armis vſum eſſe dicat, verum ob eam cauſſam, quae iuſtiſſima eſt, vt ſalutem ſuam vitamque ſeruaret.

DE EXORDIO ORATIONIS

Exordia oratoribus in genere demonſtratiuo libera ſunt, in deliberatiuo et iudiciali non ſunt, ſed cauſſis deſeruiunt, et a cauſſarum vi ac natura ducuntur. et quia cauſſarum plura genera ſunt, inde

de ſit, vt exordiorum plura quoque genera naſcantur. cauſſa Sextii eſt in genere iudiciali, et eſt huius generis in ea parte, quae anceps appellatur. In ancipiti cauſſa, cum honeſtas et turpitudo ſibi inuicem aduerſentur, a beneuolentia ſumitur exordium. cum enim, vt dixi, turpitudo et honeſtas verſentur in cauſſa; eaeque iudicis animum diuerſe trahant: addendae ſunt vires honeſtati, quo plus ad commouendum ac perſuadendum valeat. ſit autem firmior honeſtas cauſſae, ſi cum iudicis beneuolentia coniungitur. nam cum iudicis animus, dubia quadam turpitudinis honeſtatisque ſpecie diſſimiliter affectus, neutram in partem propendeat: facile, ſi quid ad alterutram acceſſerit momenti, commouebitur. cum vero inter eas rationes, quae ad conciliandam beneuolentiam valent, minime omnium ea ſit imbecilla, quae a rei perſona proficiſcitur: nihil enim reo poteſt eſſe optabilius, quam vt iis, a quibus iudicatur, carus ſit: propterea de quattuor locis, vnde comparatur beneuolentia, eo primum vtitur Cicero, qui eſt omnium vtiliſſimus, maximeque neceſſarius. Et quoniam non ſatis eſt, ſi a perſona rei beneuolentiam quaeramus, ſed ab iis ipſis rebus quaerere debemus, quae inter praeclare facta maxime excellunt: hoc ipſum quoque acutiſſimi orator ingenii et vidit facile, et obſeruauit. nam cum recte facta poſſint eſſe quamplurima; cumque inter haec ipſa nihil praeſtantius habeatur, quam de patria bene mereri: optimam ac perfectiſſimam comparandae beneuolentiae rationem iniuit, cum a commemoratione beneficiorum, quae Sextius in rempublicam contulit, orſus eſt. Iam, cum eiusdem generis non omnia beneficia ſint: quod erat omnium maximum, id nominauit. eſt autem omnium maximum ipſa reipublicae ſalus, atque libertas. quam duobus in locis exordii ſui Cicero, primum tecte, deinde aperte, P. Sextii ſummo ſtudio ſummaque virtute conſeruatam ſignificat: tecte, cum ait: *Qui auderent ſe, et ſalutem ſuam in diſcrimen offerre pro ſtatu ciuitatis, et pro communi libertate:* aperte, cum illa pronunciat: *Vno adſpectu intueri poteſtis eos, qui cum ſenatu, cum bonis omnibus rempublicam afflictam excitarint, et latrocinio domeſtico liberarint, maeſtos, ſordidatos, reos.* Et quoniam in defenſionibus id primum eſt, vt reum ſubleuemus; alterum, vt aduerſarios deprimamus; vt alteri beneuolentia, alteris odium concilietur: in hoc exordio et vtrumque, et, quo conueniebat, loco factum eſt. nam cum reo iam conſuluiſſet in eo, *intueri poteſtis eos, qui rempublicam afflictam excitarint, maeſtos, ſordidatos, reos:* proxime intulit, *eos autem, qui omnia diuina, et humana violarint, vexarint, perturbarint, euerterint, non ſolum alacres laetosque volitare, ſed etiam voluntarios fortiſſimis atque optimis ciuibus periculum moliri, de ſe nihil timere.* ita, cum ex vna parte ſummum Sextii beneficium, ex altera grauiſſimas aduerſariorum in rempublicam iniurias conſtituat; eaque non diſperſe, et ex interuallo, ſed proxime, nulla interiectione commemoret; quo res vtraque ex propinqua rei contrariae comparatione maior appareat: conſecutus eſt id, quod ad abſolutionem rei quaſi viam munire iam ſignificauimus, vt et honeſtatem cauſſae

 iudicum

iudicum beneuolentia confirmaret, et turpitudinem, odio in aduerſarios concitato, ita debilitaret, vt cum honeſtate congreſſa facile cederet. Eſt autem et illud non vulgaris artificii; idque ad comparandam beneuolentiam valere antiqui rhetores dixerunt; quod, cum maximum Sextii beneficium oſtendiſſet, maximum eiusdem incommodum proximum demonſtrauit. ad illud enim, *qui rempublicam afflictam excitarint*, quod ampliſſimis praemiis digniſſimum eſſe beneficium videbatur, appoſuit, ad eliciendam miſericordiam, *maeſtos, ſordidatos, reos, de capite, de fama, de ciuitate, de fortunis, de liberis dimicantes.* Eodemque conſilio, cum de aduerſariis dixiſſet, *qui omnia diuina et humana violarint, vexarint, perturbarint, euerterint*, quod erat crimen poena grauiſſima notandum; adiunxit, ad commouendam indignationem, *non ſolum alacres laetosque volitare, ſed etiam voluntarios fortiſſimis atque optimis ciuibus periculum moliri, de ſe nihil timere.* quo facto aduerſariis et odium ex improbitate quaeſiuit, qui omnia diuina, humanaque violarint; et invidiam ex potentia, quia deinde, alacres laetique volitantes, periculum aliis creent, de ſe nihil extimeſcant.

EXPLANATIO

Non eſt mihi conſilium, in hac oratione explicanda facere id, quod a nimium multis hoc tempore factitari video, qui annotandis atque enumerandis figuris, quaſi colligendis in littore lapillis, pueriliter occupati, ſi metaphoras aliquot, metonymiasque annotauerint, magnum ſe, ac memorabile praeſtitiſſe aliquid arbitrantur: interea neque deprauatis locis medicinam adhibent vllam, et, vbi ex intima hiſtoria, antiquitatisue cognitione promendum aliquid eſt, aut tacent, aut ita ſe gerunt, vt, eos in rebus Romanis plane hoſpites eſſe, facile intelligas. ego iſtiusmodi artificium aut omnino praetermittam ſilentio, aut admodum paucis locis ſtrictim et modice attingam, cum aliis de cauſſis, tum quia de hoc toto genere alius mihi locus, aliud ad dicendum tempus conſtitutum eſt; quo ea cum ſtudioſis communicare in animo habeo, quae non de vulgaribus rhetorum hauſta libris, ſed, duobus eloquentiae luminibus, Demoſthene ac Cicerone, diligenter et accurate invicem conferendis, obſeruata a me, atque annotata, non nihil vtilitatis iis, qui de eloquentiae laude cogitant, allatura eſſe confido.

CAPVT I.

Si quis antea] Proprium paene, ac perpetuum hoc Ciceroni eſt, vt, quas cauſſas defendit, earum euentum ad publicam vtilitatem pertinere demonſtret. ſicut hic ſtatim a principio oſtendit; niſi abſoluatur Sextius, fore, vt vix vllus poſtea ciuis reperiatur, qui ſe in diſcrimen offerre pro ſalute publica velit.

Opibus reipublicae] Opes reipublicae dignitatem imperii nominauit; quod, vbi opes, ibi

praemia

praemia ſperamus; vbi dignitas, laude commouemur.

Communi] Publicam cauſſam cum priuata coniunxit; vt hoc dicat: ſi quis de ſtatu ciuitatis non loborat; ſuae tamen libertatis cauſſa, quam in communi eſſe incluſam intelligit, ad ſubeunda pericula, ad repellendos improborum impetus excitetur.

Ex hoc tempore] Multo enim magis, quam antea, dominatur improbitas. quod ex eo patet, quia P. Sextius, T. Annius Milo, P. Lentulus, optime de republica meriti, acerbiſſime vexantur. erant autem rei, de vi vterque, Sextius, et Milo. de Lentulo rogationem promulgauerat C. Cato tribunus plebis, vt Ciliciae, quam regebat, imperium ei abrogaretur. quae colliguntur in orationis epilogo.

Bonum et fortem] *Bonum*, vt ſentiat; *fortem*, vt audeat, quae reipublicae ratio poſtulat. in multis enim recte ſentientibus fortitudo deſideratur.

Sibi potius] Qui bonus ciuis eſſe non poteſt: cum ad rempublicam boni ciues omnia referant.

Vt omittatis] Velim, quae abierunt, omittatis: ſpectate, quae adſunt.

Eos] Quos intelligit, iam nominaui.

Liberarint] Me reſtituto, debilitatis perditorum viribus.

Sordidatos, reos] *Reos*, de Sextio, et Milone dictum. reus enim Lentulus non erat. *ſordidatos*, et ad eosdem, et ad Lentulum praeterea refero. nam, Catonis rogatione de abrogando ei imperio promulgata, veſtitum filius mutauit ad miſericordiam commouendam. lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 3.

De capite] Non de vita, (ciuem enim Romanum nullo crimine, perduellione excepta, interfici licebat) ſed, *de capite*, hoc eſt, de ciuitate. nam de vi damnatos exſilii poena ſequebatur. ideoque *capitalis cauſſa* dicebatur, et *capite diminuti*, qui ciuitatem amittebant. Nec moueor, quod ſubiungit de ciuitate. modo enim a genere ad ſpeciem tranſit, vt hic, *de capite*, *de ciuitate*, cum in poena capitis contineri ciuitatis amiſſionem conſtet; modo a ſpecie ad genus, vt lib. I. de Orat. c. 40. in Mancini cauſſa: *Quam poſſumus reperire ex omnibus rebus ciuilibus cauſſam contentionemque maiorem, quam de ordine, de ciuitate, de libertate, de capite hominis conſularis?* vtrumque autem fieri conſtat exaggerandi gratia.

De liberis] Quibus priuantur in exſilium legibus eiecti.

Volitare] Verbum hoc ſecuritatem quandam, arrogantia, impudentiaque coniunctam, ſignificat. ſic infra c. 4. *Cum illa coniuratio ex latebris atque ex tenebris erupiſſet, palamque armata volitaret.* et in Piſonem c. 4. *Sex. Clodium, qui numquam antea praetextatus fuiſſet, ludos facere, et praetextatum volitare paſſus es.*

Optimos viros optimis ciuibus] *Optimos viros*, religioſiſſimos, et ſanctiſſimos in iudicandis rebus. *optimis ciuibus*, ſtudioſiſſimis reipublicae, praeclareque de ea meritis. non eſt autem eadem virtus optimi viri, et optimi ciuis: quod declarat Ariſtoteles lib. III. politicorum.

Veſtra

Veſtra auctoritate] Delecti enim ex tribus ordinibus iudicabant.

Veſtra religione] Quia iurati ſententias ferebant.

Ego autem] Commemoratio haec fraudatae exſpectationis ſuae efficax in primis eſt ad miſericordiam concitandam.

CAPVT II.

In hac cauſſa, atque hoc extremo dicendi loco] Cum plures eandem cauſſam agerent, extremum ſibi fere concedi ſolitum a ceteris dicendi locum, ipſe in Oratore c. 37. teſtatur his verbis: *Quid ego de miſerationibus loquar? quibus eo ſum vſus pluribus, quod, etiam ſi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant. in quo vt viderer excellere, non ingenio, ſed dolore aſſequebar.*

Confuſa atque vniuerſa] In qua non de vno aut altero crimine agetur, ſed de omni ſtatu P. Sextii, de genere vitae, de natura, etc. quae ipſa tamen ita agemus, vt, quod ad veſtram quaeſtionem pertinet, (quaeritis autem de vi, et vis in hoc iudicio iudicatur) quod item ad ipſum reum, hoc eſt, ad ea, quae reo obiiciuntur, crimina, quod etiam ad rempublicam nihil praetermittamus.

Grauiſſimis temporibus ciuitatis, atque in ruinis euerſae, atque afflictae reipublicae] Non eſt ſuperuacaneum, *reipublicae,* quia dixerit, *ciuitatis:* ſed eſt amplificatio quaedam: quia plus eſt in republica, quam in ciuitate: ſimiliter vt cum dixit, *ruinis:* cum dixiſſet iam, *grauiſſimis temporibus.* plus enim aliquanto ſignificant *ruinae*, quam *grauiſſima tempora.* et eſt hoc Ciceroni, ob eximiam ingenii vbertatem, vſitatum, maximeque frequens in orationibus ornamentum.

Euerſae, atque afflictae reipublicae] Plus eſt *afflictae*, quam *euerſae.* nam *euerſa* non ſtant, erigi tamen videntur poſſe: *afflicta* vero neque ſtant, neque, fractis iam ac debilitatis viribus, erigi amplius poſſunt.

A fortuna ipſa] Amiciſſima reipublicae, quae fecerit, vt, quo anno maxime ciuitas conſilio atque ope ciuium optimorum indigebat, is Sextio petendi tribunatus annus eſſet. quodam igitur modo eius anni laudem et gloriam cum Sextio fortuna communicauit. itaque prius exponam ea, quae ad Sextium tota referuntur, minime a fortuna pendent.

Illa maxima atque ampliſſima] Quae geſſit in tribunatu, pro ſalute Ciceronis, lege Clodia exſulantis, hoc eſt, vt ipſe accipi vult, pro ſalute reipublicae. ſignificat enim, ſua cauſſa rempublicam Sextio debere: quandoquidem eam euerſam atque afflictam tum fuiſſe dixit, cum a Clodio pulſus exſularet. Et apte, *maxima, atque ampliſſima:* vt et maximi momenti, et late diffuſa ſignificet. quomodo et ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 3. *magna, et ampla negotia* nominavit.

Summis in rebus] Quas in quaeſtura, et in tribunatu Sextius geſſit: quae infra enumerabuntur.

Excitatae] Quia dixerat, *fundamentis*, ideo ſubiungit, *excitatae,* quod verbum ad ea, quae aedificantur, ſolet accommodari, vt lib. II. de Leg. c. 27. *Nec e lapide*

pide excitari plus, nec imponi, quam quod capiat laudem mortui, inciſam. et Seneca.

CAPVT III.

Sapiente] Non loquitur de illâ ſumma ſapientia; quam qui habet, nullam virtutem deſiderat: (cur enim adderet, *ſancto?*) ſed communem quandam in rebus gerendis prudentiam intelligit. et, *ſapiente*, dixit, cum ad rerum actionem reſpiceres: *ſancto*, ad ipſius vitam: *ſeuero*, ad domeſticam diſciplinam.

Tribunus plebis primus inter homines nobiliſſimos temporibus optimis factus eſſet] Conſiderandum, cur dixerit, *primus, inter homines nobiliſſimos, temporibus optimis.* non modo enim tribunus plebis Sextii pater factus eſt, ſed primus inter eos, qui ſimul facti ſunt; neque primus modo inter collegas, ſed primus inter eos collegas, qui nobilitate florebant: neque hoc modo, ſed etiam temporibus optimis. nam ſi et tribunus plebis, et primus, et inter homines nobiliſſimos factus eſſet, nec tamen optimis temporibus: non ita laudabile videretur. potuiſſet enim et primus, et inter homines nobiliſſimos tribunatum conſequi non virtute, ſed malis artibus, puta ambitione, pecunia, vi. ergo non ſine cauſſa copioſus Cicero. cuius verba, qui non intelligunt, quo ſpectent, et quam apte in ſententiam conueniant: verboſum, ſi diis placet, appellant. quibus ipſis quia deeſt, quod loquantur, aut ſcribant; aut, ſi quid habent, non ſuppetit, vnde ornent: diuitias orationis, inopiae ſuae conſcii, in aliis ferre non poſſunt.

Reliquis honoribus] Geſto tribunatu, petebant aedilitatem, praeturam, conſulatum, cenſuram. quos honores pater Sextii non petiit: qua cauſſa, ignoratur: ſed oratorie Cicero conuertit in laudem: quod, eos conſequi cum poſſet, moderatione tamen quadam abſtinuerit: qui plus in ipſa re, hoc eſt, in recta viuendi ratione, quam in honorum ſpecie, poneret. hoc ſignificat, cum ait: *Non tam vti voluit, quam dignus videri*

Honeſtiſſimi et ſpectatiſſimi viri] Laudat et familiam, et hominem. *honeſtiſſimi*, honeſtiſſimo loco nati: *ſpectatiſſimi*, ſua virtute inſignis.

C. Albini] Hic, vt opinor, honores non habuit, ſed ſenator fuit: vt in quadam epiſtola legimus, quae eſt lib. XIII. Fam. 8.

Hic eſt puer] L. Sextius: vt ex ea, cuius proxime facta mentio eſt, epiſtola cognoſcitur. quamquam Publium infra c. 4. nominat, cum ait, *recita, quaeſo, P. Sexti.* aut igitur in ea epiſtola *Publius*, non *Lucius* legendum: aut hic *Lucius*, non *Publius*. *Hic:* qui adeſt in iudicio. paruulos enim filios ad eliciendam miſericordiam in iudicium adducere moris erat. et *puer* vocatus, licet eſſet praetextatus, vt in extrema oratione; praetextati autem annum aetatis XVI egreſſi erant.

Antiquitatis] Magis laudat, quam ſi tantum, *grauiſſimis viris*, dixiſſet. eſt enim ad antiquitatem comparatio: quam praeſtare noſtris temporibus ſemper exiſtimamus: itaque dicimus, *homo antiqua virtute, antiqui officii:* et illud, *nihil mihi eſt antiquius*, pro, praeſtantius. Ser-

vius in illud lib. I. Aen. v. 375. *Nos Troia antiqua*, accipit hic, *antiquitatis*, pro, nobilitatis.

Et carus, et iucundus] *Carus* quia filius, et gener: *iucundus*, quia bene moratus, et bono ingenio praeditus.

Non ademit] Suauitate quadam aures afficit verbi geminatio, praepoſita ſecundo loco negatione: vt hic, *ademit Albino ſoceri nomen mors filiae, ſed caritatem illius neceſſitudinis, et beneuolentiam non ademit*, et ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 1. *Ceteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſe numquam ſatisfacio.*

Optimi, et calamitoſiſſimi] Cur bonitatem cum miſeria coniunxit? vt indignum ea calamitate Scipionem oſtenderet.

Scipionis] Aſiatici: qui cum C. Norbano conſul fuit, Marianasque partes adiuuit: ſed eius exercitu ad Sullam ſigna transferente, cum interimi poſſet, dimiſſus eſt. Gener fuit L. Craſſi oratoris: vt lib. III. de Orat. in prooemio c. 2. epitome Liuiana lib. LXXXV. Phil. XII. c. 11. et XIII. c. 1. lib. IX. ad Attic. epiſt. 15. Oroſius lib. V. c. 21.

Maſſiliam] Sic et Milo, qui P. Clodium interfecit, Maſſiliam in exſilium abiit.

Fluctibus] Bellis ciuilibus. et proprie *fluctibus*, quia, ſicut fluctibus iactatur nauis, ſic bellis ciuilibus agitatur, et quaſi fluctuat respublica.

In alienis terris iacentem] Reſpondet ad hoc id, quod ſequitur: vt ita opponas, *in alienis terris, maiorum ſuorum veſtigiis; iacentem, ſtare.*

Domeſticis (Ern. *maximis*) *officiis*] Quae contulit in ſuos: quae praetermitto, non quia minima, ſed quod illa, quae contulit in rempublicam, multo pluris aeſtimanda.

Tribunatu militari] *Tribunorum militarium*, inquit Pedianus act. I. in Verr. c. 10. *duo genera: primum eorum, qui Rufuli dicuntur: hi in exercitu creari ſolent. alii ſunt Comitiati; qui Romae comitiis deſignantur.*

Magiſtratu] Καταχρηστικῶς magiſtratum appellat: tribunatus enim militum honor quidem eſt, magiſtratus autem non eſt: vt in libro de magiſtratibus docebimus.

Abſtinentia] Cum ceteri militum praefecti prouincias rapinis exhaurire conſueſſent: vnde Scaptius ille lib. VI. ad Attic. epiſt. 1.

Quaeſtor] Geſto tribunatu militum, quaeſturam petebant: isque primus in vrbe gradus honoris erat. haec agemus in libro de magiſtratibus.

Collegae mei] In conſulatu: quo geſto, in Macedoniam iuit proconſul.

Sorte] Quaeſtores deſignati, cui quisque muneri in magiſtratu praeeſſet, ſortiebantur. alii cum conſulibus in vrbe remanebant: alii aerarium curabant: alii in prouincias exibant.

Societate conſiliorum] Quia cum Cicerone conſule de republica, quae ad patefaciendam et opprimendam Catilinae coniurationem pertinebant, communicauit, et ad eum C. Antonii, cuius erat quaeſtor, conſilia detulit. ad quem lib. VII. Fam. epiſt. 27. ita ſcripſit: *Si falſa fuerunt, quae tu ad me, vt ais, detuliſti: quid tibi ego debeo? ſin vera: tu es optimus teſtis, quid mihi populus Romanus debeat.*

Non-

Nonnullius officii religione] Quia, cum ſit quaeſtoris et conſulis maxima neceſſitudo, videtur ab officio Sextius diſceſſiſſe, qui conſilia ſui conſulis alteri conſuli prodiderit. vel expone ſic: non explicabo, quaecumque ad me Sextius detulit: quia contra officium videar feciſſe, ſi, quae Sextius ad me ſecreto detulit, vt potius reipublicae ſaluti, quam conſulis ſui voluntati ſatisfaceret, ea nunc omnia commemorem.

De Antonio nihil dico] Occurrit ſuſpicioni. nam quod intelligit, ex eo, quod dictum eſt, poſſe aliquem colligere, et exiſtimare, participem Catilinae coniurationis Antonium fuiſſe: ingenioſe facit, vt hanc ſuſpicionem neque confirmet, ne hominem eum, quem in conſulatu collegam habuerat, in exſilio ſatis miſere viuentem, ſuo teſtimonio condemnet; neque tollat, ne, quae a Sextio de illius conſiliis ad ſe delata ſignificat, ficta et inania videantur. propterea, ne obiiciat aliquis, ergo tu cum Catilina conſenſiſſe Antonium confirmas: ego, inquit, nihil dico, neque participem illius coniurationis fuiſſe, neque non fuiſſe: hoc vnum dico; ſi negare voluiſſet, ſe Catilinae partibus haerere; aut ſaltem diſſimulare; futurum fuiſſe, vt ille metum ciuitatis, et eam, quae de ipſo erat, ſuſpicionem aut omnino tolleret, aut certe ſedaret. neutrum tamen fecit. Et eſt animaduertendum, quod, cum hic quaſi lubrico in loco Cicero verſetur, quia, ſi Sextii quaeſturam laudat, Antonium vituperat; ſi Antonium excuſat, Sextii cauſſam non ſubleuat; lubrico, vt dixi, in loco conſtitutus, ad Sextium, cuius periculum agebatur, potius, quam ad Antonium, inclinat: et cum ait, numquam illum neque negare, neque diſſimulare voluiſſe, non alienum a Catilinae conſiliis fuiſſe tacite ſignificat: aperte non exponit, ne miſerum hominem ſuo teſtimonio premat. In Piſonem tamen c. 2. apertius: *Ego Antonium collegam, cupidum provinciae, multa in republica molientem, patientia, atque obſequio meo mitigaui.*

Infitiando] Nam ſi infitiatus eſſet ſe cum Catilina conſentire, propriam nonnullorum de ipſo ſuſpicionem ſuſtuliſſet. numquam autem eſt infitiatus: numquam igitur eam opinionem ſuſtulit. tale illud in ea poſt reditum in ſenatu c. 13. *Numquam infitiando, ſuſpicionem hominum curamque minuerunt.* Quibus in locis non dubito, quin ad illum reſpexerit Cicero Attii in Atreo verſum, quem recitat in orat. in Piſonem c. 33.

Numquam iſtam imminuam curam infitiando tibi.

Suſtinendo] Retinendo; ne longius progrederetur; ne coniuratorum in ſocietatem ſeſe totum daret. eſt enim hic, *ſuſtinere*, pro retinere, vt ad Varronem lib. IX. Fam. epiſt. 8. *Exſpectabam omnino iam diu, meque ſuſtinebam, ne ad te prius ipſe quid ſcriberem, quam aliquid accepiſſem.* et in libro de Amicitia c. 17. *Eſt prudentis, ſuſtinere, vt curſum, ſic impetum beneuolentiae.* et lib. XIII. ad Attic. epiſt. 21. *ſuſtinere equos, ſuſtinere currum.*

Moderando] Vt, ſi minus eum ad tuendam reipublicae cauſſam poſſem traducere, a ſtudio

dio tamen coniurationis abducerem. hoc eſt enim, *moderando.* quo verbo vitii correctio ſignificatur; vt modus imponatur in ea re, quae immoderate facta turpitudinem habet. moderatus autem Cicero, quia Macedoniam illi decernendam curauit: vt, cum aeris alieni cauſſa ſenſiſſe cum Catilina putaretur, rurſus lucri ſpe ad reipublicae ſtudium ſeſe conuerteret. quod et Plutarchus in Ciceronis vita notauit.

Par prope laus] Callide, *prope*, addidit: ne Sextium ſibi in laude conferat; quod ille quidem quaeſtor multum rempublicam iuuerit, non tamen, quantum ipſe conſul.

CAPVT IV.

Aulianum (Ern. *Aulanum*)] Auliae gentis mentio apud Liuium lib. IX. c. 15. 16. 22. 23. et in Faſtis DXXXIV.

Antonii] C. Antonii conſulis, labe coniurationis infecti.

Agri Gallici] Galliae cisalpinae, quae ad Rubiconem amnem terminabatur.

C. Marcellum] Non eum, qui fuit M. Marcelli, viri clariſſimi, frater, et conſulatum eſt adeptus, de quo in oratione pro Marcello c. 4. et 11. et lib. IV. Fam. epiſt. 4. ſed eum, de quo mentio fit in orat. I. in Catilinam c. 8.

Quaſi armorum ſtudio] Quaſi et ipſe vna cum iis in ludo gladiatorio exerceri vellet. nam ſerui gladiatores, rudes in armis, exercebantur a laniſtis in ludo, hoc eſt, in loco, vbi non caedis, ſed artis cauſſa arma tractabantur. cum igitur Capuae maxima familia, hoc eſt, maximus ſeruorum numerus, (*familiam* enim pro ſeruis non ſemel vſurpat Cicero) in arte armorum ludicra verſaretur: C. Marcellus, qui eos ad coniuratorum partes cuperet adiungere, admiſcuit ſe ad eos, ſimulato armorum ſtudio.

Conuentus] In praefecturis id erat *conuentus*, quod in coloniis, et municipiis decuriones, id eſt, ſenatus quidam. Capua foederata ciuitas fuit ante ſecundum Punicum bellum. quo bello, cum Hannibalis partes ſecuta eſſet, capta a Romanis in praefecturae formam redacta eſt. poſt annos denique CLII. vt ait Velleius lib. II. c. 44. C. Caeſar conſul coloniam fecit.

Patronum] In ditione Romana patronos ſibi ciues ſubiectae vrbes deligebant, quem quaeque maxime probabat. ſic Allobroges Fabiorum, Syracuſani Marcellorum patrocinio vtebantur. de Capua vero a ſe conſule ſeruata etiam in oratione meminit in Piſonem c. 11.

P. Sextio] Non ſatis conſtat, abundet, nec ne; cum dixerit *huic*.

Nomine commutato] Quia Cicerone conſule conuentus Capuae dicebatur: tunc enim erat praefectura, quod legimus in Velleio: cum autem haec oratio eſt habita, coloni, decurionesque dicebantur, poſt coloniam C. Caeſare conſule, lata ab ipſo lege, miſſam. Velleius, Dio, Appianus, Plutarchus, ipſe Cicero.

Decuriones] Erant *decuriones* in colonia, quod ſenatus Romae; *duumuiri* autem id, quod conſules. hos et in municipiis fuiſſe conſtat ex orat. pro Cluentio c. 14. et lib. VI. Fam. epiſt. 18.

Fortiſſimi

Fortiſſimi atque optimi] Propria, et abſoluta colonorum laus. nam et fortes eſſe debent, vt eum, quo miſſi ſunt, locum tueri poſſint; et boni, vt velint.

P. Sexti] Patet, non eſſe reum, ſed puerum, rei filium: cuius tamen in voce virile quiddam fuiſſe dicit. quia ſcilicet annum aetatis XVI. egreſſus iam erat. praetextatus enim vocatur in extrema oratione.

Effecturae] Cum inimicos noſtros accuſabis.

Officio aliquo] Officium refert ad illa tria, *vicinitatis, clientelae, officii publici.* eſt autem inter vicinos, clientes, et hoſpites, ipſo vicinitatis, clientelae, hoſpitii iure, in conferendis officiis mutua voluntas.

Vicinitatis] Oppidorum: vt, ſi Arpinates, exempli cauſſa, aliquem Tuſculanum, in vitae aut fortunarum diſcrimen adductum, decreto commendarent, vicinitate adducti.

Clientelae] Vt, ſi Siculi aliquem e Claudia Marcellorum familia, in periculo conſtitutum, miſſis Romam publicis litteris ſubleuandum curarent.

Hoſpitii publici] Erant enim ciues Romani non modo priuatorum hominum, ſed oppidorum etiam, ac ciuitatum hoſpites. non aliqua, inquit, huiusmodi de cauſſa petitum a nobis hoc decretum, impetratumque eſt. id enim valet, *expreſſum:* quaſi ſtudioſe petentibus conceſſum: cum hoc ſponte cupideque ab ipſis Campanis factum ſit, ad grati animi memoriam ſignificandam.

Ambitionis] Vt, cum aliquem candidatum officioſe commendamus.

Commendationis] Quo gratior aliquis ſit, bonamque opinionem noſtro teſtimonio conſequatur.

Perfuncti periculi] Paſſiue dixit: quo ſcilicet Capua Sextii virtute ac vigilantia liberata eſt.

Vicem] Parem gratiam: quia praeſenti officio acceptum a Sextio beneficium remuneratur.

Domeſticis hoſtibus] Quinque coniuratis, de quibus Salluſtius, Dio, ipſe Cicero in Catilinam, Lentulo, Cethego, Gabinio, Cepario, Statilio.

Illius temporis atrocitatem] Quaenam atrocitas, cum iam domeſtici hoſtes deprehenſi oppreſſique eſſent? ipſe ſe paullo poſt exponit, cum ait, *tribunorum plebis nouorum, reliquique coniurationis impetus et conatus ſunt retardati.*

CAPVT V.

Tribunorum plebis nouorum] Maxime Q. Metellum Nepotem ſignificat: qui Ciceronem extremo conſulatus die concionis habendae poteſtate priuauit. in quo Plutarchi ἀνιςορησίαν licet cognoſcere; qui Ciceronem concionandi poteſtate a duobus tribunis plebis, Q. Metello Nepote, L. Calpurnio Beſtia, priuatum eſſe dicat: cum ea ſe ignominia ab vno tribuno plebis eſſe affectum, ipſe Cicero in oratione in Piſonem c. 3. et lib. V. Fam. epiſt. 2. confirmet, vt omittam id, quod a Salluſtio in Cat. c. 43. docemur, Beſtiam Cicerone conſule tribunum plebis fuiſſe. vt extremis conſulatus diebus Ciceronem concione prohibere non potuerit: cum V. idus Decembris, quod ex Dionyſio et Liuio conſtat, vltimus

timus tribunorum plebis in magiſtratu dies fuerit. Metellum autem anno, qui Ciceronis conſulatum ſecutus eſt, tribunatum plebis geſſiſſe, nemo neſcit.

Reliqui coniurationis impetus] Cum adhuc in vrbe coniurationis occultae reliquiae ſupereſſent.

Catone] Qui Vticenſis poſtea cognominatus. hic, cum audiſſet, Q. Metellum Nepotem tribunatum eſſe petiturum, quem de republica non optime cogitare compertum habebat, ex itinere in Vrbem rediit, vt tribunatum peteret, indeque pernicioſis Metelli collegae rogationibus aut conatibus obſiſteret. Plutarchus, alii.

Nimium communem Martem] Latenter ſignificat Antonium conſulem non alienum a coniuratis fuiſſe, qui a pugna prorſus abhorreret.

M. Petreii] Hic Antonii conſulis legatus, ipſo Antonio conſule abſente, quod ex podagra laboraret, Catilinam cum ſua manu vicit, ac trucidauit. idem poſtea Magni Pompeii legatus in Hiſpaniis fuit, cum duobus collegis, Varrone et Afranio. ad extremum in Africa cum Iuba rege pugnans, cum quo de mutua caede conſenſerat, ne in C. Caeſaris poteſtatem veniret, occiſus eſt.

Excellens animo, et amore reipublicae] Cum ad naturalem animi magnitudinem eximia quaedam vis amoris in rempublicam accederet.

Eſſet hiemi locus] Hieme non eſſet bello finis impoſitus.

Stabula] Vnde ſe, ſuasque copias alere poſſet.

Quaeſturam Macedoniae] Quaeſtor fuit Antonii conſulis, eiusdemque Macedoniam proconſulari imperio regentis. quam prouinciam cum haud ſatis abſtinenter adminiſtraſſet, accuſatus, et condemnatus eſt. lib. I. ad Attic. epiſt. 12. pro M. Coelio c. 31. in Vatinium c. 11. Florus epitome Liuii lib. CIII.

Nuper] Cum abeſſem, lege Clodia pulſus.

CAPVT VI.

Auctoritatem] Quia, cum res a Sextio in tribunatu geſtas commemoraret, videbatur reliquis ciuibus praeſcribere, quid pro ſalute patriae bonorumque ciuium in magiſtratu eſſet agendum. *auctoritatem* autem dixit, vel quia Sextii, qui praeclare tribunatum geſſiſſet, vel quia ipſius, qui narraret, Hortenſii auctoritas ad excitandos ciuium animos valere plurimum deberet.

Diſciplinam] Quid ciues P. Sextii exemplo diſcerent, et in quo ſe exercerent.

Niſi meum nomen] Quia nihil egit in tribunatu Sextius, niſi de Cicerone reuocando.

Vt eos] Satis patet, Clodium, Piſonem, Gabinium praecipue ſignificari.

Sceleris furore violatus] His tribus verbis reſpondent illa, *vocis libertate perſtringerem.*

Potius tempori] Quod poſtulare videtur, vt ea tantummodo, quae cum Sextii cauſſa coniuncta ſunt, exponat.

Se offerunt inſolenter, et inſectantur] Duo ſignificat hominum genera, de quibus proxime dixit; vnum eorum, quos latere vellet;

let; alterum, quos tacere, et quieſcere: qui ſi, inquit, non latebunt, ſed ſe offerent inſolenter; non tacebunt, et quieſcent, ſed inſectabuntur; eos, quoad licebit, perſeremus.

Superioris anni] Quo Cicero lege Clodia pulſus eſt.

Reipublicae naufragium] Recte: nam contra leges tribunus plebis factus eſt P. Clodius, et contra leges Cicero eiectus eſt. leges autem cum negliguntur, quaſi naufragium respublica facit.

In quo colligendo, ac reficienda ſalute communi] Pergit in metaphora. nam poſt naufragium primum diſperſae res colliguntur: deinde reficitur nauis: niſi ſi vi tempeſtatis fracta penitus, demerſaque eſt.

Dicta, facta, conſilia verſata] Haec addidit, ne extra cauſſam futura narratio videatur.

CAPVT VII.

Ille annus] Is, quo C. Caeſar conſul P. Clodium Pulchrum ad plebem traduxit, iratus Ciceroni, quia ſtatum reipublicae quodam in iudicio paullo liberius deplorauerat. Suetonius in Caeſare c. 20. idemque ipſe Cicero ſignificat in oratione pro domo ſua c. 16.

Intentus arcus] Quod, quemadmodum arcus intentus ſagittam emiſſurus videtur, ſic ille annus aliquam iniuriam in me coniecturus putaretur. cum igitur ad plebem a Caeſare conſule traductus eſt Clodius, tum in Ciceronem tamquam arcus intentus: iniuria vero, tamquam ſagitta ex arcu, coniecta eſt anno inſequenti, Clodio tribuno plebis facto, Piſone et Gabinio conſulibus.

Mihi irati] Quod in ipſum, de inceſtu accuſatum, teſtimonium dixerat. lib. I. ad Attic. epiſt. 16. Plutarchus, alii.

Multis repugnantibus] Pompeii gratiam aucupatur. cupit enim ei perſuaſum eſſe, nullam apud ſe acceptae iniuriae memoriam ſupereſſe, cum ſibi contra Clodium auxilio non fuit.

Cautione, foedere, execratione] De hoc lib. II. ad Attic. epiſt. 20. ſic: *Pompeius affirmat, non eſſe periculum: adiurat. addit etiam, ſe prius occiſum iri ab eo, quam me violatum iri.*

Ex omnium ſcelerum colluuione natus] Non diſſimile illud de eodem, in Piſonem c. 9. *Animal ex nefariis ſtupris, ex ciuili cruore, ex omnium ſcelerum importunitate, et flagitiorum impunitate concretum.* non enim Clodium dicit ſceleratis parentibus eſſe natum, ſed, multis ſceleribus iam commiſſis, talem poſtremo fuiſſe, qualem exſiſtere, et tamquam gigni neceſſe eſſet. ſimile et illud in Phil. III. c. 11. *Quid eſt in Antonio praeter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? ex his totus conglutinatus eſt.*

Ipſum cautorem alieni periculi] Pompeium, qui mihi a Clodio cauere voluerat: cum non intelligeret, ne ſibi quidem ipſi ab homine omnium perditiſſimo caveri poſſe.

Propriis periculis] De quibus in oratione pro Milone c. 7. et in Pediani commentario.

Vinctam auſpiciis] Quia, ſi patricii fierent plebeii, contra auſpicia videbatur. quae cum patriciorum tantum eſſent, vt et Livius,

vius, et ipſe Cicero non ſemel ſignificat; nimirum, ſi ad plebem homines patricii traducerentur, interitura auſpicia videbantur, cum, a quibus haberentur, patricii deeſſent.

Alligatam more maiorum] Non vetabat lex vlla e patriciis plebeios fieri: ſed apud maiores omnino pauci facti erant. itaque Clodio ad plebem transire cupienti mos maiorum obſiſtere videbatur.

Legum ſacratarum catenis] *Leges ſacratae* dictae, quae in Sacro monte, plebis cauſſa, latae ſunt. in iis hoc maxime ſancitum eſt, ne tribunatus plebis homini patricio mandari poſſet. quam ob cauſſam ſoluiſſe videtur eas leges Caeſar conſul, cum Clodium ad plebem traduxit, vt deinde, quod factum eſt, tribunus plebis crearetur.

Subito] Cur ſubito? quia, vt ait Suetonius in Caeſare c. 20. et ipſe pro domo ſua c. 16. quo die Cicero in iudicio C. Antonii de ſtatu reipublicae queſtus eſt, eo Caeſar conſul, cum antea nihil eiusmodi cogitaſſet, Clodium ad plebem traduxit.

Legum vinculis (*vinculis* abeſt ab Ern.)] *Catenis*, proxime dixit.

Exoratus] Caeſaris culpam artificioſe in alios transfert.

Mihi iratus] Haec vere Caeſarem induxit cauſſa, vt Clodium plebeium faceret. non enim aliorum precibus exoratus, ſed ira incitatus, quia Cicero C. Antonium in iudicio defendens, paullo liberius de ſtatu reipublicae queſtus erat, Clodium traduxit ad plebem. quod vt ita eſſe demonſtremus, recitentur ipſius verba in oratione pro domo ſua c. 16. *Hora*, inquit, *fortaſſe ſexta diei queſtus ſum in iudicio, cum C. Antonium, collegam meum, defenderem, quaedam de republica, quae mihi viſa ſunt ad illius miſeri cauſſam pertinere. Haec homines improbi ad quosdam viros fortes longe aliter, atque a me dicta erant, detulerunt.* et infra c. 18. cum ait: *Ipſe autem Caeſar, quem maxime homines ignari veritatis mihi eſſe iratum putabant, erat ad portas.* in oratione autem de prouinciis conſularibus non negat Caeſarem ſibi fuiſſe iratum, ſed irae cauſſam diſſimulat, et pro vera falſam ponit. *Traduxit*, inquit ibi c. 17. *ad plebem inimicum meum: ſiue iratus mihi, quod me ſecum ne beneficiis quidem videbat poſſe coniungi: ſiue exoratus.*

Ignarus] Quod erat improbitatis crimen, imprudentiae vitium facit, oratorie. nam vt augere culpam in inimicis, ſic in iis, quos defendere, ſibique conciliare ſtudent, imminuere oratores ſolent.

Scelerum ac malorum] Quae tribunus plebis Clodius patrauit. nam vt omittam de Cicerone pulſo, Catone in Cyprum amandato, pernicioſiſſimae reipublicae leges ab illo tribuno plebis latae ſunt. de quibus in hac ipſa oratione mentio fit infra c. 25. 26. et in oratione de prouinciis conſularibus c. 19. et in ea in Piſonem c. 4. inque Pediani commentario.

Qui tribunus plebis] Hoc ad illud, *hanc tetram immanemque belluam*, referri poſſe video. tamen quia non ſatis cohaeret cum ſuperioribus, planeque disiunctum videtur, vereor vt emendatus ſit locus: non quod ex his verbis mendum vllum eſſe ſuſpicer:

cer: ſed quod aliquid fortaſſe deſit.

Felix in euertenda republica] Felicem vocat, non ad veritatem, ſed ad Clodii mentem ac voluntatem ſpectans. tantum enim abeſt, felix vt eſſe poſſit, vt miſerrimus omnium ſit, qui peſſime de patria meretur. *felix* igitur, quia conſecutus eſt id, quod volebat Clodius, vt rempublicam perderet.

Nullis ſuis neruis] Non ad vim corporis, ſed ad auctoritatem opesque refert. quod indicat ſubſcripta dictio, *infamis*. nam ſi infamis Clodius; qui potuit auctoritate tantum valere, vt rempublicam euerterit? euertit igitur, non ſuis neruis, ſed auxilio conſulum, Gabinii et Piſonis.

Fraternis flagitiis] Quae flagitia commiſit in fratrem? multa ſcilicet, quae litteris tradita non ſunt, ſed illud maxime, de quo in oratione pro Milone c. 27. ita ſcriptum eſt: *Appium fratrem, hominem mihi coniunctum fideliſſima gratia, abſentem de poſſeſſione fundi deiecit.*

Sororiis ſtupris] Tres Clodii ſorores nupſerunt, vna Q. Marcio Regi, altera Q. Metello Celeri, tertia L. Lucullo. de duabus, Metelli et Luculli vxoribus, a Clodio fratre ſtupratis, praecipua ſignificatio eſt in oratione pro Coelio c. 13. et 32. in ea pro Milone c. 27. in Plutarcho. de ea, quam Q. Marcius habuit in matrimonio, nihil proprie legi: ſed communiter de omnium inceſtu patet in lib. I. Fam. epiſt. 9. et apud Plutarchum in vita Ciceronis. duas tamen, non tres, nominat Varro lib. III. de re ruſt. c. 16.

Omni inaudita libidine] Non hoc ad ſorores, de quibus iam locutus eſt, ſed ad ſacra Bonae deae, quae Clodius inceſtu aut violauit, aut violare conatus eſt. patet hiſtoria in epiſtolis ad Atticum lib. I. 12, ſeqq. in Suetonio in Iulii vita c. 6. in Dione lib. XXXVII. Plutarcho in Cicerone, et in Caeſare, epitome Liviana CIII.

Caecus atque amens] Caecus mente, qui, quid rectum, quid fas piumque eſſet, non diſpiceret.

Nanciſceretur] Fuit enim fortunae cuiusdam, vt eodem anno duo perditiſſimi conſules eſſent, quorum vterque cum tribuno plebis Clodio conſenſit. itaque in oratione poſt reditum in ſenatu c. 4. *audieram*, inquit, *ex ſapientiſſimo homine, atque optimo ciue, et viro, Q. Catulo, non ſaepe vnum conſulem improbum, duos vero numquam, poſt Romam conditam, excepto illo Cinnano tempore, fuiſſe. quare meam cauſſam ſemper fore firmiſſimam dicere ſolebat, dum vel vnus in republica conſul eſſet. Quod vere dixerat, ſi illud de duobus conſulibus, quod ante in republica non fuerat, perenne ac proprium manere potuiſſet.*

Proditores veſtrae dignitatis] Ad iudices, vt ad bonos viros, beneque in patriam animatos, loquitur; quorum in tuenda republica omnis dignitas eſſet poſita.

Ad delendum ſenatum] Acerbo vtitur verbo, vt ſenatum a conſulibus prorſus contemtum ac repudiatum ſignificet. ſic infra c. 19. *Senatum de ciuitate tollere:* pro, ſenatum ſpernere, eiusque voluntatem minime ſpectare. cum enim Ciceronem ſenatus deſenſum

ſenſum vellet; conſules oppugnarunt. idem lege in Ciceronem promulgata, cum veſtitum mutaſſet; conſules, vt ad ſuum veſtitum rediret, edixerunt.

Affligendum equeſtrem ordinem] Spectat ad illud, quod L. Lamiam, principem equeſtris ordinis, pro ſalute Ciceronis acerrime pugnantem, Gabinius conſul in concione relegauit, edixitque, vt ab vrbe abeſſet millia paſſuum ducenta. de quo in oratione poſt reditum in ſenatu c. 5. et lib. XI. Fam. epiſt. 16.

Ceterisque inſignibus] Toga praetexta, curuli ſella: quae, praeter faſces, inſignia conſulum erant. pro Cluentio c. 56. et in Piſonem c. 10. quae conſulatum in vrbe ſummum honorem eſſe, ſummamque poteſtatem ſignificant.

Si nondum ſcelera] Alius enim mihi locus ad ea vobis in memoriam reuocanda conſtitutus eſt.

CAPVT VIII.

Vnguentis affluens] Gabinium ſignificat, qui ob mollitiem odoratis liquoribus perfundebatur. de quo et in oratione poſt reditum in ſenatu c. 5. *Ille*, inquit, *vnguentis oblitus irriſit ſqualorem veſtrum.* et in oratione in Piſonem c. 11. *Erant illi comti capilli, et madentes cincinnorum fimbriae.*

Calamiſtrata coma] De eodem in oratione poſt reditum in ſenatu c. 6. *Cur in luſtris, et heluationibus huius calamiſtrati ſaltatoris tam eximia virtus tam diu ceſſauit?* et c. 7. *Vnguentorum odor, vini anhelitus, frons calamiſtri notata veſtigiis.* eſt autem *calamiſtrum* tenue ferrum, quo in cinere calefacto criſpantur capilli, vnde fiunt illi tamquam annuli, qui cincinni vocantur. intorquebat igitur ſibi capillos calamiſtro Gabinius conſul, mollior, atque effeminatior, quam et aetas illius, et eius, quam ſustinebat, perſonae dignitas ferebat. de quo in eadem oratione c. 5. *Quo vultu cincinnatus ganeo non ſolum ciuium lacrumas, verum etiam patriae preces repudiauit?* De coma illud ſuſpicor, breuiorem, quam ceterorum, fuiſſe, vt ſaltare Gabinius elegantius, et commodius poſſet. ideo *ſaltatricem tonſam* vocat eum Cicero in Piſonem c. 8.

Stuprorum] Gabinium in pueritia male audiſſe praepoſterae libidinis vitio, eaque paſſum eſſe, quae honeſte nominari non poſſunt, etiam aliis in locis Cicero ſignificat, vt in oratione poſt reditum in ſenatu c. 4. ſic: *Quorum alter a me Catilinam, amatorem ſuum, multis audientibus, alter Cethegum, conſobrinum ſuum, repoſcebat.* Et ibidem paullo poſt c. 5. *In concionem aſcendit, eaque dixit, quae, ſi eius vir Catilina reuixiſſet, dicere non eſſet auſus.*

Putcali] *Puteal* baſilica fuit, a Scribonio Libone facta: vbi cauſſae fenebres agebantur. ſignificat igitur, cum ait, *puteali*, eorum iudiciorum miniſtros, vt ſcribas, viatores, tabulas: deinde litigatores ipſos addit; cum ait, *feneratorum gregibus.* erat igitur in conſulatu inflatus, maximeque ſibi placens eorum comitatu Gabinius, a quibus antea magnopere timuerat, cum feneratoribus immenſam pecuniam deberet. concidiſſet enim graui aere alieno oppreſſus, niſi tribunus plebis

factus

factus eſſet. in quem magiſtratum, tamquam in portum, perfugit: tum ne a creditoribus appellari poſſet: (nam magiſtratum gerenti moleſtus eſſe priuatae rei cauſſa nemo poterat) tum vt legem aliquam in eo magiſtratu pretio ferret. quod eum feciſſe, ſignificatur in oratione poſt reditum in ſenatu c. 5. apte igitur, et congruenter ad ſententiam traducit ſimilitudinem maris: quod aes alienum Gabinio fuerit tamquam mare illud nauigantibus infeſtiſſimum, Scyllae et Charybdis: quo certe obrutus eſſet, niſi in tribunatus quaſi portum perfugiſſet. crederem autem, illud, *atque perculſus*, mendoſum eſſe. neque enim tota horum verborum ſtructura ſatis apte cohaeret. ſententia quidem obſcura non eſt. quam rem et in oratione poſt reditum in ſenatu c. 5. ſatis plane his verbis expoſuit: *Qui niſi in aram tribunatus confugiſſet; neque vim praetoris, nec multitudinem creditorum, nec bonorum proſcriptionem effugere potuiſſet. Quo in magiſtratu niſi rogationem de piratico bello tuliſſet: profecto egeſtate et improbitate coactus piraticam ipſe feciſſet.* Et quoniam, Sicilienſis freti mentione facta, de columna ſubiunxit: Rhegiam columnam potuit intelligere; quam Plinius lib. III. c. 5. ait in Sicilienſi freto fuiſſe, et quaſi iocum in verbo quaerens, potuit ſignificare, vt cum de Maenia loqueretur, ſimul tamen ad Rhegiam, ſimilitudinis cauſſa, reſpiceret: quae naufragis idem erat, quod Maenia debitoribus: cum ad illam e naufragio proiecti ſic adhaereſcerent, vt ad Maeniam ii, quibus non eſſet, vnde creditoribus ſatisfacerent. Rhegia vero columna dicebatur, quod ab vrbe Rhegio non longe diſtaret.

Contemnebat equites Romanos] Vtpote qui L. Lamiam, vt iam diximus, edicto relegauit.

Ereptum] Metu accuſatoribus iniecto, aut fortaſſe disturbato iudicio.

De ambitu] Ob conſulatum non more maiorum, ſed pecunia quaeſitum.

Inuito ſenatu] Sperabat enim, etiam ſi prouinciam ei ſenatus denegaret, fore tamen, vt rogatio a tribuno plebis Clodio, adiuuantibus corruptis hominibus, perferretur. idque ſibi maxime neceſſarium videbat eſſe: qui ſine ingentibus rapinis contractum aes alienum diſſoluere non poſſet. de hoc in oratione in Piſonem c. 6. ſic: *Egere, foris eſſe Gabinium: ſine prouincia ſtare non poſſe: ſpem habere a tribuno plebis, ſi tua conſilia cum illo coniunxiſſes; a ſenatu quidem deſperaſſe.* Et argute, oratorio more, inducit Gabinium Cicero ea dicentem, quae quo tempore habita eſt haec oratio, facta iam erant. nam Gabinius, neglecta ſenatus auctoritate, lege Clodia in Syriam prouinciam ierat.

Se incolumem nullo modo fore] Ad rem familiarem, et ad dignitatem refero. nam de vtraque actum iri videbat, niſi ad diripiendas pecunias prouinciam ſtatim poſt conſulatum habuiſſet. hoc eſt, quod dixit in ea in Piſonem, *ſine prouincia ſtare non poſſe.*

Quam taeter] Gabinius et nitenti vultu, ceruſſatisque buccis, vt eſt in oratione in Piſonem c. 11. et coma in cincinnos intorta, ſignificare nequitiem et leuitatem

tatem videbatur: Piſo contra triſti obſcuraque facie, horrido capillo, ſeueritatem illam veterem, et conſtantiam prae ſe ferebat. Gabinius, quod vultus indicabat, id praeſtitit: fuit enim nequiſſimus, atque improbiſſimus conſul. Piſo longe aliter, quam homines opinabantur, conſulatum geſſit, nefarie ſcilicet, maximeque contra rempublicam. itaque paullo poſt c. 9. *Alter,* inquit, *fefellit neminem. — Alter multos plane in omnes partes fefellit. Taeter* opponitur *claro:* vnde illud de M. Marcello in epiſtola Ser. Sulpicii lib. IV. Fam. 12. *Ita vir clariſſimus ab homine taeterrimo acerbiſſima morte eſt affectus.*

Ex barbatis illis] Qui olim rempublicam ſumma cum laude adminiſtrarunt. Sic pro Coelio c. 14. *Aliquis mihi ab inferis excitandus eſt ex barbatis illis, non hac barbula, qua iſta delectatur; ſed illa horrida, quam in ſtatuis antiquis, et imaginibus videmus.* barbas alere ante minoris Africani tempora Romani conſueuerunt. is radi primus inſtituit: itaque poſt inualuit conſuetudo, vt, qui non raderentur, quaſi laſciui homines, nimiumque delicati, non optime audirent. itaque cum probro ſcripſit illud Cicero ad Atticum lib. I. epiſt. 14. *Concurſabant barbatuli iuuenes, totus ille grex Catilinae, duce filiola Curionis.*

Noſtra hac purpura plebeia, ac paene fuſca] Tunica, et toga Romani vtebantur, tunica carnem tegente, toga tunicae ſuperinducta. tunica ſenatoribus erat purpurea, cum lato clauo intexto: toga vero alba, quod ex Iſidoro, et Statii Silua 2. lib. V. coniicitur, magiſtratibus autem, auguribus, ſacerdotibus, collegiorum magiſtris, pueris ad annum aetatis XVI. purpureo praetexta limbo. *Noſtra,* igitur, dixit, de tunica ſenatoria, id eſt, lato clauo, *plebeia, ac paene fuſca:* filo craſſo et colore ad fuſcum accedente: quales erant plebeiorum tunicae, quae a ſenatoriis primum clauo differebant, qui erat in ſenatoriis latus, in plebeiis anguſtus, quod exemplis intelligitur; deinde praeſtantia purpurae. itaque purpuram Piſonis plebeiam, ac paene fuſcam Cicero vocauit. de tunicis autem plebeiis purpureis Quinctilianus lib. XI. c. 3. nam neque filo erat tunica Piſonis, vt reliquae tunicae ſenatoriae, ſubtili, ac diligenter contexto; ſed plebeiis tunicis, craſſo filo ſatis temere factis, admodum ſimilis: et, quod ad colorem attinet, ita longe aberat a purpureo, vt ad fuſcum accedere videretur.

Imaginis formandae (Ern. *ornandae*) *cauſſa duumuiratum gerebat*] Coloniis duumuiri, et ex ipſa colonia, et ex ordine decurionum creati; municipiis quatuoruiri, ex ipſis municipiis; praefecturis miſſi a populo, aut praetore, vt ait Feſtus, ciues Romani praeerant. quid autem differrent inter ſe ciues Romani, coloni, municipes, et ii, qui conventus in praefecturis dicebantur, alio loco docebimus. Coloniae, Capuam C. Caeſare conſule deductae, creati ſunt duumviri L. Piſo, et Cn. Pompeius Magnus, ille ſocer, hic gener C. Caeſaris. de Piſone cum hic, tum in oratione in ipſum c. 11. et in ea poſt reditum in ſenatu c. 7. ſatis conſtat. de Pompeio in oratione

oratione poſt reditum in ſenatu c. 11. et in ea pro Milone c. 15. aperta mentio eſt: etiam in ea de prouinciis conſularibus c. 18. in Piſonem c. 11. pro domo ſua c. 12. ſignificatur.

Imaginis formandae] Vt fingeret, ac componeret vultum ad illam ſeueritatem, quam in vrbe poſtea conſul prae ſe ferre meditaretur.

Seplaſiam] Platea fuit Capuae, in qua vnguenta veniebant. at Piſo ita capillo erat horrido, vt odiſſe vnguenta videretur. ideoque de tollenda ab eo Seplaſia pro ea poteſtate, quam Capuae duumuir habebat, argute Cicero comminiſcitur. de Seplaſia in oratione in Piſonem c. 11. et Pedianus, et in agraria II. c. 34.

Pignus reipublicae] A feneratoribus transtulit: quod, vt hi, accepto pignore, pecunias ſuas putant ſe tuto committere; ſic respublica Piſoni, cui ſe commiſerat, ſupercilio, tamquam pignore, confidere, optimeque ſperare videbatur.

Grauitas in oculo] Vel, *oculo*, pro oculis dixit, quod Piſonis oculi non temere mobiles, ſed ſtabiles, et attenti ſignificationem quandam optimae mentis hominibus afferrent; ſicuti contra, quibus arguti, et, vt ita dicam, volucres oculi ſunt, leves homines minimeque ſapientes plerique reperiuntur: vel, quod facile ſuſpicor, in alterum Piſonis oculum, aliquo vitio deprauatum, tacite ludit. nam et in oratione in ipſum c. 4. *Sex. Clodium*, inquit, *qui numquam antea praetextatus fuiſſet, ludos facere, et praetextatum volitare paſſus es, hominem impurum, atque non modo facie, ſed etiam oculo tuo digniſſimum.* quaſi dixerit: hominem ita turpi vita, vt tibi turpis facies, turpisque oculus eſt. Ecce aliud exemplum, quod eodem, vt opinor, ſpectat, in oratione poſt reditum in ſenatu c. 7. *L. Piſo, tunc auſus es iſto oculo, non dicam iſto animo, iſta fronte, non vita, tanto ſupercilio.* et cetera.

Amicum] Amicum ita, vt ſuis comitiis primum cuſtodem praerogatiuae Ciceronem praefecerit. de quo in oratione in ipſum c. 5. his verbis: *Tu non modo ad eum Ciceronem, (mitto enim domeſtica, quae negari poſſunt; haec commemoro, quae ſunt palam) non modo, inquam, ad eum, cui primam comitiis tuis dederas tabulam praerogatiuae, quem in ſenatu ſententiam rogabas tertium, numquam aſpiraſti, ſed omnibus conſiliis, quae ad me opprimendum parabantur, non interfuiſti ſolum, verum etiam crudeliſſime praefuiſti.* et in ea poſt reditum in ſenatu c. 7. *Tu miſericors me affinem tuum, quem comitiis tuis praerogatiuae primum cuſtodem praefeceras, quem Kalendis Ian. tertio loco ſententiam rogaras, conſtrictum inimicis reipublicae tradidiſti.*

Affinem] Ob Tulliam C. Piſoni Frugi, L. Piſonis propinquo, in matrimonium collocatam. poſt reditum in ſenatu c. 7.

CAPVT IX.

Alienis opibus] Pompeius Magnus A. Gabinium, quem hic Cicero ſignificat, neque ſua virtute, neque maiorum commendatione inſignem, ſuis opibus ad conſulatum produxit.

Inſolitam] Quia luſtrorum ac ſtuprorum in tenebris diu latuerat. ſubitam autem poſt tenebras lucem oculi non ſustinent. et eſt praeclara a mari ad rempublicam translatio: quam ita regere ac tueri debet conſul in periculo conſtitutam, vt gubernator navem in mari fluctuantem.

Nobilitate ipſa] Non quod eſſet patricius Piſo, ſed quia maioribus ortus clariſſimis. nam nobiliſſimos homines etiam eos, qui plebeiis familiis nati erant, appellatos eſſe animaduerti.

Blanda conciliatricula] Vt ad conciliandum amorem aptae ſunt blanditiae, ſic ad opinionem hominum excitandam nobilitas valet plurimum.

Eo nomine] *Nomen* pro familia veteres vſurpabant, vt ab exemplis planum fit: hic tamen pro cognomine dictum videtur. vt cognomen Frugi, quo Piſones appellabantur, intellexerit potius Cicero, quam Calpurniae gentis nomen. quo ſpectant ea, quae proxime ſequuntur, verba: *Vt ingenerata familia frugalitas videretur.* praeterea noſtram ſententiam confirmat illud in oratione in ipſum Piſonem initio: *Quod minimum ſpecimen in te ingenii. ingenii autem? immo ingenui hominis, ac liberi; qui colore ipſo patriam aſpernaris, oratione genus, moribus nomen.* quo in loco non pro familia, ſed pro cognomine *nomen* eſſe poſitum, Pedianus interpres ſignificat his verbis: *Tametſi haec oratio ſic inſcribitur*, in L. Piſonem: *tamen non puto vos ignorare, hunc Piſonem ex ea familia eſſe, quae Frugi appellata ſit: et ideo dicit aſpernari eum moribus nomen.*

Frugalitas] Ob cognomen. ſunt autem frugi homines, vt in re domeſtica, ſic in republica continentes, et temperati, ideoque praeter ceteros iuſti. Piſo igitur, qui publicam rem peſſime curauit, degeneraſſe a ſuo cognomine videtur.

Materni generis obliti] L. Piſo matrem habuit, non Romanam, ſed homine Gallo natam: qui cum Placentiae conſediſſet, in eam ciuitatem adſcitus, poſtea Romam venit, et Piſoni Caeſonino, eius Piſonis filio, quem ab Heluetiis interfectum Caeſar lib. I. de bell. Gall. c. 12. ſcribit, filiam collocauit. hinc illa in Piſonem c. 23. *O familiae non dicam Calpurniae, ſed Caluentiae, neque huius vrbis, ſed Placentini municipii, neque paterni generis, ſed braccatae cognationis dedecus.* Hoc autem ideo dixit, quod Piſo ex materno genere cognatos haberet homines braccatos, hoc eſt, Gallos transalpinos, qui braccis vtebantur. et in eadem oratione c. 26. *O tenebrae, o lutum, o ſordes, o paterni generis oblite, materni vix memor.* et in ea poſt reditum in ſenatu c. 7. *Is non me (quamquam equidem non cognoram eum propter Piſonum affinitatem, quem longe hinc ab hoc genere cognatio materna transalpini ſanguinis abstuliſſet) ſed vos, populumque Romanum, non conſilio, neque eloquentia, quod in multis ſaepe accidit, ſed rugis, ſupercilioque decepit.* Is autem, qui patris huius Piſonis ſocer fuit, Caluentius eſt appellatus. Pedianus.

Vultu] Quia triſtis, taciturnus, ſubhorridus, incultus, quod proxime dixit.

CAPVT X.

Deſidiam, inertiam] Plus inertia vituperationis habet, quam deſidia. *deſidem* enim appellamus, qui nihil agat, quaſi deſidentem: *inertem* autem, qui etiam agendi arte, non modo voluntate, careat. ergo in deſidia voluntas, in inertia ſimul cum voluntate notatur inſcitia. hoc paullo clarius oſtenditur ad Cornificium lib. XII. Fam. epiſt. 20. his verbis: *Quod ſi, vt es, ceſſabis, laceſſam: ne tua ignauia etiam inertiam afferat:* id eſt, ne, dum nihil vmquam ſcribis, etiam ſcribere dediſcas, et ſcribendi artem obliuiſcare.

Paullo propius] In aedes ipſius. dixit enim iam: *Flagitia parietibus tegebantur.* et infra: *Videbam, quibuscum hominibus in interiore aedium parte viueret.*

Tenere] Apte verbum cum nomine coniunxit: nam *anſa* eſt, quam in vaſe manu apprehendimus.

Neque eorum nomina poterat dicere] Satis plane indicat, non doctrina, ſed voluntate, quia ſcilicet voluptatem diligeret, Piſonem fuiſſe Epicureum. qui enim eorum nomina, quorum ſectam ſequebatur, ignoraret, ex hominum ſermonibus, et ex naturali quadam propenſione potius, quam ex libris, genus illud philoſophiae cognouiſſe putandus eſt. Eſt igitur et Epicureus Piſo, id eſt, non admodum laudandae philoſophiae ſtudioſus; et indoctus tamen Epicureus. aperta enim ironia in proximis verbis: *Laudabat homo doctus.* quod infra quoque patet, cum ſubiungit: *cuius, et quo tempore, et quo modo, non quaerebat.* non enim libros legebat Epicureorum: in quibus voluptas quidem vna ante omnes res, non omnis tamen, nec omni tempore, aut modo, laudabatur.

Omnibus modis] Contra quam reliqui Epicurei, qui, doctrina a libris accepta, non omnibus modis amplectendam voluptatem exiſtimabant.

Omnia ſua cauſſa facere] Hoc quoque, et quae continuo ſequuntur, ad Epicureos referenda. congruit autem cum hoc loco locus ad Trebatium lib. VII. Fam. epiſt. 12. in qua ſcripſit haec: *Indicauit mihi Panſa meus, Epicureum te eſſe factum. — Sed quonam modo ius ciuile defendes, cum omnia tua cauſſa facias, non ciuium?* et paullo poſt ibidem: *Quid fiet populo Vlubrano, ſi tu ſtatueris, πολιτένεσθαι non oportere?*

Eos autem] Philoſophos ab Epicuro diſſentientes, Stoicos, Academicos, Peripateticos, qui honeſtatem vel vnam, vel maxime expetendam affirmabant.

Vaticinari] Non eſt hic, diuinare, ſed, alucinari, errare, vt ad Coelium lib. II. Fam. epiſt. 16. *Sed ego fortaſſe vaticinor: et haec omnia meliores habebunt exitus.*

Mali nihil] Cum ſe Piſo totum gulae, ventri, crapulae dediſſe videretur, nihil de perturbanda republica cogitare.

Imbecillo ſeni aut debili] Quaſi, non modo imbecillo, ſed debili quoque: vt maior ſit in imbecillo infirmitas, quam in debili.

Cum tribuno plebis] P. Clodio.

Prouincias acciperent, quas ipſi vellent] Non enim in eo legum ratio habita eſt: quia Gabinius Syriam accepit, cum ei iam Cilicia

licia data eſſet: Piſo autem Achaiam, Theſſaliam, cunctam Graeciam: quos populos Caeſar, eius gener, ſua lege liberos eſſe iuſſerat. de quo ſic in oratione pro domo ſua c. 9. *Quis prouinciam homini poſt homines natos turpiſſimo, ſceleratiſſimo, contaminatiſſimo, quis illam opimam fertilemque Syriam, quis bellum pacatiſſimis gentibus, quis pecuniam ad emendos agros conſtitutam, ereptam vi ex Caeſaris rebus actis, quis imperium infinitum dedit? Cui quidem cum Ciliciam dediſſes, mutaſti pactionem, et Ciliciam ad praetorem item extra ordinem transtuliſti: Gabinio, pretio amplificato, Syriam nominatim dediſti. Quid? homini taeterrimo, crudeliſſimo, fallaciſſimo, omnium ſcelerum libidinumque maculis notatiſſimo, L. Piſoni, nonne nominatim populos liberos, multis ſenatus conſultis, etiam recenti lege ſoceri ipſius liberatos, vinctos, et conſtrictos tradidiſti?* Quo in loco manifeſtum in omnes impreſſos libros irrepſit mendum. non enim, *lege ſoceri*, legendum eſt, ſed, *lege generi:* quia C. Caeſar, Piſonis gener, in conſulatu eam legem tulerat. quod in oratione in Piſonem c. 16. declarant illa verba: *Obtinuiſti prouinciam conſularem finibus iis, quos lex cupiditatis tuae, non quos lex generi tui pepigerat. nam lege Caeſaris, iuſtiſſima, atque optima, populi liberi, plane, et vere erant liberi: lege autem ea, quam nemo legem praeter te, et collegam tuum putauit, omnis erat tibi Achaia, Theſſalia, Athenae, cuncta Graecia addicta.* Et in ea de prouinciis conſularibus c. 4. *Emiſti a foediſſimo tribuno plebis, tum in illo naufragio huius vrbis, quam tu idem, qui gubernare debueras, euerteres: tum, inquam, emiſti grandi pecunia, vt tibi de pecuniis creditis ius in liberos populos contra ſenatus conſultum, et contra legem generi tui, dicere liceret.*

Pecuniam, quantam vellent] Quam deinde cum iis Clodius partitus eſt. vnde infra c. 24. *omitto*, inquit, *gratulationes, epulas, partitionem aerarii.* Et pro domo ſua c. 9. et in Piſonem c. 12. 16.

Afflictam et conſtrictam rempublicam] Conſulum praeſidio nudatam, conſtrictam, vt commouere ſe non poſſet.

De mea pernicie, et de prouinciis conſulum nominatim] Non, nominatim de mea pernicie, ſed, nominatim de prouinciis conſulum. nam lex Clodii, vt in Dione lib. XXXVIII. Velleio lib. II. c. 45. et lib. III. ad Attic. epiſt. 15. legimus, Ciceronem non nominabat, ſed in eos generaliter ſcripta erat, ſi qui ciues Romanos indicta cauſſa condemnaſſent. in quo tamen praecipuum Ciceronis factum notabatur, qui coniuratos ſine populi iudicio damnaverat. prouincias autem conſulum in ea lege nominatas eſſe, indicant illa, quae proxime recitauimus ex oratione pro domo ſua c. 9.

CAPVT XI.

Vos equites] Praeſentes iudices. nam ex tribus ordinibus iudicia conſtabant, ſenatorio, equeſtri, plebeio.

Summo imperio] Ipſis conſulibus. paullo ante: *Hi, ſummi imperii nomine armati, rempublicam*

publicam contrucidandam putauerunt.

In aede Concordiae] Qua in aede factum eſt Cicerone conſule ſenatus conſultum de coniuratis occidendis. ideo ſubiicit: *Quod ipſum templum repraeſentabat memoriam conſulatus mei.* qua de re in Phil. II. c. 8. *In hac,* inquit, *cella Concordiae, o dii immortales! in qua me conſule ſalutares ſententiae dictae ſunt, quibus ad hanc diem viximus, cum gladiis homines collocati ſtent?*

Cincinnatum conſulem] Ad contemtum: quod ampliſſimus ordo nequiſſimum conſulem, qui ſibi calamiſtro comam in cincinnos intorqueret, cum lacrumis oraret.

Conſulto ſe domi continebat] Diſſimulat cauſſam, qua Piſo domo non exibat. non enim conſulto ſe domi continuit, vt hic Cicero ad creandam inuidiam fingit; ſed aduerſa valetudine impeditus: quod in Dionis hiſtoria legimus lib. XXXVIII. idemque ex oratione in ipſum c. 6. facile cognoſcitur.

Quod ille, cum quaſi quaeſtum faceret, amiſit] Salſe ſimul et acerbe. mirum enim, qui quaſi meretrix diuulgato corpore quaeſtum faciat, eum patrimonium amittere. notat impudicitiam ſimul et nequitiam Gabinii.

L. Ninnius] Tribunus plebis, qui deinde retulit ad ſenatum de reditu Ciceronis, vt eſt infra c. 31. Ninnium Quadratum vocat Dio. nominatur et lib. III. ad Attic. epiſt. 23.

Veſtem mutandam] Non modo ſenatui, vt hic Cicero videtur ſignificare, ſed populo quoque Ninnius perſuaſit, vt, tamquam in aliqua publica calamitate, pro ſalute Ciceronis veſtem mutaret. Dio lib. XXXVIII.

CAPVT XII.

Bonos omnes] Hominum viginti millia pro ſalute Ciceronis veſtem mutarunt.

Rerum diuinarum] Potiſſimum ob violata ſacra Bonae deae. hiſtoria ſatis nota.

Adeſſe] Cum legem perferre vellent. erat enim conſuetudo, vt, ante quam ferretur lex, prodirent, qui vellent, ad ſuadendum, aut diſſuadendum. de quo ſatis multa diximus in lib. de Legibus c. 35.

Gladiis et lapidibus] Hac ipſa de re in oratione pro domo ſua c. 21. his verbis: *Cum eos, qui in conuentu virorum bonorum verba de ſalute mea fecerant, adeſſe iuſſiſti, eorumque aduocationem manibus, ferro, lapidibus discuſſiſti: tum profecto oſtendiſti, vim tibi maxime displicere.*

In creditorum conuentum] Aeris alieni plurimum habuiſſe Gabinium, ſupra c. 8. diximus.

Illius dies (Ern. *diei*)] *Dies,* hoc loco, non *diei*, legendum eſſe admonet Gellius lib. IX. c. 14. aliter ſenſiſſe videtur Priſcianus lib. VII. cap. de genitiuo.

In cliuo Capitolino] Circa templum Concordiae, in cliuo Capitolino, cum in eo templo de coniuratis conſul Cicero ad ſenatum retuliſſet, armati equites Romani praeſidii cauſſa circumſteterant. de quibus in oratione I. in Catilinam c. 8. *Illi,* inquit, *equites Romani, honeſtiſſimi atque optimi viri, ceterique fortiſſimi ciues, qui circumſtant ſenatum, quorum tu et frequentiam videre, et ſtudia perſpicere, et voces paullo*

paullo ante exaudire potuiſti, quorum ego vix abs te iamdiu manus ac tela contineo: eosdem facile adducam, vt te haec, quae iampridem vaſtare ſtudes, relinquentem vsque ad portas proſequantur. Et hac ipſa de re in ea poſt reditum in ſenatu c. 5. his verbis: *In concionem aſcendit, eaque dixit, quae, ſi eius vir Catilina reuixiſſet, dicere non eſſet auſus: ſe nonarum Dec. quae me conſule fuiſſent, cliuique Capitolini poenas ab equitibus Romanis eſſe repetiturum: neque ſolum id dixit, ſed, quos ei commodum fuit, compellauit: L. vero Lamiam, equitem Romanum, praeſtanti dignitate hominem, et ſaluti meae pro familiaritate, reipublicae pro fortunis ſuis, amiciſſimum, conſul imperioſus exire vrbe iuſſit.* Quod autem de cliuo Capitolino, vt inique factum Gabinius accuſabat, idem et M. Antonius Ciceroni multis poſt annis obiecit: in quem illa ſunt in Phil. II. c. 7. *At etiam auſus es, (quid autem eſt, quod tu non audeas?) cliuum Capitolinum dicere, me conſule, plenum ſeruorum armatorum fuiſſe. Vt illa, credo, nefaria ſenatus conſulta fierent, vim afferebam ſenatui. O miſerum, ſiue illa tibi nota non ſunt, (nihil enim boni noſti) ſiue ſunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare! Quis enim eques Romanus, quis, praeter te, adoleſcens nobilis, quis vllius ordinis, qui ſe ciuem meminiſſet, cum ſenatus in hoc templo eſſet, in cliuo Capitolino non fuit?* Vere. quod enim Cicero tuendi ſenatus cauſſa fecerat, id, quaſi contra leges regio more commiſſum, Gabinius et Antonius accuſarunt. Quod autem dixit: *illius dies:* intellige illum diem, quo ſenatus conſultum de necandis coniuratis, referente Cicerone, factum eſt. quamquam non illo tantum die cum gladiis in cliuo Capitolino equites Romanos fuiſſe, ſatis conſtat ex iis verbis, quae ex oratione I. in Catilinam recitauimus: quae habita eſt aliquot dies ante illum diem, quem hic Cicero ſignificat.

Pro ciue (Ern. *ciui*)] *Ciui,* legit Priſcianus lib. VII. et pro Plancio c. 39. *Quid dicam de tali ciui, et viro?* Et lib. II. in Verr. c. 13. *Quod Siculus a ciui Romano.* Ibidem: *Quod ciuis cum ciui ageret.*

CAPVT XIII.

Quid hoc homine facias] Antiqua locutio, huic noſtro ſatis vſitata: quam et a comicis vſurpatam inuenimus. ſubaudiri videtur, *de.* huic autem loco ſimillimus eſt ille ex lib. I. in Verr. c. 16. *Quid hoc homine faciatis? aut quam ad ſpem tam perfidioſum, tam importunum animal reſeruetis?* nec diſſimile illud ad Terentiam lib. XIV. Fam. epiſt. 4. *Quid Tulliola mea fiet?* Ennius autem, *ſi quid me fuerit humanitus:* pro mihi, vt notauit Feſtus.

Socii Latini] Dicebant veteres, *ſocii Latini, ſocii et Latini; ſocii Latini nominis, ſocii et Latini nominis:* cum tamen de ſolis Latinis intelligerent. exempla ſunt et apud hunc noſtrum, et apud Liuium quamplurima.

Id quod perraro accidit] Bis omnino: quod quidem ego legendo obſeruauerim; primum, edicto Proculi Virginii conſulis, cum Sp. Caſſium Viſcellinum collegam

legam haberet, anno ab vrbe condita CCLXVII. qua de re ſcriptum eſt apud Dionyſium Halicarnaſſeum lib. VIII. his verbis: Ἐπισημήναντος δὲ τοῦ πλήθους ὡς τὰ κράτιστα ὑποθεμένῳ, καὶ καταλύειν ἐκ τοῦ νόμου τὸ ποιοῦν διχοστασίαν μέρος ἀξιοῦντος, ἀπορῶν ὅ, τι χρὴ πράττειν ὁ Κάσσιος, καὶ οὔτε ἀναθέσθαι τὴν γνώμην προαιρούμενος, οὔτε μένειν ἐπ' αὐτῆς, ἀντιπραττόντων τῶν δημάρχων. δυνάμενος, τότε μὲν διέλυσε τὴν ἐκκλησίαν· τῆς δὲ ἑξῆς ἡμέραις ἀρρωστίαν σκηπτόμενος, οὐκέτι κατέβαινεν εἰς τὴν ἀγορὰν, ἀλλ' ὑπομένων ἔνδον ἐπραγματεύετο βίᾳ, καὶ χειροκρατίᾳ κυρῶσαι τὸν νόμον, καὶ μετεμέμπετο Λατίνων τε, καὶ Ἐρνίκων ὅσους ἐδύνατο πλείστους ἐπὶ τὴν ψηφηφορίαν. οἱ δὲ συνήεσαν ἀθρόοι. καὶ δι' ὀλίγου μεστὴ ξένων ἦν ἡ πόλις, ταῦτα μαθὼν Οὐεργίνιος κηρύττειν ἐκέλευσε κατὰ τοὺς στενωπούς, ἀπιέναι τοὺς μὴ κατοικοῦντας ἐν τῇ πόλει, χρόνον ὁρίσας οὐ πολύν. ὁ δὲ Κάσσιος τἀναντία ἐκέλευε κηρύττειν, παραμένειν τοὺς μετέχοντας τῆς ἰσοπολιτείας, ἕως ἂν ἐπικυρωθῇ ὁ νόμος. deinde anno poſt V. C. DCXXXI. cum C. Fannius conſul vocatos a C. Graccho ad ſuffragium ferendum Latinos, eodem die exire vrbe iuſſit. qua de re Appianus lib. I. de bell. ciu. aperte, nec obſcure admodum Cicero in Bruto c. 26.

Eos, qui nunc eſtis] Magna praeditos auctoritate, et cum poteſtate iudicandi. ſperauit enim fore, vt boni iacerent, improbi dominarentur.

Imaginem iudiciorum] Si iudicia, aut omnino imaginem, aut ſimulacrum vllum iudiciorum fore credidiſſet; in rempublicam non tam nefarie peccaſſet. peccauit autem, quia credidit, exſtinctis iudiciis, poenam delinquentibus nullam futuram.

Ius, libertatemque] Ius, et libertatem Gabinius eripuit ciuibus, cum eos, ſuum dolorem veſte mutata ſignificantes, ad veſtitum, quem depoſuerat, redire iuſſit.

Ante huius tribunatum] Quia Gabinius anno ante, quam Sextius tribunus plebis fuit, conſulatum geſſit.

Illam meam cladem] Iniuriam iniquiſſima Clodii lege illatam.

Reus non ſuo, ſed meo nomine] Accuſatur enim a meis inimicis, non quod ipſe contra leges aliquid commiſerit, ſed quod in tribunatu de mea ſalute laborarit.

Neceſſe eſt, meam cauſſam] Neceſſe, inquit, eſt, cum Sextium defendo, de me ipſo dicere: quia et multas defenſionis meae partes ab illius tribunatu cogor petere; et tribunatus in mea ſalute totus eſt conſumtus.

CAPVT XIV.

Municipium] Inter municipium, coloniam, et praefecturam, quid interſit, dictum eſt in libro de ciuitate Romana.

Societas vectigalium] Societates eorum, qui vectigalia redimebant, equitum Romanorum omnes erant.

Collegium] De collegiis paullo infra dicemus.

Concilium] Conuentus hominum, ad aliquid agendum inſtitutus.]

Ad luctum ipſorum] Siue, inquit, veſtem mutauerant, vt meam pariter, et ſuam lugerent calamitatem, ſiue vt meam ſalutem

tem deprecarentur; neutram ob cauſſam facere id, quod feciſti, aequum fuit: cum nemo vmquam tam crudelis fuerit, qui prohiberet quemquam aut maerere in ſuo dolore, aut ceteris in amici periculo ſupplicare.

Pro te ipſo] Apoſtrophe ad Piſonem abſentem. nam hoc tempore Macedoniam proconſulari imperio adminiſtrabat. quod ſignificant illa verba c. 43. *Cum ſciat, illa duo reipublicae paene fata, Gabinium, et Piſonem, alterum haurire quotidie ex pacatiſſimis atque opulentiſſimis Syriae gazis innumerabile pondus auri.* et quae ſequuntur. vt illam rationem omittam, quod haec oratio pro Sextio habita eſt Marcellino et Philippo coſſ. Piſo autem ſequenti anno, Pompeio et Craſſo coſſ. rediit e prouincia: quod in argumento orationis in ipſum Pedianus probat. Apparet autem in hoc loco, Piſonem ante conſulatum reum fuiſſe: quo crimine, incertum eſt. loquitur enim Cicero de iis, quorum in periculis amici veſtitum mutare ſolent.

Nullo ſenatus conſulto] Cum antea, qui in prouincias ibant, legatos, quos ſecum adducerent, a ſenatu petere conſueſſent: quam conſuetudinem primus neglexit P. Vatinius, et poſt eum anno proximo Piſo et Gabinius, legis, vt opinor, Clodiae priuilegio. ſunt enim in ea in Vatinium c. 15. haec verba: *Quis legatos vmquam audiuit ſine ſenatus conſulto? ante te nemo: poſt continuo fecit idem in duobus prodigiis reipublicae Clodius.* Idem in hac ipſa pro Sextio c. 30. ſignificatur. *Quis*, inquit, *provinciam, quis pecuniam, quis legationem ab ſenatu petebat?*

Hominis deſperati] Qui vt recte agat, aut ſentiat, ſperari non poteſt. eodem ſenſu dicebant, *homo perditus:* quaſi, qui rectam mentem prorſus amiſiſſet.

Lugebunt fortaſſe] Addidit, *fortaſſe*, vt dubitari poſſe indicet, an aliquis omnino in hominis deſperati et proditoris reipublicae caſu lacrumas daturus ſit.

Ex faſtis] Libris, in quibus conſulum nomina ſcribebantur. lib. IV. ad Attic. epiſt. 8.

Pacto iam foedere prouinciarum] Vt prouincias acciperent a Clodio tribuno plebis, quas vellent, ea lege, ſi ipſi prius ei permitterent, vt, quae vellet, in rempublicam perficeret, hoc eſt, vt leges reipublicae perniicioſiſſimas perferre poſſet.

Circo Flaminio] Dicit idem in ea poſt red. in ſen. c. 7. Tres autem fuere Romae circi, Maximus, Flaminius, qui et Apollinaris dictus eſt; item circus Neronis.

Quae tum contra me, contraque rempublicam edixerant] Cum edixerunt, vt ſenatus, qui propter maerorem veſtitum mutaverat, ad priſtinum veſtitum rediret.

Comprobauerunt] Piſo dixit, ſe miſericordem ſemper fuiſſe. Orat. in ipſum c. 6. et poſt red. in ſen. c. 7.

CAPVT XV.

Lata lex eſt] Quattuor leges reipublicae pernicioſas tulit P. Clodius in tribunatu plebis: de annona, vt populo frumentum, quod antea ſemiſſibus et trientibus dabatur, gratis daretur: alteram, vt

vt collegia reſtituerentur: tertiam, vt infirma cenſorum poteſtas eſſet: quartam hanc, de qua hic Cicero loquitur. vide infra c. 25. 26. in Piſonem c. 5. Pedianum, Dionem lib. XXXVIII.

Ne auſpicia valerent] Significat Dio lib. XXXVIII. auſpiciorum duo fuiſſe genera, vnum ſine obnunciatione, alterum cum obnunciatione. vtroque genere poteſtas agendi cum populo tollebatur: primo, vel ſi nulla omnino ſigna de caelo monſtrarentur, nec obnunciaretur quidquam: altero cum, caeleſti aliquo ſigno viſo, quod publicam calamitatem portendere videretur, obnunciaret is, qui auſpicabatur, ei, qui agere cum populo vellet. vtrumque genus hic attigit Cicero, cum ait, *ne auſpicia valerent, ne quis obnunciaret.*

Ne quis legi intercederet] Hoc erat, tribuniciam poteſtatem tollere. nam nouem tribunis plebis legem ferentibus vnius obſiſtebat interceſſio. ſed quia ſenatus cauſſa ius intercedendi comparatum erat, vt eſſet, quo tribuniciae rogationes impediri poſſent: Clodius, optimatibus infenſus, amator nouitatis, liberam et ſolutam in ferenda lege tribunorum poteſtatem eſſe voluit. itaque interceſſionem lege lata ſuſtulit, non tamen omnem interceſſionem, ſed tantum cum intercederetur legi. nam praeterea, et ſenatus conſultis, et iudiciis tribuni plebis intercedebant. in quo ius tribunicium imminui Clodius noluit: quia totum ad impediendam ſenatus et optimatum voluntatem pertinebat.

Omnibus faſtis] Cum diebus faſtis omnibus quidem lege agere, non omnibus tamen cum populo agere liceret: Clodius faſtos omnes comitiales eſſe iuſſit, hoc eſt, vt, quod quibusdam faſtis licebat, id omnibus liceret. item in ea de prouinciis conſularibus c. 19. *Vobis*, inquit, *ſtatuendum eſt, legem Aeliam manere, legem Fuſiam non eſſe abrogatam, non omnibus faſtis legem ferri licere: cum lex feratur, de caelo ſeruari, obnunciari, intercedi licere.*

Lex Aelia et Fuſia (Ern. *lex Fuſia*) *ne valeret*] Dicit idem, quod proxime. nam lex Aelia et Fuſia de auſpiciis et obnunciatione erat. ſed legem nominat, vt inuidiam in Clodium augeat.

Pro tribunali Aurelio] In tribunali Aurelio. nam, *pro*, et *ante* ſignificat, et *in*: *ante*, vt in Phil. II. c. 26. *Haſta poſita pro aede Iouis Statoris*: *in*, vt apud Salluſtium in Iugurthino c. 94. *Numidae pro muro dies noctesque agitare.* Feſtus etiam veteres ita locutos auctor eſt: ait enim ſic: Pro *ſignificat* in, *vt* pro Roſtris, pro aede, pro tribunali. Quod ſi quis, cur in hoc loco, *pro*, potius pro, *in*, accipiam, quam pro, *ante*, cauſſam quaerit: illa fuit, quod in oratione poſt reditum ad Quirites c. 15. eadem de re ſic eſt ſcriptum: *Ego, cum homines in tribunali Aurelio palam conſcribi, centuriarique vidiſſem.* Et pro domo ſua c. 21. *Cum in tribunali Aurelio conſcribebas palam non modo liberos, ſed etiam ſeruos, ex omnibus vicis concitatos.* Fuit autem hoc tribunal in foro: quod ex oratione cognouimus in Piſonem: in qua c. 10. haec notauimus: *Cum ſeruorum delectus haberetur in foro; arma in*

templum Caſtoris luce et palam comportarentur.

Nomine collegiorum] Collegia, hoc eſt, infimorum hominum, certas artes pariter exercentium, conuentus, iam inde a Numa rege eſſe inſtituta, in Plinii naturali hiſtoria lib. XXXIV. c. 1. et XXXV. c. 12. et in Plutarcho ſcriptum eſt. poſtea, cum horum collegiorum numerus eſſet auctus; omnia, praeter pauca atque certa, vt fabrorum fictorumque, quae ciuitatis vtilitas deſiderabat, pluribus legibus ſublata ſunt, neque ſolum legibus, ſed etiam ſenatus conſultis, vt L. Caecilio Q. Marcio coſſ. nec enim hominum humilium coitiones in ciuitate ſatis tutae videbantur. Clodius autem, vt inopem plebem, quae paruo negotio ad facinus impellitur, ſibi conciliaret, vtpote qui nouitatem et vim meditaretur; collegia non ſolum vetera reſtituit, ſed etiam noua innumerabilia conſtituit. de quo et in hac ipſa oratione infra c. 25. et in Piſonem c. 4. Cicero meminit. praeterea Dio lib. XXXVIII. Pedianus in commentario Cornelianae. Haec autem collegia non e ſolis peregrinis, aut e ſeruis, ſed e peregrinis, qui poſtea ciues fiebant; e nouis ciuibus, ex veteribus Romanis inopia laborantibus, e ſeruis conſtabant. eſt enim ridiculum, eos putare fuiſſe peregrinos, quorum patres et maiores multis ante annis artem aliquam ſedentariam adminiſtraſſent. peregrini quidem et erant, et dicebantur, ante quam eſſent cenſi: ſed, cum Romae domicilium iam per aliquot annos habuiſſent, profeſſi apud praetorem, ciuium Romanorum iura conſequebantur; et vel easdem, quas antea, artes adminiſtrabant, vel in militiam proficiſcebantur. in qua cum nonnulli fortem fidelemque operam reipublicae nauaſſent; equeſtris loci dignitatem, ſi modo H-S quadringenta millia poſſiderent, conſequebantur, vel tribuni militum fiebant: ex quo poſtea tribuni plebis facile creabantur: vnde ad alios magiſtratus erat aſcenſus. Romanos autem ciues, alios magiſtratibus, alios militiae, alios mechanicis artibus operam dediſſe, facile mihi et Plinius perſuadet, qui de collegiis aerariorum fabrum, et figulorum, a Numa rege inſtitutis, mentionem facit, et L. Florus lib. I. c. 6. idem aperte demonſtrat: cuius haec ſunt verba: *Ab hoc* (Ser. Tullio rege) *populus Romanus relatus in cenſum, digeſtus in claſſes, decuriis atque collegiis diſtributus: ſummaque regis ſollertia ita eſt ordinata respublica, vt omnia patrimonii, dignitatis, aetatis, artium, officiorumque diſcrimina in tabulas referrentur, ac ſi maxima ciuitas minimae domus diligentia contineretur. Collegia* nominat, et *artes:* quae duae dictiones manifeſto declarant, contra quam Dionyſius Halicarnaſſeus quodam in loco affirmat, artes illas, quae in officinis tractantur, etiam ab iis, qui multis ante annis iure ciuium Romanorum vterentur, eſſe cultas. hoc et Cicero demonſtrat in oratione pro domo ſua c. 28. ait enim ſic: *Nullum eſt in hac vrbe collegium, nulli pagani, aut montani, (quoniam plebi quoque vrbanae maiores noſtri conuenticula, et quaſi concilia quaedam eſſe voluerunt) qui non ampliſſime non modo*

modo de ſalute mea, ſed etiam de dignitate decreuerint. Et in eadem, non ita multo poſt c. 33. *Quem tu populum, niſi tabernis clauſis, frequentare non poteras.* Praeterea lib. VI. ad Attic. epiſt. 1. iudicem eſſe Romae ſignificat Turpionem ſutorium. quid autem? Pedianus, qui fuit antiquitatum Romanarum bene peritus, nonne in orationis pro Milone commentario et concionem, et populum nominat, cum de iis, qui mechanicas artes tractarent, manifeſte loquatur? nam cum exponit illud c. 26. *contra heſternam concionem illam;* ſubiungit haec: *Idem T. Munatius Plancus, vt ſaepe diximus, poſt audita et obſignata teſtium verba, dimiſſosque interim iudices, vocata concione cohortatus erat populum, vt, clauſis tabernis, poſtero die ad iudicium adeſſet, nec pateretur elabi Milonem.* At M. Aemilii Scauri pater, quamuis patricius, negotium carbonarium, vt in libello de viris illuſtribus c. 72. narratur, ob paupertatem exercuit: et C. Terentii Varronis, qui ad Cannas male pugnauit, patrem lanium fuiſſe ferunt. quo quid ſordidius? Erant igitur opificum collegia ex quattuor hominum generibus, e ſeruis, ex inopi veterum ciuium Romanorum plebe, ex nouis ciuibus, ex iis, qui cum proxime in vrbem veniſſent, cenſi nondum erant. ſed illa, quae P. Clodius reſtituit, qui etiam, vt ait Cicero in Piſonem, noua quaedam e ſeruitiorum faece conſtituit, Dio hiſtoriae ſuae lib. XXXIV. τὰ ἑταιρικὰ κολλήγια nominat: quod nihil aliud eſſent, quam opificum ſodalitates: quales Venetiis videmus eſſe quamplurimas. quod etſi ita ſit: ad aliam tamen ſententiam conuertendum eſt illud, quod in libro de Senectute c. 13. ex perſona Catonis Cicero pronunciat: *Sodalitates paullo ante me quaeſtorem conſtitutae ſunt.* non enim de collegiis opificum eſt intelligendum, ſed de ſodalitatibus honeſtorum ciuium, animi cauſſa conſtitutis. et, quemadmodum ſodalitates, item collegia non ſemper de artificum coetibus dicuntur. non enim, quod lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 5. ſcriptum eſt, *M. Furium Flaccum, equitem Romanum, hominem nequam, Capitolini et Mercuriales de collegio eiecerunt;* ſic exponendum eſt, vt de collegio eorum, qui mechanicas artes exercerent, ſed de collegio aliquo ſacerdotum eiectum eſſe Flaccum intelligamus. non enim ſuſpicari aliter poſſumus; cum eques Romanus eſſet; artes autem quaeſtuariae ab infima plebe tractarentur, argentaria tamen excepta; quam a Q. Caecilio, equite Romano, Pomponii Attici auunculo, eſſe adminiſtratam, lib. I. ad Attic. epiſt. 1. Cicero ſignificat: ſi modo fenerator, et argentarius idem fuit. erat igitur inter quaeſtuarias artes paullo honeſtior, vel, vt dicam verius, paullo minus turpis argentaria: cui tamen operam dare, probro ducebatur. itaque Octauio, qui poſtea eſt Auguſtus appellatus, auum argentarium M. Antonius et Caſſius Parmenſis exprobrare ſoliti ſunt. *Nomine collegiorum:* Cum Clodius velle ſe fingeret noua collegia conſtituere. itaque poſt red. in ſen. c. 13. dixit, *ſimulatione collegiorum.*

Vicatim] Quod per vicos facinoroſum quemque legeret.

Decuriarentur] Loquitur de iis, qui collegiorum nomine vicatim conſcribebantur. nam, *decuriare*, commune verbum eſt de iis, qui quamlibet ob cauſſam ita congregantur, vt eorum ordo quidam, et deſcriptio ſit. et quamquam, cum *decuria*, vel *decuriare* dicitur, certus numerus, hoc eſt, decem, ſignificari videtur: de plurimis tamen, et hic a Cicerone, et alibi cum ab ipſo, tum ab aliis vſurpatum eſſe conſtat. dixit igitur, *decuriarentur*, pro, in collegia conſcriberentur, in ordines cogerentur. ſic in oratione pro domo ſua c. 5. *Cum, deſperatis ducibus, decuriatos ac deſcriptos haberes exercitus perditorum.* libro autem II. ad Q. Fr. epiſt. 3. cum non de his collegiis, ſed de ambitioſa hominum coitione intelligat, *eodem*, inquit, *die ſenatus conſultum factum eſt, vt ſodalitates, decuriatique diſcederent.*

In templum Caſtoris] Hinc apparet, leges in templis latas eſſe. nam in Caſtoris templum propterea comportabantur arma, vt legem Clodius, ſi quis intercedere aut impedire vellet, vi perferret. cognoſcitur maxime ex ea pro domo ſua c. 21. et in Piſonem c. 10.

Lapidationes fiebant] In Piſonem c. 10. *Viri boni lapidibus e foro pellerentur.*

Equeſter ordo reus a conſulibus citaretur] Significat illud, quod in concione Gabinius conſul dixerat: *Equites Romanos daturos illius dici poenas, quo, Cicerone conſule, cum gladiis in cliuo Capitolino fuiſſent.* c. 12. *Reus* igitur, praeclariſſimi facti.

Italiae totius] Quae meam cauſſam ſuis decretis ſuſceperat.

Nominatim relegarentur] Patet L. Lamiam ſignificari.

In templis] De templo Caſtoris proxime dixit.

Voce, et ſententia comprobarentur] In circo Flaminio: vt paullo ante c. 14.

Alii metus, aliae curae] Quae ſunt haec? illa, de quibus infra c. 17. quod Clodius ea, quae contra Ciceronem faceret, ſe facere auctoribus Pompeio, Craſſo, Caeſare, in concionibus clamabat. qui cum tacerent, confiteri videbantur. his igitur, inquit, ceſſi, non homini deſpicatiſſimo, Clodio, non contemtiſſimis conſulibus, Piſoni, et Gabinio.

CAPVT XVI.

Facti et conſilii mei] *Facti*, quod ceſſerim communibus inimicis, et in exſilium ire maluerim, quam cum vniuerſae reipublicae periculo dimicare. *Conſilii*, quo ſum adductus, vt id, quod feci, bonis omnibus, antea quoque a me ſeruatis, vtilius exiſtimarem.

Huic tantae multitudini] Populi circumſtantis.

Deero] Deeſt enim orator iudicibus, et populo, cum ea, quae requirit cauſſa, non exponit.

Ad omnem contentionem expedita] Quod ex decretis poterat intelligi.

Quid enim ſimile fuit in Q. Metello] In Piſonem c. 9. *Alia cauſſa praeſtantiſſimi viri, Q. Metelli, fuit: quem ego ciuem, meo iudicio, cum deorum immortalium laude coniungo: qui C. illi Mario, fortiſſimo viro, et conſuli, et ſextum conſuli, et eius inuictis legionibus, ne armis confligeret, cedendum eſſe duxit.* Eſt igitur

igitur hic ſenſus. diſcedendum fuit Q. Metello illi Numidico: quod eius cauſſam non ſenatus publice ſuſceperat: quod ei res eſſet cum exercitu C. Marii inuicto, cum ipſo C. Mario, conſeruatore patriae, ſextum conſule, cum L. Saturnino, iterum tribuno plebis, homine vigilante: quod, ſi pugnare vellet, aut ipſius interitum ex inimicorum victoria, aut, ſi ipſe vinceret, magnam reipublicae calamitatem e fortiſſimorum virorum caede proſpiceret. mea ratio fuit alia. cum enim et meam cauſſam ſenatus, equeſter ordo, cuncta Italia publice ſuſcepiſſet; et mihi res eſſet, non cum C. Mario, ſed cum duobus contemtiſſimis conſulibus, non cum L. Saturnino, ſed cum tribuno plebis P. Clodio, omnium hominum nequiſſimo, atque turpiſſimo; quos homines ſi occiderem, nemo neque meum factum reprehenderet, neque illorum morte maereret: haec cum ita eſſent, valde me timidum, atque imprudentem confiterer fuiſſe, ſi horum hominum metu diſceſſiſſem. cur igitur ceſſi? mouerunt me illa, quae de Pompeio, Craſſo, Caeſare Clodius praedicabat: quae illi tacendo confiteri videbantur.

Neque vllus ordo] Non modo equeſter, qui meam cauſſam ſuſcepit, ſed nullus omnino.

Salutem reipublicae] Non enim in eo ſeruabatur respublica, ſi vnus Metellus in legem, quam Saturninus, Mario gratificans, per vim ferret, iurare nollet. nihilo enim minus, ipſo non iurante, lata lex eſt. Appianus lib. I. de bell. ciu. Plutarchus in Mario.

Vt cum patriae caritate] Patriae caritas poſtulat, vt ab ea ne diſcedamus. at Metellus voluntarium in exſilium abiit; quia ſuam gloriam pluris, quam patriae caritatem fecit. poterat enim aliquis obiicere: magna laus Metello debetur, qui de patria maluit, quam de ſententia decedere. verum, inquit Cicero, cum adſpectu patriae cariſſimo ſe priuauit, conſtantiae laudem quaeſiuit, patriaeque amiſſionem gloriae fructu compenſare viſus eſt. ceſſit igitur Metellus, non quod in eo ſitam eſſe reipublicae ſalutem intelligeret, ſed quod ei carior conſtantiae gloria, quam adſpectus patriae, fuit.

Inuicto] Semper enim Marius ex hoſtibus reipublicae victoriam retulerat, Numidis, Germanis, Italis. Plutarchus, Velleius, Appianus.

Inimicum C. Marium] Iam inde a bello Iugurthino. cuius gloriam, multis praeclaris factis Metello debitam Marius intercepit. nam cum ſenatus Numidiam Metello, in qua bellum iam gerebat, decreuiſſet; Marius conſul deſignatus effecit, vt eam ſibi prouinciam populus mandaret; cum Metellum, hominem inanem, imperio nimis gaudentem, bellum de induſtria ducere criminaretur. erat autem in mandanda prouincia maior populi poteſtas, quam ſenatus.

Conſeruatorem patriae] In eo potiſſimum, quod innumerabiles Cimbrorum Teutonumque copias cecidit. lib. II. quoque de Leg. c. 3. duos ex Arpinati municipio reipublicae conſeruatores a Cn. Pompeio vocatos ſignificat, ipſum, et C. Marium. ſunt etiam in epitome Liuii lib. LXVIII. haec verba: *Primores ciuitatis, qui aliquantulum, vt nouo homini*

ad tantos honores euecto, inuiderant, conſeruatam ab eo rempublicam fatebantur.

Sextum illum conſulatum] Oppreſſis Glaucia et Saturnino inſignem. primo conſulatu Iugurtham debellauit: ſecundi primo die, id eſt, Kalendis Ianuarii, de eo triumphans vrbem ingreſſus eſt: tertium in apparatu belli Cimbrici conſumſit: quarto trans Alpes circa aquas Sextias cum Cimbris, quae Germanorum gens fuit, proſpera fortuna conflixit: quinto citra Alpes in campis Raudis eosdem vicit: ſexto Glauciam praetorem, et Saturninum tribunum plebis, perniciem reipublicae molientes, occidit: ſeptimo paucis poſt, quam inierat, diebus vita deceſſit.

L. Saturnino] Metelli inimico; quod ab eo cenſore notatus erat. Appianus lib. I. de bell. ciu. fuit e gente Appuleia, homo ſeditioſus: ideo Clodius *Appuleia* vocatur lib. IV. ad Attic. epiſt. 11. ob ingenii ſimilitudinem: muliebri autem genere potius, quam virili, ob mollitiem et libidines. Plutarchus, Appianus, Velleius lib. II. c. 12. epitome Liuiana lib. LXIX.

In cauſſa populari] Quia legem agrariam ferebat.

Si non moderate] Quod A. Numium, tribunatum petentem, et C. Memmium, conſulatus candidatum, Glauciae competitorem, occidendos curauerat. Plutarchus, epitome Liuii, Appianus, Cicero in IV. in Catilinam c. 2. Florus lib. III. c. 16.

Populariter] Populi cum gratia: quia nihil omiſit, vt populi commodo conſuleret.

Abſtinenterque] Hoc verbo vſus eſt, vt Saturninum, etſi non moderatum, tamen prae P. Clodio tolerabilem fuiſſe demonſtret. non enim ille, vt Clodius, alieni appetens, non teſtamentarius, non latro, non (vt hoc etiam ad libidines referatur) ſororis adulter, ſtuprorum ſacerdos.

Ad ſalutem communem] Cum Metellus ad ſuam magis gloriam, quam ad ſalutem reipublicae, ſpectaſſet.

Omnes praeſtare] Quod eas res ex omnium voluntate geſſiſſem. *Praeſtare alienum factum* dicitur is, qui alieni facti defenſionem ſuſcipit. praeſtare autem debet is, qui, vt fieret, auctor fuit. ideo ſe non vnum earum rerum auctorem, ſed ducem alienae voluntatis dixit fuiſſe.

CAPVT XVII.

Egeſtas, aeris alieni magnitudo] Haec ad Gabinium ſpectare facile cognoſcet is, qui, quae ſupra dicta ſunt, meminerit.

Leuitas] Ad eundem refero, ob vnguenta, cincinnos, choreas.

Improbitas] De Piſone dictum: quem ſceleratum, audacem, crudelem appellauit.

Quaeſtore Oſtienſi] Recitanda ſunt, quae in oratione legimus de haruſpicum reſponſis c. 20. pertinent enim ad hunc locum. *Saturninum,* inquit, *quod in annonae caritate quaeſtorem a ſua frumentaria procuratione ſenatus amouit, eique rei M. Scaurum praefecit, ſcimus, dolore factum eſſe popularem.* Apparet ex vtroque loco, eum, cui quaeſtura Oſtienſis obtigiſſet, rei frumentariae praefuiſſe: propterea quod, cum frumenta nauibus importarentur, omne nauigiorum genus,

nus, quibus ad vrbem curſus eſſet, portus excipiebat Oſtienſis. ideo in oratione pro Murena c. 8. huic prouinciae, cum ſortitio fieret, quaeſtores acclamare ſolitos eſſe dicit: quia ſcilicet non tacitam eſſe, et quietam, ſed negotioſam, moleſtamque ſcirent. Paterculus etiam lib. II. c. 94. haec de Ti. Nerone ſcripſit: *Quaeſtor vndeuiceſimum annum agens, capeſſere coepit rempublicam, maximamque difficultatem annonae, ac rei frumentariae inopiam ita Oſtiae, atque in vrbe mandato vitrici moderatus eſt, vt per id, quod agebat, quantus euaſurus eſſet, eluceret.*

Principem et ſenatus, et ciuitatis] *Senatus*, quod eum in recitando ſenatu cenſores primum legiſſent: *ciuitatis*, ob ſummos honores eximia cum laude adminiſtratos. erat autem fere, qui princeps ſenatus, idem ciuitatis: quod cenſores principem eum legere ſolerent, cuius inter omnes ciues dignitas emineret.

M. Scaurum] E patricia Aemiliorum gente, magni animi virum, et conſtantiae laude inſignem. lib. I. Fam. epiſt. 9. et Pedianus in orat. pro Scauro.

Scurrarum] Homines intemperantes, nullam pudoris partem retinentes, *ſcurras* a ſimilitudine nominat: quod ſcurrae impudentes ſunt, nec in facetiis modum ſeruant.

Sororis adultero] Vxoris L. Luculli, qui Tigranem Mithridatemque acie vicit. pro Milone c. 27. Plutarchus in Lucullo, Caeſare, Cicerone. Velleius lib. II. c. 45.

Stuprorum ſacerdote] Iocoſe: quod, vt Pompeiam C. Caeſaris vxorem ſtupraret, ad aras Bonae deae quaſi ſacerdos acceſſiſſet: vt, quemadmodum ſacrorum ſacerdotes ſunt, ſic ipſe ſtuprorum ſacerdos eſſet. ſimile illud lib. I. ad Attic. epiſt. 18. *M. Luculli vxorem Memmius ſuis ſacris initiauit.* hiſtoriam hac de re nemo paullo humanior ignorat.

Teſtamentario] De corruptis aut ſuppoſitis a Clodio teſtamentis nihil, quod cum hoc loco conſentiret, adhuc inueni; ſed in eum, cuius eſſet ad omne facinus immanis audacia, conuenire nefaria quaeque poſſunt.

Quos homines] Clodium, Piſonem, Gabinium.

Optimi et fortiſſimi ciues] Maxime L. Lucullus: vt in Plutarcho ſcriptum eſt.

Quoad licuit] Latenter excuſat Pompeium, quod aliquando ſibi officium amici non praeſtiterit, nec a Clodio inique oppugnatum defenderit. non enim ei per Caeſarem ſocerum licuit: qui, vt ea, quae conſul contra leges et auſpicia geſſerat, confirmarentur, alienare a ſe tribunum plebis popularem nolebat. infra c. 18. et proxime c. 20. et in Piſonem c. 32.

Nullo meo merito] Falſa fuiſſe, quae ab illo in Caeſarem dicta certi homines detulerunt, et hic ſignificat, et aperte oſtendit in ea pro domo ſua c. 16. Plutarchus autem non ideo infenſum Ciceroni Caeſarem fuiſſe dicit, quia Cicero contra eum locutus eſſet, ſed quia cum eo legatus in Galliam ire, quod pollicitus iam erat, quaſi de Clodio nihil timens, recuſaſſet. Velleius lib. II. c. 45. ait, quod inter XX viros diuidendo agro Campano eſſe noluiſſet. ego eam cauſſam, quam Cicero ipſe ponit, quam et Sue-

tonius in Iulio c. 20. confirmat, veriorem duabus reliquis exiſtimo.

In conſiliis capiendis] De pernicie mea.

In re gerenda] In me eiiciendo.

Vnum] C. Caeſarem: qui Galliam Cisalpinam, quae Italiae pars olim fuit, cum exercitu imperioque obtinebat.

Exercitum maximum] Legiones quattuor, praeter auxiliares. Plutarchus in Pompeio, Caeſare, Catone.

Duos] Cn. Pompeium, M. Craſſum.

Praeeſſe] Magiſtratus habere.

Facturos] Vt ipſum, ſi opus eſſet, adiuuarent in re gerenda.

Iudicium populi] Populum enim in cauſſa capitali, centuriatim coactum, iudicem eſſe oportebat: idque et ſacratis legibus, et XII. tabulis ſancitum erat. quod infra c. 30. patet, et lib. III. de Leg. c. 4.

Legitimam] Si non ad populum, at ante aliquem magiſtratum, publicumue conſilium.

Disceptationem] Propria vox ad explicandam inter litigantes contentionem. itaque ad Metellum lib. V. Fam. epiſt. 2. *neque illi*, inquit, *quidquam deliberatius fuit, quam me, quacumque ratione poſſet, non iudicio, neque disceptatione, ſed vi, atque impreſſione euertere.* et pro Plancio c. 36. his verbis: *Erat non iure, non legibus, non disceptando decertandum.*

Cauſſae dictionem] Ciuem enim Romanum indicta cauſſa condemnari, leges vetabant. quo nomine et ipſe Cicero a P. Clodio tribuno plebis lege lata pulſus eſt. coniuratos enim, indicta cauſſa, necari e ſenatus conſulto iuſſerat.

Vim, arma, exercitus, imperatores, caſtra] Duo prima verba ad ipſum Clodium, tria poſtrema ad Caeſarem refero.

CAPVT XVIII.

Vana] Quae nihil veri contineret.

Eorum taciturnitas] Nam etſi, cum tacerent, quid ſentirent, intelligi non poterat: mouebar tamen, quia tacendo loqui videbantur, infitiando confiteri. pro Plancio c. 35.

Ob aliam cauſſam tacebant] Haec ad Caeſarem potius cauſſa pertinebat, quam aut ad Pompeium, aut ad Craſſum. cum enim vehementer timeret Caeſar, ne, quae anno ſuperiore contra auſpicia peregerat, ea non a conſulibus Piſone et Gabinio, quorum alterum ſocerum, alterum ſuis partibus addictum habebat, ſed a praetoribus infirmarentur: tribunum plebis P. Clodium alienare a ſe nolebat. is enim praetoribus, de tollendis Caeſaris actis rogationem ferentibus, vel interceſſione poterat, quia tribunus plebis erat, vel, quia facinoroſus et audax, etiam vi armisque reſiſtere. hanc igitur ob cauſſam Caeſar tacebat. Craſſus autem et Pompeius, quia Caeſari fauebant, alter amicitia et coitione in rempublicam facta, alter etiam affinitate deuinctus.

Acta illa] Ea, quae proximo anno conſul geſſerat. qua de re in oratione in Piſonem c. 32. his verbis: *Adducta res in certamen, te conſule, putabatur, vtrum, quae ſuperiore anno ille geſſiſſet, manerent, an reſcinderentur.* et in

in ea de prouinciis c. 18. *Terror iniectus Caeſari de eius actis, metus caedis bonis omnibus.* Et pro domo c. 15. *Tua denique omnis actio poſterioribus menſibus fuit, omnia, quae C. Caeſar egiſſet, quae contra auſpicia eſſent acta, per ſenatum reſcindi oportere.*

Labefactari] Reſcindi; quod in legibus ferendis neque auſpiciorum, neque veterum legum habita ratio eſſet.

Praetoribus] C. Memmio, L. Domitio Ahenobarbo: de quibus haec in Suetonii Iulio c. 23. ſcripta ſunt: *Functus conſulatu, C. Memmio, Lucioque Domitio praetoribus, de ſuperioris anni actis referentibus, cognitionem ſenatui detulit: nec illo ſuſcipiente, triduoque per irritas altercationes abſumto, in prouinciam abiit: et ſtatim quaeſtor eius in praeiudicium aliquot criminibus arreptus eſt.* et in Nerone c. 2. *Huius filius praetor C. Caeſarem, abeuntem conſulatu, quem aduerſus auſpicia legesque geſſiſſe exiſtimabatur, ad disquiſitionem ſenatus vocauit.*

Infirmari a ſenatu] Si decerneret, leges omnes a Caeſare conſule, aut a tribuno plebis illius ſatellite Vatinio contra auſpicia eſſe latas: quod olim de legibus a tribuno plebis M. Liuio Druſo latis decretum erat. Pedianus in Corneliana.

Principibus ciuitatis] Caeſaris inimicos intelligit, M. Bibulum, M. Catonem, L. Domitium; item alios, opinor, viros bonos, vt L. Cottam, P. Seruilium Iſauricum, Q. Hortenſium, forte et duos Lucullos, Pompeii ob ereptam Mithridatici belli gloriam inimicos.

Tribunum popularem] Quia, cum a patriciis ad plebem transiit, magnam a populo gratiam iniit.

Suaque ſibi propiora pericula eſſe, quam mea, loquebantur] Hoc, vt proxima ſuperiora, ad Caeſarem ſpectat: cuius erant illa acta, quorum cauſſa timebat. itaque in Piſonem c. 32. *fuit*, inquit de Caeſare, *ſibi amicior, quam mihi.*

Publice ſusceptae] A conſulibus. in Piſonem c. 15.

Domi meae] Hac de re ſic in ea pro domo ſua c. 21. *Quid? cum Syria Gabinio dabatur, Macedonia Piſoni, vtrique infinitum imperium, ingens pecunia, vt tibi omnia permitterent, te adiuvarent, tibi manum, copias, tibi ſuos ſperatos centuriones, tibi pecunias, tibi familias compararent: te ſuis ſceleratis concionibus ſubleuarent, ſenatus auctoritatem irriderent, equitibus Romanis mortem proſcriptionemque minitarentur: me terrerent minis: mihi caedem et dimicationem denunciarent: meam domum, refertam viris bonis, per amicos ſuos complerent: proſcriptionis metu me frequentia nudarent virorum bonorum, me praeſidio ſpoliarent: ſenatum pro me non modo pugnare, ampliſſimum ordinem, ſed etiam plorare, et ſupplicare, mutata veſte, prohiberent: ne tum quidem vis erat?*

Compoſiti monuerunt] *Compoſiti*, fraude et inſidiis conſulum: *monuerunt*, litteris, et nunciis ii, qui familiares non erant: coram autem ii, quibus iure familiaritatis hoc licebat: de quibus loquitur in ea in Piſonem c. 31.

Meo nomine] Veritus eſt, ne illi ipſi, a quibus monebatur, aliquid

 quid

quid in ipſum molirentur; quod fore ſperarent, vt homines id a Cicerone commiſſum exiſtimarent, a quo inſidias eius vitae poſitas praedixerant.

Homines ignari veritatis] Non ideo tacuiſſe Caeſarem ſignificat, quia ſibi eſſet inimicus, ſed quia, ne acta ſua reſcinderentur a praetoribus, timeret.

Erat ad portas] Non enim prius ad bellum profectus eſt Caeſar, quam Ciceronem Clodius Italia expulit. quod a Plutarcho ſcriptum eſt.

Fratrem] Ap. Pulchrum, qui legatus fuit in exercitu Caeſaris.

CAPVT XIX.

Haec ego cum viderem: (neque enim erant occulta)] Genus loquendi Graecis quoque vſitatum. iisdem enim verbis vſus eſt Demoſthenes in ea, περὶ ϛεφάνου, ταῦτα δὲ ὁρῶν ὁ Φίλιππος· οὐ γὰρ ἦν ἀφανῆ. cuius in imitationem non de induſtria, vt opinor, ſed caſu, et ex legendi conſuetudine Cicero incurrit: cum etiam ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. itidem locutus ſit: *Quae cum viderem: (neque enim erant obſcura.)* Nec diſſimiliter in agraria II. c. 4. *Quae cum ego non ſolum ſuſpicarer, ſed plane cernerem: (neque enim obſcure gerebantur.)*

Publici conſilii] Senatus: quem diuerſis nominibus appellat, *ſenatum, publicum conſilium, ſummum ordinem, ampliſſimum ordinem, principem ordinem.*

Eos, qui plurimum poſſent] Tres illos, quos proxime nominauit.

Legionum] Caeſaris.

Meum prope veſtro defuiſſe] Quod iis, pro ipſius ſalute contra Clodium pugnare cupientibus, non permiſit. ex quo ſunt illa ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Meos ciues, et a me ſeruatos, et me ſeruare cupientes, ſpoliatos ducibus, armatis ſeruis obiici noluerim.* Nec alibi ſemel idem gloriatur.

Hac vna medicina] Aduerſus enim illius furorem non ſatis in iudiciis et legibus eſſe praeſidii, ſaepe res docuerat.

Sola] Cum dixerit, *hac una;* videtur abundare, *ſola.* ſed non eſt ita. nam, vt res augeatur, ita loqui Cicero ſolitus eſt. de quo infra c. 62. his verbis: *Vnus eſt ſolus inuentus, qui ab hac tam impenſa voluntate bonorum palam diſſideret.* et in ea in Piſonem c. 40. his verbis: *Ciues Romani, qui in iis locis negotiantur, te vnum ſolum, ſuum depeculatorem, vexatorem, praedonem, hoſtem veniſſe ſenſerunt.*

A reipublicae peſte] Ab ea peſte, quam Clodius reipublicae importabat.

Accipienda plaga] Locus obſcuratur mendo: maximeque corruptam ſuſpicor dictionem, *illi.* quod ſi verba loco mutes, vt alterum in alterius locum demigret, vnde librariorum fortaſſe incuria extruſa ſunt, meo iudicio nihil erit, quod deſideres. venit enim in mentem, Ciceronem ita ſcriptum reliquiſſe: *Plaga mihi inſanabilis, reipublicae mortifera, quam illi impoſuiſſem*, etc.

Quam bis vincere] Quandoquidem ſine magna ciuium ſtrage vincere non poſſem.

Illa altera] Cum conſulibus.

Neque victi] Quia, bonis ciuibus interfectis, respublica ſtare non

non poterat. qui enim ſupereſſent? non ad ſeruos res veniſſet? quod ipſe, quaſi ad huius loci expoſitionem, infra c. 21. dixit.

Neque victores] Grauem enim plagam e caede conſulum accepiſſet respublica, peſſimo exemplo in ciuitatem inducto.

Eandem horam] Quia, vt ait infra c. 24. eodem die, atque etiam eadem hora leges duae, altera de Ciceronis pernicie, altera de prouinciis conſulum latae ſunt.

CAPVT XX.

De quo te, te, inquam, patria, obteſtor] Quod obiici nobis ab aduerſario poteſt, id praeripere, et aut argumento refellere, aut excuſando eleuare, oratoriae artis eſt. quare cum hoc loco Cicero illa, quae ſibi exprobrari poſſe intelligebat, κατὰ τὴν προσωποποιίαν induxiſſet, illa, inquam, *reſtitiſſes, repugnaſſes, mortem pugnans oppetiſſes:* conuerſus ad patriam, deosque penates ac patrios, ignominiam auertit iureiurando. quod facere ſolemus, cum peccatum, aut infamiam in nos coniectam redarguere teſtibus non licet. itaque et Virgilianus Aeneas, veritus ne ſibi vitio daretur, quod extrema illa nocte, cum Achiuorum manu Troia caderet, multis circa ſe viris fortibus interfectis, ipſe quoque mortem pugnans non oppetiſſet, ad ignauiae, timiditatisque tollendam ſuſpicionem illa pronunciat lib. II. v. 431, ſeqq.

Iliaci cineres, et flamma extrema meorum,
Teſtor, in occaſu veſtro nec tela, nec vllas
Vitauiſſe vices Danaum; et, ſi fata tuliſſent,
Vt caderem, meruiſſe manu.

Veſtrarum ſedium, (Ern. *ſedum*) *templorumque cauſſa*] Ne homines impii ac nefarii, e pugna ciuium occaſione arrepta, veſtris ſedibus, ac templis ſceleratas faces inferrent. *Sedum*, legit Priſcianus lib. VII.

Si mihi in aliqua naue cum meis amicis nauiganti] Argumentum a minori: quoniam in naui minus eſt, quam in republica; et in aliquot amicis, quam in maximo bonorum ciuium numero.

Vectores] Non nautas, qui et vehunt nauem, et vehuntur ipſi; ſed eos, qui vehuntur tantum, amicos videlicet ſuos.

In profundum] Vis maior, quam ſi dixiſſet, *in mare.* facilius enim ſeruatur, qui eſt in mari, quam qui in profundo mari.

Cum vero in hanc reipublicae nauem] Niſi ante iam de naue meminiſſet, haud ſatis verecunda tralatio videretur. non enim repente et cum impetu irrumpit, ſed pedetentim et placide in orationem ingreditur metaphora, praeſertim vbi paullo illuſtrior eſt, nec vno, aut altero verbo terminatur. quare non offenduntur nouitate aures noſtrae, cum, *in hanc reipublicae nauem*, audiunt: nihil enim ad illas accidit inſolens, cum nauis mentionem proxime ſenſerint. neque ſolum non offenduntur, ſed etiam, cum id, quod exſpectarunt, iis infunditur, delectantur, et voluptatis quadam quaſi titillatione perfruun-

perfruuntur. quando autem exſpectare videntur aures? tum ſcilicet, cum is, qui metaphoram inducturus eſt, aditum ſibi prius et viam ad nouae rei mentionem ſimilitudine patefacit: vt hic: *Etenim ſi mihi in aliqua naue cum meis amicis nauiganti:* quaſi dicat: Quemadmodum amicorum mecum nauigantium vitam libenter interitu meo conſervarem; ſic ego vos diſceſſu meo a dimicatione ac caede liberaui: vt igitur amicis in illa naui conſulerem; ſic in hac reipublicae naue, hoc eſt, in ipſa republica, tamquam naue periclitante, ciuibus conſultum a me volui. nec eſt praetermittendum, quod in illo ſuo pereruditо, atque aureo libello Demetrius notauit, cum a principe ciuitatis ad gubernatorem nauis, aut ad aurigam apte metaphora deducatur; propterea quod omnes hi rectores ſunt; recte etiam, cum de ciuitate, aut de republica loquimur, a naui, aut etiam a curru metaphoram poſſe capi.

Ereptis ſenatui gubernaculis] A conſulibus deſtituto: qui ſenatus quaſi quaedam gubernacula ſunt.

Fluitantem] Recte appoſuit id, quod nauibus gubernaculo priuatis in tempeſtate ſolet accidere. fluitant enim, neque curſum tenent.

Armatae tot claſſes] Perditorum ciuium exercitus.

Proſcriptio] Proſcribuntur ii, quorum interfectoribus propoſita tabula praemia promittuntur. quibus interfectis, eorum bona publicantur. ideo, cum dixiſſet Cicero, *proſcriptio*, recte ſubiunxit, *caedes*, *direptio*. haec enim proſcriptionem conſequuntur. reſpexit ad Sullani temporis proſcriptionem.

Suſpicione periculi ſui] Bonos viros intelligit: qui cum eum defenſum omnes cuperent, metu tamen perterriti deſeruerunt.

Vetere odio bonorum] Improborum ciuium duplex odium fuiſſe ſignificat, in homines, et in ſtatum ciuitatis: in homines, vt hic oſtendit: in ſtatum ciuitatis, vt infra, cum ait, *alii rem ipſam publicam, atque hunc bonorum ſtatum, otiumque odiſſent.*

Inuiderent] Noui enim hominis gloriam vix ferebant.

Obſtare] Quia contra extraordinarias potentias libere loqueretur.

Dolorem ſuum] Ex aliqua Ciceronis iniuria ſusceptum. et hoc in C. Caeſarem praecipue coniectum videri poteſt: qui etiam P. Clodium, iracundia ac dolore percitus, ad plebem traduxerat. pro domo ſua c. 16. Suetonius in Iulio c. 20.

Non dicam exitio] Poterat enim accidere, vt vinceremus: ſed erat admodum periculoſa victoria.

Impendebat] Quid? pernicies, ſi vinceremur.

Susciperem] Voluntario diſceſſu, omiſſo dimicandi conſilio.

CAPVT XXI.

Conſeruarat] Patefacta, et oppreſſa coniuratione.

Illas res tantas] In conſulatu geſtas.

Haec] Quae ſum perpeſſus.

Concinebantur (Ern. *canebantur*)] Vt a vate fata pronunciante. eſt enim *canere* verbum de futura praedicentibus vſurpatum. vnde illud in orat. III. in Catilinam

nam c. 8. *Quae ita nobis conſulibus facta ſunt, vt haec, quae nunc fiunt, canere dii immortales viderentur.* et Virgilius lib. III. Aen. v. 183.

Sola mihi tales caſus Caſſandra canebat.

Aut natura, aut fortuna] Liberos natura, rem fortuna dat. vtrumque ſignificat.

Quaerendoque] Percunctando a peritis. nam tum a libris, tum a viua hominum voce doctrina comparatur.

Sapientiſſimos homines] Non puto Platonem et Ariſtotelem ſignificari. quin, vtrumque in animorum immortalitate conſentire, Graeci omnes interpretes, praeter vnum Alexandrum, exiſtimant. ex vna igitur parte Platonem, et, opinor, Ariſtotelem, de animorum aeternitate idem ſentientes, poſuit: ex altera Epicurum, quique et ante, et poſt in ea haereſi fuerunt.

Regis Erechthei filiae] De quibus apud Ariſtidem ita ſcriptum legimus ἐν τῷ παναθηναϊκῷ. Λέγεται γὰρ Ἐρεχθεὺς μὲν ἐν τῷ πρὸς εὔμολπον πολέμῳ τὴν θυγατέρα ὑπὲρ τῆς πόλεως ἐπιδοῦναι, τοῦ θεοῦ χρήσαντος, προσαγαγεῖν δ' αὐτὴν κοσμήσασα ἡ μητὴρ ὥσπερ εἰς θεωρίαν πέμπουσα. quo in loco interpres haec adſcribit: τὴν θυγατέρα, τὴν ἄγλαυρον λέγει· περὶ ἧς Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ παραπρεσβείας· καὶ τῶν ἐφήβων τῆς ἀγλαύρου. αἱ δὲ ταύτης ἀδελφαὶ συναπώλοντο ἑαυτὰς τῇ ἀδελφῇ, ἥτε ἕρση. καὶ ἡ πανδρώση. ὅρκῳ γὰρ ἀλλήλας κατέκλεισαν κοινωνεῖν ἐν ἅπασι πρὸς αὐτάς. ex vtriusque verbis, et quae fuerint Erechthei filiae, cognoſcitur, et qua de cauſſa mortem obierint. praeterea hic ipſe noſter lib. III. de Nat. deor. c. 19. *in plerisque ciuitatibus*, inquit, *intelligi poteſt, augendae virtutis gratia, quo libentius reipublicae cauſſa periculum adiret optimus quisque, virorum fortium memoriam honore deorum immortalium conſecratam. ob eam enim ipſam cauſſam Erechtheus Athenis, filiaeque eius in numero deorum ſunt.* Tuſculana autem quaeſtione prima c. 48. *repetunt*, inquit, *ab Erechtheo: cuius etiam filiae cupide mortem expetiuerunt pro vita ciuium.* Et lib. V. de Fin. c. 22. *Quis vrbis conſeruatorem Codrum, quis Erechthei filias non maxime laudat?* Praeterea in funebri oratione pro militibus Athenienſibus, quae λόγος ἐπιτάφιος inſcribitur, ᾔδεσαν ἅπαντες Ἐρεχθεῖδαι τὸν ἐπώνυμον αὐτοῦ Ἐρεχθέα ἕνεκα τοῦ σῶσαι τὴν χῶραν τὰς αὑτοῦ παῖδας, ἃς ὑακινθίδας καλοῦσιν, εἰς προῦπτον θάνατον δόντα ἀναλῶσαι. Idem et Lycurgus in oratione contra Leocratem, recitatis etiam Euripidis verſibus.

Q. Mucius] Hiſtoria patet apud Liuium lib. II. c. 12.

Pater] Qui ſe Latino bello in armatas iecit hoſtium cateruas. Liuius lib. VIII. c. 9.

Poſt aliquot annos] Etruſco bello. Liuius lib. X. c. 28. tertium Decium hic omiſit, qui et ipſe, patris auique exemplum ſecutus, Pyrrhi bello, quod adverſus Romanos pro Tarentinis geſſit, mortem pro ſalute patriae pugnans oppetiit. duos etiam tantum nominat in Parad. I. c. 2. at lib. II. de Fin. c. 19. tres commemorat.

Patrum

Patrem huius M. Craſſi] Eius, qui periit in Parthis.

Inimicum] L. Cinnam. *Illa audiuimus*, inquit in oratione pro Scauro, *hoc vero meminimus, ac paene vidimus, eiusdem ſtirpis et nominis P. Craſſum, ne in manus incideret inimicorum, ſe ipſum interemiſſe.* Et Pedianus haec adiungit: *Hic Craſſus fuit pater Craſſi eius, qui aemulus potentiae Cn. Pompeii fuit. periit autem in dominatione L. Cinnae, cum ille et alios principes optimatum, et collegam ſuum Cn. Octauium occidit.* In prooemio autem lib. III. de Orat. c. 3. *Neque propinquum ſuum*, inquit, *maximi animi virum, P. Craſſum, ſuapte interfectum manu vidit.* Idem et in epitome Liuiana lib. LXXX.

CAPVT XXII.

Cum ſua minima inuidia] Quis non modo cum maxima, ſed ne minima quidem ſua cum inuidia, vllam reipublicae partem ſuſcipere auſus eſſet, cum diſceſſum meum miſerrimum luctuoſumque vidiſſet, reditum autem glorioſum, me ante exſtincto, videre non potuiſſet?

Vaſtitatem] *Vaſtare*, non eſt rapere, ſed rapere ſimul, et deſtruere.

Semel gloria, iterum aerumna mea] Gloriam coniurationis oppreſſae, aerumnam exſilii ſui ſignificat.

Me hominem eſſe] Hoc totum et in ea ſcriptum eſt pro domo ſua c. 36.

Hoc honoris gradu] Nullum tunc adminiſtrabat magiſtratum: ſed honorem et dignitatem illam dicit, qua poſt magiſtratus egregie geſtos viri praeſtantes in patria fruuntur.

Labefactari] Quod factum eſſet, ſi dimicare potius, quam cedere maluiſſem.

Ex iisdem, quibus nos, radicibus] Vterque enim Arpini natus eſt.

Summa ſenectute] Hanc enim miſeriam ſuſtinuit Marius poſt ſextum conſulatum, anno aetatis ſuae, ſi Velleio lib. II. c. 19. credimus, LXX. a quo diſſentit Plutarchus: qui eum annum agentem LXVIII. periiſſe tradit.

Vim prope iuſtorum armorum] *Prope iuſta* vocat arma, qnibus L. Sulla duodecim, vt ait Velleius, nouarum peſſimarumque rerum auctores, inter quos Marium cum filio, et P. Sulpicio tribuno plebis, vrbe exturbauit. nulla in ciues arma iuſta ſunt: ſed illa prope iuſta. Plutarchus, Velleius, Pedianus in Corneliana, epitome Liuii lib. LXXVII.

Paludibus occultaſſe] Hiſtoriam apud Plutarchum, Appianum, Velleium, Liuii epitomen licet videre.

Deſertiſſimas] Peruenit enim in ea loca, vbi aemula quondam Romanae vrbis Carthago fuerat, ibique vitam inopem in tugurio ruinarum Carthaginienſium tolerauit. Velleius.

Incertiſſimam ſpem] Qui enim ab omni re tum nudus eſſet, eius incertiſſima ſpes, maximeque dubia videbatur.

Ad reipublicae ſtatum] Ad id tempus, quo, mutatione rerum facta, alius, atque is, qui tunc erat, ſtatus reipublicae videretur eſſe. quod cum accidiſſet, Sulla ad Mithridaticum bellum profecto, ipſe ſuam priſtinam dignitatem recupe-

recuperauit, interfectis iis, qui Sullae partes tuebantur.

Periculo reipublicae] Cum in mea vita periculum adiret respublica, mecumque ſimul periclitaretur: cum eadem vtrique fortuna impenderet: cum accidere mihi ab illa ſeiunctum nihil poſſe videretur.

Conſularibus litteris] Non conſulum, ſed eorum, qui conſules fuerant, quorum apud exteras nationes vigebat auctoritas.

Exemplum reipublicae defendendae] Non enim deerunt, qui exemplo meo excitati rempublicam defendant: cum, etſi me iniquorum fraude pulſum, eundem tamen ab ipſa republica omnium ordinum hominumque conſenſu reſtitutum meminerint. quod niſi factum eſſet; exemplum defendendae reipublicae mecum ſimul interiiſſet.

CAPVT XXIII.

Gentium, nationum] *Natio*, latius patet, quam *gens.* ſic enim plures in natione gentes, vt plures in gente populi. itaque Virgilius lib. X. Aen. v. 202. de natione Etruſca:

Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni.

Tamen interdum confunduntur, vt in orat. de prouinciis c. 13. cum dixit, *a gentibus inimicis huic imperio*, de iisdem proxime ſubiunxit, *quas nationes.*

Retinenda medicina] Quae ita retinetur, ſi bonos et fortes viros respublica fouet, et ab impetu inſidiisque tuetur improborum. nec alienum hoc a Sextii cauſſa videtur: cui propter ea, quae in tribunatu plebis pro Cicerone, hoc eſt, pro republica geſſerat, excitatam accuſationis procellam non ſemel ſignificat.

Meo iure praecipio] Hoc enim ego praeter ceteros poſſe videor facere; cum omnium maxime, quam grato animo respublica ciues optime meritos amplectatur, in me ipſo ſim expertus.

Mei caſus] Cum eiectus ſum. reditus enim gloria, non diſceſſus calamitas, cogitanda vobis eſt.

Perſolutum] Si, vt meriti ſunt, ita punientur.

Bonorum] Bonos vocat, Caeſarem, Pompeium, Craſſum: quos excuſat, vt in conſules et Clodium culpam conuertat vniuerſam. iam enim, habendam ſibi rationem otii ſimul et dignitatis, malo doctus conſtituerat. itaque, quod eorum animos, qui plurimum poterant, poſſit offendere, nihil temere pronunciat.

Iuſta cauſſa] Quia Caeſar, ne ſui conſulatus acta, quibus et Pompeius Magnus, eius gener, conſenſerat, a Clodio tribuno plebis reſcinderentur, extimeſcebat. de quo ſupra c. 18. his verbis: *Illi autem aliquo tum timore perterriti, quod acta illa, atque omnes res anni ſuperioris labefactari a praetoribus, infirmari a ſenatu atque principibus ciuitatis putabant, tribunum popularem a ſe alienare nolebant.* et in ea de prouinciis c. 18.

Imperatori] Quis non videt Caeſarem ſignificari?

Numquam enim erit tam oppreſſus ſenatus] Cum hic Cicero colligat eas cauſſas, quibus tribunicio furori cedere coactus erat, videtur potius legendum, *numquam etiam.* nam, *numquam enim*, pertineret ad rationem oſten-

oſtendendam ſuperiorum: quod minus conuenit.

Captus] Impeditus, infirmus, nullo apud conſules loco. ſpectat enim ad caſum L. Lamiae.

Breuis] Quia per XVII. tantum menſes patria caruit. diſceſſit enim ab vrbe menſe Martio, rediit pridie nonas Septembris.

CAPVT XXIV.

Perfidiae] Quia, cum Pompeio ſaepe pollicitus eſſet, ſe nihil in tribunatu contra Ciceronem eſſe acturum, promiſſo non ſtetit: de quo lib. II. ad Attic. epiſt. 21. 24.

Die dico] Correctio, qualis illa lib. I. in Verr. c. 17. *Dictum hoc eſt in Cn. Dolabellae iudicio. dictum? immo etiam aeſtimatum.*

Rogata eſt] Nam et de me, hoc eſt, de ipſa republica, et de conſulum prouinciis lata lex eſt. in Piſonem c. 9. poſt red. in ſen. c. 7.

Senatus auctoritate] Quia ſenatus decreuerat, vt viderent conſules, ne quid reſpublica detrimenti caperet.

Sine iudicio] Populi.

Vaſto (Ern. *vaſtato*)] Cum abeſſent omnes boni. *vaſtus* enim *locus* dicitur is, vbi ſolitudo eſt. vt in orat. II. in Rullum c. 26. *genus agrorum* vocat *propter peſtilentiam vaſtum, atque deſertum.* Et Feſtus *vaſtum* pro inani vſurpatum a veteribus docet, vtiturque Attii, et Pacuuii teſtimonio.

Statim me perculſo] Statim, lege de me lata, ad mea bona diripienda conuolarunt. poſt reditum in ſenatu c. 7.

Sanguinem] Tralationem continuat. ſunt enim illa tralata: *me perculſo, meum ſanguinem hauriendum, ſpirante republica, ſpolia detrahenda.* dicit autem, *ſpirante republica,* cum de ſe ipſo loquatur; quia rempublicam vna cum ipſo perculſam confectamque eſſe vult exiſtimari. itaque et proxime, *eadem*, dixit, *mihi reique publicae pernicies rogata eſt.* et in Piſonem c. 9. non modo ſuum, ſed etiam patriae funus appellat. et alibi ſaepiſſime idem ſignificat.

Partitionem aerarii] Cum Clodio: qui, lege lata de maximis pecuniis Piſoni et Gabinio dandis, quaſi euntibus cum exercitu in prouincias neceſſariae magnopere eſſent, eas deinde pecunias cum ipſis partitus eſt. ſupra c. 10. et pro domo ſua c. 9.

Vexabatur vxor mea] Quippe quae etiam ad tabulam Valeriam ducta ſit. lib. XIV. Fam. epiſt. 2.

Piſo gener] Tres generos habuiſſe Ciceronem conſtat, L. Calpurnium Piſonem Frugi, Furium Craſſipedem, P. Cornelium Lentulum Dolabellam. qua in re Pediani error deprehenditur, qui in oratione in Piſonem init. duos fuiſſe commemorat, Piſonem, et Dolabellam. Craſſipedis praenomen ignoratur.

Reiiciebatur] Eadem res in orat. in Piſonem.

Ad conſules deferebantur] Ad Gabinium villa Tuſculana, ad Piſonem Palatina domus. nam in oratione poſt reditum in ſenatu c. 7. *Domus*, inquit, *mea diripiebatur, ardebat, bona ad vicinum conſulem de Palatio, de Tuſculano ad item vicinum alterum conſulem deferebantur.* et pro domo ſua c. 24. *Cum domus in Palatio, villa in Tuſculano, altera ad alterum conſulem transfereba-*

ferebatur: columnae marmoreae ex aedibus meis, inſpectante populo Romano, ad ſocrum conſulis (ſic enim ex oratione in Piſonem, et ex Pediano correxi) *portabantur: in fundum autem vicini conſulis non inſtrumentum, aut ornamenta villae, ſed etiam arbores transferebantur.* In ea vero in Piſonem c. 11. *At tu,* inquit, *illo ipſo tempore apud ſocrum tuam, cuius domum ad meam exhauriendam patefeceras, ſedebas.*

Vrbis tamen periculo commoverentur] Vel quod ea ſimul cum ſalute Ciceronis periclitaretur: vel quod ob ea, quae proxime commemorabit, proprium vrbis periculum ageretur.

CAPVT XXV.

Promulgatae] Aliquot igitur non perlatae, tribuno plebis aliquo, vt opinor, intercedente. quod et infra c. 30. patet, et pro domo ſua c. 10.

Dicam] Non dubitat, vtrum dicat an omittat; ſed indicat, legum multitudinem oratione vix poſſe comprehendi.

Vt cenſoria notatio (Ern. *notio*)] Hac de Clodii lege ſic in oratione in Piſonem c. 4. *Ab eodem homine, in ſtupris inauditis nefariisque verſato, vetus illa magiſtra pudoris et modeſtiae, ſeueritas cenſoria, ſublata eſt.* Quem locum Pedianus ſic exponit: (Tulit P. Clodius tribunus plebis legem) *ne quem cenſores in ſenatu legendo praeterirent, neue qua ignominia afficerent, niſi qui apud eos accuſatus, et vtriusque cenſoris ſententia damnatus eſſet.* Haec Pedianus. Dio autem lib. XL. hanc legem a Scipione conſule, Magni Pompeii ſocero, eſſe abrogatam tradit. Quod autem ſcriptum eſt, *cenſoria notatio*, et *grauiſſimum iudicium;* non dubito quin rectius ſit, *cenſoria notio.* non enim poteſt eſſe notatio ante iudicium: ſed iudicabant prius cenſores, quam notarent. quare primum ipſa me ratio mouet, vt *notio,* pro *notatio,* reponendum putem: deinde habeo duo in duabus eiusdem orationibus exempla. nam in ea de prouinciis conſularibus c. 19. *vobis,* inquit, *ſtatuendum eſt, legem Aeliam manere, legem Fuſiam non eſſe abrogatam, non omnibus faſtis legem ferri licere: cum lex feratur, de caelo ſeruari, obnunciari, intercedi licere: cenſorium iudicium ac notionem, et illud morum ſeueriſſimum magiſterium non eſſe nefariis legibus de ciuitate ſublatum.* In Piſonem autem c. 5. *Centum prope annos legem Aeliam et Fuſiam tenueramus: quadringentos iudicium notionemque cenſoriam. quas leges auſus eſt non nemo improbus, potuit quidem nemo conuellere: quam poteſtatem minuere, quo minus de moribus noſtris quinto quoque anno iudicaretur, nemo tam effuſe petulans conatus eſt.*

Collegia] Non ſunt eadem iteranda. ſatis hac de lege, et de collegiorum nomine diximus ſupra c. 15.

Vectigalium] Lege enim lata, vt frumentum populo, quod antea ſemis aeris, hoc eſt quadrante, vt vulgo nunc appellantur, cum dimidio, in ſingulos modios dabatur, gratis daretur, vectigalia quinta fere parte diminuebantur. hanc legem et Saturninus, et ante C. Gracchus tulerat. epitome Liuiana lib. LX. lib.

lib. I. ad Herenn. c. 12. et Pedianus in Piſon. c. 4.

Vni heluoni] Ipſi Vatinio; quod eſſet homo nequam, diſſolutus, et intemperantia perditus.

De eadem re] De prouincia. vide pro domo ſua c. 9.

CAPVT XXVI.

Eam legem] Quae legem Aeliam et Fuſiam euertit. vide ſupra c. 15.

Religionum] Nullam enim religionem, cum lex ferretur, impedimento eſſe voluit. poſuit autem primum genus, deinde ſpeciem. nam inter religiones ſunt auſpicia.

Auſpiciorum] Ne auſpicia valerent.

Poteſtatum] Ne quis intercederet. ſupra c. 15.

De iure, et de tempore] *De iure*, hoc eſt, de auſpiciis, erat Aelia: *de tempore*, Fuſia. Clodius vtramque ſua lege deleuit. tulit enim, vt ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de caelo ſeruaret: et vt omnibus diebus faſtis legem ferri liceret. ſupra c. 15.

Omnem domeſticam labem] Leges de rebus vrbanis a Clodio latas. et dixit, *omnem:* quaſi praeter ea, quae iam commemorauit, ſuperſint multa.

Tribunicia] P. Clodii tribuni plebis.

Brogitaro] Gallograeco, Deiotari regis genero. vide de haruſp. reſp. c. 13.

Cum ea] Vel, *ea*, quae ad religionem pertinent, quae illi Clodius ſua lege aſſignauit: vel, *eam*, lege: vt ad religionem referatur.

Ne a ſenatu quidem] Non a populo, ſed a ſenatu reges appellabantur. primum igitur in eo peccat Clodius, quod reges per populum, non per ſenatum appellat: deinde, quod eos appellat, qui id numquam, non modo a populo, ſed ne a ſenatu quidem poſtularint. ſatis autem conſtat, haec omnia ſignificari, a Clodio mercede et pretio eſſe facta. nam et in ea pro domo ſua c. 50. *ſi tuus*, inquit, *ſcriptor in illo incendio ciuitatis non ſyngraphas cum Byzantiis exſulibus, et cum legatis regiis faceret.* et proxime infra, *regum appellationes venales erant.* Et pro Milone c. 27. *Eum, qui regna dedit, ademit.*

Condemnati] Nimis iniuſte, nimis tyrannice agit Clodius: exſules, legibus condemnatos, reducit; ciues eiicit indemnatos. in quo ſe ipſum Cicero ſignificat. qua de re ſaepe queritur, et in oratione pro domo c. 20. et alibi.

Ptolemaeus] Cypri rex: qui, accepto de lege Clodia nuncio, quae regnum vniuerſamque regiam gazam publicabat, ipſe ſibi, veneno ſumto, mortem intulit. cauſſam regni publicati ſcripſit Dio lib. XXXVIII. quod olim Clodium a piratis captum Cypri rex Ptolemaeus redimere noluiſſet. hac de re et in ea pro domo ſua c. 20. et 50. Et eſt notandum ἀνακόλουθον. nam *rex Ptolemaeus* non eſt, quo referatur. quale illud in Tuſc. III. in extremo: *Philoſophia, cum vniuerſam aegritudinem ſuſtulit, tamen*, etc.

Eius regis] Alexandrini; qui et ipſe Ptolemaeus vocabatur: de quo in libro epiſtolarum ad Lentulum.

In

In eadem cauſſa] Cum meritis in populum Romanum fratri, Cyprio regi, non praeſtaret, ſed pari cum eo conditione eſſet.

Honorem iſtum] Societatis. vnde illa pro Rabirio Poſtumo c. 3. *Non ei regi credidit, qui alienus ab hoc imperio eſſet, ſed ei, quicum foedus fieri in Capitolio viderat.* Societatis autem honorem Ptolemaeus, Alexandriae rex, C. Caeſaris conſulis beneficio, conſecutus eſt. quod ipſe Caeſar ſcripſit lib. III. de bell. ciu. c. 107.

Eadem vetuſtate ſocietatis] Non dicit, ſocium fuiſſe cum fratre, vetuſta ſocietate: (iam enim hoc negauit) ſed vtrumque a maioribus ortum vetuſta populo Romano ſocietate coniunctis. nam inde ab eo tempore, cum Pyrrhus rex in Italiam transiit, populus Romanus cum Aegypti rege Ptolemaeo ſocietatem coierat.

Eisdem operis] Quarum ſuffragio et alias iniquiſſimas leges Clodius pertulerat.

Nulla iniuria commemorata] Nota conſuetudinem populi Romani, qui nemini, niſi ob acceptas iniurias, aut ablatas res, quae per fetiales repetebantur, bellum aut damnum inferre ſolitus erat. quod vtrumque a Clodio neglectum eſt.

CAPVT XXVII.

Illum Magnum] Aſiae regem, qui, cum multi fuerint Antiochi reges, opibus et potentia cunctis antecelluit. ideo, vt ab aliis diſtinguatur, appoſuit, *illum Magnum.*

Superatum] A L. Scipione, Africani maioris fratre: qui ob eam cauſſam Aſiatici cognomen eſt adeptus.

Attalo] Eumenis fratri, qui eam poſtea populo Romano moriens teſtamento legauit.

Bello prope] Non enim bello Tigranes Romanos laceſſiuit: ſed, vexandis ſociis, quaſi bellum inferre videbatur. non ſatis habet Cicero, populum Romanum excuſare, qui non laceſſitus bellum intulerit; ſed excuſat etiam cum laude, quod ſociorum iniurias ſuas iniurias duxerit.

Acerrimum] Qui bellum per annos quadraginta cum Romanis geſſerit.

A Lucullo] Qui Mithridatem, atque etiam Tigranem ita vicit, vt Pompeio, qui ſucceſſit, non difficiles belli reliquias tradiderit. vnde inimicitiarum inter eos origo fluxit: cum vterque eius belli gloriam ad ſe traheret. Plutarchus, et alii.

Conſtitutum a ſe regem, quam conſtrictum] Iucunditatem in vocum ſimilitudine quaeſiuit. nam *conſtitutum* et *conſtrictum* et ſimiliter incipiunt, et ſimiliter deſinunt. hanc figuram Graeci παράγραμμα dicunt.

Tulit geſſit (abſunt ab Ern.)] Apertum mendum. nec dubium eſt, quin Tigranes ſignificetur, cuius comparatione auget Clodii ſcelus ex Ptolemaei iniuſtiſſima calamitate. eſt enim argumentum a maiori. ſi Tigrani, inquit, qui hoſtis fuit populi Romani, regnum conſeruaſtis: quanto magis Ptolemaeo, qui ſemper ſocius, ſemper amicus fuit, conſeruare debuiſtis? poſtulat igitur ſententia, vt pro, *tulit geſſit*, reponatur, *Tigranes igitur*, vel, *igitur is.* ſed quoniam odi coniecturas, quae a litterarum ſimi-

 litudine

litudine diſcedunt; opem veterum librorum exſpectandam cenſeo. alioqui nihil tentandum.

Acerrimum hoſtem] Mithridatem dici conſtat.

De imperio paene] Non omnino, ſed paene actum eſſet de imperio populi Romani, ſi, cum Tigranes ſigna contulit, victoriam conſecutus eſſet. alios enim exercitus parare, iterumque belli fortunam experiri nobis licuiſſet.

Qui ſemper ſocius] Non ad ipſum Ptolemaeum, ſed ad maiores eius referendum eſt. nam ipſe, cum Clodius legem tulit, nondum erat ſocius. dixit igitur, *ſemper ſocius*, pro, qui veterem nobiscum ſocietatem conſeruabat. maiores enim eius inter ſocios fuiſſe populi Romani indicant illa verba c. 26. *Erat eodem genere, iisdem maioribus, eadem vetuſtate ſocietatis:* quod maiores eius ſocii noſtri ſemper fuerint. Ammianus tamen lib. XIV. c. 8. foederatum, et ſocium appellat his verbis: *Ptolemaeo rege, foederato nobis et ſocio, ob aerarii noſtri anguſtias iuſſo ſine vlla culpa proſcribi, ideoque hauſto veneno voluntaria morte deleto, et tributaria facta* (Cyprus) *eſt, et velut hoſtiles eius exuuiae claſſi impoſitae, in vrbem aduectae ſunt per Catonem.*

Viuus, et videns] Sumſit a Terentio: apud quem in Eunucho act. I. ſc. 1. v. 28. ita loquitur Phaedria:

— *Prudens, ſciens,*
Viuus, videnſque pereo. —

En, cur ceteri reges] De hac figura diximus lib. I. in Verr. c. 37. in eo loco: *En, cui tuos liberos committas.*

CAPVT XXVIII.

Maculare] Nam regiae gazae vendendae, et pecuniae deportandae M. Catonem, lege lata, Clodius praefecit; non vt Catonem ornaret; ſed partim vt virum fortiſſimum, et improbis ciuibus infenſum, a republica remoueret; partim vt, ſi quis deinde legem illam de Cypro publicatam vellet accuſare, ſocium, ac defenſorem haberet M. Catonem, vtpote qui eius negotii particeps fuiſſet. quod ſane ita contigit. pro domo ſua c. 8. de prouinciis conſularibus c. 19. Plutarchus, Velleius lib. II. c. 45.

Ignari] Laudat virtutem; vt Catoni, viro innocentiſſimo, et omni laude praedito, nullam ex illo negotio haerere infamiam potuiſſe conſtet. turpis quidem Clodius, qui legem tulit: non tamen turpis Cato, qui negotium, ea lege impoſitum, adminiſtrauit.

Imponendum] Et rei, et hominis cauſſa hoc verbo vſus eſt: vt hoc ſignificet, et rem Catone indignam eſſe impoſitam, et impoſitam inuito. quod et Dio tradit lib. XXXVIII.

Euelliſſe] Sic et in ea pro domo ſua c. 9. quo modo autem euelliſſe? quia Cato, ſuſcepto et adminiſtrato negotio, contra leges a Clodio in tribunatu latas pro ſua veteri conſtantia, ac libertate loqui iam non poſſet: quandoquidem inter eas leges eſſet ea, de Cypro publicata: quae ſi tolleretur, ea ſimul, quae Cato in Cypro geſſerat, tolli neceſſe erat. nec ſane parum callide Clodius cogitauit. nam, quod fore putauit, id ipſum euenit; vt Cato, ne, quae ipſe in Cypro

et

et Byzantii egiſſet, infirmarentur, Clodii tribunatum contra Ciceronem defenderet. de quo in oratione de prouinciis conſularibus c. 19. et Plutarchus in Cicerone.

Poſt meum diſceſſum] Errat igitur Plutarchus, qui Catonem ait ante Ciceronem a Clodio emiſſum.

Prouinciae poeniteret] Cuius mercede, ac pactione inductus, cum Clodio de mea pernicie conſenſerat.

Paruit] Quod in Cyprum iuit.

Deſignatus tribunus plebis] Nonis Decembris, quem ſaepe diem ſibi glorioſum, reipublicae ſalutarem Cicero nominat, de coniuratis in ſenatu dictae ſententiae ſunt, factoque in Catonis ſententiam ſenatus conſulto, in carcere necati. hinc apparet, quod in Pediano act. I. in Verr. c. 10. legitur, falſum eſſe, magiſtratum iniiſſe tribunos plebis nonis Decembribus. nam deſignatum hic apparet fuiſſe tribunum M. Catonem, quo die dictae ſententiae ſunt de coniuratis: quem fuiſſe nonas Decembris, ex ea pro Flacco c. 40. ex epiſtola M. Bruti 17. e Salluſtio, et Plutarcho non dubie conſtat. primus autem magiſtratus dies tribunis plebis fuit, IV. idus Decembris. quod a Dionyſio, et Liuio cognouimus.

Sibi praeſtandam] Ita grauem ſibi inuidiam videbat impendere, vt eam ſubire ſine vitae periculo non poſſet. ſubiit tamen, patria vitae antelata.

CAPVT XXIX.

Templo a collega occupato] Q. Metellus Nepos, M. Catonis in tribunatu plebis collega, legem de Pompeio cum exercitu ex Aſia ad vrbem reuocando perferre conatus eſt. obſtitit Cato, non ſine vitae periculo, vt Plutarchus in eius vita docet. *Templum* hic Cicero vocauit Roſtra, in quibus leges ferri ſolitae ſunt. nam loca omnia, auguriis conſtituta, *templa* dicebantur. et vt non omnia templa ſancta, ſic nec ſacrae omnes aedes templa apud veteres fuere. illud ex Varrone, hoc ex Gellio cognoſcitur. Varro ſic lib. VI. de ling. Lat. *Curia Hoſtilia templum eſt, et ſanctum non eſt.* Gellius autem lib. XIV. c. 7. ex libro Varronis quarto epiſtolicarum quaeſtionum haec recitat: *Docuit, confirmauitque, niſi in loco per auguria conſtituto, quod templum appellaretur, ſenatus conſultum factum eſſet, iuſtum id non fuiſſe. propterea et in curia Hoſtilia, et in Pompeia, et poſt in Iulia cum profana ea loca fuiſſent, templa eſſe per auguria conſtituta, vt in iis ſenatus conſulta more maiorum iuſta fieri poſſent. inter quae id quoque ſcriptum reliquit: non omnes aedes ſacras templa eſſe, ac ne aedem quidem Veſtae templum eſſe.* Suggeſtus igitur ille, qui in foro fuit, vnde tribuni plebis ad populum leges ferebant, modo *Roſtra*, modo *templum* vocabatur; ſed *templum*, vt opinor, prius, quam *Roſtra*. nam Varro lib. V. de ling. Lat. *in templo iubeas adeſſe homines*, dixit, pro in Roſtris. Et Cicero lib. II. de Inuent. c. 17. *tribunum plebis de templo deducere.* Et Liuius lib. III. c. 17. *P. Valerius*, inquit, *collega ſenatum retinente, ſe ex curia proripit: inde in templum ad tribunos venit.* Roſtra quae poſt a

diƈta ſunt, *templum* vocauit. Livius lib. VIII. c. 14. *Naues Antiatum partim in naualia Romae ſubduƈtae, partim incenſae: roſtrisque earum ſuggeſtum in foro exſtruƈtum adornari placuit: Roſtraque id templum appellatum.* Et infra c. 35. eodem libro, Roſtra ſignificat, cum ait: *Digreſſum eum templo laetus ſenatus, laetior populus, circumfuſi, ac gratulantes hinc magiſtro equitum, hinc diƈtatori, proſecuti ſunt.* Et lib. XXIII. c. 10. *Egreſſus curia, in templo magiſtratus conſedit, comprehendique Decium Magium, atque ante pedes deſtitutum, cauſſam dicere iuſſit.* Abundamus Ciceronis exemplis. nam in hac oratione c. 35. inquit de Fabricio tribuno plebis: *Princeps rogationis, vir mihi amiciſſimus, Q. Fabricius, templum aliquanto ante lucem occupauit.* Et infra c. 39. *Tribunos plebis ferro e Roſtris expelleret.* quo loco Q. Fabricium, a quo templum occupatum dixerat, ſignificat. Et in Vatinium c. 10. *Cum L. Vettium, qui in ſenatu confeſſus eſſet, ſe cum telo fuiſſe, Cn. Pompeio, ſummo et clariſſimo ciui, ſuis manibus necem offerre voluiſſe, in concionem produxeris, indicem in Roſtris, in illo, inquam, augurato templo ac loco collocaris.* Et pro lege Manilia de Roſtris loquitur; cum ait in extrema oratione: *Teſtor omnes deos, et eos maxime, qui huic loco temploque praeſident.* Et lib. III. in Verr. c. 96. *Quid poſſumus contra illum praetorem dicere, qui quotidie templum tenet?* Nec aliter accipio illud lib. II. de Orat. c. 47. *Vi pulſum ex templo L. Cottam, et T. Didium, cum intercedere vellent rogationi, nemo poterat negare.*

Adiit tum periculum] Me conſule, et anno ſequenti, cum obſtitit Metello conſuli.

Haereret illa nihilo minus in republica turpitudo] Nihilo minus omnia regia bona praeconi ſubieƈta veniiſſent. cum enim, vt negotium illud Cyprium a Catone adminiſtraretur, lata lex eſt; iam regnum erat publicatum.

Per illum iam (Ern. *vnum*) *labefaƈtari*] Si, Clodia lege contemta, in Cyprum ire recuſaret, quo quidem oſtendiſſet, leges Clodii nullas eſſe.

Quod ex malis boni poſſet in republica peruenire (Ern. *prouenire*)] Malum fuit, inſonti regi ſine cauſſa ſuum eripere: bonum, de bonis illius coaƈtam pecuniam in aerarium inferre. quod a Catone potius, integerrimo homine, quam a quouis alio fieri, e republica fuit.

Alia quapiam (Ern. *aliquapiam*) *vi*] Placet; vt eſt in Maſſeiano libro, *aliquapiam vi:* vt, quemadmodum ab *alius quisquam* fit *aliquisquam*, (nam dixit Liuius lib. XLI. c. 6. *Nec vllos alicuiquam, qui nati liberi ſint, in ſeruitutem dari placere*) ſic ab *alius quispiam* deducatur *aliquispiam.*

Superiore anno] Caeſare conſule. quo anno, cum nihil more maiorum gereretur, Caeſare leges et auſpicia negligente; Cato deſperatione quadam in ſenatum non venit.

Sententia ſua] Cum enim pulſus eſt Cicero, tum damnari et ſenatus viſus eſt, ſententia Catonis. pulſus enim eſt ob coniuratorum necem. illi autem e ſenatus

ſenatus conſulto, Catonis in ſententiam facto, necati ſunt.

Ceſſit] Cum Cypriae rogationi paruit, et in Cyprum profectus eſt.

CAPVT XXX.

In ſocios, in reges, in liberas ciuitates] In Peſſinuntem, in Ptolemaeum, in Byzantium. ſupra c. 26.

Quis auderet (Ern. *audiret*)] Transit a parte ad totum, hoc eſt, a conſulibus ad omnes ciues. quis, inquit, in ciuitate contra P. Clodium, facinoroſum hominem, et audacem mittere vocem, ſi maxime vellet, auderet? rurſus a toto ad partem, hoc eſt, ad conſules, orationem conuertit. mihi, inquit, quia patriam a coniuratorum ſcelere vindicaram, laboranti, non modo ante diſceſſum meum, ſed ne poſt diſceſſum quidem auxilio fuerunt. et metaphora, quae fit per oppoſitionem, quam Ariſtoteles laudat, vſus eſt. nam, *ſtantem* et *iacentem*, cum translata ſunt, tum etiam antitheta. Suſpicor tamen legendum hic eſſe: *Quamquam quis audiret, ſi maxime queri vellent?*

Societas, magiſtratuum pactioni] Inter conſules et tribunum plebis, vt illi de mea pernicie, cum lex rogaretur, conniuerent; hic prouincias, quas vellent, ſceleris mercedem daret.

Sacratis legibus] In Sacro monte latis, cum plebs a patribus ſeceſſit. Liuius lib. II. c. 33. Dionyſius lib. VI. Cicero ipſe pro C. Cornelio, Pedianus.

Priuilegium] Legem aduerſus vnum ciuem.

De capite] Cum caput diminuitur, hoc eſt, cum aliquis ciuitate, ac libertate priuatur. ideo ſaepe *caput* et *fortunas* Cicero coniungit: propterea quod, quibus in cauſſis de capite, in iisdem fere de bonis agitur.

Comitiis centuriatis] De his, et de omni comitiorum genere ſatis in libro de comitiis diſputatum a nobis eſt. quod autem ad huius loci ſententiam attinet: etſi, quid dicatur, apertum eſt; verba tamen ex lib. III. de Leg. c. 4. recitabo: *Priuilegia*, inquit, *ne irroganto: de capite ciuis, niſi per maximum comitiatum, ne ferunto.* et in eodem libro in extremo c. 19. *Propterea quod neque tributa capitis comitia rata eſſe poſſunt, neque vlla priuilegii. Maximum comitiatum* pro centuriatis comitiis poſuit: quod his et maiores magiſtratus mandari, et ſumma quaeque perfici ſolerent.

Conſcripta] Priuatim, et occulte, vt ſyngraphae illae cum Byzantiis exſulibus, et legatis regiis factae. pro domo ſua c. 50.

Deſcripta] Vnico verbo duas res ſignificat: primum, procurationum, quae dabantur, multitudinem; vbi enim deſcriptio, ibi ordo; et vbi ordo, ibi numerus: deinde, Clodii infinitam licentiam, qui, quaſi vnus omnia teneret, ita, quae cuique vellet, pro ſua libidine deſcribebat.

Quae prouincia] Ita omnes contrahendae pecuniae vias peruestigabat, vt prouincias nouas faceret, easque improbis hominibus adminiſtrandas pretio traderet. huc illud ſpectat, quod eſt in ea pro domo ſua c. 50. *Imperia adſcribebantur noua iuuentuti.*

 Regnum

Regnum aliquod] Vt nouas prouincias, ita noua regna Clodius ad conflandam pecuniam ſtatuebat.

Ab ſenatu petebat] A Clodio petebant omnes, non, vt mos erat, a ſenatu. pecunia enim, et legationes ſenatus conſulto dabantur, prouinciae vero primum ſenatus conſulto, deinde lege curiata: niſi ſi quis, cum perferri legem curiatam non liceret, eo imperio, quod ſenatus lege Cornelia dabat, contentus, ſuo ſumtu in prouinciam vellet ire. quod pauciſſimi fecerunt.

Damnatis de vi] Quos reſtitui leges vetabant, eos reſtituere Clodius cogitabat. et apparet, de vi damnatos ſolum vertiſſe: cum dicat, *reſtitutio.* ſed capitali de vi eſt intelligendum. nec enim omnis vis capitalis fuit. quod in libro de legibus oſtendimus.

Conſulatus petitio] Forte hoc ſignificat in oratione pro domo ſua c. 50. cum ait: *Imperia adſcribebantur noua iuuentuti.*

Populari ſacerdoti] P. Clodio: qui, vt Plutarchus, et alii prodiderunt, libidinis cauſſa ad aras Bonae deae, quaſi ſacerdos eſſet, penetrauit. ridiculum Cicero quaeſiuit in re turpi. quod ab iis, qui de arte rhetorica ſcripſerunt, non modo conceditur, verum etiam laudatur. *πολλάκις*, inquit Demetrius, *καὶ τὰ μὲν πράγματα ἀτερπῆ ἐςι φύσει, καὶ ςυγνὰ, ὑπὸ δὲ τοῦ λέγοντος γίνεται ἱλαρά.*

CAPVT XXXI.

Serius, quam ipſe vellet] Excuſat Pompeium, quod a principio nefariis Clodii conſiliis et actis obuiam non ierit. voluiſſet enim obſiſtere: ſed, vt Caeſari ſatisfaceret, ſuorum actorum diſſolutionem metuenti, hominem nefarium furere in Ciceronem, atque in ipſam rempublicam paſſus eſt.

Inuitiſſimis] Maxime conſules intelligi, poſſumus exiſtimare. nam in Piſonem c. 31. *Veſtrae fraudes*, inquit, *veſtrum ſcelus, veſtrae criminationes inſidiarum mearum, illius periculorum, nefarie fictae*, etc.

Excitauit illam ſuam] Pro domo c. 10. *Excitatus aliquando Cn. Pompeii nimium diu reconditus, et penitus abſtruſus animi dolor ſubuenit ſubito reipublicae.*

Non ſopitam] Non vsque eo ſuam diligentiam et vigilantiam in tuenda republica Pompeius omiſit, vt omnino publicae cauſſae indormiret, ſed vt paullulum conniueret.

Sceleratiſſimos ciues] Breui oratione omnes Pompeii laudes percurrit. *Sceleratiſſimos ciues* appellat, Cn. Carbonem, Cn. Domitium, Q. Sertorium: quorum vnum in Sicilia, alterum in Africa, tertium Pompeius in Hiſpania vicit. Marcum etiam Brutum, M. Bruti illius, qui C. Caeſari manus intulit, patrem in Gallia cisalpina occidit. quem ipſum cum tribus iis, quos nominaui, fortaſſe Cicero ſignificauit. Plutarchus, Valerius lib. V. c. 3. epitome Liuii lib. LXXXIX. alii. *Acerrimos* autem *hoſtes*, et *maximas nationes*, non dubito quin intelligat Afros, Gallos, et Hiſpanos: qui odio quodam in populum Romanum impulſi, Carbonis et Sertorii partibus haeſerunt. pro lege Manilia c. 11. 12. Quod autem ſequitur, *qui reges, qui gentes feras atque inauditas;* manifeſte

manifeſte dictum apparet de Hiarba, Mithridate, Tigrane, deque nationibus illis, quas, antea fama minus notas, Pompeius, dum fugientem Mithridatem perſequitur, tranſitum negantes vicit, et ad populi Romani ditionem adiunxit. vnde illud lib. II. ad Attic. epiſt. 16. *Sampſicerame, quid dices? vectigal te nobis in monte Antilibano conſtituiſſe, agri Campani abſtuliſſe?* epitome Liuii lib. CI. Plutarchus.

Praedonum] Pompeius bellum aduerſus piratas, lege Gabinia ſibi demandatum, vndequinquageſimo die feliciſſime confecit. pro lege Manilia c. 12. Plutarchus, et alii.

Qui etiam ſeruitia] Seruitia re vera non Pompeius, ſed M. Craſſus deuicit. ſed eam laudem Cicero ſaepe ad Pompeium conatur transferre, cum dicat, aduentante Pompeio ſeruilem manum timore conſternatam, nullo labore a Craſſo eſſe deuictam. *Teſtis eſt*, inquit pro lege Manilia c. 11. *iterum, et ſaepius Italia, quae, cum ſeruili bello tetro periculoſoque premeretur, ab hoc auxilium abſente expetiuit: quod bellum exſpectatione Pompeii attenuatum atque imminutum eſt, aduentu ſublatum ac ſepultum.* et dixit, *etiam:* quaſi, contra quam videtur: cum aliter homines exiſtiment; quia ſeruile bellum duce Craſſo confectum eſt. hinc illud lib. I. ad Attic. epiſt. 14. de Craſſo: *Qui mihi laudem illam eo minus deberet, quod meis omnibus litteris in Pompeiana laude perſtrictus eſſet.*

Virtute victoriaque] Non, *virtute*, ſeruili bello demonſtrata; aut, *victoria*, de ſeruis relata; ſed, *virtute*, quam ſuperiore bello, aduerſus Mithridatem et Tigranem geſto, iam oſtenderat; *victoria*, quam eo bello conſecutus erat. cuius virtutis victoriaeque opinione ac fama fractos eſſe, ac perturbatos ſeruilis exercitus animos ſignificat: vt deinde Craſſo non difficilis victoria fuerit. cur autem neque virtutem ſine victoria, neque victoriam ſine virtute poſuit, ſed alteram cum altera coniunxit? quia neque ſemper, qui virtute praediti ſunt imperatores, hoſtem vincunt: neque, qui vincunt, ii ſemper virtute excellunt. itaque cum virtutem et victoriam nominamus, ſummam et abſolutam laudem exprimimus. alioqui neque virtus imperatoris in bello ſine fortuna, neque fortuna ſine virtute laudatur.

Domuiſſet] Caute, nec ſine induſtria poſuit hoc verbum. non enim a Pompeio victa ſeruitia, ſed illius aduentu compreſſa debilitataque ſunt. *Viciſſet*, igitur, aut *debellaſſet*, perſpicue falſa erant: *domuiſſet*, vt falſum refelli non poteſt.

Omnibus bellis] Africano, Transalpino, Hiſpanienſi, Mithridatico. de tribus enim orbis partibus Pompeius triumphauit, victo in Africa Carbone, in Hiſpania Sertorio, in Aſia Mithridate.

Orbis terrarum terminis] Ὑπερβολικῶς. non enim vniuerſus terrarum orbis, ſed et maior, et nobilior pars imperio populi Romani tenebatur.

Sanguine ſuo] Cum, bello Sertoriano, Sucronenſi proelio vulnus acceperit. Plutarchus in Sertorio, et Pompeio. Appianus lib. I. de bell. ciu.

Auctoritate ſua] Non dixit, *poteſtate;* quia priuatus erat. eſt

 enim

enim magiſtratus *poteſtas*, priuati vero hominis *auctoritas*. ſic infra c. 32. *princeps*, inquit, *P. Lentulus auctoritate ac ſententia ſua cauſſam ſuscepit:* quia nondum conſulatum inierat Lentulus, ſed deſignatus erat.

L. Ninnio] Tribuno plebis.

Numquam] Nam et, antequam Cicero iret in exſilium, cum alia praeſtitit officia, tum populo perſuaſit, vt tamquam in publica calamitate veſtem mutaret. hoc apud Dionem lib. XXXVIII. ſcriptum eſt. idem Ninnius videtur et ad ſenatum de veſtitu mutando retuliſſe. quod ex illis verbis, quae in hac ipſa oratione ſunt, c. 11. coniicio: *Vir incredibili fide, magnitudine animi, conſtantia, L. Ninnius, ad ſenatum de republica retulit, ſenatusque frequens veſtem pro mea ſalute mutandam cenſuit.*

Fides virtusque] *Fides* et *virtus*, propterea dicit, quia pro amico non ſatis eſt velle, niſi audeas; et multos, quibus animus non deeſt, fides et voluntas deficit.

Contremuit] In periculis. poetice magis, quam oratorie, dictum. nam hoc verbum potius in animalia conuenit. quod ſi dixiſſet, L. Ninnium, quia fide, ac virtute eſſet ſingulari, numquam in ſua cauſſa contremuiſſe: proprie dixiſſet, non tamen, vt Graeco verbo vtar, ἐνεργητικῶς. proprium igitur, quo res ſignificatur, omiſit: translatum, quo ſignificatur ſimul et augetur, vſurpauit. His autem translationum quaſi luminibus, ſi cuius inter Latinos, Ciceronis maxime ſplendet oratio. translata porro verba plus habere iucunditatis, ac plus etiam ad ſignificandum valere, quam propria, ſciendum eſt. migrant enim in alienum locum: ex quo libentius tamquam accurrit animus ad nouitatem; et quia comparationes et ſimilitudines rem plane ſubiiciunt oculis, ideo translata, quae nihil aliud, quam breues et conciſae ſimilitudines ſunt, vigere magis in oſtendenda re, quam propria videntur. ſed de translatione Cicero lib. XVI. Fam. epiſt. 17. et in Bruto c. 79. Demetrius in illo aureo περὶ ἑρμηνείας libello, quem pater meus, reſtituendae antiquitatis cupidus, ante me natum edidit.

Ligus iſte, neſcio qui] Aelium Ligurem ſignificat: et in ambigua nominis ſignificatione ludit. nam *Ligus* et gentis Aeliae cognomen eſt: et hominem in Liguria natum demonſtrat. notat igitur ignobilitatem, cum ait, *Ligus iſte, neſcio qui.* et, *Ligus*, non vt familiae Romanae cognomen, ſed vt nationis nomen poſuit. infra c. 32. et pro domo ſuā c. 19. de haruſp. reſp. c. 3.

Additamentum] Quia cum nouem tribunos plebis ante diſceſſum ſuum Cicero habuiſſet, poſt diſceſſum Ligus iſte ex eo numero defluxit, ſeque ad Clodii partes addidit.

Qui aliquam partem in meo luctu ſceleris Clodiani attigiſſet] Qui de mea pernicie cum Clodio ſenſiſſet.

Quod iudicium cumque] Sic et Terentius in Andr. act. I. ſc. 1. v. 36. disiuncta locutus eſt:

Cum quibus erat cumque vna,
iis ſeſe dedere.

Damnabatur] Deeſſe verbum ſuſpicor. nam cum duas res propoſuerit, *quocumque venerat, quod*

quod iudicium cumque ſubierat: quorum alterum de Clodianis candidatis, alterum de iisdem aut accuſatoribus, aut reis dictum eſt: conſentaneum erat, vt duobus item verbis ſententiam clauderet, ſic, *repudiabatur, et damnabatur:* vt et repulſam, et damnationem demonſtraret. in quo ne quis me, inani coniectura ductum, vaticinari et inſanire putet: locum recitabo ex oratione pro domo ſua, qui meam opinionem ſatis, vt opinor, comprobabit. ſic igitur in ea c. 19. ſcriptum eſt: *Itaque cum tu florens ac potens per medium forum popularis volitares: amici illi tui, te vno amico tecti et beati, qui ſe populo commiſerant, ita repellebantur, vt etiam Palatinam tuam perderent. qui in iudicium venerant, ſiue accuſatores erant, ſiue rei, te deprecante, damnabantur.* Satisne patet ex his verbis, et de iis, qui magiſtratum peterent, et de iis, qui in iudicium venirent, Ciceronem intelligere? ibidem, paucis interiectis verſibus, haec ſequuntur: *De hac igitur lege dicimus, quae iure rogata videatur: cuius quam quisque partem tetigit, digito, voce, praeda, ſuffragio: quocumque venit, repudiatus conuictusque diſceſſit. Repudiatus,* inquit, a populo; *conuictus*, in iudicio. non temere igitur mutilum eſſe locum ſuſpicamur; et ante verbum, *damnabatur*, ſcribendum, *repudiabatur*, aut, *repellebatur*. vtroque enim verbo eadem de re vſum eſſe Ciceronem in ea pro domo ſua, demonſtratum eſt.

Inueniebatur nemo] Cum enim Clodii amicos a populo repudiari, a iudicibus damnari viderent; negabant omnes ſuffragium ſe tuliſſe in illa rogatione, quam de me Clodius tulerat.

Ex Aſia] Minore: quam proconſulari imperio per triennium rexerat.

Squalore] Colendi corporis curam omittimus in dolore. inde ſqualor perculſi animi ſignum.

Maerore] *Maerore* hic pro animi ſolicitudine manifeſte poſuit. alibi maerorem in corpore, dolorem in animo ſignificat. vt lib. XII. ad Attic. epiſt. 28. *Maerorem minui: dolorem nec potui, nec, ſi poſſem, vellem.*

Loquebatur liberius ſenatus] Liberius, quam ratio temporum, aut conſulum voluntas ferret.

Cui fructum] Quia periit ante reditum Ciceronis.

Neque a populo Romano] Quia, ſi vixiſſet, honores ei petenti populus Romanus, memor pietatis in meo caſu declaratae, ſtudioſiſſime mandaſſet.

A propinquo ſuo] Piſone conſule.

CAPVT XXXII.

Iam manibus teneretur] Metaphora ſumta ab iis, qui eos, quos fugientes inſecuti erant, aſſecuti, manibus prehenſos tenent. item, inquit, mea res cum in manibus iam eſſet, cum a ſenatu et a bonis ſummo ſtudio ageretur; initur conſilium de interitu Cn. Pompeii.

Priuatim] A priuatis ſenatoribus, de mea ſalute laborantibus.

Legem Clodiam] In qua caput hoc erat, ne quis de Ciceronis reditu referret, ne quis decerneret, ne disputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret in ſententiam, ne ſcribendo adeſſet. poſt

reditum in ſenatu c. 4. et lib. III. ad Attic. epiſt. 23.

Ferro deprehenſo] In veſtibulo ſenatus, in templo Caſtoris. nam veſtibulum templi pars fuit. atque hoc aperte in oratione pro Milone c. 7. ſignificatur his verbis: *Comprehenſus eſt in templo Caſtoris ſeruus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat. extorta eſt confitenti ſica de manibus. Caruit foro poſtea Pompeius: caruit ſenatu: caruit publico: ianua ſe ac parietibus, non iure legum iudiciorumque, texit.* et infra: *Inſidiator erat in foro collocatus, atque in veſtibulo ipſo ſenatus.* et in eadem infra c. 14. *Quando illius poſtea ſica illa, quam a Catilina acceperat, conquieuit? Haec intentata nobis eſt: huic ego vos obiici pro me non ſum paſſus: haec inſidiata Pompeio eſt.* Quem locum exponens Pedianus, *Piſone,* inquit, *et Gabinio conſulibus, pulſo Cicerone in exſilium, cum III. idus Sextilis Pompeius in ſenatum venit, dicitur, ſeruo P. Clodii ſicam excidiſſe, eaque ad Gabinium conſulem delata, dictum eſt, ſeruo imperatum a P. Clodio, vt Pompeius occideretur. Pompeius ſtatim domum rediit, ex eo domi tenus obſeſſus eſt etiam a liberto Clodii Damione, vt ex actis eius temporis cognoui.* Et in ea in Piſonem c. 12. *Deprehenſus cum ferro ad ſenatum is, quem ad Cn. Pompeium interimendum collocatum fuiſſe conſtabat.* Dixit, *ad ſenatum,* quia deprehenſus erat in veſtibulo ſenatus: vt in ea pro Milone. et pro domo ſua c. 25. *quam facile,* inquit, *ferro, quotidianisque inſidiis, cum iam a firmiſſimo robore copiarum ſuarum relictus eſſet, Cn. Pompeium foro, curiaque priuarit, domumque coniecerit, vidiſtis.*

Ex quo intellectum eſt] Si quis animum in ſententiam diligenter intendat, deeſſe negatiuam particulam intelliget. nam quia de reditu Ciceronis octo tribuni promulgarunt, cum eorum antea ferenti legem Clodio interceſſiſſet nemo; poterat aliquis, abſenti Ciceroni creuiſſe amicos, exiſtimare. quod falſum eſſe arguit. non, inquit, mihi amici creuerunt, ſed, cum antea idem pro me voluiſſent, non idem tamen auſi ſunt. et ipſe ſe exponit, cum infert: *Nam ex nouem tribunis, quos tunc habueram, vnus, me abſente, defluxit.* legendum igitur ſic opinor: *Ex quo intellectum eſt, non mihi abſenti creuiſſe amicos,* etc.

Ex Aeliorum imaginibus] Imagines maiorum ſeruabantur, cum inſcriptione praenominis, nominis, cognominis. dicit igitur: Aelium, cum inſcriptiones imaginum perlegiſſet, inde cognomen Liguris accepiſſe: quo gentem Aeliam vſam eſſe iam diximus. quod etſi ob eam cauſſam fecit, vt ab illis Aeliis Liguribus, clariſſimis viris, originem videretur ducere: tamen, contra quam ille putauerat, eueniſſe ait Cicero, vt ex illo cognomine potius ex Ligurina natione, quam ex Aelia gente, putaretur eſſe.

Princeps P. Lentulus] Conſules enim deſignati primo loco ſententiam dicebant. qua de re in libro de ſenatu c. 8. dictum eſt.

Auctoritate] Quam habebat, et quia magiſtratus geſſerat, et quia conſul erat deſignatus. eſt enim in eo, qui magiſtratum gerit, *poteſtas,* in eo, qui geſturus

rus eſt, *auctoritas.* itaque in oratione in Piſonem c. 4. de Q. Metello conſule deſignato dixit: *Ille deſignatus conſul, cum quidam tribunus plebis ſuo auxilio magiſtros ludorum ludos contra ſenatus conſultum facere iuſſiſſet, privatus fieri vetuit: atque id, quod nondum poteſtate poterat, obtinuit auctoritate.*

CAPVT XXXIII.

Deſignatus] In quibusdam antiquis libris legitur, *iudex deſignatus*, ſed mendoſe. nam Sextium ſignificat Cicero non iudicem deſignatum, ſed tribunum plebis. quod nemini, qui paullo ſit humanior, ignotum exiſtimo: cum tribunus plebis fuerit Sextius eodem anno, quo P. Lentulus conſul: vt, eodem anno deſignatum vtrumque fuiſſe, neceſſe ſit. mendi cauſſa fuit, quod, *deſignatus*, vnica dictio poſita eſt, magiſtratus nomine praetermiſſo.

Equidem exiſtimo] Plus eſt in hac periodo artificii, quam fortaſſe aliquis opinetur. cum enim, vt Sextii beneficium in ſe maximum oſtenderet, quod quidem ab hac narratione, et ab ipſa cauſſa alienum non erat; poſſet dicere, iter illius in Galliam ad Caeſarem magnopere fructuoſum fuiſſe: non dicit tamen, et de induſtria rem implicat, vt neque affirmet, neque neget: callide ſane, et ingenioſe. nam, ſi profeciſſe eo itinere affirmaret; Caeſarem ſibi antea fuiſſe inimicum oſtenderet: quod pugnaret cum illis verbis, quae ſupra c. 18. poſuit, cum dixit: *Ipſe autem Caeſar, quem maxime homines ignari veritatis mihi eſſe iratum putabant, erat ad portas.* Sin profeciſſe Sextium negaret, vel quod iratum Caeſarem non inuenerit, vel quod ita iratum, vt placari non potuerit; inanem, et inutilem illam profectionem ſignificaret. cum igitur ad vtramque partem offenſionem videret, quo incurrere, vel ſi affirmaret, vel ſi negaret, cogeretur: ad artem confugit; rationemque, vt neque affirmaret, neque negaret, iniuit, hanc ſcilicet, vt dubitatione, quae inter affirmationem et negationem media eſt, vteretur. dixit igitur: *Equidem exiſtimo, ſi ille, vt arbitror, aequus nobis fuerit, nihil ab hoc profectum: ſin iratior, non multum.* Verum dubitabit aliquis: cur, cum Sextii profectionem Cicero neque fructuoſam velit oſtendere, neque negare; tamen potius in eam partem inclinat, vt neget, quam vt affirmet? imminuit enim dubitationem, cum ait, *vt arbitror.* Reſpondeo: quia nihilo minus laudatur Sextius, etiam ſi nihil profecerit. voluntas enim ipſa, et ſedulitas laudabilis eſt. Pendet autem potius Cicero in hanc partem, in qua ita Caeſari gratificatur, cum ſibi aequum fuiſſe indicat, vt Sextii tamen laudem non imminuat; quam in eam, in qua, ſi Caeſarem iratum fuiſſe ſignificaret, Sextii quidem in ſe beneficium augeret, vtilitate profectionis illius demonſtrata, verum Caeſaris animum poſſet offendere: cum in amicitia praeteriti odii commemoratio diſpliceat.

Sedulitatem] Quod iuerit ad Caeſarem.

Integritatem] Quod in Ciceronem, hoc eſt, in ipſam rempublicam, optime fuerit animatus.

laborem

laborem enim pro eo, quem non diligit, nemo fere ſuſcipit.

Concordiam ciuium] Nam ſi cum Clodio conſentiret Caeſar, haud paullo plus in reſtituendo Cicerone contentionis fuiſſet. cauſſam autem Ciceronis non aperte Caeſar iuuit, ne Clodium, hominem popularem, et factioſum, contra ſe irritaret: iuuit tamen, vt illa verba demonſtrant ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Seſe, quae de mea ſalute egiſſet, voluntate Caeſaris egiſſe, ipſum meum fratrem teſtatus eſt.*

Ille annus] Quo Piſo et Gabinius conſules fuerunt.

Exierunt] In prouincias euntes, Piſo in Macedoniam, Gabinius in Syriam.

Vulturii] Vultures inter infauſti ominis animalia numerantur. ſic Piſo, et Gabinius, quaſi mali ominis aues, calamitatem reipublicae, quae conſecuta eſt, portendere videbantur.

Neque nos] Significat, non ipſis eueniſſe ea, quae homines exeuntibus precabantur, ſed reipublicae. de prouinciis conſularibus c. 2. 3. 4. in Piſonem c. 14.

Ineunt magiſtratum] IV. idus Decembris. Dionyſius, Liuius.

Gracchum vocabant] Gracchus et Quintiae gentis, et Semproniae cognomen fuit. hic Numerium Quintium, de quo infra c. 38. mentio fit, ſignificat: et cognomen Gracchi ad irriſionem transfert: quod in homine ſibi inimico, nec alioqui ſatis inſigni, tam honorificum cognomen non libenter agnoſcat. forte autem ille, qui ſe Ti. Graccho natum ſimulabat, ex cognomine occaſionem arripuit, quod Gracchus vocaretur: quamquam non eſſet e Semproniis, ſed e Quintiis. appellat enim eum *Quintium* ſcriptor libri de viris illuſtribus c. 62. et Valerius Maximus duobus libris, III. c. 8. et IX. c. 7. et 15. ter *Equitium* nominat: etſi non Valerii, ſed librarii mendum puto fuiſſe: cum, *Quintius*, non *Equitius*, videatur legendum. licet Equitiae gentis alibi mentio reperiatur, vt in antiquis lapidibus. eundem et Cicero in oratione pro C. Rabirio perduellionis reo c. 7. *Gracchum* vocat.

Ex vepretulis (Ern. *vepreculis*)] Priſcianus lib. III. de Diminutione legit, *vepreculis.*

Nitedula] Venuſte cum perpuſillo animali nitedula Numerium comparat, vt contemtiſſimum et infimae ſortis hominem ſignificet, qui rempublicam tamen, fato quodam, laeſerit. *Nitedula*, vel, vt Seruio Honorato in Virgilii lib. I. Georg. v. 181. placet, *nitela*, muris exigui genus eſt, rubri coloris.

Alter] Emitur.

Serranus] De Sex. Atilio Serrano loquitur. quem ne putetis, inquit, Caio illi Serrano, quem ſerentem dati honores inuenerunt, cui a ſerendo agro cognomen eſt inditum, praeſtantiſſimo viro, ſimilem eſſe. non hic ab illo Serrano, cuius cognomen refert, originem ducit: ſed, cum Gauii cuiusdam Oleli filius eſſet, ab inopi ac vacuo patris horreo in Atiliam familiam per adoptionem transiit. quod quaſi iure quodam factum eſt. nam cum in deſerto illo Gauii horreo ita pauca grana eſſent, vt calarentur, hoc eſt, voce numerarentur: (paucitas enim menſuram non requirebat) merito hic eius filius a calatis granis in eam familiam, quae Calatini cognomen habet,

habet, inſitus eſt. fuiſſe autem e gente Atilia Calatinos, vetera monumenta declarant.

Ac Laelios (Ern. *Atilios*)] *Atilios*, rectius: e qua gente Calatini fuere.

Subito, nominibus in tabulas relatis] *Subito*, dixit, quaſi nemo ita fore exiſtimaſſet: cum Atilia illuſtri gente Gauius, homo taeterrimus ac turpiſſimus, minime dignus iudicaretur. vel, *ſubito*, quaſi occulte, et fraude aliqua in Atiliam gentem irrepſerit.

In tabulas] Quo in libro Gavii nomen, cum praenomine, et cognomine, fuerat; ex eo libro priora nomina ſuſtulit; et repoſuit, *Sex. Atilius Serranus. Nomina* autem hic Cicero dixit, pro praenomine, nomine, cognomine. quo modo et Plutarchus tria nomina dixit eſſe, *Marcus, Tullius, Cicero:* quorum primum praenomen, alterum nomen, tertium cognomen proprie vocantur. alibi *nomen* vſurpatur pro familia.

Nomen ſuum] *Gauius.* vel, ſi nomen et hic prolixius accipias, *Gauius Olelus* cum eo praenomine, quo ante vſus erat, de tabula ſuſtulit.

Kalendae Ian.] Quo die magiſtratum conſules inibant.

Melius ſcire] Nam ego tum aberam: vos affuiſtis.

Frequentia ſenatus] Cum eo die de Cicerone actum iri Lentulo conſule non ignorarent.

Moderatio] Cum enim Q. Metellus et P. Clodii frater eſſet, et inimicitias cum Cicerone exercuiſſet, qui etiam tribunus plebis conſulatu abeuntem concionis habendae poteſtate priuarat: tamen, Lentulo referente, moderatione quadam vſus, ſeſe continuit, inimicitiis reipublicae remiſſis.

Et temporibus, et reipublicae (*et* abeſt ab Ern.)] Malim, *et temporibus reipublicae;* quod reipublicae tempora ita ferrent: vt poſt red. ad Quir. c. 9. *Odium vel precibus mitigari poteſt, vel temporibus reipublicae communique vtilitate deponi.* Et pro Balbo c. 27. ſic locutus eſt: *Neque me diſſenſioni meae priſtinae putaui potius aſſentiri, quam praeſentibus reipublicae temporibus, et concordiae conuenire.*

CAPVT XXXIV.

Princeps] Non, quod eſſet e conſularibus antiquiſſimus: nam triennio ante illum P. Seruilius Iſauricus conſul fuerat: ſed antiquiſſimus eorum conſularium, qui tum erant in ſenatu. opinor enim, eo die Iſauricum non affuiſſe. nondum autem deſignatos conſules fuiſſe, qui ſententias primi rogabantur, ſatis liquet, cum eſſent Kalendae Ianuarii.

Nihil de me] Hoc ſcripſit et in oratione pro domo ſua c. 26. et lib. III. de Leg. c. 19.

More maiorum] Qui optimis reipublicae temporibus valuit vt lex. lib. II. de Leg. c. 10.

Non modo ferri] Si ferenda lex de capite; ferri centuriatis comitiis neceſſe fuit: ſin non dico ferenda lex, ſed, quod iuſtius videtur, ante iudices de capite ciuis diſceptandum; neminem, niſi populum Romanum centuriatim coactum, oportuit iudicare. dicuntur autem comitia non modo cum ad magiſtratus creandos, ſed etiam cum ad legem ſciſcendam, aut de ciue

iudican-

iudicandum populus conuenit. quod in libro de Legibus c. 33. demonſtratum eſt.

Flammam quaſſatae reipublicae] Quid ſimile eſt inter, *flamma*, et *quaſſatae?* vitium hic videbitur imperitis: quia duorum generum in eadem periodo metaphorae damnantur. verum, non eſt vitium, ſed eſt potius abſolutae metaphorae lumen et ornamentum. tunc enim eſt perfecta metaphora, cum et cauſſam ſimul, et quod ex cauſſa fit, complectitur: vt ſi dicas: *ex illo morbo languet respublica: fructus vberrimos ex his ſeminibus licet exſpectare: in tempeſtate reipublicae naufragium fecit.* item hic, cum ex motu vehementi excitetur ignis, recte, et eleganter, quaſſata republica flammam illam, qua ipſe peruſtus eſt, exſtitiſſe demonſtrat.

Impendente] Pulcherrima tralatio, *impendente, declinaſſe, tranquillitatis, fluctus, tempeſtatem.* nam, *fugiſſe*, neque cum hac vna metaphora conuenit: dicimus enim et, *flammam fugit illorum temporum, et communem ciuitatis peſtem fugit:* neque ad metum impendentis rei dumtaxat, ſed ad ea quoque, quae aequo loco ſunt, accommodatur.

Abſens] Quia diſceſſit, ne inter ciues contentio excitaretur.

Praeſens] Cum in conſulatu meo exortam et erumpentem coniurationem compreſſi, atque exſtinxi.

Verbis, rebus, ſententiis] Lex infirmatur a ſe ipſa, cum in ea, quod non licet, ſcriptum eſt. in oratione pro domo ſua c. 26.

Etiam ſi iure] Etiam ſi de mea pernicie iure rogaretur, ipſa tamen ſcriptione vim legis amitteret.

Cn. Pompeius] Secundo loco rogatus eſt dignitatis cauſſa, non quod eſſet poſt Cottam conſularium vetuſtiſſimus. nam ante illum conſulatum geſſerant, qui tum viuebant, M. Lucullus, et L. Gellius. niſi ſi, non eo die fuiſſe eos in ſenatu, aliquis dixerit.

Defungerer] Liberarer: ne quis tribunus plebis aliquando concitandi in me populi occaſionem haberet, quia me, lege eiectum, ſine lege reſtitui non potuiſſe diceret.

Grauius, atque ornatius] Sententias, et verba ſignificat: quibus eloquentiam definimus. non enim eloquens eſt, cuius in oratione aut ſententiarum grauitas, aut verborum elegantia deſideratur.

Vt ſcitis] Quia pars iudicum ſenatores erant, qui tunc affuerant.

Gauianus] Vetus nomen in *anus* producebant ii, qui adoptabantur. quod alibi quoque docuimus.

Socer] Cn. Oppius. poſt reditum ad Quirites c. 5. et lib. IV. ad Attic. epiſt. 2.

Longa nocte] Menſe Decembri.

Dies pauci] Quia nec a Kal. Ian. ad XVIII. Kal. Febr. quotidie ſenatum haberi licet, propter dies comitiales; nec vmquam a XVIII. Kal. Febr. ad Kal. Febr. propter legem Pupiam. lib. I. Fam. epiſt. 4. lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 2.

CAPVT XXXV.

Calumnia] Cum falſa quaedam ad moram interponendam aſſerrentur.

rentur. ſic epiſt. I. ad Lentulum, *calumniam religionis*, dixit, cum falſam religionis inductionem ſignificaret.

Senatus auctoritas] Alibi *ſenatus auctoritas* dicitur ea, quae ne ſenatus conſultum eſſet, tribunorum plebis interceſſione factum erat. de quo diximus in libro de ſenatu c. 10. hic, *ſenatus auctoritas*, eſt ſenatus ſumma voluntas: cum ſenatus conſultum de Ciceronis reditu factum cunctus ſenatus magnopere vellet. impediebatur autem *mora;* vt, cum Atilius noctem ſibi ad deliberandum poſtulauit: *ludificatione;* vt, cum promiſit ſe poſtero die moram nullam eſſe facturum, nec tamen, quod promiſerat, praeſtitit: *calumnia;* vt, cum falſae cauſſae, differendi gratia, pro veris adducerentur.

Venit conſilii (Ern. *concilii*) *de me agendi dies*] Promulgata enim lege, exſpectauerat Fabricius, vt trinundinum praeteriret. non enim ante legem ferre licebat. et, *conſilii agendi*, dixit, pro populi conuocandi, vt promulgata lex ferretur. proprie enim de creandis magiſtratibus *comitia* dicuntur; de ſciſcendis legibus, de ciuibus iudicandis, καταχρηστικῶς. contraque, de legibus, et de ciuibus *conſilium* proprie vocatur; de magiſtratibus, non item. ſic in ea poſt reditum in ſenatu c. 5. *Legem*, inquit, *tribunus plebis tulit, ne auſpiciis obtemperaretur: ne obnunciare conſilio, aut comitiis, ne legi intercedere liceret.*

Auctor (Ern. *actor*) *hic*] Non Sextius, ſed Fabricius. cum enim dicat: *Hic nihil progreditur: conſilia exſpectat inimicorum meorum:* haec ad Fabricium pertinere, dubium non eſt: ſiquidem et de eodem paullo poſt c. 36. illa verba ſubiunguntur: *Nullo verbo facto, nulla concione aduocata, nulla lege concitatam nocturnam ſeditionem quis audivit?*

Quid illi] De Clodianis dici manifeſtum eſt. accuſatum enim a Milone Clodium, quod caedem cum gladiatoribus in foro feciſſet, Dio lib. XXXIX. ſcriptum reliquit. et de gladiatoribus, quos Appius praetor Clodio fratri commodauit, infra bis c. 36. et 39. ſignificatur.

M. Ciſpium] In oratione poſt reditum in ſenatu c. 8. legitur, *Moſopius:* cum legendum ſit, vt quidem ego arbitror, *M. Ciſpius.* et in oratione pro Plancio c. 31. pro, *Criſpio*, non dubito quin reponendum ſit, *Ciſpio:* primum, quod Criſpiam familiam inter Romanas nominatam non inueni: deinde, quod, cum in oratione pro Plancio bene de ſe meritum appellet: conuenire hoc in M. Ciſpium, qui tribunus plebis Ciceronis cauſſam tutatus erat, merito videtur: poſtremo, quod, cum in eadem pro Plancio, ſimultates eum, quas cum ipſo habuerat, depoſuiſſe dicat, ſuaeque ſalutis non modo non oppugnatorem, ſed etiam defenſorem fuiſſe; hoc ipſum quoque in Ciſpium optime quadrat: de quo ſic in ea poſt reditum in ſenatu: *Quid M. Ciſpius?* (ſic enim potius, vt dixi, quam, *Moſopius,* lego) *cui ego ipſi, parenti, fratrique eius ſentio quantum debeam: qui, cum mea ſententia voluntas eorum in priuato iudicio eſſet offenſa, publici mei beneficii memoria priuatam offenſionem oblitterauerunt.* Ciſpiorum familiam

miliam alibi nominatam videmus, Neapoli et Romae.

Fratris ſalutem] Vt Marcus frater ab exſilio reuocaretur.

Seruorum, et libertorum] Si ita legas, ſeruos et libertos de Clodiano exercitu accipiemus: quaſi omnes aut ſerui, aut liberti fuerint. quod ſi probamus; apparebit, eos, qui caeſi ſunt, quorum ſe Quintus corporibus texit, Clodianos omnes fuiſſe. quod aperte falſum videtur. non enim multi de Clodianis, ſed ab ipſis multi ſunt interfecti. itaque iam dixit, *caedem in foro maximam faciunt: vniuerſique, diſtrictis gladiis, et cruentis, in omnibus fori partibus fratrem meum, virum optimum, fortiſſimum, meique amantiſſimum, oculis quaerebant, voce poſcebant.* quo planum fit, non victam eſſe Clodii manum, ſed victricem fuiſſe. quocirca, vt ſignificetur, ex vtraque parte caeſorum in foro corpora iacuiſſe; legendum crederem, *ſeruorum, et liberorum:* quod in ea dimicatione tum ſerui de Clodiana factione, tum liberi de bonorum parte ſint occiſi.

Effingi] Exprimi. hoc repoſuimus e Seruii Honorati in Virgilium commentario lib. VIII. Aen. v. 634. nam antea pro *effingi*, *effundi* vulgatis in libris legebatur. eadem eſt eiusdem verbi apud Afranium ſignificatio. *Accedo*, inquit, *ad te, vt tibi ceruicem fingam linteo.* Hunc locum emendauit Franciſcus Hotomanus iurisconſultus egregius doctrina ingenioque excellens. poſtea Fuluius Vrſinus, iuuenis eruditiſſimus, locum oſtendit Iſidori cum eadem correctione lib. XII. epiſt. 6.

Tantam illam copiam] Quantam fuiſſe eam conſtat, quae caedem in foro maximam fecit. *Copiam* enim pro multitudine hominum poſuit.

Magnificum apparatum] Non caſu ad manus ventum eſſe ſignificat, ſed apparatu iam ante facto: quem *magnificum* appellat, in Appium praetorem, Clodii fratrem, iocans: quod exiguus apparatus eſſe non poſſet, quem praetor adornaſſet. non a priuato, inquit, homine, aut plebeio, hoc eſt, a P. Clodio, qui tum et priuatus, et plebeius erat, haec armata manus eſt; ſed a patricio, et praetorio, hoc eſt, ab Appio Pulchro; qui et patriciae gentis erat, et praeturam eo anno gerebat. hic enim gladiatores eos, quos in funere Marci propinqui ſui daturus erat, P. Clodio fratri ſuo commodauit. quod non obſcure ſignificatur infra c. 39. vbi haec ſunt: *Gladiatores ex praetoris comitatu comprehenſi, in ſenatum introducti, confeſſi, in vincula coniecti a Milone, emiſſi a Serrano.* Sed clariſſime haec tota res narratur a Dione lib. XXXIX.

CAPVT XXXVI.

Nimium tamen ſaepe] Vt Gracchanis primum, deinde Marianis temporibus.

Cinnano] Cum inter Cinnam et Octauium conſules in vrbe pugnatum eſt. Appianus lib. I. de bell. ciu. Pedianus in orat. pro Scauro.

Concertatione] Caedem illam tantam, quae in foro facta eſt, qua ex concertatione natam vidimus? nulla ſcilicet. nullam enim aut Fabricius, aut Ciſpius occaſio-

occaſionem pugnae committendae praebuerunt.

Pertinacia, aut conſtantia] *Pertinacia*, cum interceditur ſalutari legi: *conſtantia*, cum perniciosae.

Nullo verbo facto] Hoc iam oſtendit, cum dixit de Fabricio: *Nihil progreditur, conſilia exſpectat inimicorum meorum.*

Sanguine ſaginantur] Simili metaphora de iisdem vſus eſt in ea pro Milone c. 2. *Vnum*, inquit, *genus eſt aduerſum infeſtumque nobis, eorum, quos P. Clodii furor rapinis, et incendiis, et omnibus exitiis publicis pauit.*

Non auſpiciis, non interceſſione, non ſuffragiis] Lex enim vel auſpiciis, et interceſſione impeditur; vel ſuffragiis antiquatur: quae in Fabricii lege facta non ſunt. vi, manu, ferro acta res eſt.

Obnunciaſſet] Impediendae legis duo genera ſunt, obnunciatio, et interceſſio. vtrumque ponit.

Seruaſſe de caelo] Nefas enim erat agi cum populo, cum de caelo ſeruaretur. vide orat. pro domo c. 15. et Phil. II. c. 32.

Acceptam gemere poſſet] Minorem, quam accepit. minor enim eſt plaga, cum obnunciatione, aut interceſſione, quam cum vi et armis respublica vincitur. ita graue vulnus, inquit, illatum eſt reipublicae, vt ex eo ſtatim occiderit, vt ne gemitum quidem edere potuerit. tralatio a vulnere ad damnum.

Iure laeſiſſet] Non quod iure interceſſiſſet, ſed quod intercedens legitimo et iuſto impedimenti genere vſus eſſet.

Gladiatores nouitios] Habuit igitur Clodius non eos modo gladiatores, quos ei frater Appius dedit; de quibus iam dictum eſt; ſed eos etiam, quos ipſe ſibi aedilitatis cauſſa comparauit. aediles enim ludos, et munera gladiatoria populo dabant.

Suppoſitos] Fratrem Clodii notat: qui gladiatores emit, non tam vt eos, quemadmodum ſimulabat, anno aedilitatis ſuae populo daret, quam vt ad caedem faciendam in forum immitteret. *Suppoſitos* igitur, per fraudem inductos, malo conſilio paratos: cum aliud Clodius in ſermone oſtenderet, aliud in animo cogitaret.

Carcere emiſſis] A tribuno plebis P. Clodio.

Magiſtratus] Fabricium intelligit. ſupra c. 35. et eſt artis oratoriae, numero multitudinis vti pro ſingulari. augetur enim quodam modo res. Ariſtoteles lib. III. Rhetoric.

Purges] Mendoſa dictio. nam, *purgare forum*, infamiam non habet. quid ſi, *ſpurces*, vnius litterae adiectione, legas? nam inter G et C, ſi, quo modo veteres ſcribebant, vt maiuſculas conſideres, minimum differt. ſpurcatum autem caeſorum hominum ſanguine forum intelligemus: et ad illud, quod ſupra c. 35. dictum eſt, optime referetur, *meminiſtis, e foro ſpongiis effingi ſanguinem.*

CAPVT XXXVII.

Ne ex eo quidem tempore] Tempus illud ſignificat, de quo proxime dixit, cum Fabricius de templo deiectus, Ciſpius depulſus, caedes facta maxima.

Interceſſionem (Ern. *interfationem*)] Hoc falſum eſt: nam tribuno

buno plebis intercedi a collega leges non vetabant. aut igitur, *interceſſionem*, exponendum eſt, non tribunorum plebis, ſed reliquorum magiſtratuum: quam tamen opinionem vix probari poſſe crediderim: quando enim tribuno plebis legem ferenti conſulem, aut praetorem, aut vllum omnino magiſtratum, praeter tribunum plebis, interceſſiſſe legimus? aut correctione vtendum; vt aliquid a vetere ſcriptura non alienum excogitetur. certe, quod ad ſententiam attinet, quam ego in emendandis locis potiſſimum ſoleo conſiderare, aliquid videtur eſſe reponendum, quod et minus, quam, *vis*, et plus, quam, *verba*, ſignificet.

Conſuli] Metello, legem aliquam ferenti, quam Sextius minus e republica iudicaret. non enim hoc ad Ciceronis cauſſam pertinuit. contra quem nihil egiſſe Metellum in conſulatu, ſatis conſtat. iam enim odium ſuum in Ciceronem reipublicae largitus erat.

Errore] Quia mortuum putarent.

Locum] Quem ad inferendam necem percuti oportuit. vel, *loco*, vbi opus fuit. vetus enim locutio, *loco dicere, loco inſanire*.

Gladiatoribus] Qui cum in arena pugnantes populo non ſatisfecerint, laniſta eorum magiſter ceruicem dare iuſſos interficit.

CAPVT XXXVIII.

Tribunus plebis] Sextius.

Templum] Caſtoris: in quo obnunciauit conſuli.

Gracchum] Numerium Quintium Gracchum, quem Clodiani occidere cogitarunt, vt a Sextianis interfectus putaretur.

Transferendi in nos criminis cauſſa] Vt ex tribuni plebis morte inuidiam in nos concitarent eam, quam e Sextii morte ipſi metuebant.

Ad comitia] Ignobilem, et in agro educatum Numerium ſignificat.

Gemini nominis] Et hic praenomen Numerii *nomen* appellat, vt ſupra c. 33.

Acerbiſſimi ſceleris] In occidendo Sextio commiſſi.

Grato ſcelere] Scelus eſſet, Numerium occidere, quia tribunus plebis erat: ſed gratum ciuitati ſcelus, quia ciuis improbus.

Reuixiſſet] Periiſſe enim videbatur, cum Clodii furor dominaretur.

Morte obita] Locutio poetis et oratoribus aeque communis. nam et ipſe in Phil. IX. c. 1. et Lucretius, ac Ouidius ita locuti ſunt.

In Roſtris collocatos] Apparet, plures ſtatuas eorum, qui pro republica mortem obierant, in Roſtris fuiſſe: tamen in Phil. IX. c. 2. vnam Cn. Octauii nominat. nam de quattuor legatis a Larte Tolumnio, Veientum rege, interfectis, cum ait, *quorum ſtatuae in Roſtris ſteterunt vsque ad noſtram memoriam:* non tum eſſe in Roſtris eorum ſtatuas, ſed aliquot ante annis ſublatas eſſe, videtur indicare nec dubito, quin tempus ſupra conſulatum Marcellini et Philippi, quo anno Sextius eſt accuſatus, illa verba ſignificent, *ſteterunt vsque ad noſtram memoriam.* quid igitur exiſtimabimus, vnamne an plures in Roſtris ſtatuas fuiſſe? plures

res omnino: quando hic de pluribus Cicero meminit. et quamquam in Philippica vnam memorat, quae tum fuerit: tamen vnico exemplo eum fuiſſe contentum, cum pluribus vti poſſet, credendum eſt.

Obnunciaret] Conſuli Metello, legem ferenti.

Quod ſenſerat] Cum de caelo auſpicaretur. hoc addidit oratorie, vt religionis vim augeret. nam vel ſi nihil ſenſiſſet aduerſum, obnunciabat tamen is, qui de caelo ſeruaſſet. Pro domo c. 15. *negant*, inquit, (augures) *fas eſſe agi cum populo, cum de caelo ſeruatum ſit.* idem ſignificatur in Phil. II. c. 32.

Luce, palam] Ἔμφασις eſt in ſingulis fere verbis vsque ad ſinem periodi. quod autem ait, *ſanctiſſimo in templo, ſanctiſſima in cauſſa, ſanctiſſimo in magiſtratu;* ſatis patet, templum Caſtoris, cauſſam reipublicae, tribunatum plebis ſignificari.

CAPVT XXXIX.

Homines emiſti] Hoc enim nomine reus erat Sextius, quod in tribunatu magnam armatorum manum circa ſe habuerit.

Quid vti faceret] Non poteſt Cicero, quod obiicitur, infitiari: ſed excuſat, atque eleuat, cum dicat Sextium neceſſario feciſſe, vt vitam ſuam praeſidio muniret. quod vt ita eſſe credatur, a poſterioribus arguit. multitudine vſus eſt Sextius in tribunatu. factum. qua de cauſſa vſus eſt? an, vt ſenatum obſideret? ciues indemnatos expelleret? aut aliquid eorum faceret, quae Clodius commiſit? nihil omnino fecit eiusmodi. non igitur malo conſilio, ſed neceſſario praeſidium comparauit. Enumerat autem Cicero Clodii facinora; quia quodam modo rei cauſſa ſubleuatur, cum aduerſariorum deprimitur.

Senatum obſideret] Obſeſſum a Clodio ſenatum ſignificat in conſulatu Piſonis et Gabinii; quia, vt apud Plutarchum in Ciceronis vita legimus, Clodius, cum armatis ſatellitibus curiam circumſtans, omnia metu repleverat.

Ciues indemnatos] De ipſo Cicerone dictum, vsque ad illud, *templa deorum.* nam Clodius Ciceronem expulit indemnatum, bona diripuit, aedes incendit, tecta disturbauit.

Templa deorum] Templum Nympharum ſignificat: quod incendit Clodius, vt publicae recenſionis memoriam tolleret. pro Milone c. 27. et pro Coelio c. 32.

Tribunos plebis] De Q. Fabricio dicit.

Prouincias] Macedoniam Piſoni, Syriam Gabinio, cum ei Ciliciam ante promiſiſſet, Clodius ſua lege dedit. ſupra ter, c. 10. 15. 25. et pro domo ſua c. 9. 21.

Reges appellaret] Et hoc a Clodio factum, iam dixit.

Rerum capitalium] Byzantios exſules, quos reſtituit Clodius, intelligit.

Legatos] A Clodio miſſos, vt exſules Byzantium populi Romani nomine reducerentur.

Principem ciuitatis] Cn. Pompeium, quem Damio Clodii libertus obſedit. pro domo ſua c. 25. et Pedianus in Milon. c. 14.

Nondum erat maturum] Vt armis contra ciues improbos viri boni

boni vterentur. cur autem maturum nondum eſſet, cauſſam ſubiungit.

Non omnino manu ſola] Non a Clodianis tantum operis, ſed et a conſulibus ipſis.

Taciti] Tamquam oppreſſi, quibus ne queri quidem liceret, Clodiana arma, et conſulum iniuſtam dominationem timentibus. verum ita taciti, vt incluſum animo dolorem maerente vultu ſignificaretis.

Maerebamini (Ern. *maerebatis*)] Paſſiue dixit: quod infrequens admodum eſt. vnicum Matii exemplum apud Varronem lib. VI. de ling. Lat. adhuc inuenimus:

Corpora Graiorum maerebar mandier igni.

Anno ſuperiore] Cum tribunus plebis Clodius eſſet, Piſone et Gabinio coſſ.

Aede Caſtoris] Hac tota de re ſatis plane ſupra c. 15. dixit his verbis: *Iisdem conſulibus arma in templum Caſtoris palam comportabantur, gradus eiusdem templi tollebantur: armati homines forum et conciones tenebant.* Idem in oratione in Piſonem c. 10. et in ea pro domo ſua c. 21.

Cum egeſtate, tum audacia] Alios enim rei familiaris inopia, alios audacia, et peccandi conſuetudo ad facinus impellit.

Magiſtratus templis pellebantur] De Q. Fabricio tribuno plebis dicit.

Alii omnino aditu ac foro prohibebantur] M. Ciſpium tribunum plebis ſignificat.

Praetoris] Ap. Claudii Pulchri, P. Clodii fratris.

A Serrano] Sex. Atilio Serrano. tribunus enim plebis alterius tribuni acta poterat reſcindere.

Forum corporibus ciuium Romanorum conſtratum] Intelligit id, quod ſupra c. 35. narrauit.

Caede nocturna] Aliquanto enim ante lucem caedes illa facta eſt, cum Q. Cicero ſeruatus eſt.

Noua quaeſtio] *Noua quaeſtio* eſt, cum ob criminis atrocitatem, noua lege lata, de aliquo quaeritur. quod in cauſſa Milonis ob necem P. Clodii factum eſt.

Vetera iudicia ſublata] Quia ne veteribus quidem legibus de caede in foro facta quaeſitum eſt. iudicium enim interceſſio Serrani tribuni plebis impediebat.

Tribunum plebis] Manifeſtum eſt de P. Sextio dici.

Alterius tribuni plebis] Milonem ſignificat.

Domus eſt oppugnata] Lib. IV. ad Attic. epiſt. 3. propterea de vi Clodium Milo accuſauit. infra c. 41.

CAPVT XL.

Hoc loco] Laudauerat, opinor, Milonem Sextii accuſator, quod oppugnatam a Clodio domum defendiſſet. *Hoc loco*, inquit, id eſt, cum de oppugnata domo mentio fit. et eſt imperfecta oratio. deeſt enim, *cum Sextium accuſes.* quod abſolute dixit infra c. 42.

Iam contritum] Nemo enim iudicium bonorum tanti facit, vt hoc ad recte agendum praemio ducatur.

Perfectae cumulataeque virtutis] In agendo, et intelligendo perfecta virtus eſt: cum multi recte agant ſine recto ſenſu; alii, qui recte ſentiunt, metu tamen, aut alia de cauſſa recte non agant. ideo

ideo fortitudinem cum prudentia coniunctam, perfectam virtutem appellauit.

Adiit ad rempublicam] Cum ad reſtituendum Ciceronem incubuit.

Parem Sextii cauſſam] Quia, ſi laudatur Milo, qui ſuam vitam armis tutatus eſt; non video, cur item Sextius non laudetur, qui et ipſe, vim iam expertus, praeſidio ſe muniuit.

Sic, vt ciuem] Mendo locus obſcuratur, paullulum tamen, vt in tenebris, elucet ſententia: eaque poſtulare videtur, vt ita corrigatur: *Sic, vt ciuem patriae recuperare vellet, reipublicae virum.* vt, quemadmodum cum patria ciuis, ſic cum republica vir coniungatur. haec enim duo nomina vſurpare ſolet Cicero, cum laudat: vt infra c. 62. *Cum omnibus Metellis, tum vero vni, viro fortiſſimo, et praeſtantiſſimo ciui, gratiſſimum fratri ſuo fecit.* et orat. I. in Catilinam c. 12. *Si ſummi viri, et clariſſimi ciues, Saturnini, et Gracchorum, et Flacci, et ſuperiorum complurium ſanguine non modo ſe non contaminarunt, ſed etiam honeſtarunt.* et lib. IV. ad Attic. epiſt. 15. *O virum, o ciuem Memmium!* et alibi ſaepe. quod autem ait, *ciuem patriae,* de ipſo dici non obſcurum eſt.

Simplex cauſſa] Quia nihil in ea cauſſa, niſi de ipſa republica, videbatur agi. propterea, vt opinor, ſimplicem cauſſam appellat.

Conſtans ratio] In mala cauſſa *pertinacia* dicitur, in bona *conſtantia.* laudem igitur conſtantiae ferebat Milo, cum in optima cauſſa tuenda perſeueraret.

Collegas] Non tribunos plebis omnes, ſed omnes, exceptis duobus, Numerio Quintio, et Sex. Atilio Serrano. ſupra c. 32. pro Milone c. 15. et in Piſonem c. 15. in ea quoque poſt reditum in ſenatu c. 8. tribunos plebis, quorum opera, et ſtudio reſtitutus fuerit, octo commemorat, Milonem, Sextium, Ceſtilium, Ciſpium, Fadium, Curium, Meſcinium, Fabricium: omittit Numerium, et Serranum, qui etſi legi non interceſſerunt, quod tantum ſenatus omniumque magiſtratuum conſenſum timerent; male tamen animatos ad Ciceronem fuiſſe, et antea ſatis patuit, et tum maxime, quod cum collegis in ferenda lege non conſenſerunt.

Alterius ſummum ſtudium] P. Lentuli.

Alterius animus paene placatus] Q. Metelli. qui cum nec aduerſatus eſt, nec adiuuit, non omnino placatus eſſe viſus eſt. poſt autem etiam adiuuit. de quo ſic in ea poſt reditum ad Quirites c. 6. *Hoc duce,* (Lentulum conſulem dicit) *collega autem eius, clementiſſimo atque optimo viro primo non aduerſante, poſt etiam adiuuante, reliqui magiſtratus paene omnes fuerunt defenſores ſalutis meae.* Et in ea in ſenatu c. 3. et in Piſonem c. 15.

Vnus alienus] Appius P. Clodii frater: de quo plane in Piſonem c. 15. *De me,* inquit, *cum omnes magiſtratus promulgaſſent, praeter vnum praetorem, a quo non fuit poſtulandum, fratrem inimici mei, praeterque duos de lapide emtos tribunos plebis, legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus conſul de collegae Q. Metelli ſententia.* nec dubito, quin, vbi ſcriptum eſt in oratione pro Milone c. 15. *ſeptem praetores,* recte

recte ſcriptum ſit, contra quam nonnulli exiſtimant, quibus, *nouem*, reponendum videtur. octo enim tum fuiſſe praetores, non decem, probauimus in commentario ad Quintum fratrem lib. II. epiſt. 1.

Duo ſoli] Tribuni plebis, Numerius et Serranus: qui tamen non interceſſerunt.

Suſtinere] Si conſilium intercedendi omitterent, quod contra vniuerſum ſenatum omnesque magiſtratus pugnare non auderent. quod ſperare Miloni licebat: cum, homines deſpectos et contemtos in ſuſcepto negotio fortes et conſtantes fore, non admodum veriſimile videretur.

Auctoritate] *Auctoritas* eſt in iis, quorum exſtant in rempublicam praeclare facta. qui deinde cum aliquid agunt, recte agere putantur, ob eam, quam de ipſis iam homines perceperunt, opinionem.

Conſilio] Non temere, ſed ſapienter: cum in agendo nihil per imprudentiam committeret.

Per ſummum ordinem] Auctore ſenatu: qui eſt ordo in ciuitate princeps.

Bonorum et fortium ciuium] Qui contra perditos ciues rempublicam fortiter defenderunt: vt Ahala, Naſica, Opimius, Marius. pro Milone c. 3. Et *bonos*, ac *fortes* dixit; quia neque boni, ſi timidi ſint, neque ſtrenui, ſi non boni, reipublicae rationibus vtiles ſunt. ideo ſupra, *et ſentire, et facere, perfectae cumulataeque virtutis* eſſe dixit.

Quid republica] Republica dignum erat, vt is, qui ſceleratiſſimos ciues pro ſalute patriae necarat, ab indigniſſima exſilii fortuna in patriam ſumma cum dignitate reduceretur.

Quid ſe dignum eſſet] Qui antea in rempublicam multa beneficia contuliſſet, eius maxime partes videbantur eſſe, vt optimum virum, ſalutarem patriae ciuem, vi pulſum, legibus reſtitueret.

Quis ipſe eſſet] Erat enim is, qui et ſperare ſummos honores poſſet, et egregia maiorum facta deberet imitari.

CAPVT XLI.

Si moribus ageret] Si more inſtitutoque omnium ei reſiſteret. ſic pro Caecina c. 1. locutus eſt: *Niſi forte*, inquit, *hoc rationis habuit, quoniam, ſi facta vis non eſſet, moribus ſuperior in poſſeſſione retinenda non fuiſſet.*

Deſcendit ad accuſandum] Sic in Diuinatione c. 1. locutus eſt: *Subito nunc, mutata voluntate, ad accuſandum deſcendere.* Habitabant enim in collibus fere: et in foro, quod erat in planitie, iudicia fiebant. alibi, *deſcendere in campum.* accuſauit autem Clodium Milo, quod caedem in foro cum gladiatoribus feciſſet. Dio lib. XXXIX.

Hominis] Clodii.

Hoc] Milone.

Priſtini illius ſui iudicii] Videtur ſignificare, Clodii accuſatorem in aliquo iudicio, pecunia corruptum, praeuaricatum eſſe: cum dicat, *hoc enim accuſante.* verum, quo in iudicio id acciderit, compertum non habeo. nam, in iudicio de ſacris Bonae deae violatis id factum non eſſe, declarant illa verba lib. I. ad Attic. epiſt. 16. *Cum accuſator, tamquam cenſor bonus, homines nequiſſimos*

quiſſimos reiiceret. De inſigni tamen, ac noto iudicio videtur loqui, cum dicat, *illius ſui iudicii.*

Conſul, praetor, tribunus plebis] Metellus, Appius, Serranus.

Ne quaeratur] Ne res in iudicio cognoſcatur. huc illa pertinent ex oratione poſt red. in ſen. c. 8. *Primo de vi poſtulauit. poſteaquam ab eodem iudicia ſublata eſſe vidit; ne ille omnia vi poſſet efficere, curauit.*

Iudicum, aut iudiciorum] Opinor, quia edixerant, ne iudicium vllum ante comitia fieret. vide hac de re Dionem lib. XXXIX.

Corroborata] Ex impunitate, ſublato enim iudiciorum metu, aucta eſt hominum improborum audacia.

Sublatis] Hoc totum licet videre in oratione poſt reditum in ſenatu c. 8. etiam ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. hoc ſignificat, cum ait: *Qui, cum tribunus plebis poenas a ſeditioſo ciue per bonos viros iudicio perſequi vellet, exemplum praeclariſſimum in poſterum vindicandae ſeditionis de republica ſuſtulerunt.*

Etiam eripi reiecit (Ern. *e republica credidit*)] Mendum patet: nec eſt, vnde tollatur. conſentiunt enim cum impreſſis omnes, quos viderim, veteres libri. video ſane tertium quiddam deſiderari, quod referatur ad illud, *an cauſſam ſusceptam affligeret?* nam cum dixit, *et vinci,* ſpectauit illud, *ceruices daret:* cum autem, *deterreri,* reſpondit ad illud, *ſe domi contineret.* verum etſi fortaſſe licet ſententiam diuinare; quibus tamen verbis explicetur, apertum non eſt. certe aliquid huiusmodi congrueret: *Et cauſſam affligere. Fecit, vt* etc. vel, *et cauſſam abiicere.* eſt tamen haec ex eo genere coniectura, quod ego minime ſoleo probare; cum inter mendum et correctionem ſimilitudo et tamquam affinitas litterarum non eſt.

CAPVT XLII.

An, qui ſua tecta defendit] Suſpicor aliquid in hoc verborum ambitu deſiderari. nam cum illa concluſio, *hunc de vi accuſandum putas,* ad Sextium manifeſte pertineat: tamen haec prima, *qui ſua tecta defendit, qui ab aris, focis, ferrum flammamque depellit,* ad Milonem ſine dubio referuntur. quare totum hoc, vt ego ſentio, apte quadraret hoc modo: *An, qui ſua tecta defendit, qui ab aris, focis, ferrum flammamque depellit, eum laudas: qui autem ſibi licere vult tuto eſſe in foro, in templo, in curia, qui vitae praeſidium comparat, qui vulneribus, quae cernit quotidie toto corpore, mouetur, vt aliquo praeſidio caput, et ceruices, et iugulum, ac latera tutetur, hunc de vi accuſandum putas?* ſi ſic legeretur, perfecta, vt opinor, ſententia eſſet. ſic autem legendum, cum ea, quae a me dicta ratio eſt, declarat, tum ea verba, quae ſupra proxime ſcripta ſunt: *Quomodo igitur in hoc genere praeſidii comparati accuſas Sextium, cum idem laudes Milonem?*

Toto corpore] Plus viginti vulneribus acceptis.

Neque naturali, neque ciuili iure] Ius naturae, omnium gentium commune eſt; ius ciuile, particulare ciuitatum, ad loci rationem,

tionem, aut ad hominum ingenia accommodatum.

Deſcripto] Quaedam enim in legibus ex naturali iure ſcripta ſunt, quaedam ex eo iure, quod ciuium ſententia comprobauit.

Diſplicent] Vel diſplicent ea, quae ſunt; vel omnino non ſunt.

Vt virtus audaciam vinceret] Vt audacem virtute praeditus legibus puniret.

Neceſſario] Illatam enim vim vi repellere coactus eſt.

Si minus in accuſando] Non enim in accuſando Clodio Milonem eſt imitatus, ſed in ſalute ſua defendenda.

CAPVT XLIII.

O dii immortales] Cum ciues improbi ſummis honoribus et poteſtatibus fruantur, boni tamquam nocentes accuſentur; quid ſperandum eſt? nihil ſcilicet non triſte.

Alterum haurire] Gabinium, qui Syriae praeerat.

Gurgitem] Gurges, quod iniicitur, abſorbet: ſic libidines Gabinii diuitias quamuis immenſas exhauriebant.

Villam] In Tuſculano: quam *Tuſculanum montem* vocat in oratione in Piſonem c. 21. quod ob altitudinem monti ſimilior, quam villae, videretur. Etiam pro domo c. 47. *Ad caelum exſtruxit villam in Tuſculano viſceribus aerarii.*

Tugurium] Vt illa villa, cuius nomine ſummum ciuem olim in concione accuſabat, tugurium prae ſua, quam exſtruit, eſſe videatur.

Tribunus plebis] Conſulibus C. Calpurnio Piſone, et M' Acilio Glabrione tribunus plebis Gabinius fuit. quod e Plutarcho licet coniicere.

Fortiſſimum ac ſummum ciuem] L. Lucullum puto ſignificari, qui, vt in eius vita ſcripſit Plutarchus, villam praeclaram habuit in Tuſculano: quam, cum Gabinii villa comparatam, tugurium videri Cicero nunc aſſerit. ſunt etiam haec lib. I. de Offic. c. 39. quae Luculli magnificentiam in aedificando declarant: *L. Luculli, ſummi viri, virtutem quis? at quam multi villarum magnificentiam imitati ſunt?* praeterea, *fortiſſimum, ac ſummum ciuem,* optime conuenit in Lucullum; qui et bellica laude, et honoribus, atque opibus maxime inter ciues enituit. vt omittam eam rationem, quod ob ſimultatem, quae iam inde a Sullae teſtamento, vt indicat Plutarchus, inter Lucullum et Pompeium fuit, credibile eſt Gabinium Lucullo infenſum fuiſſe. nam Pompeium Gabinius ſemper coluit atque obſeruauit: qui etiam tribunus plebis legem tulerit de bello illi aduerſus piratas demandando.

Homo caſtus, ac non cupidus] Alterum ad corpus, alterum ad animum pertinet. qui enim aliena neque attingit, neque appetit, is *homo caſtus, ac non cupidus* recte vocatur. ironia in Gabinium, qui omni intemperantia luxuque diſſolutus ac perditus, quae in aliis vehementer accuſaverat vitia, iis ipſe vehementer laborabat.

Alterum] Piſonem; qui Macedoniam regebat.

Vexandam Macedoniam] Hoc eſt, quod ait in Piſonem c. 40. *Macedonia condonata barbaris.* In ea tamen de prouinciis conſularibus c. 2. non ideo Thraces ait

ait in Macedoniam impetum feciſſe, vt pecunias, quas Piſoni pro emta pace ſoluerent, maximas cogerent, ſed vt, pace antea magno pretio emta, exhauſtas domos replere poſſent. vtroque modo grauiter, et contumelioſe in Piſonem.

Ciuium Romanorum] Cum enim Graeci Romanis ciuibus magnas pecunias deberent, Piſoni lege Clodia permiſſum eſt, vt ius in liberos populos de creditis pecuniis diceret. deinde aut ius non dixit, aut ita dixit, vt bonis ciues Romanos euerteret. de prouinciis conſ. c. 4. pro domo ſua c. 23. et in Piſonem c. 16.

Diuiſiſſe] Apolloniatae CC talenta Piſoni Romae dederunt, ne creditas pecunias ſoluerent. in Piſonem c. 35. de Dyrrhachinis, aut Theſſalis, Achaeis, magno auri pondere a Piſone multatis, aut direptis, mentio fit in ea de prouinciis c. 3. 4. et in Piſonem c. 34.

Neque tamen vllo in publico, aut religioſo loco] Mirum videtur, cum pecunias maximas cogeret, locis eum publicis, ac religioſis non peperciſſe. *Publica loca* ſunt, quo patet aditus vnicuique, vt fora, theatra, baſilicae, porticus: *religioſa*, diis dicata.

Hos duos] Sextium, et Milonem, de vi reos, Sextium accuſante M. Tullio Albinouano, vt partim ex lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 3. partim ex oratione in Vatinium c. 1. colligitur; Milonem accuſante P. Clodio aedile, vt et hic infra c. 44. patet, et in oratione in Vatinium c. 17. et in Dione lib. XXXIX. vtrumque tamen in eodem iudicio affuiſſe crediderim: cum dicat Cicero, *hos duos, quos videtis.*

Numerium, Serranum, Aelium] Primi duo tribuni plebis fuerunt conſulibus Lentulo et Metello, quo anno Cicero reſtitutus eſt: tertius anno ſuperiore, cum Cicero pulſus eſt, conſulibus Piſone et Gabinio. ſupra c. 32.

Timebitis] Tacite iudices hortatur ad puniendos Clodianorum ſcelerum ſatellites. numquam, inquit, eorum arrogantia, atque audacia reprimetur, niſi vos, obiecto metu, fortiter in iſtam manum hominum perditorum irruentes, rempublicam a nefario dominatu vindicetis. nunc, quia languetis, quod fortaſſe vos mei caſus memoria timidos reddit; iſti volitant, quaſi ea, quae improbe agendo meriti ſunt, nihil extimeſcant.

CAPVT XLIV.

Aedile ipſo] P. Clodio. hinc apparet, vt alia praetermittam, hanc orationem conſulibus Marcellino et Philippo habitam eſſe. nam Clodius eo anno aedilis fuit, vt vel vna de haruſpicum reſponſis oratio demonſtrat.

Accuſauit de vi] Hic *accuſauit*, infra vero, *accuſat*, dicit: quia et iam acta res erat, et in Quirinalia dilata fuerat, indeque in nonas Maias. eſt enim accuſatus Milo, ante quam Sextius poſtularetur: et tamen, abſoluto iam Sextio, reus adhuc fuit, re dilata: vt in lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 3. et 6. ſcriptum eſt. accuſatus autem eſt de vi: quod eum beſtiariis obſediſſe rempublicam dicebant. in Vatinium c. 17. Dio autem lib. XXXIX. Clodium

dium ait Miloni diem dixiſſe iis de rebus, quas ipſe commiſerat.

Monumenta publica] Opinor intelligi porticum Catuli, de Cimbricis manubiis exſtructam: quam Clodius, quia cum Ciceronis domo coniungebatur, euertit.

Aedes ſacras] Templum Nympharum; de quo iam diximus.

Inimicorum] M. Tullii, Quinti fratris, Milonis. lib. IV. ad Attic. epiſt. 3.

Indicibus] Quorum corrupto indicio bonos viros in iudicium vocare conſueuerat.

Peregrinam manum] Fortaſſe ex Etruria conductam. pro Milone c. 9.

Carcerem totum] Homines audacia perditos Clodius in tribunatu carceribus liberauit. quos ſignificauit Cicero, cum dixit c. 36. *Cum ſicariis e carcere emiſſis.*

Hic] Milo.

Deos penates] Domum ſuam, a Clodio oppugnatam.

Auſpiciaque] Contra quae Clodius haberi comitia aedilicia voluerat, Milone reſiſtente: lib. IV. ad Attic. epiſt. 3.

Per ſenatus auctoritatem] Supra c. 41. non a ſenatu prohibitum eſſe Milonem dixit, ne Clodium accuſaret, ſed a conſule, praetore, tribuno plebis, qui mentionem vllam iudicum aut iudiciorum a quoquam fieri, propoſitis edictis, vetuerunt. ſed credendum eſt, edicta illa prius in ſenatu, ſententiis dictis, eſſe comprobata. nam ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. cum ait, *impunitatem eſt illorum ſententiis aſſecutus, qui, cum tribunus plebis poenas a ſeditioſo ciue per bonos viros iudicio perſequi vellet, exemplum praeclariſſimum in poſterum vindicandae ſeditionis de republica ſuſtulerunt;* non ſignificat Clodium ſententiis iudicum eſſe abſolutum: non enim iudicium illud, quo Milo tribunus plebis Clodium de vi accuſauit, factum eſt: ſed ſenatorum ſententiis eſſe decretum, ne cauſſam prius diceret, quam habita comitia eſſent. quibus cum aedilis eſſet Clodius deſignatus, inſtitutam accuſationem Milo perſequi noluit, opinor, ne plebem offenderet, cum ei, cui magiſtratum ipſa mandaſſet, perniciem quaerere videretur.

Nimirum hoc illud eſt] Non ſatis patet, quo modo hoc ad ſuperiora pertineat: et tamen disiunctum eſſe non poteſt: cum dicat Cicero, *hoc illud eſt.* forte, quia Miloni Clodium accuſare per ſenatus auctoritatem non licuerat, accuſator Sextii, inde arrepta occaſione, quaeſiuit a Cicerone, qui eſſent optimates illi, quos ipſe et Sextius iactarent; cum ſenatus, impedienda Milonis accuſatione, ſuam in Clodium voluntatem ac ſtudium declaraſſet.

Officio noſtro] Qui defendimus.

CAPVT XLV.

Iſte optimus (Ern. *optimus quisque*)] Rectius opinor, *iſte optimas?* cum de optimatibus ſermo ſit. ſic lib. I. de rep. apud Nonium: *Quomodo iudicatur iſte optimas, aut optimatium aemulus doctrina, artibus, ſtudiis.*

Conſilii publici] Senatus. ſic enim eum appellat ad Ap. Pulchrum lib. III. Fam. epiſt. 8.

Quibus patet curia] Non enim omnium ordinum hominibus in ſenatum

ſenatum aditus eſt, ſed iis tantum, qui neque libertini ſint, et DCCC millia poſſideant. municipibus autem, et ruſticis, et negotia gerentibus, de quibus proxime loquitur, patere curiam non dicit: quia municipales in municipiis viuunt, ſuisque legibus vtuntur; ruſtici ſenatorium cenſum non habent: negotia gerentes, quia quaeſtum aperte curant, non valde honorati. *Maximorum* igitur *ordinum homines* dixit, qui optima conditione ſunt in ciuitate. ſic *infimi ordinis homo*, qui obſcurae ſortis eſt.

Natura improbi] Hos a nocentibus diſtinguit: quia multi peccant, et re nocentes ſunt, cum natura tamen improbi non ſint.

Furioſi] Auget vitium. qui enim et nocentes ſunt, et natura improbi, poſſunt a furore abeſſe. addit igitur id, quo peſſima ſit improbitas.

Malis domeſticis] Egeſtas enim facile homines ad facinus impellit.

Impediti] Maximum eſt ad praeclare agendum impedimentum rei familiaris inopia. vnde illud: (Iuuenalis ſat. III. v. 164.)

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi.

Nationem] Quo verbo quaſi per contemtum accuſator vſus erat.

Appellaſti] Poſt hoc verbum ſequebantur haec: *Qui et integri ſunt, et ſani, et bene de rebus domeſticis conſtituti.* quae non leguntur in libro manuſcripto, nec, vt accuratius conſideranti facile patebit, neceſſaria ſunt. videntur enim ex eo genere, quae gloſſemata appellantur, quae in veterum libros quam multa irrepſerint, notum eſt.

Gubernatoribus] *Gubernare* de nauigantibus proprie dicitur, de rempublicam adminiſtrantibus μεταφορικῶς. et eſt verbum ad inducendam metaphoram accommodatum, quia vſu paene proprium factum eſt hoc enim verborum genere facile a propriis ad translata deducimur: cum ad diverſa coniungenda medium quiddam requiratur.

Sanis, et bonis, et beatis] Tribus modis idem dixit, primum, *neque nocentes, nec natura improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti:* deinde, *ſanis, et bonis, et beatis.* ſolet enim eos *beatos* appellare, qui diuitiis abundant extra egeſtatis incommoda conſtituti.

Cum dignitate otium] Vt et magiſtratus conſequantur, et, ne quid in republica contra veteres mores ac leges nouetur, diligenter animaduertant.

Efficiunt] Qui et recte ſentiunt, et, quod ſentiunt, re praeſtare poſſunt.

CAPVT XLVI.

Religiones] Vt ea, quae ad Deos pertinent, ſtudioſe ſeruentur.

Auſpicia] Recte poſt religiones auſpicia poſuit. nam et ipſa deorum a voluntate pendent: nec omitti et negligi poſſunt, quin ſimul religio deferatur.

Poteſtates magiſtratuum] Seruanda enim ſunt iura magiſtratuum: vt tantum poſſint, quantum eis a legibus tribuitur.

Fides] Ne quid vtilitatis cauſſa praeter fidem committamus. lib. II. de Offic. c. 9.

Socii]

Socii] Qui nobis tuendi ſunt: etſi non a magiſtratibus noſtris, ſicuti prouinciae, regantur.

Qui aut propter metum poenae] In tres partes diuiſa ſententia eſt. prima nocentes ſignificat, altera furioſos, tertia malis domeſticis impeditos. quae hominum genera ab optimatium numero iam excluſit.

Implicationem rei familiaris] Egeſtatem ſignificat: in qua qui ſunt, eos appellari Latine et eleganter, *malis domeſticis impeditos, non bene de rebus domeſticis conſtitutos*, ſupra c. 45. cognoſcitur. hic autem, cum dicat, *implicationem rei familiaris, difficultatibus rei familiaris implicati*, recte de eodem hominum genere dicemus.

Tenere curſum] Metaphorae initium fecit in communi verbo, *vigilandum:* deinde ſubiunxit, *gubernacula;* quod eſt translatum illud quidem, vſu tamen ita tritum, vt paene proprium videatur: deinde, cum quaſi viam muniiſſet, apertam translationem induxit.

CAPVT XLVII.

Leuiores] Non admodum fortes.

Deſciſcunt] A reipublicae cauſſa: ſusceptam defenſionem abiiciunt.

Deſunt] Volunt quidem, ſed prae timore non aggrediuntur.

Illi ſoli] Tria facit hominum genera, de republica recte ſentientium: vnum eorum, qui pro communi commodo labores et pericula ſubeunt, quia tamen virtute non magna ſunt, non permanent in incepto: alterum eorum, qui metu deterriti a contentione abſtinent: tertium eorum, qui omnia pro ſalute reipublicae et ſuscipiunt, et perferunt.

Pater tuus] M. Scaurus, princeps ſenatus: cuius in tuenda republica conſtantiam declarat etiam in ea pro C. Rabirio c. 7. his verbis: *Cum armatus M. Aemilius, princeps ſenatus, in Comitio conſtitiſſet: qui, cum ingredi vix poſſet, non ad inſequendum ſibi tarditatem pedum, ſed ad fugiendum impedimento fore putabat.* Eundem in ea pro Scauro, quae integra non exſtat, *cuſtodem reipublicae* vocat.

M. Scaure] Apud hunc, vt opinor, praetorem Sextii cauſſam Cicero agebat. nam et infra c. 54. *Ex te igitur, Scaure, potiſſimum quaero.* Quod ad praetorem potius, quam ad iudicem, videtur eſſe dictum. praeterea, ſi quis cum Pediano ſupputet, praetorem hoc anno fuiſſe reperiet. ait enim Pedianus, accuſatum eſſe Scaurum L. Domitio Ahenobarbo et Ap. Claudio Pulchro coſſ. cum Sardiniam prouinciam pro praetore anno proximo adminiſtraſſet. annus autem, qui Domitii et Claudii conſulatum proximus anteceſſit, fuit is, quo conſules Pompeius et Craſſus fuerunt. quod ſi ſtatim poſt praeturam iuit Scaurus in Sardiniam: quod et veriſimile eſt, et a Pediano videtur indicari, cum ait, *ex praetura prouinciam Sardiniam obtinuit:* neceſſe eſt praetorem fuiſſe Marcellino et Philippo coſſ. quo anno habita pro Sextio haec oratio eſt. hi enim ante Pompeium et Craſſum conſulatum geſſerunt. tribus igitur continentibus annis fuit Scaurus, primo praetor Marcellino et Philippo

lippo coſſ. ſecundo Sardiniae rector, Pompeio et Craſſo; tertio reus, Ahenobarbo et Pulchro. In hac ſatis explorata ratione quiddam tamen eſt, quo valde conturbor. nam in hac ipſa oratione infra c. 54. ludos a Scauro aedile datos Piſone et Gabinio coſſ. Cicero ſignificat. et ab aedilitate biennio praetura diſtat. quod cum ita ſit: qui poteſt his conſulibus praetor Scaurus eſſe?

Ad C. Marium (Ern. *Q. Varium*)] Quem ſextum conſulatum gerentem hortatus eſt, vt contra Saturninum tribunum plebis et Glauciam praetorem libertatem legesque manu defenderet: protinusque arma ſibi afferri iuſſit: quibus allatis, vltima ſenectute confectum corpus induit: ſpiculoque innixus ante fores curiae conſtitit.

Q. Metellus] Satis oſtendunt ea, quae ſequuntur, de Numidico dici. patruus autem fuit Scauri matris hoc modo: M. Scaurus, ille ſenatus princeps, vxorem habuit Caeciliam Metellam: e qua Scaurum hunc, quem appellat Cicero, filium ſuſcepit. patet hoc ex Plinii lib. XXXVII. c. 15. haec L. Metelli, pontificis maximi, filia fuit, vt a Plutarcho in Sulla, et a Cicerone ipſo in oratione pro hoc Scauro habita traditum eſt: quem Numidici Metelli fratrem fuiſſe, etiam ſi exemplis non probetur, hic tamen Ciceronis locus plane declarat. poſt obitum Scauri, nupſiſſe eam L. Sullae, qui dictaturam armis cepit, et ſponte depoſuit, tum ii, quos nominaui, ſcriptum reliquere: tum etiam ex Pediano licet cognoſcere. ait enim, Scauro, quem de repetundis accuſatum Cicero defendit, vitricum Sullam fuiſſe, Scaurique fratrem ex eadem matre Fauſtum fuiſſe, eum, quem ciuili Caeſaris, et Pompeii bello periiſſe Suetonius in Iulio c. 75. tradit. geminos enim peperit Caecilia, Fauſtum, de quo diximus, et Fauſtam, quae Milonis vxor fuit.

Cenſor notaſſet] Notatum tamen alter cenſor, Metelli collega, reſtituit: non enim ſenatu moueri paſſus eſt. teſtis Appianus lib. I. de bell. ciu. collegam autem in cenſura Q. Metelli Numidici opinor fuiſſe C. Metellum Caprarium, Metelli Macedonici filium. hoc ex Velleii Paterculi verbis lib. II. c. 8. coniicio: ait enim duos Caepiones fratres germanos cenſuram ſimul geſſiſſe, duos autem poſtea Metellos, non germanos fratres, ſed patrueles. porro Numidicum, et Caprarium, fratres patrueles fuiſſe, antiquarum familiarum, de quibus librum inſtituimus, obſeruatio demonſtrabit. de filiis autem Macedonici cur Caium potius, quam Quintum, aut Lucium, aut Marcum, (quattuor enim fuere) cum Numidico cenſorem fuiſſe exiſtimem, ea ratio facit, quod Quintus, et Lucius, ille cum Geta, hic cum Ahenobarbo, ante Numidici cenſuram, cenſores fuere. Caium autem cenſorium fuiſſe, ex duabus Ciceronis poſt reditum orationibus ad Quir. c. 3. in ſen. c. 15. plane cognoſcitur.

Inſitiuum Gracchum] C. Quintium Gracchum: qui ſe Ti. Gracchi filium ſimulabat eſſe. quo mendacio plebem vsque eo decepit, atque induxit, vt tribunus plebis deſignatus ſit: cum tamen e Firmo Piceno, obſcuriſſima ſtirpe, atque adeo ſeruili ſanguine genitus eſſet. ſic enim Cicero

Cicero in ea pro C. Rabirio c. 7. ſignificat, cum ait: *Cum Saturninus Capitolium teneret armatus, eſſet vna C. Glaucia, C. Saufeius, etiam ille ex compedibus atque ergaſtulo Gracchus.* et Valerius Maximus *monſtrum* appellat lib. IX. c. vlt. praenomen Caii tribuit illi Florus lib. III. c. 16. nomen Quintii auctor de viris illuſtribus c. 12.

In eam legem] L. Saturnini tribuni plebis, de qua ſupra c. 16. meminit.

Nuper] Periit enim poſt conſulatum Ciceronis. poſt reditum in ſenatu c. 4. de hoc etiam Plutarchus, et alii.

Q. Catulus] Filius eius, qui cum C. Mario conſul fuit.

Aut ſpe, aut metu] *Spe* honorum, *metu* periculorum: quod iam dixit, *neque periculi tempeſtas, neque honoris aura.*

CAPVT XLVIII.

Propagantur] Non breui temporis definiuntur ſpatio, ſed ita producuntur, vt ad poſteritatem perueniant.

Multae inſidiae] Iouis filium, Aeacum fortaſſe Accius poeta induxit ſuis liberis haec praecipientem: quae Cicero et hic, et in oratione pro Plancio c. 24. ad ſuam ſententiam accommodat. Accii vero vt haec eſſe exiſtimem, facit illud, quod ſequitur, *oderint, dum metuant:* quod Cicero eiusdem poetae dicit eſſe. porro id ex Accii tragoedia, Atreo, vt opinor, ſumtum eſſe, oſtendit Anneius Seneca lib. I. de Clementia c. 12. quod lib. I. de Offic. c. 28. plane cognoſcitur. vſurpantur et Phil. I. c. 14.

Exciperent] Improbi, cum pro eorum ſenſu ac voluntate ſcriptum legunt, arripiunt, et memoria tenent, atque etiam imitatione vſuque comprobant. itaque, quod Accius de Atreo dixerat, ab improbis hominibus auide eſt exceptum.

Praeclara] Excuſat poetam, qui dixerit, *oderint, dum metuant:* quod eſt ad confirmandas improborum ciuium mentes aptiſſimum dictum. ſcripſit, inquit, hoc, qui ſcripſerat iam illa, *multae inſidiae ſunt bonis*, et quae ſequuntur. non enim verebatur, vt in eo, quod Atreum dicentem facit, iuuentuti noceret, quam vtiliſſimis ac ſaluberrimis illis praeceptis, ex Aeaci perſona prolatis, iam imbuerat.

Ad populi commodum] Ad ſuum ipſius commodum. *Populum* enim hic vſurpat Cicero pro ea multitudine, quae ſenatui et optimatibus aduerſatur.

Tabellaria lex] Vt populus non, vt antea, voce, ſed per tabellas de ciuibus ſententiam ferret. quattuor leges tabellariae fuerunt, Gabinia, Caſſia, Papiria, Coelia. lib. III. de Leg. c. 16.

In ſalute optimatium] Cum aliquis de numero optimatium a populo iudicaretur, cum de ſalute optimatium in iudicio ageretur. primus enim L. Caſſius populo tabellam dedit in iudicio. dederat biennio ante Gabinius in creandis magiſtratibus.

Licentiam] Maior enim eſt licentia, vbi per tabellas ſententiae feruntur.

Agrariam] Ne quis vltra quingenta iugera poſſideret. quod aliquando lege Licinia cautum erat. Plutarchus in Gracchis, Appianus lib. II. de bell. ciu. Velleius

leius lib. II. c. 6. epitome Liuii LVIII. in qua pro, *quingenta iugera*, mendoſe legitur, *decem iugera*. errato cauſſam praebuit antiquae notae D ignoratio.

Mouerentur] Quas enim poſſeſſiones contra legem Liciniam, quae multis ante Tiberium annis quingentorum iugerum numerum definierat, locupletes homines tenebant, eas Tiberii lege tenuioribus tradere cogebantur.

Frumentariam] Vt frumentum ſemiſſe et triente populo daretur. epitome Liuiana, Velleius, Plutarchus. hanc legem mox et L. Saturninus, et poſtea Ciceronis aetate P. Clodius tulit. ſupra c. 25.

Sine labore] Vt etiam ſi plebs inerti otio tempus conſumeret, ei tamen, vnde viueret, non deeſſet.

Aerarium exhauriri] Cum frumentum publicum, cuius venditione quotannis in aerarium magnae pecuniae inferebantur, plebi gratis dari lex Gracchi iuberet.

CAPVT XLIX.

Noſtra memoria] Marii et Sullae temporibus. nam deinde plebs a patribus aut non diſſenſit, aut ſine ſeditione diſſenſit.

A conſilio principum] A ſenatu, ab optimatibus.

A delectis] A delectis in ſummum ordinem, a ſenatu; qui de vniuerſa ciuitate pro cuiusque virtute ac meritis a cenſoribus legi ſolitus erat.

Conductas] Mercede coactas: quando ſua ſponte plebs ad eas conciones, quae a turbulentis ac ſeditioſis tribunis plebis habentur, coire non vult.

Populi iudiciis] Iudicium ſuum in magiſtratu mandando populus oſtendit.

Significatione] Cum in theatrum populares ciues ingrediebantur, populus ad beneuolentiam ſignificandam plauſum dabat. quod autem Cicero dixit, *iudiciis atque omni ſignificatione*, proxime ſe ipſe exponit, cum infert, *his in theatro plaudebatur: hi ſuffragiis, quod contenderant, conſequebantur.*

Apud bonos viros] Diſtinguit a ſenatu bonos viros: vt oſtendat, etiam in populo fuiſſe, qui recte de republica ſentirent.

Eorum voluntas] Cum aut ipſi, aut eorum propinqui, aut amici, magiſtratum petentes, repulſam ferebant.

Ne quid peccaſſet] Solidam laetitiam ex eo plauſu non capiebant, ſed tenuem et ſuſpicione diminutam. verebantur enim, ne qua re antea populi voluntatem offendiſſent.

CAPVT L.

Tribus locis] In foro, in campo Martio, in theatro. in foro enim conciones habebantur, munus gladiatorium dabatur, ludi interdum fiebant: in campo comitia, et conciones, in theatro ludi.

Gladiatore] P. Clodio. gladiatores enim homines audaces, et facinoroſi: a quibus natura et factis Clodius minime differebat.

Neceſſario] Quia conducta concio erat hominum perditorum: qui cum pretium ac mercedem accepiſſent, concionanti de me Clodio aſſentiri cogebantur. erant igitur eae conciones neceſſario turbulentae.

 Produ-

Productus eſt] Quia priuatus tunc erat Pompeius: neque concionem habere cuiquam priuato licebat, niſi a magiſtratu produceretur. hoc in noſtris antiquitatibus.

Quis non modo approbauit] Locutio Ciceroni vſitata, pro eo, quod eſt, *quis, non dico approbauit*, etc.

CAPVT LI.

Comitia] Comitia et de magiſtratibus, et de legibus dici, hic planum eſt. dicuntur et de iudiciis, vt in libro de Comitiis c. 14. demonſtrauimus.

Vix vt quini] Plurimus in hoc eſt Cicero, vt probet, id, quod dixit; in eo ſtatu eſſe ciuitatem, vt ſi conductorum remoueantur operae, omnes idem de republica ſentiant. probauit iam exemplo concionum. nunc idem et legibus nititur confirmare. Conſideretur, inquit, ea lex, quae de meo reditu lata eſt. conferatur, non dico cum iis legibus, quae cum feruntur, ita infrequens populus adeſt, vix vt quini in tribu ſuffragium ferant; ſed cum ea, quam de mea pernicie Clodius tulit. quod autem adiungit, *et hi ex alia tribu*, notat populi non modo infrequentiam, ſed etiam confuſionem.

Ex ſenatus conſulto, comitiis centuriatis] Lex Clodii neque ex ſenatus conſulto, neque comitiis centuriatis lata erat, ſed contra voluntatem ſenatus, tributis comitiis, in foro: ea vero, quam de reducendo Cicerone P. Lentulus conſul tulit, ex ſenatus conſulto, comitiis centuriatis, in campo Martio: quam diſſuaſiſſe P. Clodium opinor ex eo, quod dictum eſt proxime: *Cedo nunc eiusdem illius inimici mei de me eodem ad verum populum in campo Martio concionem.* ſuadere enim et diſſuadere leges, ante quam ferrentur, non modo magiſtratibus, verum etiam priuatis hominibus licebat. quod in libro de Legibus c. 35. copioſe oſtendimus.

Vtra igitur cauſſa] Interpretis officium eſt, ſi modo, quas ſuſcepit partes, eas cum laude ſuſtinere vult, tria conſiderare, verba, ſententiam, ſententiae cauſſam. hic, ſi verba tantum conſideres; et quid ſingula ſignificent, et quam ſententiam efficiant, omnibus intelligere facile eſt. ſin autem, quo ſententia referatur, et quid Cicero ſpectauerit, indagamus: fortaſſe non eadem ratio eſt, nec ſimiliter omnes intelligunt. quare pro eorum commodo, qui non admodum in litteris acute vident, viſum eſt, vt totam rem paullo latius explicarem. Ciuium duo genera Cicero iam dixit eſſe, optimates, et populares. de optimatium numero et erat ipſe, et haberi volebat: Clodius popularis putabatur. contendebat Clodius, ſe non eſſe minus optimatem, quam Ciceronem: Cicero contra, ſe popularem magis eſſe, quam Clodium. argumento Clodius hoc vtebatur, quod Milo, qui ei diem dixerat, accuſationem perſequi per ſenatus auctoritatem prohibitus erat. itaque dixerat accuſator Sextii: *Quae eſt iſta veſtra natio optimatium; cum ſenatus, in quo principes optimatium ſunt, Clodio contra Milonem ſtuduerit?* Cicero nihil ad hoc reſpondit: quia neque, id eſſe factum, negare poterat; neque, iniuria eſſe factum,

factum, dicere: quod in altero manifeſta veritas obſtabat; in altero ſenatum reprehendere nolebat. quoniam igitur primum eſt in contentionibus iudiciariis, obiecta refellere; alterum, obiicere quod refelli ab aduerſario non poſſit: primum non attingit, ob ea, quae iam dixi: obiicit autem Clodio, vt quaſi parem gratiam referat, non eſſe populares eos, quos operae conductorum ſequantur, ſed eos, quibus integer populus faueat. probat hoc quinque argumentis. primum ſumit a concionibus, alterum a legibus, tertium a magiſtratibus, quartum a ludis, quintum a gladiatoribus. huius vniuerſae argumentationis duas partes iam abſoluit, eam, quae ad conciones, et eam, quae ad leges pertinet. ad ſingula argumenta concluſionem non apponit: quia non vbique neceſſe eſt: cum ex iis, quae dicuntur, facile iudices, quae concluſio ſequatur, ipſi per ſe poſſint intelligere. concluſiones tamen, quia vim quandam addunt orationi, tribus argumentis apponit, poſt leges, poſt magiſtratus, poſt gladiatores; primam et ſecundam particulares, tertiam vniuerſalem, quae ad argumenta omnia, quae quinque eſſe diximus, pariter ſpectet. verum, quia declarandae artis negotium ſuſcepimus, non alienum eſt, in ipſo concluſionum vſu quae ratio ſeruetur, oſtendere. nihil enim eſt ad eloquentiam vtilius, quam duorum perfectiſſimorum oratorum ingenia ex vtriusque ſcriptis conſiderare; eamque putare eſſe rectiſſimam diſerte ornateque loquendi regulam, qua illi, ſiue naturae praecipuo quodam munere, ſiue diligentia ſtudioque adiuti, cum cauſſas agerent, vſi ſunt. Concludit igitur Cicero primum interrogando, cum ait: *Vtra igitur cauſſa popularis debet videri: in qua omnes aetates ciuitatis, omnes ordines vna conſentiunt? an in qua furiae concitatae tamquam ad funus reipublicae conuolant?* deinde affirmando, c. 53. his verbis: *Videtis igitur, populum ipſum, vt ita dicam, iam non eſſe popularem: qui ita vehementer eos, qui populares habentur, reſpuat: eos autem, qui ei generi aduerſantur, honore digniſſimos iudicet.* poſtremo interrogando, c. 59. hoc modo: *Videtisne igitur, quantum inter populum Romanum et concionem interſit? dominos concionum omni odio populi notari? quibus autem conſiſtere in operarum concionibus non liceat, eos omni populi Romani ſignificatione decorari?* harum trium concluſionum primam video a ſenſu communi eſſe ductam. nam totum illud, *vtra igitur cauſſa*, et quae ſequuntur, ita dictum videtur, quaſi omnes homines popularem eſſe Ciceronis, non Clodii, cauſſam iudicaturi ſint. Alteram concluſionem, itemque tertiam a perſona iudicum ſumtam eſſe conſtat. ſed hoc inter eas differre iam oſtendi, quod ſecunda per affirmationem, tertia per interrogationem ſit. placet enim, vt in pictura, ſic in oratione varietas. poſſumus igitur, ſi doctrinam ex obſeruatione volumus efficere, concluſionem tamquam genus in tres partes diuidere, in vnam, quae eſt a ſenſu communi; alteram, a perſona iudicum; tertiam, a perſona noſtra. primae duae Ciceronis exemplis, proxime recitatis, manifeſ-

manifeſtae ſunt. tertia teſtimonio non indiget. in eam enim vel ſine artificio noſtra ſponte incidimus: vt, ſi quis, diuitiis cum virtute comparatis, poſt argumenta in vtramque partem allata, ita concludat: eſt igitur divitiis virtus anteponenda. ſed ſive a ſenſu communi, ſiue a perſona iudicum, ſiue a noſtra concludamus: orationem aut affirmatione, aut interrogatione, aut negatione terminari neceſſe eſt: affirmatione ſic: *Videtis igitur Clodium non eſſe popularem:* interrogatione hoc modo: *Videtisne igitur Clodium non eſſe popularem?* negatione ſic: *Non eſt igitur, vt Clodium popularem eſſe poſſitis exiſtimare.* Pariterque a ſenſu communi tribus modis concludemus: *Facile igitur eſt omnibus intelligere, Clodium non eſſe popularem: Quis igitur Clodium eſſe popularem dixerit? Nemo igitur eſt, cui popularem eſſe Clodium liceat exiſtimare.* Et a perſona noſtra eadem ratio eſt: *Clodius igitur popularis non eſt: Clodium igitur eſſe popularem putabo? Non igitur, popularem eſſe Clodium, exiſtimabo.* Atque haec de concluſione ſatis ſint.

Tamquam ad funus reipublicae] Significat, Clodii conciones eſſe funera reipublicae: quod in iis nihil, niſi de interitu reipublicae, agatur. et recte, *furiae conuolant:* quod volare furias poetae dicunt. recte etiam, *concitatae:* nihil enim placidum aut temperatum in furias cadit. rectiſſime vero, *furiae ad funus conuolant:* quod nihil iucundum aut laetum furiae diligunt. operas igitur Clodianas, ad reipublicae perniciem libentiſſime coeuntes, vere et proprie *furias* appellauit.

Gellius] Is, quem Cicero in oratione in Vatinium c. 2. *nutriculam ſeditioſorum* nominat: quod ſeditiones libenter foueret, atque aleret. dixit et hic teſtimonium in Sextium.

Fratre] L. Gellio: qui cum Cn. Lentulo conſul, cum eodem cenſor fuit, et in cenſura C. Antonium, qui deinde conſulatum cum Cicerone geſſit, ſenatu movit. Pedianus in commentario orationis contra competitores. pro Cluentio c. 42. Idem deberi Ciceroni ciuicam coronam in ſenatu dixit, quod eius opera Catilinae coniuratio patefacta eſſet, ac vindicata. in oratione in Piſonem c. 3. et Gellius lib. V. c. 3.

Optimo conſule] Quem locum hic habet, *conſule*, cum Gellius multis ante annis conſul fuerit? equidem ſuſpicor de mendo, eo magis, quod antiquus liber Caroli Sigonii, iuuenis eloquentiae doctrinaeque laude praeſtantis, has duas dictiones non habet. quae ſi retinendae ſunt, alteram mutarem, et pro, *conſule,* reponerem, *ciue:* vt, *viro*, ad res geſtas; *ciue*, ad voluntatem ſenſumque de republica referatur. et fere *virum* et *ciuem* Cicero in laude coniungit, vt lib. IV. ad Attic. epiſt. 15. *O virum, o civem Memmium!* poſt reditum in ſenatu c. 8. *Quid ego de praeſtantiſſimo viro, T. Annio, dicam? aut quis de tali ciue ſatis digne vmquam loquatur?* pro Plancio c. 40. *Quid dicam? C. Virgilio, tali ciui, et viro, beneuolentiam in me, memoriam communium temporum, pietatem, humanitatem, fidem defuiſſe?*

Ordine

Ordine equeſtri] Qui eques Romanus erat, is ſi nondum in ſenatum peruenerat, ordinis equeſtris dicebatur eſſe: ſi ſenator factus erat, ſenatorii. erant igitur duo fratres Gellii, alter ex ordine equeſtri, quia nondum ampliorem ordinem erat aſſecutus: alter, etſi equum publicum haberet, a nobiliori tamen ordine, quem adeptus erat, hoc eſt, a ſenatorio, nominabatur. non enim poſterior ordo prioris auferebat inſignia, ſed ad equum publicum, et annulum, quae equeſtris ordinis erant, addebat latum clauum, hoc eſt, tunicam purpuream, qua ſoli ſenatores vtebantur. itaque Claudium Neronem, et Liuium Salinatorem, cum non modo ſenatores, verum etiam cenſores eſſent, vtrumque tamen habuiſſe publicum equum, eoque alterum ab altero in cenſura eſſe priuatum, legimus apud Liuium lib. XXIX. c. 37.

Ornamenta confecit] Quadringenta millia nummum. haec enim ad equeſtrem dignitatem ornandam neceſſaria erant. quod ſi cui minus eſſet, eques eſſe non poterat. itaque Horatius lib. I. epiſt. 1. v. 57.

Si quadringentis ſex ſeptem millia deſunt,
Plebs eris.

et in epiſtola ad D. Brutum lib. X. de equite Romano neſcio quo, qui magna rei familiaris detrimenta paſſus, vix quadringenta millia poſſidebat: *Equeſtrem*, inquit, *dignitatem vix ſuſtinet.* nec ad aliam ſententiam, vt quidem ego exiſtimo, ſpectat ille locus in oratione pro Plancio c. 5. *Qui ne equeſtrem quidem ſplendorem incolumem a calamitate iudicii retinere potuiſſet.* ſignificat enim, M. Seium, iudicio damnatum non exiſtimationis modo iacturam feciſſe, verum etiam ex ea multa, quam ei iudices dixerant, de ſuis fortunis tantum amiſiſſe, vt infra cenſum quadringentorum millium redactus ſit. Seium, inquit, cui, praeter exiſtimationem, equeſtris quoque ordinis dignitatem iudicii calamitas abſtulit, populus tamen M. Piſoni, homini nobiliſſimo, innocentiſſimo, eloquentiſſimo, in honoris petitione praepoſuit. Quaeritur autem hic, nec iniuria, qui poteſt Gellius equeſtris ordinis nomen retinere, ſi ornamenta confecit? iam enim et ex Horatio, et ex ipſo Cicerone probatum eſt, qui equeſtri cenſu non eſſet, hoc eſt, qui quadringenta millia non haberet, eum in equeſtri ordine locum non habuiſſe. Ad hanc dubitationem ſuppeditat facile, quod reſpondeam, antiquitatis obſeruatio. primum illud dicimus: equites equeſtri loco a cenſore motos eſſe, vel ob tenuitatem, vel ob culpam. Gellius ob tenuitatem mouendus erat: ideo tamen moueri non potuerat, quia detrimentum illud rei familiaris poſt conditum luſtrum fecerat. vt, etiam ſi quadringenta millia poſſidere deſiiſſet, in equeſtri tamen ordine eo vsque permanere poſſet, donec cenſores creati cuiusque rem aeſtimarent, equeſtri cenſu ſenatores, equites, iudices vel in ordine quemque ſuo ac loco retinerent, vel eiicerent.

Id erit populare] An, inquit, quia legem ferenti, aut concionanti Clodio Gellius adeſt, propterea popularem legem, aut concionem dicemus?

Populo Romano deditus] Iocari videtur in Gellii cognomen: nam Poplicola vocabatur. Dio lib. XXXVII.

L. Philippi] Hominis eloquentiſſimi, de quo in libro de clar. orat. c. 45. et 47. in lib. III. de Orat. c. 1. in oratione pro Quintio c. 26.

Solus comeſſet] Quo modo igitur popularis; cum hoc nomen in eos conueniat, qui benefici, ac liberales in populum ſunt?

Impuro, et petulante] Ob libidines, et impudentiam. laudatur enim maxime in adoleſcente caſtitas, et pudor.

Idiotarum] Hominum imperitorum, qui vulgarem quandam, ſine modo, viuendi rationem ſequuntur: quibus Cicero philoſophos hic opponit; quod hi, a doctrina inſtructi ac temperati, exquiſitum quoddam vitae genus accurate ſeruant.

Diuitiis] Cum, diuitiis conſumtis, regulam philoſophorum imitari coepiſſet. miror autem, cur *diuitias*, et *regulam* quaſi antitheta Cicero poſuerit: quando et in diuitiis regula licet vti, nec alterum ab altero neceſſario ſeiungitur. praeterea, cur, *ab idiotarum diuitiis?* non et ſapientes multi, atque eruditi divitiis abundant? mutationem in Gellio notat, et ait: vixit primum, vt idiotae ſolent, deinde, vt philoſophi; hoc eſt, primum luxurioſe, ac diſſolute, deinde moderate, et parce. velim igitur, vt paria paribus reſpondeant, ita legi, ſic tamen, ſi quid adiuuant veteres libri: *Poſtea quam rem paternam ab idiotarum nequitiis ad philoſophorum regulam perduxit.*

Graeculum] Graecarum litterarum ſtudioſum, ſcientiae cupidum. omnis enim tunc a Graecis litteris doctrina petebatur: cum Latina lingua nondum exculta diſciplinis eſſet.

Otioſum] Qui enim ſe ad litterarum ſtudia contulerunt, otio delectantur.

Subito] Cum antea nihil eiusmodi cogitaſſet. abſumtis enim paternis bonis, a libidine, ac nequitia ſubito ſe ad litteras convertit.

A te iuuabatur (Ern. *nihil ſane Attae iuuabant*)] *A te*, ſincerum non eſt. Poſſet ita corrigi, *nihil ſane adiuuabatur.* Alii legunt, *Attae iuuabant anagnoſtae:* quam recte, ipſi viderint. Octauius meus reponendum putat, *a re iuuabantur.* veritas autem a libris antiquis petenda. nam nobis indicare corrupta loca ſatis eſt. coniecturis neque plane confidimus, neque omnino tamen diffidimus. ſunt enim nonnullae ita non dubiae, vt, qui obtuſa prorſus ingenii acie non ſit, in iis primo adſpectu veritatem poſſit agnoſcere.

Spe rerum nouarum] Res novas quaerunt, qui veterem male perdiderunt: vt, quando de ſuo non habent, vnde viuant, de alieno rapiant.

Conſeneſcebat] Mature conſeneſcunt, quos animi curae ſollicitudinesque macerant. inde *conſeneſcere* dicimur ex iis rebus, quarum moleſtiſſima cogitatio ſenilem nobis pallorem ac maciem quotidie magis inducit.

CAPVT. LII.

Non libidinis cauſſa] Ironia: nam plane libidinis cauſſa libertinam

nam ab eo vxorem eſſe ductam ſignificat.

Plebicola] Quaſi nobiles mulieres contemſerit, ſtudio quodam in plebem. nam ex infima plebe libertini fuerunt, vtpote qui libertatem paullo ante eſſent adepti. ideo in vrbanis tribubus, qui ignobiliores erant, cenſebantur.

In quo tamen] Sua cuique tribuenda laus eſt. correxit hunc locum ex ingenio, quo excellit, multis abhinc annis Octauius Pantagathus, homo eruditiſſimus, omniumque integerrimus, quem ego noſtrae aetatis Varronem ſoleo nominare: ita multas multarum rerum ac diſciplinarum notitias mente ſcientiaque comprehendit. is igitur ita correxit, nulla litterarum mutatione, ſententia reſtituta: *In quo tamen eſt me vltus, cum illo ore inimicos eſt meos ſuauiatus.* praeclare. nam in gratulationibus ſuauiari mos eſt, et Gellius nefandam libidinem ore exercere dicebatur: de quo eſt apud Catullum hoc epigramma: (LXXIX.)

Quid dicam, Gelli, quare roſea iſta labella
Hiberna fiant candidiora niue;
Mane domo cum exis, et cum te octaua quiete
E molli longo ſuſcitat hora die?
Neſcio quid certe eſt. an vere fama ſuſurrat,
Grandia te medii tenta vorare viri?
Sic certe eſt: clamant Virronis rupta miſelli
Ilia, demulſo labra notata ſero.

dicit igitur, *illo ore*, impuriſſimo, ac foediſſimo, quo virorum obſcoena membra concipere ſolitus eſt. Antea pro, *me vltus*, *multus*, pro, *ore*, *reo*, legebatur in vulgatis libris.

Meo periculo heluabare] Inde enim mihi factus es inimicus. damnum igitur mihi ex heluatione illa tua parabatur.

Si ego] Haec eſt cauſſa, cur Gellius eum in ciuitate eſſe noluerit; quod rempublicam contra coniuratos defendiſſet. hoc enim nomine lege Clodia pulſus eſt.

Gellium, Firmidium, Titium] De quibus pro domo c. 9. et de haruſp. reſp. c. 27.

Ipſe lator] P. Clodius, qui legem tulit.

CAPVT LIII.

Nuper] Biennio ante, Caeſare et Bibulo coſſ. fuit enim tribunus plebis eo anno P. Vatinius: de quo hic ſignificari, paullo poſt oſtendimus.

Tres] Cn. Domitius, Q. Ancharius, C. Fannius: quos infra nominat. et Dio lib. XXXVIII. cum ait Bibulum conſulem in agraria Caeſaris lege impedienda tribus tribunis plebis vſum eſſe, ſine dubio Domitium, Ancharium, Fannium ſignificat. de quibus ipſis et in oratione in Vatinium c. 7. Cicero intelligit, cum ait: *Collegas habuiſti viros nouem. Ex his tres erant, quos tu quotidie ſciebas ſeruare de caelo.*

Duo populares exiſtimabantur] Vatinius, et alter neſcio quis.

Duo] Domitium, et Ancharium.

Praetores] Praeturam hoc anno gerebant. nam in oratione in Vatinium, quae iisdem conſuli-

 bus,

bus, quibus haec pro Sextio, habita eſt, cum ait c. 7. *duos praetextatos ſedentes vides*, Domitium et Ancharium, ſine dubio ſignificat. erat autem praetexta magiſtratuum toga. Et eſt animaduertendum, licuiſſe praeturam petere, aedilitate omiſſa. nam Domitius et Ancharius, qui tribuni plebis fuerant Caeſare et Bibulo conſulibus, non video qui potuerint praeturam gerere conſulibus Marcellino et Philippo, ſi poſt tribunatum aedilitatem geſſerunt: cum a Caeſare et Bibulo ad Marcellinum et Philippum duo tantum anni numerentur: quo ſpatio tria fieri non poſſunt, peti aedilitas, geri, peti praetura: quae ſuum ſingula annum requirunt: vt omittam quod inter aedilitatem et praeturam duo potius anni, quam vnus, videntur interfuiſſe. quod indicat epiſtola ad Furnium, lib. X. Fam. epiſt. 25.

Cn. Domitii] Duobus tantum praenominibus, Cneo et Lucio, Domitios eſſe vſos, apud Suetonium in Nerone c. 1. ſcriptum eſt. hunc opinor eſſe Cn. Domitium Caluinum, qui deinde conſul fuit cum M. Valerio Meſſalla. etſi Caeſarem in bellis ciuilibus ſecutus eſt. quod cum hoc loco pugnat. hic enim, et in oratione in Vatinium, eum contra Caeſarem in tribunatu ſenſiſſe, manifeſtum eſt. Sed, vt tempora, ſic homines ſaepe mutantur.

Conſtantem] In tuenda contra Vatinium ſenatus cauſſa.

Ancharii] Hic L. Piſoni in Macedoniam ſucceſſit, praetorius conſulari. in Piſonem c. 36.

Fidem ac fortitudinem] Quia, quod e republica duxit eſſe, id et voluerit ſemper, et auſus ſit. alterum enim ſine altero infructuoſum eſt.

Nihil agere] Quia, licet quotidie de caelo ſeruarent, vt Vatinio leges ferenti impedimento eſſent; ille tamen, auſpiciis neglectis, et multas, et reipublicae exitioſas, pro Caeſaris potentia, pertulit.

Gratum] An Domitii animum? non placet: quia nimis longe referetur, interpoſita Ancharii mentione. malo, *gratam*: vt ad Ancharii fidem ac fortitudinem pertineat. *Grata*, ſane magis probarem: vt ad animum Domitii, fidemque ac fortitudinem Ancharii aeque ſpectaret: niſi me numerus impediret: in exametrum enim verſum defineret oratio. quamquam alibi non ſemel in Cicerone notauimus.

Quae ſit exiſtimatio] Quid homines opinentur. conſularem auctoritatem eum eſſe conſecutum, dicit in oratione in Vatinium c. 7.

Quod iudicium] Hoc dicit, non eſſe dubitandum, quin C. Fannio magiſtratus eos, quos petet, populus ſtudioſe daturus ſit.

Tulerat nihil] Legem quidem promulgauit, ſed non tulit: quia ſeruantibus de caelo tribus tribunis plebis, Domitio, Anchario, Fannio, nemo ex toto collegio tribunicio, praeter vnum Vatinium, legem promulgatam ferre auſus eſt. quod in oratione in Vatinium c. 7. plane conſtat. quis autem hic ſit, quem Cicero popularem tribunum plebis fuiſſe dicit, non ſatis liquet. certe, amicum fuiſſe Ciceronis, inde coniicio, quod, cum eius in tribunatu ſententiam improbet, in eo tamen laudando, et quaſi excuſando multus eſt. C. Coſconium puta-

putarem: de quo ſic in ea in Vatinium c. 7. *Omnes* (tribuni plebis collegae tui) *habuerunt leges promulgatas: in his multas meus neceſſarius, etiam de mea ſententia, C. Coſconius, iudex noſter: quem, tu dirumperis, cum aedilicium vides.* Sed rationes aduerſantur duae, vna, quod, cum in Sextii cauſſa iudex fuerit, quod proxima, quae recitaui, verba declarant, non placet haec de iudice dici: non enim aequo animo audiſſet illa verba, *non tenuit eum locum, in quem, niſi popularis eſſe voluiſſet, facillime perueniſſet.* altera vero ratio eſt, quod manifeſte ſignificat eum in honoris petitione repulſam tuliſſe, cum ait: *non tenuit eum locum.* quod in Coſconium conuenire non poteſt: quem hoc anno aedilem fuiſſe, ex oratione in Vatinium proxime demonſtratum eſt.

Non tenuit eum locum] Non obtinuit aedilitatem, aut praeturam. eſt enim hic, *tenere*, obtinere: quod ex inſequenti verbo, *perueniſſet*, coniicitur.

Auſpicia] Qui ſunt in hiſtoria verſati, Vatinium ſignificari facile ſentiunt. is enim, ſeruantibus de caelo tribus eius collegis, Domitio, Anchario, Fannio, de auſpiciis nihil laborans, leges, quas voluit, pertulit. quod ipſius Ciceronis verbis, quae ſcripta ſunt in oratione in Vatinium c. 7. oſtendemus: *Tribunus plebis*, inquit, *fuiſti: collegas habuiſti viros fortes nouem. Ex his tres erant, quos tu quotidie ſciebas ſeruare de caelo, quos irridebas, quos priuatos eſſe dicebas.* et in eadem paullo poſt: *Num quem poſt vrbem conditam ſcias tribunum plebis egiſſe cum plebe, cum conſtaret ſeruatum eſſe de caelo?* Et infra c. 9. *Eam rempublicam, quae auſpiciis inventis conſtituta eſt, iisdem auſpiciis ſublatis conarere euertere.* eundem ſignificat lib. II. ad Attic. epiſt. 9. cum ait: *Orbis hic in republica eſt conuerſus, citius omnino, quam potuit: id culpa Catonis: ſed rurſus improbitate iſtorum, qui auſpicia, qui Aeliam legem, qui Iuniam et Liciniam, qui Caeciliam et Didiam neglexerunt.*

Legem Aeliam] Lex Aelia legem ferri, cum obnunciaretur, vetabat. Vatinius neglexit in oratione in ipſum bis, c. 2. et 7.

Senatus auctoritatem] Qui, quid ſenatus vellet, nihil attendiſti: leges tuliſti, quas ſenatus improbabat. per populum enim, non per ſenatum, Caeſar conſul, et Vatinius tribunus plebis egerunt.

Conſulem] M. Bibulum: quem Vatinius in carcerem duci iuſſit. in oratione in ipſum c. 10.

Primis] Non gratia populari, ſed familiae dignitate. quo magis patuit, quam non carus populo Vatinius eſſet, is, qui in tribunatu popularis maxime putabatur, cum ab hominibus non magnopere gratioſis, tamen in aedilitatis petitione victus ſit.

Opibus]. De quo populus bene exiſtimat, quem ciuitas diligit, cui fauet, is *valere opibus* recte et Latine dicitur. *Opes* enim eſt id, quo poſſumus: ſiue bona fama ſit, ſiue diuitiae, ſiue bellica copia, ſiue quiduis aliud.

Tribum ſuam] Vatinii tribus fuit Sergia. id ex oratione in ipſum c. 15. ex illis verbis didici: *Ob haſce omnes res, ſciasne te ſeueriſſimorum hominum, Sabinorum, fortiſſimorum virorum,*

rum, Marſorum et Pelignorum, tribulium tuorum, iudicio notatum, nec poſt Romam conditam, praeter te, tribulem quemquam tribum Sergiam perdidiſſe? erat autem ignominiae maximae, ſi quis candidatus in honoris petitione ſuam tribum non ferret. ideo in ea de haruſpicum reſponſis c. 26. hoc ipſum eidem Vatinio, non nominatim quidem, ſed iis tamen verbis obiicit, vt illum notari manifeſtum ſit. ait enim: *Quos ad omnia progredientes, quos munera contra leges gladiatoria parantes, quos apertiſſime largientes, non ſolum alieni, ſed etiam ſui, vicini, tribules, vrbani, ruſtici repulerunt.* et in oratione in ipſum c. 16.

Palatinam] Studioſam perditorum ciuium, vt hic apparet, maxime vero ex oratione pro domo ſua: ſic enim in ea c. 19. ſcriptum eſt: *Amici illi tui, te vno amico tecti et beati, qui ſe populo commiſerant, ita repellebantur, vt etiam Palatinam tuam perderent.* Non enim, in hac tribu cenſum eſſe Clodium, etſi, *tuam*, Cicero dicat, credibile videtur. tribum veterem Claudiam, gentis Claudiae propriam, adoptatus a Fonteio mutauerit, concedam: tamen in aliqua potius ruſtica tribu, quam in Palatina, quae vrbana fuit, locum habuiſſet. nam cum, in vrbanis tribubus non niſi libertinos fuiſſe, aut homines a re domeſtica peſſime conſtitutos, planum exploratumque ſit, qui potuerit in ea tribu cenſeri P. Clodius, qui neque libertinus erat, et vt Plutarchus in Caeſare teſtatur, diuitiis abundabat, equidem non intelligo. an a cenſoribus ob flagitium e ruſtica tribu in vrbanam reiectum dicemus? ſimile veri non eſt. non enim id Cicero tacuiſſet. obieciſſet omnino, vt alia multa, in aliqua oratione: cum illi ſaepe, collectis omnibus criminibus, acerbiſſime male dicat. quod ſi cenſus in Claudia non eſt: malim omnino in Arnienſi, quam in Palatina: in qua et Claudium Neronem, qui cum Salinatore cenſuram geſſit, eſſe cenſum, Liuius lib. XXIX. c. 37. ſignificat. Verum, qui translatus eſt a Claudia in Arnienſem Nero? forte cenſorum permiſſu, ex vetere Ap. Claudii cenſoris inſtituto: qui mutationem tribuum omnibus non modo ingenuis, verum libertinis quoque conceſſit, vt in qua quisque vellet tribu cenſeretur: quod in Diodoro Siculo lib. XX. c. 36. legimus. puto etiam id ante Appium cenſorem licuiſſe, ex lege Ouinia, de qua meminit Feſtus.

Illae peſtes] Homines nefarios multa, quae populum Romanum exercerent, valdeque perturbarent, opera, ac ſtudio Palatinae tribus in concione et comitiis peregiſſe, ſignificat.

CAPVT LIV.

Facit enim, iudices, veſter] In digreſſionibus veniam petit a iudicibus, vt pro Archia c. 2. *Quaeſo a vobis, vt in hac cauſſa mihi detis hanc veniam,* etc.

Comitiorum et concionum] Ex comitiis, inquit, et concionibus non ita cognoſcitur populi ſenſus, vt ex ludorum, gladiatorumque conſeſſu. nam etſi nonnumquam emti plauſus in eo conſeſſu excitantur, tamen hi, quo minus populi ſenſus appareat, non efficiunt. exiles enim ſunt,

ſunt, et rari; et, a quibus dentur, quid integra multitudo faciat, facile eſt videre. quare ex ludis, et gladiatoribus, quid de Clodio populus Romanus ſentiat, optime cognoſcemus.

Verae ſunt] A vero profectae animi ſenſu.

Theatrales gladiatoriique conſeſſus] Ex his verbis, ludos in theatro, gladiatores in foro datos eſſe, ſatis patet. diſtinguuntur enim gladiatorii conſeſſus a theatralibus. infra quoque, cum de Scauri ludis loquitur, *ecquis*, inquit, *ſe theatro commiſerit.* Gladiatores autem in foro datos, tum in hac ipſa oratione infra c. 58. manifeſtum eſt: tum Pedianus in commentario Diuinationis c. 16. vbi de Menia columna meminit, idem tradit.

Leuitate nonnullorum] Eorum, qui, pecunia accepta, plauſus excitant exiles, et raros.

Integra] Non corrupta.

Quibus viris] Bonis, et publicam cauſſam ſtudioſe tuentibus applaudi maxime ſolebat. exempla ſunt in epiſtolis, et orationibus non pauca.

Maxime applaudatur] Non exili, raroque plauſu.

Sit hoc ſane leue] Plauſum dari. ſit plauſus de minimis leuiſſimisque rebus.

Homini graui] Itaque Cicero cum lib. IV. ad Attic. epiſt. 15. ſcripſiſſet, ſibi theatrum ingredienti plauſum a populo magnum atque aequabilem eſſe datum, ſubiunxit proxime: *ſed hoc ne curaris; ego ineptus, qui ſcripſerim.* quaſi, plauſum curare, homini conſulari turpe eſſet.

Qui pendet] Qualis eſt Clodius. quam enim rem maximi aeſtimat, ex ea ipſa re, hoc eſt, ex populi plauſu, argumento ducto, popularem non eſſe confirmat.

Vt ipſi loquuntur] *Fauor*, et *vrbanus*, Ciceronis aetate noua fuiſſe, nec ante vſitata, aſſerit Quinctilianus lib. VIII. c. 3. itaque Cicero, vt nouam dictionem videatur agnoſcere, quaſi ſe excuſans ait, *vt ipſi loquuntur*. ii ſcilicet, qui a rebus leuiſſimis pendent, qui populi gratiam quavis arte aucupantur. ſic ad Ap. Pulchrum lib. III. Fam. epiſt. 8. vſurus noua dictione, *te*, inquit, *hominem, non ſolum ſapientem, verum etiam, vt nunc loquimur, vrbanum. Fauor* autem cur Ciceronis aetate noua dictio viſa ſit, mirari aliquis poſſit, cum ea Lucretium multis ante annis vſum eſſe conſtet. ſcripſit enim lib. VI. v. 47.

— Obuia rurſum
Quae fuerant, ſunt placato conuerſa fauore.

Plauſum, immortalitatem, ſibilum, mortem] Plauſu populus amorem, ſibilo odium indicabat. itaque cum M. Roſcius Otho tribunus plebis legem tuliſſet, vt equites ſeiuncti a plebe, in quattuordecim gradibus ſedentes, ludos ſpectarent; plebs irata, quod ignominiam quandam tuliſſe videretur, ingredientem eum in theatrum ſibilis excepit, contra vero plauſu equeſter ordo. Plutarchus in vita Ciceronis.

Scaure potiſſimum] Qui praetor es. hoc enim ſupra c. 47. in eo loco, *qualis pater tuus, M. Scaure, fuit*, probatum eſt.

Ludos feciſti] In aedilitate. Plinius lib. XXXVI. c. 15. Pedianus in orat. pro Scauro. lib. II. de Offic. c. 16.

Ecquis

Ecquis iſtorum] Cum enim ſe populares haberi velint, tamen populi ſibila metuentes, ad ludos ire non ſunt auſi.

Ipſe ille] P. Clodius.

Ludius] Ludios fuiſſe credo, vt ex oratione de haruſpicum reſponſis c. 11. coniicio, qui, dum agerentur ludi, in ſcena pſallerent. *Ludium* hic appellat credo P. Clodium, quod ludis magnopere delectari ſolitus eſſet: qui tamen Scauri ludos noluit adſpicere, cum populi clamores, et ſibila metueret.

Acroama] Recitator. Cicero lib. IV. in Verr. c. 22. *Hic*, inquit, *quaſi feſtiuum acroama, ne ſine corollario de conuiuio diſcederet, ibidem, conuiuis inſpectantibus, emblemata auellenda curauit.* accedit Macrobius: cuius haec ſunt lib. II. Saturn. c. 4. *Delectatus inter cenam erat* (Auguſtus) *ſymphoniacis Toronii Flacci mangonis, atque eos frumento donauerat, cum in alia acroamata fuiſſet nummis liberalis.* Et Suetonius in Veſpaſiano c. 19. *Vetera acroamata reuocauerat.* Vt omittantur aliorum teſtimonia. Alibi, *acroama* etiam pro ipſa re, quae recitatur, vſurpari videmus: vt in orat. pro Archia c. 9. quae eſt iucunda narratio, et cantilena, et quidquid eos, qui audiunt, oblectat. Et Ariſtoteles Ethicorum lib. X. quae auditu, et ſpectatu iucunda ſunt, ἀκροάματα καὶ ὁράματα vocat. Tribuit hic Cicero omnes partes Clodio, quae in fabulam conveniunt: ludius, inquit, eſt, ſpectator, actor, recitator: nouit omnia ſororis embolia: adducitur pro pſaltria in coetum mulierum: tamen ludos tuos adſpicere noluit. Sed quaeritur, agebatne Clodius, aut recitabat fabulas in ſcena? Non hoc vere ſentit Cicero, ſed iocatur in pſaltriae veſtem, quam Clodius induerat, vt vniuerſam quaſi fabulam perageret, hoc eſt, Pompeiae C. Caeſaris vxore potiretur.

Sororis embolia] Recondita partes: cum ſorore enim rem habuiſſe Clodius dicebatur. et *embolia* dixit, ambigua ſignificatione, vt et ingreſſum aditusque ad ſororem indicaret, (ſicuti embolium eſt ingreſſus, argumentumque ſcenicum) et in ludorum ſimilitudine perſiſteret: quod mirum videri poſſet, Clodium, qui ſororis embolia noſſet, intereſſe ludicro ſpectaculo noluiſſe.

Pro pſaltria] Horum verborum ſententiam hiſtoria patefacit. ſcribit enim Plutarchus in vita Ciceronis, P. Clodium pſaltriae veſte indutum, vt Pompeiae Caeſaris vxori ſtuprum inferret, ingreſſum eſſe eo, vbi ſacra Bonae deae mulieres faciebant. ſpectauit igitur Cicero ad illud flagitium: nec argute minus, quam contumelioſe, dixit: quaſi mirum videretur eum, qui pſaltriam ſimulare ſolitus eſſet, ludis abſtinuiſſe, quibus fere pſaltriae, pretio conductae, ſolerent intereſſe. eadem ſignificatione dixit in ea de haruſp. reſp. c. 21. *P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus ſoleis, purpureisque faſciolis, a ſtrophio, a pſaltrio, a flagitio, a ſtupro eſt factus repente popularis. Niſi eum mulieres exornatum ita deprehendiſſent: niſi ex eo loco, quo eum adire fas non erat, ancillarum beneficio emiſſus eſſet: populari homine populus Romanus, reſpublica ciue tali careret.*

Ardenti

Ardenti tribunatu] Fuit enim amquam incendium reipublicae: uandoquidem veteres leges, maorumque praeclara inſtituta conumſit.

Vix viuus effugit] Quo die de Ciceronis reditu in templo Virutis ſenatus conſultum factum ſt, eo die ludi fuerunt. quo P. Clodius, dimiſſo ſenatu, cum eniſſet; vix ſe populus Romaius tenuit; vix homines odium uum a corpore eius impuro, atue nefando repreſſerunt. placet nim in re demonſtranda ipſius Ciceronis vſurpare verba.

Honos habitus eſſet virtuti] Quod in templo, in quo Virtus olebatur, de ſalute ciuis eius ctum eſt, qui rempublicam conuratorum ſcelere ſua virtute vinlicarat. affuit igitur, et opem ulit virtuti Virtus. infra, et in ratione pro Plancio c. 32. et ib. I. de Diuin. c. 28. et Valeius Maximus lib. I. c. 7. Quinque autem ſenatus conſulta de editu Ciceronis eſſe facta, infra c. 61. oſtendemus.

Marii monumentum] Quod xſtruxit de manubiis Cimbricis, et Teutonicis. inſcriptio fuit haec in eius arcu: *De manubiis Cimbricis Teutonicis aedem Honori et Virtuti victor veſte triumphali calceis puniceis.* Alterum uit Honoris et Virtutis templum, quod M. Marcellus, qui conſul quinquies fuit, non longe ab Appia via fecit. Pedianus in Piſon. c. 19. et alii.

Municipi eius] Ciceroni: cui eadem, quae C. Mario, patria fuit Arpinum.

Reipublicae defenſori] Praeſertim in conſulatu: iungit autem ſuam laudem cum Marii laude. nam illum Romani imperii conſeruatorem, ſe reipublicae defenſorem nominat.

Sedem ad ſalutem praebuiſſet] Cum excepit eos, qui de Ciceronis ſalute decreuerunt. pro Plancio c. 32. *An, cum populus Romanus illo ſenatus conſulto, quod in monumento Marii factum eſt, quo mea ſalus omnibus eſt gentibus commendata, vni Cn. Plancio gratias egerit, ei ego a me referendam gratiam non putem?* . .

CAPVT LV.

Vtroque in genere] Amore erga ſenatum, odio in Clodium declarando.

Ore] Quis non videt corruptam eſſe dictionem? *Conſuli*, cum ſententia quadraret: nec a ſcripto nimium recedit: ſi quis antiquam ſcribendi rationem teneat.

Ipſi] Qui retulerat ad ſenatum.

Faciebat] Extra ordinem, ſumtu ſuo. ludos enim omnes ſollemnes, publica impenſa, aediles curabant, praeter Apollinares, qui a praetore vrbano fiebant.

Conſul] P. Lentulus: nam huic potius, quam Metello, gratias populum egiſſe, conſentaneum eſt: quando is ad reducendum Ciceronem ſenatui dux et auctor fuerat. vtrum autem de ludis anniuerſariis, an ex conſulis voluntate factis intelligendum ſit, non apparet. ſed ſi anniuerſarii: cur ab altero potius conſule, quam ab vtroque dati? niſi ſi, vel forte, vel quod eius muneris cura ad eum conſulem pertinebat, qui priore loco creatus erat.

Stantes] Sedentes enim in theatri gradibus ludos ſpectabant.

Paſſis] Apertis, diductis: a *pando*.

Veniſſet] E ſenatu in theatrum. fuit enim ſenator P. Clodius, idque non modo conſulibus Lentulo et Metello, geſto iam tribunatu, verum etiam ante quam tribunatum gereret, atque adeo ante quam plebeius fieret. patet ex oratione pro domo ſua, in qua c. 14. ſunt haec: *Quae maior calumnia eſt, quam venire imberbem adoleſcentulum, bene valentem, ac maritum: dicere, filium ſenatorem populi Romani ſibi velle adoptare?*

Diuturna ſeruitute] Quam per biennium pertulerat, conſulibus Caeſare et Bibulo, Piſone et Gabinio.

Tum] Eo die, quo, ſenatus conſulto de me facto, in theatrum venit.

Petenti iam] Particula, *iam*, non, ante legitimum tempus aedilitatem petiiſſe Clodium, ſignificat: anno enim, qui tribunatum primus ſequebatur, aedilitatem petere licebat: ſed ei, etſi iam peteret aedilitatem, hiſtriones tamen coram ſedenti non peperciſſe.

Togata] Comoedia, quae Romanum habet argumentum, a togatis perſonis acta.

Simulans] Togatae nomen.

Concentione] Hiſtriones olim, cum fabulas agerent, numeroſo cantu recitaſſe, vel hic locus argumento eſſe poteſt.

Concionata] Voce clariſſima: qualis eorum ſolet eſſe, qui in populo concionantur.

Cantorum conuicio] Etſi locus vacare mendo non videtur: tamen hoc, opinor, Cicero ſignificat: adhibere Clodius cantore ad ſuas conciones antea ſolebat quo libentius populus audiret eorum modulatis vocibus, qua concionantis vocem ſubſequebantur, delenitus. tunc autem cantorum ipſorum vocibus, quibu alios congregarat, ipſe eiiciebatur. haec, niſi fallor, eſt horum verborum ſententia. verum, quid ſibi velit dictio, *conuicio*, et quem hic locum habeat, non diſpicio niſi ſi, *conuicio*, pro multis vocibus a Cicerone dictum velis quaſi, *conuocio*. qua ſignificatione accipitur et ab Vlpiano iurisconſulto L. 15. §. 4. D. de iniur.

Celebrare] Frequentare: cum ad eas frequens populus conueniret. ſic per oppoſitionem dicimus, *loco celebri*, *loco deſerto*. et infra c. 58. de gladiatoribus, *id*, inquit, *ſpectaculi genus erat, quod omni frequentia, atque omni genere hominum celebratur*.

Sententiarum] In togata.

Fugeret] Quod populus vniuerſus non intelligeret in meam fortunam conuenire.

Actor] Is, qui primas in togata partes agebat: quem fuiſſe Aeſopum, infra c. 58. patet. is autem in agendis fabulis grauiter animo commouebatur: vt eius perſonae, quam agebat, ingenium plane referre videretur. tradit Plutarchus, cum is Atreum repraeſentaret, de Thyeſtis ſupplicio deliberantem, ita eſſe rei argumento affectum, vt miniſtrum quendam, quia non ſatis mature adueniſſet, ſceptro percuſſum occiderit.

CAPVT

CAPVT LVI.

Aduocatio] Ii, qui ſuam praeſentiam (vt Pediani verbis vtar) commodant reo.

Ille conuentus] Populus, qui ad iudicium conuenerat: quam in oratione pro Milone c. 1. *coronam* vocat: quod populi circa ſtantis frequentia, quaſi corona quadam, iudicum ſubſellia cingerentur.

Optimatium (Ern. *partium optimarum*)] *Optimarum*, non dubito quin rectius ſit: vt cum republica et cum ſcena pariter congruat. partes, inquit, optimas, vt in ſcena, ſic in republica tuetur.

Summi poetae] Qui fabulam, quae agebatur, compoſuerat.

Sed etiam dolore] Cum enim poetae verſus meum caſum referentes pronunciaret, ad eorum ſententiam non modo corporis motum, et vocem, et vultum, verum etiam animum, intimosque ſenſus accommodabat. ſummo enim cum dolore, multisque cum lacrumis agebat.

Steterit cum Achiuis] Cum haec ab homine Graeco dici facile coniiciam, qui poſt multa in Achiuos collata beneficia vitam in exſilio miſere ducat: fortaſſe, Telamonem hunc eſſe, Aiacis et Teucri patrem, non abſurde putabimus: de quo haec Cicero lib. III. Tuſc. c. 18. *Huiusne vitae propoſitio, et cogitatio aut Thyeſtem leuare poterit, aut Aeetam, aut Telamonem, pulſum patria, exſulantem, atque egentem? in quo haec admiratio fiebat:* deinde ſubiunxit trochaicos quadratos catalecticos:

Hiccine eſt Telamo ille, modo
quem gloria ad caelum extulit?
Quem adſpectabant? cuius ob
os Graii ora obuertebant ſua?

nec dubito, quin ii duo verſus ex eadem fabula ſint, ex qua hi, quos in oratione Cicero commemorat. etenim illa c. 57.

Exſulare ſinitis, ſiſtis pelli, pulſum patimini,

aptiſſime ad Telamonem referuntur. fabulam autem fuiſſe opinor Accii Andromacham. nam illa, quae ſequuntur,

O pater! —
Haec omnia vidi inflammari:

quae Cicero ex eadem fabula eſſe dicit; ex Accii Andromacha ſumta eſſe, plane conſtat in III. Tuſculana c. 19. vtrumque autem in eadem fabula, Telamonem et Andromacham, ſuam miſeriam deplorantem eſſe inductum, primum hic licet coniicere: deinde ex ea, de qua memini, Tuſculana poſſum ſuſpicari. nam ex vna parte Telamonem, ex altera Andromacham, ſuam calamitatem miſere conquerentes, videtur Accius collocaſſe: cum Cicero, tribus verſibus de Telamone recitatis:

Pol mihi fortuna magis nunc deſit, quam genus.
Namque regnum ſuppetebat mihi: vt ſcias, quanto loco,
Quantis opibus, quibus de rebus lapſa fortuna occidat:

ſubiungat,

Ex opibus ſummis, opis egens, Hector, tuae,

Quid petam praeſidi, aut exſequar? quoue nunc auxilio, aut fuga,
Freta ſim? —

et quae ſequuntur: quae ſunt ex Andromachae, Hectoris vxoris, perſona.

Veſtros ordines] Senatum, equites, plebem: quos a me ordines defenſos eſſe demonſtrabat.

Reuocabatur] Cogebat populus hiſtriones, quae ſemel dicta placuerant, ſaepius eadem iterare.

Clamoribus] Non actoris, ſed populi.

Omiſſo geſtu] Non iam populus geſtu, ſed plauſu ſignificabat, quid de poeta ſentiret, qui illa ſcripſerat; quid de actore, qui tantum ſtudium, animique affectionem in agendo declarabat; quid de nobis, quorum reditus exſpectabatur.

Summo in bello] Opinor, in priore bello Troiano; in quo ab Hercule et Telamone euerſa Troia eſt.

Adiungebat] De ſuo, non a poeta ſcriptum. nam, *ſummo ingenio praeditum*, non ita conueniebat in hominem militarem, de quo proxima ſuperiora dicta ſunt; vt in Ciceronem, qui inter omnes ciues ingenii laude ſcientiaque eminebat.

CAPVT LVII.

O pater] Andromachae verba apud Accium, ſuam fortunam, euerſa Troia, deplorantis. et eſt ad patrem Eetionem, quem Thebis in Aſia regnantem Achilles occiderat, miſerabilis inuocatio. integer verſus eſt,

O pater, o patria, o Priami domus:

cuius et in lib. III. Tuſc. c. 19. et in lib. III. de Orat. c. 26. mentio fit.

Patrem pulſum] Cum diceret hiſtrio, *o pater, o patria, o Priami domus*, me, patrem patriae, pulſum, patriam afflictam, domum incenſam et euerſam, cum lacrumis ſignificabat.

Priſtina fortuna] Cum enim actor illa pronunciaſſet,

O pater, o patria, o Priami domus,
Septum altiſono cardine templum:
Vidi ego te, adſtante ope barbarica,
Tectis caelatis, laqueatis,
Auro, ebore inſtructam magnifice,

ſubiunxit ea, quae idem poeta proxime ſcripſit: quae in III. Tuſculana notauimus:

Haec omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam euitari,
Iouis aram ſanguine turpari.

de quibus verſibus primum dumtaxat hic Cicero ponit; cum tamen omnes hiſtrio in ſcena recitarit. primus enim ad repraeſentanda aedium ſuarum incendia pertinebat: duo reliqui in fortunam illius non cadebant.

Fletum etiam inimicis] Hoc dixit, vel quia re vera factum erat; vel quod, graues calamitates cum ſignificamus, miſerabiles etiam inimicis appellare conſueuimus. ſic apud Sophoclem v. 935. Tecmeſſa de Aiace, ſua ipſius manu interfecto:

Ὦ δύσμορ᾽ Αἴας, οἷος ὢν οἵως ἔχεις,
Ὡς καὶ παρ᾽ ἐχθροῖς ἄξιος θρήνων τυχεῖν.

et

et apud eundem nuncius in Oedipo Tyranno v. 1318.

— Θέαμα δ' εἰσόψει τάχα
Τοιοῦτον, οἷον, καὶ ςυγνοῦντ' ἀποικτίσαι.

Et Cicero ipſe lib. III. de Orat. c. 56. quo loco, quae ſit actionis vis, oſtendere conatur, haec dicentem L. Craſſum inducit: *Quid fuit in Graccho, quem tu, Catule, melius meminiſti, quod me puero tantopere ferretur? Quo me miſer conferam? quo vertam? in Capitoliumne? at fratris ſanguine redundat.' an domum? matremne vt miſeram, lamentantemque videam et abiectam? Quae ſic ab illo acta eſſe conſtabat, oculis, voce, geſtu, inimici vt lacrumas tenere non poſſent.*

A Catulo] Senatus principe.

Si reuixiſſet] Perierat inter Ciceronis conſulatum, et exſilium.

Nec vnus in quemquam vmquam gratior, quam in me vniverſi] Simile illud Phil. III. c. 3. *Quis enim vnus fortior, quis amicior vmquam reipublicae fuit, quam legio Martia vniuerſa?*

Pro me] Vt in me multis poſt annis conuenirent, vt in meum tempus cadere poſſent, quod non poetae conſilio, ſed caſu ita factum eſt.

Fortiſſimus] Quia libere egerit, ſuumque mei deſiderium, nullo metu perterritus, aperte demonſtrarit.

De me] Sentiunt profecto neſcio quid aures, quo iuuentur, cum duo proxima κῶλα iisdem audiunt ſyllabis terminari: vt hic: *Scripſit diſertiſſimus poeta pro me: egit fortiſſimus actor, non ſolum optimus, de me:* ὁμοιοτέλευτον Graeci vocant.

Hominis non popularis] Se ipſum intelligit: qui etſi nomine popularis non erat, ſummam tamen erga ſe populi voluntatem cognouiſſe dicit.

Equidem audiebamus] Sic lib. III. de Fin. c. 2. *Equidem diligentius, ſaepiusque iſta loquemur inter nos.* et lib. III. ad Attic. epiſt. 3. *Adhuc equidem valde me poenitet.*

CAPVT LVIII.

Toties] In omnibus a me recitatis verſibus.

Impediretur] Debilitatur enim fletu vox. pro Coelio c. 24. et pro Milone c. 38.

Poetae] Qui quaſi diuinantes illa pro me ſcripſerunt.

Aeſopum] Hiſtrionem, Ciceronis familiarem: qui, vt Roſcius in comoediis, ſic ipſe primas in tragoediis ferebat. ad Marium lib. VII. Fam. epiſt. 1. reliquit filium ditiſſimum, et nequiſſimum. Plinius lib. X. c. 51.

In Bruto] Accii tragoedia, de qua lib. I. de Diuin. c. 22. et apud Varronem lib. IV. de ling. Lat. mentio ſit.

Tullius] Cum enim Brutum Aeſopus nominare deberet, Tullium nominauit: quod vt Brutus, Tarquinio rege pulſo, ſic Cicero, coniuratione oppreſſa, libertatem ciuibus ſtabiliuerat.

Reuocatum eſt] A populo. ſic lib. II. ad Attic. epiſt. 19. de Diphilo tragoedo: *Millies coactus eſt dicere eadem.*

Id a me conſtitutum] Libertatem.

Criminabantur] Propterea Clodius ex euerſa Ciceronis domo templum Libertatis exaedificauit: quaſi, eo pulſo, qui tyrannidem in

in ſuo conſulatu exercuiſſet, reſtituta libertas videretur.

Declaratum eſt] Lentulo, et Metello coſſ. vt infra c. 59.

Munus] De gladiatoribus quidem, ſed proprie de venationibus dicitur, vt indicat Lactantius lib. VI. c. 20.

Q. Metello] Pio, Numidici filio: cuius memoriae P. Scipio is, qui poſtea Pompeii Magni ſocer fuit, gladiatores dedit. erat enim, vt ſcripſit Dio, ab eo adoptatus: ideoque et Metellum, et Scipionem appellari in epiſtolis Ciceronis, atque etiam in antiquis nummis, licet animaduertere.

Dabatur] Non ſtatim poſt obitum: nam aliquot ante annis Cicerone conſule Metellum Pium vita exceſſiſſe Dio lib. XXXVII. declarat. ſic et Q. Gallium patri mortuo munus gladiatorium anno poſt dediſſe, apud Pedianum in orat. in toga candida obſeruavimus.

Columnam Maeniam] E qua gladiatorum pugna in foro ſpectabatur. quod ex Pediano in Divin. c. 16. ſatis conſtat. Inde generale nomen *Maeniana*, quorum mentio apud Vitruuium lib. II. c. 8. et lib. V. c. 1.

Ex fori cancellis] Ergo in foro gladiatores dabantur. quod et Pedianus ait, et Plutarchus in Gracchorum vita confirmat.

CAPVT LIX.

Et ille tribunus plebis] Et alter tribunus plebis Serranus. iam enim de Sextio tribuno plebis locutus erat. ex omnibus autem, qui Lentulo et Metello coſſ. tribuni plebis fuerunt, duos dumtaxat inimicos Ciceroni fuiſſe, Numerium Quintium, et Sex. Atilium Serranum, ſupra c. 40. cognouimus. ſed acrior aduerſarius Atilius: qui etiam, ne Kalendis Ian. res conficeretur, impedierit; idemque poſt reditum Ciceronis, vt eſt lib. IV. ad Attic. epiſt. 2. ſenatus conſulto, quod de reſtituenda Ciceronis domo in Marcellini conſulis deſignati ſententiam fiebat, interceſſerit. quare hic eum potius intelligi, quam Numerium, exiſtimo.

Patris] Non ſignificat patrem Atilii naturalem: nam is Gauius quidam fuit, homo ignobilis, a re domeſtica male paratus: cuius horreum Cicero deſertum ſupra c. 33. vocauit. ſignificat igitur Atilium patrem adoptiuum: qui et ipſe, et pater, et maiores clari viri fuerant, optimeque de bonis ciuibus, deque republica ſenſerant, quorum diſſimilis Gavianus Atilius Ciceronem, bene de patria meritum, vehementer oppugnabat.

Graeculorum] Qui ſe omnia ſcire profitentur. quorum nomina ſolet Cicero diminuere, vt indicet, non eſſe re vera tales, quales ipſi ſe eſſe praedicent. ſolebant enim ex Gorgiae Leontini vetere inſtituto multis adſtantibus interrogare, *num quis aliquid quaereret:* et ad omnia quaeſita reſpondebant. quorum inanem oſtentationem et alibi Cicero deridet. eorum igitur conſuetudinem Atilius videbatur imitari, cum interrogaret in concione, *vellentne me redire.*

Cum veniret] Non conſpectus eſt, cum in forum ad ſpectandos gladiatores veniret: ſub eas enim tabulas, quae ſpectaculi cauſſa temporariae compinguntur, occulte ſubrepebat; cum populi

populi ſibila metueret. qui tamen, poſtea quam conſederat, a populo conſpectus ita exſibilabatur, vt repentino ſonitu non modo gladiatores, ſed ipſi gladiatorum equi perturbarentur.

Vt, Mater te appello] Vt Memnoni, Aurorae filio, ſimilis videretur: cuius imago interfecti et inſepulti per quietem matri apparens ita fatur:

Mater, te appello, quae curam ſomno ſuspenſam leuas,
Neque te mei miſeret: ſurge, et ſepeli natum.

ſunt enim hi verſus lib. I. Tuſculanarum quaeſtionum c. 44. quemadmodum igitur Memnonis vmbra de terra ſubito exſiſtit, et ad matrem illa pronunciat: ſic Atilius, cum ſub tabulas ſubrepſerat, emergebat ſubito, vt, quaſi Memnon, *Mater te appello*, dicturus videretur.

Latebroſa] Celebres enim vias fugiebat, vt occulte veniret.

Appia] Niſi me coniectura fallit; *Atilia*, rectius legetur, quam *Appia:* vt ab Atilii tribuni plebis nomine via illa, qua ſpectatum veniebat, a ridiculis ac facetis hominibus *Atilia* diceretur.

Equi gladiatorum] Ex equis gladiatores pugnaſſe, niſi me locus hic monuiſſet, non putaſſem. cetera exempla, quod meminerim, de peditibus aequo ſolo pugnantibus ſunt.

Notari] Vatinium in comitiis, Clodium in ludis, Atilium in munere gladiatorio.

Decorari] Lentulum in concionibus et ludis, Domitium et Ancharium in comitiis, Sextium in gladiatorio conſeſſu.

Tu mihi etiam] Accuſator Sextii M. Tullius Albinouanus obiecerat Ciceroni, quod per ſeruos et homines armatos in patriam reuertiſſet: exemplumque Reguli protulerat; qui redire Carthaginem ad ſupplicium, vt reipublicae conſuleret, quam Romae manere maluiſſet. nota hiſtoria eſt ex Polybio, Gellio, ipſo Cicerone lib. I. de Offic. c. 13.

CAPVT LX.

Nihil egi] Quid enim facerem, cum vis et arma intentarentur? discelli e patria, ne vi contra vim vterer.

Nulla res] Nam neque leges, neque iudicia, neque omnino res vlla eam mihi calamitatem inuexiſſet, quam vis intulit.

Sociis] Qui eum, patria pulſum, comiter exceperant, benigneque tractarant.

Cum imperio] Qui proconſules, et qui propraetores erant: nam quaeſtores, et legati imperium in prouinciis non habebant. ideo eos ſeparatim Cicero nominat.

Conſularibus] Conſulis vnius, P. Lentuli. in Piſonem c. 15. *Ad meam*, inquit, *vnius ſalutem ſenatus auxilium omnium ciuium cuncta ex Italia, qui rempublicam ſaluam eſſe vellent, conſulis voce et litteris implorandum putauit.*

Cuncta ex Italia] Poſt legem Iuliam, ſociali bello latam, de qua in libro noſtro de Legibus c. 17. locuti ſumus, vniuerſa Italia municipiorum iura poſſidebat, et ſuffragium Romae ferebat. propterea ſenatus cunctam Italiam ad ferendum de Ciceronis reditu ſuffragium conuocauit. in

oratione poſt reditum in ſenatu c. 9. *Quid praeclarius*, inquit, *mihi accidere potuit, quam quod, illo petente, vos decreuiſtis, vt cuncti ex omni Italia, qui rempublicam ſaluam vellent, ad me vnum, hominem fractum, et prope diſſipatum, reſtituendum et defendendum venirent? vt, qua voce ante ſemel poſt vrbem conditam conſul vſus eſſet pro vniuerſa republica apud eos ſolum, qui eius vocem exaudire poſſent; eadem voce ſenatus omnibus agris, atque oppidis ciues, totamque Italiam ad vnius ſalutem defendendam excitaret.*

Numquam ſenatus] Vere. numquam enim ſenatus decrevit, vt Italia conuocaretur ad opem reipublicae ferendam: ſed conſul ea voce apud eos tantum, qui eius vocem exaudire poſſent, vſus erat. is autem fuit P. Valerius Poplicola, vt alias (poſt red. in ſen. c. 9.) oſtendimus pluribus verbis.

CAPVT LXI.

Diuina ſenatus conſulta] Quinque de Cicerone reſtituendo ſenatus conſulta eſſe facta, et hic, et in ea poſt reditum in ſenatu planum fit: vnum, vt ab omni Italia, qui rempublicam ſaluam vellent, ad Ciceronem reſtituendum et defendendum Romam venirent: cuius et hic, et in ea poſt reditum in ſenatu c. 9. fit mentio. alterum, quod vtroque conſule referente, in Capitolio, Iouis in templo, de reuocando Cicerone factum eſt: quod et hic, et in eadem poſt reditum c. 10. et pro domo c. 6. nominatur: tertium, quod in curia; ne quis, ad impediendam legem, de caelo ſeruaret; ne quis moram vllam afferret: de quo et hic, et in eadem poſt reditum c. 11. quartum, vt iis, qui ex municipiis venerant, agerentur gratiae, atque vt iidem ad res redeuntes, vt venirent, rogarentur. de quo item hic et in eadem c. 11. quintum ſupra c. 54. demonſtrauit in eo loco, *cum in templo Virtutis honos habitus eſſet virtuti.* de quo mentionem praetermitti in ea poſt reditum in ſenatu, cum cetera nominentur, valde miror, cum praeſertim in eo de eius reditu decretum ſit. poſtea, centuriatis comitiis, a P. Lentulo conſule, magiſtratibusque cunctis, praeter vnum praetorem, Ap. Claudium, P. Clodii fratrem, et duos tribunos plebis, Sex. Atilium Serranum, et Numerium Quintium, pridie nonas Sext. lata lex eſt.

Vir is] Cn. Pompeius; qui, victis in Africa Carbone, in Hiſpania Sertorio, in Aſia Mithridate, de tribus orbis terrarum partibus triumphauit.

Ita frequentiſſimus ſenatus ſecutus eſt] *Ita ſecutus eſt;* non, *ita frequentiſſimus:* quod miror homini docto in mentem veniſſe, vſu repugnante Latinae linguae.

Vnus diſſentiret hoſtis] Et vnus de plurimis, et hoſtis: nam ne vnus quidem, niſi hoſtis eſſet, diſſenſiſſet. manifeſtum eſt, P. Clodium deſignari: de quo ſic in ea poſt reditum in ſenatu c. 10. *Quo quidem die cum CCCCX. ſenatores eſſetis, magiſtratusque omnes adeſſent, diſſenſit vnus, is, qui ſua lege coniuratos etiam ab inferis excitandos putarat.* Ibi enim Clodium ſignificari, declarant in eadem oratione c. 2. illa verba: *Meus inimicus promulgauit,*

gauit, vt, ſi reuixiſſent ii, qui haec paene delerunt, tum ego redirem. et pro domo ſua c. 6. ſic: *Cum de mea dignitate in templo Iouis Optimi Maximi ſenatus frequentiſſimus, vno iſto diſſentiente, decreuiſſet.* Et de haruſp. reſp. c. 7.

Ne quis de caelo ſeruaret] Cum lex de me ferretur. agere enim cum populo, cum de caelo ſeruaretur, non licebat. ſupra c. 15. et in Vatinium c. 6. 7. miror autem, cur ſenatus ita decerni neceſſarium putarit: cum, ne ſeruari de caelo liceret, cum lex ferretur, lege P. Clodii ſancitum iam eſſet. non enim ſuſpicari poſſumus, eam legem, quae auſpicia tollebat, ab inſequentis anni tribunis plebis in conſulatu Lentuli, et Metelli eſſe abrogatam. ſi quidem illa verba, quae ſunt in oratione de prouinciis conſularibus in extremo c. 19. eam adhuc valere ſignificant, cum eſſent conſules Marcellinus et Philippus. *Aut vobis*, inquit, *ſtatuendum eſt, legem Aeliam manere, legem Fuſiam non eſſe abrogatam, non omnibus faſtis legem ferri licere: cum lex feratur, de caelo ſeruari, obnunciari, intercedi ſolere.* et quae ſequuntur. quid igitur dicendum eſt? an hoc? ſenatum, etſi leges Clodii valere intelligeret, quia tamen improbas iudicaret, ita decreuiſſe, quaſi eae in republica non eſſent. non enim aduerſus Clodii legem faciebat ſenatus, ſed cum ea potius conſentire videbatur, cum decernebat, ne quis de caelo ſeruaret, cum de Ciceronis reditu lex ferretur. quod de omnibus legibus Clodii lege cautum erat.

Referretur] In ſenatu: vt, quid agendum in illum eſſet, decerneretur. de Serrani tribuni plebis interceſſione relatum eſſe, legimus lib. IV. ad Attic. epiſt. 2. ſic etiam de tribunorum plebis facto, qui ſenatus conſulto de Galliis interceſſerant, relatum eſſe, Caeſar his verbis lib. I. de bell. ciu. c. 2. ſcriptum reliquit: *Refertur confeſtim de interceſſione tribunorum: dicuntur ſententiae graues: vt quisque acerbiſſime crudeliſſimeque dixit, ita quam maxime ab inimicis Caeſaris collaudatur.* hac tota de re meminit Cicero et in ea poſt reditum in ſenatu c. 11.

Diebus quinque] Comitialibus: quibus agi cum populo licebat. non enim dicit, quinque continentibus diebus, ſed, *quinque*, quibus agi potuiſſet.

Ex tota Italia] Verius, ex omnibus Italiae municipiis: quod iam oſtendi.

CAPVT LXII.

Ad res] Ad ſua negotia. in oratione poſt reditum in ſenatu c. 11. *Quid?* inquit, *vt agerentur gratiae iis, qui e municipiis veniſſent? quid? vt, ad illam diem cum res rediſſet, rogarentur, vt pari ſtudio conuenirent?* dicit idem, quod in hac pro Sextio, ſed ita corruptis verbis, vt, niſi locus loco illuſtraretur, facile ſententia lateret in mendo. correctio deſideratur huiusmodi fere: *Quid? vt iidem, ad res cum rediſſent, rogarentur, vt pari ſtudio conuenirent.*

Vnus] P. Clodius. ſic poſt reditum in ſenatu c. 10. *Diſſenſit vnus, is, qui ſua lege coniuratos etiam ab inferis excitandos putarat.* Idem pro domo ſua c. 6.

Retulerit] In eo ſenatus conſulto, quod in templo Iouis factum eſt. poſt reditum in ſenatu c. 10. de prouinciis conſ. c. 9.

Auctoritate P. Seruilii] Iſaurici, viri conſularis, triumphalis, cenſorii. Iſauros in Cilicia domuerat: in quo Iſaurici cognomen accepit. epitome Liuii lib. XCIII. Velleius lib. II. c. 39. Cicero lib. III. in Verr. c. 90. et Pedianus lib. I. in Verr. c. 21. et Florus lib. III. c. 6.

Quadam grauitate dicendi] Non placet, ita dici. non enim, cum laudamus, ita loquimur, *quaedam virtus*, *quaedam eloquentia*, ſed, *ſumma quaedam virtus*, *eximia quaedam eloquentia*. quare, cum auctoritatem Seruilii ſummam dixerit; velim, vt ad eiusdem grauitatem dicendi adiiciatur item aliquid, quod augeat. praeterea particula, *cum*, aliam particulam, quae reſpondeat, deeſſe demonſtrat, nempe, *tum*. ſic igitur legerem: *Excitatus ſumma cum auctoritate P. Seruilii, tum incredibili quadam grauitate dicendi:* vel, *tum diuina quadam grauitate dicendi.* vtrumque enim aeque probo; *incredibili*, ex oratione de prouinciis conſularibus c. 9. vbi hanc ipſam Metelli reconciliationem Cicero commemorans ita loquitur: *Quid? Q. Metellus Nepos nonne conſul in templo Iouis Opt. Max. permotus cum auctoritate veſtra, tum illius P. Seruilii incredibili grauitate dicendi, abſens mecum, ſummo ſuo beneficio, rediit in gratiam?* Placet etiam, *diuina quadam grauitate dicendi*, ob exemplum eiusdem rei in oratione poſt reditum in ſenatu c. 10. quod eſt huiusmodi: *Q. Metellus, et inimicus, et frater inimici, perſpecta veſtra voluntate, omnia priuata odia depoſuit: quem P. Seruilius, vir cum clariſſimus, tum vero optimus, mihique amiciſſimus, et auctoritatis, et orationis ſuae diuina quadam grauitate ad ſui generis, communisque ſanguinis facta virtutesque reuocauit.* Etiam in oratione de haruſp. reſp. c. 1. P. Seruilii grauitatem in dicendo ſingularem, ac paene diuinam appellat.

Ab inferis] Induxit enim viventes, Metellumque hortantes ad res praeclaras Metellos omnes, claros viros, qui iam obierant. προσωποποιΐα dicitur, oratoribus ad animos audientium commouendos familiaris. ſic in ea poſt reditum in ſenatu c. 10. *Vt haberet in conſilio et fratrem ab inferis, ſocium rerum mearum, et omnes Metellos, praeſtantiſſimos ciues, paene ex Acheronte excitatos.*

Sibi cum eo commune] Quia Metellus hic et Seruilius a Metello Macedonico originem ducebant, Metellus ex patre, Seruilius ex matre. nam ex Macedonico Balearicus, ex Balearico Nepos, ex Nepote Nepos hic natus eſt, qui cum P. Lentulo conſulatum geſſit. hoc cum aliis argumentis, tum Pediani verbis probare poſſum. is enim in commentario orationis pro Cornelio ita ſcriptum reliquit: *Fuerunt tunc plures Q. Metelli: ex quibus duo conſulares, Pius, et Creticus. duo adoleſcentes, Nepos, et Celer: ex quibus nunc Nepotem ſignificat. eius enim patrem Q. Metellum Nepotem, Balearici filium, Macedonici nepotem, qui conſul fuit cum T. Didio, Curio is, de quo loquitur, accuſauit.* Ex his verbis plane conſtat, hunc Metellum

tellum Macedonici pronepotem fuiſſe. eiusdem autem Macedonici nepotem ex filia fuiſſe Iſauricum Seruilium, Cicero demonſtrat in ea pro domo ſua c. 47. cum ait: *C. Atinius patrum memoria bona Q. Metelli, qui eum ex ſenatu cenſor eiecerat, aui tui, Q. Metelle, et tui, P. Seruili, et proaui tui, P. Scipio, conſecrauit.* Loquitur enim in eo loco Cicero de Metello Macedonico: quod Liuiana epitome lib. LIX. et Plinius lib. VII. c. 44. declarant. ſed in Plinio mendoſe, *Catinius*, pro *C. Atinius* legitur.

Ad vnum dicto citius Metelli caſum (Ern. *ad Numidici illius Metelli caſum*)] Optima eſt non modo interpretandi ratio, verum etiam corrigendi, cum ſimilia ſimilibus conferuntur. videbam in tribus illis dictionibus, *vnum dicto citius*, latere mendum: nec tamen aut ex ſcriptis libris, aut ex ingenio ſinceram lectionem aſſequebar. recurri ad ſimilem locum in oratione poſt reditum in ſenatu. legi: continuo veritas illuxit. intellexi enim, vbi nunc eſt in omnibus impreſſis libris, *ad vnum dicto citius Metelli caſum*, reponendum eſſe, *ad Numidici illius Metelli caſum.* quod vt aliis quoque ita videatur, verba ſubſcribam, quae ſunt in oratione poſt reditum in ſenatu c. 10. *Vt haberet in conſilio et fratrem ab inferis, ſocium rerum mearum, et omnes Metellos, praeſtantiſſimos ciues, paene ex Acheronte excitatos: in quibus Numidicum illum, cuius quondam de patria diſceſſus honeſtus ipſi, bonis omnibus luctuoſus viſus eſt.* Solet autem Cicero, cum de Numidico Metello mentionem facit, cum hoc praenomine, *ille*, inſignire, vtpote Metellorum omnium praeſtantiſſimum. ſic in oratione pro Archia c. 3. *Erat temporibus illis iucundus Q. Metello, illi Numidico, et eius Pio filio.*

Vere Metellus] Quia Metellorum familia, etſi plebeia, honoribus tamen, et dignitatibus erat nobiliſſima. et intra XII. ferme annos aut conſules fuiſſe, aut cenſores, aut triumphaſſe amplius XII. Metellos, Velleius Paterculus lib. II. c. 11. memoriae tradidit. vnde illud Naeuii, quod Cicero lib. III. in Verr. c. 17. ſignificauit,

Fato Metelli Romae fiunt conſules.

Plenam antiquitatis] Erat enim Seruilius admodum ſenex, vt qui conſulatum XXII. annis ante cum Ap. Claudio, P. Clodii patre, geſſiſſet.

Beneficio] Vel addendum, vel ſubaudiendum. *ſuo:* ſed addi malim, quam ſubaudiri: vt hoc modo legatur: *Mecum abſens, ſuo beneficio, rediit in gratiam.* nam et in ea de prouinciis conſularibus c. 9. *Metellus*, inquit, *Nepos, permotus cum auctoritate veſtra, tum illius P. Seruilii incredibili grauitate dicendi, abſens mecum, ſummo ſuo beneficio, rediit in gratiam.* beneficium autem in Ciceronem illud fuit, quod ad ſenatum vna cum Lentulo collega de reducendo Cicerone retulit. quod in orationibus ad Quirites poſt reditum c. 6. et in ſenatu c. 10. et pro domo c. 3.

Fratri ſuo] Q. Metello Celeri, Q. Metelli Celeris filio, qui tribunus plebis fuit cum Q. Vario, C. Curione, C. Carbone, Cn. Pompeio: vt eſt apud Ciceronem in Bruto c. 89. Hic cum

Nepotis frater fuerit; de Macedonici ſtirpe fluxerit, neceſſe eſt. nec tamen huius plane cognationis rationem inire adhuc potui, niſi ſi Celeris et Nepotis patres fratres fuere. quod vix videtur poſſe fieri: cum vterque Quinti praenomen habuerit. tametſi duos Ap. Claudios nominat Pedianus in commentario orationis pro Milone, in argumento. recte autem fortiſſimum virum Cicero eum appellat. conſul enim cum eſſet; P. Clodium, fratrem ſuum, a patribus ad plebem transire conantem, ſua ſe manu interfecturum audiente ſenatu dixit. pro Coelio c. 24. et de haruſpicum reſponſis c. 21.

Socio] Coniurationis tempore: fuit enim praetor Cicerone conſule: officiumque inter eos ita dispertitum fuiſſe legimus, vt Metellus Italiam ab armis et ab occulta coniuratione, Cicero vrbem a domeſticis inſidiis et ab inteſtino ſcelere defenderet. idcirco et in ea poſt reditum in ſenatu c. 10. ſocium rerum ſuarum nominat.

CAPVT LXIII.

Dexteram porrexerint] Primi enim eum aduenientem Brundiſini exceperunt.

Tum primum] Brundiſium vsque patri redeunti Tulliola obviam iuit. quod officium Terentia obire neglexit. Plutarchus.

Ipſius coloniae] Quae nonis Sext. quo ego die in Italiam appuli, Brundiſium deducta fuerat.

Idem, vt ſcitis (Ern. *idemque Salutis*)] Epiſtola prima lib. IV. ad Attic. huius loci correctionem demonſtrat. eadem enim ibi narrantur, quae hic, de nonis Sext. corrigendum autem ſic: *Idem et Salutis:* vt ſignificetur, templum Salutis, quod fuit in colle Quirinali, nonis Sext. eſſe dedicatum.

Et patris, et fratris eius] Duos fratres Lenios et in ea pro Plancio c. 41. commemorat.

Periculoque] Propter legem Clodiam, quae poenam irrogabat iis, qui Ciceronem exſulem intra quadringenta millia paſſuum tecto excepiſſent. qua de re ſic in oratione pro Plancio c. 41. *In hortos me M. Lenii Flacci contuli: cui cum omnis metus, publicatio bonorum, exſilium, mors proponeretur; haec perpeti, ſi accciderent, maluit, quam cuſtodiam mei capitis dimittere.* Etiam in epiſtolis, quae familiares vocantur, lib. XIV. epiſt. 4. de Leniorum hoſpitio, et de legis Clodiae poena meminit.

In Capitolium] Primum enim ad agendas Ioui Optimo Maximo gratias iuit, quod ſe patriae compotem feciſſet: deinde ad ſuos penates a Capitolio reuertit. lib. IV. ad Attic. epiſt. 1.

Domum] Non Palatinam; in qua euerſa Clodius templum Libertatis exaedificauerat; ſed eam, opinor, quam habebat in Ceramio: de qua lib. IV. ad Attic. epiſt. 2.

Agnoui] Intellexi cuius ſit, a quo vſurpaueris. eſt enim Vatinii, qui Sextium maxime oppugnat, in quem etiam teſtimonium dixit. vnde in illum Ciceronis oratio: quam appellat *interrogationem* ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. quia perpetua eum interrogatione accuſat.

Increpuit] Cum tribunus plebis ipſe, conſul Caeſar eſſet.

De

De vniuerſis] Non obtinuit a Caeſare, vt in vniuerſam optimatium nationem vi et armis irrueret.

De me] Dixi iam, in hac oratione, atque omnino in omnibus orationibus, quas poſt exſilii ſui calamitatem habuit, diligenter cauiſſe Ciceronem, ne C. Caeſaris animum offenderet: vel quod Pompeii ſocer eſſet, cuius maxime opera ſe eſſe reſtitutum intelligebat: vel quod, malo doctus, pugnare cum potentibus deinde nollet; ſibique non, vt antea, dignitatis ſolum, ſed ſalutis cum dignitate rationem eſſe habendam exiſtimaret. quo conſilio praeteritas in ſe Caeſaris iniurias partim ſilet, partim excuſat. Hic, cum dixiſſet, *nihil profecit de vniuerſis*, locus poſtulabat, vt adiungeret de ſe ipſo, quid apud Caeſarem profeciſſet Vatinius, et traductionem illam Clodii ad plebem, cuius auctor atque actor in conſulatu Caeſar fuit, ex Vatinii ſermone conſilioque manaſſe criminaretur. verum, ne videatur ea meminiſſe, quae vt ex animo deleantur, gratiae reconciliatio requirit; odioſam commemorationem callide praetermittit, et orationem ad ea traducit, quae propria Vatinii ſunt, non cum Caeſare communia.

Indicem Vettium] Indicauit L. Vettius, negotium ſibi a clariſſimis viris eſſe demandatum, vt Cn. Pompeium occideret. id a Vatinio tribuno plebis, et Caeſare conſule fictum, ſuſpicio fuit: quia, cum indicis falſitas manifeſtis ſignis argueretur, Vettius in carcere occulte ſtrangulatus eſt: de quo ſic in oratione in Vatinium c. 11. *Promulgariſne, impuriſſime et perditiſſime hoſtis, quaeſtionem de tot ampliſſimis et talibus viris, indici Vettio praemia ampliſſima? quibus rebus, omnium mortalium non voluntate, ſed conuicio repudiatis, fregeriſne in carcere ceruices ipſi illi Vettio, ne quod indicium corrupti indicii exſtaret, eiusque ſceleris in te ipſum quaeſtio flagitaretur?* Et Suetonius in Iulio c. 20. Vettium veneno ſublatum ſignificat, auctore, vt creditum eſt, Caeſare; cuius cum Vatinio communia conſilia erant.

De me] An ego Vettio auctor atque impulſor ad necem Pompeii fuiſſem.

Clariſſimis viris] M. Bibulo, tum conſule; L. Lucullo conſulari, et triumphali; C. Curione, conſulari, et triumphali; L. Domitio Ahenobarbo, qui tum praeturam petebat; L. Lentulo, qui conſulatum petebat; L. Aemilio Paullo, qui tum quaeſtor Macedoniam obtinebat; aliis priuatis, quos enumerat lib. II. ad Attic. epiſt. 24. et in Vatinium c. 10.

CAPVT LXIV.

Aliquid defecti] Non agnoſco Latinam vocem: et apparet mendum. tribus modis corrigi poteſt, *aliquid ficti*, *aliquid effecti*, *aliquid de me ficti*. ex his correctionibus, quia non differunt in ſententia, eam probari maxime velim, quam libri ſcripti comprobabunt, aut cum qua minimum diſſentient.

Afferebat] Forte querelam attulit Ciceronis in iudicio C. Antonii. vide orationem pro domo ſua c. 16.

Monebat] De Vatinio igitur ſupra c. 18. intellexit, cum dixit: *Quem virum ſtudioſum mei, cupidiſſi-*

cupidiſſimum reipublicae conſervandae, domi meae, certi homines, ad eam rem compoſiti, monuerunt, vt eſſet cautior: eiusque vitae a me inſidias apud me domi poſitas eſſe dixerunt. et in Piſonem c. 31. cum ait: *Qui familiaritatis licentia, ſuorum improbiſſimorum ſermonum domicilium in auribus eius, impulſu veſtro, collocauerunt*, Vatinium potuit ſignificare.

Meae proſcriptionis] Legem, qua pulſus eſt, *proſcriptionem* appellat; quia, cum contra leges, moremque maiorum eſſet rogata, lex eſſe non poſſet. eſt autem *proſcriptionis* odioſum nomen: quod eas facere conſueuerunt ii, quorum potentia ſupra leges eſt, qualis L. Sulla fuerat. eadem ſententia dixit ſupra c. 20. *Cum proſcriptio, caedes, direptio denunciarentur.* et poſt c. 30. *Cum de capite ciuis, et de bonis proſcriptio ferretur.*

Adiuuabat Sex. Clodius] Homo ſeditioſiſſimus; qui P. Clodii interfecti corpus in forum detulit, populoque concitato cremauit. quo incendio et curiam, et baſilicam Aemiliam conflagraſſe, eoque deinde crimine Sex. Clodium eſſe damnatum, Pedianus in ſuis commentariis tradidit: et M. Antonii conſulis exſtat epiſtola, Ciceronem rogantis, vt Sex. Clodium reſtitui patiatur. hic leges Clodii ſua ſcriptione adiuuabat. itaque in ea pro Milone c. 12. *exhibe quaeſo*, inquit, *Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum veſtrarum.* in ea vero pro domo ſua c. 18. *Hanc tibi legem Clodius ſcripſit, ſpurciorem lingua ſua? vt interdictum ſit, cui non ſit interdictum? Sexte noſter, bona venia dic. quoniam iam dialecticus es, et hoc quoque ligurris: quod factum non eſt, vt ſit factum, ferri ad populum, aut verbis vllis ſanciri, aut ſuffragiis confirmari poteſt? Hoc tu ſcriptore, hoc conſiliario, hoc miniſtro, omnium non bipedum ſolum, ſed etiam quadrupedum impuriſſimo, rempublicam perdidiſti.* Hic ſcriptorem eius legis Vatinium videtur agnoſcere, ſcriptionis autem adiutorem et participem Sex. Clodium: oratorum more; qui res ad perſonas varie ſolent, vt cauſſa fert, accommodare.

Iis digniſſimus] Simile illud in Piſonem c. 4. *Non modo facie, ſed etiam oculo tuo digniſſimum.* Et lib. IV. in Verr. c. 17. *Hominem digniſſimum tuis moribus.*

Quibuscum viuit] Viuebat maxime cum P. Clodio, cumque nefariis ac ſeditioſis hominibus: de quo ſic in oratione pro Coelio c. 32. *Quem vos per biennium aut miniſtrum ſeditionis, aut ducem vidiſtis, qui aedes ſacras, qui cenſum populi Romani, qui memoriam publicam ſuis manibus incendit, hominem ſine re, ſine fide, ſine ſpe, ſine ſede, ſine fortunis, ore, lingua, manu, vita omni inquinatum.*

Ordinis noſtri] Senatorii.

Rueret] Aliquid trioſe faceret. feruntur enim homines improbi ad facinus eo impetu, vt ruere videantur.

Vi, exercitu, copiis] Vi Clodii, exercitu Caeſaris, copiis improborum ciuium.

Sagittario] Vatinio. pulcherrima concluditur hoc extremo verbo metaphora, a ſimilitudine vrbis oppugnatae.

Acta mea] Pro republica.

Legem]

Legem] A Cicerone conſule rogatam.

Contemnat] Quia, cum aedilitatem et petierit anno proximo, et hoc ipſo anno praeturam petat, gladiatores tamen dare vult. in Vatinium c. 15.

Vetat] Recte: ne populus, aut praeteritae voluptatis memoria, aut futurae ſpe delenitus, indignis honores mandet.

Elabi ex iudicio] Si, quia contra legem fecerit, accuſabitur.

Iucunditate] Non eſt enim iucunditas in homine turpiſſimo. deformem autem Vatinium paullo poſt ſignificat, cum ait, *quin hos gladiatores induceret, quorum eſſet ipſe pulcherrimus.* et, ſtrumis affectum, notatumque fuiſſe, patet infra c. 65. et in oratione in ipſum c. 2. et lib. II. ad Attic. epiſt. 9.

Gratia] Quem ſui tribules, nedum alii, reſpuunt. vide ſupra c. 53. et in oratione in ipſum c. 16.

Opibus et potentia] De quo nemo bene exiſtimat, cui ne Caeſar quidem ipſe fauet. in oratione in ipſum c. 16.

Pulcherrimus] Ergo turpiſſimi omnium gladiatores: ſiquidem Vatinius, deformitate inſignis, prae iis pulcherrimus videbatur.

Ob eam cauſſam] Quod, familiam gladiatoriam ſpecioſam, nobilem, glorioſam nactus, tenere ſe non potuerit homo flagrans cupiditate gloriae, quin eam induceret.

Beneficio] Si populus Romanus aedilitatem Vatinio, quam denegauit, dediſſet. eſt in his verbis tacita repulſae ſignificatio. quaſi dicat: certe populari ſtudio efferri non debuit, cum populum ſui minime ſtudioſum in aedilitatis petitione cognoverit.

Sortito] Vt ſors cuique obtigit, alios Samnites, alios Provocatores fecit.

Samnites] Plura gladiatorum erant genera, Samnites, Prouocatores, Retiarii, Mirmillones. ex his oppoſiti in pugnis *Samnites*, et *Prouocatores*: quod hic Ciceronis locus oſtendit: *Retiarii*, et *Mirmillones*, quod Valerius Max. lib. I. c. 7. Quinctilianus lib. VI. c. 3. declarat. *Samnites* ad pugnandum primo lenti: *Prouocatores* ex ſe nomen ſumſerunt, quia certaminis initio prouocare aduerſarios ſolerent. vnde Horatius lib. II. epiſt. 2. v. 98.

Lento Samnites ad lumina prima duello.

Mirmillones, et *Secutores* dicebantur: quod, ſi quis Feſtum, Quinctilianum lib. VI. c. 3. Suetonium in Caligula c. 30. Iuuenalem Sat. VIII. v. 210. legerit, facile poterit coniicere. de Secutoribus meminit et Cicero lib. VII. ad Attic. epiſt. 14. et Iuuenalis Sat. VIII. v. 210.

Habet defenſiones duas] Totum hoc eo pertinet, vt oſtendat, Vatinium populo verba dare, qui beſtiarios gladiatorum nomine ſit inducturus. refert autem ad Vatinii defenſionem, quia, quod per irriſionem obiicitur adverſario, iucunditatem parit, neque tamen vim amittit.

Beſtiarios] Seruos, qui cum beſtiis pugnabant.

Vnum gladiatorem] Significat ex iis, quos Vatinius gladiatore nominabat, vnum re vera gla diatorem eſſe, reliquos omn beſtiarios. duplex igitur eſt

ſer-

ſenſio, a genere hominum, et a numero. non enim gladiatores, ſed beſtiarios; non plures, ſed vnum modo gladiatorem dare ſe dicit. lex autem, cum gladiatores dari vetat; de gladiatoribus, non de beſtiariis intelligit; nec vnum gladiatorem, ſed plures dari vetat.

Totam aedilitatem] Aedilitatem gerere Vatinium non exiſtimabit, qui meminerit illa, quae ſupra c. 53. dicta ſunt: *Aedilitatem petiuit cum bonis viris, et hominibus primis, ſed non praeſtantiſſimis opibus et gratia: tribum ſuam non tulit: Palatinam denique, per quam omnes illae peſtes vexare populum Romanum dicebantur, perdidit: nec quidquam illis comitiis, quod boni viri vellent, niſi repulſam, tulit.* et qui legerit illa, quae ſunt in oratione in ipſum c. 7. *De quibus duos praetextatos ſedentes vides, te aediliciam praetextam togam, quam fruſtra confeceras, vendidiſſe.* Fingit igitur Vatinium dicentem, ſe quos ludos, quae munera Vatinius, ſi aedilis creatus eſſet, populo daturus erat, id omne nunc dare. fingit autem propterea, vt ſignificet, quam non magnifica, quam tenuis, ac ſordida futura fuerit illius aedilitas, qui tantum vnum leonem, ducentos beſtiarios dare cogitabat.

Vnus leo] Quem conficerent ducenti beſtiarii. eſſet autem praeclara aedilitas, et ſpectaculum iucundum, ſi, quot leones, tot beſtiarii pugnarent. et videtur Vatinius eodem munere daturus, qui certarent tamquam gladiatores, etiam ſi non gladiatores, ſed beſtiarii eſſent; et qui cum vno leone congrederentur. alterum patet ex eo, quod dixit: *Cum ex ergaſtulis emtos nominibus gladiatoriis ornarit, et ſortito alios Samnites, alios Prouocatores fecerit:* alterum ex his verbis cognoſcitur, *vnus leo, ducenti beſtiarii.*

Solet enim tribunos plebis appellare] Quid ſignificet, apertum eſt in oratione in Vatinium c. 14. ait enim ſic: *Quaero illud etiam ex te, quod priuatus admiſiſti: in quo certe iam tibi dicere non licebit, cum clariſſimis viris cauſſam tuam eſſe coniunctam: poſtulatusne ſis lege Licinia et Iunia? edixeritne C. Memmius praetor ex ea lege, vt adeſſes die triceſimo? cum is dies veniſſet, feceriſne, quod in hac republica non modo factum ante numquam eſt, ſed in omni memoria ſit omnino inauditum: appellariſne tribunos plebis, ne cauſſam diceres?*

Vi iudicium disturbare] Et hoc eiusdem Ciceronis verbis in eadem oratione c. 14. exponam: *Quaero*, inquit, *ex te, Vatini, numquis in hac ciuitate poſt vrbem conditam tribunos plebis appellarit, ne cauſſam diceret? numquis reus in tribunal ſui quaeſtoris aſcenderit, eumque vi deturbarit? ſubſellia diſſiparit? vrnas deleuerit? eas denique omnes res in iudicio disturbando commiſerit, quarum rerum cauſſa iudicia ſunt conſtituta?*

Quod ſe ſtatuit] Omnino praenomen, *ſe*, Latinae linguae ratio poſtulat vt tollatur: ſed, niſi vetera conſentiant exemplaria, mutandum nihil ſtatuo.

Aciliam, Didiam] Malim *Caeciliam, Didiam:* quam conſules tulerunt Q. Metellus, T. Didius, anno ab vrbe condita DCLV. de qua lib. II. ad Attic. epiſt. 9. et in

in Phil. V. c. 3. vbi hanc legem cum Iunia Licinia video coniungi: quae trinundinum in lege ſeruari iubebant: ſed poenam grauiorem Iunia Licinia irrogabat. illa vero Caecilia Didia, de qua in oratione pro domo ſua c. 20. ſcriptum eſt, ab iisdem quidem conſulibus, alia tamen de re lata eſt, nempe de hac: ne vnam in legem diuerſa capita inculcarentur; ne populo neceſſe eſſet, in coniunctis rebus compluribus aut id, quod noliet, accipere, aut id, quod vellet, repudiare.

Liciniam, Iuniam] Nullam video cauſſam eſſe, cur duas eſſe leges exiſtimem. ſed quemadmodum vna lex eſt Caecilia Didia, de qua proxime dixit, a duobus conſulibus lata: ſic, vt vna ſit Licinia Iunia, a duobus item conſulibus lata, conſentaneum videtur. mouet etiam me non nihil illa ratio, quod in oratione in Vatinium c. 14. cum dixiſſet Cicero, *quaero etiam illud ex te, poſtulatusne ſis lege Licinia et Iunia?* ſubiunxit, *edixeritne C. Memmius praetor ex ea lege, vt adeſſes die triceſimo?* Liciniam, et Iuniam cum nominaſſet, intulit, *ex ea lege.* fecerat autem contra legem Liciniam et Iuniam Vatinius, quia trinundinum in legibus ferendis non ſeruaſſet. quod ne fieret, lege Licinia cautum eſſe, aperte in oratione pro domo ſua c. 20. et in orat. V. in Antonium c. 3. Cicero docet. ea vero Licinia, qua de meminit in agraria II. c. 8. et pro domo ſua c. 20. diuerſa fuit ab hac, quae cum Caecilia Didia ſemper a Cicerone coniungitur. haec enim, vt dixi, de ſpatio legis promulgatae fuit: ea vero de legum latoribus ſanxit, vt, qui legem ferret, is non modo ſibi, ſed nec collegis, cognatis, affinibus poteſtatem vllam curationemue mandaret. omitto, quod Iuniam Liciniam proximis annis latam videtur Cicero ſignificare in V. in Antonium his verbis: *Vbi lex Caecilia et Didia? vbi promulgatio trinundinum? vbi poenae, recenti lege Iunia Licinia?* at vero alteram Liciniam non recentem, ſed veterem in agraria II. dicit fuiſſe: eamque non cum Iunia, ſed cum Aebutia nominat.

Solet gloriari] Vere gloriabatur. nam ei Galliam Ciſalpinam cum Illyrio in quinquennium lege lata dederat. Suetonius in Iulio c. 22. Plutarchus in vita Caeſaris. Paterculus lib. II. c. 44. Dio lib. XXXVIII.

Reſcindant] Quod ab eo conſule nihil ſaluis auſpiciis actum eſſe dicant. ſupra c. 18. de prouinciis c. 19. in Piſonem c. 32. pro domo ſua c. 15. Suetonius c. 20. alii.

Socero] L. Piſone, Macedoniam obtinente, cuius filiam Calpurniam Caeſar in conſulatu duxit vxorem, ſuamque filiam Iuliam Pompeio collocauit, vt ſuam potentiam nouis affinitatibus augeret. quod euenit. hac de lege a Piſone neglecta, quia de creditis pecuniis ius in liberos populos dixit, mentio ſit in oratione de prouinciis c. 4. et in Piſonem c. 16. et pro domo ſua c. 23.

Hoc aſſecla] Vatinius enim in tribunatu pecunias iniquiſſime coegit contra legem de repetundis eo ipſo anno a Caeſare conſule rogatam. qua de re haec ſunt verba in oratione in Vatinium c. 12. *Quaero ex te, ſisne ex pauperrimo diues factus illo ipſo anno,*

anno, quo lex lata eſt de pecuniis repetundis acerrima? vt omnes intelligere poſſent, a te non modo noſtra acta, quos tu tyrannos vocas, ſed etiam amiciſſimi tui legem eſſe contemtam.

CAPVT LXV.

Sanae parti] Significat, vt in corpore ſanam partem, ſic P. Sextium, virum bonum, atque innocentem, eſſe conſeruandum.

Tamquam ſtrumam] Vatinium, qui ſtrumis laborabat, de republica tollendum, quaſi peſtem aliquam, intelligit. Plutarchus in Cicerone, et in Vatinium c. 2. et lib. II. ad Attic. epiſt. 9. *Vatinii ſtrumam*, inquit, *ſacerdotii διβάφῳ veſtiant.*

Vosque, adoleſcentes] Totum hoc, quod ſequitur, vsque ad illud c. 69. *ſed me repente*, de moribus oratio eſt: quam ἠθικὸν λόγον Graeci nominant: et maxime illam quidem in dialogo et epiſtola, ſed in omni etiam ſermone conuenire, Demetrius tradidit. oratoris enim imago quaedam et index animi eſt oratio.

Ab vniuerſo populo] Ante creatos cenſores. nam deinde non a populo, ſed a cenſoribus ſenatores lecti ſunt. a populo autem deligebantur conſule nominante.

Proximorum ordinum] Intelligit eos, qui ſenatoribus dignitate proximi ſunt, vt equites et iudices.

CAPVT LXVI.

Cuiuscumque ſint ordinis] Siue ſenatores, ſiue equites, ſiue municipales, ſiue ruſtici, ſiue negotia gerentes, ſiue etiam libertini. ſic enim optimates definiuit.

Mihi omnis oratio] Non haec, inquit, propono iis, qui deſidia languent, ſed iis, quorum animos virtutis cupiditas excitat. ignauorum et inertium hominum in hac mea cohortatione rationem non habeo: ſtrenuis, et fortibus, et virtutem diligentibus haec dico.

Laborum patientes, frui (Ern. *labore, ſe otio ſuo perfrui*)] Soleo mirari et hic, et quibusdam in locis, vnde factum ſit, vt impreſſi libri, vt appellantur, a manuſcriptis tam valde diſſentiant. hic omnes impreſſi, *labore ſe otio ſuo perfrui*, omnes antiqui, *laborum patientes frui.* ego, cur ab vtrisque diſſentiam, habeo: quid ipſe afferam de meo, non habeo. facilius enim poſſum, quid diſpliceat, iudicare, quam inuenire, quod placeat. non grauate relinquo, in quo aliorum exerceri poſſit induſtria.

Haec audiuimus] Viros clariſſimos ſudaſſe pro communibus commodis, adiiſſe inimicitias, ſubiiſſe tempeſtates, cum audacibus, improbis, potentibus dimicaſſe. et, *audiuimus*, ab iis, qui ipſi viderunt: *accepimus*, ab iis, qui ab aliis audierunt: *legimus*, in libris, antiqua referentibus. aſcendit enim a propinquis rebus quaſi per gradus ad ea, quae longe diſtant.

Conſiliis et factis] Qui ea, quae propoſui, et iudicarunt, et fecerunt.

Incitarunt] Vt aliquid in republica nouarent.

Caecarunt] Vt honores conſequerentur.

In inuidiam aliquam vocauerunt] Aliquo crimine accuſarunt.

Leues,

Leues, et audaces, et malos, et pernicioſos] *Leues*, et *audaces* eos intelligit, qui incitarunt aliquando populi animos ad ſeditionem. et alterum ad voluntatem, alterum ad actiones refertur. nam, mutationem in republica cogitare, leuitatis eſt: aggredi vero, et conari ea, vnde mutatio fit, audaciae. *Malos* vocat eos, qui ambitu ſibi viam ad honores muniunt: *pernicioſos*, qui fortes et claros viros, et bene de republica meritos inſectantur. quos grauiore, quam alios, nomine appellat, partim quidem quod ita ſentiret, (quid enim hoc ciuium genere deteſtabilius?) deinde etiam ſua ipſius cauſſa, quod ab his indigniſſime pulſus erat.

CAPVT LXVII.

L. Opimius] Qui conſul C. Gracchum, et vna cum eo circiter tria millia ciuium Romanorum occidit. in Piſonem c. 39. et alibi.

Monimentum] Templum Concordiae; quod ab eo factum eſſe Plutarchus tradit: aut baſilicam Opimiam; de qua meminit Varro lib. IV. de ling. Lat. et forte de baſilica potius, quam de templo, intelligendum. nam cum, *celeberrimum*, et *deſertiſſimum*, tamquam antitheta, Cicero poſuerit; et in altero ſolitudinem, in altero frequentiam hominum ſignificauerit: rectiſſime de baſilica dictum poſſumus conücere. vbi enim maior hominum frequentia, quam in baſilicis? in quibus iudicia fiebant. quod a Vitruuio lib. V. c. 1. didicimus.

Semper ipſe populus Romanus] Apparet, non a populo Romano, ſed a praetore et iudicibus Opimium eſſe damnatum. quod et Cicero in Bruto c. 34. ſignificat his verbis: *Inuidioſa Manilia quaeſtione C. Galbam ſacerdotem, et quattuor conſulares, L. Beſtiam, C. Catonem, Sp. Albinum, ciuemque praeſtantiſſimum L. Opimium, Gracchi interfectorem, a populo abſolutum, cum is contra populi ſtudium ſtetiſſet, Gracchani iudices ſuſtulerunt.* Damnatus autem eſt Opimius, vt ait Plutarchus in vita Gracchorum, quod legatus ad Iugurtham Numidiae regem miſſus, pecunias ab eo accepiſſet. Pedianus tamen in commentario orationis in Piſonem in extremo, Opimium ob inuidiam, quae illum ex interitu M. Fuluii Flacci conſularis, et L. Gracchi tribunicii ſecuta eſt, iudicio circumuentum, et in exſilium actum eſſe narrat. ſed Plutarchus, quaſi Gracchorum ſtudioſus, et Opimio, quod in conſulatu primus dictatoris poteſtatem exercuiſſet, infenſus, affirmat, eum a Iugurtha eſſe corruptum. Pedianus inſontem eo crimine ſignificat, et ob ea damnatum, quae in conſulatu fortiter egiſſet. idem Cicero declarat; quia, *ciuem egregium*, ait, *iniqui iudicii procella peruertit:* quod et in oratione pro Plancio c. 28. confirmat. ergo, quod ad Opimii damnationem attinet, ita ſtatuemus; vocatum eſſe in iudicium pecuniae nomine a Iugurtha contra leges acceptae, damnatum non eo, quo accuſabatur, crimine, quandoquidem culpa vacabat; ſed quod regia poteſtate in ciues Romanos vſus eſſet.

Liberauit] In iis iudiciis, in quibus ipſe de Opimio iudicauit. et, cum dicat Cicero, *ſemper liberauit;*

berauit; apparet, populum Romanum de Opimio, ob C. Gracchi aliorumque necem accuſato, non ſemel iudicem fuiſſe. ego tamen vnius tantum accuſationis mentionem inuenio, cum P. Decius tribunus plebis Opimio, proximo poſt eius conſulatum anno, ad populum diem dixit. quod in epitome Liuiana lib. LXI. in libello de viris illuſtribus, in Ciceronis Partit. c. 30. lib. II. de Orat. c. 30. 31. in Bruto c. 34. obſeruauimus.

Perculſi] Ab irato populo damnati. quos intelligat, cognoſcitur ex ea pro domo ſua: in qua c. 32. ita ſcriptum eſt: *At vero, vt annales populi Romani, et monumenta vetuſtatis loquuntur, cenſor ille Quintius, et M. Furius Camillus, et M. Seruilius, cum eſſent optime de republica meriti, tamen populi incitati vim iracundiamque ſubierunt: damnatique comitiis centuriatis, cum in exſilium profugiſſent, rurſus ab eodem populo placato ſunt in ſuam priſtinam dignitatem reſtituti.* quo in loco, vt aliud ex alio, duo menda, alterum manifeſte video in dictione, *cenſor*, alterum ſuſpicor eſſe in praenomine Seruilii. Cenſorem quidem Quintium eſſe damnatum, nulli annales populi Romani, quos habemus, loquuntur: cum tamen de homine notiſſimo ſignificare Cicero videatur, praenomine vſus, *ille;* quod ad eximiae cuiusdam atque extraordinariae rei, aut excellentis et inſignis maxime hominis ſignificationem vſurpatur. Sequor igitur primum, vt ſoleo, cum aliquid corrigo, ſimilitudinem litterarum, deinde hiſtoriae teſtimonium; et ex vtrisque, pro, *cenſor*, repono *Ceſo:* vt Kaeſo ille Quintius intelligatur, quem ſaepe pro patribus contra plebem certaſſe, eoque nomine accuſatum, in exſilium, non exſpectata iudicii die, abiiſſe, T. Liuius hiſtoriarum ſuarum lib. III. c. 13. ſcriptum reliquit. quod et Dionyſius Halicarnaſſeus lib. X. tradidit. Alterum eſſe mendum opinor in praenomine Seruilii. nemo enim de M. Seruilio ſcripſit, optime de republica merito, a populo damnato. vtrumque autem video conuenire in C. Seruilium Ahalam: qui et Sp. Melium ſua manu occidit, de tyrannide cogitantem; et praeclari facti poenas iniquiſſimo exſilio pependit. de Melio Liuius, Plutarchus, hic noſter ſaepe memorant: de exſilio vnus, quod ſciam, Valerius Max. lib. V. c. 3. memoriae prodidit.

Inuulnerati] Vt, exempli cauſſa, Ap. Claudius Sabinus: qui cum ſenatus atque optimatium cauſſam conſtantiſſime tueretur, plebi vero acerrimus eſſet aduerſarius, tranquillam tamen atque honoratam in patria vitam duxit, nec ab infenſo populo iniuriam vllam tulit.

Praeſenti morte] Vt Sp. Melius, M. Manlius Capitolinus, duo Gracchi, L. Appuleius Saturninus, P. Sulpicius.

Turpi exſilio] Hos neceſſe eſt non a populo, vt Kaeſonem, Camillum, Seruilium, ſed a ſenatu eſſe damnatos. agitur enim hic de iis, qui populares eſſe voluerunt. hi qui fuerint, in hiſtoriis, quae nunc exſtant, non ſatis apparet. M. tamen Lepidi, eius, qui cum Q. Catulo conſul fuit, in epitome lib. XC. Floro lib. III. c. 23. et aliis mentio fit. is, quia Sullae acta reſcindere conatus eſſet,

eſſet, hoſtis iudicatus, exſul in Sardinia deceſſit.

Conſeruatorem patriae] Bello Xerxis Perſarum regis.

Miltiadis calamitas] Accuſatus enim proditionis, quod, cum Parum expugnare poſſet, a rege Perſarum corruptus, infectis rebus a pugna diſceſſiſſet, capitis quidem abſolutus eſt, pecunia vero tanta multatus, quantam cum ſoluere non poſſet, in vincula publica coniectus, miſerrima atque indigniſſima morte diem obiit.

Seruarat] Marathonia pugna, caeſo, et fugato Darii Perſarum regis, Xerxis patris, exercitu.

Ariſtidis fuga] Res augetur nomine: vt Themiſtoclis animi magnitudo, et conſtantia clarius indicetur. dicimus enim, *abiit in exſilium*, et, *in exſilium profugit:* cum vtrumque idem ſit. pro diſceſſu igitur Ariſtidis ab vrbe in exſilium proficiſcentis, *fugam* Cicero dixit. damnatum opera Themiſtoclis, decem annorum exſilio, quaſi nimiam in libera ciuitate potentiam haberet, Aemilius Probus in eius vita c. 1. et Plutarchus tradiderunt. vterque tamen ab ipſa ciuitate reuocatum commemorat.

Vnus omnium] Vni enim contigit, vt iuſtus appellaretur. Aemilius Probus c. 1.

Tot exemplis] Nam quicumque vel generis nobilitate, vel eloquentia, vel rerum geſtarum gloria, vel omnino aliqua re ceteros anteiret, hunc Athenienſes, qui ciuium aequalitatem in republica vellent, teſtula damnatum eiiciebant: vt etiam Damonem, Periclis praeceptorem, quod nimium ſapere videretur, in exſilium miſerint.

CAPVT LXVIII.

Tot imperatoribus] P. Cornelio Scipione, Africani maioris patre, Ti. Sempronio Longo, C. Flaminio, C. Centenio, C. Terentio Varrone, L. Aemilio Paullo, Q. Fabio Maximo, Ti. Sempronio Graccho, M. Claudio Marcello, P. Scipione, eius filio, quem primum apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertio apud Trebiam fugauerat.

Tot annos] Sexdecim.

Eiecerunt] Non eiectum eſſe, ſed ipſum profugiſſe, ne Romanis dederetur; Aemilius Probus in eius vita c. 7. memoriae mandauit.

Brutos] L. Iunium Brutum, qui Tarquinium regem eiecit.

Camillos] M. Furium Camillum, qui Veios cepit, vrbem Romam a Gallis liberauit, alia pro patria praeclariſſima geſſit.

Ahalas] C. Seruilium Ahalam, qui Sp. Melium, male de patria cogitantem, magiſter equitum interemit.

Decios] Patrem, et filium, qui ſe pro patria deuouerant. ſupra c. 21.

Curios] M'. Curium, qui ter triumphauit, de Pyrrho Epirotarum rege, de Samnitibus, de Lucanis.

Fabricios] C. Fabricium Luſcinum, qui cum Pyrrho rege pugnauit.

Maximos] Q. Fabium Maximum, qui Annibalis victoris impetus arte, et patientia retardauit.

Scipiones] Duos Africanos.

Lentulos] Eum fortaſſe, qui ſenatus princeps fuit: quem ſaepe Cicero commemorat. ſed hic aetate poſt Aemilium fuit. vt fortaſſe,

taſſe, *Catones*, verius fuerit, ſed litterae nimium differunt. vide lib. II. de Nat. deor. c. 66. vbi non Lentulum nominat, ſed Catonem.

Aemilios] L. Aemilium Paullum, qui Macedoniae regnum, Perſe rege capto, in populi Romani poteſtatem redegit.

Conſecratam] Herculem dicit in deorum numerum relatum eſſe, quod ea fuerit opinione, quam praeſcripſit: vt conſulatur bonis: praeſentes fructus negligantur: et reliqua.

Corpore ambuſto] In monte Oeta. Tuſc. II. c. 7.

CAPVT LXIX.

Veſtrae auctoritatis] Veſtra enim voluntas et auctoritas in me reſtituendo Sextium adiutorem, defenſoremque habuit.

Publicae cauſſae] Quod in mea re publica res agebatur. bonis enim iacentibus, iacere ſimul ipſa respublica videtur.

Defenſorem, propugnatorem] Otioſa eſſe multa in Cicerone imperiti putant. non ita eſt. nam, quae ſuperuacanea videri poſſunt, ad augendum inducta ſunt. ſed homines inepti, vel quia Romanae linguae vim, et propriam ſignificationem ignorant, vel quia diligenter ſingula non examinant, optima faſtidiunt, ac reſpuunt. *Defendere*, et *propugnare*, idem ſunt, aliquis dixerit. idem, ſed idem in genere, non idem omnino. eſt enim quiddam, quo alterum ab altero differat. *defendere*, non plane eſt propugnare: at *propugnare*, eſt defendere. defendimus etiam leuiter: propugnamus acriter, et cum actione vehementi: vt quaſi pugnam, vnde verbum propugnare deductum eſt, referre videamur. quare non ſolum defendiſſe Sextium publicam cauſſam Cicero ſignificat, ſed ita defendiſſe, vt valde contenderit, quippe qui etiam vulnera ab iis, qui eam oppugnabant, plurima grauiſſimaque acceperit. augetur igitur res, et demonſtratur maxime nominibus multiplicatis, idque translatis potius, quam propriis. nam propria non poſſunt eſſe vnius rei multa, ſed vnum tantum cuiusque rei proprium eſt: translata vero eidem rei multa poſſunt inſeruire, nec ex vno tantum, ſed ex diuerſo genere ſumta, modo ſint e frequenti vſu ita nota, ac familiaria, vt cum propriis, quaſi peregrini cum ciuibus, facile conſocientur. quod autem augeri rem, et demonſtrari multiplicatis nominibus dixi, idque maxime translatis: vtrumque accipi et intelligi abſolute nolo. Alterum enim ſemper fit, alterum non illud quidem ſemper, ſed plerumque tamen. ſemper translatione res demonſtratur: quia ſemper a rebus notiſſimis translatio fit. plerumque res augetur: quia id, vnde transfertur, cum eo, quo transfertur, comparatum, plerumque maius eſt.

Auctorem] Defenſorem, ac propugnatorem eiusmodi, vt praecipuas in eo munere partes ſuſtineret. *Auctor* enim dicitur is, qui alios ſua auctoritate, ſuove exemplo ad aliquam rem excitat.

Reum] Quod in ſententia magis valet ad mouendum, id oratores in extremo collocare conſuerunt. quae enim ad animum extrema perueniunt, ea firmius, ac diutius inhaerent. quo conſilio

lio et illa in ſequentibus periodis vltima Cicero conſtituit, *me intuentem, ſordidatum, et reum, in ſqualore, et ſordibus, pro patre deprecantem, propter vnum me.*

Veſtrae libertatis] Quia P. Clodii furorem exſultantem repreſſit; neue ille, quod cogitabat, omnia vi teneret, effecit.

Domeſtici latrocinii] Clodiani.

Templorum atque tectorum] Templa publica, quibus iniicere flammam Clodius ſolitus erat: tecta Milonis, quae idem Clodius oppugnauerat, intellige. vtrumque cognoſcitur ſupra c. 39.

Sordidatum] Ad eliciendam miſericordiam inculti, et ſordida veſte induti ad iudicium rei veniebant.

Reum] De vi, accuſante P. Clodio aedile.

P. Lentulum] Cuius pater anno proximo conſul Ciceronem ab exſilio reſtituerat. hic ob eam cauſſam erat in ſqualore, et ſordibus, quia C. Cato tribunus plebis legem promulgauerat, vt P. Lentulo eius patri, Ciliciam adminiſtranti, imperium abrogaretur. ex quo filius veſtitum mutauit: quod in maximis calamitatibus factum eſſe notum eſt. de hac in Lentulum rogatione meminit Cicero lib. I. Fam. epiſt. 5. lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 3. in qua iisdem fere diebus et Milonem a Clodio, et Sextium a M. Tullio Albinouano eſſe accuſatos, et legem a Catone promulgatam, licet cognoſcere.

Deum ac parentem ſtatuo fortunae ac nominis mei] Sic in ea poſt reditum in ſenatu c. 4. *P. Lentulus, parens ac deus noſtrae vitae, fortunae, memoriae, nominis.* et in ea poſt reditum ad Quirites c. 5. *P. Lentulus conſul, parens, deus ſalutis noſtrae, vitae, fortunae, memoriae, nominis.*

Superior annus] Anno ſuperiore, et virilem togam ſumſerat, a patre conſule datam; et *praetextam*, (ſic enim lego, non, vt antea, *praetextatam*) augur creatus. nam de magiſtratu non eſt, vt exiſtimemus: cum adoleſcentulus adhuc eſſet Lentulus, annum agens XVII. quo anno virilis toga ſumebatur, vt Suetonius in Iulio c. 1. Seruius Honoratus, Cicero, aliique declarant. de honore, hoc eſt, de ſacerdotio, poſſumus intelligere. nam Lentulum hunc patre conſule, hoc eſt, anno ſuperiore, in augurum collegium eſſe cooptatum, in Dionis hiſtoria legimus, lib. XXXI. videmus etiam Iulium Caeſarem annos natum XVII. flaminem dialem, patre amiſſo, deſignatum. Suetonius in principio. Notandum, ſacerdotia maturius dari ſolita, quam magiſtratus. Quaeſturam enim, qui primus erat honor, poſt annum vigeſimum ſextum dari ſolitam, nec citius, omnes teſtantur. Dicit autem, *populi iudicio:* quia populus hoc tempore ſacerdotia mandabat ex lege, quam T. Atius Labienus tribunus plebis tulerat. qua de re ſcripſit idem Dio lib. XXXVII. ante Labieni legem ſacerdotes a pontificum collegio creabantur. hoc in libro de Legibus c. 2. copioſe demonſtrauimus.

Praetextam] *Praetexta* quinque hominum genera vtebantur, pueri, ad vsque tirocinii diem, hoc eſt, ad ineuntem annum aetatis XVII. magiſtratus omnes, vel vrbani, vel qui erant in coloniis,

loniis, et municipiis: praeterea magiſtri ludorum, qui ludos compitalicios faciebant; et ſenatores omnes, cum deorum feſtos celebrabant dies; et ſacerdotes, atque augures, qui tamen inter ſacerdotes erant. de pueris praetextatis ignorat fere nemo. de magiſtratibus, Liuius lib. XXXIV. c. 7. de magiſtris ludorum, in oratione in Piſonem c. 4. quo in loco ſunt haec: *Q. Metellus, deſignatus conſul, cum quidam tribunus plebis ſuo auxilio magiſtros ludorum ludos contra ſenatus conſultum facere iuſſiſſet, priuatus fieri vetuit: atque id, quod nondum poteſtate poterat, obtinuit auctoritate. Tu, cum in Kalendas Ian. Compitaliorum dies incidiſſet, Sex. Clodium, qui numquam antea praetextatus fuiſſet, ludos facere, et praetextatum volitare paſſus es.* Quibus verbis Pedianus haec ſubiungit: *Solebant magiſtri collegiorum ludos facere, ſicut magiſtri vicorum faciebant compitalicios praetextati. qui ludi, ſublatis collegiis, diſcuſſi ſunt.* Erat autem ſatis turpe mendum in iis Ciceronis verbis, *magiſtros ludorum ludos facere.* nam eſt in omnibus, qui ad hanc diem impreſſi leguntur, libris, *magnos ludos facere:* cum loquatur Cicero non de Magnis ludis, qui fiebant ab aedilibus curulibus, ſed de ludis iis, qui fierent a collegiorum magiſtris. Vt omittam duo argumenta, vnum, quod illud, *facere iuſſiſſet,* aliquid omnino deſiderabat. quem enim tribunus ille ludos facere iuſſiſſet? alterum, quod Pedianus ita loquitur, vt ſignificet *magiſtrorum* in oratione fieri mentionem. Quam facile autem ex, *magiſtros,* fieri potuerit, *magnos,* litterarum declarat ſimilitudo; praeſertim ſi, *magiſtros,* paucioribus litteris, apice ſuperimpoſito, ſcribatur. De ſenatoribus autem ex iis verbis, quae ſunt orat. II. in Antonium c. 43. conieci: *Neſcis, heri quartum in circo diem ludorum Romanorum fuiſſe? te ipſum autem ad populum tuliſſe, vt quintus praeterea dies Caeſari tribueretur? Cur non ſumus praetextati? cur honorem Caeſaris, tua lege datum, deferi patimur?* De ſacerdotum praetexta, Liuius aperte, lib. XXXIV. c. 7. Augurum quoque praetextam hic Ciceronis locus indicat. idque ſignificare videtur Seruius, in eo Virgilii verſu lib. VII. Aen. (188.) *Succinctus trabea.* Accedit locus ille lib. II. ad Attic. epiſt. 9. *Vatinii ſtrumam ſacerdotii διβάφῳ veſtiant.* loquitur enim de Vatinio, in locum Metelli Celeris mortui augure ſubrogando: quod ex oratione contra ipſum habita c. 8. cognoui. eodemque ſpectat illud ad Coelium lib. II. Fam. epiſt. 16. *Curtius noſter dibaphum cogitat. Dibaphus* autem, quod nemo neſcit, purpura bis tincta fuit, qua praetexebatur augurum toga: cum ad reliquas ſemel tincta adhiberetur. Praetextae ius magiſtris quoque vicorum tribuit Liuius lib. XXXIV. c. 7. ſed, cum ludorum magiſtros nominauerim, videor mihi magiſtros etiam vicorum, et collegiorum nominaſſe. nam, *ludorum magiſtri,* generale nomen eſt omnium, qui ludos curarent, ſiue magiſtri vicorum, ſiue collegiorum eſſent. alioqui Liuius, cum de purpura, multis communicata, ſolis mulieribus interdicta, oratorio more exaggeraret;

ret; numquam, facta mentione magiſtrorum vicorum, magiſtros omiſiſſet collegiorum, et ludorum. quicumque enim ludis praeerant, ii *ludorum* vocabantur *magiſtri*. Praeerant autem compitaliciis magiſtri collegiorum, dum collegia manſere: ſublatis lege collegiis, compitalicii facti non ſunt. nec alia ludorum genera, quibus magiſtri vicorum praeeſſent, deſuere. quae verbis Aſconii, cum Liuii teſtimonio congruentibus, probata iam ſunt. Quod ad praetextae colorem attinet, dubitari poteſt, ſitne tota purpurea, an limbo tantum togam ambiente: vnde *praetextae* nomen. dubitationem videtur tollere Plinius lib. XXXIV. c. 9. in eo loco: *Cyprio* (aeri) *ſi addatur plumbum, colos purpurae fit in ſtatuarum praetextis*. Quibus verbis tota videtur indicari purpurea praetexta. Macrobius quoque, niſi fallor, idem ſignificat, cum ait lib. I. Saturn. c. 6. *Nonnulli credunt, ingenuis pueris attributum, vt cordis figuram in bulla ante pectus annecterent; quam inſpicientes ita demum ſe homines cogitarent, ſi corde praeparent, togamque praetextam his additam, vt ex purpurae rubore ingenuitatis pudore regerentur.* Rurſus dubitationem pariunt Polybii verba lib. VI. c. 51. Οὗτοι προσαναλαμβάνουσιν ἐσθῆτας, ἐὰν μὲν ὕπατος ἢ στρατηγὸς ᾖ γεγονὼς, περιπορφύρους· ἐὰν δὲ τιμητὴς, πορφύρας· ἐὰν δὲ καὶ τεθριαμβευκὼς, ἤ τι τοιοῦτον κατειργασμένος, διαχρύσους. Id eſt: *Hi aſſumunt veſtes, ſi conſul, praetorue fuerit, praetextas; ſi vero cenſor, purpureas; ſin autem triumphalis, quiue tale aliquid egerit, auro intextas.*

Quod tantum eſt in me ſcelus] Vbi aliquid expoſuimus factum, ſtatim, quaſi nos commouerit indignitas rei, erumpimus vel in interrogationem, vel in ironiam, vel in exclamationem. interrogationis exemplum eſt hoc, et huic ſimillimum, ac paene idem, in oratione pro Milone: in qua ſunt haec in extremo: *Quid reſpondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi, Quinte frater, qui nunc abes, conſorti mecum temporum illorum? me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eosdem, per quos noſtram ille ſeruaſſet? At in qua cauſſa non potuiſſe? quae eſt grata gentibus. a quibus non potuiſſe? ab iis, qui maxime P. Clodii morte acquierunt. quo deprecante? me. Quodnam ego concepi tantum ſcelus, aut quod in me tantum facinus admiſi, iudices, cum illa indicia communis exitii indagaui, patefeci, protuli, exſtinxi? omnes in me meosque redundant ex fonte illo dolores.* Ironia eſt illa in hac pro Sextio c. 27. *En, cur ceteri reges ſtabilem eſſe ſuam fortunam arbitrentur.* et illa apud Virgilium lib. IV. Aen. v. 93.

Egregiam vero laudem, et ſpolia ampla refertis
Tuque puerque tuus: magnum et memorabile numen,
Vna dolo diuum ſi femina victa duorum eſt.

Exclamatio poſt iniuſtae rei mentionem eſt illa pro Balbo c. 5. *Vtrum inſcientem vultis* (Cn. Pompeium) *contra foedera feciſſe, an ſcientem? ſi ſcientem, o nomen noſtri imperii! o populi Romani excellens dignitas! o Cn. Pompeii ſic late longeque diffuſa laus,*

laus, vt eius gloriae domicilium communis imperii finibus terminetur! o nationes, vrbes, populi, reges, tetrarchae, tyranni, teſtes Cn. Pompeii non ſolum virtutis in bello, ſed etiam religionis in pace!

Communis exitii] De coniuratione dici, ſatis conſtat.

Parui vobis] Mihi enim ſenatus conſulto mandaſtis, vt coniuratos carnifici necandos traderem.

Texeram] Plus eſſet, *conſervaram:* quod alibi dixit: ſed *texeram,* modeſtiae cauſſa maluit.

Crudelitatem inimicorum] Apte nominibus Cicero nomina coniungit, ex eo, quod cuiusque natura fert. oritur enim ex inimicitiis crudelitas, ex infidelitate ſcelus, ex inuidia fraus. ſic in Diuinatione c. 1. *Quas res*, inquit, *luxuries in flagitiis, crudelitas in ſuppliciis, auaritia in rapinis, ſuperbia in contumeliis efficere potuiſſet, eas omnes ſeſe hoc vno praetore per triennium pertuliſſe.* Simile et illud eſt in oratione pro Coelio c. 6. *Cum triſtibus ſeuere, cum remiſſis iucunde, cum ſenibus grauiter, cum iuuentute comiter, cum facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxurioſe viuere.*

Deleta] Videntur haec non fuiſſe, quia rediui: et in me novae calamitates, noua iniuriarum genera comparantur.

Ego vero vos] Et orationem, et vultum ad eos, qui ſordidati aderant, conuertit. cum vero ſubiungit, *nec me ab iis, quos meo nomine ſordidatos videtis, vmquam vlla fortuna diuellet*, a ſordidatis ad iudices vultum, et actionem refert.

Receperunt] Cum enim ab exſilio rediit, a porta Capena in Capitolium ad agendas Ioui Opt. Max. gratias, quod ſe patriae compotem feciſſet, recta profectus eſt. inde ſuos lares petiit. lib. IV. ad Attic. epiſt. 1. et pro domo ſua c. 28.

Ab his viris] Qui nunc in ſqualore, ſordibusque ſunt.

P. Lentulus (Ern. *P. Lentulo conſule*)] Qui cum me conſul reſtituit, commiſit haec veſtrae poteſtati: vt poſſitis id, quod vobis hoc iudicio licet, vel me cum meis defenſoribus et conſeruatoribus perdere, vel mecum ſimul eos ſeruare, ſine quibus in hac vrbe eſſe non poſſum. nam niſi ille me reſtituiſſet, non haec in veſtra poteſtate nunc eſſent.

His ciuibus vti] Quos ſordidatos videtis: quos ſi eiicietis, vti vobis eorum opera in tuenda republica non licebit.

Reficere] Tot malis afflictum.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
INTERROGATIONEM
IN
P. VATINIVM

ARGVMENTVM

Cum in P. Sextium de vi reum P. Vatinius teſtimonium dixiſſet; Sextii patronus Cicero inuectus eſt in eum acerbiſſime: et maxime quidem totum eius tribunatum, in quo, Caeſare conſule, leges reipublicae exitioſas contra auſpicia tulerat, ſed quaeſturam quoque et legationem exagitauit, non vt accuſator, ſed vt reprehenſor. qua de re ſic ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. Tota interrogatio mea nihil habuit, niſi reprehenſionem illius tribunatus: in quo omnia dicta ſunt libertate, animoque maximo de vi, de auſpiciis, de donatione regnorum. *A veteribus etiam interrogationis nomine appellatur haec oratio. interrogatione enim vtitur ad ſingula, quae reprehendit. et accuſatorem quidem Vatinii breui ſe futurum minatur: interim autem rogare ait tantum velle. Quaeri poteſt, vtrum, Sextio abſoluto, an prius quam ſententiae ferrentur, haec Cicero dixerit. mihi dubium non eſt, quin prius quam ſententiae ferrentur. cur hoc exiſtimem, adducor his verbis, quibus interrogationem orditur:* feciſſem id, quod his vehementer placebat. *Quae videntur ad iudices potius, quam ad ſenatores, pertinere. Iam illa, quae ſunt in extremo, certe de reo non dicuntur abſoluto:* Hoc quaero, num P. Sextium, qua lege accuſandum omnino fuiſſe negas, ea lege condemnari putes oportere? *nam ſi latae ſententiae fuiſſent; abiiſſent ſtatim iudices, re confecta, ſuo munere perfuncti, nec Ciceroni, abſoluto iam reo Vatinium interroganti, aures dediſſent. quorſum enim id temporis extra commiſſum lege iudicium conſumerent? Et lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 4. cum Sextium abſolutum ſignificaſſet, haec ſubiunxit:* Vatinium, a quo palam oppugnabatur, arbitratu noſtro concidimus, diis, hominibusque plaudentibus. Quin etiam Paullus noſter, cum teſtis productus eſſet in Sextium, confirmauit, ſe nomen Vatinii delaturum,

delaturum, ſi Macer Licinius cunctaretur: et Macer a Sextii ſubſelliis ſurrexit, ac ſe illi non defuturum affirmauit. *Haec, opinor, ſufficiunt ad interrogationis tempus indicandum.*

EXPLANATIO

CAPVT I.

Si, tua tantummodo, Vatini, quid indignitas poſtularet, ſpectare voluiſſem; feciſſem id, quod his vehementer placebat, vt te, cuius teſtimonium, propter turpitudinem vitae, ſordesque domeſticas, nullius momenti putaretur, tacitus dimitterem] Principium, a centemtu perſonae ſumtum, a laude iudicum, ab excuſatione ſua, quod odio Vatinii incitatus, contineri minime potuerit, quin acerbius in eum inveheretur, quem tamen admodum contemneret.

His] Iudicibus.

Vehementer placebat] Quia Vatinii teſtimonium, propter turpitudinem vitae, ſordesque domeſticas contemnerent.

Turpitudinem vitae, ſordesque domeſticas] Quod in Bruto c. 62. dixit: *Is ex ſummis et fortunae, et vitae ſordibus in praetura conſul factus eſſet.* Feſtiue de Vatinio Velleius ait lib. II. c. 69. *In quo* (Vatinio) *deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii, adeo vt animus eius digniſſimo domicilio incluſus videretur.* Iure autem contemni videtur eius teſtimonium, cuius ad improbitatem domeſticae ſordes, id eſt, domeſtica difficultas, et ea, quae multos ad facinus impellit, egeſtas accedat.

Vt grauem aduerſarium] Qui grauis eſſe non poſſet ob ſordes domeſticas.

Vt religioſum teſtem] Cui religionis opinionem adimeret turpitudo vitae.

Sed fui paullo intemperantior fortaſſe, quam debui] Quia continere me non potui, quin te interrogarem de rebus iis, quas in tuo tribunatu per vim et contra auſpicia adminiſtraſti.

Tuum in me ſcelus] Cum P. Clodio, qui ſua lege Ciceronem eiecit, conſenſiſſe Vatinium, infra c. 17. oſtenditur.

Vexatum] Quod odii fuit.

Deſpectum] Quod indignitati tuae tribuendum eſſe videbatur.

Etiam ſi falſo veniſſes in ſuſpicionem P. Sextio] Vt infirmaretur Vatinii teſtimonium, ſcire ſe dixerat Sextius, Vatinium iniuiſſe cum Albinouano conſilia de ſe accuſando. qui autem alicui ſe eſſe inimicum oſtendit, eius teſtimonio fides derogatur. Senſus igitur hic eſt. Debuiſti, Vatini, vel ſi falſa illa Sextii ſuſpicio fuiſſet, mihi tamen ignoſcere. ſi eum, de me optime meritum, defendendum ſuſciperem: multo magis, cum illa ſuſpicio falſa non fuerit: quod tu ipſe imprudens indicaſti.

De me optime meriti] Egregiam Sextius tribunus plebis in reſtituendo Cicerone operam nauauerat.

Tempori eius] Cum de vi accuſaretur.

Heſterno pro teſtimonio] Tuo in Sextium. *Pro,* valet, *in,* vt alibi. Hinc apparet, haec a Cicerone

cerone in Vatinium eſſe dicta, poſtridie quam in Sextium teſtimonia dicerentur: cum iudices de eo nondum ſententias tuliſſent.

Cum Albinouano] M. Tullio Albinouano, qui accuſauit Sextium de vi: vt lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 3.

T. Clodium] Qui Sextii nomen deferre cogitaret: quod conſilium videtur abieciſſe, aut accuſanti Albinouano ſubſcripſiſſe.

Conciones P. Sextii] Habitas a Sextio tribuno plebis.

Periurio] Iurati enim teſtimonium dicebant. ſignificatur quod ſupra dictum eſt, *heſterno pro teſtimonio eſſe mentitum.*

Refelliſti] Patefeciſti.

Alieniſſimum a te] Quod oſtendiſti, cum diceres, nullum tibi omnino cum Albinouano ſermonem non modo de Sextio accuſando, ſed nulla vmquam de re fuiſſe.

Quem praeuaricatorem ab initio iudicaſſes] Qua ſuſpicione nullum cum eo ſermonem habueras de Sextio accuſando. quod heſterno pro teſtimonio dixiſti.

Libros] Conciones P. Sextii.

Dediſſe] Vt inde ſumeret accuſandi materiam.

CAPVT II.

Veniſti] In iudicium, teſtimonium dicturus in Sextium.

Gellius] P. Clodii familiaris, frater optimi viri L. Gellii, conſularis, et cenſorii.

Nutricula ſeditioſorum omnium] Non qui ſeditioſos omnes aleret, ſed qui plebem infimam improboſque omnes ad ſeditionem impelleret. vnde illa pro Sextio c. 52. *Ecquae ſeditio vmquam fuit, in qua non ille princeps?*

Teſtimonium diceret] In Sextium.

Inflato collo, tumidis ceruicibus] Vatinii notare videtur iracundiam: ſed iocatur in ſtrumas, quibus laborabat, vnde Strumae cognomen accepit. infra c. 4. *Vt aliquando iſta, quae ſunt inflata, rumpantur.* Et aliquanto poſt c. 16. *Strumae denique ab ore improbo demigrarunt.* Et pro Sextio c. 65. *Hi medentur reipublicae, qui exſecant peſtem aliquam, tamquam ſtrumam, ciuitatis.*

Vt mihi renouatus] In mendo videre tamen mihi ſententiam videor: ſed, quae ſententiae reſpondeat, litterarum ſimilitudinem non inuenio. Dicit hoc, vt opinor: Iratus mihi, quia C. Cornelium, veterem meum amicum, defenderim. De C. Cornelio tribuno plebis a Cicerone defenſo, vide Pedianum in argumento Cornel.

Contra auſpicia tulerit] Quod tu feciſti tribunus plebis Caeſare conſule, ſpretis Bibuli conſulis, et collegarum tuorum auſpiciis. infra c. 9.

Num Aeliam, num Fuſiam legem neglexerit] Quas tu neglexiſti. infra c. 9.

Conſuli vim attulerit] Quod tu commiſiſti, ducto in carcerem M. Bibulo. infra c. 9.

Templum] Roſtra, in quibus leges tuliſti. infra c. 10. ſatis aperte Roſtra *templum* appellat. *Iudicem*, inquit, *in Roſtris, in illo, inquam, augurato templo, ac loco collocaris.* Pro Sextio c. 35. *Q. Fabricius templum aliquanto ante lucem occupauit.* Lib. II. de Inuent. c. 17. *Hunc pater,*

ter, concilium plebis habentem, de templo deduxit.

Interceſſorem] Tribunum plebis.

Religiones polluerit] Quod tu commiſiſti, violato Caſtoris templo. infra c. 13.

Aerarium exhauſerit] Quod exhauſtum a te eſt, aerarii diſpenſatione ſenatui erepta. infra c. 12.

Codicem legiſſe dicebatur] In quo ſua lex ſcripta erat. ſed cum eam legi vetaret interceſſor, codicem Cornelius ipſe, lator legis, per vim legit: vnde accuſatus de maieſtate. Pedianus in argumento Cornel.

Teſtibus collegis ſuis] Eo tamen excepto, qui legi intercedebat.

Non recitandi cauſſa] Non vt eum populo recitaret, vt, cum audiſſet, ſuffragium ferret.

Recognoſcendi] Animaduertendi, ſi quid in ſcribendo peccatum eſſet. eodem ſenſu in ea pro Balbo c. 5. *Nos Cn. Pompeii decretum, iudicium de conſilii ſententia pronunciatum, recognoſcemus?*

Interceſſioni paruiſſe] Quia legem non tulit, dimiſſo concilio.

Quam cauſſam ad patronos tuos, aut quod os afferes] Quid eis dicere audebis, vt defendere te iure poſſe videantur?

Paullo poſt iſtam defenſionem meam] Biennio poſt. defendit enim Cornelium Cotta et Torquato coſſ.

Vaticinando] Cum, ſperare te ſummos honores, ſaepe ſis temere gloriatus. Infra c. 5. *Cum hic nihil loqueretur, niſi quod agebat; tu de altero conſulatu gerendo te diceres cogitare.*

CAPVT III.

Diſceſſum] Cum ab vrbe diſceſſit, Clodia rogatione pulſus iniquiſſima.

Horum] Iudicum; bonorum ciuium, tui diſſimilium, qui dolerent id maxime, quo tu maxime laetabaris.

Armorum cauſſam quaereretis] Vt ego rem in contentionem et certamen adducerem. quod vos fefellit. malui enim cedere.

Vt mihi ignoſcas] Quia fecerim, quod tu nolebas. Dictum argute.

Reipublicae cauſſa] Ne diſſenſio, propter me excitata, reipublicae noceret.

Cunctarum ſocietatum] Publicanorum, qui erant equeſtris ordinis.

Collegiorum omnium] Bene de republica ſentientium. nam quaedam poſtea P. Clodius ex faece vrbis ac ſeruitio conſtituit: vt in Piſonem c. 4.

Quod quidem ego tibi reddo tuum] In quo quidem ego tibi par pari referam.

CAPVT IV.

Honos] Conſulatus.

Salus] Cum in patriam ipſa me reſpublica reuocauit.

In honore] In auguratu, et praetura: quos honores cum peteres, repulſam tuliſti. Infra c. 8. et 16.

In ſalute exſpectamus] Fore auguratur, vt in aliquam ſuis dignam ſceleribus calamitatem Vatinius incidat.

Atque infimo] Cum dixerit, *non ſolum;* quaero, quid reſpondeat. omnino enim ſecundo loco requirere ſententia videtur, *verum etiam.*

Quos

Quos vides] Iudices in cauſſa Sextii. Et hic locus, adeſſe iudices, necdum ſententias tuliſſe, demonſtrat.

Ciuibus] Superuacaneum verbum: cum dixerit iam, *huic ciuitati.*

Ita impudenter] Te mihi anteponendo.

Ita dolenter] Cum te inuictiſſimum fateri res ipſa coget, melius, ac praeſtabilius fuiſſe, me ciuem in hac ciuitate naſci, quam te.

Vt aliquando iſta, quae ſunt inflata, rumpantur] Propter vim doloris. Feſtiue ſtrumas ſignificat potius, quam nominat.

CAPVT V.

Illud tenebricoſiſſimum tempus ineuntis aetatis tuae patiar latere] Quae tamen latere non patitur: nam eius temporis nonnulla ſubiungit, breuiter percurrens, vt ad ea perueniat, quae Vatinius publice geſſit. quae, quia nota quamplurimis fuerunt, ideo de illis, quae minus nota erant, *tenebricoſiſſimum tempus* dixit.

Obſcuritate, et ſordibus tuis] Obſcuro vitae genere, et egeſtate.

Cum P. Sextio] Quaeſtor Sextius C. Antonii fuit, collegae Ciceronis in conſulatu: vt in oratione pro ipſo c. 3.

Tu de altero conſulatu] Quod vno contentus non eſſe videreris. Huc pertinet, quod ſupra c. 2. dictum eſt: *Ea me, pudenter viuendo, conſecutum eſſe, quae tu, impudenter vaticinando, ſperare te ſaepe dixiſti.*

Conſulis] Pro eo rogantis, vel L. Caeſaris, vel C. Figuli. hi enim ante Ciceronem et Antonium conſulatum geſſere. quaeſtorem autem Cicerone conſule Vatinium fuiſſe, indicant ea, quae ſequuntur.

Extremum] Extremo loco, poſt ceteros omnes, vltimum e quaeſtoribus deſignatum. erant autem lege Sullae quaeſtores viginti: cum octo antea fuiſſent. Tacitus lib. XI. Annal. c. 22.

Magno clamore] Credo propter lucrum, quod ex ea prouincia maximum capiebatur.

Aquaria prouincia] Puteoli: vt praeeſſes iis mercibus, quae Puteolos nauibus aduehuntur, aurum autem exportari, argentumque prohiberes.

Sorte obtigiſſet] Quaeſtores deſignati, quid quisque vel in vrbe, vel extra in magiſtratu curaret, ſortiebantur.

Prohiberes] Ne exhauriretur Italia, ſed merces cum mercibus permutarentur. quod nunc Hiſpaniarum rex et in Hiſpania, et in regno Neapolitano ſeruari iubet.

Portitorem] Publicani, vel *aratores*, ſi agros conducebant, vel *pecuarii*, ſi paſcua, vel *portitores*, ſi portuum vectigal, vocabantur.

Partiendas] Vt partem tibi retineres: quod portitores faciunt vectigalis publici nomine.

Vlteriorem Hiſpaniam] Quae Luſitania dicebatur.

C. Coſconio proconſule] Poſt praeturam, nam conſul non fuit. Alter C. Coſconius infra c. 7. nominatur, Vatinii collega in tribunatu, iudex in cauſſa Sextii.

Certa ſit ratio nauigandi] Per loca certa, recto curſu. quam tu rationem non ſeruaſti.

In regno Hiempſalis] In Mauritania. Hiempſal Iubae pater fuit,

ſuit, qui ciuili bello contra Caeſarem pugnauit.

Ad fretum] Gaditanum, vt inde in vlteriorem Hiſpaniam traiiceres.

Cum clariſſimorum virorum ſplendore] C. Caeſarem ſignificat: quo conſule tribunus plebis Vatinius fuit: et, vt ſua flagitia ſceleraque excuſaret, eo ſe auctore, quaecumque egerat, egiſſe dicebat. propterea cauet Cicero diligenter, et hic, et infra, vt ita Vatinium reprehendat, ne Caeſarem, Pompeii, optime de ſe meriti, ſocerum, praeterea hoc tempore ſibi amiciſſimum, offendat.

Ex tuis tenebris extraham] Patefaciam te, et oſtendam qui ſis: hac mea interrogatione Caeſaris dignitatem non attingam, ex tuis tenebris extraham te, ne quis te ignoret. *Tenebras* appellat Vatinii, vt eas cum Caeſaris dignitate quaſi contrarium contrario conferat.

CAPVT VI.

A diis immortalibus principia ducuntur] A quibus ego quoque, cum te de tuo tribunatu interrogabo, principium ducam, a te quaerens, cur auſpicia et augures, diuinae voluntatis interpretes, contemſeris.

Praetendere] Vt obtegantur.

Sacra] Tamquam Pythagorea.

Mactare] Placare. quo tamen ſenſu nusquam praeterea memini me legiſſe.

Auſpicia] Vel augurum, vel magiſtratuum. vtrique enim auſpicia habebant, ſed magiſtratus impediendi tantum cauſſa, augures etiam comprobandi. in quo illud eſt animaduertendum, *ſeruare de caelo*, non de auguribus dici, ſed de magiſtratibus. itaque quod ſequitur, *quod eo die ſcires de caelo eſſe ſeruatum*, de Bibulo dicitur, tamquam conſule, non tamquam augure. eum porro ſeruaſſe de caelo, vt Vatinii Caeſarisque legibus obſiſteret, eiusque auſpicia contemta eſſe, docet Suetonius in Iulio c. 20. et omnis hiſtoria. ſubiungitur et illud, tres tribunos plebis de caelo ſeruantes, a Vatinio, tamquam priuatos homines, eſſe contemtos.

Concilium] Populum non vocat, ſed concilium, quaſi partem populi. patricios enim aduocandi ius non habet tribunus plebis. populum autem aduocat, non concilium: quia licet ei pro ſummo imperio Quirites omnes aduocare.

Hic locus vnus eſt] Ob inimicitias, quas in conſulatu Caeſar cum Bibulo collega maximis contentionibus exercuit.

Ne qua ex tua ſumma indignitate labes illius dignitati adſperſa videatur] Dicit idem ſupra c. 5. aliis verbis: *Ne tuas ſordes cum clariſſimorum virorum ſplendore permiſceas.*

Quod facit Caeſar] Non recuſare ſe Caeſar dixit, quo minus ea, quae geſſerat in conſulatu, quae ſciret a nonnullis improbari, a ſenatu iudicarentur: cum et Pompeii generi, et L. Piſonis ſoceri, aliorumque praeterea, quos liberalitate ſua ſibi deuinxerat, opibus confideret. Suetonius c. 23.

Magnitudo contentionis] Maximarum rerum vehemens quoddam ſtudium.

Nobilitas] Ipſe in amitae ſuae Iuliae funebri laudatione originem

nem ſuae gentis ad Venerem retulit. Suetonius c. 6.

In illo viro] Si quid enim in conſulatu Caeſar geſſit, id conſecutae maximae res, ab eo geſtae, delere ex animis hominum debent.

CAPVT VII.

Priuatos] Ita eos contemnebas, quaſi de caelo ſeruarent non tribuni plebis, ſed priuati homines, quibus id non licet.

Praetextatos] Praetores, Cn. Domitium, et Q. Ancharium: vt in oratione pro Sextio c. 53.

Duos praetextatos ſedentes vides] Iudices in cauſſa Sextii. quod ſane miror, cum praeturam gererent, et praetores ſuo quisque muneri praeeſſet. Aut, *praetextatos ſedentes vides*, in ſenatu.

Praetextam togam] *Togam*, fortaſſe abundat.

Vendidiſſe] Cum aedilitatem adipiſci non potueris, qui tamen infra praeturam honor eſt. ſubaudiri videtur, *ſcis*. nam nec ad, *vides*, referri poteſt, *vendidiſſe*, nec ad, *ſcis*, quod ſequitur, omnino disiunctum a ſuperioribus.

Tertium] Tertium nominat C. Fannium in ea pro Sextio c. 53.

Obſeſſo] Cum erepta nouem collegis tuis libertas eſſet, nemo legem ferre, aut ferenti tibi obſiſtere, aut denique pro ſuo ſenſu agere quidquam poſſet. infra.

Conſularem auctoritatem] Quid hoc ſit, nulla docet hiſtoria: ſuſpicari tamen licet, Fannio commiſſam a ſenatu rei maximae curam, quae committenda conſulibus videretur.

Partim plane tecum ſentiebant] In ea pro Sextio c. 53. populares tribunos plebis duos tantum ex eo collegio fuiſſe dicit: neutrum nominat, ſed Vatinium ſatis aperte deſcribit. itaque cum eo tantum vnus plane ſenſit: quamquam hic ſignificari plures videantur.

Omnes] Omnes nouem collegae tui. ſequitur enim: *Num quis ex toto collegio legem ſit auſus ferre.*

Aedilicium] Aedilis fuerat anno ſuperiore, Lentulo et Metello coſſ. nam ſi aedilitatem hoc anno gereret, *aedilis*, non *aedilicius*, ex Latini ſermonis conſuetudine vocaretur.

Legem ſit auſus ferre] Non auſi ſunt, Vatinio de caelo ſeruante: cum ille tamen, ipſis de caelo ſeruantibus, quascumque voluit, leges contemtis auſpiciis tulerit. ideo ſequitur: *Quae tanta in te fuit audacia.*

Seruatum eſſe de caelo] Non a tribus modo tribunis plebis, verum etiam a Bibulo conſule: quorum aeque omnium auſpicia contemſit Vatinius.

Lex Aelia, et Fufia] Vna de ſeruandis auſpiciis, altera de diebus comitialibus, id eſt, ne omnibus faſtis diebus legem ferri liceret.

Praeter te] Qui nec auſpiciorum, nec dierum rationem vllam habuiſti.

Sedentibus in templo] Caſtoris, in quo lege lata Clodius legem Aeliam Fuſiamque ſuſtulit. vnde illa pro Sextio c. 15. *Iisdem conſulibus ſedentibus, atque inſpectantibus, lata lex eſt, ne auſpicia valerent.* Ibidem: *Iisdem conſulibus arma in templum Caſtoris palam comportabantur: gradus*

gradus eiusdem templi tollebantur. In ea vero poſt red. in ſen. c. 5. *Quo inſpectante, ac ſedente, legem tribunus plebis tulit, ne auſpiciis obtemperaretur: ne obnunciare concilio, aut comitiis, ne legi intercedere liceret: vt lex Aelia et Fuſia ne valerent.*

Duobus non conſulibus] Piſone, et Gabinio.

Conflagrauerunt] Sublatae ſunt, lege lata a Clodio contra auſpicia, et interceſſiones.

CAPVT VIII.

Nemo ſit, qui te vllo cruciatu eſſe dignum (Ern. *indignum*) *putet*] *Indignum* repoſui, et ex ſententia, et ex antiquis libris.

Regno] Tribunatu plebis.

Nam cupis id audire] Gloriae cauſſa, quaſi regnaueris in tribunatu.

Q. Metelli] Celeris, qui, Caeſare et Bibulo coſſ. gerente tribunatum Vatinio, deceſſit. lib. II. ad Attic. epiſt. 5.

Quia tu ſemper ſic egiſſes] Quia toto tribunatu tuo auſpicia contemſiſſes.

CAPVT IX.

Nusquam progredientem] Facete. nam cum laudare videatur Bibuli modeſtiam, notat illud tempus, cum per vim foro pulſus, armorum metu domi ſe tenuit. infra c. 10.

Animo] Nam contra vim agere nihil poterat.

A tabula Valeria] Locus in foro.

Sublato auxilio] Quod ei tuliſſent reliqui tribuni plebis.

Nomine C. Caeſaris, clementiſſimi atque optimi viri] Tanti ſceleris culpam auertit a Caeſare, clementiae, ac bonitatis laude.

Scelere vero, atque audacia tua] Cum tamen C. Caeſaris nomine abutereris. Haec in vnum Vatinium Cicero, Caeſarem non attingens, confert: ſed ea Caeſari Suetonius c. 20. tribuit his verbis: *Lege agraria promulgata, obnunciantem collegam armis foro expulit. Ac poſtero die in ſenatu conqueſtum, nec quoquam reperto, qui ſuper tali conſternatione referre, aut cenſere aliquid auderet, qualia multa ſaepe in leuioribus turbis decreta erant, in eam coegit deſperationem, vt, quoad poteſtate abiret, domo abditus, nihil aliud, quam per edicta, obnunciaret.*

In Gracchorum ferocitate, et in audacia Saturnini, et in colluvione Druſi] Quales in republica tribuni plebis fuerint, qui a Cicerone nominantur, quia ſatis plane vulgatae loquuntur hiſtoriae, non conteram tempus in re nota, tantum dicam, duos Druſos patrem, et filium, tribunos plebis fuiſſe, hic filium ſignificari, qui poſt Saturninum fuit: nam pater cum C. Graccho tribunatum geſſit. *Colluuione:* quia ciuitatem ſociis et Latinis daturum ſe pollicitus eſt. quae colluuio quaedam fuiſſet. id cum fruſtra conaretur, domi ſuae a neſcio quo eſt interfectus.

Sulpicii] Hic eſt, quem Cicero loquentem inducit in libro de Oratore. Ciuili bello partes Marii ſecutus, cum tribunus plebis de Mithridatico bello a Sulla, cui mandatum fuerat, ad Marium transferendo legem tuliſſet, Sulla victore caeſus eſt.

Conſulem morti obieceris] Supra: *Cum M. Bibulum conſulem non*

non in carcerem, ſed ad ſupplicium, et ad necem duceres.

Tua rogatione] Vt quaereretur in eos, quos Vettius nominaſſet. quam rogationem promulgauit, non tulit, omnium mortalium conuicio repudiatam.

CAPVT X.

Cum L. Vettium] Multa Vatinio cum Caeſare communia fuerunt: ſed, vt dixi iam, in Vatinium Cicero, Caeſari parcens, omnia coniicit. Hic eſt ille L. Vettius, qui Caeſarem praetorem inter Catilinae ſocios nominauit. Sed Caeſar, implorato Ciceronis teſtimonio, ad quem vltro quaedam de coniuratione detulerat, indicio Vettii refutato, coniecit eum in carcerem. Suetonius in Iulio c. 17. De hoc autem poſteriore indicio ſic lib. II. ad Attic. epiſt. 24. *Vettius ille, ille noſter index, Caeſari, vt perſpicimus, pollicitus eſt, ſeſe curaturum, vt in aliquam ſuſpicionem facinoris Curio filius adduceretur.* In eadem: *Poſtero die Caeſar, is, qui olim, praetor cum eſſet, Q. Catulum ex inferiore loco iuſſerat dicere, Vettium in Roſtra produxit; eumque in eo loco conſtituit, quo Bibulo conſuli adſpirare non liceret. Hic ille omnia, quae voluit, dixit, vt qui illuc factus inſtitutusque veniſſet.* Quibus verbis culpam Vettiani criminis Caeſari potius, quam Vatinio, hic tamen, temporis videlicet cauſſa, oratorio more, Vatinio, non Caeſari, adſcribit.

Auctoritatis exquirendae cauſſa] Ante quam lex ferretur, clari viri, a tribuno plebis, qui rogationem laturus erat, in Roſtra producti, rogatique vt dicerent, quid ſentirent, ſuadebant, diſſuadebantue legem. Cum igitur auctores populo eſſent, vt rogationem acciperet, vel antiquaret: recte Cicero dixit, *auctoritatis exquirendae cauſſa.*

In concione tua] A te vocata.

Spoliaueras conſulatu] Quia, foro pulſus, domi incluſus, nihil agebat vt conſul, ſolus Caeſar omnia. vnde illi verſus apud Suetonium in Iulio c. 20.

Non Bibulo quidquam nuper, ſed Caeſare factum eſt:
Nam Bibulo fieri conſule nil memini.

L. Domitium] Ahenobarbum, qui praetor de Caeſaris actis retulit ad ſenatum. Erant hi maxime quattuor, hactenus nominati, Caeſaris inimici, Bibulus, Lucullus, Curio, Domitius.

Praeſtringebat, credo, oculos Vatinii] Ironia. Non tu, inquit, ei propter dignitatem, et ſplendorem inuidebas, ſed partim oderas propter commune odium in bonos, partim timebas propter ſpem, quae de illo eſt, atque erat.

Competitor] In conſulatu. Caeſari enim, et Bibulo ſucceſſere conſules Gabinius, et Piſo.

Qui ſi tum illam labem, peſtemque viciſſet] Si, Gabinio reiecto, conſul deſignatus eſſet.

Tuo ſcelere] Quia tu Gabinium in conſularibus comitiis adiuuiſti.

Respublica victa non eſſet] Ego lege Clodia eiectus non eſſem, conſulibus Gabinio, et Piſone Clodium adiuuantibus. mecum autem ſimul victa reſpublica eſt.

L. Paullum] Qui conſul fuit cum C. Marcello.

Qui

Qui tum quaeſtor Macedoniam obtinebat] Quo mendacium Vettii, qui de abſente tamquam praeſente locutus eſſet, patefactum eſt. lib. II. ad Attic. epiſt. 24. *Maxime in eo Vettius eſt repre-henſus, quod dixerat, adoleſcentum conſilium, vt in foro cum gladiatoribus Gabinii Pompeium adorirentur: in eo principem Paullum fuiſſe; quem conſtabat eo tempore in Macedonia fuiſſe.*

Legibus exterminarat] Accuſauerat eos, et damnauerat.

Seiungendum non putaris] Ciceronem tamen Vettius non nominauit, ſed deſcripſit. epiſt. eadem: *Me non nominauit, ſed dixit, conſularem diſertum, vicinum conſulis, ſibi dixiſſe, Ahalam Seruilium aliquem, aut Brutum opus eſſe reperiri.*

CAPVT XI.

Reuocares] In eadem epiſt. ſic eſt: *Addidit ad extremum, cum, iam dimiſſa concione, reuocatus a Vatinio fuiſſet, ſe audiſſe a Curione, his de rebus conſcium eſſe Piſonem, generum meum, et M. Laterenſem.*

C. Piſonem] Hic primus, Craſſipes ſecundus, tertius Dolabella, qui diuortium fecit, Ciceronis gener fuit.

Pietate] Erga ſuos, ipſumque maxime Ciceronem, quo tempore exſulauit.

Reliquit neminem] Perierat enim exſulante Cicerone.

M. Laterenſem] Iuuentiae gentis, ciuem optimum, qui cum lex Caeſaris agraria exſecrationem haberet in coitione candidatorum, ſi mentionem feciſſent, quo aliter ager Campanus poſſideretur, atque vt ex legibus Iuliis; cumque ceteri candidati iurare non deſiſterent; ipſe tribunatum plebis petere deſtitit, ne iuraret.

Promulgariſne quaeſtionem] Legem ferre cogitaris, vt in eos, quos Vettius nominauerat, quaereretur.

In te ipſum] Qui quaeſtionem in alios promulgaueras.

Crebro vſurpas] Ad gloriam tuam.

De alternis conſiliis reiiciendis] Non, vt ſinguli quinos iudices reus, et accuſator reiiceret: quod fieri ſolitum, docet Pedianus in orat. pro Milone c. 35. ſed vt vel totum conſilium, id eſt, omnes iudices vterque ſemel poſſet reiicere. quam legem vt aequam probat Cicero, quia ſubiungit: *Vt omnes intelligant, te ne recte quidem facere ſine ſcelere potuiſſe.*

Exſpectariſne, dum C. Antonius reus fieret] In lege ſcriptum erat, *quicumque poſthac reus fiet.* reus igitur factus ante, quam lex ferretur, C. Antonius, caruit beneficio legis. ita, quam legem Vatinius pro reis maxime, miſericordiae nomine, promulgauerat, eam ad crudelitatis tempus distulit. Hic eſt C. Antonius, qui cum Cicerone conſul fuerat, poſt conſulatum autem Macedoniae praefuit: ex qua de repetundis accuſatus eſt a Q. Maximo.

Cn. Lentulum, et Q. Claudium (Ern. *Cn. Lentulum Clodianum*)] Praetores: quorum alter de repetundis, alter de maieſtate quaerebat: quibus criminibus reus factus eſt C. Antonius, de maieſtate, tamquam conſcius et particeps Catilinae fuiſſet, accuſante M. Coelio: quod oſtendunt illa verba in oratione pro ipſo Coelio habita

habita c. 31. *Accuſauit C. Antonium, collegam meum: cui miſero praeclari in rempublicam beneficii memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficii cogitati.* Et illa in eadem c. 32. *Neque enim poteſt, qui hominem conſularem, quod ab eo rempublicam violatam diceret, in iudicium vocarit, ipſe eſſe in republica ciuis turbulentus.* Idemque lib. XXXVIII. confirmat Dio. Eo crimine damnatum Antonium, inde perſpicitur, quod ait Cicero: *Nocuit opinio maleficii cogitati.* Alter Antonii accuſator fuit Q. Maximus: quod illa declarant: *Dices, familiaritatem tibi fuiſſe cum Q. Maximo.* Accuſaſſe autem de repetundis, ob pecunias contra leges captas in Macedonia, quam proconſul adminiſtrauit, ex lib. I. ad Attic. epiſt. 12. videor affirmare poſſe. haec enim in ea ſunt: *De eo mihi Valerius interpres nunciat, Chiliusque ſe audiſſe ſcribit haec; eſſe hominem cum Antonio: Antonium porro in cogendis pecuniis dictitare, partem mihi quaeri, et a me cuſtodem communis quaeſtus libertum eſſe miſſum.* Et hoc crimine damnatum eſſe Antonium, ſatis indicant ea, quae ſequuntur. Hic eſt, vt opinor, Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus: qui cum hoc anno conſul fuerit, vt ex oratione pro Sextio c. 44. aliis praeterea locis conſtat, praeturam geſſiſſe ante biennium videtur, Vatinio tribuno plebis, Caeſare, et Bibulo coſſ. biennium autem inter praeturam et conſulatum legitimum fuiſſe interuallum, ita ſaepe docuimus, vt vel pueri iam ſciant.

In eum] Non in quemquam innominatim, ſed in omnes, qui poſt legem rei facti eſſent.

Cum Q. Maximo] Q. Fabio Maximo, qui conſul poſtea fuit cum C. Trebonio.

Quaeſitore] Altero eorum, qui ſupra nominati ſunt, vel Cn. Lentulo, vel Q. Claudio: qui cum eſſent praetores, de publicis criminibus quaerebant.

Commodiorem inimico ſuo contentionem (Ern. *conditionem*) *reiectionis dare noluiſſe*] Cum videret legem Vatinii pro reis eſſe, (promulgata enim oculis omnium patebat) exſpectare, dum ea ferretur, noluit: ſed ſtatim Antonium reum fecit. ita non potuit Antonius in reiiciendo conſilio vti beneficio legis, quae in eos erat, qui poſt eam latam eſſent accuſati. *Contentionem: conditionem*, eſſet apertius. aut, *contentionem*, dic, quae erat inter accuſatorem, et reum de reiiciendis iudicibus: cum iidem vtrique non placerent. Prior autem reiiciebat reus, deinde accuſator. propterea Vatinii lex miſericordiae cauſſa pro reis lata videbatur. in qua tamen miſericordia crudelis in Antonium Vatinius fuit.

Paullis, Maximis, Africanis] A quibus originem ducit: a L. Aemilio Paullo, qui de Macedonia deuicta, Perſeque rege capto triumphauit; quia filium Q. Fabio Maximo, Verrucoſſi filio, adoptandum dedit: a quo Paulli filio prognatus eſt hic Antonii accuſator. A Q. Fabio Maximo, qui et patris, et aui, et ſua virtute inſignis, adoptauit, vt dixi, Paulli filium. Ab Africano minore, quia filius et ipſe naturalis Paulli fuit, et ab Africani minoris filio eſt adoptatus.

Miſeriam ſuam] Exſilii calamitatem.

Fratriſque filiam] Sororem, vt opinor M. Antonii, poſtea triumuiri, Vatinio nuptam ſignificat. Nam pater M. Antonii frater C. Antonii fuit, vterque M. Antonii oratoris filius. Opinionem noſtram confirmat illud infra c. 12. *Cum tu ei contumelioſiſſime toties male dicas, quoties illi affinem te eſſe dicis.* Nam affinitatem inter Vatinium, et Caeſarem ex eo contractam puto, quia M. Antonii mater erat Iulia, L. Caeſaris ſoror.

In carcere] Carcerem appellat Vatinii domum, in quam Antoniorum imagines, ducta Antonia, Vatinius transtulit, ademtas fortaſſe C. Antonio poſt damnationem.

CAPVT XII.

Feceriſne foedera] Vnde tibi tantas diuitias comparaſti.

Erogariſne pecunias ex aerario tuis legibus] Vt ager Campanus publica pecunia emeretur. Infra c. 15. *Eripueras ſenatui prouinciae decernendi poteſtatem, imperatoris deligendi iudicium, aerarii diſpenſationem.*

Partes] Munus, curationem, diſpenſationem aerarii, quae ad Caeſarem conſulem, qui de diuidendo agro Campano legem tulerat, pertinebat.

Illo tempore cariſſimas] Erat enim tunc ſumma pecuniae difficultas.

A publicanis] Tota illa pecuniae publicae curatio, agris emendis aſſignata, aut Caeſaris eſſe debuit, qui legem agrariam tulit, aut publicanorum, quos idem Caeſar conſul, petentes vt induceretur locatio, quia nimium magno conduxiſſent, tertia mercedum parte lege lata releuauerat.

Lata eſt] A Caeſare conſule.

De pecuniis repetundis acerrima] Caeſar ſua lege poenas grauiſſimas irrogabat iis, qui pecunias iniuſte cepiſſent: at tu illo ipſo anno, vt eam contemni a te legem oſtenderes, ex pauperrimo diues factus es.

Noſtra acta] Quem non tam admiror, quod meam legem contemnat, hominis inimici, quam quod ſtatuit omnino legem conſularem nullam putare. Aciliam, Didiam, Liciniam, Iuniam contemſit: etiam ne eius, quem ſua lege, et ſuo beneficio ornatum, munitum, armatum ſolet gloriari, C. Caeſaris legem de pecuniis repetundis non putat eſſe legem.

Noſtra acta] Quae ego conſul egi.

Quos tyrannos vocas] Ob ciues Romanos in carcere necatos.

Affinem] Affinitatis cauſſam ſupra oſtendi.

In epulo Q. Arrii] Epulum populo dedit, ad honorem patris mortui, in templo Caſtoris: vt infra c. 13.

Cum toga pulla] Cum ceteri accumberent albati.

Supplicationes te illas non probaſſe] Quia decretae eſſent a ſenatu, referente, vt opinor, Bibulo conſule. Epulum enim publicum ſine ſacrificio non dabatur, nec ſine ſupplicatione ſacrificium erat. feſtus autem et ſupplicationis, et epuli dies. atque ex hoc loco perſpicuum fit, non ſolum pro re in bello proſpere geſta, ſed in honeſtandis etiam funeribus ſupplicationes a ſenatu decerni ſolitas, verum in re bellica plurium dierum, in funeribus

bus vnius tantum diei, quo epulum daretur. Decretas autem a ſenatu, quas Vatinius non probabat, conſtat ex eo, quod ſequitur: *Videsne me nihil de anni illius cauſſa, nihil de eo, quod tibi cum ſummis viris commune eſſe videatur, ſed de tuis propriis ſceleribus ex te quaerere?*

Cum ſummis viris] Cum Caeſare.

CAPVT XIII.

De balneis exeunti] Ergo a balneis ad cenam ibant. quod etiam cognoſcitur ex lib. XIII. ad Attic. epiſt. vlt.

In templum Caſtoris] Opinor magiſtratus, et ſenatores, aut etiam equites Romanos in templo, reliquam plebem in foro cenaſſe.

Inter coaeuos (Ern. *coquos*) *fueras*] Rectius, *interfueras?* vt eſt in quinque antiquis libris, vno Octauiani Ferrarii, altero Franciſci Cicerini, tertio Cardinalis Borromei, quarto Fuluii Vrſini, quinto Maſeiorum. nam Ciceroni propoſitum eſt, non vt Vatinium inter coaeuos fuiſſe, ſed vt epulo interfuiſſe dicat. apteque ac lepide coniunguntur: *Numquam epulum videras? numquam interfueras?*

Fauſti] L. Sullae dictatoris filii.

Paullo ante] Anno proximo ſuperiore, id eſt, Celere, et Afranio coſſ. quo anno epulum populo, et munus gladiatorium Fauſtus dedit, ad memoriam patris mortui decorandam. Dio lib. XXXVI.

Dominum] Aut ſubaudiendum, aut addendum, *videras:* vt ſit ordo: *Viderasne dominum epuli, et eius amicos cum toga pulla ante conuiuium*, id eſt, qui cum toga pulla accumberet ante oculos epulantis populi Romani?

CAPVT XIV.

Dicere non licebit] Quia nunc illud ex te quaero, quod priuatus admiſiſti: tibi autem ſi qua fuit cum Caeſare coniunctio, in tuo tribunatu fuit.

Lege Licinia, et Iunia] Sic enim lego, non *Iulia.* ſic etiam nominantur lib. II. ad Attic. epiſt. 9. et lib. IV. epiſt. 16. Tulerunt has leges L. Licinius Murena, D. Iunius Silanus coſſ. graui poena in eos irrogata, qui, non ſeruato promulgationis legitimo tempore, (id erat trinundinum) leges tuliſſent. qua de re ſic in Antonium Phil. V. c. 3. *Vbi promulgatio trinundinum? vbi poenae recenti lege Iunia, et Licinia?* Vatinius igitur, quia ſuas leges, nulla legitimi temporis ratione habita, protulerat, ideo lege Licinia, et Iunia poſtulatus eſt.

C. Memmius praetor] Caeſaris inimicus, de cuius etiam actis retulit ad ſenatum. is poſtea cum peteret conſulatum, de ambitu damnatus, Athenas exſulatum abiit. exſtant ad eum ſcriptae epiſtolae duae primae lib. XIII. Fam. Alter fuit C. Memmius, qui Gabinium de repetundis, eoque damnato, C. Rabirium Poſtumum accuſauit: de quo diximus in ea, quae exſtat, pro Poſtumo Ciceronis oratione c. 3.

Abs te eſſe quaeſitum] Lepide, et argute. Nihil ego in te dicam, Vatini: abs te quaeram. inde nomen interrogationis haec oratio ſumſit.

Nullum onus] Non in te loquar, vt teſtis, neque te arguam, ſed rogabo.

Ex eodem iſto loco] In iudicio. breui enim te accuſabo: nunc te tantum interrogo.

Quaeſitoris] C. Memmii praetoris.

Subſellia] Iudicum.

Vrnas] Quibus tabellae iudicum ſeruabantur.

Iudices quaeſtionum] Qui iudiciis praeeſſent, vel praetores, vel priuatos. de quo diximus alio loco.

Ex legatione] Legatus cum Caeſare in Galliam iuit: deinde, accuſatus lege Licinia et Iunia, ne iudicium iure legationis defugiſſe videretur, in vrbem rediit.

Liceret] Iure legationis. nam qui reipublicae cauſa abeſſet, eum ne vocare in iudicium liceret, Memmia lege ſancitum erat. Valerius Max. lib. III. c. 7.

Appellatione] Tribunorum plebis.

Auxilium nefarium] P. Clodii tribuni plebis, qui iudicium ſuſtulit, cum iure, more, poteſtate non poſſet. ſupra.

CAPVT XV.

Tua lege] Inter leges Vatinii, quas tulit inuito ſenatu, ea fuit, vt legatos non ſenatus, vt antea, ſed populus deligeret.

Prouinciae decernendi (Ern. *decernendae*) *poteſtatem*] Quia Galliam Ciſalpinam cum Illyrico, tribusque legionibus ſua lege Caeſari tradidit. Suetonius, Plutarchus, Dio. *Prouinciae decernendi*, pro, decernendae, antiquo more. Terentius in Heaut. prol. v. 29. *Nouarum ſpectandi.* Et in Hec. act. III. ſc. 3. v. 12. *Eius videndi:* cum de muliere loquatur. Donatus.

Imperatoris deligendi] Qui legionibus praeeſſet. delegit autem Caeſarem eadem lege.

Aerarii diſpenſationem] Supra c. 12. *Erogarisne pecunias ex aerario tuis legibus?* Eam pecuniam in emtionem agri Campani, lege Caeſaris, erogari oportebat. id pertinebat ad ſenatum: ſed Vatinius, nulla ſenatus ratione habita, eam ipſe, ex aerario ſumtam, arbitratu ſuo adminiſtrauit.

Vt populus deligeret imperatorem] Delegit populus Gabinia lege Pompeium imperatorem bello piratico, diſſuadentibus optimatibus, vt ait Velleius lib. II. c. 31. cum Trebellius quoque tribunus plebis intercedere conaretur: nam ſenatui promiſerat, vt in Pediano in Cornel. legimus, moriturum ſe ante, quam lex illa perferretur. eundem bello Mithridatico, Manilia lege, contra voluntatem optimatum populus delegit. Plutarchus, Appianus, Dio.

Quis legatos vmquam audiuit ſine ſenatus conſulto] Qua lege Vatinius citeriorem Galliam Caeſari, eadem ei legendorum legatorum poteſtatem dedit.

Continuo] Anno ſequenti.

In duobus prodigiis reipublicae] In Piſone et Gabinio coſſ. quibus et prouincias, et legatos lege ſua Clodius dedit.

Legem de ambitu] Quae ad veterem poenam addebat decem annorum exſilium. Dio lib. XXXVII.

Sine vi] Commemorat ea, quae ſeruauit ipſe in ferenda lege de ambitu, cui non parebat Vatinius: cum ipſe pareret iis legibus,

gibus, quas Vatinius per vim, contra auſpicia, contemta lege Aelia et Fuſia, tulerat.

Biennio, quo quis petat, petiturusue ſit] Pro Sextio c. 64. dicit haec in Vatinium: *Acta mea ſibi ait diſplicere, quis neſcit? qui legem eam contemnat, quae dilucide vetat, gladiatores biennio, quo quis petierit, aut petiturus ſit, dare?* Id autem Cicero fecit eo conſilio, quia gladiatores dabantur, vt eo munere populus delenitus faueret iis, qui dediſſent, in petitione magiſtratuum.

Niſi ex teſtamento] Niſi moriens aliquis teſtamento mandaſſet, vti certo quodam tempore gladiatores darentur. qua ratione haerere in eo culpa non poterat, qui petens, aut breui petiturus magiſtratum, eos ex teſtamento daret.

Petitione] Non aedilitatis, quam cum antea peteret, adeptus non erat, (ideo ſupra c. 7. dictum eſt, *te aedilicianı praetextam, quam fruſtra confeceras, vendidiſſe*) verum praeturae, quam petebat hoc anno, ſed obtinuit anno ſequenti, fauentibus ei conſulibus ex interregno creatis Pompeio et Craſſo. Plutarchus, Appianus, Dio.

Illius tui] Clodii tribuni plebis, qui, Vatinio apud Memmium praetorem accuſato, iudicium per vim ſuſtulit.

Tribum Sergiam] Vatinii tribum, in qua Marſi, et Peligni ſuffragium ferebant. pro Sextio c. 53. *Tribum ſuam non tulit: Palatinam denique perdidit.*

CAPVT XVI.

C. Alſium praeteritum] Is tamen praeturam poſtea geſſit, Appio Pulchro, Domitio Ahenobarbo coſſ. vt lib. III. ad Q. Fr. epiſt. 1.

Strumae] Quibus Vatinius laborare ſolitus erat.

Ab ore improbo demigrarunt] Intelligitur, non laborare ſtrumis Vatinium hoc tempore. vnde Cicero, in acerbiſſima reprehenſione, iocandi locum cepit: quaſi ſtrumas ipſas puduerit in ore improbo amplius habitare.

Collocarunt] Diſceſſiſſe quidem ab ore ſtrumas dicit, ſed in alia ſe corporis parte collocaſſe.

Gratius facere poſſis] Quam mori. Ioci genus. Popularis eſſe vis: debes igitur exoptanti mortem tuam populo gratificari.

De ipſa cauſſa] P. Sextii, in qua teſtimonium Vatinius dixerat. nam etſi de Milone, non de Sextio, ſtatim ſubiungitur: tamen id pertinet ad Sextium: vt in eo Vatinii leuitas et inconſtantia pateat, qui Milonem laudet, Sextium oppugnet: cum in republica adminiſtranda Miloni cum Sextio conſiliorum omnium ſocietas fuerit. huc ſpectat illa concluſio: *Quaero, qui poſſis eos, quos crimine coniungis, teſtimonio disiungere?* Quod autem Vatinius in teſtimonio, idem faciebat in accuſatione Sextii Albinouanus. cui Cicero in oratione pro Sextio c. 42. reſpondens, *quo modo*, inquit, *hoc in genere praeſidii comparati accuſas Sextium, cum idem laudes Milonem?*

CAPVT XVII.

Taeterrima furia] P. Clodio, aedilitatem hoc anno gerente, et Milonem ad populum de vi accuſante. pro Sextio c. 44. *Nam quid ego de aedili ipſo loquar, qui etiam*

etiam diem dixit, et accuſauit de vi Milonem? lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 3.

Ad tales viros] Iudices in cauſſa Sextii.

Improborum] Clodium et Albinouanum ſignificat: quorum ille Milonem de vi, hic Sextium eodem crimine accuſabat.

Alter] Milo.

Ab eo] A P. Clodio.

Quem tu vnum improbiorem eſſe, quam te, nonnumquam (Ern. *numquam*) *ſoles confiteri*] Similis argutia in orat. de Prou. c. 5. *Piſo gloriatur, ſe breui tempore perfeciſſe, ne C. Gabinius, vnus omnium nequiſſimus exiſtimaretur.* Par concinnitas Phil. II. c. 7. in iis verbis: *Quem, quia iure ei fui inimicus, doleo a te iam omnibus vitiis eſſe ſuperatum.*

Alter] Sextius.

Tuis conſiliis] Tu enim Albinouanum ad accuſandum impuliſti.

Illo adiuuante] Clodio.

Eos, quos crimine coniungis] Milonem et Sextium: cum Milonem laudes, in Sextium teſtimonium dicas.

De praeuaricatione] Prima Vatinii inconſtantia, qui reprehenderit Albinouanum, vt praeuaricatorem, cum tamen Sextium diceret *non oportuiſſe de vi reum fieri:* ſecunda in eo: *cauſſam Milonis:* tertia, *quae pro me a Sextio facta ſint:* quarta, *dixerisne in eum teſtimonium de vi.*

A Sextio] Cum tribunus plebis de meo reditu omni ope contendit.

Ne quid tibi auctoritatis] Nemo conſulitur, niſi cui aliquid tribuatur: ei vero, qui teſtimonium dicat, cur quidquam tribuat defenſor eius, in quem dicitur? Iocatur igitur Cicero, cum ait: *ſi te in teſtimonio conſuli nolis:* cum ipſe ſit is, qui nolit eum conſulere, ne quid auctoritatis ei tribuiſſe videatur. Aliquid omnino, quo concludatur interrogatio, videtur deſiderari.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM
PRO
M. COELIO RVFO

ARGVMENTVM

M. Coelius Rufus, equitis Romani filius, cuius exſtat epiſtolarum liber ad Ciceronem, accuſatus de vi a Sempronio Atratino, a Cicerone defenditur apud Cn. Domitium Caluinum praetorem, Marcellino et Philippo coſſ. Ipſe quoque Coelius egit cauſſam ſuam, auctore Quinctiliano lib. II. c. 1. et Suetonio de clar. Rhet. c. 2.

EXPLANATIO

CAPVT I.

Eſſe legem] A Q. Lutatio Catulo de vi latam.

Quotidie quaeri] Non modo quotidie, nulla feſtorum dierum, ludorumue publicorum ratione habita, ſed etiam extra ordinem, id eſt, ante alias cauſſas. Itaque Coelium accuſauit Atratinus, vt patrem ſuum, qui a Coelio in iudicium vocabatur, periculo liberaret. ſic accuſaſſe M. Tuccium de vi Sempronius Rufus dicitur in epiſt. Coelii lib. VIII. 8. eo conſilio, quod videbat, ſi extraordinarius nemo reus acceſſiſſet, ſibi eo anno cauſſam eſſe dicendam.

Illuſtri ingenio] Cuius cognita iam eloquentia erat ex accuſatione, et condemnatione C. Antonii, collegae Ciceronis in conſulatu.

Induſtria] Sine qua non cognoſcitur ingenium.

Et vocet, et vocarit] Atratini, accuſatoris ſui, patrem Coelius de ambitu accuſauerat: abſolutum iterum accuſauit. infra c. 7. *Nec, ſi ſibi ſemel periculum ambitus ſubeundum putaret, ipſe alterum iterum ambitus crimine arceſſeret.* Et poſt c. 23. *Herennium dicere audiſtis, verbo ſe moleſtum non futurum fuiſſe Coelio, niſi iterum eadem de re, ſuo familiari*

fa iliari abſoluto, nomen hic detuliſſet. Et in oratione prope vltima c. 31. *Nomen amici mei de ambitu detulit: quem abſolutum inſequitur, reuocat.* Et paullo poſt c. 32. *Non poteſt, qui ambitu ne abſolutum quidem patitur eſſe abſolutum, ipſe impune vmquam eſſe largitor.*

Opibus meretriciis] Clodiae, Publii ſororis, quae impudicitiae nomine peſſime audiebat. propterea vocatur infra c. 13. non modo *nobilis*, ſed etiam *nota.*

Deſcenſurum] De hoc verbo diximus in Diuin. c. 1. in eo loco, *ad accuſandum deſcendere.*

Libidine, et odio] In Clodiam.

Pietati tribuo] Qui voluerit accuſare accuſatorem patris ſui.

Iuſſus eſt] A patre.

Si ſperauit aliquid] Si ſperavit gloriam, more accuſantium. lib. II. de Offic. c. 14.

Pueritiae] Ex pueritia iam exceſſerat, cum in foro, ſumta virili toga, verſaretur. Sed, *pueritiae*, dixit Cicero, ad contemtum, pro, *adoleſcentiae.*

CAPVT II.

Deformandi huius cauſſa] Extra cauſſam: cuius generis multa ab accuſatoribus ſaepe dicuntur.

Parum ſplendidus] Proprie *ſplendor* eſt equeſtris ordinis, *dignitas* ſenatorii. ad equites tamen interdum dignitas transfertur. ideo ſequitur hic, *de dignitate Coelius ipſe reſpondeat.* et paullo poſt, *quaecumque in equite Romano dignitas eſſe poſſit.*

Coelius] Pater, qui aderat.

Notis] Qui eum nouerunt: in vtraque enim ſignificatione accipitur: vt ad Lucceium lib. V. Fam. epiſt. 12. *ignotis*, pro, iis, qui non nouerant.

Tacitus facile ipſe reſpondeat (Ern. *reſpondet*)] Quo modo tacitus reſpondeat? ipſo notorum, ac maiorum natu teſtimonio.

His iudicantibus] Nam tertia pars iudicum ex equeſtri ordine Aurelia lege conſtabat.

Nobis] Ipſe enim Cicero equitis Romani erat filius.

De pietate] Parum pie tractatum eſſe a filio.

In ampliſſimum ordinem] In decuriones.

Noſtri ordinis] Senatorii. multi enim ſenatores ex municipiis erant.

CAPVT III.

Vt eum poeniteat non deformem eſſe natum] Modeſte, *non deformem*, pro, formoſum. laudat hunc locum Gellius lib. XVII. c. 1.

Nomine (Ern. *hominem*) *vt notet*] Lib. II. de Orat. c. 30. *Factumne ſit, quaeratur, an, quale ſit, an, quod nomen habeat.*

Meum erga te parentemque tuum beneficium] Atratini patrem, vt arbitror, Cicero defenderat.

Tueri] Non debeo, quos beneficio affecerim, eosdem laedere.

Non ſine argumento] Deeſſe enim non poteſt, quod in eos dicatur, quorum ſpecies et forma liberalis eſt.

CAPVT IV.

Infeſtum eſt] Paſſiue, pro, infeſtatur: vt pro Amerino c. 11. *Filii vita infeſta.* Et de Prou. c. 2. *Via excurſionibus barbarorum infeſta.*

Cauſſam de pecuniis repetundis] Lib. I. ad Attic. epiſt. 16. *Bis abſolu-*

abſolutum eſſe Lentulum, bis Catilinam.

CAPVT V.

Ad cohibendum brachium toga] Brachium dextrum, ſumta virili toga: quod modeſtiae cauſſa fiebat.

Campeſtri] Non, *ludo campeſtri*, ſed, *campeſtri tunicati vteremur.* et hoc modeſtiae cauſſa. erat autem *campeſtre* veſtitus hiemalis, ſupra tunicam. vnde Horatius de re abſurda lib. I. epiſt. 11. v. 18.

Penula ſolſtitio, campeſtre nivalibus auris.

et Aſconius pro Scauro: *Cato praetor iudicium, quia aeſtate agebatur, ſine tunica exercuit, campeſtri ſub toga cinctus.*

Statim] Sumta virili toga.

Caſtrenſis ratio] Vt ſumma diligentia ſuſpicionem adoleſcentes impudicitiae vitarent.

Iam ſe corroborauiſſet] Infra c. 17. *aetas corroborata*, c. 18. *firmata aetate*, c. 30. *cum paullum roboris acceſſiſſet aetati.* et pro Sextio c. 4. *Recita, quaeſo, P. Sexti, quid decreuerint Capuae decuriones; vt iam puerilis tua vox poſſit aliquid ſignificare inimicis noſtris, quidnam, cum ſe corroborarit, effectura eſſe videatur.* Ad M. Brutum lib. XIII. Fam. epiſt. 10. *Cum primum M. Terentius in forum venit, ad amicitiam ſe meam contulit. Deinde, vt ſe corroborauit, duae cauſſae acceſſerunt, quae meam in illum beneuolentiam augerent.*

CAPVT VI.

Facilitatis] In moribus, in ſermone, et conſuetudine. ſupra: *Quis clarioribus viris quodam tempore iucundior?*

Patientia] Supra: *Quis in laboribus patientior?*

CAPVT VII.

Vulnus] Vitium. ſic Phil. XII. c. 1. *Noſſe aliquod eius vulnus, quod nobis ignotum eſſet, videbantur.*

Aut in re atque fortuna] Fieri enim non poteſt, vt de patriae quisquam exitio cogitet, niſi vel moribus, naturaque ſit improbus, vel domeſticis difficultatibus ad rerum nouitatem impellatur.

Coniurationis accuſatione] Accuſato C. Antonio, collega Ciceronis. infra c. 31.

De ambitu] In oratione accuſatorum adſperſa de ambitu quaedam erant.

Iſtius (Ern. *iſtis*)] Coelii.

Sodalium ac ſequeſtrium] In crimine ambitus.

Infinito] Cuius plurimos eſſe teſtes neceſſe eſt.

Alterum] Atratini accuſatoris patrem.

Iterum] Atratini patrem abſolutum iterum accuſauit. ſupra c. 1. *Adoleſcentem illuſtri ingenio, induſtria, gratia, accuſari ab eius filio, quem ipſe in iudicium et vocet, et vocarit.* Infra c. 31. *Nomen amici mei de ambitu detulit: quem abſolutum inſequitur, reuocat.*

Ne ſapienter, et me inuito] Infra c. 31. *Nemini noſtrum obtemperat: eſt violentior, quam vellem. Sed ego non loquor de ſapientia, quae non cadit in hanc aetatem: de impetu animi loquor, de cupiditate vincendi, de ardore mentis ad gloriam.*

Eſt eiusmodi cupidus (Ern. *cupidinis*)] Ita cupidus. parum vſitate: ſed alterum tamen lib. I. in

in Verr. c. 59. reperimus exemplum: *Quam tu viam*, inquit, *thenſarum, atque pompae eiusmodi exegiſti, vt tu ipſe illa ire non audeas.* Vbi Aſconius, *eiusmodi exegiſti*, interpretatur, *ſic exegiſti.*

Triginta millibus] Annuis. qui ſunt ſcutati nongenti.

Inſulam eſſe venalem] Nam ſi aediculárum Clodii locatio tanti aeſtimatur; in quo mendacium eſt; quia Coelius in iis habitat non triginta millibus, ſed decem millibus: quanti aeſtimabitur inſula eiusdem Clodii? mendacium igitur hoc accommodatum eſt Clodio, inſulam ſuam vendere cupienti. *Inſula* duplex eſt, maior, et minor: maior, aedes aliquot iunctae, viis vndique terminatae; qui et *vicus* dicitur: vnde Suetonius in Iulio c. 41. *Recenſum populi nec more, nec loco ſolito, ſed vicatim per dominos inſularum egit.* Minor, vna domus eſt, viarum ambitu ſinita. Eam domum, quod ex Plinio lib. XXXVI. c. 15. licet intelligere, Clodius emit H-S centies quadragies ſepties millibus, quae ſunt ſcutatorum millia quadringenta eoque amplius.

Ex reipublicae cauſſa] Accuſavit C. Antonium de maieſtate. infra c. 32. *Neque enim poteſt, qui hominem conſularem, quod ab eo rempublicam violatam diceret, in iudicium vocarit, ipſe eſſe in republica ciuis turbulentus.*

Mihi quidem moleſtam] Condemnatus eſt C. Antonius Cicerone defendente. pro domo c. 16.

Non magno] Decem millibus, id eſt, ſcutatis CCC.

CAPVT VIII.

M. Craſſus] Qui cauſſam hanc ante Ciceronem egerat.

Cum de aduentu regis Ptolemaei quereretur] Pulſus a ſuis ciuibus Ptolemaeus, rex Alexandrinus, Romam ſe contulit, vt a ſenatu, populoque Romano reſtitueretur. eodem tempore legati Alexandrini contra eum venerunt: quorum Ptolemaeus magnam partem per inſidias ſuſtulit, in iis principem legationis Dionem Academicum. Obiecerat autem accuſator, pulſatos eſſe a Coelio Puteolis Alexandrinos legatos. quam partem Craſſus cum refelleret, queſtus eſt de aduentu Ptolemaei. niſi enim veniſſet Romam, legati non veniſſent. ita pulſatio Puteolana non nominaretur. in quo vſurpauit illud Ennii: *Vtinam ne in nemore Pelio:* ita repetens longinquam cauſſam, vnde argumentum ſumſerunt accuſatores de pulſatione Puteolana, vt repetierat poeta cauſſam eius amoris, qui Medeam perdidit. Hos verſus ex Medea, Ennii tragoedia, recitat ſcriptor Rhet. ad Herennium lib. II. c. 22.

Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Caeſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes:
Neue inde nauis inchoandae exordium
Coepiſſet, quae nunc nominatur nomine
Argo: qua vecti Argiui delecti viri
Petebant illam pellem inauratam arietis
Colchis, imperio regis Peliae, per dolum.

Nam

Nam numquam hera errans mea domo efferret pedem
Medea, animo aegro, amore ſaeuo ſaucia.

Primos duos verſus effert Cicero lib. I. de Inuent. c. 49. et in Topicis c. 16. et lib. III. de Nat. deor. c. 30. et Priſcianus lib. VII. ex quo etiam illud intelligitur, legendum, *caeſa cecidiſſet abiegna*, non, vt lib. I. de Inuent. *caeſae cecidiſſent abiegnae.* Initium ab Euripide ſumſit Ennius. Graece enim ſic: Εἴθ' ὤφελ' ἀργοῦς, etc.

Hera errans mea (*mea* abeſt ab Ern.)] Transfert haec verba a Medea ad Clodiam.

Palatinam Medeam] Clodiam, in Palatio habitantem: quam feſtiue Cicero *Palatinam Medeam* vocat: quia Coelium Atratinus accuſator, vt in Fortunatiano legitur, pulchellum Iaſonem appellauerat. itaque ſtupri conſuetudo arguta ſimilitudine oſtenditur.

Migrationemque] Quod in Palatium migrauerit conducta domo. inde enim vicinae Clodiae natus eſt amor, et poſt amorem illa mala, quamquam falſa, quae nunc Coelio accuſatores obiiciunt, vt, quemadmodum poeta, longe petita malorum cauſa, dixit, *vtinam ne in nemore Pelio:* ſic ego poſſim dicere, *vtinam ne in Palatium Coelius vmquam migraſſet.*

Pontificiis comitiis] Sacerdotes lege Domitia creati ſunt a populo tributis comitiis, antea creabantur a collegis. Cicero, Aſconius.

Nihil egerit] Contra Coelium, cur eum de iniuria non accuſauerit.

Naſcetur ex ſeſe] A vobis non inductus, verum vt iniuriam ſuam perſequatur.

Commouebor] Agam iracunde cum ipſo.

Ab ipſo capite] A Clodia vel pretio, vel turpi conſuetudine corruptus.

Tanta gratia, tantisque opibus] Eiusdem Clodiae, et propinquorum eius: vt infra c. 13. ſed verbum, *gratia*, proprie pertinet ad Clodiam, cum ſummo eius probro: vt *gratioſus* quoque Verris filius puer cum vituperatione dicitur act. I. in Verr. c. 9.

Ne congreſſu quidem] Non modo accuſatione, citato Coelio tamquam reo, ſed ne congreſſu quidem, id eſt, ne ſi quidem caſu accidiſſet, vt cum Coelio congrederentur in iudicio.

Et conſtituto] Et ex conuentu, quod ita inter eos conueniſſet.

Coepiſſe] Nedum vt perſecuti ſint iniurias ſuas vsque ad exitum iudicii.

CAPVT IX.

Cum inferetur] Cum teſtimonium ii dicent, qui ſuas vxores a Coelio attrectatas queruntur.

Tela iaciuntur] Ab accuſatoribus.

Summiniſtrantur] A propinquis Clodiae. ſequitur enim, *defendunt ſuos.* Et, *ſumminiſtrantur*, iis, qui iaciunt, accuſatoribus ſcilicet.

Laeſi dolent] Non ipſi laeſi, ſed qui ſe laeſos putant in muliere propinqua.

Religioni veſtrae] Iurati enim ſententiam dicetis.

CAPVT

CAPVT X.

De ſeditionibus Neapolitanis] Quas a Coelio commotas accuſatores dixerunt.

De Alexandrinorum pulſatione Puteolana] Obiectum erat, Puteolis pulſatos eſſe a Coelio legatos Alexandrinos, qui contra regem Ptolemaeum Romam proficiſcebantur.

De bonis Pallae] A Coelio ereptis.

Dione] Legationis Alexandrinae principe, qui Romae regis opera eſt interfectus. de quo nihil videtur eſſe dictum ab Atratino; cui nunc vni Cicero reſpondet: dixere autem reliqui accuſatores, vt infra c. 21.

Cauſſa plus profuit] Confeſſus eſt ſe feciſſe, ſed, iure feciſſe, dixit.

Inuidia] Caedis eius.

Cuiusmodi autem ſit] Cuiuscumque modi: quod etiam, *cuicuimodi*, veteres dicebant.

Seiunctam] Nam Aſcitius fatetur, Coelius negat.

Doctrinae ſtudio] Philoſophiae Academicae, qua Dio excellebat.

Atque humanitatis] Elegantiores litterae *humanitatis* nomine ſignificantur: quod earum ſtudia feros, aſperosque mores ad humanitatem, et manſuetudinem traducant. Gellius lib. XIII. c. 16.

L. Lucceium] Ad quem Ciceronis exſtant epiſtolae lib. V. idem hic infra c. 21. 22. magna cum laude nominatur.

CAPVT XI.

Ingenio eius] Cum nihil diceret, in quo pondus eſſet.

Patruus] Acres et aſperi ſunt obiurgatores patrui. nam patris naturalis ille fallit amor, et ad mitiorem partem traducit. lib. II. ad Attic. epiſt. 2. *Ei nos ϑεῖοι videmur.* Horatius lib. III. Carm. ode 12. v. 2.

— *Metuentes*
Patruae verbera linguae.

lib. II. Serm. ſat. 3. v. 88. *Ne ſis patruus mihi.*

Beſtiae] Qui de ambitu damnatus erat. id ex iis verbis colligo, *ſtuduiſſe praeturae.* defenſum a Cicerone, cognoſcitur ex lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 3.

Quibus neceſſe eſt idem dicere] Quia ſint ex amicis Clodiae.

Germanorum] Verorum: nam cum ſint ab Euandro inſtituti multo ante Romam conditam, id eſt, ante humanitatem, atque leges, veri et germani ſunt Luperci plane humanitatis expertes, cum nomina ſodales inter ſe deferunt. Sodalitates autem ad honorem alicuius dei inſtitutae ſunt, vt Lupercorum ad honorem Panos. In Catone c. 13. *Sodalitates me quaeſtore conſtitutae ſunt, ſacris Idaeis Magnae Matris acceptis.*

P. Clodius, amicus meus] Non is, qui Clodiae frater erat, Ciceronis inimiciſſimus. Hic tertius erat accuſator, de numero ſubſcriptorum, alter L. Herennius: Atratinus nomen detulerat, et primas partes agebat.

Triſtiſſimis] Aſperrimis. ſupra: *Fuit in hac cauſſa pertriſtis quidam patruus.* Et: *Tam triſte illud, et tam aſperum genus orationis horrebam.*

Balbe] Quartus accuſator, Octauiae gentis, vel Attiae. nam Balbus ille, quem Cicero defendit, Corneliae gentis nomen

men ſumſit ab eo, cuius beneficio, Gaditanus cum eſſet, ciuis Romanus factus eſt.

Precario] Precari ſe per iocum fingit: quaſi fateatur, id quod infra negat.

Qui Baias viderit] Non qui ſaepe ad Baianas aquas voluptatis cauſſa iuerit, ſed qui eas viderit modo. in quo tu crimen ponis.

CAPVT XII.

Ad frugem bonam] Explanatur ſequentibus verbis. *Corrigere ad frugem*, pro, *vt frugi ſit*, Plautus in Trin. act. I. ſc. 2. v. 81. dixit.

De proteruitate] Proterui ſunt ſuperbi, arrogantes,. contumelioſi.

Erexerit in rem] In vitia, non in quemquam proprie. Tranſlata verba, *erexerit, emittere*, ad mentionem aculeorum accommodata.

Deprecari vacationem adoleſcentiae] Non Coelio adoleſcenti proprie, ſed generatim omnibus adoleſcentibus: vt vacent, ſolutique ſint iis legibus, quibus robuſtiorem teneri aetatem aequum eſt.

Omnibus] Adoleſcentibus.

Aetatis] Qua cum excuſatione erratur.

Qui haec poſtulo] Ne huic aliena peccata, ne aetatis, ac temporum vitia noceant.

Quae in hunc proprie conferuntur] Nam illa ſuperiora, non ad hunc proprie pertinent.

CAPVT XIII.

Sequeſter] In crimine ambitus; quod in Coelium collatum eſſe, ſupra c. 7. dictum eſt.

Nullo auctore] A nemine enim cognouit: iratus haec ipſe fingit.

Video auctorem] Clodiam ſcilicet.

Certum nomen] In auro ſumto ſine teſte, familiaritatem: in veneno quaeſito, diſcidium.

Non ſolum nobili, ſed etiam nota] Accipe, *nota*, in malam partem, ob impudicitiam ſcilicet: vt act. I. in Verr. c. 6. *Qui non tam me impediunt, quod nobiles ſunt, quam adiuuant, quod noti ſunt.* Et pro Flacco c. 22. *Homines apud nos noti, inter ſuos nobiles.*

Cn. Domiti] Miror hunc et praetorem hac in cauſſa quaerere de vi, et eundem de ambitu eodem anno in cauſſa Beſtiae, vt legitur lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 3. quod ſi quis licere putet; is ſi opinionem ſuam confirmabit exemplis, magnum, opinor, fecerit. nam mihi hoc probare facile eſt, ſortitos eſſe praetores deſignatos, quae cuiusque cura, vel iuris dicundi, vel quaeſtionis exercendae, in magiſtratu futura eſſet. erant enim duo, qui ius dicerent, vnus inter ciues, alter inter peregrinos: ceteri ſex quaerebant, vt quaeſiuit Cicero praetor de repetundis, eius autem collegae, Orchinius de peculatu, Voconius de veneficio, Aquillius de ambitu, inter ſicarios duo, Plaetorius, et Flaminius. qua ſimilitudine ſuſpicari fortaſſe licet, accidiſſe interdum, vt de duobus criminibus praetor vnus eodem anno quaereret, et pro cauſſarum paucitate ſufficeret. Nec vero dici poteſt, duos Cn. Domitios eodem anno praetores fuiſſe. alterum enim ab altero vel in illa epiſtola, vel in hac oratione

tione Cicero diſtinxiſſet, addito Caluini cognomine. is enim, auctore Dione, poſt biennium, legitimo interuallo, conſul fuit: vt eius praetura in hunc annum recidere videatur. Quod ſi M. Craſſus hac in cauſſa Coelium defendit, vt oratio ipſa c. 8. et 10. docet; fieri non poteſt, quod acuti vir ingenii, magnaeque doctrinae recte animaduertit, quin Marcellino et Philippo coſſ. acta cauſſa ſit; cum Craſſum anno ſequenti, ante exitum conſulatus, in provinciam Syriam iuiſſe, hiſtoriae narrent.

Secus nominamus] Nam de matrona pudica, et proba diceret, *quam honoris cauſſam nomino:* vt de Caecilia, in oratione pro Sex. Roſcio c. 10.

Cum iſtius mulieris viro] P. Clodio, qui cum ea rem habuiſſe dicebatur. in extrema oratione: *Ne eadem mulier cum ſuo coniuge et fratre turpiſſimum latronem eripuiſſe, et honeſtiſſimum adoleſcentem oppreſſiſſe videatur.*

Semper amicam omnium] Contumelioſe dictum de muliere. *amica vnius*, turpiter accipitur; *amica omnium*, et *ſemper*, quanto magis?

CAPVT XIV.

Ex barbatis illis] Barbam alere priſci Romani ſolebant. qua de re diximus alio loco.

Non hac barbula] Etſi raderentur Ciceronis aetate: adoleſcentuli tamen, praeſertim laſciviores, aliquandiu prima barbula delectabantur, nec ſtatim eam deponebant. hinc illud lib. I. ad Attic. epiſt. 14. *Concurſabant barbatuli iuuenes, totus ille grex Catilinae, duce filiola Curionis.*

Imaginibus] Omnis ſtatua imago eſt, non contra. nam imago eſt etiam picta, eſt in gemmis, eſt in annulis inciſa.

Caecus ille] Ap. Claudius Caecus, qui Pyrrhi pacem diſſuaſit.

Iſtam non videbit] Iocatur, et mordet. quaſi turpem eius vitam, propinquos, praeſertim graves, ac ſeueros, pudeat inſpicere.

Patrem tuum] Ap. Claudium Pulchrum, qui cum P. Seruilio Iſaurico conſulatum geſſit.

Patruum] C. Claudium Pulchrum, qui conſul fuerat cum M. Perperna. de quo dicit, *audieras,* quia maior natu, quam Appius frater eius, Clodiae pater: nam conſul ante multos annos fuit. vt patrem Clodia conſulem videre potuerit, patruum audire potius, quam videre.

Auum] C. Claudium Pulchrum Lentulum, qui conſul fuit cum M. Perperna.

Proauum] C. Claudium Pulchrum, conſulem cum Ti. Sempronio Graccho.

Atauum] Proauo non atauum, ſed abauum ſubiicio: ſic enim ordo poſtulat: idque comprobat digeſta veteribus faſtis annorum ratio. is autem fuit Ap. Claudius, conſul cum Q. Fuluio. Atauus vero P. Claudius Pulcher, conſul cum L. Iunio. Tritauus Appius ipſe Caecus, cuius perſona ad obiurgandam Clodiam Cicero nunc vtitur.

Modo] Ante paucos annos. ante biennium enim perierat Metellus Celer Vatinio tribuno plebis, id eſt, Caeſare et Bibulo coſſ. vt colligitur ex oratione in Vatinium c. 8.

Simul

Simul ac pedem limine extulerat] Nam domeſticis parietibus incluſa virtus languet.

Noſtrae imagines viriles] Quae ſeruabantur in atriis.

Quinta illa Claudia] De cuius caſtitate ſic in oratione de haruſp. reſp. c. 13. *Sacra iſta maiores noſtri adſcita ex Phrygia Romae collocauerunt: quae vir is accepit, qui eſt optimus a populo Romano iudicatus, P. Scipio: femina autem, quae matronarum caſtiſſima putabatur, Quinta Claudia.* Liuius hiſtoriam narrat lib. XXIX. c. 14. quam et Suetonius attingit in Tiberio c. 2.

Virgo illa Veſtalis] De qua Valerius lib. V. c. 4. Suetonius in Tiberio c. 2. alii.

Patrem] Ap. Claudium Pulchrum, de Salaſſis triumphantem, anno vrbis DCX. epitome LIII.

Fraterna] P. Clodii.

Aquam] Claudiam, a nomine.

Viam] Appiam, a praenomine.

CAPVT XV.

Comiſſationes] Poſt cenam.

Minimum fratrem tuum (tuum abeſt ab Ern.)] P. Clodium. Tres enim fratres fuere, maximus natu Appius, minimus, Publius, medius inter hos Caius, quem Pedianus nominat pro Milone in argumento.

Vrbaniſſimus] Tecum. turpes enim blanditiae ſignificantur: vt e ſequentibus patet.

Puſio] Paruus puer: qua aetate ſoli dormire non audent.

Maiore ſorore] Duae igitur erant: vt Varro lib. III. de re ruſt. c. 16. teſtatur. Aut, *maiore,* quam Clodius ipſe erat.

Paruam rem] Cum id, quod quaeris, et quod amiſſum doles, conſequi alia ratione facile poſſis.

Vicinum] Coelium, qui vicinis aedibus in Palatio habitabat.

Nobilis mulier] Contumelioſe dictum: quae cum infamiam timere pro ſua nobilitate debuerit, vsque eo tamen adoleſcentis amore ſit capta, vt cum eo vel in hortis palam eſſe non puduerit.

Conditiones quotidie legas] Deligas eos, cum nudos videris, qui tibi ad explendam libidinem tuam probentur. *Legere conditiones*, et *quaerere*, quid ſit, Phil. II. c. 38. oſtendimus, in eo loco: *Alia conditione quaeſita, et ante perſpecta.*

CAPVT XVI.

Nunc enim demum] Si ſic legitur, quae ſit metri ratio, fateor me non intelligere. quocirca, vt ſenarius iambus ſit prior verſus, poſterior autem iisdem pedibus ingrediatur, ita diſtinguerem: *Nunc demum enim mihi animus ardet: nunc meum cumulatur ira cor.*

Aut illum] Alterum patrem, vehementem, atque durum, non a Caecilio, ſed ab alio poeta inductum.

Ferrei ſunt iſti patres] Ciceronis verba, non poetae.

Egone quid velim] Niſi deleatur, *ne*, ſenarii ratio conſtare non poterit.

Nequidquam] Fruſtra, nullo fructu.

Alienam] Non cognatam, non affinem.

Dede te (Ern. *dide*)] Meretricibus. Antiqui aliquot libri, *te*, non habent: et abeſſe poteſt.

Disiice

Disiice (Ern. *diſſice*)] Rem familiarem.

Mihi ſat eſt, qui] *Qui*, pro *quo*, antique. Ennius in Hecuba: *Date ferrum, qui me anima priuem.* Poetae verba ſunt a verbo, *dede*, ad, *oblectem meae.* Sed verſuum diſtinctio ſatis obſcura. dabo tamen operam, vt ſuam cuique menſuram, ſi licebit, reſtituam. tres ſenarios facio, primum mutilum, perfecta tamen ſententia: alterum vltimo interciſo verbo, quod vſitatum eſt comicis: tertium abſolutum.

— Dede, ac disiice: per me lice —
Bit. ſi egebis, tibi dolebit, mihi ſat eſt,
Qui, aetatis quod reliquum eſt, oblectem, meae.

Miraris] Pater.

Ille eſt] Mitio apud Terentium in Adelph.

Decretum] Statutum, certum.

Parſimoniam patrum ſuis ſumtibus ſuſtentaret] Quae daret adoleſcentibus, quod eorum patres, parci, ac tenaces, negarent.

Proterua petulanter] Superba impudenter. Clodiam deſcribit: cum de alia tamen eius diſſimili loqui ſe dixerit.

CAPVT XVII.

Indole virtutis] *Indoles* in pueris, aut adoleſcentibus laudatur, tamquam ſignificatio futurae virtutis: hic tamen ſumi videtur pro ipſa virtute, vt lib. III. in Verr. c. 68. *Fac enim fuiſſe in iſto C. Laelii, M. Catonis materiem, atque indolem: quid ex eo boni ſperari atque effici poteſt, qui in patris luxurie ſic vixerit, vt nullum vmquam pudicum, neque ſobrium conuiuium viderit?*

Cum facere non poſſent] Cum facultas magnarum rerum gerendarum non eadem iis eſſet, quae fuit iis, qui haec ex minimis tanta fecerunt.

Voluptatis cauſſa] Vt Ariſtippus primum, et Cyrenaici omnes, deinde Epicurus, qui tamen voluptatem ad animum quoque retulit, Ariſtippus ad corpus tantum.

Eruditi homines] Nam, vt eſt lib. II. de Fin. c. 14. *multi poſtea defenſores eius ſententiae fuerunt.* Laertius illuſtres Epicureos non paucos enumerat.

Cum voluptate dignitatem coniungendam] Vt Callipho lib. II. de Fin. c. 6. 11. et in Lucullo c. 42.

Qui probauerunt] Vt Stoici, maximeque princeps eorum Zeno. lib. II. de Fin. c. 11. Laertius, et alii.

Blandimenta] Voluptatum.

Oculis] Quinque ſenſus, homini a natura datos, enumerans, ab oculis initium ſumit, vt omnium praeſtantiſſimo.

Ego fortaſſe] Affirmare non audet: ne ſibi tantam laudem arrogare videatur.

CAPVT XVIII.

Ne fenore trucidetur] Conficiatur. ſaeuitia quaedam eſt in hoc verbo: quia feneratores nemini parcunt.

CAPVT XIX.

Genus orationis, facultatem, copiam ſententiarum, atque verborum] De Coelio, ſic in Bruto c. 79. *Quam eius actionem multum*

tum tamen et ſplendida, et grandis, et eadem in primis faceta, et perurbana commendabat oratio.

Nimia copia] Nimia fruendi poteſtate.

Inopia] Cum potiri ac frui non licet. quo deſiderio, ac dolore animus impeditus, ab honeſtis artibus auocatur.

Doctrina puerilis] Inſtitutio, diſciplina, quae ad eloquentiam iter oſtendit, viamque munit.

Conſularem hominem] C. Antonium.

In hac acie] Vel accuſans, vel accuſatus.

Subiret periculum capitis] Vt in hoc iudicio.

Ipſo inſpectante populo Romano] Nam publica iudicia in foro fiebant.

De ſalute] Accuſatus.

De gloria] Alios accuſans.

CAPVT XX.

Illa vicinitas] Habitante Coelio prope Clodiam.

Redolet] Quaſi odore quodam ſignificat.

Baiae] Vbi Clodia cum Coelio voluptatis cauſſa fuerat.

Meretriciis amoribus] Amore in Clodiam.

Negare non poſſum] Haec verba laudatum a ſe eſſe illum ſignificant, de quo dixit, *eſt ille quidem valde ſeuerus.* Laude, inquit, dignus eſt: negare non poſſum.

Flagrantia oculorum] Et in oratione de haruſp. reſp. c. 18. *flagrantes* appellat *oculos* Clodiae. quae flagrantia oculorum in meretricibus cernitur.

Procax] Impudens, quaſi viros appetens.

L. Herenni] Vnus erat ex quattuor Coelii accuſatoribus. ſolus autem nominatur, quia ſolus de luxuria, de libidine, de vitiis iuventutis multa dixerat. ſupra c. 11.

Me abſente] Cum exſularet.

Pudor tuus] Ne tu videaris eſſe, quam deſcripſi.

Petulantius] Ita, quae iactavit L. Herennius, inania prorſus eſſe, nec in Coelium conuenire videbuntur.

Ceteris] Si qui accuſabantur.

Magnam ad ſe defendendum facultatem] Nam ſi te oſtendes eam eſſe, quam deſcripſi: crimen in Coelio non haerebit, a meretrice obiectum.

CAPVT XXI.

Venerem illam tuam] Simulacrum Veneris, auro exornatum, habere Clodia in ſacrario ſuo dicebatur.

Spoliatricem] Ad quam aurum, amatoribus ademtum tuis, deferre ſoleres. vt mirari iure liceat, ab eadem Venere, ceterorum ſpoliatrice, abſtuliſſe te aurum, quod Coelio dares.

Labem ſceleris ſempiterni] Propter hoſpitis necem, veneno ſublati.

Tua mens liberalis] Niſi fallor, haec omnia cum probro dicta, *tua mens liberalis, tua domus popularis, tua hoſpitalis illa Venus.* nam in muliere, quam decet eſſe modeſtam, et verecundam, *mens liberalis* non laudatur: *domus* vero *popularis* apertum habet dedecus, vt quae non vni, aut alteri, ſed populo pateat: *hoſpitalis Venus*, benignitatem in accipiendis hominibus demonſtrat. quod ſi viro tribuatur, laudem

affert: in muliere, ob impudicitiae ſuſpicionem, turpe eſt.

Adiutrix eſſe non debuit] Tria animaduerte, *conſcia mens*, *miniſtra domus*, *Venus adiutrix*.

Ad illam attuliſſe] Cauſſam hanc illi dixiſſe, cur aurum quaereret.

Ludorum] Quos fortaſſe tamquam Lupercus daret, aut magiſter ludorum: de quo honore vide in Piſonem c. 4. alioqui, quos ludos dare poſſet, cum nullum magiſtratum gereret, non video.

CAPVT XXII.

Illis ſtudiis, artibus, atque doctrina] Ex his quoque verbis, hunc eſſe L. Lucceium illum, a quo Cicero ornatiſſima epiſtola petit, vt ſuas res memoriae litterisque mandet, facile poſſumus intelligere.

Propter quem] Nam Dio Academica doctrina praeſtabat.

CAPVT XXIII.

Num petiuit] Num Clodia petiuit aurum a Coelio? nam ſi petiuit, quo teſte? ſi non petiuit, haec certe non videtur eſſe cauſſa, cur ei venenum Coelius dare voluerit.

Ne crimen haereret] In Coelio. quod autem crimen? auri a Clodia ſumti.

Num quis obiecit] Ei de auro. quod ſi nemo obiecit; quid erat, cur timeret, ne crimen haereret?

Hic] Coelius.

Nemini nomen detuliſſet] Neminem in iudicium vocaſſet.

Iterum eadem de re] Bis enim Coelius in iudicium de ambitu vocauit Atratini accuſatoris patrem. ſupra c. 1. *Accuſari ab eius filio, quem ipſe in iudicium et vocet, et vocarit.* Infra c. 31. *Nomen amici mei de ambitu detulit: quem abſolutum inſequitur, reuocat.*

Sceleris maximi] Veneni quaeſiti, vt Clodiae daretur.

Alterius ſceleris] Ne aurum Clodiae redderetur.

Licentius] Vt propterea contra Coelium dicturi ſint, quidquid illa velit.

CAPVT XXIV.

Q. Metellus] Clodiae vir, ſupra c. 14. nominatur.

Tertio die] Veneno ſublatum ab vxore Clodia, tacite ſignificat. vnde illud infra: *Quem quidem virum ſi nulla vis repentini ſceleris ſuſtuliſſet.* Et: *Ex hac igitur domo progreſſa iſta mulier, de veneni celeritate dicere audebit?*

Quanta impenderet procella vrbi] Ex conſulatu C. Caeſaris, propter leges, quae ferebantur. obiiſſe Metellum Celerem Caeſare et Bibulo coſſ. ſupra iam c. 14. diximus.

Fuerat] Nam Catulus iam perierat.

Tum etiam me] Quem ciuibus improbis odio ſciebat eſſe.

Furenti] P. Clodio tribuno plebis, cum me patria expulit.

Fratri ſuo patrueli] Non quod nati eſſent duobus fratribus, ſed quod mater Clodii ſoror eſſet patris Metelli Celeris.

Incipientem furere] Ad plebem tranſire conantem, cum Herennius tribunus plebis legem de eo ad plebem traducendo promulgabat: in quo obſtitit Celer conſul.

ſul. lib. I. ad Attic. epiſt. 18. et in orat. de haruſp. reſp. c. 21.

Ex hac domo] In qua triduo, integerrima aetate, optimo habitu, maximis viribus, Metellus exſtinctus eſt.

De veneni celeritate dicere audebit] Quod accuſatores dixerant, Coelium vim veneni expertum in ſeruo quodam ad rem ipſam parato, cuius perceleri interitu eſſe comprobatum; id Cicero Clodiae tribuit, vtpote quae totam accuſationem inſtruxerit.

Eliciat] Educat ex ipſa domo, quae venenum a Clodia viro ſuo Metello datum ſignificet.

CAPVT XXV.

P. Licinio] Non arbitror hunc eſſe P. Licinium Craſſum, Marci filium, Ciceronis propter eloquentiam ſtudioſiſſimum. maioribus enim, vt opinor, laudibus, vel ipſius, vel patris cauſſa, qui aderat, eum ornaſſet.

Ad balneas Xenias (Ern. *Senias*)] Baiarum partem, ſumto nomine ab hoſpitibus accipiendis.

Hinc illae lacrumae] Hinc odium Clodiae, quod ſe contemni doleret, quod diſcidium ferre non poſſet. Verba Soſiae ſunt apud Terentium in Andr. act. I. ſc. 1. v. 99.

CAPVT XXVI.

Calceati] Calceis in publico, domi ſoleis vtebantur.

Reciperentur] A balneatore.

Niſi forte] Clodia, familiaris ei facta, id ab eo impetraſſet.

Quadrantaria illa permutatione] Dicit, *illa*, tamquam de re nota. fama enim peruulgata erat, quod ex Plutarcho liquet, adoleſcentem quendam in Clodiae loculos pro nummis argenteis quadrantes aereos immiſiſſe. Cum hoc ioco alterum coniungit, balneatori Clodiam, facta ſui copia, familiarem eſſe potuiſſe: vt ſtuprum quaſi loco quadrantis eſſet, quem balneator ab iis, qui lauarent, mercedem ſuam accipere ſoleret. Et in hoc quoque quadrantaria permutatio eſt, quadrante in ſtuprum permutato. Horatius lib. I. Serm. ſat. 3. v. 137.

— *Dum tu quadrante lauatum*
Rex ibis. —

Seneca *rem quadrantariam* balneum vocat epiſt. lib. XIII. (epiſt. 86.) Iuuenalis Sat. VI. v. 446.

Caedere Siluano porcum, quadrante lauari.

Quinctilianus lib. VIII. c. 6. *quadrantariam Clytemneſtram* a Coelio dicit appellatam; quod vt Clytemneſtra virum ſuum Agamemnonem, ſic Metellum Clodia necaſſet.

Niſi a viris honeſtiſſimis] Mea ſententia delendum eſt, *niſi.* negatur enim, Clodiam id impetrare potuiſſe, quamquam potens admodum eſſet, a viris honeſtiſſimis. ad negandum autem ſufficit, *numquam:* ſi addatur, *niſi*, ex negatione fiet affirmatio.

CAPVT XXVII.

Haec tota fabella] Figmentum eſſe dicit Clodiae, quae, tamquam vetus poetria, fabulam hanc finxerit: cum alias quoque plurimas ante finxiſſet. vt aſtutam et peritam malarum artium mulierem accuſat.

Sine argumento] Inanis, nulla ſubiecta re: cum ceterae fabulae carere argumento non ſoleant.

Ad ſe reuocarent maximi facinoris crimen] Nam ſi viderunt, ergo conſcii. non enim, illis videntibus, niſi conſciis, pyxidem Licinius tradidiſſet.

Mimi] Qui differt a fabula, non modo quia caret clauſula, ſed etiam, quia turpia liberius imitatur. Mimis excelluere eodem tempore Laberius, et Publius. vide Gellium lib. XVI. c. 7. et lib. XVII. c. 14. et Macrobium lib. II. Saturn. c. 7.

CAPVT XXVIII.

Lychnorum] Ergo cenae illae in noctem productae. quod intemperantiae fuit.

Excutiemus] Detegemus: vt, excuſſis hominibus, reperiuntur ea, quae latebant.

CAPVT XXIX.

Manumiſſi] Vt optime de domina meriti, ad quam tantum facinus detuliſſent.

Aliquid] Quaſi alia omnia pro ſua libidine fecerit.

Crimen Coelio quaeſitum] Vt ideo manumiſſi viderentur, quia fideles in dominam fuiſſent, eique de veneno ſignificaſſent.

Quaeſtio ſubleuata] Quis non videt, *ſublata*, eſſe rectius? quaeri enim de ſeruis manumiſſis non licebat.

Cum cauſſa] Cauſſa videbatur haec, quia Coelianum facinus ad dominam detuliſſent: ſed alia cauſſa erat, nempe, vt multarum rerum conſciis praemium perſolueretur. Animaduertendum loquendi genus, *cum cauſſa*, pro, per ſpeciem, per ſimilitudinem: quod in orat. pro domo c. 5. dixit, *cum tu, in annonae caritate, in conſules, in ſenatum, in bona fortunasque locupletum, per cauſſam inopum, atque imperitorum, repentinos impetus comparares. Per cauſſam*, id eſt, *cum cauſſa:* quaſi plebis infimae inopiam ſubleuare velles. Et Livius lib. II. c. 32. *Per cauſſam renouati ab Aequis belli.* Lib. IV. *Vt per cauſſam aliquam in anguſtiis ſuſtineret a tergo agmen.* Suetonius in Othone c. 3. *Per cauſſam legationis:* in Veſpaſiano c. 1. *Per cauſſam valetudinis.* Tibullus lib. I. eleg. 6. v. 25.

Saepe, velut gemmas eius, ſignumque probarem,
Per cauſſam memini me tetigiſſe manum.

Per ſpeciem, idem Liuius ſaepe dixit.

Non ab aliis tibi allatam] Vt dubitari quidquam poſſe videretur.

Illam commenticiam pyxidem] Quae nulla fuit, ſed a vobis reperta, quo magis veneni crimen probaretur.

Obſceniſſima fabula] Fabula quidem, ſed obſceniſſima, cum ſummo Clodiae dedecore. ea quae fuerit, non conſtat, ipſo Cicerone verborum turpitudinem vitante. Veneream quidem rem ſignificari, et in eum vſum quaeſitam eſſe pyxidem a Clodia, licet intelligere. ſequitur enim: *Nihil eſt, quod in eiusmodi mulierem non cadere videatur.*

Eſt enim] Fictum.

Non tam inſulſo] Non illum quidem inſulſum dixerim, ſed non verecundum, qui tam obſcenam

nam fabulam, ſi modo eſt fabula, ſit commentus.

Q. Catulus] Minor, conſul.

Armata diſſenſione ciuium] Bellum ciuile collega Lepido mouente.

Sedata illa flamma] Pulſo Catilina, ciuitate caedis, vrbe incendii periculo liberata.

Fumantis] Poteſt accipi vel accuſandi, vel generandi caſu. et, *fumantis*, quia dixerat, *flamma:* nam, ſedata flamma, fumus remanet.

Reliquias] Qui in vrbe remanſerunt, poſt profectionem Catilinae: quos vt oſtendat iure caeſos, et ſe inuidia, culpaque liberet, extinctos eſſe dicit Lutatia lege de vi.

CAPVT XXX.

M. Camurti, et Ceſerni (Ern. *C. Eſerni)*] Malim legere, et *Camurtii*, et *C. Eſernii:* vt ſuum vtrique praenomen ſit, et *Camurtius, Eſernius* nomina ſint familiarum.

Perierunt] Damnati ſunt.

Perſecuti] Vlti. *Vettiano* autem *ſtupro*, a Vettio cum Clodia commiſſo. nam cum inter eos poſtea ortae eſſent inimicitiae; mulier ad vlciſcendum dolorem iniuriamque ſuam opera Camurtii et Eſernii vſa eſt. quid illi pro Clodia contra Vettium fecerint, obſcurum eſt: damnatos autem eſſe pro eo, quod fecerant, cognoſcitur.

Afranii (Ern. *Afrania*) *fabula*] Recitata ab accuſatoribus in illo iudicio Camurtii, et Eſernii.

Certe non tenebantur] Maleficium eorum vis non fuerat, de vi tamen damnati ſunt.

Vt ex nullius legis laqueis emittendi viderentur] Quacumque lege eſſent accuſati, elabi nulla ratione potuiſſent. Haec verba Ciceronis hoc videntur indicare: praedicaſſe Coelii accuſatores damnationem Camurtii, et Eſernii, vt oſtenderent, ſi illi de vi damnati eſſent, cum tamen lege de vi non tenerentur, quanto magis Coelium, qui Clodiam veneno tollere voluerit, damnari oportere? Hic Cicero primum ſtultitiam atque impudentiam accuſatorum reprehendit, qui de illa damnatione loqui auderent, cuius culpam ipſa Clodia ſuſtineret: deinde, quid ſimile? ait: illi iure damnati ſunt lege de vi, licet ea lege non tenerentur: et omnino maleficium eorum erat eiusmodi, vt damnari eos neceſſe videretur, quacumque lege eſſent accuſati. at Coelius cur de vi accuſatur? quae vis ei obiicitur? Illi, etiam ſi lege de vi non tenerentur, tamen aliquid, ab ea lege ſeiunctum, commiſerant, quo puniri deberent. at Coelio neque obiicitur crimen quaeſtionis huiusce, quae de vi eſt, proprium, neque tamen quidquam, a quaeſtione, et a lege ſeiunctum, in quo veſtram ſeueritatem oſtendere debeatis.

Ad hunc vſum forenſem] Vſum dicendi, eloquentiam.

Ad capeſſendam rempublicam] Nam ad honores aditum patefaciebat eloquentia. *Capeſſere*, non eſt ſuſcipere, ſed adminiſtrare: vt exemplis intelligitur.

Amicitiis] De vita et moribus Coelii, ne quid ei ſeiunctum a lege obiici poſſit, argumenta ſumit ex puerili diſciplina, ex amicitiis maiorum natu, ex aequalium ſtudiis, id eſt, ex iis ſtudiis,

quibus aequales eius, verae laudis cupiditate incenſi, tenerentur.

Nobiliſſimi] Cum ipſe equeſtri loco eſſet: vt, nobilitate inferior, gloriae tamen ſtudio non concederet.

Q. Pompeio] Quamquam proconſul dicatur, Africam tamen poſt praeturam rexit. eum adhuc viuere, declarant illa verba, *vt ipſius teſtimonio cognoſcetis.*

Contubernalis] Vt vſu rerum peritior euaderet. optima tunc erat adoleſcentium diſciplina, vt apud claros viros, magiſtratum gerentes, in contubernio viuerent. ſic L. Gellius C. Carbonis, eloquentiſſimi viri, contubernalis in conſulatu fuit: vt in Bruto c. 27. ſic L. Torquatus Ciceronis conſulis: vt in orat. pro Sulla c. 12. Iam ad Rufum lib. V. Fam. epiſt. 20. *Scito a me et tribunos militares et praefectos, et contubernales dumtaxat meos delatos eſſe.* Pro Plancio c. 11. *Fuit in Creta contubernalis Saturnini.* Contubernales et illi erant, de quibus ait Gracchus apud Gellium lib. XV. c. 12. *Nulla apud me fuit popina: neque pueri eximia facie ſtabant: ſed in conuiuio liberi veſtri modeſtius erant, quam apud principem.*

Caſtiſſimo] Integerrimo.

CAPVT XXXI.

Accuſauit] De maieſtate.

Praeclari in rempublicam beneficii] Caeſo cum omnibus copiis Catilina.

Maleficii cogitati] Contra rempublicam. conſcium enim et participem coniurationis fuiſſe, creditum eſt. aliter Dio lib. XXXVIII. ſed auctor Cicero grauior, et certior. infra c. 32. *Qui hominem conſularem, quod ab eo rempublicam violatam diceret, in iudicium vocarit.*

Haeſit ad metas] Offendit. translatio a quadrigis in Circo currentibus: quae ſi ad metas haerent, victoriae praemium amittunt.

Nomen amici mei de ambitu detulit] Patris Atratini: de quo ſupra c. 1.

Purpurae genus] In tunica. nam etſi nondum erat ſenator, tunica tamen purpureis diſtincta clauis vtebatur: quod equitibus Romanis licebat. ſed in equeſtri tunica minores erant claui, quam in ſenatoria. vnde Velleius lib. II. c. 88. de Maecenate: *Vixit anguſto clauo contentus:* id eſt, equeſtri ordine. Hac igitur purpura delectabatur Coelius elegantiore, et ſplendidiore, quam fere adoleſcentes reliqui ſolerent.

CAPVT XXXII.

A noſtris rationibus] A noſtris inſtitutis, a communi bono.

Duas] Vnam C. Antonii, alteram Atratini patris, illam de maieſtate, hanc de ambitu.

Sex. Clodius] P. Clodii ſatelles.

Abſolutus ſit] Eiusdem gratia mulieris, quae nunc Coelium oppugnat.

Per biennium] Piſone et Gabinio coſſ. quo anno P. Clodius tribunus plebis Ciceronem vrbe expulit: et Lentulo, Metello coſſ. quo Cicero reſtitutus eſt.

Aedes ſacras] Aedem Nympharum: vt in orat. pro Milone c. 27. et in Parad. IV.

Cenſum

Cenſum populi Romani] Cenſorias tabulas. in eadem oratione c. 27.

Ore, lingua] Fellator eſſe putabatur. vnde in orat. pro domo c. 18. *Hanc tibi legem Clodius ſcripſit, ſpurciorem lingua ſua.* Et ibidem, ex interuallo c. 31. *Quaere hoc ex Clodio, ſcriptore legum tuarum: iube adeſſe: latitat omnino: ſed, ſi requiri iuſſeris, inuenient hominem apud ſororem tuam, occultantem ſe, capite demiſſo.*

Catuli monumentum] Catuli porticum in Palatio, exſtructam de Cimbricis manubiis: quam ſimul Clodius cum Ciceronis domo, adiutore Sex. Clodio, ex quadam parte diruit. lib. IV. ad Attic. epiſt. 2. et 3.

Abſolutum] Lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 6. *Vnum accidit imprudentia Milonis incommode, de Sex. Clodio: quem neque hoc tempore, neque ab imbecillis accuſatoribus mihi placuit accuſari.*

Cum ſuo coniuge, et fratre] P. Clodio. ſupra c. 13. *Quod quidem facerem vehementius, niſi intercederent mihi inimicitiae cum huius mulieris viro: fratrem volui dicere: ſemper hic erro.*

Quod cum huius] *Quod*, pro *ſed*, vt lib. I. in Verr. c. 46. *Quod vos oblitos eſſe non arbitror, quae multitudo, qui ordo ad Piſonis ſellam iſto praetore ſolitus ſit conuenire.* Lib. II. c. 26. *Quod ego niſi meo aduentu illius conatus aliquantulum repreſſiſſem.* In eundem lib. IV. c. 66. *Quod vbi intellexi, multum apud illum recentes nuncios, multum tabulas non commendaticias, ſed tributarias valuiſſe.*

Vel pietati, vel indulgentiae] *Pietati*, quae parentibus, *indulgentiae*, quae liberis debetur.

Vos potiſſimum, iudices] A quibus illum conſeruatum ſe eſſe, perpetuo meminerit.

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM
DE
PROVINCIIS CONSVLARIBVS

[In editione Manutii haec oratio poſt eam pro Balbo collocata eſt: quod, cum nos receptum orationum ordinem ſecuti ſimus, indicandum putauimus.]

ARGVMENTVM

C. Sempronius Gracchus, Tiberii frater, in tribunatu legem tulit, vt prouinciae conſulares a ſenatu quotannis decernerentur, et annua tantum eſſet earum adminiſtratio. ex ea lege Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, L. Marcius Philippus, conſules, retulerunt ad ſenatum de prouinciis conſularibus decernendis. eae tum quattuor erant, de quibus variae ſententiae dictae ſunt, Macedonia, cui L. Piſo, Syria, cui A. Gabinius, Galliae duae, quibus vno imperio coniunctis praeerat C. Caeſar. Qui ante Ciceronem ſententiam dixere, id omnes, excepto P. Seruilio, ſpectabant, vt Caeſari, quem peſſime oderant, vel omnino totum auferretur imperium, ademta vtraque Gallia, vel certe, vlteriore, aut citeriore detracta, minueretur. Contradixit Cicero, ſententiam rogatus: de Caeſare, magnas res gerente, propoſita reipublicae vtilitate, nihil mutandum cenſuit, Piſonem autem, et Gabinium, quandoquidem non modo laude dignum nihil gererent, ſed etiam prouincias auare, crudeliter, ſuperbe adminiſtrarent, eſſe reuocandos. Itum eſt in eius, et P. Seruilii ſententiam: reuocati Piſo, et Gabinius, rediere in vrbem, ille Pompeio, et Craſſo, hic, quia longinquior erat, L. Domitio, et Ap. Pulchro coſſ.

EXPLANA-

EXPLANATIO

CAPVT I.

Si quis veſtrum] In ipſo exordio mouet odium in Piſonem, et Gabinium, quorum ille Macedoniam, hic Syriam regebat, auare nimium, et crudeliter vterque. itaque vtitur aſpero verbo, *detrahendi*, non, quod erat lenius, *reuocandi*. et infra c. 6. enumeratis vtriusque ſceleribus, ita concludit: *Hos vos de prouinciis, ſi non aliquando deducendi eſſent, deripiendos non putaretis?*

Neceſſe ſit] Reipublicae cauſſa. Hoc dicit, ne videatur ita ſentire, adductus odio, propter eius temporis memoriam, cum oppugnatus a Clodio tribuno plebis non modo defenſus a conſulibus non eſt, qui eum tueri ac ſeruare debebant, verum etiam nefarie proditus. Hanc, inquit, a me ſententiam non iniuriarum memoria, ſed reipublicae dignitas, et prouinciarum incolumitas exprimit.

Ac ſi princeps] Tria complectitur in hoc ambitu, nec ſe primum eam ſententiam dicere, nec ſolum, nec minima reipublicae vtilitate.

Laudaretis] Vt auctorem vtiliſſimae ſententiae.

Ignoſceretis] Quid enim peccarem, ſi vel ſolus egregie de republica ſentirem?

Dolori meo] Hominis et grauiter, et iniuſte laeſi.

Vel quod habeo auctorem] Cum tria propoſuerit, duo tantum ſubiungit, nec tamen quidquam omittit. nam hoc vno, *vel quod habeo auctorem*, ad illa duo reſpondet, *ſi princeps, ſi ſolus*. vnus enim Seruilius effecit, vt neque princeps, neque ſolus eam ſententiam Cicero diceret.

P. Seruilium] Iſauricum, non modo conſularem, ſed conſularium quoque omnium vetuſtiſſimum. ideo ſententiam dixit ante Ciceronem. nam filius eius non niſi poſt aliquot annos conſul fuit.

In me] Quem innocentem, optimeque de republica meritum, P. Clodio tribuno plebis iniquiſſimam rogationem ferente, crudeliter oppugnarunt.

Pro pignore tradiderunt] Vendiderunt Clodio, tradita tamquam pignore ſalute mea.

Ad vlciſcendi tempora] Cum eos de criminibus ab vtroque commiſſis accuſabo.

CAPVT II.

Vno imperio] C. Caeſaris. quarum citeriorem, Illyrico adiecto, Vatinius lege ſua dedit, vlteriorem poſtea ſenatus, veritus, ne, ſi ipſe negaſſet, populus et hanc daret.

Hunc ordinem condemnarint] Senatus enim, M. Catonis ſententiam ſecutus, coniuratos in carcere necari iuſſit. conſules igitur Piſo, et Gabinius, cum Ciceronem, accuſatum a Clodio propter ciues Romanos indicta cauſſa necatos, prodiderunt, eiiciendumque curarunt, non tam illum, qui ſenatui paruerat, quam ſenatum ipſum condemnaſſe, eiusque auctoritatem e ciuitate ſimul cum ipſo Cicerone exterminaſſe, videri poſſunt.

Fidem publicam] Quam ego ſecutus in ciues nefarios animaduerti.

 Perpe-

Perpetuam populi Romani ſalutem] In eo poſitam, ſi de domeſticis patriae hoſtibus extrema ſupplicia ſumantur.

Arcem munire] In orat. in Piſonem c. 17. *An munitio Theſſalonicae?* Et infra c. 34. *Theſſalonicenſes, cum oppido deſperaſſent, munire arcem coegerunt.*

Militaris] Ergo latior, quam ceterae. In Piſonem c. 17. *An obſeſſio militaris viae?*

Sit infeſta] Pro, infeſtetur, vſitate: vt pro Amerino c. 11. *Filii vita infeſta, ſaepe ferro atque inſidiis appetita.* Pro Coelio c. 4. *Ego illud tempus aetatis, quod ipſum ſua ſponte infirmum, aliorum libidine infeſtum eſt, id hoc loco defendo.*

Gentes eae] Thraces, et Dardani, Macedoniae finitimi.

Vim argenti dederant] Non, pecuniam, ſimpliciter, ſed, maximam pecuniam. pro Sextio c. 43. cum Gabinium exagitaſſet, ſubiunxit de Piſone: *Alterum Thracibus ac Dardanis primum pacem maxima pecunia vendidiſſe, deinde, vt illi pecuniam conficere poſſent, vexandam iis Macedoniam et ſpoliandam tradidiſſe.*

Superbiſſimo delectu] Cum non omnes, ſed fortiſſimi tantum deligerentur. hoc ſenſu iudicium aurium *ſuperbiſſimum* vocat in Oratore c. 44. quia vel minimis offenderentur vitiis, perfecta tantum vellent.

Duriſſima] Ea diligentia, quae ferri vix poſſet. Quod dolendum magis eſt, eiusmodi milites interiiſſe.

CAPVT III.

Achaeos] Et de Achaeis, et de Dyrrhachinis, in eadem pro Sextio c. 43. attingitur his verbis: *Cogere pecunias maximas a Dyrrhachinis, ſpoliare Theſſalos, certam Achaeis in annos ſingulos pecuniam imperauiſſe.*

Vrbem Byzantiorum] Liberam, ſuisque legibus vtentem.

In libera ciuitate] Byzantii.

CAPVT IV.

Caeſonine Caluenti] Sic appellat Piſonem, quia Caeſonius Calpurniorum Piſonum, ante quam Frugi dicerentur, cognomen fuit, vt faſti Capitolini anno V. C. DCV. docent. Caluentius autem maternus auus fuit, vt ait Pedianus in Piſon. initio.

Graecia tota] Ergo Clodius Graeciam totam lege ſua cum imperio Macedoniae, Piſoni gratificans, coniunxerat.

Naufragio] Translatio tribus verbis, *naufragio*, *gubernare*, *euerteras.*

Contra legem generi tui] C. Caeſaris. In Piſonem c. 16. *Obtinuiſti prouinciam conſularem finibus iis, quos lex cupiditatis tuae, non quos lex generi tui pepigerat. nam lege Caeſaris iuſtiſſima atque optima, populi liberi plane et vere erant liberi: lege autem ea, quam nemo legem, praeter te, et collegam tuam, putauit, omnis erat tibi Achaia, Theſſalia, Athenae, cuncta Graecia addicta.*

Tenebricoſae] Non apertae, ſed occultae. vnde in oratione poſt red. in ſenatu c. 6. *Idem domi quam libidinoſus, quam impurus, quam intemperans, non ianua receptis, ſed pſeudotyro intromiſſis voluptatibus?*

Fronte, et ſupercilio] Quibus abhorrere videbatur ab omni libidine.

bidine. In ipſum c. 1. *Oculi, ſupercilia, frons, vultus denique totus, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, hic in fraudem homines impulit.* Et infra c. 28. *Is cum iſtum adoleſcentem iam tum cum hac diis irata fronte vidiſſet, non fugit eius amicitiam.* Et paullo poſt c. 29. *Deuenit, aut potius incidit in iſtum, eodem deceptus ſupercilio Graecus, atque aduena, quo tam ſapiens, et tanta ciuitas.*

Sic fortuna cum improbitate certauit] Hic vituperat, alibi laudat ſimili ſententia. nam de Cn. Pompeio ſic in ea pro Balbo c. 4. *In quo vno ita ſumma fortuna cum ſumma virtute certauit, vt omnium iudicio plus, quam poſſit, minus, quam decet, tribueretur.*

Semiramis illa] Semiramis in Syria regnauit. eius nomine Syriae proconſul, homo effeminatus, ac mollis, lepide Gabinius appellatur.

Ariobarzanes] Cappadociae rex, amicus, et ſocius populi Romani.

Equitatus habuit interitum] Qua pugna, non dicit: ſed infra c. 7. pugnaſſe eum oſtendit cum maximis Syriae gentibus, et cum tyrannis.

CAPVT V.

Ita de me meritorum] In conſulatu primum Catilinae temporibus, deinde, cum, lege in eum a Clodio promulgata, vniuerſus equeſter ordo veſtem mutauit. erant autem publicani omnes equites Romani.

Tradidit in ſeruitutem Iudaeis, et Syris] Quia, cum ab iis publicani pecunias vectigales exigere vellent, ius eis dicere Gabinius noluit. ſponte autem Iudaei, et Syri ſoluere noluerunt. ita Iudaeis, et Syris publicani ſeruire videbantur, cum eos in iudicium vocare non poſſent, ſed, quod ii vellent, in vectigali pecunia facere cogerentur.

Statuit ab initio] Odio in equeſtrem ordinem, vtpote qui conſul dixerit, equites Romanos daturos illius diei poenas, quo, Cicerone conſule, cum gladiis in cliuo Capitolino fuiſſent: L. vero Lamiam, principem equeſtris ordinis, in concione vltra ducenta millia paſſuum relegarit, quod auſus eſſet pro Cicerone deprecari. Pro Sextio c. 12. poſt red. in ſen. c. 5. et alibi.

Cuſtodias] Carceres. vetuit quemquam eorum, qui publicanis deberent, in carcerem duci.

Stipendiarios] Et vectigalia, et ſtipendia, quae ſocii pendebant, publicani conduxerant.

Liberauit] Ne quid penderent.

Magiſtratus] Qui prouinciae vectigali praeerat.

Non temeritate redemtionis] Non quia, prolapſi cupiditate, nimis magno publica redemerint. quod cum antea feciſſent, releuauit eos Caeſar conſul tertia mercedum parte. Suetonius in Iulio c. 20.

In his anguſtiis aerarii] De tribus aerariis ſupra diximus. hoc illud eſt, quo vectigales pecuniae conferebantur, et vnde legionum ſtipendia promebantur. nam in oratione pro Balbo c. 27. *In anguſtiis aerarii victorem exercitum ſtipendio affecit.*

Subueniatis] Aliqua mercedum parte releuetis. quod Caeſar quoque fecerat.

Gloriatur, ſe breui tempore perfeciſſe, ne Gabinius vnus

omnium nequiſſimus exiſtimaretur] Eiusdem leporis illud in Vatinium c. 17. *Die dicta ab eo, quem tu vnum improbiorem eſſe, quam te, nonnumquam ſoles confiteri.*

CAPVT VI.

Militum clades] De Piſone iam dixit c. 2. *Exercitus ille noſter, ſuperbiſſimo delectu, et duriſſima conquiſitione collectus, omnis interiit:* de Gabinio c. 4. *Aduentus in Syriam primus, equitatus habuit interitum: poſt conciſae ſunt optimae cohortes.*

Anno ſuperiore] Lentulo, et Metello coſſ. nec dubitandum, quin Lentulus potius, Ciceronis amantiſſimus, quam Metellus, de Piſone, et Gabinio reuocandis ad ſenatum retulerit.

Si liberum veſtrum iudicium fuiſſet] Liberum ſenatus iudicium non fuit per aliquem tribunum plebis intercedentem.

Non credi litteris iis, quae rem bene geſtam nunciarent] Scripſerat Gabinius de re a ſe bene geſta contra Ariſtobolum in Palaeſtina, Ariſtobolique filium Alexandrum.

Supplicationem Gabinio denegauit] Lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 8. *Idibus Maii ſenatus frequens diuinus fuit in ſupplicatione Gabinio deneganda.* Idem in oratione in Piſonem c. 19.

A ſuis Graecis] Quorum conſuetudine vtebatur: vt oratio in ipſum c. 18. 27, ſeqq. demonſtrat.

In orcheſtra (Ern. *exoſtra*)] Spatium in theatro fuit, vbi ſedentes ſenatores, magiſtratus, et legati gentium exterarum, disiuncti ab equeſtri ordine, et a plebe, fabulas ſpectabant. orcheſtrae vero Graecorum cum ſcena coniungebantur: et artifices in ea ſaltabant: vnde nomen accepit.

Heluatur] Vt Epicureus, voluptati, gulaeque deditus. quod illi Cicero in oratione c. 28. obiicit.

Poſt ſiparium] Pudentius, quam in orcheſtra. eſt enim *ſiparium* velum ſcenicum.

CAPVT VII.

Quorum alter] Piſo.

Non audet] Conſcientia ſcelerum oppreſſus.

Certiores facere] De re geſta: cum tamen imperator ſit in prouincia appellatus. nam in oratione contra ipſum c. 16. 17. *Appellatus*, inquit, *eſt hic vulturius illius prouinciae, ſi diis placet, imperator. Ne tum quidem, Paulle noſter, tabulas Romam cum laurea mittere audebas?*

Ne imperator appelletur] Bis igitur imperatores appellabantur, primum ab exercitu, deinde, litteris publice miſſis, a ſenatu. Hoc dicit, quaſi Piſo timeat imperator appellari: quia ſcelerum ſuorum ſibi ſit conſcius.

Si tabellarii non ceſſarint] Qui litteras ad eum ferunt de ſupplicatione denegata.

T. Albutio] Qui Sardiniae praefuit. Idem in oratione in Piſonem c. 38.

Maſtrucatis] Maſtruca Sardorum veſtis. pro Scauro, et Quinctilianus lib. I. c. 9.

Cum maximis Syriae gentibus] Cum quibus proſpere ſe pugnaſſe Gabinius ad ſenatum ſcripſerat. quod ſenatus, audita iam equitatus, et cohortium

tium caede, credendum non cenſuit.

Graecum hominem] Graecis litteris deditum. nam homo vere Graecus in Sardiniam propraetor miſſus non eſſet. Irriſit eum Satyricus poeta Lucilius, Latinis verbis Graeca miſcentem.

Graecum te, Albuti, quam Romanum, atque Sabinum.

et quae praeterea lib. I. de Fin. c. 3. a Cicerone recitantur. de eodem in Bruto c. 35.

Quaſi triumphaſſe] In orat. in Piſonem c. 38. *Albutius, cum in Sardinia triumphaſſet, Romae damnatus eſt.*

Exitum] Damnationem, et exſilium. Tuſc. V. c. 37.

Ignominia ſenatus] Quia ſenatum contemſerat.

Conſulibus duobus] Non qui nunc ſunt, ſed qui deſignabuntur. Paullo poſt apertius.

Illas] Macedoniam, et Syriam.

Praetorias] Duae Galliae conſulibus decernentur. ita fiet, quod Sempronia lex iubet. Piſo tamen, et Gabinius, praetoriis factis eorum prouinciis, reuocabuntur. nam ſi conſulares, vti nunc ſunt, ita manerent eorum prouinciae: ſequeretur, vt vel ſolos eos, vel ſolum Caeſarem reuocari neceſſe eſſet: cum de duabus tantum conſularibus prouinciis, in quas duo conſules eant, non de quattuor, lex Sempronia loquatur.

Si hic ſinat] Fore ſignificat, vt tribunus plebis impediat, ne praetoriae fiant.

Tum] Cum agetur de praetoriis faciendis Macedonia, et Syria.

Nunc non poteſt] Non enim licet intercedere, cum de prouinciis conſularibus decernendis lege Sempronia refertur. Infra c. 8. *Mihi credite, numquam ſuccedetur illis, niſi cum ea lege referetur, qua intercedi de prouinciis non licebit.*

Qui deſignati erunt] Deſignati non ſunt, ſed ex interregno creati Pompeius, et Craſſus.

Decernam easdem praetorias] Sed nihil agam: intercedet enim tribunus plebis.

CAPVT VIII.

Annus eſt integer vobis exſpectandus] Nam, hoc tribuno plebis, Piſonis et Gabinii ſtudioſiſſimo, de quo dixit, *ſi hic ſinat*, numquam illis ſuccedetur. intercedet enim ſenatus conſulto, qui, ſi lege Sempronia prouinciae nunc decernantur, intercedere non poteſt.

L. Scipioni] Cui cognomen Aſiatico fuit, ab Antiocho Aſiae rege deuicto.

Omnes Metelli] Propter Numidicum, cui gloriam confecti Iugurthini belli legatus imperatori ſuo Marius ademit.

Gallici belli] Cimbrici. Plutarchus, et Oroſius lib. V. c. 16.

Extra ordinem] Vt ei vltra annum in Gallia eſſet imperium.

Bellum affectum] Profligatum quidem, non tamen abſolutum. Tuſc. V. c. 6. *Profligata iam haec, et paene ad exitum adducta quaeſtio eſt.* Infra c. 12. *Ipſe Caeſar, quid eſt, cur in prouincia commorari velit, niſi vt ea, quae per eum affecta ſunt, perfecta reipublicae tradantur?* Et poſt c. 14. *Vos tamen oporteret ab eodem illa omnia, a quo*

quo profligata ſunt, confici velle.

Periculum ſit] Ne inſtauratas maximi belli reliquias, ac renovatas audiamus. Infra c. 14. idem aliis verbis: *Impolitae vero res, et acerbae, ſi erunt relictae: quamquam ſunt abſciſſae, tamen efferent ſe aliquando, et ad renouandum bellum reuireſcent.*

CAPVT IX.

Summi poetae] Q. Ennii: qui M. Fuluium, Lepidi collegam in cenſura, ad bellum Aetolicum ſecutus eſt. Pro Archia c. 9.

Quae fuerunt inimicitiae grauiores] Seruilium augurem, (ſic enim appellat Plutarchus) duo Luculli fratres, Lucius, et Marcus, patris eorum accuſatorem, accuſarunt. Academicorum libro, qui inſcribitur Lucullus, c. I.

P. Seruilii incredibili grauitate dicendi] Eadem res narratur in ea poſt red. in ſen. c. 10.

Olim] Catilinae temporibus.

Et rurſum] P. Clodio tribuno plebis.

Subire coegit] Sponte enim, furente Clodio, caediſque ciuium cauſſam quaerente, ceſſi: ne, mea cauſſa, patria periclitaretur. Ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Qui meos ciues, et a me ſeruatos, et me ſeruare cupientes, ſeruis armatis obiici noluerim.* Id ſaepe etiam gloriatur in orationibus.

CAPVT X.

Religionem et pudicitiam] Cum in templum Bonae deae, muliebri veſtitu, libidinis cauſſa penetrauit. nota ſatis hiſtoria eſt.

Nonnulli] Caeſaris inimici, vt M. Cato, qui Clodii tribuni plebis leges defendebat, ne, ſi leges eae tollerentur, irrita eſſent, quae ipſe in Cypro, Clodii lege miſſus, egerat. in quo maiorem otii ſui, quam publici, rationem habebat.

Numero] Dierum quindecim, his conſulibus, quibus haec habita oratio eſt. Caeſar ipſe lib. II. de bell. Gall. in extremo ita ſcripſit: *Ob eas res, ex litteris Caeſaris, dies quindecim ſupplicatio decreta eſt, quod ante id tempus accidit nulli.* Biennio autem poſt, rebus aliis additis, iiſque maximis, decreta ei ſupplicatio eſt dierum viginti, L. Domitio, Ap. Claudio coſſ.

Honore] Verborum. De honore, et numero ſic in ea pro Balbo c. 27. *C. Caeſarem ſenatus et genere ſupplicationum ampliſſimo ornauit, et numero dierum nouo.* Et hic paulo poſt c. 11. *Dignitas verborum, honos, et nouitas, et numerus dierum, Caeſaris ipſius laudi gloriaeque conceſſus eſt.*

CAPVT XI.

Ego idem] Qui Caeſari ſuccedendum non puto.

Quot C. Mario] Ex bello Cimbrico, ſeptem dierum, aut ſaltem ſex: nam ordinaria dierum erat quinque. cum enim ſupplicatione decem dierum Pompeio decreta, duplicatam eſſe conſularem ſupplicationem Cicero ſubiungat: nimirum, quinque dierum decerni ſolitam, perſpicue demonſtrat.

Eadem] Quinque dierum, vt oſtendi.

Decreta] Ex ſententia Ciceronis, vt infra.

Conſe-

Confectoque Mithridatico bello] Abundare arbitror, *Mithridatico*.

Supplicationem dierum duodecim decreuiſtis] Aut hic, *decem*, non *duodecim*, aut ſupra, *duodecim*, non *decem*, legendum eſt. verum vtrobique malim, *decem*. nam cum dixerit, in Pompeio duplicatam eſſe ſupplicationem conſularem; facile ſuſpicor, ſupplicationem conſularem quinque dierum, non ſex, antea fuiſſe. quod exemplo ſupplicationis Paullo Aemilio decretae Liuius lib. XLV. c. 2. docet. quamquam C. Mario dies vnus, vel plures etiam additi ſunt, vt numero dierum nouo cohoneſtaretur: ſed id extra ordinem: Cicero autem de ordinaria, et vſitata conſulari ſupplicatione loquitur, cum ait in Pompeio duplicatam ſupplicationem conſularem. praeterea, cum C. Caeſari ob res in Gallia geſtas decretam primum quindecim, deinde viginti dierum ſupplicationem videam, adducor vt exiſtimem, tot dierum acceſſionem factam eſſe in ſupplicatione Caeſaris, quot facta fuerat in ſupplicatione Pompeii, quinis vtrique diebus extra ordinem honoris cauſſa conceſſis.

Dignitas verborum] Cum Caeſaris res geſtae verbis honorificentiſſimis exponerentur.

Honos] Haec ſimul iunguntur, *honos, nouitas, numerus dierum*, hac ſententia: ſupplicatio maior, quam ceteris, Caeſari decreta: in quo fuit honor. non enim hic ſimpliciter de ſupplicatione loquitur Cicero, de qua iam dixerat, *res ipſa tributa eſt diis immortalibus, et maiorum inſtitutis, et vtilitati reipublicae.* ſed de ea ſupplicatione, quae nouitate et numero dierum ceteris omnibus praeſtitit.

Nuper] Iisdem conſulibus.

De ſtipendio exercitus] Quem Caeſar nouis legionibus auxerat. propterea nouo etiam ſtipendio opus erat.

De ſtipendio] Pro Balbo c. 27. *Idem in anguſtiis aerarii victorem exercitum ſtipendio affecit: imperatori decem legatos decreuit: lege Sempronia ſuccedendum non cenſuit. Harum ego ſententiarum et princeps, et auctor fui.*

Non decreui ſolum] Ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 7. non ſe decreuiſſe, ſed decretum eſſe, diſſimulans ſcribit: ne, reſtitutus in patriam, a priſtina ſententia, id eſt, ab optimatum cauſſa deſciviſſe videretur. *Quod ſcribis*, inquit, *te velle ſcire, qui ſit reipublicae ſtatus: ſumma diſſenſio eſt, ſed contentio dispar. Nam qui plus opibus, armis, potentia valent, profeciſſe tantum mihi videntur ſtultitia, et inconſtantia aduerſariorum, vt etiam auctoritate iam plus valerent. Itaque, perpaucis aduerſantibus, omnia, quae ne per populum quidem ſine ſeditione ſe aſſequi poſſe arbitrabantur, per ſenatum conſecuti ſunt. nam et ſtipendium Caeſari decretum eſt, et decem legati: et, ne lege Sempronia ſuccederetur, facile perfectum eſt.* Quae tamen omnia ipſe ſua ſententia decreuerat: vt ex hac oratione ſatis conſtat.

Scribendo affui] Cum ſenatus conſultum ſcriberetur. Quattuor modis erga Caeſarem ſtudium ſuum declarat; quod de ſtipendio decreuerit; quod, vt alii decernerent, laborauerit; quod multa diſſentientibus reſponderit; quod ſcribendo affuerit. Maximum

mum autem, ſi quis ſcribendo adeſſet, amorem in eum, cuius de honore agebatur, prae ſe ferebat. itaque ad Catonem lib. XV. Fam. epiſt. 6. *res*, inquit, *ipſa declarat, tibi illum honorem noſtrum ſupplicationis iucundum fuiſſe, quod ſcribendo affuiſti. Haec enim ſenatus conſulta, non ignoro ab amiciſſimis eius, cuius de honore agitur, ſcribi ſolere.* Quod ad loquendi genus attinet: ſatis multa diximus in comm. epiſt. fam. lib. VIII. epiſt. 8.

Praeda ante parta] Quae reſeruabantur ad ornamentum triumphi. praeda enim ex hoſtibus parta geſtari ſolebat in triumpho.

CAPVT XII.

Affecta] Non confecta. de hoc verbo iam diximus c. 8.

An dies auget eius deſiderium] Quaſi dicat: Obliuionem potius, quam deſiderium, tempus auget: triumphusque ſi differatur, qui differetur, ſi remanet in Galliis Caeſar; ſplendor eius minuetur potius interuallo temporis, quam augebitur. quare, quod ad ipſum attinet, cauſſam habet, cur decedere, non cur in Galliarum imperio diutius commorari velit. ſed, belli perficiendi cauſſa, ne decedat, nos curare debemus, ſiquidem de republica potius, quam de homine, laboramus.

Cuius feruore] Non loquitur de fluctibus, ſed de piratarum quaſi efferueſcentium infinita multitudine. ſupra c. 4. *Mithridaticos impetus, totumque Pontum armatum, efferueſcentem in Aſiam, atque erumpentem.*

Aſia] Quam Attalus rex populo Romano legauerat.

Tribus nouis prouinciis] Mithridatico bello Pompeii virtute partis, Bithynia, Ponto, Syria.

CAPVT XIII.

Socius] In opprimenda Catilinae coniuratione. fuit enim praetor Cicerone conſule. poſt praeturam in Galliam vlteriorem iuit: rebellantesque Allobroges repreſſit. Dio lib. XXXVII. epitome lib. CIII.

Hac ſcelerata coniuratione excitatum] Salluſtius in Cat. c. 45. et orat. III. in Catil. c. 2.

Quieuit] Ad eorum ſedes non penetrauit. biennio tamen poſt, L. Domitio, Ap. Pulchro coſſ. triumphauit. Dio lib. XXXIX. et lib. IV. ad Attic. epiſt. 16. lib. III. ad Q. Fr. epiſt. 4.

Contriuit] Non placet, *contriuit, compulit:* vt minor ſignificatio ſit in ſecundo verbo, quam in primo, contra Ciceronis conſuetudinem: *conterruit*, pro *contriuit*, ex auctoritate veterum librorum libenter lego.

CAPVT XIV.

Impolitae res, et acerbae, ſi erunt relictae, quamquam ſunt abſciſſae, (Ern. *acciſae*) *tamen efferent ſe aliquando, et ad renouandum bellum reuireſcent*] *Abſcindi* dicuntur ea, quae coniuncta diſrumpuntur: quod hic non quadrat: itaque malim, *acciſae*, quam *abſciſſae*, et apud Virgilium lib. VII. Aen. v. 316.

Non licet amborum populos
excindere regum.

ſcriptum eſſe, *excidere*, in Mediceo libro ait Pierius Valerianus, vir de litteris optime meritus. nam

nam *excindo* vnde deducatur, non video.

Liberos] Vnam tamen habuit Iuliam, vxorem hoc tempore Pompeii Magni. Sed hic eſt Ciceronis mos, vt de vno filio, *liberos*, dicat. qua de re pro lege Manilia c. 12.

Vos tamen oporteret ab eodem illa omnia, a quo profligata ſunt, confici velle] *Profligare* plus eſt, quam *incipere*, minus, quam *conficere*. itaque dixit paullo ante c. 12. *Ipſe Caeſar, quid eſt, cur in prouincia commorari velit, niſi vt ea, quae per eum affecta ſunt, perfecta reipublicae tradantur?* vide locum lib. VIII. Fam. epiſt. 6.

Profligata] Affecta. quo verbo ſupra bis vſus eſt.

CAPVT XV.

Virorum clariſſimorum] Conſularium: cum ante Ciceronem ſententiam dixerint.

De quibus diſſerui paullo ante] Illa ſignificat, quae a Caeſare profligata, confici ab eodem, ſi maneret in imperio, vna, aut altera aeſtate poterant.

Eam ſe ſciſcere legem] Vatiniam, quae Caeſari citeriorem Galliam cum Illyrico dederat. Qui citeriorem, inquit, Galliam Caeſari non adimit, oſtendit probari a ſe Vatiniam legem, quam tamen, vt contra auſpicia latam, eſſe legem neget. Vlteriorem autem ſenatus dederat, non populus: auctore Suetonio in Iulio c. 22. Hanc ſententiam opinor a M. Bibulo eſſe dictam. is enim et conſularis, et Caeſaris inimiciſſimus. nam M. Cato ne praetorius quidem adhuc erat. neminem autem, vt iam dixi, niſi conſularem, rogatum eſſe ſententiam ante Ciceronem, veriſimile videtur.

Cui non poſſit intercedi] Non poterat intercedi vlteriori Galliae, quia ſenatus illud, non populi, beneficium fuerat. itaque non ad tribunos plebis, ſed ad ſenatum, vt conſeruaret beneficium ſuum, pertinebat illa defenſio. peccabat igitur ſenator ille, qui beneficium ſenatus auferebat a Caeſare, populi relinquebat. populus enim citeriorem Galliam dederat.

Quae defenſorem habeat] Nam ſi citerior adimeretur, intercederent tribuni plebis, ius et poteſtatem populi tuentes.

Belli Gallici rationem habet] Vlteriorem non attingit: vult enim ea confici, quae profligata ſunt, in quo fungitur officio boni ſenatoris. citeriorem decernit, cum hoc tamen, ne ſucceſſor eat in prouinciam, niſi geſto conſulatu, Kalendis Martiis.

Legem] Vatiniam.

Seruat] Quia, cum lex Vatinii citeriorem Galliam in quinquennium Caeſari dediſſet, hic ſenator non ante quintum annum ei ſuccedi vult. quo tempore abſoluto, conſul quoque metuebat, ne cui, inuito ſenatu, eadem prouincia alia lege ita daretur, vt a Vatinio Caeſari data fuerat. Infra c. 16.

Qui mihi nihil videtur minus] Malim: *Quo mihi nihil videtur magis*. nam, *qui*, non eſt in vetere Cardinalis Borromaei libro, ſed, *que*. alioqui diuerſum quiddam ab eo, quod agitur, videbitur illud, *quam vt*, *qui conſul*. cum tamen id eſſe conſtet, quod a dignitate, diſciplinaque maiorum diſſidere, Cicero dicit.

Qui conſul Kalendis Ian. habere prouinciam debet] Quibus igitur deſignatis conſulibus decretae prouinciae fuiſſent, ab iis finem conſulatus exſpectari nolebant conſules, qui de prouinciis retulerant, ſed ire in prouincias, cum primum magiſtratum iniuiſſent: vt eo citius imperium Caeſari ex dimidia ſaltem parte adimeretur.

Deſponſam] Ita promiſſam, vt eam tamen interim non attingat.

Ante quam deſignatus eſſet] Retulerant enim conſules, vt ſequentis anni conſulibus, quicumque deſignati eſſent, lege Sempronia prouinciae decernerentur.

Sortietur an non] Mos erat, vt in prouincias ituri ſortirentur, aut compararent inter ſe. Liuius lib. VIII. c. 20. Cicero lib. I. Fam. epiſt. 9. alii.

Ante certam diem] Ei praefinitam. Paullo ante: *Praefinit ſucceſſori diem.*

Kalendis ei denique Martiis] Non quae erunt, ipſo conſule, ſed anno ſequenti. dictum eſt enim ſupra: *Fuerit toto in conſulatu ſine prouincia.* Praeterea ſi Vatinii lex ſeruatur, ante quinquennium adimi citerior Gallia Caeſari non poteſt.

Attamen his ſententiis Piſo in prouincia permanebit] Disputavit hactenus de duabus ſententiis: concludit, neutra Macedoniam attingi: cum tamen ea potius, quam vlterior, aut citerior Gallia, cum Syria videatur eſſe coniungenda.

CAPVT XVI.

Honores eximios, et prope ſingulares] Infra: *Omnibus a ſenatu eximiis, ac nouis rebus ornatus.* Et ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Cum etiam Caeſar, rebus maximis geſtis, ſingularibus ornatus et nouis honoribus, ac iudiciis ſenatus, ad auctoritatem eius ordinis adiungeretur.*

Gratis etiam (Ern. *grati: ſin etiam*)] Vt cum ei Galliam vlteriorem veſtra ſponte decreuiſtis.

Hic] In hoc ordine.

In illos fluctus] Ad populi ſtudium, ad popularem rationem. Recte ſenatum, in quo ſumma grauitas, et ſapientia, *portum* vocat, populum vero *fluctus*, quia, mente parum certa, numquam conſiſtit, et libidine potius, quam conſilio, mouetur. id eo liberius dicit, quia loquitur in ſenatu.

Referunt adſpectum in curiam] In communi ſententia Caeſarem quodam modo deſcribit.

Conſule] Marcellino. is enim in conſulatu maioris animi videtur fuiſſe, quam Philippus: et is etiam fortaſſe ſolus de prouinciis retulerat, diſtricto, et impedito Philippo propter affinitatem et Caeſaris, et Catonis, qui ſe mutuo peſſime oderant. Attiam, Octauii, qui Auguſtus poſtea dictus eſt, matrem, Iuliae, ſororis Caeſaris, filiam, habebat in matrimonio, Marciam vero, filiam ſuam, Catoni collocauerat.

Nobis inuitis, alicui decernatur] Exemplo Vatinii, qui eam Caeſari dedit inuito ſenatu. *Decernatur*, aut non proprie Cicero dixit, aut mendoſum eſt. ſubaudiri enim conſtat, a populo, tribunicia lege: cum dicat, *nobis inuitis.* at hoc verbum de populo non ſolet vſurpari. decernit enim ſenatus, populus iubet.

Poſt eos conſules, qui nunc erunt deſignati] Abſoluto ſcilicet imperii

imperii tempore, quod in ea prouincia Caeſari lex Vatinii tribuerat. quam ob cauſſam ſupra quoque c. 15. dictum eſt: *Legem, quam non putat, eam quoque ſeruat. praefinit enim ſucceſſori diem.*

Per manus] Vt, cum ipſe attributum ſibi lege Vatinia in citeriore Gallia imperii tempus abſoluerit, alteri, non quem ſenatus, ſed quem populus miſerit, eandem prouinciam tradat.

CAPVT XVII.

C. Varroni] Viſelliae gentis: de quo ſic in Bruto c. 76. *Erat etiam vir doctus in primis C. Viſellius Varro, conſobrinus meus.* Ibidem: *Neque verbis aptiorem cito alium dixerim, neque ſententiis crebriorem. Praeterea perfectus in litteris, iurisque ciuilis iam a patre Aculeone traditam tenuit diſciplinam.*

Quibus ego ſi minus aſſentiebar] Quod eae ſenatui non probarentur. In Piſonem c. 32. *Ego C. Caeſarem non eadem de republica ſenſiſſe, quae me, ſcio: ſed tamen, quod iam de eo, his audientibus, ſaepe dixi, me ille ſui totius conſulatus, eorumque honorum, quos cum proximis communicauit, ſocium eſſe voluit, detulit, inuitauit, rogauit.*

Quinqueuiratum] Malim legere, *vigintiuiratum*, vt eſt lib. II. ad Attic. epiſt. 6. et 7. et lib. IX. epiſt. 2. et apud Quinctilianum lib. XII. c. 1. Velleium lib. II. c. 45. Suetonius quoque, M. Attium Balbum, ſororis Caeſaris virum, inter vigintiuiros agrum Campanum plebi lege Iulia diuiſiſſe, ſcribit in Auguſto c. 4. quare ſi malim, ſex locorum teſtimonio vnum corrigi, quam ex vno tria mutari, abſurde mihi facere non videar.

In tribus ſibi coniunctiſſimis conſularibus] Cum Pompeio, et Piſone, Caeſari coniunctiſſimis, quia Pompeius eius gener erat, Piſo ſocer: quibus additus Cicero tertius conſularis fuiſſet. Pompeium quidem in vigintiuiris fuiſſe ex eo mihi liquet, quod eum Cicero Balbi collegam vocat lib. II. ad Attic. epiſt. 12. Adiuuat hanc opinionem, quod infra dicitur: *Illum quidem amico animo me habere eodem loco, quo principem ciuem, ſuum generum, ſentiebam.* Nam Piſonem, inimicum ſuum, nominare noluit.

Legationem] In Gallia. lib. II. ad Attic. epiſt. 19. *Caeſar me ſibi vult eſſe legatum. honeſtior haec declinatio periculi.*

Obſtinatione quadam ſententiae] Ne de meo ſtatu declinarem. quod infra dicit, aut, ne diſſentirem a vobis: quibus inuitis et legem agrariam Caeſar tulerat, et legatos quoque, ſine ſenatus conſulto lege Vatinia ipſe deligebat. vnde in Vatinium c. 15. *Age, factum eſt horum aliquid in aliis: raro: ſed tamen factum eſt, vt populus deligeret imperatorem. Quis legatos vmquam audiuit ſine ſenatus conſulto? ante te nemo: poſt continuo fecit idem in duobus prodigiis reipublicae Clodius.*

Multis enim non probabo] Iudicantibus eam legationem repudiari a me non debuiſſe, qua accepta, ſequentis anni vim, et iniuriam, illatam mihi a tribuno plebis Clodio, vitaſſem. Ad Terentiam lib. XIV. Fam. epiſt. 3. *Meum fuit officium, vel legatione vitare periculum, vel diligentia,* et

et copiis reſiſtere, vel cadere fortiter.

Firmiſſimis opibus] Caeſaris.

Populari praeſidio] Caeſar enim vel maxime apud populum gratia valebat.

A veſtris ſanctiſſimis mentibus] Non probantibus ea, quae conſul Caeſar egerat.

Aut de meo ſtatu declinare] Cum in optimatum cauſſa, et in ſenatus auctoritate, contemta ambitione illa populari, ſemper omnia poſuiſſem. Huc illud ſpectat, quod ſupra dictum eſt: *Quae ego omnia non ingrato animo, ſed obſtinatione quadam ſententiae repudiaui.*

Eodem loco] Cum me in tribus ſibi coniunctiſſimis conſularibus eſſe voluit.

Traduxit ad plebem inimicum meum] Cauſſa, cur Clodium ad plebem traduxerit, exponitur in oratione pro domo c. 16. his verbis: *Hora fortaſſe ſexta diei queſtus ſum in iudicio, cum C. Antonium, collegam meum, defenderem, quaedam de republica, quae mihi viſa ſunt ad illius miſeri cauſſam pertinere. Haec homines improbi ad quosdam viros fortes longe aliter, atque a me dicta erant, detulerunt. Hora nona, illo ipſo die, tu es adoptatus.* Et apud Suetonium in Iulio c. 20. *Cicerone in iudicio quodam deplorante temporum ſtatum, P. Clodium, inimicum eius, fruſtra iam pridem a patribus ad plebem transire nitentem, eodem die, horaque nona traduxit.* Haec igitur traductionis cauſſa fuit, non ea, quam hic Cicero ſubiungit ad Caeſaris excuſationem, cui coniunctiſſimus erat hoc tempore.

A conſulibus proximis] Piſone, et Gabinio.

CAPVT XVIII.

Adhuc] Non, ad hanc diem, ſed quod ad illud quidem tempus attinet, donec ille conſul fuit.

Tempeſtas] Furor Clodii tribuni plebis poſt Caeſarem conſulem.

Terror iniectus Caeſari de ſuis (Ern. *eius*) *actis*] Totam hanc rem exponit in ea pro Sextio c. 18. his verbis: *Illi autem aliquo tum timore perterriti, quod acta illa, atque omnes res anni ſuperioris labefactari a praetoribus, infirmari a ſenatu, atque principibus ciuitatis putabant, tribunum popularem a ſe alienare nolebant.*

Adiutus] A Caeſare.

Non debui (Ern. *debuit*)] Cum eius beneficia, quibus acceptis ſeruari poteram, repudiaſſem. Velleius lib. II. c. 45. *Hoc ſibi contraxiſſe videbatur Cicero, quod inter vigintiuiros diuidendo agro Campano eſſe noluiſſet.*

Sibi fortaſſe prouidit] Timuit fortaſſe, ne infirmarentur acta ſui conſulatus.

Aut putant] Errore ducti.

Aut volunt] Odio in Caeſarem, cui me inimicum eſſe vellent.

Vltimi temporis] Vetuſtiſſimi: de quo ſupra c. 17. *Primum illud tempus familiaritatis, et conſuetudinis, quae mihi cum illo, quae fratri meo, quae C. Varroni, conſobrino noſtro, ab omnium noſtrum adoleſcentia fuit, praetermitto.*

Per aliquos] Qui putant, me cum Caeſare non reipublicae cauſſa, ſed illius felicitate commotum,

motum, mihique priuatim conſulentem, in gratiam rediiſſe.

Magni cuiusdam hominis, et perſapientis] Quam iſti laudem mihi adimunt, odio maxime in Caeſarem: cum quo non poſſe me dicunt reipublicae cauſſa coniungi; quandoquidem is contra rempublicam conſul omnia fecerit.

CAPVT XIX.

A viris fortiſſimis] In tuenda republica.

De me optime meritis] Cum reſtitutus in patriam ſum. Bibulum, Catonem, L. Domitium, alios, Caeſari inimicos, deſignat.

Participes eſſe nolui] Solus enim acerbiſſimam iniuſti exſilii calamitatem pertuli: cum tamen illa non mea tantum, ſed bonorum omnium cauſſa fuerit. Pro Balbo c. 26. *Fuit hoc ſiue meum, ſiue reipublicae fatum, vt in me vnum omnis illa inclinatio communium temporum incumberet.*

Meo iam iure] Quia defendunt ipſi inimicum meum, quem fuiſſe quidem improbum tribunum, ſed tribunum tamen dicunt: cum ego illum, hominem patricii generis, lege curiata, cum de caelo ſeruaretur, ad plebem traductum, tribunum eſſe potuiſſe negem. Confertur hoc in Catonem, qui lege Clodia in Cyprum miſſus, euerti acta ſua ſimul cum Clodii tribunatu intelligebat.

Deſugi] Cum eius beneficia contemſi.

Iure latas negant (Ern. *negabant*)] Quia contra auſpicia latae ſunt.

Vir ſumma auctoritate] Cum hic ſententiam ante Ciceronem dixerit, conſularem fuiſſe neceſſe eſt. et opinor Bibulum fuiſſe. nam Cato, nondum praetorius, ante conſularem Ciceronem ſententiam rogatus non eſſet.

Iuſtum] Iure rogatum.

Et indictum] Pro domo c. 16. *Video quosdam clariſſimos viros, principes ciuitatis, aliquot locis iudicaſſe, te cum plebe iure agere potuiſſe: qui etiam de me ipſo, cum tua rogatione funere elatam rempublicam eſſe dicerent, tamen id funus, etſi miſerum, atque acerbum fuiſſet, iure indictum eſſe dicebant. quod de me ciue, ac de republica bene merito tuliſſes, funeſtum funus te indixiſſe reipublicae: quod ſaluis auſpiciis tuliſſes, iure egiſſe dicebant.*

Reliqua non reprehendo] Quod Iulias leges iure latas negant, quia, cum ferrentur, de caelo ſeruatum ſit.

Ad id, quod ſentio, aſſumo] Nam ſi verum eſt, quod dicunt, iure rogatum a Clodio de me; quia nemo tum de caelo ſeruauit; vt ſeruatum eſt in legibus Iuliis; quas ideo iure latas negant: ſequitur, vt, quod rogatum eſt de Clodio ad plebem traducendo, iure rogatum non ſit: tunc enim Bibulus, ferente legem curiatam Caeſare, de caelo ſeruauit. quod ſi plebeius eſſe non potuit: tribunus plebis eſſe qui potuit? et ſi tribunatus eius ratus non eſt: quod ab eo tribuno de me rogatum eſt, iure rogatum eſſe, dici nullo modo poteſt. Haec Cicero: at Cato leges Clodii eſſe irritas ideo negabat, quod in iis erat ea, qua ipſe in Cyprum miſſus erat.

Illud] Proſcriptionem illam mei capitis. nam eam legis nomine Cicero appellandam non cenſet.

Quia nemo de caelo ſeruarat] Ferente ad populum de me Clodio. Licebat autem per veteres leges, cum lex ferretur, ſeruare de caelo, id eſt, impedire: cum magiſtratus crearetur, non licebat. Phil. II. c. 32. Gellius lib. XIII. c. 14. Dio lib. XXXVIII.

Qui id egerat] Qui de me tulerat.

Dici] Ab iis, qui Iulias leges irritas eſſe cupiebant.

De caelo eſſe ſeruatum] Quod ſi verum eſt: lex curiata ferri non potuit. ergo nec ille plebeius eſſe potuit ſine lege: nec, ſi plebeius non fuit, tribunus plebis eſſe potuit.

Nihil eſt, quod irritum ex actis Caeſaris poſſit eſſe] Quae tamen iſti rata eſſe nolunt, quia ſeruata auſpicia non ſint. ſed ſi ratus eſt Clodii tribunatus, non ſeruatis, cum plebeius fieret, auſpiciis: ergo et rata Caeſaris acta, licet, cum leges Iuliae ferrentur, ſervata auſpicia non ſint. Bibulus enim tunc de caelo ſeruauit.

Pernicioſiſſimae res] Vt illa proſcriptio mei capitis.

Auſpiciorum religione conſervata] Quia, cum Clodius de me tulit, nemo de caelo ſeruauit.

Aut vobis ſtatuendum eſt] Illa ſeruari non oportere, quae ſuis legibus ſanxit Clodius. ille enim legem Aeliam, et Fuſiam abrogauit: ille tulit, vt omnibus faſtis legem ferre liceret: ille cenſoriam poteſtatem ſuſtulit: quae ſunt omnia pernicioſa reipublicae. aut, ſi leges illius conſervandas eſſe ducitis: permittite mihi, vt, cum vos in rebus perditis, id eſt, in iis, quas tribunus egit Clodius, auſpiciorum iura non ſpectetis, eadem ego auſpicia in bonis rebus, id eſt, in iis, quas Caeſar conſul egit, pariter non ſpectem. poſtremo, nihil obſtent auſpicia Clodii legibus: fuerit, quod ego nego, iure tribunus plebis: quid ſequetur? vt leges omnes ſint euerſae, ac perditae ciuitatis: eas enim ſuis legibus euertit Clodius.

Non eſſe abrogatam] Quam abrogauit Clodius cum Fuſia.

De caelo ſeruari, obnunciari, intercedi licere] Quae ſuſtulit Clodius, vt, cum vellet, legem, nullo impediente, ferre poſſet. quamquam de interceſſione ſublata nuſquam legi: nec ſublatam tribuniciam interceſſionem a tribuno plebis crederem, niſi adderetur, *cum lex feratur*. ita Clodius populo cauit, non ſenatui, cum intercedi ſenatus conſulto poſſet, legibus non poſſet.

Cenſorium iudicium] In oratione in Piſonem c. 4. *Ab eodem*, inquit, *homine, in ſtupris inauditis, nefariisque verſato, vetus illa magiſtra pudoris, et modeſtiae, ſeueritas cenſoria, ſublata eſt.* Quo loco docet Pedianus, legem a Clodio latam, ne quem cenſores in ſenatu legendo praeterirent, neue qua ignominia afficerent, niſi qui apud eos accuſatus, et vtriusque cenſoris ſententia damnatus eſſet.

Contra leges ſacratas] Quae vetabant, niſi qui plebeii eſſet generis, tribunum plebis quemquam fieri.

Contra auſpicia fuiſſe] Quia quo die ad plebem tranſiuit, curiatam legem ferente Caeſare conſule,

conſule, eo die Bibulus de caelo ſeruauit.

Aut (ab Ern. abeſt) *in rebus bonis*] *Aut*, abundat.

Alio modo] Saluis auſpiciis.

Aut (ab Ern. abeſt) *in Clodio auſpiciorum ratio ſit eadem*] Aut, ſi mihi non concedunt, vt in rebus bonis ea non exquiram, quae ipſi in perditis non exquirunt: id eſt: aut, ſi mihi non concedunt, vt non laborem de auſpiciis, contra quae Caeſaris leges latae ſunt; quia velint omnino auſpiciorum religionem conſeruari; non recuſo, modo eadem religio conſeruetur in Clodio, id eſt, in ea lege, quam de Clodii adoptione contra auſpicia Caeſar tulit.

Leges omnes] Ab eo latae.

Sint euerſae, ac perditae ciuitatis] Latae putentur contra rempublicam, contra veteres leges, moremque maiorum, in euerſa ac perdita ciuitate non ſint leges liberae ciuitatis, ſed euerſae, ac perditae.

CAPVT XX.

Hoc tempore] Cum ille maximas res gerat: quarum curſum impedire boni ciuis non eſt.

Summorum virorum exemplo] Quos ſupra c. 9. nominauit.

Opinio iniuriae] Illius in me, cum traduxit ad plebem inimicum meum.

Beneficio] Ad Lentulum lib. I. fam. epiſt. 9. *Huc acceſſit commemoranda quaedam, et diuina Caeſaris in me, fratremque meum liberalitas: qui mihi, quascumque res gereret, tuendus eſſet. Nunc in tanta felicitate, tantis que victoriis, etiam ſi in nos non is eſſet, qui eſt, tamen ornandus videretur. Sic enim te exiſtimare velim, cum a vobis, meae ſalutis auctoribus, diſceſſerim, neminem eſſe, cuius officiis me tam eſſe deuinctum non ſolum confitear, ſed etiam gaudeam.* Et lib. IV. ad Attic. epiſt. vlt. *Perſpice aequitatem animi mei, et ludum, et contemtionem Seleucianae prouinciae, et meam hercule cum Caeſare ſuauiſſimam coniunctionem. haec enim me vna ex hoc naufragio tabula delectat. qui quidem Quintum meum, tuumque dii boni! quemadmodum tractat honore, dignitate, gratia? non ſecus, ac ſi ego eſſem imperator. Hunc tu non ames? quem igitur iſtorum?*

Si honos quidam] Diſtinguit honorem a dignitate: et in honore plus videtur ponere. ſignificat enim cauendum, ne, ſi Caeſaris honor detractione prouinciae minuatur, diſcordia in ſenatu aliqua propter diſſenſionem exorta rempublicam perturbet.

Decretorum veſtrorum] Quibus eum ornaſtis.

Probare omnibus] Vt omnes in hoc recte ſentire me dicant.

Repugnante veſtra auctoritate, texerunt] Accuſari a Milone vetuerunt. *Repugnante*, interpretor, ne tegeretur. nam cum loquatur in ſenatu, vitat ea, quae poſſint eum ordinem offendere. in oratione autem pro Sextio, cum apud iudices verba faciat, ſenatus auctoritate Clodium eſſe tectum, ereptamque Miloni eius accuſandi poteſtatem, oſtendit. cum enim c. 44 de Clodio dixiſſet: *Ille, qui monumenta publica, qui aedes ſacras, qui domos inimicorum ſuorum oppugnauit, excidit, incendit, qui ſtipatus ſemper ſicariis, ſeptus armatis, munitus indicibus fuit, quorum*

hodie copia redundat, qui et peregrinam manum facinoroſorum concitauit, et ſeruos ad caedem idoneos emit, et in tribunatu carcerem totum in forum effudit, volitat aedilis, accuſat eum, qui aliqua ex parte eius furorem exſultantem repreſſit: de Milone ſubiunxit: *Hic, qui ſe eſt tutatus ſic, vt in priuata re deos penates ſuos, in republica iura tribunatus, auſpiciaque defenderet, accuſare eum moderate, a quo ipſe nefarie accuſatur, per ſenatus auctoritatem non eſt ſitus.* De eadem re ſenatum aperte reprehendit ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. cum ait: *Qui non pluris fecerat Bonam deam, quam tres ſorores, impunitatem eſt illorum ſententiis aſſecutus, qui, cum tribunus plebis poenas a ſeditioſo ciue per bonos viros iudicio perſequi vellet, exemplum praeclariſſimum in poſterum vindicandae ſeditionis de republica ſuſtulerunt.*

Cum inimico ſuo] Cum Caeſare. notat in primis M. Bibulum, M. Catonem, L. Domitium.

In gratiam non dubitarint redire] Hinc illa Ciceronis querela in eadem ad Lentulum: *Erat hoc mihi dolendum: ſed multo illud magis, quod inimicum meum, meum autem? immo vero legum, iudiciorum, otii, patriae, bonorum omnium, ſic amplexabantur, ſic in manibus habebant, ſic fouebant, ſic me praeſente oſculabantur; non illi quidem, vt mihi ſtomachum facerent, quem ego funditus perdidi, ſed certe vt facere ſe arbitrarentur.* Feci, inquit, cum Caeſare, eorum inimico, quod illi cum Clodio, et meo, et ipſorum inimico, facere non dubitauerant.

Non dubitarint] Nulla mei ratione habita, parum laborantes, ſi mihi probaturi non eſſent.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM
PRO
L. CORNELIO BALBO

ARGVMENTVM.

L. *Gellius, Cn. Cornelius conſules legem ex ſenatus ſententia tulerunt, vti ciues Romani eſſent ii, quos Cn. Pompeius imperator, magnis in Hiſpania rebus geſtis, de conſilii ſententia ſigillatim ciuitate donaſſet. ex ea lege Pompeius L. Cornelium Balbum, cuius virtutem ac fidem in eo bello cognouerat, ciuitatis iure donauit. id accuſator irritum eſſe dicebat: quoniam ex foederato populo nemo poſſet, niſi is populus fundus factus eſſet, in ciuitatem Romanam venire: Gaditanum populum, cum Balbus ciuitate donaretur, fundum factum non eſſe: ergo donationem illam ratam eſſe non poſſe. Tota cauſſa pendet a foedere, id eſt, ab interpretatione eorum verborum, vt populus fundus fieret. aliter enim accuſator, aliter ea Cicero interpretabatur: accuſator ſic, fundum fieri populum, cum auctor eſſet eius rei, quam alienaret: Cicero, cum acciperet vnam, pluresue leges Romae latas, vt iis legibus in poſterum, aeque ac populus Romanus, vteretur, et in populo foederato, tamquam in aliquo fundo, leges eae reſiderent. quam ſententiam Gellius lib. XVI. c. 13. commotus, opinor, auctoritate Ciceronis comprobauit. quamquam idem lib. XIX. c. 8. a Cicerone et a ſe ipſo diſſentiens, fundum accipit pro eo, qui auctor eſt, et qui approbat.* Haec ego, *inquit*, dixi, non vt huius ſententiae, legisque fundus ſubſcriptorque fierem; ſed vt ne Caeſaris, viri docti, opinionem ἀπαραμύθητον deſtituerem. *Mihi omnino Feſtus Pompeius, et Plautus, veriorem eſſe accuſatoris interpretationem, Ciceronem autem, ſeruientem cauſſae, ſenſum peruertiſſe, facile perſuadent. quid enim apertius iis verbis Feſti?* Fundus dicitur populus eſſe rei, quam alienat, hoc eſt auctor. *Nec obſcurum illud Plauti in Trin. act. V. ſc. 1. v. 6.*

Nunc mihi is propere conueniendus eſt; vt, quae cum eius filio
Egi, ei rei fundus pater ſit potior.

Acta cauſſa eſt Marcellino et Philippo coſſ. vt ex ipſa colligitur oratione: quod ſuo loco oſtendam. L. Cornelius Balbus appellatur, quia, licet a Pompeio ſit ciuitate donatus, beneficium tamen illud L. Cornelii Lentuli gratia conſecutus eſt: a quo et praenomen, et nomen de more ſumſit. atque is Lentulus videtur eſſe, qui belli ciuilis anno primo conſul fuit: quod quidem ex epiſtola Balbi licet intelligere, quae inter eas ad Attic. lib. IX. 15. legitur. Idem Balbus, cum adoptatus eſſet a Theophane Mitylenaeo, Pompeii liberto, Theophanis cognomen accepit. id apud Capitolinum in Balbino c. 7. ſcriptum eſt his verbis: Familiae vetuſtiſſimae, vt ipſe dicebat, a Balbo Cornelio Theophane originem ducens, qui per Cn. Pompeium ciuitatem meruerat, cum eſſet ſuae patriae nobiliſſimus, idemque hiſtoriae ſcriptor. *Et in hac oratione c. 25.* Adoptio Theophanis agitata eſt. *Eſt autem hic Balbus maior, procurator Caeſaris, qui apud eum gratia plurimum valuit, et conſulatum Auguſto imperante geſſit. eius fratris filius, Balbus minor de Garamantibus triumphavit, auctore Plinio lib. V. c. 5. lib. VII. c. 37. Strabone lib. III. Solino c. 42. cum quibus faſti Capitolini conſentiunt.*

EXPLANATIO

CAPVT I.

A*b ampliſſimis viris*] Cn. Pompeio, M. Craſſo.

Qui amici fuerint ſaluti et dignitati meae] In quibus potiſſimum Pompeius fuit.

Heſterno die] Ante Pompeium igitur dixerat Craſſus.

De iure] Ciuitatis.

Subtilius] *Subtiliter*, et *acute*, non idem ſunt: quod hic locus oſtendit. nam cum Pompeii diverſae virtutes commemorentur ſeptem: de prima ſubtilius, de ſecunda dicitur acutius. eſt autem *ſubtilitas* orationis, quae ſingula perſequitur, nihil vt res ea, quae agitur, deſiderare poſſit. quae maxime virtus in diſputando requiritur. lib. II. de Offic. c. 10. *Alia eſt illa, cum veritas ipſa limatur in diſputatione, ſubtilitas.* lib. I. Acad. c. 9. *Zeno, cum Arceſilam anteiret aetate, valdeque ſubtiliter diſſereret, et peracute moueretur: corrigere conatus eſt diſciplinam.*

De memoria (Ern. *more*)] Hoc ſi refertur ad memoriam antiquitatis, ſuperuacaneum videtur, ob ea, quae ſequuntur: et interdum abundare, *de memoria*, ſum arbitratus.

Illuſtriore auctoritate] Propter maximas res ab ipſo geſtas.

Grauius] Quod ipſa poſtulat reipublicae dignitas.

De cauſſa, et crimine] Criminis loco ponebat accuſator, quod Balbus in ciuitatem contra foedus veniſſet, in quo ſcriptum erat, ne quis ciuis Romanus fieri poſſet, niſi populus eius fundus factus eſſet.

Nonnulli litterati (Ern. *litteris — dediti*)] Quinam praeter Stoicos? qui ſapientem tenere

virtutes omnes affirmabant: vt facile, cum vellet, omnia tractare poſſet.

Omnes animo virtutes] Morales ſignificat, quae vel ſine litterarum ſtudio comprehendi omnes animo poſſunt, quod etiam litterati homines nonnulli, qui contra potius videntur ſentire debuiſſe, verum tamen eſſe exiſtimarunt.

Omnia, quae facere vellet, facillime tractare (Ern. *omnia quam facillime tractare*)] Ne videatur amicitiae cauſſa Pompeium laudaſſe, cui tribuit ea, quae litterarum ſcientiam requirerent, a qua ille longe aberat, qui totam aetatem in bellis conſumſerat, excogitauit hanc ſententiam, vt eum ornaret omnibus virtutibus, quae nullo doctrinae ſtudio comprehendi animo poſſent: vt, hoc poſito, facilem eſſe Pompeio rerum omnium tractationem oſtenderet.

Hic extremus perorandi locus] In quo plurimum pollet oratio. ideo Ciceroni tribuebatur, quod ipſe gloriatur in Bruto c. 51.

CAPVT II.

Sui facti] Quod Balbum ciuitate donauerit.

Apud eosdem vos, iudices] Ergo in alia cauſſa de iure ciuitatis.

Auctorem] Approbatorem. nam *auctor* eſt, et qui futurum aliquid, et qui praeteritum probat.

Hoc dignum reo (Ern. *rei*) *videtur*] Hoc Balbo, pro ſuis erga me meritis, proque ſua innocentia, concedendum.

Furatus eſſe ciuitatem] Vt multi, tribus modis, vel quod genus ementirentur, ſeque Romanae gentis eſſe dicerent, qui non eſſent: vel quod alio impudenti mendacio ſuam peregrinitatem obtegerent: vel quod, quamquam ciues Romani non eſſent, in cenſum tamen irrepſiſſent, vt in poſterum ex ipſo cenſu ciues haberentur.

Duriſſimo bello] Quod cum Sertorio, varia fortuna, geſtum eſt.

Q. Metello] Pio, Numidici filio.

Vt Pompeius in Hiſpaniam venerit] Sertorianum bellum gerebat Metellus: qui cum ſufficere non videretur, Pompeius a Sulla miſſus eſt.

Memmiumque habere quaeſtorem coeperit] Qui Metelli quaeſtor fuerat ante aduentum Pompeii.

Quaeſtorem] Quamquam eques Romanus adhuc Pompeius eſſet, verum quia cum imperio proconſulis ad id bellum miſſus eſt, ideo quaeſtorem habere potuit.

Carthaginem] Nouam: vt caperetur.

Sucronenſi, et Durienſi (Ern. *Turienſi*)] Apud duo flumina, Sucronem et Duriam. Plutarchus in Pompeio, et Sertorio: qua de re haec apud Salluſtium lib. III. Hiſt. in epiſtola Pompeii ad ſenatum: *Caſtra hoſtium apud Sucronem capta, et proelium apud flumen Duriam, et dux hoſtium C. Herennius cum vrbe Valentia, et exercitu deleti, ſatis clara vobis ſunt.*

Ad extremum belli tempus] Anno demum decimo, duorum ducum virtute, ſed praecipua Pompeii vigilantia, confectum illud bellum eſt.

Summo imperatore] Pompeio.

Spes

Spes praemiorum] Ideo Romanae ciuitatis honorem conſecutus eſt.

Non ſunt in eius facto] Non ſunt conſideranda tamquam factum Balbi, ſed tamquam Pompeii, qui dedit.

CAPVT III.

Cauſſa ipſius] Meritum.

Poena] Vt ei ciuitas adimatur.

Cauſſa laedatur] Improbetur cauſſa. quaſi enim facere non debuerit id, quod fecit, ita factum illius damnatur; non vt in eum tamen poena recidat, ſed vt in Balbum.

Caput] Quia ciuitatis ademtio, capitis imminutio eſt.

Actione accuſatoris] Id enim agit, vt Pompeii factum reſcindatur: non quaſi Balbus peccaverit, cuius cauſſam probat, cum eum fatetur optime de republica meritum; ſed quaſi Pompeii crimen ſit, cum eum ciuitate donauit.

CAPVT IV.

Quot orae ſunt, parteſque terrarum] Triumphauit ex Africa primum, Hiarba Numidiae rege victo; deinde ex Hiſpania, caeſo Perperna, Sertoriani belli duce; poſtremo ex Aſia, Mithridate, et Tigrane deuictis.

Ita ſumma fortuna cum ſumma virtute certauit] Simile illud de Prouinciis c. 4. *Sic fortuna cum improbitate certauit, vt nemo poſſet, vtrum deterior, an infelicior eſſet, iudicare.* Et illud lib. IV. in Verr. c. 28. *Erat ea varietate operum, vt ars certare videretur cum copia.*

Non poſtulanti: imperia vero etiam recuſanti (Ern. *non poſtulanti imperia, verum etiam recuſanti*)] Ego ſic, vel contra veteres omnes libros, ſententiam ſecutus emendaui. antea vero, *non poſtulanti imperia, verum etiam recuſanti.* de quo tamen liberum cuique iudicium relinquo.

CAPVT V.

Q. Metellus] Numidicus, L. F. addidit, vt eum diſtingueret a Q. Metello Balearico, Q. F.

De pecuniis repetundis] Ex qua prouincia, mihi nondum conſtat: niſi forte ex Numidia; quam ſortitus, cum Iugurtha bellum geſſit.

Cui patriae ſalus dulcior, quam conſpectus, fuit] Cum iurare nollet in legem Saturnini tribuni plebis, quam iniquiſſimam iudicabat, in exſilium miſſus eſt. Valerius Max. lib. III. c. 8. Epitome lib. LXIX. Appianus lib. I. de bell. ciu.

Equitibus Romanis] Qui ſoli tum iudicabant ex lege C. Gracchi.

Quin remoueret oculos] Scribit ad Atticum lib. I. epiſt. 16. eandem rem his verbis: *Tabulas Metelli Numidici, cum eae, vt mos eſt, circumferrentur, noſtri iudices adſpicere noluerunt.* Et Valerius Max. lib. II. c. 10.

Decretum] De Balbo ciuitate donando.

Iudicium (abeſt ab Ern.)] Ipſius Pompeii de Balbo. ſupra c. 2. *Qui ſui facti, ſui iudicii, ſui beneficii voluit me eſſe, vt apud eosdem vos, iudices, nuper in alia cauſſa fuerim, et praedicatorem, et auctorem.*

De

De conſilii ſententia] Lex a Gellio et Lentulo coſſ. lata iubebat, vti ciues Romani eſſent ii, quos Cn. Pompeius de conſilii ſententia ſigillatim ciuitate donaſſet.

Pronunciatum] In concione.

Recognoſcemus] Vt, rectene factum ſit, conſideremus. Eodem ſenſu in Vatinium c. 2. *Defendebatur, teſtibus collegis ſuis, non recitandi cauſſa legiſſe, ſed recognoſcendi.*

Pertendemus (Ern. *perpendemus*)] *Pertendere*, plus eſt, quam *conferre.* pertendit enim, qui rem cum re ex omni parte ita confert, vt in vitium diligentia delabatur. itaque Varro lib. IV. de ling. Lat. dictam ait a pertendendo pertinaciam.

Cum quidam apud eos] Quem hic non nominat, Xenocratem philoſophum fuiſſe, et ipſe dicit lib. I. ad Attic. epiſt. 16. et Valerius Max. lib. II. c. 10. et Laertius.

Vt eius gloriae domicilium communis imperii finibus terminetur] Ornat eadem laude Caeſarem infra c. 28. *Quoniam*, inquit, *C. Caeſar abeſt longiſſime, atque in iis eſt nunc locis, quae regione orbem terrarum, rebus illius geſtis imperium populi Romani definiunt.*

CAPVT VI.

Interpretationem] Nam ſi Gaditana lingua ſcriptum foedus non intelligebat, poterat tamen Latinis explanatum litteris intelligere.

Cauſſa dicta eſt] Hactenus et mendo verba vacant, nec in ſententia vitii quidquam eſt. ea, quae ſequuntur, valde perturbata. ſenſus hic fortaſſe fuit: ſe locutum eſſe de Pompeio potius, quam de cauſſa: nunc ea dicturum, quae ad legem, ad foedus, ad exempla, moremque ciuitatis pertinent: de quibus iudicium eſt. paullo poſt c. 7. *Omittam igitur Pompeium in oratione mea reliqua: ſed vos, iudices, animis ac memoria tenetote. De lege, de foedere, de exemplis, de perpetua conſuetudine ciuitatis noſtrae renouabo ea, quae dicta ſunt.*

CAPVT VIII.

Satis eſſe ſancti (Ern. *ſanctum*)] *Sancitum*, rectius.

Sigillatim] Quia alii antea multos ſimul ciuitate donauerant. infra.

Vt tum] Animaduerte, *vt*, iteratum ſine cauſſa: quod alibi quoque obſeruauimus.

C. Furius] Fuſiam legem appellat lib. I. in Verr. c. 42. et ita legendum vbique arbitror.

Q. Voconius] Huius legis mentio fit lib. I. in Verr. c. 41. in Catone c. 5. lib. II. de Fin. c. 17.

Iulia] A L. Iulio Caeſare conſule, lata anno primo ſocialis belli.

Qui fundi populi facti non eſſent] Qui populi leges eas non adſciuiſſent, et quibus in populis leges eae, tamquam in fundo, non reſediſſent. ſic enim Cicero verba foederis interpretatur, malitioſe, vt arbitror: de quo dixi iam in argumento.

Iuris (Ern. *foederis*) *ſui libertatem*] Ergo municipia quaedam legibus ſuis viuebant, ea ſcilicet, quae ciuitatem habebant ſine ſuffragio: de quibus loquitur Gellius lib. XVI. c. 13. et Liuius lib.

lib. IX. c. 43. adducto trium Hernicorum populorum exemplo.

Beneficio noſtro] Cum eis leges noſtras communicamus.

Non ſuo iure] Non vt impedire poſſint, quo minus, quos velimus, ciuitate donemus.

Quo iure vti velint] Velintne noſtris potius, quam ſuis, vti legibus.

Quaerendum eſſe] Non in fortibus viris ciuitate donatis: quod nunc accuſator quaerit.

CAPVT IX.

Stipendiarios] Qui ſunt deteriore conditione, quam foederati, de quo diximus in Diuin. c. 3.

Publice donari videbamus (Ern. *videmus*)] Malim, *videmus*: cum ſupra dixerit, *videmus, ſcimus.*

CAPVT X.

Tuis ciuibus] Erat igitur Gaditanus accuſator, ſed ciuis Romanus.

CAPVT XI.

Aut etiam poſſe ex foederatis] Quod ſi ex foederatis poſſe negas, idem negas ex omnibus populis liberis: quandoquidem illud de populis fundis commune liberorum eſt populorum, non proprium foederatorum: et tamen ex populis liberis multi donati ciuitate ſunt; nec quaeſitum eſt, quod tu nunc in Balbo quaeris, vtrum ii populi fundi facti eſſent, an non.

Dicatione] Cum ſe ciues noſtri ſua ſponte aliis ciuitatibus dicarunt.

In calamitate] Cum a iudicibus condemnati eſſent.

Q. Maximo] Ignota mihi hiſtoria.

P. (Ern. *C.*) *Laenati*] P. Popillio, conſulari viro, C. Gracchi lege pulſo, poſtea reſtituto: vt in orat. poſt red. in ſen. c. 15.

Q. Philippo] Neque de hoc quidquam legi.

Nuceriae] In oppido libero.

C. Catone] De repetundis damnato, propter XVIII millia H-S non amplius, agentibus Mamertinis. lib. IV. in Verr. c. 10.

Q. Caepioni] Damnato de repetundis ex Gallia, poſt conſulatum, quem cum C. Atilio Serrano geſſit. Gellius lib. III. c. 9. Strabo lib. IV. alii.

P. Rutilio] Damnato ab equitibus Romanis, quod in Aſia quaeſtor Scaeuolae prouinciales ab eorum iniuriis defendiſſet. Cicero in Bruto c. 30. Aſconius in Diuin. c. 17. alii.

Poſtliminio] Si quis, aliqua ciuitate donatus, et inde priorem in patriam reuertiſſet, eam ciuitatem, qua donatus erat, poſtliminio amittere dicebatur.

Libertino homine] Cognomen ipſum libertinum hominem indicat.

Is Publicius] Gloſſema fortaſſe, *Publicius.*

Domum] Veterem patriam.

CAPVT XII.

Reiectione huius ciuitatis] Malim, *relictione*: cum dixerit, *his rebus relictis.*

Sponſione] Cum duae ciuitates viciſſim ſpondent, aliquid ſe eſſe facturas.

Recuperaſſent] Lata lege ad populum, ne ciuitatem Romanam amitterent: vt latum eſt de Publicio Menandro.

CAPVT

CAPVT XIII.

Ne quis noſtrum plus, quam vnius ciuitatis eſſe poſſit] Rectius videtur, *vnius ciuitatis ciuis eſſe.*

Varietatem iuris] Neminem autem decet vario iure viuere.

Ne quis inuitus ciuitate mutetur] Ne populi quidem iuſſu. quo pertinent illa pro domo c. 29. *Ius a maioribus noſtris, qui non ficte et fallaciter populares, ſed vere et ſapienter fuerunt, ita comparatum eſt, vt ciuis Romanus libertatem nemo poſſet inuitus amittere. — Ciuitatem vero nemo vmquam vllo populi iuſſu amittet inuitus.* c. 30. *Populus Romanus, L. Sulla dictatore ferente comitiis centuriatis, municipiis ciuitatem ademit: ademit iisdem agros. de agris ratum eſt: fuit enim populi poteſtas: de ciuitate, ne tam diu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt.*

Mutaretur] *Mutetur*, malim: vt congruat cum, *poſſit, maneat.*

Violatum foedus eorum videretur] Vt violatum in Balbo foedus Gaditanum accuſator dicit.

CAPVT XIV.

Exceptum eſt, inquit] In foedere Gaditano: ſi quidem ſacroſancta ſunt foedera. Argumentum accuſatoris. Qnod ſacroſanctum eſt, violari non licet. foedera ſacroſancta ſunt: ergo nullam foederati populi partem, niſi populus ipſe conſentiat, licet attingere. Non conſenſit populus Gaditanus in Balbo: ciuitatem igitur Balbus mutare non potuit. quamquam in ipſo foedere diſertis verbis non ſit exceptum, ne quem populus Romanus Gaditanum recipiat ciuitate. Argumentum Cicero refellit earum rerum definitione, quae ſacroſanctae ſunt.

Poenorum iura] Gaditanorum. nam et Gaditanum accuſatorem fuiſſe, ſupra dictum eſt: et Gades Poenorum colonia fuit.

Reliqueras] Aliquo crimine. nam in verbo, *reliqueras*, hoc tacite ſignificatur.

Iudicio publico] Quo damnatus es.

Repulerunt] Damnatio legum cognitione priuat: quia damnati, praeſertim iudicio publico, non praeficiuntur publicis muneribus. ita leges inſpicere, et cognoſcere non poſſunt.

In qua (Ern. *quo*) *aliquid ſacroſanctum videretur*] Lego cum duobus antiquis libris, vno Fulvii Vrſini, altero Maſaeiano: *In qua aliquid ſacroſanctum exceptum videretur?* hoc ſenſu. ſcriptum eſt in Gellia et Cornelia lege, vt excipiatur, ſi quid ſacroſanctum eſt: (hoc enim infra patet) ipſa tamen lex proprie nihil nominat, quod vt ſacroſanctum excipiat. At excipit, ſi quid ſacroſanctum eſt. Quid tum? non ideo excipit foedus Gaditanum: quod ſacroſanctum non eſt; cum de eo populus nihil iuſſerit.

Sanctiones] Ea, quae populus, plebsue ſancit.

Sacrandae ſunt] Rectius, opinor, *ſacroſanctae ſunt.*

Genere ipſo] Verbis ipſis, quibus obteſtatur lex, ne quis contra faciat.

Aut obteſtatione et conſecratione legis] Perſpicue mendoſus locus: quem ex iis, quae ſequuntur, ita reſtituo: *vt obteſtatione legis:* haec enim interpretatio eſt ad illud, *genere ipſo.* quod vero delemus, *et conſecratione;* id

id ea ratione facimus, quia de conſecratione ſubiungitur, *aut poena*, cum caput eius, qui contra facit, conſecratur: vt idem bis dici non oporteat. duobus enim modis ſanctiones ſacroſanctae ſunt, aut obteſtatione legis, aut poena. atque haec diſtinctio perſpicue cognoſcitur infra, cum ait: *Vtrum a capitis conſecratione, an obteſtatione legis ſacroſanctum eſſe confirmas?* Totum igitur locum, ſublatis mendis ſententiam obſcurantibus, ita legendum exiſtimo: *Sanctiones ſacroſanctae ſunt aut genere ipſo, vt obteſtatione legis, aut poena, cum caput eius, qui contra facit, conſecratur.*

Nihil omnino vmquam de iſto foedere ad populum, nihil ad plebem] Tertia ratio cur ſacroſanctum non poſſit eſſe foedus Gaditanum. dixerat enim iam: *Sacroſanctum eſſe nihil poteſt, niſi quod populus, plebsue ſanxiſſet.*

De quibus] De Gaditanis.

Etiam ſi latum eſſet] In foedere, de quo populus, plebsue ſanxiſſet.

Neque legem, neque poenam] Gloſſema hoc puto. nam, vt oſtendatur, ſacroſanctum foedus eſſe non poſſe, ſatis eſt dicere, nihil de eo neque ad populum, neque ad plebem latum eſſe: quod referetur ad illud ſupra dictum: *Sacroſanctum eſſe nihil poteſt, niſi quod populus, plebsue ſanxiſſet.* nam ſi populus, plebsve non ſancit: lex non fertur. et cum lex non feratur, quid ſacroſanctum eſſe poteſt? abſunt enim et conſecratio capitis, et obteſtatio legis.

Quod populus poſtea iuſſiſſet] Iuſſit aut poſtea populus, legem ferentibus Gellio et Lentulo coſſ. vti ciues Romani eſſent ii, quos Cn. Pompeius de conſilii ſententia ſigillatim ciuitate donaſſet.

Illis verbis] Quae ſunt in lege Gellia, et Cornelia: quae non impediunt, quo minus id, quod populus poſtea iuſſit, ratum ſit.

CAPVT XV.

Cn. et P. Scipiones] Cnaeus pater eius, qui vir optimus a populo Romano iudicatus, Idaeam matrem aduectam e Phrygia ſuis manibus accepit: Publius Africani maioris.

Occidiſſent] Oppreſſi ab Aſdrubale, Hannibalis fratre.

L. Marcius] Eques Romanus. vide hiſtoriam apud Liuium lib. XXV. c. 37, ſeqq.

Primipili centurio] Summus ordo inter pedites legionarios. nam in legione tria peditum genera erant, haſtati, principes, triarii; et in ſingulis deni centuriones, his nominibus, primus haſtatus, ſecundus haſtatus, tertius, vsque ad decimum: primus princeps, ſecundus, et ſimiliter. in triariis, omnium fortiſſimis, alia ratio. non enim dicebant, primus triarius, ſed, primipilus, aut primi pili centurio. priſcis autem temporibus primus centurio, auctore Liuio, qui lib. VII. c. 41. ita ſcripſit: *Alternis prope annis et tribunus militum et primus centurio erat, quem nunc primipilum appellant.* Cicero lib. V. ad Attic. epiſt. 20. *At ille cohortem primam totam perdidit, centurionemque primi pili, nobilem ſui generis, Aſinium Dentonem.* Caeſar lib. II. de bell. Gall. c. 25. *Primipilo P. Sextio Baculo.* Liuius lib. XLIV. *Placere, tribunum militum*

militum primipilo legionis ſecretum edere imperium. Idem Caeſar lib. V. de bell. Gall. c. 35. et Liuius lib. VII. c. 13. *primum pilum ducere.* Plinius autem lib. XXII. c. 6. *primum pilum capeſſere,* pro adminiſtrare, dixit. Hic igitur inter centuriones triariorum honore primus erat, id eſt, primus in ſua legione, poſt tribunum militum, qui parebat legato, ſicuti legatus conſuli. Aquilae, ſigno legionis, praeerat: et cum non poſſet nobiliorem inter centuriones locum obtinere, a primo pilo ad tribunatum militum aſcendebat: interdumque rurſus primum pilum capeſſere non recuſabat. propterea dixit Liuius: *Alternis prope annis et tribunus militum, et primus centurio erat, quem nunc primipilum appellant.* Hic venit in mentem quaeri poſſe, quo nomine *primipilus* a reliquis triariorum centurionibus diſtingueretur. Opinor, vt ſecundus haſtatus, tertius haſtatus, ſecundus princeps, tertius princeps, et deinceps, itidem, ſecundus triarius, tertius, quartus vsque ad decimum, dictum eſſe. diſtinctio enim neceſſaria eſt. quae autem veriſimilior, quam quae ſequitur exemplum?

Aliquo publico vinculo religionis] Aliquo populi Romani iuſſu, quo populus vterque religione obligaretur: vt deinde ſacroſanctum foedus illud eſſet. propterea dicit infra c. 17. *veterem illam ſpeciem foederis Marciani:* pro, imaginem quandam foederis, non vere foedus, de quo populus nihil ſanxiſſet. Atque haec verba tantum ad populum ſpectant. nam de ſenatu non dicitur, *publica religio,* ſed de populo, de quo paullo poſt: *Quod publica religione ſanciri potuit, id abeſt.*

Publici iuris periti] Veriti, ne foedus illud Marcianum, quod neque ſenatus, neque populus comprobaſſet, ratum non eſſet.

A ſenatu de foedere poſtulauerunt] Senatus decreuit, populus ſententiam non tulit. ideo foedus quidem eſt, non tamen ſacroſanctum.

Foedere] Catuli.

CAPVT XVI.

Nihil eſt enim aliud in foedere] Vnde igitur ſumebat accuſator illa verba, *fundum populum fieri oportere?* ex aliis fortaſſe foederibus.

Qui erranti comiter monſtrat viam] Transtulit huc Ennii verſum: *Vt homo, qui erranti comiter monſtrat viam:* ex lib. I. de Offic. c. 16.

CAPVT XVII.

Legem populum Romanum iuſſiſſe de ciuitate tribuenda] Latam a Gellio, et Lentulo: vt Pompeius, cui vellet, ciuitatem dare poſſet.

Hoc genere (Ern. *huic generi*) *legum fundos populos fieri non ſolere*] Non enim huiusmodi leges a populis accipiuntur, ſed eae, quibus in publicarum rerum adminiſtratione, aut in iure ciuili vtantur. *Fundos populos,* hic accipiendum e ſententia Ciceronis, in quibus leges a populo Romano latae tamquam in fundo reſiderent. quod Cicero temporis cauſſa ſenſit, accuſatore aliter, et, vt arbitror, recte interpretante.

 De

De conſilii ſententia] Non temere, vel gratiae cauſſa, ſed de conſilii ſententia, approbantibus iis, quos in caſtris magnarum rerum conſiliarios habebat. ſupra c. 5. *Nos Cn. Pompeii decretum, iudicium de conſilii ſententia pronunciatum recognoſcemus?*

Nullum populi noſtri iuſſum Gaditanos habere] Quod autem populus non iuſſit, id ſacroſanctum eſſe non poſſe. foedus igitur eorum ſacroſanctum non eſt: non enim de eo populus ſententiam tulit.

Nihil eſſe ſacroſanctum, quod lege exceptum videretur] Nihil ſacroſanctum lex excipit, potius, ſacroſanctum ſi quid eſſet, id ſustulit, cum definite Pompeio donandae ciuitatis poteſtatem dedit. ſed concedatur, lege exceptum eſſe, ſi quid eſſet ſacroſanctum: quid obeſt hoc Balbo? in foedere Gaditano ciuitatis nulla mentio: de pace tantum cautum eſt.

Legatione ipſa] Legatos populus Gaditanus Romam miſerat, teſtem ſuae voluntatis erga Balbum.

Speciem] Non proprie foedus, ſed ſpeciem foederis: quia nullo publico religionis vinculo teneretur: ideoque Gaditani poſt multos annos renouandum curarunt, Lepido et Catulo coſſ. vt paullo ante dictum eſt.

Marciani] Icti a L. Marcio.

Marte (Ern. *arce*)] Iocatur in ſimilitudine nominum, *Marciani, Marte:* tametſi diuerſe ſcribantur: ſed diuerſitatem pronunciatio non ſentit.

Hoc foedere Catuli] Catulus conſul, Lepido collega, ſtudente nouis rebus, a republica remoto, cum Gaditanis foedus renouauit.

Noſtros imperatores] Qui vel in Hiſpania, vel in Africa contra Carthaginienſes bellum geſſerunt.

Scipiones] P. et Cn. fratres, qui in Hiſpania ſunt interfecti.

Brutos] D. Iunium Brutum, qui de Gallaecis triumphauit.

Horatios] Deprauatum nomen, aut ſuperuacaneum. nam Horatium, qui bellum geſſerit vel in Hiſpania, vel in Africa, nullum inuenio.

Craſſos (Ern. *Caſſios*)] P. Craſſum, qui conſul cum Cn. Lentulo fuit, et de Luſitanis triumphauit; pater M. Craſſi, aequalis Cn. Pompeii.

Metellos] Q. Metellum Pium, qui contra Sertorium cum Pompeio pugnauit.

CAPVT XX.

Ille augur] Fuit enim eodem tempore alter Q. Scaeuola, pontifex max.

De aqua noſtra Tuſculana] De Crabra. ad Tironem lib. XVI. Fam. epiſt. 18. in agraria III. c. 2. et apud Frontinum de Aquaeduct. c. 9.

M. Annium Appium] Appium, praenomen eſſe, nemo ignorat: itaque vel, *Apulum*, vel *Papum*, legendum puto. quamquam, cum hunc Appium fuiſſe Camertem conſtet, rectius puto, *Papum*, aut aliquid ſimile. Auctor eſt Valerius Max. lib. V. c. 2. non hunc vnum, ſed duas Camertium cohortes a Mario ciuitate donatas. confirmat Plutarchus, qui mille Camertes nominat. quo ſimul intelligitur, quingentos in cohorte milites fuiſſe.

Camer-

Camertinum foedus] *Camertinum* deducitur a *Camers: Camers* autem a *Camerino*, vrbe Vmbriae: *Camerinus* a *Camerio*, quod in Latio deletum a Romulo eſt: *Camarinenſis* a *Camarina*, Siciliae oppido. Quorum deductionem nominum docte, ac diligenter obſeruauit familiaris meus Ioannes Maria Iouius, non vulgari vir ingenio atque doctrina: eoque in libro adnotauit, in quo Camertium antiquitates proſequitur.

Diſcipulum] Ad Numantiam. Velleius lib. II. c. 9. Plutarchus in Mario.

Spoletinus dixit] Examinata ſententia mendum oſtendit. nam pro, *Spoletinus*, omnino, quae neget, vox aliqua requiritur. Non, inquit, hoc dixit, Antiſtius contra Matrinium, quod tu dicis in cauſſa Balbi, fundum populum, Spoletinum non eſſe factum.

Lege Appuleia] L. Appuleii Saturnini tribuni plebis.

Re ipſa ſublata] Coloniis non deductis.

Ardor oculorum] Quo Gallum deterruit, qui Minturnis ad eum in carcere occidendum miſſus erat. Velleius lib. II. c. 19. Plutarchus in Mario.

CAPVT XXI.

Licinia et Mucia lege] Quam conſules L. Licinius Craſſus orator, Q. Mucius Scaeuola pontifex max. tulerunt, vt ſocii vrbe egreſſi in ſuas ciuitates redirent. vnde bellum ſociale natum videtur. pro Sextio c. 13. lib. II. de Orat. c. 64. Haec autem lex poſt bellum Cimbricum lata, quo bello duas Camertes cohortes, vt proxime docui, C. Marius ciuitate donauerat. rurſus poſt eam legem, Cn. Pompeius, Magni pater, ſociali bello duabus item ex eodem populo cohortibus ciuitatem dedit: vt infra c. 22. ſunt enim diſtinguenda tempora: ne quis erret in duabus Camertium cohortibus.

Ex colonia Latina] Nam ſi fuiſſet ex Romana, ciuis Romanus fuiſſet. aliud enim eſt, habere ius Latii: aliud, Romanae ciuitatis.

L. Antiſtius] Antiſtius vnus in ea pro Sex. Roſcio c. 32. vt orator, nominatur, alter in Bruto c. 49. 63. ſed Publii praenomine.

CAPVT XXII.

Quid? cohortes duas vniuerſas Camertium] Dixi iam, hoc ad Cn. Pompeium pertinere. alii referunt ad P. Craſſum. ſed diuerſa res. Craſſus enim Heracljenſium legionem, non cohortes Camertium, ciuitate donauit. itaque factum eius in donanda ciuitate diſtinguitur ab aliis, vt praecipue animaduertendum, in iis verbis, *ex ea ciuitate, qua cum prope ſingulare foedus Pyrrhi temporibus C. Fabritio conſule ictum putatur.*

P. Craſſus] Idem, vt arbitror, quem ſupra nominauimus, pater M. Craſſi, qui ſe Marianis bellis, ne in manus inimicorum incideret, interemit. Aſconius in orat. pro Scauro.

Quoniam de Gaditanis agimus] De Balbo Gadibus nato.

Bello illo Africano] Quod cum Cn. Domitio, et Hiarba rege geſſit: Balbum autem ex bello Sertoriano.

Obuios] Quid hoc ſit, non ſatis aſſequor. hoc tamen exiſtimo,

proficiſcenti ad Africanum bellum Pompeio obuiam iuiſſe Mamertinos, operamque ſuam detuliſſe: quod officium tanti eum feciſſe, vt praemii loco ciuitatem donauerit.

Quosdam Vticenſes] Municipes poſtea fuere Vticenſes, deinde, imperatorum aetate, in colonias mutari voluerunt. Gellius lib. XVI. c. 13.

Summus poeta noſter] Q. Ennius, qui Latinis verſibus annales compoſuit de bello Punico ſecundo.

Hoſtem qui feriet] Ad hunc verſum reſpexit lib. V. in Verr. c. 12. *Iſte*, inquit, *Hannibal, qui in ſuis caſtris virtute putaret oportere, non genere certari.*

Cuiatis] Pro, *cuias*, vt *primatis, optimatis, Arpinatis.* Priſcianus lib. IV.

Siet] *Siet*, plenum eſſe; *ſit* imminutum; dixit in Oratore c. 47.

CAPVT XXIII.

Lege Papia] Duae leges Papiae diuerſis temporibus de ciuitate latae ſunt: de quibus diximus in oratione pro Archia c. 5. hic vtraque ſignificari poteſt. nam vtraque peregrinos iure priuabat Romanae ciuitatis, poſterior autem Italos excipiebat. cum igitur Mamertini, Siciliae populi, ciuem ſuum M. Craſſum lege Papia, peregrinos Romana ciuitate excludente, repeterent; iudicum tamen cognita voluntate, diffidentes legi, publice ſusceptam cauſſa deſtiterunt.

M. Craſſo] Qui cum Mamertinus fuiſſet, ciuis Romanus factus eſt, et Romana nomina de more ſumſit.

Deſtiterunt] Cum exitum iudicii viderent.

Quomodo] Non vis Balbum eſſe ciuem Romanum, quia fundus populus Gaditanus factus non ſit: at L. Caſſinius Tiburs, et ex eadem ciuitate T. Coponius, ciuitatem Romanam adepti ſunt, licet populus Tiburtinus fundus factus non eſſet.

Damnato Coelio] Accuſauit Caſſinius Coelium ſenatorem, et damnauit. eius accuſationis ex lege Seruilia praemium tulit ciuitatem Romanam. Coelio libenter adderem praenomen, vt infra additur Maſſoni, ipſi quoque damnato: nec magna mutatio eſſet, *C. Aelio*, aut *C. Coelio.*

Maſſone] Cognomen Papiriae gentis patriciae: vt ad Paetum lib. IX. Fam. epiſt. 21. neque tamen aliarum quoque gentium cognomen eſſe poſſe negauerim: ſicuti pluribus cognominibus vnam quoque gentem vſam eſſe animaduertimus.

Lingua, et ingenio] Lege Seruilia ſancitum erat, vt ciuis Romanus eſſet, ſi quis ex populo foederato ſenatorem accuſaſſet, et damnaſſet.

De nobis trahere ſpolia] Nobis damnatis tamquam ſpolium habere ciuitatem.

De hoſtibus] An, ſi quis ex foederato populo ſenatorem accuſauerit, et damnauerit, ciuis Romanus erit: ſi quis pro republica contra hoſtes pugnauerit, non erit? ſpolium igitur habebit de nobis, de hoſtibus non habebit?

CAPVT XXIV.

Principes viri] Senatores: quorum damnatione ciuitatem Latinis dari Seruilia lex iubebat.

Licinia

Licinia et Mucia lege] Quae de remittendis in ſuas ciuitates ſociis lata eſt, renouata lege Claudia, de qua Liuius lib. XLI. c. 9. et XLII. c. 10.

Genus ipſum] Diuerſum a ceteris generibus.

Nomen] Opinor, de repetundis.

CAPVT XXV.

Quae neque inuidioſa eſt] Non tanta, vt inuidiam parere debeat.

Corrupta (Ern. *correpta*)] Malis artibus quaeſita.

Luxuriam] Sumtus mmoderatos.

Metelli] Pii.

Meminerat] Hoc meminerat, illud non tenebat, quod eum tenere oportuit, praedia non eiusdem gentis eſſe.

Non legibus, tamquam tutelas] Legibus tutelae non ad alienos, verum ad propinquos perveniunt.

In tribum Cruſtuminam] Ruſticam, eamque nobiliorem ea, in qua Balbus antea ſuffragium tulerat. non enim tulerat, vt arbitror, in vrbana. quod ignominioſum fuiſſe, ait Plinius lib. XVIII. c. 3. hac de re diximus in Quintiana c. 6.

Legis de ambitu praemio] Si quis aliquem de ambitu accuſaſſet, et damnaſſet, praemium hoc ferebat, vt in eius tribu, ſi modo nobilior ei, quam ſua, videretur, cenſeretur, et ſuffragium ferret.

Praetoriam ſententiam] Vt praetorio loco ſententiam diceret in ſenatu, ſi praetorium ſenatorem, accuſatum, et damnatum, eo loco deieciſſet.

Praetextam togam] Magiſtratum eum, quem ſuffragiis populi adeptus eſſet is, qui poſtea damnatus eſſet: vt, P. Sulla, P. Autronio coſſ. des. de ambitu damnatis, accuſatores eorum L. Cotta, L. Torquatus in eorum locum legis praemio ſucceſſerunt. Similiter cum C. Curio Seruium tribunum plebis deſignatum accuſaſſet, et damnaſſet, eius locum obtinuit: vt eſt in epiſt. Coelii lib. VIII. Fam. 4. propterea ſcripſit ad eum Cicero lib. II. epiſt. 7. *Cum te tribunum plebis iſto anno fore non putarem.*

Adoptio Theophanis (Ern. *Theophani*) *agitata eſt*] Vt ex opibus inuidia concitaretur. Hic Theophanes Mytilenaeus fuit, libertus Pompeii Magni, apud quem gratia plurimum valuit. adoptauit Balbum, heredemque fecit. ideo Cornelius Balbus Theophanes appellatus eſt, auctore Capitolino in Balbino c. 7.

Propinquorum ſuorum] Subobſcura ſententia: ſed hoc dici puto, Balbum, quae ex ea adoptione ad eum peruenerant, ea, cum ipſe non egeret, propinquis ſuis distribuiſſe: vt non ſuam, ſed propinquorum ſuorum hereditates aſſecutus eſſe videretur. ita quod accuſator ad contumeliam dixerat, ad laudem conuertit. Filios autem Balbo non fuiſſe, ſatis liquet. nam qui Balbus minor vocatur, qui ciuili bello Lentulum conſulem ad defectionem ſollicitauit, is fratris filius fuit.

CAPVT XXVI.

Amicis L. Cornelii] Caeſari in primis, et Pompeio.

Hominis potentiſſimi] C. Caeſaris.

In maximis noſtris malis] Temporibus Clodianis cum eiectus patria ſum.

Communium temporum] Communium malorum: in ſummis ciuium discordiis vnus ego calamitatem ſubii.

Vtrisque (Ern. *noſtrisque*) *discordiis*] Cum ab vna parte vterque conſul, Piſo, et Gabinius, P. Clodius tribunus plebis, et omnes improbi, nouarum rerum cupidi, ab altera optimates, et qui rempublicam ſaluam vellent, pro Ciceronis ſalute ſtarent.

Pro loco] Pro ſuo ſtatu, ſuaque conditione.

CAPVT XXVII.

Voluimus quaedam] Tacite ſignificat optimatum, et popularium ciuium diſſenſionem. popularium autem principem Caeſarem deſignat.

Nos] Ego, qui ex illa diſſenſione ſolus exſilii calamitatem pertuli.

Genere ſupplicationum ampliſſimo] Verbis honorificentiſſimis: quod explanat in ea de Prou. c. 10. *C. Caeſari ſupplicationes decreuiſtis, numero, vt nemini vllo ex bello: honore, vt omnino nemini.*

Numero dierum nouo] Quindecim dierum, Marcellino et Philippo coſſ. quibus haec habita oratio eſt. Caeſar lib. II. de bell. Gall. c. 35.

Lege Sempronia] Quae conſulares prouincias per ſenatum quotannis decerni iubebat. pro domo c. 9. et ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 7.

Princeps et auctor] Idem in ea de Prou. c. 11.

Diſſenſioni meae priſtinae] Cum a Caeſare diſſenſi reipublicae cauſſa.

Praeſentibus reipublicae temporibus] Meritis Caeſaris in rempublicam.

Concordiae] Ne vir potentiſſimus, maximis rebus geſtis, a republica alienaretur.

In ſententia firmiores] Adhuc a Caeſare diſſentiunt, non, vt ego, praeſentibus reipublicae temporibus, et concordiae aſſentientes.

Sententiam aliquam, tamquam aliquod nauigium, atque curſum, ex reipublicae tempeſtate moderari] Eadem ſententia ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Vt in nauigando, tempeſtati obſequi, artis eſt, etiam ſi portum tenere non queas: cum vero id poſſis, mutata velificatione, aſſequi, ſtultum eſt eum tenere cum periculo curſum, quem ceperis, potius quam eo commutato, quo velis tandem peruenire: ſic, cum omnibus nobis in adminiſtranda republica propoſitum eſſe debeat id, quod a me ſaepiſſime dictum eſt, cum dignitate otium; non idem ſemper dicere, ſed idem ſemper ſpectare debemus.*

In quos] Contra quem. Caeſarem ſignificari conſtat, cum quo perpetuas inimicitias exercebant Bibulus, Domitius Ahenobarbus.

Non cum comitatu] Non cum Balbo, Caeſaris comite, et affectatore.

Illam] Perpetuam cum aliquo diſſenſionem.

Hanc] Vt etiam cum inimicorum ſuorum comitatu, aſſectatoribusque confligant.

CAPVT XXVIII.

Ad minimam fraudem] Ad minimum damnum.

Adole-

Adoleſcens] Caeſar.

Placuit] Balbus.

Homini prudentiſſimo] Caeſari, corroborata iam aetate. vix enim, vt arbitror, de adoleſcente diceret, *homini prudentiſſimo.*

In praetura] Ex praetura in Hiſpaniam vlteriorem, ex conſulatu in Galliam Caeſar eſt profectus. in vtraque prouincia praefectum fabrum ſibi eſſe Balbum voluit.

Praefectum fabrum detulit] Malim omnino, *praefecturam fabrum.* etſi ſcio deferri ſolitos in beneficiis ad aerarium eos, qui bene de republica in prouincia meriti eſſent, vt praefectos, tribunos militum, et contubernales, vt ad Miſcinium lib. V. Fam. epiſt. 20. ſed ii deferebantur a proconſulibus ex prouincia reverſis: Caeſar autem adhuc in Gallia bellum gerebat. vtra tamen opinio doctis et ingenioſis hominibus magis probetur, valde non laboro. venit enim in mentem, cum Caeſar Balbi opera in vrbe multis in rebus egeret, dimiſiſſe eum, et publicis ad ſenatum populumque Romanum litteris teſtimonium eius et virtutis, et fidei dediſſe.

Eius] Balbi.

Huius] Pompeii, qui eum, confecto Hiſpanienſi bello, ciuitate donauerat.

Iure] Huc illa omnia referuntur, *certo, perſpicuo, vtili, probato, iudicato.*

Reos] Simul cum Balbo: vt cum eo vel damnari omnes, vel abſolui ſententiis veſtris neceſſe ſit.

Amicitias clarorum virorum] Et hic ſignificat, item vt ſupra c. 27. ab inimicis Caeſaris, et Pompeii Balbum oppugnari.

Fixum in animis veſtris tenetote] Diuerſis modis hanc ſententiam extulit: primum: *Illa, iudices, omnia ante oculos veſtros proponite:* deinde: *Tum etiam illud cogitatote:* tum: *Accedat etiam illud, vt ſtatuatis hoc iudicio:* denique: *Poſtremo illud, iudices, fixum in animis veſtris tenetote.*

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM
IN
L. CALPVRNIVM PISONEM

ARGVMENTVM

Nemini, qui paullo ſit humanior, et in hoc elegantioris doctrinae ſtudio vel minimum verſatus, ignotae ſunt Ciceronis inimicitiae cum L. Piſone, et A. Gabinio, ortae ex eo, quod illi conſules, P. Clodio tribuno plebis rogationem in Ciceronem iniquiſſimam ferente, non modo non obſtiterant pro conſulari officio, ac poteſtate, verum etiam nefarios eius conatus, et exitioſa reipublicae conſilia vehementer iuuerant. Abfuit Cicero Clodia lege pulſus per ſexdecim menſes. reſtitutus praecipua Lentuli conſulis opera, memor iniuriae Piſonis, et Gabinii, cum aliis locis acerbe eos accuſauit, tum vero, referentibus Marcellino, et Philippo coſſ. de prouinciis conſularibus lege Sempronia decernendis, ſummo ſtudio egit in ſenatu, habita, quae exſtat, oratione de prouinciis, vt Piſo e Macedonia, Gabinius e Syria reuocarentur. in quam ſententiam ſenatus conſultum factum eſt. Piſo prior, vt ex prouincia, quae propius aberat, rediit: et, vt haec oratio declarat, queſtus eſt grauiter in ſenatu de ſententia Ciceronis. ad eam querelam, nactus occaſionem vlciſcendi doloris ſui, iracunde, et acerbe hac oratione Cicero reſpondit, Pompeio, et Craſſo II coſſ. quod Pedianus contra Feneſtellam et ſentit, et probat.

EXPLANATIO

CAPVT I.

Iamne vides, bellua, iamne ſentis] Verba per vim doloris, et iracundiae expreſſa: quibus multa praepoſita fuiſſe, neceſſe eſt: quod etiam veteribus ex monumentis ſumta fragmenta declarant. *Iamne ſentis*, acerbius eſt, quam, *iamne vides.* ab vno enim oculorum

oculorum ſenſu transit ad omnes ſenſus: quo plus in Piſone ſtuporis oſtendat.

Quae ſit hominum querela frontis tuae] Quam ſe tua fronte deceptos homines querantur: cum aliud fronte promittas, aliud re vera ſis.

Nouitiorum] Seruorum: quibus tamen colore, genis, dentibus te ſimilem videmus.

Oculi, ſupercilia, frons] De Prou. c. 4. *Lateant libidines eius illae tenebricoſae, quas fronte et ſupercilio, non pudore et temperantia contegebat.*

Fumoſarum imaginum] Ob antiquitatem generis. de imaginibus Plinius lib. XXXV. c. 2. Servius lib. VII. Aen.

Mihi ipſi] Non maioribus meis.

Cum quaeſtor es factus] Orditur a quaeſtura, quia primus honoris gradus.

Nomini] Quia Piſo vocaris, putabant te antiquis Piſonibus ſimilem eſſe.

Non iſte Piſo] Non is, qui es, ſed is, quem decebat eſſe, cui Piſoni nomen eſſet.

Aedilem priorem] Aediles curules duo tantum erant. Cicero cum Caeſonio creatus eſt: vt act. I. in Verr. c. 10.

Praetorem primum] Pro lege Manilia c. 1. *Ter praetor primus centuriis cunctis renunciatus ſum.*

Caeſare, et Bibulo] Hoc delendum eſt vt gloſſema.

CAPVT II.

Melioribus auctoribus] Quam quos Rullus tribunus plebis lege ſua decemuiros creabat. Vtitur autem hac diſtinctione: *Si diuidi non oportuit, ſi oportuit:* ne Caeſarem offendat, qui conſul partem agri Campani, lata lege, diuiſerat.

C. Rabirio] Pro quo exſtat oratio.

XL annis] Propo XL annis. non eſt enim ſubtilis computatio: et hunc eſſe morem Ciceronis, Pedianus animaduertit.

Interpoſitam ſenatus auctoritatem] C. Mario, L. Flacco coſſ. annis XXXVI. ante Ciceronem conſulem.

Adoleſcentes bonos, et fortes] Marianorum proſcriptorum filios: quibus ne capere magiſtratus liceret, Sullae lege ſancitum erat. ea lex vsque ad Caeſarem dictatorem ſeruata eſt. Caeſar Panſam, proſcripti filium, conſulem deſignauit.

Vſos ea conditione fortunae] Multa mala perpeſſos victore Sulla.

Conuulſuri] Inſtructi enim poteſtate magiſtratuum, omnia commouiſſent, vt ſuas iniurias vleiſcerentur. ex ciuilibus autem discordiis ciuile bellum, et reipublicae calamitas excitatur.

Multa in republica molientem] *In republica* dicit, non *contra rempublicam*, vt collegam excuſet: qui tamen de maieſtate, accuſante M. Coelio, ipſo defendente Cicerone, damnatus erat.

Mitigaui] Ne cum Catilina palam conſentiret, effeci, communicata praeſertim cum eo prouincia Gallia. Salluſtius in Cat. c. 26.

Extremo menſe conſulatus mei] Nonis Dec. quinque coniuratis in carcere necatis.

Faces] Poſt diſceſſum Catilinae, qui poſt eum remanſerunt, alii vrbis incendendae, alii Cice-

 ronis

ronis conſulis occidendi, alii alias partes inter ſe diuiſerant.

CAPVT III.

L. Gellius] Qui conſul, cenſorque fuerat.

Ciuicam] E fronde querna ob ciues ſeruatos. Gellius lib. V. c. 6.

Non, vt multis, bene geſta] Idem ad Catonem lib. XV. Fam. epiſt. 4.

Abiens magiſtratu] Vltimo conſulatus die, prid. Kal. Ian.

A tribuno plebis] A Q. Metello Nepote. lib. V. Fam. epiſt. 2.

Quae conſtitueram] De republica a me geſta.

CAPVT IV.

Q. Metellus] Celer.

Mortuo] Mortuus eſt Caeſare et Bibulo coſſ. vt diximus in ea pro Coelio c. 14.

Magnos (Ern. *magiſtros*) *ludos*] Mendoſum eſſe locum hiſtoria docet. nam magni ludi dabantur ab aedilibus curulibus, qui et Romani dicebantur: nec eos vel ſenatus, vel Q. Metellus fieri prohibuiſſet, qui facti fuerant ab ipſo fere vrbis initio. Iam quis non videt, ſermonem hic de compitaliciis, non de magnis ludis eſſe? Lego igitur, adiuuante Pediano: *Magiſtros ludorum ludos contra ſenatus conſultum facere iuſſiſſet.*

Compitaliorum dies] Feſtus dies erat Compitalia; et, vt arbitror, vnus tantum, non plures: cum dicat Cicero, *in Kal. Ian. incidiſſet.* Sic enim legendum puto, non, *incidiſſent.* Adiuuat hanc opinionem Cicero, cum ait lib. VII. ad Attic. epiſt. 7. *Ego, quoniam IV. non. Ian. compitalicius dies eſt, nolo eo die in Albanum venire, ne moleſtus ſim familiae. veniam III. non. igitur.* Omnem autem Varro lib. V. de L. L. dubitationem aufert. *Compitalia*, inquit, *dies attributus Laribus, quotannis is dies concipitur.* Eum autem diem certum non fuiſſe, verum arbitrio fortaſſe praetorum, conſulumue indici ſolitum, declarat verbum, *incidiſſet.* Accedit ea ratio, quod hic in Kal. Ian. at lib. VII. ad Attic. epiſt. 7. in IV. non. Ian. idem Compitaliorum dies incidit. Et Varro planiſſime, conceptivum eſſe diem, item vt ferias Latinas, dicit. Certus fortaſſe, republica ad imperatores translata, dies fuit. nam in antiquis faſtis aſſignatur Compitalibus dies VI. non. Maii. cum antea paucis diebus poſt Saturnalia, auctore Dionyſio lib. IV. concipi ſolitus eſſet.

Sex. Clodium] Omnium fere P. Clodii ſcelerum conſcium, miniſtrum, adiutorem: itaque *Clodianus canis* infra c. 10. vocatur. de hoc in ea pro Coelio c. 32. *Hominem ſine re, ſine fide, ſine ſpe, ſine ſede, ſine fortunis, ore, lingua, manu, vita omni inquinatum.*

Qui numquam antea praetextatus fuiſſet] Quia magiſtratum numquam geſſerat: ſcriba enim erat.

Praetextatum volitare] Magiſtrum ludorum. Docet hic locus, magiſtros quoque ludorum praetexta vti ſolitos eſſe: lictoribus, vix adducor, vt credam: quamquam infra c. 10. ſcriptum videam: *Quid? tu in lictoribus, in toga praetexta eſſe conſulatum putas? quae ornamenta etiam in*

Sex.

Sex. Clodio, te conſule, eſſe voluiſti. Nam, *quae ornamenta,* de praetexta ſola potuit dicere, numero quidem multitudinis, verum exaggerandi gratia.

Facie] Turpiſſima: de qua ſupra c. 1. *Color ſeruilis, piloſae genae, dentes putridi.* In ea poſt red. in ſen. c. 6. vultum eius importunum appellat.

Oculo tuo] Vitioſum Piſoni oculum fuiſſe, vel ex hoc loco poſſumus exiſtimare: ſed accedit alter in eadem poſt reditum c. 7. *L. Piſo,* inquit, *tune auſus es iſto oculo, non dicam iſto animo, iſta fronte, non vita.*

Digniſſimum] De eodem Clodio ſic in ea pro Sextio c. 64. *Homo iis digniſſimus, quibuscum viuit.* Similiter locutus lib. IV. in Verr. c. 17. *Hominem digniſſimum tuis moribus.*

His fundamentis poſitis] Ludis compitaliciis contra ſenatus auctoritatem factis.

Lex Aelia, et Fufia] Aelia de obnunciatione, et interceſſione, qua perniocioſis legibus reſiſtebatur: Fufia, ne omnibus diebus faſtis legem ferri liceret. De Provinciis c. 19. pro Sextio c. 53. poſt red. in ſen. c. 5. in Vatinium c. 9. Aſconius, Dio lib. XXXVIII.

Reſtituta] Lege.

Seueritas cenſoria ſublata eſt] Tulit enim, ne quem cenſores in ſenatu legendo praeterirent, niſi qui apud eos accuſatus, et vtriusque cenſoris ſententia damnatus eſſet.

CAPVT V.

Quinto quoque anno] Quo cenſores creabantur.

His funeribus] Apte, cum dixerit, *ſepulta.*

Pro Aurelio tribunali] In tribunali Aurelio. Sic enim in ea pro domo c. 21. et poſt red. ad Quir. c. 5.

Seruorum] Quibus armatis vteretur in legibus per vim ferendis.

Buſtum legum omnium] In quo leges omnes conflagrauerunt.

Primam] Vt ego primus comitiis tuis conſularibus in prima centuria primae claſſis ſuffragium ferrem. in quo multum beneuolentiae erga te meae, multum fidei tribuere viſus es.

Rogabas] Conſul.

Numquam adſpiraſti] Numquam accedere conatus, vt amico iniquiſſime vexato opem ferres.

CAPVT VI.

Egere] Neque hoc, neque quod proxime ſequitur, *foris eſſe,* carere mendo videtur. rectius eſſet, quod ad ſententiam attinet, *aegre conſiſtere Gabinium:* et congruit cum verbo, *ſtare:* vt dicat: Nunc quidem vix conſiſtit Gabinius: ſed, niſi prouinciam habeat, ſine dubio corruet, aere ſcilicet alieno oppreſſus. At liberior coniectura. Fateor: itaque non nimis ea delector: indicandam tamen putaui, praeſertim conſentientibus in mendo veteribus libris.

Spem habere] Prouinciae obtinendae, vt per ſummas rapinas mederetur vulneribus ſuis.

Conſilia] Voluntatem: vt illa cum illo tua conſilia coniungeres, vt ille ſua cum Clodio, ſpe prouinciae, coniungere cogebatur. Sed re vera non tam collegae, quam Clodii cupiditati, eadem prouinciae ſpe, obſequi Piſo voluit. id infra c. 12. oſtenditur

ditur his verbis: *Cauerat ſibi ille ſororius adulter, vt, ſi tibi prouinciam, ſi exercitum, ſi pecuniam, ereptam ex reipublicae viſceribus dediſſet, omnium ſuorum ſcelerum ſocium te adiutoremque praeberes.*

Cum illo] Cum ipſo Gabinio. nam ſequitur: *Huius te cupiditati obſequi, ſicuti ego feciſſem in collega meo.*

Collegae meo] C. Antonio: de quo ſupra c. 2. *Ego Antonium collegam, cupidum prouinciae, multa in republica molientem, patientia atque obſequio meo mitigaui.* Pro Sextio c. 3. *In quo collega ſustinendo atque moderando, ſi meam in illum indulgentiam, coniunctam cum ſumma cuſtodia reipublicae, laudare vere ſolebatis: par prope laus P. Sextii eſſe debet.*

Nondum cernat] Ideoque minus credat.

C. Piſone] Qui L. Piſonis cognatus, Ciceronis gener erat. Pro Sextio c. 24. *Gener, et Piſo gener, a Piſonis conſulis pedibus ſupplex reiiciebatur.*

Ab eo] A Clodio, tribuno plebis.

Sic aequatum] Hic ego poſſum multa ſuſpicari: quid probem tamen, plane nihil habeo. conſulantur veteres libri, ſi quam forte deprauato loco (ſic enim arbitror) opem afferant.

Caeſoninus] Niſi me fallunt Aſconii verba, Caluentius patris Piſonis ſocer fuit, id eſt, L. Piſonis, contra quem haec oratio eſt, maternus auus. *Caeſoninus* autem cognomen eſt patris Piſonis, quod teſtimonio quoque lapidum Capitolinorum, qui anno V. C. DCV. Calpurniae genti cognomen hoc addunt, intelligitur.

Semiplacentinus] Propter maternum auum; qui trans Alpes in Italiam profectus, Placentiae conſedit. Calpurnius autem paterni generis eſt; Caluentius materni.

Crudelitatem tibi non placere] Crudelitatis notam inurebat Ciceroni; cuius conſulis iuſſu, auctore tamen ſenatu, quinque ciues Romani, coniurationis principes, in carcere eſſent interfecti.

CAPVT VII.

Hic te ille homo, digniſſimus tuis laudibus, collaudauit] Quid eſt, *homo digniſſimus tuis laudibus?* opinor, digniſſimus, a quo tu laudareris. nam, vt recte laudatur vir praeſtans a laudato viro, ſic contra improbus ab improbo: vt paria paribus reſpondeant.

Suſtuliſtis] Contemta eius auctoritate.

Abrogaſtis] Vt Aeliam, et Fuſiam: quas P. Clodius, vobis inſpectantibus, et tacentibus, abrogauit.

Eius domum] Incendiſtis. infra c. 11. et alibi.

Geminum] Simillimum.

Compuliſtis] Pulſo Cicerone, aliquamdiu Pompeius in publicum prodire non eſt auſus, metu Clodii, cum libertus eius Damio cum ſica ad ſenatum deprehenſus eſſet. infra c. 12. *Deprehenſus denique cum ferro ad ſenatum is, quem ad Cn. Pompeium interimendum collocatum fuiſſe conſtabat.* Pro Milone c. 7. et ibi Pedianus.

Mortuorum] Cum dixerit, *manes*, quis non putet abundare, *mortuorum.*

In

In Catilinae buſto] Vbi caeſus eſt Catilina.

Mactatus eſſem] Vt victima, expiandis coniuratorum manibus.

Concitaſtis] Duce Clodio.

Obiicere] Niſi ceſſiſſem.

CAPVT VIII.

Qui, cum ſenatus] Faernus, *cui cum ſenatus.* non placet.

Senatus conſulto] De veſtitu mutando.

Cum illo ſuo pari] Sic locutus poſt red. in ſen. c. 7. *Productus cum tuo illo pari.*

Cum illa ſaltatrice tonſa] Cum Gabinio collega; cui, ſaltare, exprobratum eſt: quod homini Romano turpe fuit. infra c. 9. *Neque collegae tui cymbala, ac crotala fugi.* Macrobius lib. II. Saturn. c. 10. *Tonſa:* quia breviore coma, quam ceteri, vteretur, laſciuiae cauſſa. non enim eum tonderi plane ſolitum poſſumus exiſtimare: cum ſcriptum ſit in ea pro Sextio c. 8. *Vnguentis affluens, calamiſtrata coma.*

CAPVT IX.

Aduocato] In iudicio.

Paratiorem] Ad litigandum, aut ad ſe tuendum contra actionem aduerſarii.

Conſularis et ſenatoria] Pro eo, quod conſul egeram, auctore ſenatu.

Buſtuario gladiatore] P. Clodio. *Buſtum*, locus dicebatur, vbi mortuorum corpora comburerentur. hinc *buſtuarius gladiator*, qui ſolitus eſſet homines interimere; quaſi per quem multi cremarentur.

Alia enim cauſſa] Pro Sextio c. 16. *Quid enim ſimile fuit in Q. Metello?*

Cedendum] In exſilium ire maluit, quam in legem Saturnini tribuni plebis, cui tum Marius fauebat, per vim latam, iurare.

Barbato Epicuro (Ern. *Epicureo*)] Deliciis, et voluptatibus deditos Epicureos barba longior, ſeueritatis index, non decere videbatur. Piſo tamen et Epicureus erat, vt infra c. 25. oſtenditur: et barbam alebat, vt gravitatem, ac mores, ab Epicureorum inſtitutis discrepantes, prae ſe ferens, ciuitatem falleret.

Catilinae laternario] Catilinae miniſtro, qui Catilinae nocturnis in ſceleribus laternam praeferret.

Cymbala ac crotala] Quorum ad concentum ſaltarent. Cymbala vulgo nota: de crotalis obſceni carminis poeta,

Criſpum ſub crotalo docta movere latus.

In maximis turbinibus] Temporibus Catilinae.

Frontis tuae nubeculam] Perficit translationem, quia dixerat, *turbinibus, fluctibus:* et ſimul, quod ſaepe facit, ſeueram Piſonis frontem deſignat.

Spiritum] Quaſi ventum.

Scelerum importunitate] Superuacaneum videtur hoc verbum, cum ſequatur, *impunitate.*

Eodem in templo] Vbi Clodius de me rogationem ferebat. Sit vnum.

Arbitria non mei ſolum, ſed patriae funeris abſtuliſti] Praemia mei funeris, prouinciam ſcilicet Macedoniam: quam, prodito Cicerone, accepit, lege Clodia, tamquam praemium. pro Sextio

Sextio c. 24. *Illo ipſo die, die dico? immo hora, atque etiam puncto temporis eodem mihi reique publicae pernicies, Gabinio et Piſoni prouincia rogata eſt.* *Arbitria*, id eſt, praemia, dixit in ea quoque poſt red. in ſen. c. 7. et pro domo c. 37.

CAPVT X.

Illorum dierum epulas] Pro Sextio c. 24. *Omitto gratulationes, epulas.*

Cum illum ſuum ſaltatorium verſaret orbem] Cum in orbem ſe ſaltando conuerteret.

Fortunae rotam] Hoc vt iuueniliter, ſine decoro, et grauitate dictum, reprehendi ſolere, Tacitus ait in dialogo de Orat. c. 23.

Hic autem] Piſo.

Concinnus] Vt Gabinius, munditiae, et elegantiae deditus.

Muſicus] Qui cantu, cymbaliſque delectaretur. nam ad concentum fidium, vocumque ſaltabant.

Graecorum] Epicureorum. infra c. 27. *Graeci ſtipati, quini in lectis, ſaepe plures.*

Foetore atque vino] Supra c. 8. *Ex tenebricoſa popina conſul extractus.* Infra c. 27. *Nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquiſitum.*

Quod quidem iſtius] Faernus, *quod quidem iſtius* * omnino mendoſum videtur, *iſtius*.

Lapitharum aut Centaurorum] Quod cum caede, et contentione factum, fabulae narrant.

In toga praetexta (Ern. *et praetexta*)] Suſtuli copulam, *et:* nam antea legebatur, *toga et praetexta*, mendoſe: cum praetexta ſit toga.

In Sex. Clodio] Cum eum magiſtrum ludorum Compitalibus eſſe voluiſti. ſupra c. 4. *Sex. Clodium, qui numquam antea praetextatus fuiſſet, ludos facere, et praetextatum volitare paſſus es.*

Sine eo conſilio] Sine ſenatu: quod ſummum conſilium vocabatur.

Haberetur in foro] Pro Aurelio tribunali. Supra c. 5.

In templum Caſtoris] Supra c. 5.

Reuulſis gradibus] Ne cui, qui, ferente leges Clodio, obnunciare, intercedere, aut aliquo modo vellet impedire, daretur introitus. Pro domo c. 21. *Cum arma in aedem Caſtoris comportabas, nihil aliud, niſi vti ne quid per vim agi poſſet, machinabare? Cum vero gradus Caſtoris conuelliſti, ac remouiſti: tum, vt modeſte tibi agere liceret, homines audaces ab eius templi aditu atque adſcenſu repuliſti?*

A coniuratorum reliquiis] Pro Sextio c. 24. *Lex erat lata vaſto, ac relicto foro, et ſicariis ſeruisque tradito.*

A Catilinae praeuaricatore] Catilinam a P. Clodio repetundarum eſſe accuſatum, eoque praeuaricante abſolutum, et Aſconius auctor eſt, et Cicero ipſe his verbis in ea de haruſp. reſp. c. 20. *A Catilina pecuniam accepit, vt turpiſſime praeuaricaretur.*

Cum equites Romani relegarentur] Hoc dicit propter L. Aelium Lamiam, ſtudioſiſſimum Ciceronis, principem equeſtris ordinis, edicto Gabinii conſulis relegatum, quod eo auctore veſtitum equites, lege Clodia promulgata, mutauerant, et vna cum ipſo pro ſalute Ciceronis populo

pulo ſupplicauerant. pro Sextio c. 12. *L. Lamiam, qui, cum me ipſum pro ſumma familiaritate, quae mihi cum fratre, cum patre eius erat, vnice diligebat, tum pro republica vel mortem oppetere cupiebat, in concione relegauit: edixitque, vt ab vrbe abeſſet millia paſſuum ducenta: quod eſſet auſus pro ciui, pro bene merito ciui, pro amico, pro republica deprecari.* Poſt red. in ſen. c. 5.

Viri boni lapidibus e foro pellerentur] Pro Sextio c. 15. *Armati homines forum et conciones tenebant: caedes lapidationesque fiebant.* Pro domo c. 21. *Cum eos, qui in conuentu virorum bonorum verba de ſalute mea fecerant, adeſſe iuſſiſti, eorumque aduocationem manibus, ferro, lapidibus diſcuſſiſti: tum profecto oſtendiſti, vim tibi maxime diſplicere.*

CAPVT XI.

Seplaſia] Platea vnguentariorum Capuae. In Rullum orat. II. c. 34. Valerius Max. lib. IX. c. 1. Plinius lib. XXXIII. c. 13. alii.

Campanum conſulem] Duumviri Capuae pro conſulibus erant. duumuiros autem C. Caeſar conſul, lege lata de agro Campano diuidendo, creauerat ſocerum ſuum Piſonem, et generum Cn. Pompeium. poſt red. in ſen. c. 7. *Capuaene te putabas, in qua vrbe domicilium quondam ſuperbiae fuit, conſulem eſſe, ſicut eras eo tempore: an Romae, in qua ciuitate omnes ante vos conſules ſenatui paruerunt?* Infra: *Gabinium denique ſi vidiſſent duumuirum veſtri illi vnguentarii, citius agnouiſſent.*

Repudiauit] Quod ſi Campanis conſul eorum Piſo non placuit: quanto magis, qui Romae conſul eſſet, indignus fuit?

Decios, Magios, et de Taurea illo Iubellio aliquid acceperat] Seplaſia ſuos Campanos, de quibus audierat, regio quodam ſpiritu, et Campana ſuperbia elatos, Piſoni praeferebat. De Decio Iubellio mentio fit in Epitome lib. XII. de Magio Liuius lib. XXII. c. 7. 8. 10. et agr. II. c. 34. de Taurea Iubellio Liuius lib. XXIII. c. 8. et XXVI. c. 15.

Saltem Seplaſia dignus et Capua] Non ille quidem Romana moderatione, Seplaſia tamen, et Capua dignus. at in Piſone nec pompa, nec ſpecies, nec inceſſus, non modo Roma, ſed nec Seplaſia dignus, et Capua. itaque Campanum conſulem iure Seplaſia repudiauit.

Citius] Potius, vt Phil. II. c. 11. *Citius dixerim, iactaſſe ſe aliquos, vt fuiſſe in iſta ſocietate viderentur, qui ſocii non fuiſſent, quam vt quisquam celari vellet, qui fuiſſet.*

Madentes] Vnguentis.

Fluentes] Pinguiores opinor ſignificari: vt lib. II. de Orat. c. 66. *Demonſtraui digito pictum Gallum in Mariano ſcuto Cimbrico, ſub Nouis, diſtortum, eiecta lingua, buccis fluentibus.*

Ceruſſatae] Ceruſſa dealbatae.

Optimorum ciuium] Erant enim hoc tempore ciues Romani, colonia lege Caeſaris deducta. pro Sextio c. 4. *Qua de cauſſa et tum conuentus ille Capuae, qui propter ſalutem illius vrbis, conſulatu conſeruatam meo, me vnum patronum adoptauit, huic apud me P. Sextio maximas gratias egit: et hoc tempore iidem homines,*

homines, nomine commutato, coloni, decurioneſque fortiſſimi atque optimi viri, beneficium P. Sextii teſtimonio declarant, periculumque decreto ſuo deprecantur.

Illam ipſam vrbem] Pro Sextio c. 4. *Conuentus ille Capuae, qui propter ſalutem illius vrbis, conſulatu conſeruatam meo, me vnum patronum adoptauit.*

Principe Cn. Pompeio referente] Referente non in ſenatu Romae, ſed Capuae, in qua duumvirum eum fuiſſe iam dixi. planius in ea poſt red. in ſen. c. 11. *Qui in colonia nuper conſtituta, cum ipſe gereret magiſtratum, in qua nemo erat emtus interceſſorum, vim et crudelitatem priuilegii, auctoritate honeſtiſſimorum hominum, et publicis litteris conſignauit, princepsque Italiae totius praeſidium ad meam ſalutem implorandum putauit.*

Non caſu aliquo, ſed ignibus iniectis] Pro domo c. 24. *Domus ardebat in Palatio, non fortuito, ſed oblato incendio.*

Apud ſocrum tuam] Eadem res pro domo c. 24. *Columnae marmoreae ex aedibus meis, inſpectante populo Romano, ad ſocrum conſulis portabantur.*

CAPVT XII.

Clariſſimi viri] Cn. Pompeii.

Verum amicum] Ipſum Ciceronem.

Suum priſtinum morem] Tuendae reipublicae.

Gabinius collegit ipſe ſe] Pro domo c. 25. *Fregit foedus Gabinius: Piſo tamen in fide manſit.*

Tamquam laniſta] Qui gladiatorum paria in certamen adducit, cum eos ante in ludo pugnandi arte inſtruxerit.

Sororius adulter] Clodius, qui cum ſororibus rem habuiſſe dicebatur.

In illo tumultu] In certamine, quod ei cum Gabinio fuit.

Fracti faſces] Gabinii conſulis.

Ictus ipſe] Conſul. poſt red. ad Quir. c. 6.

Deprehenſus] Clodii libertus Damio. Aſconius pro Milone c. 14.

CAPVT XIII.

Qui rempublicam] De ſe ipſo loquitur, cui in Italia eſſe non licuit.

Idemque in Italia] Recte puto reſtitui poſſe, *is neque in Italia:* pro, is ne in Italia quidem. Lex enim Clodia vltra CCCC millia abeſſe ab vrbe eum iubebat. lib. III. ad Attic. epiſt. 4.

Qui omnes] Hoc de Pompeio, qui ſe in publico tuto ſtatuit eſſe non poſſe.

Faſti] Conſulares.

Proſcriptio] Proſcripſit lege ſua Clodius Ciceronis bona.

Non leges, non inſtituta, non mores, non iura noritis] Haec enim qui norunt, legem eſſe non putant eam, quae ſit inuſta per ſeruos, inciſa per vim, impoſita per latrocinium, ſublato ſenatu, pulſis e foro bonis omnibus, capta republica, contra omnes leges, nullo ſcripta more.

CAPVT XIV.

Annuam] Piſone, et Gabinio coſſ.

Qui ſi calamitoſiſſimus fuiſſet] Mihi: quem potius glorioſiſſimum fuiſſe duco.

Veſtrum] Piſonis, et Gabinii.

Tantis

Tantis beneficiis, tantis honoribus] In me reſtituendo.

Laetiſſimum diem] Quo in prouinciam profectus es: qui tibi laetiſſimus videtur fuiſſe, mihi, et aliis contra.

Vnam tibi illam viam, et perpetuam eſſe vellent] *Perpetuam*, quae numquam deſineret, quae finem non inueniret: ne vmquam redires, ſed eius viae finem nullum reperires. Eius enim, qui redit, perpetua via non eſt. eodem modo Turpilius apud Nonium c. 8. 2. *Egredere: atque vtinam iſtuc perpetuum itiner ſit tibi.*

CAPVT XV.

Conſentiente populo Romano, atque vna voce] Faernus, *conſentiente, atque vna voce.* quod valde non arridet. fit enim illuſtrior Ciceronis reditus, ſi non modo a ſenatu, ſed a populo etiam reuocetur.

Qui rempublicam ſaluam eſſe vellent] Poſt red. in ſen. c. 9. *Quid magnificentius, quid praeclarius mihi accidere potuit, quam, quod illo petente vos decreuiſtis, vt cuncti ex omni Italia, qui rempublicam ſaluam vellent, ad me vnum, hominem fractum, et prope diſſipatum, reſtituendum, et defendendum venirent?*

Vnum praetorem] Appium. pro Milone c. 15. *Septem praetores, octo tribuni plebis, illius aduerſarii, defenſores mei.*

Duos tribunos plebis] Sex. Aelium Serranum, et Num. Quintium. pro Sextio c. 32. et Pedianus.

De lapide emtos] Pecunia corruptos a Clodio. Morem notauit emendi ſeruos de lapide.

In tribunatu eius] Cum Q. Metellus Ciceronem conſulem extremo conſulatus die concionis habendae poteſtate priuauit. ſupra c. 3.

Splendidiorem] Faernus, *ſplendorem.* Malo, *ſplendidiorem:* vt et numerus, et ſplendor hominum notetur.

Vos rogatores] Rogaſſe populum pro ſalute mea.

Vos diribitores] Diſtributores tabularum. Infra c. 40. *An ego exſpectem, dum de te quinque et ſeptuaginta tabellae diribeantur?* Poſt red. in ſen. c. 11. *Quando illa dignitate rogatores, diribitores, cuſtodesque vidiſtis?* Plinius de populo Romano lib. XXXVI. c. 15. *Qui gentes, et regna diribet.*

Cuſtodes] Ne quid fraudis committeretur.

CAPVT XVI.

Ex hara producte] Propter ſordes, et vitia.

Non ex ſchola] Quia nullas litteras didiciſti, corporis voluptate contentus.

Aerarium exhauſeras] Pro ſtipendio. ſupra c. 12. *Cauerat enim ſibi ille ſororius adulter, vt, ſi tibi prouinciam, ſi exercitum, ſi pecuniam, ereptam ex reipublicae viſceribus, dediſſet, omnium ſuorum ſcelerum ſocium te, adiutoremque praeberes.*

Cum florente fortuna imperatoris] Ironia. qui enim dignus hoc nomine, qui prouinciam Macedoniam cum exercitu obtinens, nullas ad ſenatum de rebus geſtis litteras miſerit?

Qui gladiorum] Certi numquam fuerunt Macedoniae fines, niſi qui armis, et virtute noſtrorum

ſtrorum imperatorum ſtatuerentur.

Qui incolumis fuerit] Qui rem proſpere geſſerit.

Quin (Ern. *qui non*) *triumpharit*] Excepto tamen L. Torquato.

Vulturius illius prouinciae] Raptor, et praedator, vt vultur, Macedoniae. pro Sextio c. 33. *Exierunt malis ominibus, atque exſecrationibus duo vulturii paludati.* Apud Cariſium Scaurus in Caepionem: *Nefarius vulturius, patriae parricida.* Idem: *Vulturius reipublicae.*

Si diis placet] Indignantis: de quo iam diximus.

CAPVT XVII.

Paulle noſter] Quia Paullus Aemilius, Africani minoris pater, in Macedonia fuit imperator, ex qua, capto rege Perſeo, triumphauit, ideo Piſonem per irriſionem *Paullum* appellat, quaſi ſimilem eius, cuius erat diſſimillimus.

Tabulas] Litteras, vt infra.

Temeritatem atque audaciam tuam] Qui ſcribere auderes ad eum ordinem, quem deſpexeras, afflixeras, deleueras.

Pudentiorem] In litteris non mittendis. Duas partes habet haec ſententia, priorem de miſſis a Piſone litteris ad ſenatum, ſed abditis conſilio amicorum; poſteriorem, de non miſſis, nec abditis. prior habet Piſonis impudentiam, amicorum ſilentio condemnatam: poſterior Piſonis conſcientiam notat; qui cum ſciret a ſe conſule ſenatus auctoritatem prorſus eſſe contemtam, ſcribere ad eum de re geſta, et ſupplicationis honorem poſtulare merito non auderet: quod eius factum amici non condemnarunt, nullis ab eo ad ſenatum litteris acceptis. Vtrum, inquit, malim, neſcio. Si litteras miſiſti, impudentiam oſtendis: ſi non miſiſti, male te de ſenatu meritum eſſe confiteris.

Non eſſe condemnatum] Ne ſi hoc quidem eſſet, hocne malim, an illud, conſtituere facile queam.

An munitio Theſſalonicae? an obſeſſio militaris viae] De vtraque re ſic in ea de Prouinciis c. 2. *Macedonia, quae erat antea munita plurimorum imperatorum non turribus, ſed tropaeis, quae multis victoriis erat iam diu, triumphisque pacata; ſic a barbaris, quibus eſt propter auaritiam pax erepta, vexatur, vt Theſſalonicenſes, poſiti in gremio imperii noſtri, relinquere oppidum et arcem munire cogantur: vt via illa noſtra, quae per Macedoniam eſt vsque ad Helleſpontum militaris, non ſolum excurſionibus barbarorum ſit infeſta, ſed etiam caſtris Thraciis diſtincta, ac notata.*

Exercitus noſtri interitus, ferro, fame, frigore, peſtilentia] In eadem c. 2. *Iam vero exercitus ille noſter, ſuperbiſſimo delectu, et duriſſima conquiſitione collectus omnis interiit.*

Demiſſior] Quia litteras ad ſenatum mittere non es auſus.

Cum equites Romanos] In eadem c. 5.

Nobiscum] Cum ſenatu.

Dignitate] Quia ſenatoriae dignitati equeſtris proxima eſt.

CAPVT XVIII.

Voragines] Quibus abſorpta respublica eſt.

Scopuli-

Scopulique] In quibus naufragium reſpublica fecit.

Collegiorum] Non omnium, (nam et quaedam, a ſenatu ſublata, P. Clodius in tribunatu reſtituit, et alia permulta ex omni vrbis faece, ac ſeruitio conſtituit) ſed eorum, quae numquam ſenatus remouerat; quod ea reipublicae ratio poſtulare videbatur.

Ex famae] Laceratione. quod ſi cui durius videtur, legat illud infra c. 20. *Cruentare corpus ſuum? maior haec eſt vitae, famae, ſalutis ſuae vulneratio.* Antea, *ex infamia.*

Affici caſu aliquo] Vt ego nullo meo crimine ſum affectus.

Dicunt] Supplicium in culpa ponentes: vbi culpa abſit, ſupplicium non putantes.

Voluptarii] Epicurei.

Vt erant audiendi] Tu enim eos de voluptate audis: ſi de honeſto, de probitate, ac virtute aliquid dicunt, non audis.

CAPVT XIX.

Seruata ab illo] Bello Cimbrico.

Deuicta ab eodem] Bello Iugurthino.

Thyeſtea] Thyeſtis contra Atreum fratrem.

Vt ait ille] Ennius, qui Thyeſtem tragoediam ſcripſit.

M. Marcellus] Nepos eius, qui Syracuſas cepit, primus cum Hannibale feliciter pugnauit.

Pietate] Aut generatim, id eſt, probitate, dictum accipe: aut pietate erga patrem, cuius honorem auxit in inſcriptione, quam poſuit in monumentis aui ſui ad Honoris et Virtutis aedem. Aſconius.

Gloria militari] Bis triumphauit.

Periit in mari] Apud Africam.

Ob virtutem gloria (Ern. *gloriae laude*)] Faernus, *ob virtutem in gloria.* quod poſſum concedere.

In fortuna quadam] Dicam quod ſentio. Senſus hic: mors illa in fortuna quadam, non in poena, putanda eſt; haud omnino mihi probatur. occurrunt autem correctiones duae, quas eruditorum hominum iudicio pro mea conſuetudine libenter permitto, vna, vt legatur: *Importuna quaedam eſt illa mors, non poena putanda:* (nam, *in poena*, in paucis eſt antiquis libris, eſt quidem in eo, quem Faernus habuit, ſed is quoque ſaepe mendoſus eſt) altera: *In fortuna quaedam eſt illa mors, non poena putanda:* vt, *in fortuna*, pro, caſu illata, vnico verbo dictum ſit. at eſt inſolens in Latina lingua. quam multa, in iis quidem libris, qui ad aetatem noſtram peruenerunt, ſingularia ſunt? vſitatum fuiſſe, ſi quis, vnde deductum ſit *infortunium*, conſideret, facile, vt opinor, animaduertet. Accedit Plinii teſtimonium. nam lib. XXXV. c. 6. vbi vulgo legitur, *importuna haec omnia, ac nouitia*, antiquus liber habet, *in fortuna*, disiunctis tamen vocibus, vitio librariorum, verbi nouitatem reſpuentium. Nam quod Faerno placuit, *in poena putanda:* inde natum puto, quia, cum, *in fortuna*, ſeparatim legeretur, alterum, *in*, reddi oportere videbatur. et omnino inſitum hoc, et plane perſuaſum Faerno fuit, vt in Cicerone finem verſus vitare

 vellet.

vellet. quod ſi fiat, infinita mutatio conſequetur. nam, etſi vitioſam eſſe orationem, quae ſimilitudinem verſus habeat, noſter hic in Oratore c. 20. docet: ipſe tamen in hoc vitium ſaepe imprudens incurrit, dum in explicanda ſententia potius, quam in collocandis verbis, operam, ac ſtudium ponit.

Saxa] Reſpexit ad poetae verba, *ſaxis fixus aſperis.*

Eſſe duos] Exponit, quae putanda ſit poena, quod ſupplicium, quae ſaxa, quae cruces.

Modo] Octo annis ante.

Abſens (Ern. *ab ſenatu*) *imperator eſt appellatus*] Cur, *abſens*, dicit, cum ii, qui ab ſenatu imperatores appellarentur, omnes abeſſent? malim pro, *abſens, ab ſenatu.* quo modo etiam diſtinguetur ab iis, qui ab exercitu imperatores appellabantur. Miror hunc non triumphaſſe: cum imperator ſit appellatus, et cum ſupra c. 16. dixerit Cicero, conſulari neminem imperio ex Macedonia rediſſe, qui incolumis fuerit, quin triumpharit.

Cn. Dolabellae] Eius, quem C. Caeſar accuſauit. Suetonius in Iulio c. 55.

C. Curionis] Triumphauit de Dardanis.

Nouis honoribus afficiat] Caeſarem deſignat. pro Balbo c. 27. de Prouinciis c. 10. ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 7.

Denegaret] Idem in ea de Prouinciis c. 6. et lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 8.

CAPVT XX.

Certiſſimas conſtitutas] Faernus delet verbum, *conſtitutas.* niſi me numerus offenderet, probarem.

Oreſte] Notiſſimo matricida.

Athamante] Aeoli filio, Thebarum rege, in eum furorem Iunonis ira compulſo, vt filios occideret. extat apud Ouidium fabula lib. IV. Met. v. 511, ſeqq. ſed copioſius apud Iſacium Tzetzem, vbi Lycophronis illud explanat, παρθενοκτόνον θέτιν. quo loco Learchum a patre Athamante ſagittis confixum ait: et eam fabulam ſecutus eſt Statius lib. II. Silu. 1. v. 143.

Toruus ad hunc Athamas inſanos flecteret arcus.

Et lib. I. Theb. v. 12.

Quod ſaeuae Iunonis opus, cui ſumſerit arcum
Infelix Athamas.

Nam Ouidius, non ſagittis Learchum a patre confixum ait, ſed,

Vtque ferae ſequitur veſtigia coniugis amens:
Deque ſinu matris ridentem, et parua Learchum
Brachia tendentem rapit; et bis terque per auras
More rorat fundae: rigidoque infantia ſaxo
Diſcutit ora ferox.

Primum facere] Primum dimittere exercitum, et ſine vllo milite prouinciam relinquere, deinde etiam in ſenatu confiteri.

Grauiſſimo] Subagreſti ingenio, et infeſtiuo. vide Gellium lib. I. c. 5.

Niſi non cognoſcere homines] Alii, *niſi*, delent: ego omnino retinendum puto: vt ſit interpretatio verbi, *furere?* neque hic tantum, ſed alibi quoque ſic eſt Cicero locutus, vt in Catone c. 2. *Quid eſt aliud, gigantum modo bellare cum diis, niſi naturae repugnare?*

Cruentare

Cruentare corpus ſuum] An aliquis, *furere*, dixerit eſſe, cruentare corpus ſuum? at haec vitae, famae, ſalutis ſuae maior vulneratio eſt. Inepte nonnulli addunt, *leue eſt:* vt legatur: *cruentare corpus ſuum, leue eſt:* cum hoc ad illud venuſte referatur, *quid eſt aliud furere, niſi non cognoſcere homines, non cognoſcere leges? non ſenatum, non ciuitatem?* deinde vero ſubiungatur: An hoc eſt furere, *cruentare corpus ſuum? maior haec eſt vitae, famae, ſalutis ſuae vulneratio.* Fuit ſine dubio, *leve eſt*, gloſſema hominis imperiti.

Ad ipſum te] Tamquam dominum: cum dimiſſio exercitus ad rempublicam pertineat: quo maiore dignus animaduerſione videris.

CAPVT XXI.

Alter] Gabinius.

Ex fortunis publicanorum] Publicani erant equites Romani: equeſtris autem ordinis inimiciſſimus Gabinius. itaque dixit conſul, quod in ea pro Sextio c. 12. et in ea poſt red. in ſen. c. 13. ſcriptum eſt: *Equites Romanos daturos illius diei poenas, quo, me conſule, cum gladiis in cliuo Capitolino fuiſſent.* In Syria vero proconſul, quantum in eo fuit, publicanos afflixit, ac perdidit. qua de re teſtimonium afferre ex orat. de Prou. c. 5. non alienum videtur: *Publicanos miſeros tradidit in ſeruitutem Iudaeis et Syris, nationibus natis ſeruituti. Statuit ab initio, et in eo perſeverauit, ius publicano non dicere: pactiones ſine vlla iniuria factas reſcidit: cuſtodias ſuſtulit: vectigales multos ac ſtipendiarios liberauit: quo in oppido ipſe eſſet, aut quo veniret, ibi publicanum, aut publicani ſeruum eſſe vetuit.*

Partim eius praedae] Aduerbium pro nomine: vt, *largiter acerbitatis*, pro, *multam acerbitatem*, in vetere concione apud Aſconium pro Milone c. 6.

Luxuries] Luxuriem diſtinguit a libidine. eſt enim *libido* in appetendo, *luxuries* in effundendo.

Permutationes] Pecunia ex permutatione Romam miſſa.

Tuſculanum montem] Villam in agro Tuſculano, monti ſimiliorem, quam villae: de qua in ea pro Sextio c. 43. *Villam aedificare in oculis omnium tantam, tugurium vt iam videatur eſſe illa villa, quam ipſe tribunus plebis pictam olim in concionibus explicabat.* Non eſt contemnendus omnium fere librorum veterum conſenſus. habent enim, *ad hunc Tuſculanum in monte montem exſtruendum.* quo maior in Gabinium quaeritur inuidia, qui in editiore colle, quem vocat montem, ſuam villam quaſi alterum montem exſtruxiſſet.

Conſtitiſſet] Effuſa iam praeda.

Se ipſum] Hiſtoria narrat, Ptolemaeum, Aegypti regem, pulſum a ſuis ciuibus propter ſcelera, reſtitutum a Gabinio, Syriae proconſule, auctoribus Caeſare, et Pompeio, mercede decem millium talentorum: vt in orat. pro Poſtumo c. 8. et apud Suetonium in Iulio c. 54.

Numen interdictumque deorum immortalium] Quia Sibyllae verſus Aegypti regem cum exercitu reſtitui vetabant. Lucanus lib. VIII. v. 824, ſeqq. Dio lib. XXXIX.

 Reſponſa

Reſponſa ſacerdotum] Arbitror hoc dici: conſultos augures de Ptolemaeo rege, reſtituendum negaſſe.

Auctoritatem ſenatus] Senatus decreuerat, ne quis omnino regem reduceret: vt ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 7.

Iuſſa populi] *Decernere* ſenatus, *iubere* populus dicitur. quod igitur de rege ſenatus decreuerat, idem iuſſiſſe populus videtur.

Emerat] A tribuno plebis Clodio, qui legem tulit de Macedonia Piſoni, Syria Gabinio tradenda.

Qui licuit] Nam et veteres, et nouae leges id vetabant. infra.

P. Lentulus] Qui tunc Ciliciam adminiſtrabat.

Auctoritate ſenatus] Senatus conſulto. vnde epiſt. 1. ad Lentulum: *Ex illo ſenatus conſulto, quod te referente factum eſt, tibi decernit, vt regem reducas.*

Sorte] Conſules prouincias ſortiri ſolitos eſſe, nemo neſcit. ex qua ſortitione Lentulus Ciliciae praeerat, Q. Metellus Nepos, qui collega eius fuerat, Hiſpaniae. quo modo igitur ſorte habebat Aegyptum? an, quia, cum de reſtituendo rege cogitaret ſenatus, eamque prouinciam de more ſorti committendam putaret, Lentuli, quia propinquus erat Aegypto, et aliorum nomina in vrnam coniecerat?

Interpoſita religione] Quae tollebat exercitum in rege reſtituendo. religionis enim nomine ſignificantur Sibyllae verſus. ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 7. *Offenſionem eſſe periculoſam, propter interpoſitam auctoritatem religionemque, video.*

CAPVT XXII.

Sibi ipſe praecidit] Effecit ipſe ſuis ſceleribus, ne redire poſſit.

Os vt videam hominis] Impudentiam eius, qui redire audeat.

Conſules, praetores (Ern. *patres conſcripti*)] Faernus, *conſules, patres conſcripti.*

CAPVT XXIII.

Calpurniae] A paterno genere.

Caluentiae] Ab auo materno.

Braccatae cognationis] Galliae transalpinae: vnde Piſonis maternus auus in Italiam profectus, Placentiae conſederat. Braccatae cognomen erat transalpinae Galliae, togatae cisalpinae, vtrique a genere veſtis.

L. Flaccus] Qui praetor fuerat Cicerone conſule, pro quo exſtat oratio.

Q. Marcium] Eius fortaſſe filium, qui cum L. Metello conſul fuerat: quem ante hoc tempus obiiſſe, patet ex lib. I. ad Attic. epiſt. 16.

Togulae] Vt, togati cum eſſent, obuiam veniſſe ex vrbe viderentur.

Sponſione] Vt ſponſione contenderem, ni Eſquilina, non, vt ego dixeram, Coelimontana, introiſſet. De ſponſionibus alio loco.

Triumphali] Iocatur in ambiguo. nam *triumphalis* porta Romae erat, qua proconſules Macedonici triumphantes introibant, vnde nomen: et eam, qua introiuit Piſo, ideo negat eſſe triumphalem, quia conſulari praeditus imperio ex Macedonia non triumphauit. Triumphalem portam

tam Tacitus lib. V. Annal. Suetonius in Auguſto c. 100. Ioſephus lib. VII. Dio lib. LVI.

CAPVT XXIV.

Leuis eſt animi] Malim, *vilis*, pro *leuis*: cum ſequatur, *lucem, ſplendoremque fugientis*.

Cum exhauriebas aerarium] Stipendii nomine.

Cum orbabas Italiam iuuentute] Delectu militum ſuperbiſſimo, et conquiſitione duriſſima.

Bello] Seruili.

Coronam illam lauream] Quae ouantibus dari non ſolebat, ſed myrtea. Craſſus autem, cum de ſeruis triumphare indecorum videretur, ouauit quidem, ſed, myrto repudiata, laureo coronatus, gratificante ei extra ordinem ſenatu. Haec Gellius lib. V. c. 6. Plinius quoque lib. XV. c. 29. *myrtea*, inquit, *ouantium fuit corona, excepto M. Craſſo, qui de fugitiuis, et Spartaco laurea coronatus inceſſit*.

P. Seruili] Qui de Iſauris ex Cilicia triumphauit, vnde Iſaurici cognomen.

Q. Metelle] Qui ex Creta triumphauit, vnde Cretici cognomen. hiſtoriae poſtulabat ordo, vt poſt Curionem nominaretur: quia poſt Seruilium Curio, poſt Curionem Metellus triumphauit.

P. Africane] Vel caecis manifeſtum mendum. quis enim Africani cognomine per haec tempora fuit? aut eius triumphus vbi nominatur? equidem, cum triumphales, qui viuerent, appellari videam, vnus autem ex iis, qui triumphauerant, et viuebant, nominandus ſupereſſet M. Pupius Piſo, qui triumphauerat ex Hiſpania, nondum geſto conſulatu, eum omnino ſignificari crediderim, et reponendum, vel contra veteres libros, quorum teſtimonium auctoritas hiſtoriae vincit, *M. Pupi*. Suſpicabar prius, *L. Afrani*, reponendum, ex litterarum ſimilitudine, qui conſulatum geſſit cum Q. Metello Celere: ſed de eius triumpho mentio nulla.

Pomptinio] Qui cum praetor fuiſſet Cicerone conſule, poſtea, deuictis Allobrogibus, triumphavit, anno ſequenti. lib. IV. ad Attic. epiſt. 16. lib. III. ad Q. Fr. epiſt. 4. Dio lib. XXXIX.

Non eſt integrum] Abieciſſet fortaſſe triumphandi cupiditatem, ſi te prius, contra disputantem, doctum videlicet hominem atque eruditum, audiſſet: nunc, ſusceptis religionibus, mutare iam conſilium non poteſt.

Religionibus ſusceptis] Dicit hoc, opinor, propter legem de imperio latam. quibus enim aliis impediretur religionibus, non invenio.

Camillos] M. Furius Camillus triumphauit quater, primum de Veientibus, iterum de Gallis, tertium de Volſcis, Aequis, Etruſcis, quartum de Gallis Senonibus. M' Curius Dentatus ter, primum de Samnitibus, deinde de Sabinis, tertium de Samnitibus, et rege Pyrrho. nam de Lucanis ouauit. C. Fabricius Luſcinus bis, primum de Etruſcis et Gallis, iterum de Lucanis, Brutiis, Tarentinis, Samnitibus. A. Atilius Calatinus ex Sicilia de Poenis. Scipiones, maior, et minor, ex Africa, minor etiam de Numantinis. M. Claudius Marcellus ter, ſemel de Gallis, bis de Syracuſanis: quamquam de Syracuſanis ouatio fuit, non triumphus.

umphus. Q. Fabius Maximus Verrucoſſus de Liguribus. L. Aemilius Paullus bis, de Liguribus Ingaunis, et ex Macedonia, et rege Perſe. C. Marius bis, de Numidis, et rege Iugurtha, poſtea de Ambronibus, Teutonis, et Cimbris.

Horum amborum conſulum] Pompeii Magni, Craſſi Diuitis. Triumphauit autem Pompeii pater Strabo de Picentibus: Craſſi pater de Luſitanis.

CAPVT XXV.

Genero ſuo] C. Caeſari, qui tunc in Gallia bellum gerebat.

Fertur] Quo fertur? ad magnas res gerendas. qua re fertur? gloriae cupiditate.

Ille vir] Maiore cum laude, quam ſi tantum, *ille*, dixiſſet. nam in viro virtus eſt.

Tot dierum] Quot antea nemini. vide de Prouinciis c. 10.

Quas dii negligunt] Inducit Piſonem disputantem ex Epicuri ſententia. Epicurus enim deos aiebat negligere mortalia.

Ad alteram ſcholam] Ad eam, quae omnia refert ad voluptatem corporis. nam infra: *Quibus ex rebus nihil eſt, quod ſolidum tenere, nihil, quod referre ad voluptatem corporis poſſis.*

Flamininus] Faernus legit, *Flaminius*, contra hiſtoriam. nam Flaminius gentis nomen eſt, Flamininus Quintiae cognomen. porro quis neſcit hunc eſſe T. Quintium Flamininum, qui ex Macedonia, et Philippo rege triumphauit?

Eſquilinam] Eſquilinam introiuit, inde ad Coelimontanam, vbi ei conducta domus erat, profectus eſt.

Conculcarim] Contemto triumpho.

Ex hac die] Magis exprimit, et mihi tamen videtur abundare. Sed tamen fortaſſe antiquus loquendi modus. Notatur autem auaritia, biduo tantum ante diem aduentus conducta domo.

In campo Martio] Neminem ſignificat eſſe in vrbe, qui illum hoſpitio accepiſſet.

Ferculis (Ern. *vehiculis*)] Ligneis inſtrumentis, quibus et captorum oppidorum ſimulacra, et reliqua triumphi pompa ferebatur.

Tua lex] Legem tulerat Caeſar conſul de repetundis, et in ea, vt rationes ad aerarium ſtatim deferrentur a proconſulibus e prouincia reuerſis.

Ratio quidem] Senarius Plauti in Trin. act. II. ſc. 4. v. 17. cuius imitatione dixit Terentius in Phorm. act. II. ſc. 1. v. 69.

Non ratio, verum argentum deerat. —

CAPVT XXVI.

Paterni generis] Calpurnii, nobiliſſimi.

Materni] Caluentii. nam Piſonis maternus auus, Caluentius dictus eſt.

Vix memor] Non ſolum a nobiliſſimo paterno genere prorſus degeneras: verum ne materno quidem, licet ignobili, plane reſpondes. Sequitur ratio: *Ita neſcio quid iſtud.*

Neſcio quid iſtud] Quod tu ſentis de triumpho contemnendo.

Mediolanenſi praecone, auo tuo] Non dixit, *Placentino*, quamquam Placentiae, non Mediolani, maternus Piſonis auus, profectus ex Gallia, conſediſſet, ſed, *Medio-*

Mediolanenſi, opinor, quia, cum nobilius Mediolanum eſſet, quam Placentia, (caput enim Inſubriae regionis erat, auctore Strabone) materno Piſonis auo aliquid tribuere videbatur. cum tamen ironia non abſit. nam ſi Mediolanum Placentia nobilius, multo tamen vrbe Roma ignobilius. ita, cum laudare videatur maternum Piſonis auum, latenter vituperat. quid enim eſt, Mediolani praeconium feciſſe? probri quidem id potius, quam laudis eſt.

L. Craſſus] Orator ſummus.

Homo ſapientiſſimus] Qui triumphi tamen honorem contemnendum non putauit: cum tu, quaſi illo ſapientior, negaueris, te triumphi cupidum vmquam fuiſſe.

Alpes] Cum citeriori Galliae praeeſſet.

Vt, vbi hoſtis non erat, ibi triumphi cauſſam aliquam quaereret] De hac L. Craſſi nimia triumphandi cupiditate ſic lib. II. de Inuent. c. 37. *L. Licinius Craſſus conſul quosdam in citeriore Gallia, nullo illuſtri, neque certo duce, neque eo nomine, neque numero praeditos, vt digni eſſent, qui hoſtes populi Romani eſſe dicerentur; quod tamen excurſionibus, et latrociniis infeſtam provinciam redderent, conſectatus eſt, et confecit: Romam redit: triumphum ab ſenatu poſtulat.* Haec Cicero. Pedianus eum non triumphaſſe docet his verbis: *Craſſo collega fuit Q. Scaeuola pontifex max. qui cum animaduerteret, Craſſo, propter ſummam eius in republica potentiam, ac dignitatem, ſenatum in decernendo triumpho gratificari, non dubitavit reipublicae magis, quam collegae, habere rationem: ac, ne fieret ſenatus conſultum, interceſſit.* Et hic infra: *Eorum neuter triumphauit; quod alteri illum honorem collega, alteri mors ademit.*

C. Cotta] Oratoria laude clarus, qui loquitur in libris de Oratore.

Collega] Collega L. Craſſi in conſulatu Q. Mucius Scaeuola.

Mors] Repente reſciſſa cicatrix, ex vulnere, quod ante aliquot annos in proelio acceperat. Aſconius.

M. Piſonis] M. Pupii. nam licet Piſo dicatur, Calpurniae tamen gentis eſſe deſiit, et in Pupiam transiit, adoptatus a M. Pupio: vt in oratione pro domo c. 13. Piſonis cognomen, amiſſa gente, retinuit, iure et more adoptionis. hic M. Piſo triumphaverat ex Hiſpania.

Tu eruditior, quam Piſo] In quo multas fuiſſe litteras, Pedianus ait.

Aut parua, aut nulla] *Parua*, ad Cottam, *nulla*, ad Craſſum refertur. nam Cotta, ſi vixiſſet, triumphaturus erat, auctore Pediano.

Tantis nationibus ſubactis] Ironia.

Sis (*ſis* abeſt ab Ern.) *licet Themiſta ſapientior*] Sunt, qui a *Themis, Themiſta*, deducant auferendi caſu. quod mihi parum ſane placet: ac malim, *Themi ipſa.* Marcellinus lib. XXI. c. 1. *Elementorum*, inquit, *omnium ſpiritus, vtpote perennium corporum, praeſentiendi motu ſemper et vbique vigens, ex iis, quae per diſciplinas varias affectamus, participat nobiscum munera diuinandi: et ſubſtantiales poteſtates, ritu diuerſo placatae, velut ex perpetuis fontium venis vaticina mortalitati*

talitati ſuppeditant verba, quibus numen praeeſſe dicitur Themidis: quam ex eo, quod fixa fatali lege decreta praeſcire facit in poſterum, quae τεθειμένα ſermo Graecus appellat, ita cognominatam, in cubili ſolioque Iouis vigoris viuifici theologi veteres collocarunt.

Sapientior] Sapientes nonnulli haec honorum inſignia, tamquam res inanes, contemſerunt: at tu, licet ipſa Themi ſapientior, non contemſiſti.

Si os tuum ferreum ſenatus conuicio verberari noluiſti] Male nonnulli, *ſed*, pro, *ſi* reponunt, non a veteribus modo libris, verum ab ipſa quoque ſententia discedentes. hoc enim dicitur: Si tuam impudentiam, quae ſumma eſt, accuſari a ſenatu noluiſti: non ideo, te virtutis inſignia, id eſt, honorem triumphi contemſiſſe, dicendum eſt. *Os tuum ferreum*, inſignem quandam notat impudentiam. pudoris enim ſigna ore cernuntur: quae ſi nulla apparent, *os* illud *durum, et ferreum* vocamus. *Os* quoque, ſimplicitur dictum, pro impudentia ſumitur ad Varronem lib. IX. Fam. epiſt. 8. *Noſti os adoleſcentioris Academiae. Verberari:* Sic Q. Cicero ad Tironem lib. XVI. Fam. epiſt. 26. *Verberaui te cogitationis tacito dumtaxat conuicio.* Et congruunt ſimul, *os verberari. Noluiſti:* fore ſciebas, vt, cum a ſenatu triumphum peteres, magnum tibi conuicium fieret.

Ita mihimet fui inimicus] Qui me cum homine omnium turpiſſimo compararim. ſupra c. 4. *Facio iniuriam fortiſſimo viro mortuo, qui illum, cuius paucos pares haec ciuitas tulit, cum importuna bellua conferam.*

CAPVT XXVII.

Proditorem (Ern. *perditorem*)] Faernus, *perditorem.* non video, cur mutetur.

L. Aelius] Lamia.

Te conſule] Non tamen a Piſone, ſed ab eius collega Gabinio: vt pro Sextio c. 12. poſt red. in ſen. c. 5.

Decreta et preces] Pro ſalute mea.

Ludi] Quos Pompeius iterum conſul dedit. vide lib. VII. Fam. epiſt. 1. ad Marium.

Veſtrae ſcholae] Quae docent haec contemnere.

Hoc eſt, cum amoribus ſuis] Cum in communibus libris legeretur, *hoc eſt, compotoribus ſuis;* reſtitui ante viginti annos, quod indicant libri noſtri, *cum amoribus ſuis.* quod eſt vſitatum Ciceroni genus loquendi.

Animi ſui cauſſa] Vt alia maiore quadam voluptate, quam quae oculis, et auribus percipitur, fruatur.

Olim] Ante quam prouinciam haberet.

Proteruius (Ern. *poſterius*)] Hoc ad ſuperbiam referri non poteſt: cum dixerit iam, *quod ſuperbus.* ſenſum igitur eum habeat neceſſe eſt, qui cum vitiis hic nominatis, luxuria, libidine, nequitia, congruat.

Hanc] Vſitatam.

Ingenuo ac libero dignior] Quae cum lautitia fit, atque elegantia.

Laudabo inimicum] Quia liberare eum luxuria videor; quo tamen luxurioſius eſſe nihil dixerim.

Praeter libidines] Sumtum in libidines, praeterea nullam in rem, facit.

Toreuma

Toreuma nullum] Scalptum, aut caelatum opus. ἀπὸ τοῦ τορεύειν. lib. II. in Verr. c. 52. *Toreumata ſane bona et pretioſa auferuntur.*

Suos] Quia Placentiae conſederat auus eius maternus.

A propola, atque de cupa] *A propola*, ab eo, qui prius emit, vt aliis venderet. *de cupa* vero, de vaſe, a cauponibus fortaſſe dicto, qui vinum inde promerent.

Graeci] Conuictores eius Epicurei philoſophi.

Quini in lectis (Ern. *lectulis*)] Cum tres, aut ſummum quattuor ſolerent eſſe. de quo alibi diximus.

Ipſe ſolus] In vno lecto.

Dum de ſolio miniſtretur (Ern. *quae eodem de ſolio miniſtrentur*)] Hoc quid ſit, nondum aſſequor.

Vbi galli cantum audiuit] Ergo bibebat per totam noctem.

Auum ſuum] Qui Gallus fuerat. Iocatur in ambigua vocabuli ſignificatione.

CAPVT XXVIII.

Eſt quidam Graecus] Philodemus, cuius exſtare laſciua poemata dixit Aſconius. Gadareum, id eſt, Syrum fuiſſe, auctor Strabo lib. XVI. nominatur a Laertio bis in Epicuro, et a Cicerone lib. II. de Fin. in extremo.

Aut ipſe ſecum] Sententia poſtulat *haud*, vel gloſſema hoc fortaſſe totum eſt. Certe mendi ſuſpicio non abeſt.

Iam tum] Vel in adoleſcentia fronte, et ſupercilio ita ſeuerus erat Piſo, non modo vt hominibus, ſed vt diis ipſis iratus eſſe videretur.

Lubricum] Lubricum ſua ſponte, quia voluptas duplex, animi ex virtute; corporis ex vitio; ſed adoleſcenti, propter aetatem incauto, non modo lubricum, verum etiam ſaepe praeceps: quia neutram voluptatem Epicurei philoſophi nominabant. Adoleſcentem autem fuiſſe Piſonem, iam dixit, cum Philodemi amicitiam appetiuit.

Admiſſarius] Tamquam equus, qui, rationis expers, vnam corporis voluptatem nouit. ideo, tamquam de equo, ſequitur, *adhinniit.*

Diſtinguere] Cum aliam eſſe corporis, aliam animi voluptatem oſtenderet.

Iſte claudus, quo modo aiunt, pilam retinere (Ern. *pilam: retinere quod acceperat*)] Claudus pilae tantum retinendae aptus eſt: ſimiliter Piſo tantum illud, quod audierat, voluptatem eſſe ſummum bonum, obſeruauit, ac mente retinuit.

Diſertum] Qui plane loqueretur: ideo diſtinguere, neceſſe non eſſe.

Et tamen dictum opinor] Carere locus vitio mihi non videtur. idem fortaſſe alii ſentient: ſed, ſi legatur, *et tandem dictum opinor:* lapſu facili, et vſitato, propter ſimilitudinem litterarum, eluetur, puto, ſi qua labes, maculaue inſedit. Libri quidam veteres, *eſt tamen dicit, vt opinor.* quod non ſatis placet.

CAPVT XXIX.

Vt poetam] Figmentis aptum potius, quam veritati.

Omnes libidines] Nominari a Pediano eius poemata, iam dixi.

Fluctus illos] Exſilii calamitatem.

In

In illo elogio] In lege Clodia ſcriptum erat, *Velitis, iubeatis, vt M. Tullio aqua et igni interdicatur:* non, *Vt, quod M. Cicero verſum fecerit.* Subauditur, *aqua, et igni interdicatur.*

In ſepulcro reipublicae] In lege Clodia, ſepulcro reipublicae.

Inciſum] In aes leges incidebantur.

Quod vindicarit] Hoc verbo vſum eſſe Clodium in lege, mihi non fit veriſimile, ſed eum potius dixiſſe crediderim, *quod cives Romanos indicta cauſſa condemnauit.* Cicero, ad ſuam laudem, verbo mitiore vſus eſt.

CAPVT XXX.

Phalarim] Tyrannum Agrigentinum, eruditum.

Non notam apponas ad malum verſum] Vt Ariſtarchus.

Armis perſequare] Tamquam Phalaris, inſigni ſaeuitia. Inepte nonnulli ex hoc loco Phalarim grammaticum putant fuiſſe: cum de tyranno Cicero acceperit, et Piſonem ſimiliorem eius in notandis malis verſibus, quam Ariſtarchi, dicat fuiſſe.

Summum imperatorem] C. Caeſarem.

In hominis caput] Non dicam, ad perniciem amiciſſimi; non eius, qui et de ipſo, et de republica ita meritus eſſet; non, conſularis; non, ſenatoris; non, civis; non, liberi; ſed omnino in hominis caput ille tam crudelis propter verſum fuiſſet?

CAPVT XXXI.

Non eſt vna cauſſa omnium] De viris ampliſſimis loquitur, et Pompeii cauſſam a ceterorum cauſſa diſtinguit.

Inſidiarum mearum] Cum inſidiari me Pompeio diceretis.

Excluderer] Sermone eius, atque aditu prohiberer.

Certi homines] Fictis ſermonibus. pro domo c. 11. *Hanc noſtram coniunctionem, hanc conſpirationem in republica bene gerenda, hanc iucundiſſimam vitae, atque officiorum omnium ſocietatem certi homines fictis ſermonibus, et falſis criminibus diremerunt: cum iidem illum, vt me metueret, me caueret, monerent: iidem apud me, mihi illum eſſe vni inimiciſſimum, dicerent.* Idem pro Sextio c. 18.

L. Lentulus] Qui belli ciuilis anno primo conſul fuit.

Q. Sanga] Fabiae gentis.

Conſulibus ex ſenatus conſulto rempublicam defendentibus, ſe arma ſuſcepturum (Ern. *ſumturum*)] Pro Sextio c. 18. *Sed tamen et Craſſus a conſulibus meam cauſſam ſuſcipiendam eſſe dicebat, et eorum fidem Pompeius implorabat; neque ſe priuatum publice ſuſceptae cauſſae defuturum eſſe dicebat.*

Generum] C. Caeſarem.

CAPVT XXXII.

Cum proximis] Cum ipſo Piſone ſocero, et Pompeio genero. de Prouinciis c. 17. *Me ille, vt quinqueuiratum acciperem, rogavit: me in tribus ſibi coniunctiſſimis conſularibus eſſe voluit.*

Propter nimiam fortaſſe conſtantiae cupiditatem] Ne viderer ab optimatum cauſſa deſciſcere.

Ad cauſſam] Caeſaris.

Non poſtulabam] Re vera mihi non placebat, vt ideo cariſſimus eſſem Caeſari, quia, beneficiis acceptis,

acceptis, quae ille mihi deferebat, ſententiam ei meam tradidiſſem.

Reſcinderentur] A praetoribus, et a ſenatu. propterea tribunum popularem a ſe alienare nolebant. pro Sextio c. 18. pro domo c. 15.

Reſtitiſſem] Eius actis.

Si anteposuit ſuam ſalutem meae] Si me pelli patria maluit, quam acta ſua reſcindi.

Sibi amicior, quam mihi] Cum ei propiora ſua pericula eſſent, quam mea. pro Sextio c. 18.

CAPVT XXXIII.

Refricabis] Renouabis ea, quibus a me Caeſar, licet iratus mihi non eſſet, alienior tamen eſſe viſus eſt?

Qui bene noſſes coniunctionem meam, et Caeſaris] Qui ſcires, me, propter Caeſaris amicitiam, numquam tibi, eius ſocero, nomen eſſe delaturum.

Eludebas] Serio non agebas, qui ſcires, me tibi propter Caeſarem parcere.

Trementibus labris] Cum id requirebas inuitus, damnationis metu, conſcius ſcelerum tuorum. infra c. 39. *Neminem inuitus inuitabis.*

Quod ad me attinet] Iſta cura te non libero: verumtamen eſt mihi conſiderandum, ne qua Caeſarem ſollicitudine afficiam, ne quod ei moleſtiae onus imponam, praeſertim amiciſſimus ſummis reipublicae negotiis impedito.

Numquam iſtam imminuam curam infitiando tibi] Senarius Accii poetae in Atreo, quem imitatus eſt Cicero poſt red. in ſen. c. 13. *Numquam*, inquit, *infitiando, ſuſpicionem hominum, curamque minuerunt.*

Languet] Deſidiae dedita, non ad eam gloriam propenſa, quae ciuium accuſationibus improborum quaeri ſolebat.

Conſularibus ſpoliis] Conſulari dignitate, exponendis apud iudices flagitiis eius, ac ſceleribus.

Non nolint] Quaſi dedignentur: cum parua laus ex afflicto, infirmo, eneruato reo exſpectetur.

Beneficio] Prouincia a Clodio accepta.

CAPVT XXXIV.

Platoris] De haruſp. reſp. c. 16. *Quis Platorem ex Oreſtide, quae pars Macedoniae libera eſt, hominem in illis locis clarum ac nobilem, legatum Theſſalonicam ad noſtrum, vt ipſe appellat, imperatorem veniſſe neſcit? quem ille, propter pecuniam, quam ab eo extorquere non poterat, in vincula coniecit, et medicum intromiſit ſuum, qui legato, ſocio, amico, libero foediſſime et crudeliſſime venas incideret.*

Euertiſti] Malim, *euerriſti.* vt ad rapinas Piſonis referatur, de quibus hic ſermo eſt.

Addixeras] Dyrrhachinis, ab iis accepta pecunia.

Regi Coto] *Coto* a *Cotus*, vel *Coty* a *Cotys.* nam ita regum Thraciae Cotys nomen eſt; vt Arſaces Perſarum, Ptolemaeus Aegyptiorum. nominatur a Caeſare lib. III. de bell. ciu. c. 4. et 36. Liuio lib. XLII. c. 29. et 51. lib. XLV. c. 42. aliis.

Denſeletis] Thraciae populis.

CAPVT

CAPVT XXXV.

Violati hoſpites] Plator.
Legati necati] Rabocentus.
Socii] Denſeletae.
Fana] Fanum Iouis Velſuri.
H-S centies et octogies] Quingenta quadraginta ſcutatorum millia.

Quaſi vaſarii nomine] Quaſi promiſſum a vade P. Clodio, ſi meam illi ſalutem tradidiſſes. *Vas* eſt, qui vadimonium pro altero promittit. inde *vaſarium* puto communiter ad omnia, quae promitterentur, eſſe deductum. nec tamen ignoro, aliter ab aliis hunc locum accipi.

Adſcripſeras] Pactione cum Clodio facta, vt ipſe tibi pro meo capite H-S centies et octogies ex aerario attribueret.

CC talenta] Centum ſexaginta ſcutatorum millia.

Praefecto] Equitum.

Honorarii] Quod a populis honoris cauſſa dabatur.

CAPVT XXXVI.

Per omnes annos] Per triennium, dum prouinciae praefuiſti.

Conatus tuus] Vſurpatur hoc verbum de rebus, quae ad exitum non perducuntur. itaque non arbitror Piſonem prouinciae ſuae finibus egreſſum eſſe: quod pluribus verbis Cicero exagitaſſet, vt de Gabinio in Aegyptum profecto, contra legem Corneliam de maieſtate, Iuliam de repetundis.

Praetoria nunciata] Q. Anchario praetorio, non conſulari, decreta.

Quaeſtor aedilicius reiectus] Quaeſtorem, cum decederes, prouinciae praeponere noluiſti, legatorum tuorum turpiſſimum praepoſuiſti. honore autem quaeſtor legato praeſtabat: vt ad Thermum lib. II. Fam. epiſt. 18. Aedilicium dici miror: cum aedilitas curulis poſt quaeſturam peteretur.

Non recepti] Non tecum ad vrbem adducti; vt eos in beneficiariis ad aerarium deferres?

Populari illi ſacerdoti] P. Clodio, qui, tamquam ſacerdos pro populo ſacra facturus, muliebri veſtitu ſtupri cauſſa penetrauit eo, vbi mulieres, pro populi ſalute, Bonae deae ſacra faciebant. infra c. 39. *Emiſſus etiam ille auctor tuus prouinciae, cum ſtuprum Bonae deae puluinaribus intuliſſet.* Pro Sextio c. 30. *Conſulatus petitio ipſi illi populari ſacerdoti comparabatur.*

Ad beſtias] Qui cum beſtiis pugnarent iis ludis, quos aedilis curulis Clodius dedit Marcellino, et Philippo coſſ.

Socios, ſtipendiariosque (Ern. *amicos ſociosque*)] Et hic, et in extrema oratione, et in ea pro Balbo c. 9. et lib. IV. in Verr. c. 60. et alibi, ſtipendiarii diſtinguuntur a ſociis. nam ſocii vectigales quidem, ſtipendiarii tamen non ſunt.

Miſiſti] Tamquam damnatos.
Plorantium] Ob damna, et iniurias a te acceptas.

CAPVT XXXVII.

Lex] De repetundis.

Niſi decreto triumpho] In coronas igitur triumphales aurum illud erogabatur.

Vocabula mutabas] Non dicebas, auri coronarii nomine accepta, ſed aliis nominibus, tua furta obtegentibus.

Hoc

Hoc tu in exitu] Actionum tuarum.

Neque vllam poenam] Conſideranda ſententia.

CAPVT XXXVIII.

Albutius] T. Albutius, qui, in Sardinia cum latrunculis re geſta, ſupplicationem a ſenatu poſtulauit: ea denegata, in ipſa prouincia quaſi triumphare eſt auſus: quo facto, Romae damnatus eſt.

Exſpectaret (Ern. *ſpectaret*)] Scelerum, ac fraudum ſuarum conſcius.

Praepoſterus imperator] Amiſit enim oppida, legiones perdidit, et imperator appellatur.

Funeſta indicia] *Funeſta*, addidi ex antiquis libris.

Suauiſſimi] Ironia. nam acerbiſſimus prouinciae fuerat.

Quod me hortere] Vt tibi nomen deferam.

CAPVT XXXIX.

Lege iudiciaria lata] Hoc anno a Pompeio conſule: vt ex ampliſſimo cenſu, ex centuriis, aliter quam antea, lecti iudices, aeque tamen, vt Aurelia lege, ex tribus ordinibus, res iudicarent.

Neminem inuitus (Ern. *inuitum*) *inuitabis*] Inuitas enim tu me quidem nunc, vt tibi nomen deferam, ſed inuitus: in poſterum vero, lege Pompeia lata, neminem, vt nunc facis, inuitus inuitabis: ipſa inuitabit reſpublica. Ad hoc verbum, *inuitus*, pertinet illud, quod ſupra c. 33. dictum eſt, *trementibus omnino labris.* quod enim, vt ſibi Cicero nomen deferret, trementibus labris Piſo requirebat, id videlicet requirebat inuitus.

Quod nolim] Propter generum tuum, amiciſſimum meum.

Aut dehortabitur] Vt me nunc dehortatur. Non liberat Piſonem culpa: ſed propter Caeſarem, qui rempublicam in Gallia praeclare gerebat, ita, inquit, homines abſtinebunt ab accuſando, vt ego nunc abſtineo.

P. Rutilio] Quem equites iudices de repetundis damnarunt, odio incenſi, quod Q. Mucii quaeſtor in Aſia cum eſſet, prouinciam ab iniuriis publicanorum defenderat. Aſconius in Diuin. c. 17. Cicero in Bruto c. 30.

Et (*et* abeſt ab Ern.) *praetor, et conſul*] Praetor Fregellas ceperat: conſul C. Gracchum tribunicium, et M. Fuluium Flaccum conſularem, ac triumphalem, optimatibus infenſos, oppreſſit. quo poſtea equites eum, C. Gracchi lege iudicantes, condemnarunt; cum antea populus eum, a Q. Decio tribuno plebis accuſatum, defendente eloquentiſſimo homine C. Papirio conſule, abſoluiſſet. propterea dicit illa pro Sextio c. 67. *Vnus in hac ciuitate, quem quidem ego poſſim dicere, praeclare vir de republica meritus, L. Opimius, indigniſſime concidit: cuius monumentum celeberrimum in foro, ſepulcrum deſertiſſimum in littore Dyrrhachino relictum eſt. Atque hunc tamen flagrantem inuidia, propter interitum C. Gracchi, ſemper ipſe populus Romanus periculo liberauit. alia quaedam ciuem egregium iniqui iudicii procella peruertit.*

Bis Catilina abſolutus] De inceſtu, et de repetundis. Cicero lib. I. ad Attic. epiſt. 16. *Bis abſolutum*

ſolutum eſſe Lentulum, bis Catilinam. Et in hac oratione c. 10. in ea de haruſp. reſp. c. 20. in ea pro Cornelio, ibique Aſconius.

Emiſſus] Abſolutus.

Auctor tuus prouinciae] P. Clodius, a quo prouinciam accepiſti.

CAPVT XL.

Quinque et ſeptuaginta tabellae] Iudicum. tot enim fuiſſe, certo cuiusque ordinis numero, locus hic perſpicue docet.

Diribeantur] Diſtribuantur, vt ſupra c. 15. *Vos rogatores, vos diribitores, vos cuſtodes fuiſſe tabularum.* Et poſt red. in ſen. c. 11. Nos, *diribeantur,* ex ingenio repoſuimus: cum antea legeretur, *diripiantur.*

Vnum ſolum] Plus videtur eſſe *ſolus,* quam *vnus;* itaque ſaepe coniunguntur: quod etiam diximus in ea pro Sextio c. 19.

Ad portam] Eſquilinam. ſupra c. 25.

Feciſſe videri] Verba condemnantium iudicum. non enim, cum reum damnabant, *feciſſe* dicebant, ſed *feciſſe videri.* diximus lib. V. in Verr. c. 6.

Si cogitaras] De triumpho.

Illa tropaea] In Macedonia a te conſtituta. ſupra c. 25.

CAPVT XLI.

Commune] Multi enim probi iniquo iudicio damnati, vt Rutilius, Opimius, alii.

Adulantem omnes] Sic antiquus liber: et Fronto Ciceronem hoc verbo cum accuſandi caſu vſum eſſe docet.

Videre te volui: vidi] Et vim habet, et elegantiam verbi repetitio.

Euenerit] Vt aliquis te accuſet.

Quod metuis, ne accidat] Quamquam a me, vt tibi nomen deferrem, requiſieris. quod tamen feciſti trementibus labris: vt appareret, quod a me requirebas, id te metuere, ne accideret. Huc et illud c. 39. pertinet: *Neminem inuitus inuitabis.*

Forte] Praeter meam, et aliorum opinionem.

Tua indignitate] Cum te ſine vlla dignitate, eum ſcilicet, qui nunc es, videbo.

Semper ſordidum] In ſumma ſemper indignitate, metuentem, ne reus fias.

Sordidatum] In iudicio.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM
PRO
T. ANNIO MILONE

ARGVMENTVM

Etſi Pedianus argumentum huius orationis copioſe narrat: tamen, vt meas partes quodam modo expleam, pauca quaedam dicam, quae, vel ſi Pedianus non legatur, ſufficere videantur. Caeſo P. Clodio III Kal. Febr. in Appia via apud Bouillas a Milone, eiusque ſeruis, accuſatus eſt Milo noua Pompeii lege de vi a duobus Ap. Clodiis, C. Clodii, Publii fratris, filiis, a M. Antonio, P. Valerio Nepote. reſpondit his vnus Cicero, non ea, qua ſolitus erat, conſtantia, Clodianorum clamore deterritus. excepta eſt eius oratio, quae hodie non exſtat. ſcripſit vero hanc ita diligenter, vt Pedianus iure primam putet, Quinctilianus pulcherrimam, et nobiliſſimam appellet. Acta cauſſa eſt Pompeio tertium conſule, extra ordinem noua Pompeii lege: quod Cicero multis verbis conqueritur. Quaeſitor fuit, non praetor de more, ſed conſularis L. Domitius Ahenobarbus, ſuffragiis populi creatus: vt in lege Pompeii ſcriptum erat. iudices Pompeius ipſe claros viros, et ſanctos, e ſingulis ordinibus propoſuit. quos trecentos fuiſſe, Velleius lib. II. et Coelius in epiſt. ad Ciceronem lib. VIII. Fam. epiſt. 8. docet. eorum nominibus in pilas coniectis, facta a Domitio quaeſitore ſortitio eſt vnius et octoginta: ſed, peracta vtrinque cauſſa, cum accuſator, et reus quinos ex ſingulis ordinibus reieciſſent, vnus tantum et quinquaginta, id eſt, ſenatores XVIII, equites XVII, tribuni aerarii XVI, ſententias tulerunt. Status cauſſae coniecturalis eſt. factum enim Cicero non infitiabatur, ſed iure factum dicebat: quoniam quidem Milo, inſidiis Clodii appetitus, vim vi repuliſſet. atque hoc quaeritur in cauſſa. damnatus tamen eſt, non quod caedes Clodii iudicibus ac bonis omnibus, vtpote reipublicae ſalutaris, in primis grata non eſſet; verum, quia, Clodio ſublato, Milonis quoque notam audaciam auerti a republica vtile viſum eſt.

EXPLANATIO

CAPVT I.

Etſi vereor] Prooemia ducuntur interdum ex tempore, vt pro Coelio: ex loco, vt pro Deiotaro: ex habitu, vt hic. Quinctilianus lib. IV. c. 1.

Ne turpe ſit] Non dixit, *etſi turpe eſt*, ſed, *etſi vereor, ne turpe ſit:* ne ſe ipſe prorſus accuſet, quia timuerit in defenſione Milonis. pudore enim quodam timoris ſui, quia, cum ageret Milonis cauſſam, non ea, qua ſolitus erat, conſtantia dixerat, a timoris cauſſa, cum haec poſtea ſcriberet, exordiendum putauit. in quo principio expedit illa noſſe, et conſiderare, quae lib. XI. c. 3. Quinctilianus tradidit. *Proponamus*, inquit, *nobis illud Ciceronis in oratione nobiliſſima pro Milone principium, nonne ad ſingulas paene diſtinctiones, quamvis in eadem facie, tamen quaſi vultus mutandus eſt?* Etſi vereor, iudices, ne turpe ſit, pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere. *Etiam ſi eſt toto propoſito contractum atque ſubmiſſum, quia et exordium eſt, et ſolliciti exordium: tamen fuerit, neceſſe eſt, aliquid plenius et erectius, dum dicit*, pro fortiſſimo viro, *quam cum*, etſi vereor: *et*, turpe ſit: *et*, timere. *Iam ſecunda reſpiratio increſcat, oportet, et naturali quodam conatu, quo minus pauide dicimus, quae ſequuntur, et quo magnitudo animi Milonis oſtenditur*, minimeque deceat, cum T. Annius ipſe magis de reipublicae ſalute, quam de ſua, perturbetur. *Deinde, quaſi obiurgatio ſui eſt*, me ad eius cauſſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe. *Tum inuidioſiora*, tamen haec noui iudicii noua forma terret oculos. *Illa vero iam paene apertis, vt aiunt, tibiis*, qui, quocumque inciderunt, veterem conſuetudinem fori, et priſtinum morem iudiciorum requirunt. *Nam ſequens latum etiam atque fuſum eſt*, non enim corona conſeſſus veſter cinctus eſt, vt ſolebat.

Illa praeſidia] A Pompeio contra vim plebis infimae, cupientis vlciſci necem Clodii, collocata. Quod ad deteriorem partem trahit, quaſi dominantibus armis, inimicus Pompeii Caeſar lib. III. de bell. ciu. c. 1. *Nonnullos*, inquit, *ambitus Pompeia lege damnatos illis temporibus, quibus in vrbe praeſidia legionum Pompeius habuerat, in integrum reſtituit.*

Non afferunt tamen oratori aliquid (Ern. *nobis afferunt tamen horroris aliquid*)] Non tamen efficiunt, vt orator non timeat, etiamſi, cur timere debeat, non ſit.

Salutaribus et neceſſariis] Hoc ad excuſationem Pompeii, et ad iudices metu liberandos, vt ait Quinctilianus lib. IV. c. 2.

Ne non timere quidem] Sunt, qui, *ne*, auferant, aberrantes a ſententia. hoc enim dicit. Illa praeſidia non modo oratori animos non addunt, ſed non afferunt, vt ne timere quidem non poſſit, ſine timore tamen aliquo, id eſt, licet optime ſciat, ſibi timendum non eſſe: cum illa praeſidia ad tollendum timorem, arcendamque vim poſita ſint.

Oppoſita Miloni] Diſſimulat orator, ne Pompeium offendat. nam

nam re vera, etſi multo magis a Clodianis, non nihil tamen et a Milone Pompeius timebat.

Vt magno animo ſimus, hortantur] Cur igitur timet? quia noui iudicii noua forma terret oculos.

Quae quidem eſt ciuium] Nam inter Clodianos et ſerui erant.

Virtuti Milonis fauet] Milonem abſolutum propter illius virtutem exoptat.

De ſe, de liberis ſuis] Quibus, viuo Clodio, multae calamitates impendebant.

CAPVT II.

Heſterna etiam concione] Quotidie concionabantur contra Milonem, et eos, qui cauſſam illius tuebantur, tres tribuni plebis, T. Munatius, Q. Pompeius, C. Salluſtius.

Vt vobis voce praeirent, quid iudicaretis] Infra c. 26. *Vt intelligatis, contra heſternam concionem illam licere vobis, quod ſentiatis, iudicare.*

Vtrum nos] Ego, et Milo: ego, patria, quam ſeruaueram, a Clodio eiectus: Milo, qui Clodii furorem ſaepe a republica remouit, ſemper ab eo, dum viueret, vexatus, poſt mortem autem, nulla ſua culpa, reus.

Equidem ceteras tempeſtates et procellas] Maxime cauendum eſt, ne, dum translationes nimis amamus, in allegoriae vitium incidamus. de quo ſunt illa apud Quinctilianum lib. VIII. c. 6. *Illud commixtum frequentiſſimum:* Equidem ceteras tempeſtates et procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum ſemper Miloni putaui eſſe ſubeundas. *Niſi adieciſſet*, dumtaxat fluctibus concionum, *eſſet allegoria: nunc eam miſcuit.*

Fluctibus concionum] Quia populus in concionibus a tribunis plebis facile commouetur vt fluctus.

Ex cunctis ordinibus] Tribus, ſenatorio, equeſtri, et ex ipſa plebe.

Ad eius non ſalutem modo exſtinguendam, ſed etiam gloriam per tales viros infringendam] Ὁμοιοτέλευτον, *exſtinguendam, infringendam.* quod notauit Quinctilianus lib. IX. c. 3.

Vitam vt impune liceat defendere] Quod fecit Milo. vim enim ipſe non intulit, ſed illatam repulit.

CAPVT III.

Negant intueri lucem eſſe fas ei, qui a ſe hominem occiſum eſſe fateatur] Fecit ingenioſe Cicero, vt, ante quam narrationem aggrederetur, tres quaeſtiones praeponeret, vnam, non ſemper damnari eum oportere, qui hominem a ſe occiſum fateretur; cuius quaeſtionis initium eſt hoc, *negant intueri:* alteram, non eſſe, vt aduerſarii iactauerant, condemnatum Milonem praeiudicio ſenatus; cuius initium eſt, *ſequitur illud, quod a Milonis inimicis ſaepiſſime dicitur:* tertiam, non male ſentire de Milonis cauſſa, nec eius inimicum eſſe Cn. Pompeium, quamquam militibus armatis iudicium clauſiſſet; cuius initium, *at enim Cn. Pompeius.* Vidit hoc diligens Ciceronis obſeruator, et artis rhetoricae magiſter optimus Quinctilianus. nam lib. IV. c. 2. *frequentius*, inquit, *quaeritur, an ſit vtique narratio prooemio ſubiicienda.*

iicienda.. quod qui opinantur, non poſſunt videri nulla ratione ducti. Nam cum prooemium idcirco comparatum ſit, vt iudex ad rem accipiendam fiat conciliatior, docilior, et intentior; et probatio, niſi cauſſa prius cognita, non poſſit adhiberi: protinus notitia rerum inſtruendus videtur. Sed hoc quoque interim mutat conditio cauſſarum. niſi forte M. Tullius in oratione pulcherrima, quam pro Milone ſcriptam reliquit, male distuliſſe narrationem videtur, tribus praepoſitis quaeſtionibus: aut profuiſſet exponere, quo modo inſidias Miloni feciſſet Clodius, ſi reum, qui a ſe hominem occiſum fateretur, defendi omnino fas non fuiſſet; aut, ſi iam praeiudicatione ſenatus damnatus eſſet Milo; aut, ſi Cn. Pompeius, qui propter aliquam gratiam iudicium militibus armatis clauſerat, tamquam aduerſus exiſtimaretur.

M. Horatii] Publium Liuius lib. I. c. 26. vocat.

Populi Romani comitiis] Curiatis: cum nec centuriata, nec tributa adhuc eſſent.

C. Carbone] Eo, qui poſtea conſul, mutata ſententia, C. Gracchum, Tiberii fratrem, iure caeſum eſſe dixit.

Ahala ille Seruilius] Sp. Melium Seruilius, Ti. Gracchum Naſica, C. Gracchum Opimius, Saturninum, et Glauciam Marius, quod pernicioſas reipublicae ſeditiones concitarent, occiderunt. infra c. 30.

Me conſule, ſenatus] Necatis in carcere quinque, ſceleratis ciuibus, qui cum Catilina contra patriam coniurauerant.

Eum] Oreſtem.

Patris] Agamemnonis, ab vxore Clytemneſtra, et eius adultero Aegiſtho interfecti.

Variatis hominum ſententiis] Areopagitarum, cum alii factum eius probarent, alii vituperarent, quod Minerua discrimen ſuſtulit.

Sapientiſſimae deae] Mineruae. Iuuenalis Sat. VIII. v. 216.

— Quippe ille deis auctoribus vltor
Patris erat caeſi media inter pocula.

Quod ſi duodecim tabulae] Quinctilianus lib. V. c. 14. *Et a ratione*, inquit, *fas eſt incipere, deinde concludere: vt:* Quod ſi duodecim tabulae nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, ſi ſe telo defenderit, interfici impune voluerunt: quis eſt, qui, quoquo modo quis interfectus ſit, puniendum putet? *Variat autem hic adhuc, et rurſus rationem tertio loco ponit:* Cum videat, aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipſis porrigi legibus. *Prioris autem partis duxit ordinem:* Inſidiatori autem, et latroni quae poteſt inferri iniuſta nex? *haec intentio:* Quid comitatus noſtri, quid gladii volunt? *haec ratio:* Quos habere certe non liceret, ſi vti illis nullo pacto liceret. *haec ex intentione et ratione connexio.*

CAPVT IV.

Pudicitiam cum eriperet] Quinctilianus lib. V. c. 11. *Quaedam*, inquit, *ex iis, quae geſta ſunt, tota narrabimus: vt Cicero pro Milone:* Pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus eius impera-

imperatoris, interfectus ab eo eſt, cui vim afferebat. Facere enim probus adoleſcens periculoſe, quam perpeti turpiter, maluit: atque hunc ille ſummus vir ſcelere ſolutum, periculo liberauit. *Quaedam ſignificare ſatis erit: vt idem, ac pro eodem:* Neque enim poſſet aut Ahala ille Seruilius, aut P. Naſica, aut L. Opimius, aut, me conſule, ſenatus non nefarius haberi, ſi ſceleratos interfici nefas eſſet. Quod ad hanc hiſtoriam attinet, vide Plutarchum in Mario, Valerium Max. lib. VI. c. 1. vt alios omittam.

Non ſcripta, ſed nata lex] In Oratore c. 49. *Nec ſolum componentur verba ratione, ſed etiam finientur, quoniam id iudicium eſſe alterum aurium diximus. Sed finiuntur aut compoſitione ipſa, et quaſi ſua ſponte, aut quodam genere verborum, in quibus ipſis concinnitas ineſt: quae ſiue caſus habent in exitu ſimiles, ſiue paribus paria redduntur, ſiue opponuntur contraria, ſuapte natura numeroſa ſunt, etiam ſi nihil eſt factum de induſtria. In huius concinnitatis inſectatione Gorgiam fuiſſe principem accepimus, quo de genere illa noſtra ſunt in Miloniana: Eſt enim, iudices, haec non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus.* Quo loco Quinctilianus haec lib. IX c. 3. *Ne ſemper contrapoſitum ſubiungitur, vt in hoc:* Eſt enim haec, iudices, non ſcripta. ſed nata lex: *verum. ſicut Cicero dicit, quod de ſingulis rebus propoſitis refertur ad ſingula, vt in eo, quod ſequitur:* Quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus.

Silent enim leges inter arma] Quinctilianus lib. V. c. 14. *Aliquando*, inquit, *ſufficiunt intentio ac ratio*, ſilent leges inter arma, nec ſe exſpectari iubent, cum ei, qui exſpectare velit, ante iniuſta poena luenda ſit, quam iuſta repetenda. *Ideoque id enthymema, quod eſt ex conſequentibus, rationi ſimile dixerunt. Sed et ſingula quoque interim recte ponuntur: vt ipſum illud,* ſilent leges inter arma.

CAPVT V.

Huius ambuſti tribuni plebis] T. Munatii Planci Burſae, de quo ad Marium lib. VII. Fam. epiſt. 2. is cum Q. Pompeio collega concionatus eſt contra Milonem eo tempore, quo propter Clodii corpus curia incenſa eſt; nec prius deſtitit, quam flamma eius incendii fugatus eſt e concione. propterea *ambuſtus* vocatur.

Intermortuae] Incendio curiae interruptae. quod tamen ad quotidianas referri conciones non poteſt, ſed ad eam pertinet, quam Plancus cum haberet, incendio curiae fugatus eſt. *Intermori* interdum idem eſt, quod mori, vt in epiſt. Bithynici lib. VI. Fam. 16. *Si nullum officium tuum apud me intermoriturum exiſtimas.* Interdum eſt, animo ſenſibusque deficere, vt, qui non moritur, mori tamen videatur. vt ex Cicerone, Plinio, Suetonio conſtat. quam ſimilitudinem habet, *intermortuae conciones.*

Hanc vero quaeſtionem] Novam: de qua Pompeius legem tulerat.

De vi] De vi publica, Lutatia; de priuata, Plautia.

De illo inceſto ſtupro] Cum ſtuprum Bonae deae puluinaribus Clodius intulit. nota hiſtoria.

Iudicium decernendi] Nouae quaeſtionis decernendae.

Eſſet erepta] Sex. Clodio ſcriba duce plebs corpus P. Clodii in curiam intulit, ibique cremauit. quo igne curia quoque ipſa conflagrauit.

Optanda] Ipſo enim exemplo reipublicae nocetur.

Non vulnerarunt] Plane enim vulnerarunt: licet illos omni poena dignos fuiſſe nemo neget.

CAPVT VI.

Crimen iudicio reſeruaui] Dixi, quaerendum in iudicio, vter vtri inſidias feciſſet.

Rem notaui] Vim decreui contra rempublicam eſſe factam.

Furioſum illum tribunum] Q. Fuſium.

Extra ordinem] Ante alias cauſſas.

Diuiſa ſententia eſt] Decreuit ſeparatim ſenatus, et vt veteribus legibus quaereretur; cui ſententiae tribunus plebis interceſſit: et vt extra ordinem; quod Clodianis placuit.

Reliqua auctoritas] De veteribus legibus. *Auctoritatem* vocat, quia ſenatus conſultum fieri non potuit.

Et de re, et de cauſſa] *De re,* de vi, contra rempublicam eſſe: *de cauſſa*, de inſidiis, a Milone factas eſſe.

Salutarem litteram] A, quae abſoluit.

Triſtem] C, quae condemnat.

Quod ſua ſponte fecit] Vt rogationem de noua quaeſtione ferret.

An tempori] Tempori tribuit, non Clodio. infra c. 8. *Homo ſapiens, et alta quadam mente praeditus, multa vidit.*

CAPVT VII.

Auunculus M. Catonis] Vticenſis poſtea dicti.

M. Druſus] Eius filius, quem contra C. Gracchum ſenatus defenſorem habuit.

Occiſus eſt] A neſcio quo, belli Socialis initio. Velleius lib. II. c. 14.

Illa nocturna vis] Cuius ad C. Carbonem ſuſpicio pertinuit.

In monumentis maiorum ſuorum] Quo maxime putabant adverſarii commoueri iudices poſſe. ideo ait Quinctilianus lib. V. c. 10. *In qua quidque ciuitate quaeratur, intereſt. moribus enim et legibus diſtant. Ad commendationem quoque et inuidiam valet. Nam et Aiax apud Ouidium:* Ante rates, *inquit,* agimus cauſſam, et mecum confertur Vlyſſes. *Et Miloni inter cetera obiectum eſt, quod Clodius in monumentis ab eo maiorum ſuorum eſſet occiſus.*

CAPVT VIII.

Homo ſapiens] Hactenus docuit, cur de Clodii nece ferri noua quaeſtio non debuerit: nunc, ea cur a Pompeio lata ſit, cauſſam affert; vt, cum rem ipſam damnet, hominem tamen excuſet. Ad Appium lib. III. Fam. epiſt. 10. *Qua ille facilitate, qua humanitate tulit contentionem*

nem meam pro Milone, aduerſante interdum actionibus ſuis? quo ſtudio prouidit, ne quae me illius temporis inuidia attingeret, cum me conſilio, tum auctoritate, cum armis denique texit ſuis? quibus quidem temporibus haec in eo grauitas, haec animi altitudo fuit, non modo vt Phrygi alicui, aut Lycaoni, quod tu in legatis feciſti; ſed ne ſummorum quidem hominum maleuolis de me ſermonibus crederet.

Fides reconciliatae gratiae] Rediiſſe in gratiam cum Clodio Pompeium, quem ſaepe inſidiatum vitae ſuae compererat, et hic, et infra c. 29. perſpicue patet. redierat autem, vt opinor, ob eam cauſſam, quod alteri filiorum ſuorum Appius, P. Clodii frater, filiam ſuam collocarat: vt ad ipſum Appium Ciceronis epiſtolae (epiſt. 4. et 10.) declarant.

Delegit e florentiſſimis ordinibus ipſa lumina] Quod ſupra c. 2. dixit, *ampliſſimorum ordinum delectis viris.*

Vt conſularem neceſſe eſſet] Creari ſuffragiis populi, qui quaeſtioni praeeſſet.

Et leuitati multitudinis] Clodianos notat.

Te creauit] Non ipſe creauit, ſed, cum de eo ad populum tulit, creare viſus eſt.

Quod (Ern. *quam*) *contemneres populares inſanias*] Mendoſum nonnullis videtur, *quod*, quaſi barbare dictum: ſed et in vetuſtioribus libris eſt, et ita ſaepe hoc modo vſurpatur a Cicerone, atque ab aliis, vt mendi dubitatio eſſe nulla poſſit. exempla collegimus in commentariis epiſt. ad Attic. lib. IX. epiſt. 19.

CAPVT IX.

Ad eius competitores] Hypſaeum, et Pompeii ſocerum Scipionem.

Conuocabat tribus] Etſi centuriatis, non tributis comitiis conſules creabantur: tamen, cum in tribubus centuriae continerentur, ſequebatur, vt, qui gratia valeret in tribubus, idem valeret in centuriis.

Saepe eſſe declaratum] Quoties de Milonis honoribus ſuffragium populus tulit.

CAPVT X.

Lanuuium] *Lauinium*, et poſt, *Lauinii*, et aliquanto poſt c. 17. *Lauinini*, non *Lanuuini*, legendum videtur, ex ratione itineris. nam eunti Lanuuium, Bouillis, vbi Clodius eſt interfectus, transeundum non fuit.

Dictator] Quibusdam in municipiis dictatores erant. Spartianus in Hadriano c. 18. *Per Latina oppida dictator, et aedilis, et duumuir fuit.*

Concionem turbulentam] Concitatam a Clodii mercenario tribuno plebis: vt infra c. 17.

Eius furor] Vt populum a tribuno plebis commotum, magis etiam incitaret.

Deſideratus eſt] Defuit.

Calceos mutauit] Quia calcei ſenatorii lunati erant, colore mulleo: vt ex Iſidoro, Zonara, Feſto, Catone perſpicuum ſit. iis igitur depoſitis, eos, quibus in itinere vteretur, ſumſit.

Vxor] Fauſta, L. Sullae filia, quae male audiit impudicitiae nomine. Horatius lib. I. Serm. ſat. 2. v. 64. et Macrobius lib. II. Saturn. c. 2.

Nulla rheda] Miror ſane dixiſſe Quinctilianum lib. I. c. 5. *rhedae* vocabulo ſolum Ciceronem vſum eſſe: cum vſi praeterea ſint Caeſar lib. I. de bell. Gall. c. 51. et Horatius lib. I. Serm. ſat. 5. v. 86.

Graecis] Litteratis.

CAPVT XII.

Cui bono fuerit] Quod quaeri Caſſius in cauſſis volebat. pro Roſcio Amerino c. 30. et Phil. II. c. 14.

In his perſonis] De quibus nunc agitur: vt ex vtriusque bono, vter vtri inſidias fecerit, conſideretur.

Iis conſulibus] Hypſaeo, et Scipione: quorum petitionem iuuerat. ſupra c. 9.

Nec, ſi cuperent, reprimere poſſent (Ern. *nec, ſi poſſent, reprimere cuperent*)] Peruerſa, vt arbitror, ſententia. legendum enim, *nec, ſi poſſent, reprimere cuperent;* indicant quae proxime ſequuntur verba, *cum tantum beneficium ei ſe debere arbitrarentur.* ita proponitur primum, quid velle debeant; deinde, quid poſſint.

An vero, iudices, vos ſoli ignoratis] Hic ſubiiciam Quinctiliani verba ex lib. IX. c. 2. *Nec ſolum*, inquit, *quae facta ſint, aut fiant, ſed etiam quae futura ſint, aut futura fuerint, imaginamur. Mire tractat haec Cicero pro Milone, quae facturus fuerit Clodius, ſi praeturam inuaſiſſet.*

Sex. Clodi] Scriba: quem tribuno plebis Clodio legem ſcripſiſſe de eiiciendo Cicerone, cognoſcitur ex ea pro domo c. 18.

Cum omnia omnibus minabatur] Quo anno Clodius tribunatum plebis geſſit.

Lumen curiae] Iocus in ambiguo. cum enim de ſenatore clariſſimo loqui videatur, cuius dignitate moueretur; cum ne ſenator quidem eſſet Sextus: incendium curiae, cuius ille auctor fuerat, ſignificat.

CAPVT XIII.

Punitus es] Pro, *puniuiſti*, figurate: vt, *fabricatus eſt gladium*, pro, *fabricauit.* quod vtrumque Quinctilianus lib. IX. c. 3. ad verborum figuras refert. Dixit autem Cicero, *puniri*, pro *punire*, non hic tantum, ſed lib. I. de Offic. c. 25. Tuſc. I. c. 44. Phil. VIII. c. 2. ſimiliter, *fabricari*, et *fabricare.*

Eieciſti domo] Non, extuliſti, ſed, vt ea, quae ſunt inuiſa, eieciſti.

Spoliatum imaginibus] Maiorum, quae geſtari in funere ſolerent. infra c. 32. *Non fuiſſe credo fas, clariſſimorum virorum formas illi taeterrimo parricidae aliquid decoris afferre.*

Pompa] Vſitato funeris honore: de quo infra c. 32. his verbis: *Nec vero non eadem ira deorum hanc eius ſatellitibus iniecit amentiam, vt ſine imaginibus, ſine cantu, ſine ludis, ſine exſequiis, ſine lamentis, ſine laudationibus, ſine funere, oblitus cruore, et luto, ſpoliatus illius ſupremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici ſolent, ambureretur abiectus.*

Laudatione] Funebri oratione.

Infeliciſſimis lignis] Curiae ſubſelliis, a concitata plebe arreptis, non iis lignis, quae cremandis mortuorum corporibus legi ſolerent. vt ipſa quoque ligna infelicitatem cum Clodii corpore paſſa ſint.

Seminuſtu-

Semiuſtulatum] Non plane combuſtum: vt reliquias dilaniarent nocturni canes. Quod autem hic, *ſemiuſtulatum*, infra c. 32. *amburerctur*, dicit, eodem ſenſu.

Neceſſario (Ern. *nefarie*) *feciſti*] Quia videbas, ei, qui rempublicam omni ſcelere vexaſſet, prorſus honore ſepulturae carendum fuiſſe.

Sed obeſt] Ergo Caſſianum illud, *cui bono*, valet pro Milone contra Clodium.

Lege Plotia] De vi.

In homine iniuſto] P. Clodio: cuius, licet hominis iniuſti, cauſſae tamen odii in Milonem, accuſatorem ſuum, iuſtae erant.

CAPVT XIV.

Diem mihi, credo, dixerat] *Diem dicere*, accuſare quidem eſt, ſed tum dumtaxat, cum tribuni plebis ad populum accuſant.

Actionem perduellionis intenderat] Egerat mecum, vt in crimine perduellionis agi ſolet.

Aut veſtra mala (*veſtra* abeſt ab Ern.)] Si mala, veſtra fuit: vobis enim iubentibus parui, cum nefarios ciues, ſceleris in patriam conuictos, carnifici necandos tradidi: ſin bona, mea ſumma cum laude. in eiusmodi igitur cauſſa, vel veſtra mala, vel mea etiam praeclariſſima, iudicium ego timerem?

Cum mihi adeſſet] Si annum ſignificat, quo pulſus eſt, cur ſubiungit: *Haec intentata nobis eſt: huic ego vos obiici pro me non ſum paſſus?* cum praeſertim ſupra dixerit: *Seruorum, et egentium ciuium, et facinoroſorum armis meos ciues, meis conſiliis periculisque ſeruatos, pro me obiici nolui.* ſuſpicari cogor, quod ſubiungitur, gloſſema eſſe, *huic ego vos obiici pro me non ſum paſſus.* ita illud, *haec intentata nobis eſt,* referetur non ad tempus, quo Cicero eiectus eſt; ne bis idem dicatur; ſed ad id, quod reditum ab exſilio conſecutum eſt.

Illo oppugnante] Oppugnatam a Clodio Milonis domum, ſcribit ad Atticum lib. IV. epiſt. 3

CAPVT XV.

Septem praetores] Octauus fuit Clodii frater Appius, de quo in Piſonem c. 15. *De me cum omnes magiſtratus promulgaſſent, praeter vnum praetorem, a quo non fuit poſtulandum, fratrem inimici mei, praeterque duos de lapide emtos tribunos plebis.*

Octo tribuni plebis] Reliqui duo, qui promulgare noluerunt, Sex. Atilius Serranus, Num. Quintius Gracchus.

Qui populum Romanum cohortatus eſt] Vt eam legem, quae de meo reditu ferebatur, ſuis ſuffragiis comprobaret. Quibus autem verbis ſit cohortatus, oſtenditur in duabus poſt reditum orationibus.

Capuae] In qua duumuir erat, collega L. Piſone: vt poſt red. in ſen. c. 7. 11.

Ad iudicium bis] De vi: cum Milo tribunus plebis eſſet. nam de priuato Milone ſubiungitur.

Pro Milone dicentem] Lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 3. et ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 5.

M. Antonius] Hac de re Phil. II. c. 20.

CAPVT XVI.

Quem igitur] Vide Quinctilianum lib. V. c. 14.

Honoris

Honoris ampliſſimi] Conſulatus.

Contentio] De quo contendendum erat cum Hypſaeo, et Scipione competitoribus.

Auguſta centuriarum auſpicia] Quorum religio deterrere debet, ne quis ad ea, caede facta, cruentis manibus accedat.

CAPVT XVII.

Dictatoris Lanuuini] *Lauinini*, puto rectius, et poſt, *Lauinium:* de quo iam dixi c. 10.

Inſaniſſima concio] Supra c. 10. *Ita profectus eſt, vt concionem turbulentam, in qua eius furor deſideratus eſt, quae illo ipſo die habita eſt, relinqueret: quam, niſi obire facinoris locum tempusque voluiſſet, numquam reliquiſſet.*

T. Patinam] Lauininum.

Interamnis (Ern. *Interamnas*)] *Interamnites* ab Interamnio, *Interamnates* ab Interamna. hic omnino legendum videtur, *Interamnas*, e ſubiecta Interamnae mentione, Aſconio ſubſcribente.

Eadem hora] Qua enim hora Clodius in domum C. Caeſaris pontificis max. vbi ſacra Bonae deae a mulieribus pro populo fiebant, ſtupri cauſſa, muliebri veſtitu, noctu introiuit, ea hora ſe illum ſcire Interamnae fuiſſe, teſtis productus in iudicio, cum de inceſto Clodius accuſaretur, dixit Caſſinius Schola. Iocus igitur eſt de falſo teſtimonio: cum eadem hora ſatis conſtet Interamnae et Romae neminem eſſe poſſe.

CAPVT XVIII.

Hac rogatione] Qua Pompeius nouam de caede Clodii quaeſtionem tulit.

Iacent ſuis teſtibus] Refelluntur ſuis teſtibus. nam ſi Clodius, niſi de Cyri architecti morte ei nunciatum eſſet, Romam eo die rediturus non fuit: quis meo conſilio factum id eſſe dicat, quod non modo cogitare, ſed nec ſuſpicari potuerim?

Video enim] Confutat, quod obiici poſſe dixit ab iis, qui Clodium inſidiarum crimine liberatum volebant.

CAPVT XIX.

Inuidioſo, et pleno latronum in loco] *Ducuntur argumenta et ex loco*, ait Quinctilianus lib. V. c. 10. *Spectatur enim ad fidem probationis, montanus, an planus; maritimus, an mediterraneus; conſitus, an incultus; frequens, an deſertus; propinquus, an remotus; opportunus conſiliis, an aduerſus? quam partem videmus vehementiſſime pro Milone tractaſſe Ciceronem.*

Etruria] Ab eo vexata. ſupra c. 9. *Seruos agreſtes, et barbaros, quibus ſiluas publicas depopulatus erat, Etruriamque vexarat, ex Appennino deduxerat.*

Praedictam] Fauonio teſte.

Fuiſſe metuendum] Quem tamen, inſidias cogitans, non vitauit. ſupra: *Quae cauſſa, cur in noctem ſe coniiceret?* Et infra c. 20. *Cur veſperi?*

CAPVT XX.

Inſanas] Ingentes. infra c. 31. *Subſtructionum inſanis molibus.* translationem notauit Quinctilianus lib. VIII. c. 6.

Eum locum] Ante fundum Clodii. quod veriſimile non eſt.

An

An in eo loco potius exſpectatus ab eo] A Clodio: cui facultas patrandi facinoris ante ſuum fundum maior erat. infra: *Dum hic veniret, locum relinquere noluit.*

Cum alter veheretur in rheda penulatus] Audiamus Quinctilianum haec narrantem lib. V. c. 10. *Intuendae ſunt, praecipueque in coniecturis, et facultates. credibilius eſt enim, occiſos a pluribus pauciores, a firmioribus imbecilliores, a vigilantibus dormientes, a praeparatis inopinantes. Quorum contraria in diverſum valent. Haec et in deliberando intuemur, et in iudiciis ad duas res ſolemus referre, an voluerit quis? an potuerit? nam et voluntatem ſpes facit. Hinc illa apud Ciceronem coniectura:* Inſidiatus eſt Clodius Miloni, non Milo Clodio: ille cum ſeruis robuſtis, hic cum mulierum comitatu; ille in equo, hic in rheda; ille expeditus, hic penula irretitus.

E villa] Albana.

Id temporis] Veſperi.

CAPVT XXI.

In caſtra Etruſca] Ad vexandam Etruriam: de quo ſaepe in hac oratione. quod ad Catilinae tempora non recte Aſconius refert.

Nugarum] Graeci enim comites animi cauſſa, non rei gerendae, ducebantur.

CAPVT XXII.

M. Cato] Qui etiam ſua ſententia Milonem palam abſoluit.

Quis eos poſtulauit? Appius] Non P. Clodii frater, ſed Caii fratris eius filius, Milonis accuſator. infra: *In reum de ſeruis accuſatoris cum quaeritur, verum inueniri poteſt?* Atque hoc loco Quinctilianus haec lib. IX. c. 3. *Et ab iisdem verbis plura acriter et inſtanter incipiunt:* Nihilne te nocturnum praeſidium Palatii, nihil vrbis vigiliae, nihil timor populi, nihil conſenſus bonorum omnium, nihil hic munitiſſimus habendi ſenatus locus, nihil horum ora vultusque mouerunt? *et iisdem deſinunt:* Quis eos poſtulauit? Appius. quis produxit? Appius. *Quamquam hoc exemplum ad aliud quoque ſchema pertinet, cuius initia inter ſe et fines iidem ſunt*, quis *et* quis, Appius, *et* Appius. *Quale eſt:* Qui ſunt, qui foedera ſaepe ruperunt? Carthaginienſes. Qui ſunt, qui crudele bellum in Italia geſſerunt? Carthaginienſes. Qui ſunt, qui Italiam deformauerunt? Carthaginienſes. Qui ſunt, qui ſibi ignoſci poſtulant? Carthaginienſes.

Proxime ad deos (*ad* ab Ern. abeſt) *acceſſit Clodius*] Cuius de ſeruis ita quaeritur, vt ſi caerimoniae deorum violatae eſſent.

Cum ad ipſos penetrarat] Feſtiue tempus illud deſcribit, cum ingreſſus eſt Clodius muliebri veſtitu, ſtupri cauſſa, ad ſacra Bonae deae.

Videbatur indignum, et domini (Ern. *indignum eſſe, et dominis*) *morte ipſa triſtius*] Si de domini nece ſeruorum teſtimonio quaereretur.

Heus, vbi Ruſcio, vbi Caſca (Ern. *heus tu, Ruſcio, verbi cauſſa*)] Accuſatoris Appii verba, ſuperbe imperantis, vt ſeruis ſuis, iis, qui ſerui fuerant patrui eius P. Clodii. non enim aſſentior

tior Quinctiliano, qui lib. VIII. c. 3. iocum eſſe putat.

CAPVT XXIII.

Neque vero ſe populo ſolum] Notauit hanc figuram Aquila, quae *κλίμαξ* Graece dicitur, adducto etiam Demoſthenis exemplo ex oratione de Corona, quod in Latinum conuertit: ego verba Graeca recitabo: quia plus habent leporis, et elegantiae. *Οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δὲ, οὐδὲ ἔγραψα μὲν, οὐκ ἐπρέσβευσα δὲ, οὐδὲ ἐπρέσβευσα μὲν, οὐκ ἔπεισα δὲ τοὺς Θηβαίους· ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἀρχῆς διὰ πάντων ἄχρι τῆς τελευτῆς διεξῆλθον.* Simile exemplum obſeruaui apud eundem in oratione pro Rhodiis. *Καὶ οὐκ ἐγὼ μὲν ταῦτα εἶπον, ὑμῖν δ' οὐκ ἐδόκουν ὀρθῶς λέγειν.*

Publicis praeſidiis] Quae circa forum Pompeius collocarat.

Neque his tantum] Parce vſum eſſe Ciceronem hac figura, inquit Aquila: nam totum illud repetere noluit, *neque ſolum publicis praeſidiis, et armis:* videlicet quia longum et inſuaue futurum erat.

Nonnullorum etiam imperitorum] Qui Milonis inimici non eſſent.

CAPVT XXIV.

Quid, quae deinde (*deinde* ab Ern. abeſt) *poſtea ſunt in eum congeſta*] Suſtuli, *deinde*, vt gloſſema.

Quaeſita] A Pompeio.

Ab vno de illis] Et hic, *de illis*, abundat.

Verum etiam (Ern. *tamen*)] Hic, *etiam*, locum non habet, et ſententiam impedit potius, quam adiuuat.

Tam celebri loco] Habitabat enim Caeſar, a quo tempore pontifex max. creatus eſt, in ſacra via, in domo publica: cum ante pontificatum in Suburra modicis aedibus habitaſſet. Suetonius in Iulio c. 46.

Audiebatur] Ab iis, qui tamquam verum nunciabant.

Senator] Cornificium nominat Aſconius.

CAPVT XXV.

Conquiſitores] Qui delectui habendo praeerant, *conquiſitores* dicebantur.

Locus datus eſſet] Occaſio data eſſet.

A te poſtea defenſum] Accuſante Clodio. lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 3.

Tuo beneficio] Erga illum.

Me ſuo] Cum omnia ſua ſtudia tribunus plebis ad me reſtituendum contulit.

Qui ita natus eſt, et ita conſueuit] Qui hoc habet et a natura, et a conſuetudine, vt otium, ſalutemque patriae rebus omnibus anteponat.

CAPVT XXVI.

Erit, erit] Iterato eodem verbo ſententia vim acquirit: vt infra c. 31. *Eſt, eſt profecto illa vis.* Pro Fonteio c. 7. *Fuit, fuit illis iudicibus diuinum ac ſingulare, iudices, conſilium.* Haec magis a Cicerone dici placet, quam a Milone; cuius cum laude dicantur. numquam enim profecto de ſeipſo diceret illa, quae ſubiunguntur, *vnius poſt homines natos fortiſſimi viri.*

In

In eius conſiliis iudicandis (Ern. *vindicandis*)] Malim, *vindicandis*. nam quod ſequitur, *qui vel iudicia ipſa tolleret*, ad illud ſpectat, *iudicium exſpectaturum fuiſſe:* vt, eodem iterato verbo, quiddam leporis et venuſtatis eluceat.

Liceret] Nam ſi tulit, vt quaereretur: nihil obſtat, quo minus abſolui Milonem liceat.

More maiorum] Cum ei commiſſa reſpublica ſit iis verbis, quae ſummam poteſtatem tribuunt, *videret, ne quid reſpublica detrimenti caperet.*

Contra heſternam concionem illam] Supra c. 2. *Qui heſterna etiam concione incitati ſunt, vt vobis voce praeirent, quid iudicaretis.*

CAPVT XXVII.

Occidi, occidi] Verba geminantur amplificandi gratia: et primum, *occidi*, indicat, alterum affirmat. Quinctilianus lib. IX. c. 3.

Sp. Melium] Quem occidit Ahala Seruilius.

Ti. Gracchum] Quem P. Scipio Naſica Serapio.

Collegae] Octauio tribuno plebis.

Auderet enim dicere, cum patriam periculo ſuo liberaſſet] Facti confeſſio non vitatur in ea re, quae patriae ſalutem attulit. itaque lib. II. de Orat. c. 25. *Saepe autem*, inquit, *res non, ſit, necne, ſed, qualis ſit, quaeritur: vt cum L. Opimii cauſſam defendebat apud populum, audiente me, C. Carbo conſul, nihil de C. Gracchi nece negabat, ſed id iure pro ſalute patriae factum eſſe dicebat.*

Adulterium] Cum Pompeia, C. Caeſaris pontificis max. vxore: quod tamen commiſerit, necne, incertum eſt: ſed vxorem Caeſar dimiſit, cum domum ſuam diceret non ſolum crimine, ſed etiam ſuſpicione criminis carere oportere.

In puluinaribus] In Piſonem c. 39. *Cum ſtuprum Bonae deae puluinaribus intuliſſet.*

Cuius ſupplicio] Id ſupplicii genus erat, ſollemnes religiones, ab eo violatas, expiare. ſic enim, inceſtum ab eo commiſſum eſſe, iudicabatur.

L. Lucullus] Sororis Clodii vir.

Iuratus] Cum teſtimonium diceret in Clodium, de inceſtu reum.

Quaeſtionibus habitis] De ancillis.

Ciuem] Se ipſum deſcribit.

Qui regna dedit] Pro Sextio c. 26. *Appellati reges a populo, qui id numquam ne a ſenatu quidem poſtulaſſent.*

Ademit] Ptolemaeo regi Cyprio.

Singulari virtute et gloria ciuem] Pompeium: de quo ſupra c. 7.

Aedem Nympharum incendit] In Parad. IV. *Aedes Nympharum manu tua deflagrauit.*

Vt memoriam publicae (Ern. *publicam*) *recenſionis*] Tabulas cenſorias, in aede Nympharum cuſtoditas.

Calumnia litium] Falſis litibus.

Iniuſtis vindiciis] Iniuſtis rerum petitionibus. nam *vindiciae*, vt ait Feſtus, *res eae ſunt, quae in controuerſiam veniunt.*

Sacramentis] *Sacramento contendere*, eſt, depoſita apud pontificem pecunia, litigare. Varro lib.

lib. IV. de L. L. c. Aſconius lib. I. in Verr. c. 9.

Etruſcos] Supra c. 9. *Etruriam vexarat.* Et c. 19. *Tota denique rea citaretur Etruria.* Et c. 21. *Comites Graeculi, quocumque ibat, etiam cum in caſtra Etruſca properabat.* Infra vero c. 32. *Vaſtarat Etruriam.*

Hunc Cn. Pompeium (Ern. *Q. Varium*)] Diſtinguit eum a Pompeio Magno, iudicem appellans.

Cum architectis] Cum quibus multorum villas, tamquam ſuas, aedificaret.

Decempedis] Quibus alienos hortos metaretur.

In lacu Pretio (Ern. *Prelio*)] Hic lacus nec in agro Romano, neque vsquam in propinquis regionibus reperitur. itaque malim, *pretio*, prima littera minuſcula ſcribi, et cum verbo, *venderet*, coniungi, hoc modo: *Vt inſulam in lacu, pretio venderet:* nam et in vrbe erant inſulae, a ceteris aedificiis disiunctae: vt in oratione pro Coelio c. 7.

Huic] Iudici.

T. Furfanio] T. Furfanus Poſtumius legitur in Ciceronis epiſtola lib. VI. Fam. 8.

CAPVT XXVIII.

Si id (*id* abeſt ab Ern.) *ille nactus eſſet*] Si praetor, aut conſul factus eſſet.

Socios, exteras nationes, reges, tetrarchas] Quos, imperium nactus, pro ſua libidine tractaſſet.

Seruorum exercitus illum in vrbe conſcripturum fuiſſe] Infra c. 32. *Incidebantur iam domi leges, quae nos noſtris ſeruis addicerent.* Et poſt c. 33. *Lege noua, quae eſt inuenta apud eum cum reliquis legibus Clodianis, ſeruos noſtros libertos ſuos feciſſet.*

Conſule] Pompeio.

CAPVT XXIX.

Eius igitur mortis ſedetis vltores] Quinctilianus lib. V. c. vlt. *Ex pugnantibus, quod etiam ſolum enthymema quidam vocant, fortior multo probatio eſt. Tale eſt Ciceronis pro Milone:* Eius igitur mortis ſedetis vltores, cuius vitam ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis. *Quod quidem etiam aliquando multiplicari ſolet, vt eſt ab eodem, et pro eodem reo factum:* Quem igitur cum omnium gratia noluit: hunc voluit cum aliquorum querela? quem iure, quem loco, quem tempore, quem impune non eſt auſus: hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, cum periculo capitis non dubitauit occidere?

Qui tyrannos necauerunt] Vt Harmodio, et Ariſtogitoni, qui Hippiam necauerunt, Piſiſtrati filium. Valerius Max. lib. II. c. 10. et Suidas.

CAPVT XXX.

Niſi vero gratius putat eſſe vobis] Quod putare non debet.

Sibi deberi] Potius, quam Miloni.

CAPVT XXXI.

Eſt, eſt profecto illa vis] De hac eiusdem verbi iteratione iam diximus c. 26.

Neque in his corporibus] Ex hoc loquendi genere, *neque ineſt*, et *non ineſt*, gignitur comparatio. idem enim eſt, ac ſi dixiſſet: vt in his corporibus, atque in hac

hac imbecillitate noſtra ineſt quiddam, quod vigeat et ſentiat; ſic ineſt in hoc tanto naturae tam praeclaro motu. Eſt autem e Graecis fontibus deducta figura. de quo diximus c. 23. in eo loco: *Neque vero ſe populo ſolum, ſed etiam ſenatui tradidit.*

Ius in illo ſuum] Ius ſuum a Clodio ereptum, toties ab eo violatae. *In illo:* in ea re, cum Clodius caderet.

Vos enim, Albani tumuli] Hic ad ſublime genus effertur orator: in quo ſummam vim eſſe conſtat. de quo Quinctilianus lib. XII. c. 10. *Hic orator*, inquit, *et defunctos excitabit, vt Appium Caecum: apud hunc et patria ipſa exclamabit, aliquemque, vt apud Ciceronem in oratione contra Catilinam in ſenatu, alloquetur. Hic et amplificationibus extollet orationem, et vi ſuperlationum quoque eriget.* Quae Charybdis tam vorax? *et*, Oceanus medius fidius ipſe. *Nota ſunt enim iam ſtudioſis haec lumina. Hic deos ipſos in congreſſum prope ſuum ſermonemque deducet:* Vos enim Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, Albanorum obrutae arae, ſacrorum populi Romani ſociae et aequales. idem lib. IX. c. 2. *Auerſus quoque a iudice ſermo, qui dicitur ἀποστροφὴ, mire mouet, ſiue aduerſarios inuadimus:* Quid enim tuus ille, Tubero, in acie Pharſalica gladius agebat? *ſiue ad inuocationem aliquam conuertimur:* Vos enim iam ego, Albani tumuli, atque luci: *ſiue ad inuidioſam implorationem:* O leges Porciae, legesque Semproniae!

Inſanis molibus] Supra c. 20. *Inſanas illas ſubſtructiones.*

Bonae deae] Inceſtum Clodii, ſtuprumque nefarium, ſanctiſſimis puluinaribus illatum, vlciſcentis.

CAPVT XXXII.

Eius ſatellitibus] Sex. Clodio. ſupra c. 13. et infra c. 33.

Luto] Quia necatus erat in via.

Etiam inimici] Quam tamen ei ſatellites eius non conceſſere.

Ambureretur] *Semiuſtulatum*, dixit ſupra c. 13.

Etiam (*etiam* ab Ern. abeſt) *abiectus*] Non in rogo poſitus.

Stupro] Bonae deae puluinaribus illato.

Perfregerat] Explicant hunc locum illa verba, quae ſupra c. 5. dicta ſunt: *Cuius enim ſenatui de illo inceſto ſtupro iudicium decernendi poteſtas eſſet erepta; de eius interitu, quis poteſt credere, ſenatum iudicium nouum conſtituendum putaſſe?*

Geſta] A me contra coniuratos.

Magiſtratuum] Priuatorum quidem caedes fecerat, magiſtratus autem P. Sextium, Q. Fabricium grauiter vulnerauerat. pro Sextio c. 35. 37.

Noſtris ſeruis addicerent] Lege ſua liberatis. infra c. 33.

Caeſaris potentiam, ſuam potentiam (*potentiam* abeſt ab Ern.) *eſſe dicebat*] Simile illud infra c. 36. *Quid habeo, quod dicam, quod faciam pro tuis in me meritis, niſi vt eam fortunam, quaecumque erit tua, ducam meam?* Et pro Deiotaro c. 5. *Tuumque hoſtem eſſe duxit ſuum.* Nec diſſimiliter ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Meumque inimicum, vnum in ciuitate haberet inimicum.*

CAPVT

CAPVT XXXIII.

Circumſcripſiſſet] Condemnaſſet.

Ne cum ſolebat quidem] Supra c. 32. *Senatus grauiſſima decreta perfregerat.*

Virum conſularem] Se ipſum ſignificat.

Necatum (Ern. *vexatum*)] Pro, vexatum, afflictum, perditum.

Seruos noſtros libertos ſuos feciſſet] Supra c. 32. *Incidebantur iam domi leges, quae nos noſtris ſeruis addicerent.*

CAPVT XXXV.

Tribus ſuis patrimoniis] Vnum Papii, patris naturalis: alterum Annii, adoptiui; tertium matris, vt Aſconio videtur: ego ambigo: nihil enim praeter dotem, ſeparatim a patre Milonis vxor habere potuit. de patre autem facta iam mentio eſt in ſecundo patrimonio.

Secum ſe ablaturum eſſe] Memoria conſeruaturum, quamdiu vixerit, vbicumque vixerit.

Populi vero cunctis ſuffragiis] Habita non ſunt ea comitia conſularia, quibus Milo petebat: ſed hoc Cicero dicit, quia ſtudium ſuum erga candidatum populus oſtenderat.

Haec arma] Militum praeſidia circa forum a Pompeio contra vim collocata.

Contra ſe] Ne incolumis elabatur.

Non facti crimen] Non ſe putare, quia Clodium occiderit, ideo crimen a ſe commiſſum eſſe: ſed alios ita ſuſpicari.

Fortes et ſapientes viros] *Fortes* in agendo, *ſapientes* in iudicando.

Praemia] Honorem, qui datur a ciuibus.

In vita] Non modo tum, cum Clodium interfecit.

Si eſſet habenda ratio praemiorum] Quam non habet is, qui vera ac ſolida virtute praeditus eſt.

Gloriam] Diſtinguit gloriam ab honore, qui datur a ciuibus: de quo proxime dixit, *beatos eſſe, quibus ea res honori fuerit a ſuis ciuibus.* nam *gloria eſt frequens de aliquo fama cum laude:* vt ait Cicero lib. II. de Inuent. c. 55. vel, *eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute:* vt in Tuſc. III. c. 2. vel, *eſt illuſtris ac peruagata multorum et magnorum, vel in ſuos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum:* vt pro Marcello c. 8. ſunt, inquit, alia virtutis praemia; ſed ex omnibus ampliſſimum eſt gloria: quam aſſecutus Milo, cetera prope contemnit. illa enim ſumma gloria eſt: *De me ſemper populus Romanus, ſemper omnes gentes loquentur, nulla vmquam obmuteſcet vetuſtas.*

Conſolaretur] In eo dolore, quem ex vitae breuitate homines capiunt.

Hanc denique eſſe, cuius gradibus etiam homines in caelum videantur (Ern. *viderentur*) *adſcendere*] Eiusdem generis illud pro Deiotaro c. 9. *Multis ille quidem gradibus officiorum erga rempublicam noſtram ad hoc regium nomen aſcendit.* Et in Parad. I. c. 2. *Quibus gradibus Romulus adſcendit in caelum?*

Etruriae] Saepe a Clodio vaſtatae, eius morte libertatem et quietem aſſecutae.

Actos]

Actos] Ob laetitiam publici hoſtis interfecti.

Inſtitutos] Qui quotannis, quo die Clodius eſt occiſus, agerentur.

Lux]. Et *lux*, et *lumen* pro die ſumuntur: quoniam ſine luce, et lumine dies non eſt. Tuſc. III. c. 27.

Namque nimis multos, atque omni luce cadentes
Cernimus.

Ouidius lib. III. Faſt. v. 771.

Reſtat, vt inueniam, quare toga libera detur,
Luce geri pueris, candide Bacche, tua.

Pro Rabirio Poſtumo c. 11. *Si te ſecundo lumine hic offendero, moriere.* Virgilius lib. VI. Aen. v. 356.

— Vix lumine quarto
Proſpexi Italiam, ſumma ſublimis ab vnda.

Sed quo modo ab interitu Clodii dies centum Cicero numerat: cum ex Aſconio conſtet, interfectum eſſe Clodium III. Kal. Febr. orationem autem habitam eſſe III. id. April. quo ſpatio dies tantum LXII numerantur? opinor propter intercalationes: quarum dies hac ſumma complectitur.

Et, opinor, vltra quam (Ern. *altera*)] Video fuiſſe qui legerent: *Et, opinor, altera:* et *altera*, pro primo die, dictum arbitrarentur. perperam vtrumque. eſt enim ordo: *Et, opinor, vltra fines imperii populi Romani non ſolum fama iam de illo, ſed etiam laetitia peragrauit.*

Vbi corpus hoc ſit] Siue in patria moriar.

Semper habitabit nominis mei gloria] Quod ad corpus attinet, habitare vbique non poſſum: nec id laboro: quandoquidem vbique ſemper habitabit nominis mei gloria. Tria ſunt hic animaduertenda, *omnibus in terris*, non vno loco tantum: *ſemper*, non ad breue tempus: *habitabit*, vt in ſua ſede. ſic illud pro Plancio c. 27. *Habitaui in oculis.*

CAPVT XXXVI.

Haec tu mecum ſaepe] Ab eo loco c. 34. *Me quidem, iudices, exanimant, et interimunt hae voces Milonis, quas audio aſſidue, et quibus interſum quotidie.*

His abſentibus] Nam, ſi praeſentibus, arrogantia eſſet: quae non eſt, quia cum vno tantum, eoque amiciſſimo homine, dicta ſunt.

Iisdem audientibus] Vt moveantur, cum audiunt ea, quae mecum ſaepe de ſuo in patriam animo loquitur Milo.

Eo maiore a te dolore diuellor] Superiora ad iudices pertinent, vt talem, tantumque virum conſeruent: reliqua de ſe ipſo ſubiicit, tamquam apud ipſos pro eo, cui plurimum debeat, intercedente. *Diuellor:* inuitus. vis enim hoc in verbo quaedam ineſt. pro domo c. 37. *Qui ea relinquit reipublicae cauſſa, a quibus cum ſummo dolore diuellitur, ei patria cara eſt.* Pro Plancio c. 42. *Nemo erit tam crudeli animo, tamque inhumano, nec tam immemor, non dicam meorum in bonos meritorum, ſed bonorum in me, qui a me mei ſeruatorem capitis diuellat, ac diſtrahat.*

Quis poteſt eſſe tantus] Quantus hic erit, ſi Milonem mihi eripietis.

Sed ne hunc quidem ipſum] Pares huic dolores reliqui non ſunt: ſed ne hic quidem ipſe tantus erit, ne hunc quidem ipſum mihi tantum inuretis, vt veſtra erga me merita obliuiſcar.

In me aliquid offenditis (Ern. *offendiſtis*)] Loquendi modus animaduerſione dignus: valet enim, ſi qua ego re vos offendi: vt lib. I. in Verr. c. 25. *Hoſpes Ianitor, qui nihil ſuſpicaretur, veritus, ne quid in ipſo ſe offenderit, hominem ſumma vi retinere coepit.* Lib. I. ad Q. Fr. epiſt. 1. *Si quis eſt, in quo iam offenderis,* pro, offenſus ſis. hoc enim verbum et his, et aliis locis agendi formam, patiendi ſignificationem habet.

Si quid mihi acciderit] Si quid mihi humanitus acciderit: ſi contigerit, vt ex hac vita diſcedam.

Pro te] Reo.

Tuorum temporum] Tuarum calamitatum. ſaepe *tempora* hoc ſenſu vſurpantur.

Si qua vis eſt parata] A militibus, qui circa iudicium ſtabant, aut ab infima plebe, quam Clodiani contra Milonem incitabant.

CAPVT XXXVII.

O me miſerum] Partes miſerationis commouendae nonnumquam ſubit patronus ipſe, praeſertim ſi eum, qui accuſatur, preces decere non videntur. quis enim ferret Milonem pro capite ſuo ſupplicantem, quia a ſe virum nobilem interfectum, quia id fieri oportuiſſet, fateretur? Quinctilianus lib. VI. c. 1.

Retinere non potero] Quod facilius debet eſſe.

Parentem alterum] Quia me ab exſilio tua virtute reuocaſti.

Qui nunc abes] Erat in Gallia Caeſaris legatus.

CAPVT XXXVIII.

Animi monumenta] Merita in rempublicam.

Legit] Dixi iam, CCC iudices ex omnibus ordinibus a Pompeio lectos eſſe: ex iis Domitium quaeſitorem vnum et octoginta ſortitum eſſe: e quibus cum accuſator et reus quinos e ſingulis ordinibus reieciſſent, vnus et quinquaginta, qui de reo iudicarunt, remanſere.

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

ORATIONEM

PRO

C. RABIRIO POSTVMO

ARGVMENTVM

D*amnato A. Gabinio, viro conſulari, lege Iulia de repetundis, quia cum Syriae praeeſſet, decem millia talentum, ob reductionem regis Aegyptii Ptolemaei, a ſuis ciuibus propter auaritiam, et crudelitatem eiecti, accepiſſe iudicatus eſt; cum neque ex eius bonis tantum redigi potuiſſet, quanta litium aeſtimatarum ſumma fuerat: nec ipſe praedes populo dediſſet; quorum alterutrum facere neceſſe erat; accuſatus eſt C. Rabirius Poſtumus ex eo capite legis Iuliae,* Quo ea pecunia perueniſſet. *is enim mos erat, vt, ſi reus primo illo iudicio damnatus, vel datis praedibus populo cauiſſet, vel bonorum ſuorum venditione ſatisfeciſſet, nemo praeterea, vel ſi particeps eſſet eiusdem culpae, in iudicium vocaretur. Gabinius neutrum fecerat: itaque poſt eum Rabirius eſt accuſatus. atque hunc ipſe Cicero morem c. 4. indicat his verbis:* Eſt haec cauſſa, Quo ea pecunia peruenerit, quaſi quaedam appendicula cauſſae iudicatae, atque damnatae. Sunt lites aeſtimatae A. Gabinio: nec praedes dati, nec ex eius bonis, quanta ſumma litium fuiſſet, a populo receptum. Lex aequa eſt. Iubet lex Iulia perſequi ab iis, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus ſit, peruenerit. *non ſuis propriis iudiciis, ſed in reum factis condemnari ſolent. itaque ſi aut praedes dediſſet Gabinius; aut tantum ex eius bonis, quanta ſumma litium fuiſſet, populus recepiſſet: quamuis ad Poſtumum ab eo pecunia perueniſſet, non redigeretur, vt intelligi facile poſſit, quod ex ea pecunia ad quem eorum, qui damnatus eſt, perueniſſe in illo primo iudicio planum factum ſit, in hoc genere iudicii redigi ſolere. Accuſator eſt in hac cauſſa C. Memmius tribunus plebis, idem, qui Gabinium paullo ante de repetundis accuſauerat, et damnauerat: defenſor Cicero, qui Gabinium defenderat. Oratio eſt in genere iudiciali. defenditur enim*

Poſtumus contra accuſantem, quod ad eum a Gabinio pecunia perueniſſet: et apud eosdem quidem iudices, qui Gabinium damnauerant, vt oratio ipſa oſtendit: crederem, apud eundem quoque praetorem, qui Gabinii in cauſſa quaeſiuerat, M. Catonem: quamquam eum Cicero in tota defenſione numquam appellat. accuſatus eſt enim Gabinius, e prouincia reuerſus, de maieſtate primum, apud C. Alfium praetorem, accuſatore L. Lentulo, quo crimine eſt abſolutus: deinde de repetundis, apud M. Catonem, accuſatore C. Memmio, defenſore Cicerone: quo crimine damnatus eſt. inde orta, tamquam cauſſae iudicatae, atque damnatae quaedam appendicula, Poſtumi accuſatio. Vtramque Gabinii accuſationem attigi, vt pateret, vtra ſit ea, quae in oratione nominatur. haec autem, quae dixi, ex lib. IV. ad Attic. epiſt. 16. et ex lib. III. ad Q. Fr. epiſt. 1. 2. 3. 4. colliguntur. Status coniecturalis eſt. negat enim Cicero, quod obiicit accuſator. ita quaeritur, verum, an falſum ſit, id eſt, acceperit Poſtumus, nec ne, partem eius pecuniae, quam Gabinio a rege datam iudicatum erat. Et quoniam orationes omnes vel in ſublimi, vel in temperato, vel in infimo ſunt genere: video fuiſſe, quibus haec in ſublimi ſtatuenda videretur. mihi potius in temperato videtur eſſe. non enim aſſurgit orator, vt ea pro Milone, pro Sextio, pro Ligario. abſunt illa fulmina, quibus vehementer iudices commoueri, atque inflammari ſolere, quibusque ex Latinis admodum paucos, ex Graecis vnum in primis vſum eſſe Demoſthenem, docet in eo libro, quem Orator, inſcripſit, c. 7. Nec vero ſatis haec abundat oratio iis ornamentis, quae Graeci σχήματα appellant. Denique, cum in oratore tria requirantur, vt delectet, vt doceat, vt moueat: in hac oratione totus ad docendum incumbit: quod ad hanc partem attineat, nihil omittit: acute, et ingenioſe, vt ſolet, omnia perſequitur. itaque nec ſummum eſt, vt arbitror, nec infimum, ſed medium quoddam genus orationis: et id maxime genus, quamquam capitalis eſſet cauſſa, quia tamen de pecunia, non atroci aliqua de re, aut ſummo aliquo de ſcelere, agebatur, aptum in primis eſſe, recte, ac ſapienter, omnis artificii peritiſſimus, Cicero iudicauit. Capita accuſationis, quantum a defenſione licet excerpere (nam accuſatio ipſa non exſtat) haec ſunt, nullis confirmata teſtibus, ex coniectura omnia: vt vel negari, vel coniecturis, quae propius ad veritatem videantur accedere, dilui, et confutari facile poſſint. ea vero partim ad deformandam cauſſam oratorio more, partim ad euertendam ſpectant: ad deformandam, ſenatum eſſe corruptum: quod vel ſi verum eſſet, commune tamen cum Poſtumi cauſa nihil haberet: qui non de corrupto ſenatu, ſed quod ipſe pecuniam a Gabinio acceperit, ex capite legis Iuliae, Quo ea pecunia peruenerit, *accuſatur. Hanc Cicero calumniam ita refellit, primum, vt ſenatum vacare culpa ſignificet, in quo beneuolentiam captat a ſenatoribus iudicibus; deinde, vt, ſi commiſſum id ſit, expertem atque inſcium eius criminis Poſtumum oſtendat: qui cum pecuniam regi dabat, qua ille eam in re conſumeret, nec ſcire potuit, nec debuit quaerere. Altera pars accuſationis, quae ad euertendam cauſſam, damnandumque reum pertinet, haec eſt: Gabinio damnato, cum nec*

ipſe

ipſe praedes dederit, nec ex eius bonis, quanta ſumma litium aeſtimatarum fuit, populus receperit, oportere perſequi, vt lex Iulia iubet, ab iis, ad quos ea pecunia peruenerit: perueniſſe autem ad Poſtumum, ergo condemnari debere. quo modo peruenerit, leuiſſimis probat argumentis, atque hoc primum. Illo legis capite, Quo ea pecunia peruenerit, *cum in Gabinium lites aeſtimarentur, nihil ei datum: in quo videtur hoc dici. petenti Gabinio detractionem aliquam de ſumma litium, propter eos, ad quos eius pecuniae pars aliqua perueniſſet, ideo iudices nihil dederunt, quia videbant, caput illud ad Poſtumum ſpectare, id eſt, quod ſoluere Gabinius non poſſet, id exigi a Poſtumo oportere: cum ad neminem magis ea ſuſpicio pertineret. Ex hoc Memmii argumento, quod totum a coniectura pendet, alterum argumentum educit Cicero, quod non ad vnius modo Poſtumi, ſed ad vniuerſi etiam equeſtris ordinis defenſionem valeat. Si iudices, inquit, nihil Gabinio dederunt eo capite: certe totum ſoluendi onus, cuius ille partem aliquam transferri in eos volebat, ad quos ea pecunia perueniſſet, vni, qui damnatus iam erat, nemini praeterea, imponendum cenſuerunt. ita non modo Poſtumum, ſed omnem plane ordinem legis Iuliae, qua nunc reus eſt Poſtumus, periculo, ac moleſtia liberarunt. Atque in hac parte, vt ſupra a ſenatoribus, ſic ab equitibus, qui de Poſtumo ſententiam laturi erant, beneuolentiam aucupatur. Arguit etiam a confirmata per multos annos conſuetudine. nam potentiſſimo tribuno plebis M. Druſo, patrum aetate equeſtrem ordinem noua lege, de acceptis ob rem iudicatam pecuniis, alligari conanti, reſtitere ſumma conſtantia equites Romani. Iam ſenatores ipſi, Pompeio iterum conſule, cum eſſent in ſenatu, qui equeſtrem ordinem lege Iulia de repetundis teneri vellent, aequitate adducti, quominus quidquam nouaretur, obſtiterunt. Alterum argumentum de pecunia, quae ad Poſtumum a Gabinio perueniſſet, accuſator inde ſumit, quod Gabinium, vt regem reduceret, Poſtumus impuliſſet. Refellit Cicero: Quid opus fuit impulſore, aut ſuaſore vllo, cum ei decem millia talentum, vt regem reduceret, promiſſa ſint? quod tu, cum eum accuſares, non ſolum dixiſti, ſed iudicibus etiam perſuaſiſti. Tertium argumentum. Dioecetes fuit Poſtumus, id eſt, procurator, et diſpenſator regius. in eo munere cum ex decumis pecuniam Gabinio colligeret, ſibi quoque ipſe collegit. Confutatio eſt. Miſerrima fuit illa procuratio. nam et carcerem pertulit: et vidit in vinculis familiares ſuos: et mors ob oculos ſaepe verſata eſt: nudus, atque egens ad extremum fugit e regno: tantum abeſt, vt ex ea lucrum fecerit. Sed ſi, vt tu vis, pecuniam ſibi collegit: quaero, vtrum eam ſumſerit ex decem millibus talentum, Gabinio promiſſis, an, praeter illa decem millia, nouam ſibi pecuniam collegerit? Si ex Gabinii pecunia, id eſt, ex decumis, eam ſumſit: at homo, vt ipſe ais, auariſſimus non tuliſſet. Sin praeter decumas, centeſimam exegit; vt, quae decem millia eſſe debebant, fierent, addita centeſima, vndecim millia talentum: quis credat, tam graui onere tributorum, tantum praeterea noui oneris imponi ſuis, regem eſſe paſſum? Quartum argumentum. Pecuniam ad Poſtumum perueniſſe, teſtibus probabitur Alexandrinis legatis. Confutatio. Qui*

non dixerunt in Gabinium, cuius ea nomine redacta pecunia eſt, cur iis dicere liceat in Poſtumum, qui redegit? non patitur id iudiciorum conſuetudo: ſi fieret, nullo fieret exemplo. non ſolum autem in Gabinium non dixerunt, ſed reum quoque laudauerunt. in his porro cauſſis, quae naſcuntur ex eo legis capite, Quo ea pecunia peruenerit, *teſtibus locus non datur: quae primo illo iudicio dixerunt, ipſis abſentibus recitantur. ita non quaſi noua res iudicatur, ſed quaſi iam praeiudicata recognoſcitur, et confirmatur. At iis creditum non eſt, cum Gabinio non eſſe datam pecuniam illam dicerent: ex quo ſequitur, vt credi debeat, pecuniam ad Poſtumum perueniſſe, dicentibus. qui enim neganti non credit, videtur affirmanti credere debere. Fidem teſtium, inquit Cicero, infirmat eorum inconſtantia. quis enim audiat modo hoc, modo illud dicentem? et qui peierauit in primo teſtimonio, non peierare eum in ſecundo, cui veriſimile fiet? Quintum accuſatoris argumentum. Permutata pecunia eſt Alexandria Romam, ea, quae peruenit a Gabinio ad Poſtumum. viſae ſunt Puteolis merces, chartae, lintea, vitrum, fallaces, et fucoſae. ideo enim miſſae, et ideo naues iis refertae multae ſunt, vt in vna lateret pecunia, contra leges capta. Confutatio. Totum hoc inane eſt: nihil omnino certi: ſermo tantum fuit, Puteolis primum e vectorum curſu, atque oſtentatione natus, deinde a maleuolis exceptus, atque etiam opinione pecuniae Poſtumi neſcio qua, facile auctus: qui tamen, vt incertus rumor ſolet, breui exſtinctus eſt. Hoc igitur perſpicue falſum: illud contra perſpicue verum, equeſtrem Poſtumo dignitatem conſeruari maxima C. Caeſaris liberalitate: cum ipſe ad ſummam redactus inopiam, equeſtrem ordinem, niſi ſubueniant alienae opes, tueri non poſſit. Haec accuſatoris in Poſtumi pecuniam quattuor argumenta refellit Cicero ad extremum vnica delata conditione, vt eius bona ſeſtertio nummo veneant: detractis enim, quae creditoribus eius perſoluenda ſint, nihil ſupereſſe confirmat. Quattuor ex partibus defenſio conſtat, prooemio, narratione, confutatione, concluſione. nam confirmatio defenſoris non eſt, qui tantum confutat ea, quae accuſator obiecit: quemadmodum accuſatoris confutatio non eſt, qui tantum ea, quae obiicit, confirmat. In prooemio dat operam orator, vt Poſtumo, ſuam in credenda regi pecunia temeritatem confitenti, iudices, accuſatoris acerba criminatione alienatos, reconciliet. Eius quoque temeritatis excuſationem aliquam elicit ex imitatione communi. patrum enim, recte praeſertim in ſtudiis, omnes fere veſtigia ſequuntur. Sic igitur ad rem gerendam Poſtumus, atque ad experientiam patrimonii amplificandi, Curii patris exemplo ſe contulit. Narratio pendet a prooemio: nam incipit ex eo c. 2.* Fuit enim, pueris nobis, huius pater C. Curius. *quo totam Poſtumi conſuetudinem, non ſolum in re mercaturis augenda, ſed in amicis quoque locupletandis, ad imitandae, atque exprimendae ſtudium paternae vitae retulit. Confutationis initium ex illa ſumitur obiectione c. 3.* Hinc primum exoritur crimen illud: *deinde ſingula perſequitur accuſatoris argumenta. Concluſio eſt illa c. 16.* Satis multa hominibus non iniquis haec eſſe debent. *Eius prima pars inopiam Poſtumi ſummam declarat: ſecunda probitatem,*

tatem, nulla magis de re, quam de ſide laborantis. quorum in altero iniquitatem accuſatoris oſtendit, qui magnam a Gabinio pecuniam perueniſſe ad Poſtumum dicebat: in altero iudices ad miſericordiam adducit ex calamitate, et miſeria boni viri. Tertio, et vltimo loco Poſtumi erga ſe merita commemorat: quibus preces, et ſuas, et ipſius Poſtumi, iuſtas vtriusque, pro abſolutione ſubiicit. Acta cauſſa eſt iisdem conſulibus, quibus Gabinius accuſatus, damnatusque fuerat, id eſt, Domitio Ahenobarbo, et Appio Pulchro: quod ex lib. IV. ad Attic. epiſt. 16. et ex lib. III. ad Q. Fr. epiſt. 1. 2. 3. 4. liquido conſtat. minimum enim temporis inter Gabinii damnationem, et Poſtumi accuſationem interfuiſſe, argumento eſt illud, quod haec Poſtumi cauſſa, vt ipſe ait Cicero, quaſi appendicula quaedam eſt cauſſae iudicatae, atque damnatae: itaque non multo poſt agatur, neceſſe eſt. Dubitationem vero plane tollunt omnem, et aperte temporis propinquitatem oſtendunt illa verba c. 13. Dixerunt hic modo nobiscum ad haec ſubſellia.

EXPLANATIO

Pro C. Rabirio Poſtumo] Poſt patris interitum nati, *poſtumi* dicebantur: et hoc multi cognomine ſunt vſi.

CAPVT I.

Si quis eſt, iudices] Natura comparatum videtur, vt miſericordiam ſupplices facile conſequantur. Supplicum autem ſimilitudinem quandam prae ſe ferunt, qui culpam fatentur. Conſulit igitur Poſtumi cauſſae Cicero, cum ab errati confeſſione initium ſumit. Illud etiam ſpectat in hoc exordio, vt iudicibus perſuadeat, quod regi Poſtumus pecuniam crediderit, hunc ei fontem omnium malorum, hanc omnium calamitatum originem fuiſſe: inde enim natum, vt ineerit in Aegyptum, vt poteſtati ſe regiae libidinique commiſerit; inde illa, quae obiecit accuſator, vt dioecetes, id eſt, procurator, et quaſi diſpenſator regis fuerit; vt pallium Alexandriae, toga depoſita, ſumſerit: cum aliter, ſi ſuam exigere pecuniam vellet, facere non poſſet.

Opes] Hac voce non diuitiae tantum, ſed exiſtimatio quoque deſignatur. quare dixit infra c. 9. *Temere hunc pecuniam regi crediſſe: ſuas fortunas, atque famam libidini regiae commiſiſſe.*

Poteſtati regiae libidinique] Recte coniunguntur. poteſtatem enim ſequitur libido, praeſertim in rege, qui ſuae poteſtati aduerſari poſſe nihil videt.

Quamquam hoc plerumque facimus] Ne propter ſtultitiam Poſtumus contemtui, ludibrioque ſit, non nihil eum excuſat.

Vt conſilia euentis ponderemus] Eodem ſenſu ſcripſit ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 7. *Haec*, inquit, *ſententia ſic et illi, et nobis probabatur, vt ex euentu homines de tuo conſilio exiſtimaturos videremus: ſi cecidiſſet, vt volumus, et optamus, omnes te et ſapienter, et fortiter; ſin aliquid eſſet offenſum, eosdem illos et cupide, et temere feciſſe, dicturos.* Et paullo poſt: *Redeo ad illud,*

quod initio ſcripſi, totius facti tui iudicium, non tam ex conſilio tuo, quam ex euentu, homines eſſe facturos.

Cui bene quid proceſſerit] Ad Lentulum: *Si cecidiſſet, vt volumus, et optamus.* Ibidem: *Si rem iſtam ex ſententia geſſeris.*

Multum illum prouidiſſe] Ad Lentulum: *Et ſapienter, et fortiter feciſſe.*

Cui ſecus] Ad Lentulum: *Sin aliquid eſſet offenſum.* Et hic c. 2. *Quod male cecidit, bene conſultum putares?*

Nihil ſenſiſſe] Imprudentem omnino fuiſſe. ad Lentulum: *Et cupide, et temere feciſſe.*

Niſi diuinare] Nihil pertinet ad ſapientem, niſi diuinare. qui enim non diuinat, ſapiens non videtur. quod Poſtumo contigit: qui non diuinauit, quid futurum eſſet. Nepos in Attici vita c. 16. *Sic omnia de ſtudiis principum, vitiis ducum, ac mutationibus reipublicae perſcripta ſunt, vt nihil in his non appareat, et facile exiſtimari poſſit, prudentiam quodammodo eſſe diuinationem.*

Inconſultam rationem] *Rationem*, quia pecuniam non latroni, ſed regi credidit, cui praeſertim antea quoque crediderat; nec regi inimico populi Romani, ſed ei, cuius reditum conſuli datum a ſenatu videbat; nec ei regi, qui alienus ab hoc imperio eſſet, ſed ei, quicum foedus feriri in Capitolio viderat. *Inconſultam*, quia in dando, et credendo proceſſit longius, nec ſuam ſolum pecuniam credidit, ſed etiam amicorum.

Ab ipſa fortuna] Malum euentum ad fortunam refert; vt Poſtumum culpa liberet. infra quoque c. 16. lapſum eſſe dicit *non turpibus impenſis cupiditatum, atque iacturis, ſed experientia patrimonii amplificandi.* Et paullo poſt c. 17. *Qui nihil profudiſti, nihil vllam in libidinem contuliſti?*

Crudeliſſime] Eripuit enim fortunas, et famam: ſiquidem, quia fefellit rex, nihil hoc amentius dicitur.

Multata] Graui poena affecta, amiſſione fortunarum omnium.

Acerbitatis] Quam addit accuſator, fortunae crudelitatem imitatus.

Imprudentia lapſos] Imprudentiae nomine Poſtumi culpa minuitur. erratum enim potius, quam delictum oſtenditur.

Non erigere] Infra c. 16. laudat Caeſarem, quia *labentem excepit, corruere non ſiuit, fulſit, et ſustinuit re, fortuna, fide.*

Praeſertim, iudices] Vide artem. nam vt ſupra excuſauit Poſtumum a fortuna, cum dixit: *Quamquam hoc plerumque facimus, vt conſilia euentis ponderemus:* ſic hoc loco eundem excuſat ab imitatione patrum, in quam nos ducit ipſa natura.

Quod ſermo hominum celebretur] Creberrimus ſit, ex patrum virtute, ad memoriam eius laudis propagandam.

Cupidiſſime perſequantur] Eadem ſententia lib. I. de Offic. c. 32. *Quorum patres, aut maiores aliqua gloria praeſtiterunt, ii ſtudent plerumque eodem in genere laudis excellere: vt Q. Mucius, P. F. in iure ciuili; Paulli filius Africanus in re militari.*

Paullum] L. Aemilium Paullum, qui Perſen, Macedoniae regem, deuicit.

Scipio] Naturalis eius filius, ab Africani maioris filio adoptatus,

tus, Africanus et ipſe ab euerſa Carthagine appellatus.

Maximum] Q. Fabium Maximum Verrucoſſum, qui Hannibalis impetus conſilio repreſſit: de quo Virgilius Ennii verſum protulit lib. VI. Aen. v. 847.

Vnus qui nobis cunctando reſtituit rem.

Filius] Eum, de quo ad Sulpicium lib. IV. Fam. epiſt. 6. *Q. Maximus, qui filium conſularem, clarum virum, et magnis rebus geſtis, amiſit.* Arpos, oppidum in Apulia, praeſidio Hannibalis cuſtoditos, expugnauit. Liuius lib. XXIII. c. 46.

In deuotione vitae] Nam vterque ſe in proelio, pater Samnitico, filius Pyrrhi bello, pro ſalute exercitus deuouit, immiſitque in armatas hoſtium cateruas. Liuius lib. VIII. c. 9. lib. X. c. 28. ipſe Cicero pro Sextio c. 21. Parad. I. c. 2. alii.

CAPVT II.

Fortiſſimus] Quem res nulla deterreret. dixit hoc propter magnitudinem animi in gerendis negotiis, quae bis infra nominatur.

Maximus] Splendore, et benignitate quadam in omnes incredibili. infra.

Inſtrumentum bonitati] Diuitiae ambigua quaedam bona ſunt. inſtrumentum enim tam ad improbitatem adiuuandam, quam ad benignitatem exercendam eſſe poſſunt.

Numquam viderat] Vnde Poſtumi cognomen accepit.

Quae plurimum valet] Non in ea ſunt omnia, ſed plurimum certe valet. ideo ſupra c. 1. dixit, non, *natura datum*, ſed, *prope natura datum.*

Paternae culpae (Ern. *vitae*)] Verſatur hic in laude Poſtumi: quo modo igitur ad vituperationem transit? mihi perſuaderi vix poteſt, quin, *culpae*, mendoſum ſit: quod illa quoque inferiora declarant: *Cum magnitudine animi, tum liberalitate vitam patris, et conſuetudinem expreſſerat.* Malim igitur, *curae*. Sequitur enim: *Multa geſſit: multa contraxit* etc.

Contraxit] *Contrahere*, eſt, negotiari, et aliquid agere cum alio, lib. I. de Offic. c. 2. *Nulla vitae pars, neque publicis, neque priuatis; neque forenſibus, neque domeſticis in rebus; neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, vacare officio poteſt.*

Magnas partes] Praecipuas curationes: vt infra: *Dare partes.*

Augere] Adderem, *re:* cum ſequatur, *fide ſustentare.*

Magnitudine animi] In gerendis negotiis. ſupra.

Doloſis conſiliis Romam venit] Vt ſenatum, ciuitatisque principes corrumperet.

Vt dixit Sibylla] Vt legitur in Sibyllae carminibus, quibus XV viri praeerant.

Senſit Poſtumus] Nam dolo regis circumuentus eſt: credidit enim ſupplici, roganti, multa pollicenti.

Quod erat nemini dubium] Quia ſocius erat populi Romani. infra c. 3.

Amicorum] Qui deinde pro rege reducendo, ne creditam ei pecuniam amitterent, lapidem, vt dicitur, omnem mouerunt.

CAPVT III.

Hinc] Ex pecunia regi credita. quaſi vero diuinare potuerit Poſtumus, qua in re vſurus eſſet rex illa pecunia.

Corruptum] A rege, regisue legato Hammonio: de quo ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 1. *Hammonius, regis legatus, aperte pecunia nos oppugnat.* Corruptum autem pecunia Poſtumi.

Exoptata] Cuius cauſſa mutata iudicia ſunt, et quae tantum antea equitum fuerant, inter tres ordines, lege Aurelia communicata.

Corruptores] Poſtumus, corruptor ſenatus, vt accuſator vult.

Noſtri] Senatorii ordinis. nam et ſenator erat Cicero.

Cauſſam dicunt] Rei ſunt, accuſantur.

Non dicimus] Nam ſi, qui corrupit, accuſatur: cur non ſimul is, qui corruptus eſt? non igitur ſeuere iudicia fiunt: cum tamen, vt ſeuere fierent, exoptante ciuitate mutata ſint.

Nec agitur hoc tempore] Non hanc defenſionem tempus poſtulat. Poſtumi enim haec eſt cauſſa, non ſenatus.

Nec cum Poſtumi cauſſa res iſta coniuncta eſt] Accuſatur enim Poſtumus non de corrupto ſenatu, ſed eo capite legis Iuliae, *quo ea pecunia peruenerit*, id eſt, quod a Gabinio pecuniam acceperit.

Itineris] Cum rex ab vrbe profectus eſt.

Syngraphae] Quibus creditam regi pecuniam aliquando Poſtumus poſſet exigere. Ad Trebatium lib. VII. Fam. epiſt. 17. *Tamquam ſyngrapham ad imperatorem, non epiſtolam attuliſſes; ſic, pecunia ablata, domum redire properabas.*

Quo] Qua in re.

Conſuli] P. Lentulo Spintheri. lib. I. Fam. epiſt. 1. et 7.

Foedus feriri] Quod factum eſt C. Caeſare primum conſule, vt ipſe lib. III. de bell. ciu. c. 107. ſcriptum reliquit.

Damnetur is] Quod ſi eſt iniuſtum, cur non et hoc?

C. Memmi] Qui Rabirium accuſabat eo capite legis Iuliae, *quo ea pecunia perueniſſet:* cum antea Gabinium eadem lege accuſaſſet, et damnaſſet. vnde infra c. 8. *Si defenſioni Gabinii fidem non habes, obliuiſcerisne etiam accuſationis tuae?* Fuerunt autem eodem tempore duo C. Memmii, vnus tribunus plebis, alter candidatus conſularis. vterque nominatur lib. III. ad Q. Fr. epiſt. 1. et 2. Gabinius a tribuno plebis accuſatus: quod ex iisdem intelligitur epiſtolis. alter vero Memmius de ambitu, Q. Curtio accuſante, damnatus eſt, Athenasque in exſilium abiit: ad quem eſt epiſt. 1. lib. XIII. Fam.

Quod dicas, nihil habebis] Memmius enim duo crimina Rabirio obiiciebat, vnum, quod ſenatum corrupiſſet: alterum, quod eius pecuniae pars, quam Gabinius ob reſtitutionem Ptolemaei regis acceperat, ad ipſum perueniſſet, quo nomine in iudicium ex lege Iulia de repetundis vocabatur. Quod ad ſenatum attinet, obiectionem illam Cicero refellit, cauſſam Gabinii a ſenatu ſeiunctam oſtendens. et hoc maxime vtitur argumento, quod quamquam ſenatus corruptus eſſet (id quod non concedit. illud enim interpoſuit: *Quid ego ſenatum*

natum defendam hoc loco, iudices?) tamen eo nomine in crimen vocari Rabirius non debuit: quia pecuniam illam regi dederit amico, et ſocio populi Romani, non ſenatoribus, vt eos corrumperet. Quod ſi rex ipſe ſenatoribus dedit, quid ad Rabirium? Qui enim alicui pecuniam dat, non quaerit, in quam rem is, qui accepit, erogaturus illam pecuniam ſit. Itaque infirma ratione Memmius accuſator nititur, cum Rabirii, ſenatusque cauſſam eandem facit, quae diuerſa maxime eſt.

CAPVT IV.

Quo ea pecunia peruenerit] Verba legis Iuliae aduerſus omnes, qui partem aliquam pecuniae contra leges accepiſſent. Qui non accuſabantur primo loco, ſed poſt eum, in quem totum illud acceptae pecuniae crimen coniiceretur. Qui ſi erat abſolutus, nemo praeterea accuſabatur. Sin damnatus, accuſabantur ii, ad quos eius pecuniae pars perueniſſe putaretur. Ideo ſubiungit: *Eſt enim haec cauſſa, quo ea pecunia peruenerit, quaſi quaedam appendicula cauſſae iudicatae atque damnatae.*

Sunt lites aeſtimatae A. Gabinio] Damnato reo, aeſtimatio fiebat acceptae ab eo pecuniae. eam pecuniam aut praedes dati ſe ſoluturos pollicebantur: aut ex rei bonis, auctione venditis, exigi oportebat. Neutrum dicit eſſe factum, ſubiungens: *Nec praedes dati, nec ex eius bonis, quanta ſumma litium fuiſſet, a populo receptum.* Sic enim lego. nam infra c. 13. *ſi aut praedes,* inquit, *dediſſet Gabinius, aut tantum ex eius bonis, quanta ſumma litium fuiſſet, populus recepiſſet: quamuis magna ad Poſtumum ab eo pecunia perueniſſet, non redigeretur.*

Lex aequa eſt] Cur aequa eſt lex Iulia? quia cauet populo, quantum licet: iubet enim perſequi ab iis, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus ſit, peruenerit. quo capite Memmii nitebatur accuſatio. Cicero contra disputat hoc modo. Accuſare, Memmi, Rabirium non potes. nemo enim vmquam propter ea legis verba, *quo ea pecunia perueniſſet,* cauſſam dixit, qui in aeſtimandis litibus appellatus non eſſet. Poſt. Rabirius appellatus non eſt, neque a teſte, neque ab accuſatore, neque vllo denique modo. ergo mos non patitur, vt eum accuſes. Quod ſi dixeris, nouum hunc morem iudiciorum ideo poſſe induci, quia nouum quoque ſit caput illud Iulia lege ſancitum, *quo ea pecunia peruenerit:* id ſi probaveris, concedam; ſin autem caput illud Iuliae legis translaticium eſt, ſumtumque ex veteribus legibus Cornelia, et Seruilia: concedas tu mihi neceſſe eſt, nouum hunc morem induci non debere, vt cauſſam dicat is, qui in litibus aeſtimandis appellatus non ſit.

In Cornelia] Quam tulit L. Cornelius Sulla dictator de pecuniis repetundis.

Seruilia] Quam de pecuniis repetundis C. Seruilius Glaucia, vel tribunus plebis, vel praetor tulit: addiditque, ne quis ea lege, praeter ordinem ſenatorium, teneretur. de quo ſic in Bruto c. 62. *Et plebem tenebat, et equeſtrem*

ſtrem ordinem beneficio legis devinxerat.

Accuſaui de pecuniis repetundis] C. Verrem.

Iudex ſedi] Verbum, *ſedere,* ſaepe de iudicibus vſurpatur, vt in Vatinium c. 7. *De quibus duos praetextatos ſedentes vides.* Lib. III. ad Q. Fr. epiſt. 4. *Duo praetorii ſederunt.*

Praetor quaeſiui] Vt in cauſſa C. Licinii Macri, quem etiam damnauit. quod Plutarchus in eius vita docet.

Facultatem dicendi] Malo, *diſcendi*, quod alii ante nos viderunt. non enim hic de eloquentia ſermo eſt, ſed de notitia conſuetudinis iudiciorum, quam ſibi dixit, ſi vſus magiſter eſt optimus, debere eſſe notiſſimam.

Rationibus ciuitatum] Quae recitari ſolebant in iudicio: vt ex iis conſtaret, quam quisque pecuniam contra leges cepiſſet.

In inferendis litibus] Cum aliquis de pecuniis repetundis accuſabatur.

De ſe verebantur] Ne ſcilicet reo damnato ipſi quoque, *quo ea pecunia perueniſſet*, cauſſam dicerent.

Statim] Abſoluto iudicio.

Recentem inuidiam] Quae ſaepe multos magis, quam culpa afflixit. *Inuidiam* autem, infamiam illam, quae reo condemnato ſequebatur.

Poſtea] Non ita ſtatim, ſed poſt aliquot dies, inuidia magna iam ex parte exſtincta.

Vicerunt] Abſoluti ſunt, cum tamen damnatus eſſet is, cuius in iudicio appellati eſſent.

CAPVT V.

Vos iidem (Ern. *iisdem*)] Maxime igitur timenda erat inuidia, cum apud eosdem iudices eſſent accuſandi, *quo ea pecunia perueniſſet.* apud quos et accuſati eſſent, et damnati, qui de pecuniis repetundis cauſſam dixerant. Infra c. 13. *Cum in his iudiciis ne locus quidem nouo teſti ſoleat eſſe: ob eamque cauſſam iidem iudices retineantur, qui fuerint de reo; vt his nota ſint omnia, neque quid fingi noui poſſit.*

Non igitur reus] Non ex Gabinii cauſſa pendet, aut enaſcitur Gabinii accuſatio, ſed hoc Memmii conſilium fuit, vt eorum, quibus auctoribus ad accuſationem Memmius deſcendit, vt non tantum vni Rabirio, quam vniuerſo equeſtri ordini periculum crearetur.

Arreptus] Quaſi vi, non iure, non more, non lege.

De pecuniis repetundis] Amplificatio quaedam. plus enim dixit, quam ſi, *quo ea pecunia perueniſſet.*

Quibus tabulis] Supra c. 4. dixit, *tabulis priuatorum.*

Recitatae non ſunt] Si recitatae non ſunt, ergo in iis appellatus Rabirius non eſt.

Qua appellatione litium] Non modo ex tabulis priuatorum, teſtiumue dictis, ſed ex vlla omnino litium, quae aeſtimatae Gabinio ſunt, appellatione Rabirius accuſari non potuit: mentio enim eius facta nulla eſt.

Qua non tenetur] Eſt enim eques Romanus. equeſtris autem ordo lege de repetundis non tenetur. quod infra patet, vt alia, quae occurrunt exempla, breuitatis cauſſa praetermittam.

Libidinem] Iniquam voluntatem: vt nocere poſſit, cui velit.

Cuius conſcientia (Ern. *conſcientiam*)] Hoc dicit. Cum in tabella

bella iudicis libido lateat, nihil eſt ei timendum, praeter ſuam conſcientiam. quod ſi ſuam non timet, cuius timebit? cum nemo, quid in tabella ſenſerit, ſcire poſſit. Cuius, inquit, ex conſcientia, id eſt, notitia libidinis, nihil eſt, quod quisquam timeat, ſi ſuam ipſe notitiam, ſcientiamque non timet. *Conſcientiam* pro notitia vſurpauit et oratione in Catil. I. c. 1. *Patere tua conſilia non ſentis? conſtrictam iam omnium horum conſcientia coniurationem tuam non vides?*

Permiſſum] Poteſtas indicatur.

Commiſſum] Fides, et probitas oſtenditur.

Illo, inquit, capite] Querebatur accuſator, cum Gabinius damnatus peteret a iudicibus, vt illo legis Iuliae capite, *quo ea pecunia perueniſſet*, aliquid ſibi de aeſtimatione litium remitteretur, nihil ei conceſſum: cum tamen concedendum aliquid videretur. Sic Coelius ad Ciceronem lib. VIII. Fam. epiſt. 8. *M. Seruilius maxima nobis traditus erat inuidia: neque Laterenſis praetor, poſtulante Pauſania, nobis patronis, Quo ea pecunia perueniſſet, recipere voluit.*

Quod erat in Poſtumum] Ideo erat in Poſtumum, quia erat in omnes, ad quos ea pecunia perueniſſet. accuſator autem, quo grauius reum premat, in vnum confert, quod omnium erat, qui aliquam eius pecuniae partem cepiſſent. Quod in Poſtumum caput erat, dicebat accuſator, cur eo capite nihil Gabinio datum, ſed ita de litium aeſtimatarum ſumma nihil detractum, ac ſi caput illud ad ipſum pertineret?

Quod in Gabinium iudex eſſes] Mendum ſubeſſe qui non videat, eum ego prorſus in litteris nihil videre contendam. legerem autem ſuffragante ſententia: *Cum in Gabinium iudex ſederes.* Supra c. 4. *Iudex ſedi: praetor quaeſiui.*

At nunc audio] Reſpondet Cicero cum quadam ironia. Nunc intelligo, quid dicas. dicis enim, quod a me ſit. nam nihil Gabinio datum illo capite: facile eſt coniicere, iudicibus non placere, non tam contra Poſtumum, quam omnino contra quemquam agi, praeterquam contra eum, qui primus de pecuniis repetundis cauſſam dicat. ita non ſolum Poſtumus, verum etiam vniuerſus equeſtris ordo ſolutus, ac liber eſt eo capite, *quo ea pecunia peruenerit.*

CAPVT VI.

Vos prius implorabo, equites Romani] Iudices erant in cauſſa Poſtumi equites Romani cum ſenatoribus, et tribunis aerariis. cum enim, vt Pedianus in Piſon. c. 39. docet, per annos decem lege Cornelia L. Sullae ſoli ſenatores iudicaſſent, communicata iudicia ſunt inter eos tres ordines, quos nominauimus, lege, quam tulit L. Aurelius Cotta praetor. Prius autem implorat equites, quam ſenatores, ea cauſſa, quam ſubiungit, quod eorum ius illo Poſtumi iudicio tentaretur, id eſt, quod eodem tempore de communi omnium equitum periculo ageretur. Damnato enim Poſtumo, equite Romano, ea lege, qua equites non tenebantur, vniuerſo ordini periculum eadem lege impendere videbatur.

Quorum

Quorum ius iudicio tentatur] Veſtrum ius eſt, ne quis vos lege de repetundis accuſare poſſit. hoc ius tentatur, vno equite Romano in iudicium vocato; qui ſi damnatur; erit, cur eandem ſibi quisque veſtrum calamitatem pertimeſcat. Proprie igitur, tentatur in vno, quod ad omnes pertinet.

Quae quidem cum ſaepe] Artificioſe, cum dixerit, *vos prius implorabo, equites Romani.* Senatores tamen prius alloquitur, quam equites. non enim exſpectandum, vt, cum equites erit allocutus, rurſus ad ſenatores orationem conuertat.

Conſule] Iterum. Gabinio enim damnato, Rabirius eſt accuſatus. Gabinius autem Domitio, et Appio coſſ. damnatus eſt: et ante eos Pompeius, et Craſſus alterum conſulatum geſſere. Cum igitur Cicero dixerit, *nuper eſt cognita*, et ſubiungat, *conſule Cn. Pompeio;* facile eſt intelligere, annum ſignificari proximum ſuperiorem, quo Pompeius iterum, vt dixi, conſul fuit.

De hac ipſa quaeſtione] Vt in eos, qui pecunias contra leges cepiſſent, cuiuscumque eſſent ordinis, quereretur.

Sed perpaucae tamen] Ne ſenatorum iudicum animos laedat, quorum gratiam pro Rabirii ſalute aucupatur, cum dixiſſet, *acerbae*, quaſi corrigens, *perpaucae tamen*, intulit.

Vt tribuni, vt praefecti] *Tribuni*, militum, qui quaterni erant in legione: *praefecti*, equitum. de vtrisque diximus in commentario epiſt. fam. lib. V. epiſt. 20. et lib. II. epiſt. 17.

Vos, inquam, ipſi] Qui nunc in cauſſa Poſtumi iudicatis. Tacite admonet eos fidei, atque conſtantiae.

Multorum] Qui pecunias contra leges ceperant.

Ad innocentium periculum] Innocentes quoque in iudicium vocabantur.

Cum odium non reſtingueretis] Magnum quiddam fuit, in tanto odio, quod ad innocentium quoque periculum exarſerat, nec reſtingui poterat, ſaluti tamen conſulere ordinis equeſtris, nec pati quemquam ea lege teneri, praeter ordinem ſenatorium.

Ignem nouum ſubiici] Accuſationem intendi nouo more. Lepida translatio, *exarſerat, reſtingueretis, ignem ſubiici.*

Glaucia] C. Seruilius Glaucia: quem praetorem C. Marius VI. conſul, cum L. Appuleio Saturnino tribuno plebis, vt ſeditioſum ciuem, interfecit. Cicero, et omnis hiſtoria.

Homo impurus] Blanditur ſenatoribus praeſentibus. fuerat enim Glaucia nobilitatis inimicus.

Sed tamen acutus] Haec in Bruto c. 62. *Longe poſt natos homines improbiſſimus C. Seruilius Glaucia, ſed peracutus et callidus, cumprimisque ridiculus. Is ex ſummis et fortunae, et vitae ſordibus in praetura conſul factus eſſet, ſi rationem eius haberi licere iudicatum eſſet. nam et plebem tenebat, et equeſtrem ordinem beneficio legis deuinxerat. Is praetor eodem die, quo Saturninus tribunus plebis, Mario, et Flacco conſulibus, publice eſt interfectus.*

Magiſter equitum] Leges a magiſtro equitum ferri ſolitas, alibi me legiſſe non memini.

Sciret nihil ad ſe pertinere] Quod iis legibus nulla noua quae-

ſtio

ſtio contineretur, ſed alia potius iura ciuibus ferrentur.

Quicumque poſt hanc legem] Quibus verbis, quod antea licuerit, id in poſterum non licere oſtenditur.

Ne qua noua quaeſtione alligaretur] Ne legem eam probaret, qua ſibi durior aliqua conditio imponeretur: ne vocari deinde in iudicium aliqua de re poſſet, de qua antea quaeri in eum non ſoleret.

Ortum e vobis] Equeſtri loco natum. non enim ſenator fuit Ciceronis pater.

Integra re cauſſaque] Hac lege, qua Poſtumus accuſatur, nondum alligati. Infra c. 7. *Soluti huc conueniſtis: ne conſtricti diſcedatis, cauete.*

CAPVT VII.

M. Druſo] Duo M. Druſi fuère pater, et filius, pater aequalis C. Gracchi, eiusque collega in ſecundo tribunatu, filius poſt annos triginta tribunus plebis Philippo, Sex. Caeſare coſſ. Patrem ſenatus adduxit, vt C. Gracchi conatibus, ad exitium reipublicae ſpectantibus, aduerſaretur, eiusque collectam nouis legibus gratiam apud populum, quoad poſſet, imminueret. quod ille praeſtitit: vt apud Plutarchum in Gracchis, Suetonium in Tiberio c. 3. Appianum lib. I. de bell. ciu. Ciceronem etiam lib. IV. de Fin. c. 24. ſcriptum eſt. Druſus filius tribunus plebis, cum ſenatus partes tuendas ſuſcepiſſet, et leges pro optimatibus tuliſſet, poſt eo licentiae eſt progreſſus, vt nullum in iis modum ſeruaret. itaque Philippus conſul, qui ei inimicus erat, obtinuit a ſenatu, vt leges eius omnes vno ſenatus conſulto tollerentur. Hoc Pedianus in Cornel. at Cicero pro Milone c. 7. *Domi ſuae,* inquit, *nobiliſſimus vir, ſenatus propugnator, atque illis quidem temporibus paene patronus, auunculus huius noſtri iudicis, fortiſſimi viri, M. Catonis, tribunus plebis M. Druſus occiſus eſt.* Epitome lib. LXX. et LXXI. ſic: *Senatus cum impotentiam equeſtris ordinis in iudiciis exercendis ferre nollet, omni vi niti coepit, vt ad ſe iudicia transferrentur, ſuſtinente cauſſam eius M. Liuio Druſo tribuno plebis: qui, vt vires ſibi acquireret, pernicioſa ſpe largitionis plebem concitauit. — Socios, et Italicos populos, ſpe ciuitatis Romanae, ſollicitauit: iisque adiuuantibus, per vim legibus agrariis frumentariisque latis iudiciariam quoque pertulit, vt aequa parte iudicia penes ſenatum et equeſtrem ordinem eſſent. Cum deinde promiſſa ſociis ciuitas praeſtari non poſſet, irati Italici defectionem agitare coeperunt. propter quae Liuius Druſus etiam ſenatui inuiſus factus, velut ſocialis belli auctor, incertum a quo, domi occiſus eſt.* Velleius lib. II. c. 13. eum vehementer laudat, eloquentiſſimum, ſanctiſſimum, meliore ingenio, animoque, quam fortuna, vſum eſſe dicens: fortaſſe propter gentilem eius Liuiam Tiberii Imperatoris matrem. Plutarchus in Catone, eloquentiſſimum, et prudentiſſimum fuiſſe, auctor eſt. At C. Carbo apud Ciceronem in Oratore c. 63. patrem laudat, filium vituperat his verbis: *O M. Druſe, (patrem appello) tu dicere ſolebas, ſacram eſſe rempublicam, quicumque eam violauiſſent,*

ſent, ab omnibus eſſe ei poenas perſolutas. Patris dictum ſapiens, temeritas filii comprobavit. Facinus improbum et Valerius Max. Druſi filii commemorat lib. IX. c. 5. *Parui,* inquit, *habuit L. Philippum conſulem, quia interfari concionantem auſus fuerat, obtorta gula, et quidem non per viatorem, ſed per clientem ſuum, adeo violenter in carcerem praecipitem egiſſe, vt multus e naribus eius cruor profunderetur. Verum etiam cum ſenatus ad eum miſiſſet, vt in curiam veniret, Quare non potius, inquit, ipſe in Hoſtiliam propinquam Roſtris ad me venit?* Eſt igitur Druſus, qui hac oratione, vt infenſus equeſtri ordini, nominatur.

Vnam] Non, vt lege de pecuniis repetundis teneretur: quod late patebat: ſed vt eo tantum nomine accuſari poſſet, ſi ob rem iudicatam pecuniam cepiſſet. iudicabant enim eo tempore ſoli equites Romani lege Sempronia C. Gracchi.

Qui ſuo iudicio eſſent illam conditionem vitae ſecuti] Non noſtra ſponte iudicamus, dicebant equites Romani, ſed cogimur Sempronia lege. quod igitur coacti facimus, cur ex eo periculum nobis, aut moleſtiam creari patiamur? Infra: *Tam es tu iudex, quam ego ſenator. Ita eſt: ſed tu iſtud petiiſti, ego hoc cogor.*

Delectat] Ratio pro equitibus contra ſenatores, petentes, vt equites quoque lege de pecuniis repetundis tenerentur. etſi enim de tempore illo M. Druſi vnam tantum in equeſtrem ordinem quaeſtionem ferentis, loqui videtur: tamen habeo rationem praeſentis iudicii, quo reus erat Poſtumus, non quia pecuniam ob rem iudicatam cepiſſet, quod vnum ſua lege Druſus vetabat, ſed eo capite legis Iuliae, *quo ea pecunia perueniſſet.* quo periculum equeſtri ordini multo gravius, quam ſi legem illam Druſus pertuliſſet, impendere videbatur. vnde illud infra: *Rapientur homines in haec iudicia ex omni non modo inuidia, ſed ſermone maleuolorum, niſi cauetis.* Argumentum igitur eſt a minori. Nam ſi M. Druſo, vnam in equeſtrem ordinem quaeſtionem ferenti, equites illi reſtiterunt: quo vos animo hac in cauſſa eſſe oportet, in qua id agitur, vt, vno condemnato equite Romano, equites omnes lege de pecuniis repetundis teneantur?

Ampliſſimus ciuitatis gradus] Ordo ſenatorius, qui ſummus erat ciuitatis. Ab ordine tranſit ad curules magiſtratus, aedilitatem, praeturam, conſulatum, cenſuram.

Faſces] Auget. non enim curules omnes magiſtratus faſces habebant, ſed tantum praetor et conſul; aedilis et cenſor iure faſcium, et imperio carebant.

Sacerdotia] Quae ſenatoribus deferebantur potius, quam equitibus, ob dignitatem ordinis. quamquam et equitum exſtant exempla, ſed pauca admodum. P. Lentulus, eius Lentuli filius, qui conſul Ciceronem ab exſilio reduxit, eodem aetatis anno, quo togam virilem ſumſit, id eſt XVII. augur factus eſt. quod illa pro Sextio c. 69. verba demonſtrant: *Video P. Lentulum, cui ſuperior annus idem et virilem patris, et praetextam populi iudicio togam dederit.* Erant enim

equites,

equites, qui nondum a cenſoribus eſſent in ſenatum lecti, aut eos magiſtratus non geſſiſſent, qui aditum in curiam dabant, vel ſine lectione cenſoria. nam ſi qui vel ſenatorum filii eſſent, vel patricii generis, vel clariſſimis orti maioribus, non ideo tamen ſenatorii ius ordinis habebant, ſed aeque erant ac dicebantur equites, vt qui plebeio genere, obſcuris parentibus, aut maioribus eſſent orti. Fuere etiam, qui exercitibus praeeſſent, victisque hoſtibus triumpharent, nondum adepti ſenatorium ordinem, ſed adhuc equites, vt Cn. Pompeius Magnus: de quo ſic in ſuaſione Maniliae rogationis c. 21. *Quid tam praeter conſuetudinem, quam homini peradoleſcenti, cuius a ſenatorio gradu aetas longe abeſſet, imperium, atque exercitum dari? Siciliam permitti, atque Africam, bellumque in ea adminiſtrandum? Fuit in his prouinciis ſingulari innocentia, grauitate, virtute: bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportauit. Quid vero tam inauditum, quam equitem Romanum triumphare?*

Triumphi] Nemo triumphabat, qui imperium a populo non accepiſſet. imperium autem non niſi ſenatoribus, nec fere, niſi maiores magiſtratus adeptis, dabatur. nam quod Pompeius nullo dum geſto magiſtratu, ac ne ſenator quidem, vt proxime oſtendimus, imperium habuerit, id ob excellentem virtutem, qua ſuperauit aetatem, extra ordinem vni tributum eſt.

Imago ipſa] Imagines eorum, qui geſtis honoribus, et meritis erga rempublicam clari eſſent, et cera fictas, in atriis ſeruari, et in funebri pompa praeferri, mos erat.

Eſt ſimul etiam ſollicitudo aliqua] Iure ſimul eſt, dicebant equites, aliqua ſollicitudo: quae compenſatur ampliſſimi ordinis dignitate, ſella curuli, faſcibus, etc.

Maior quidam metus] Maior, quam equitum, vt lege de pecuniis repetundis. nam communium legum, et iudiciorum metu equites non carebant. propterea dicit, *maior quidam:* vt eam praecipue legem notet, qua ſenatorius ordo tenebatur, ſolutus erat equeſtris.

Nos iſta numquam contemſimus] Prudenter equites liberat ſuſpicione ſuperbiae; ne ſenatorum iudicum animos offendat. Nos, dicebant, ordinem ſenatorium, et magiſtratus non ideo non petiuimus, quia contemneremus, ſed, quod laboribus quietem, otium negotio, magnarumque rerum curationi praetulimus.

Careat etiam moleſtia] Eorum iudiciorum, quorum metu et moleſtia vos ſenatores carere non debetis. veſter enim, quo nos caremus, honor eſt.

Tam es tu iudex, quam ego ſenator] Obiectio ſenatorum. Cur ea lege, qua nos teneremur, vos equites liberi, ac ſoluti eſſe vultis? quandoquidem, ſi ſenatores nos ſumus, vos iudices eſtis. Tu eques tam es iudex, quam ego ſum ſenator. quod ſi ego ſenator iudicia non recuſo; quid eſt, cur tu iudex ea recuſes?

Tu iſtud petiiſti, ego hoc cogor] Reſpondent equites: Tu ſenatorium ordinem, quem nos omiſimus, petiiſti: mihi iudi-

 candi

candi onus non voluntas mea, ſed Aureliae legis neceſſitas impoſuit.

Aut iudici mihi eſſe non liceat] Si, quia iudex ſum, ideo me vis eadem, qua tu ſenator teneris, lege conſtringi: iudici eſſe non liceat: non enim id tanti eſt. aut, ſi me vis iudicem eſſe; quod ego non petii: lege ne tenear ea, quae nihil ad me pertinet, in ordinem ſenatorium, non equeſtrem, lata.

Lege ſenatoria] Quae ſenatores quaeſtione alligat, equites non attingit.

A patribus acceptum] Patrum enim aetate legem illam de repetundis in ſenatores tulerat Servilius Glaucia.

Inuidia] Infamia, contra nocentes conflata: vnde periculum ſaepe innocentibus etiam creatur.

His legibus] Quae de repetundis latae ſunt, Seruilia primum, deinde Cornelia, poſtremo Iulia.

Concurrendum ad curiam] Reſiſtendi gratia.

Vos ſenatus] Si vos nec a ſenatu, nec a populo noua quaeſtione alligari pateremini: cur nunc, cum et ſenatus vos hac lege liberos eſſe voluerit, et populus numquam alligauerit, veſtra ſponte conditionem iſtam, quae ſpecie ad vnum equitem Rabirium, re vera ad vniuerſum ſpectat ordinem equeſtrem, accipiendam putetis?

Fraudi fuerit] Damno erit, ſi damnabitur.

Nec tribunus, nec praefectus] Ad quos facile pars aliqua pecuniae peruenire poteſt. ſupra c. 6.

His cauſis] Qui vel tribuni, vel praefecti, vel ſcribae, vel comites, vel denique familiares magiſtratuum fuerint.

Implicati] Propter munerum tractationem, quae cogit eos aſſidue cum magiſtratibus eſſe: vt, ſi magiſtratus de repetundis accuſentur, ipſi ſuſpicionem eiuſdem criminis effugere vix poſſint.

CAPVT VIII.

Ex tantis inimicitiis] Conſul Gabinius tribunum plebis in eiiciendo Cicerone Clodium adiuverat.

Receptum in gratiam] Studio, et commendatione Cn. Pompeii.

Defenderim] Reum de pecuniis repetundis. Valerius Max. lib. IV. c. 2. D. Hieronymus in apologia contra Rufinum. Dio lib. XXXIX.

Violare] In quo, quaſi ſacra quaedam res, agitur fides mea, qui iam eum, receptum in gratiam, defendi.

Stante] Incolumi, antequam iret in exſilium. ad Marium lib. VII. Fam. epiſt. 2. *Qui, me ſtante, ſtare non poterant.* Et in Piſonem c. 6. *Gabinium ſine prouincia ſtare non poſſe.*

Cn. Pompeii auctoritas] Cui, cum de me optime merito, tum ſummo viro, ac principi ciuitatis, enixe petenti, vt cum Gabinio in gratiam redirem, negare non debui. ad Marium lib. VII. Fam. epiſt. 1. *Cogor nonnumquam homines non optime de me meritos, rogatu eorum, qui bene meriti ſunt, defendere.*

Ipſius fortuna] Cuius me miſeret. ita, ne violetur a me, facile vel fides impetrat, vel miſericordia.

Defenſioni

Defenſioni Gabinii] Qui ſe Alexandriam iuiſſe reipublicae cauſſa dicebat.

Accuſationis tuae] In qua vociferabare, decem millia talentum Gabinio eſſe promiſſa. quod ſi verum eſt: non igitur impulſu Poſtumi profectus Alexandriam eſt Gabinius. Loqueris igitur pugnantia.

Archelai] Comanorum ſacerdotis, qui, Ptolemaeo rege a ciuibus pulſo, Alexandriam, vxore ducta Ptolemaei filia, occupauerat. hiſtoriam Strabo explicat lib. XVII. Appianus in Mithridatico, Plutarchus in Sulla.

Timeret] Ne mare infeſtum haberet, maritimasque gentes, populi Romani imperio ſubiectas, vexaret.

Lege etiam id ſibi licuiſſe dicebat] Apparet multis locis, amicum Ptolemaei regis Pompeium fuiſſe, orta inter eos, aut certe confirmata vehementer amicitia Mithridatico bello, quo rex eum ſuis copiis, opibusque maxime iuuit. dubitandum igitur non eſt, quin auctore Pompeio Gabinius regem reduxerit: cuius etiam in Albano factas eſſe ſyngraphas de pecunia, quam Poſtumus, diſcedente ab vrbe rege, ad ſumtum itineris, ad magnificentiam apparatus, ad comitatum ſuppeditauit, ſupra c. 3. Cicero dixit. Iam, de reſtituendo rege conſenſiſſe cum Pompeio Caeſarem, magnamque pecuniae vim vtrique a rege datam, Suetonio teſte cognouimus. Itaque ſuſpicari licet, adductum Caeſaris, et Pompeii auctoritate ſumma tribunum plebis aliquem legem tuliſſe, non qua reductio regis nominatim Gabinio mandaretur, (dixiſſet enim Gabinius, id ſibi lege datum, non, id ſibi lege licuiſſe) ſed, qua rex reduceretur. Huius legis, quod quidem ego meminerim, mentio nusquam exſtat.

Tu inimicus negas] Infirmat accuſationem Memmii. negari enim ab inimico, mirum non fuit. Negas, Gabinium id feciſſe reipublicae cauſſa: ſed ais pecuniam ab eo, non gloriam, eſſe quaeſitam.

Ignoſco] Inimico neganti. non contendam hac de re tecum: de ipſo crimine, quo damnatus eſt Gabinius, id eſt, de pecunia loquar: vt, quod ad Poſtumi defenſionem pertinet, id ex tua Gabinii accuſatione ſumam.

Contra illud] Quod Gabinius dicebat. eſt enim damnatus. Nam ſi contra illam Memmii rationem, in Gabinii iudicio prolatam, hoc loco Cicero diſputaret: primum ipſi Gabinio, iam damnato, nihil prodeſſet: deinde offenſiores ſibi in Poſtumi cauſſa iudices redderet, a quibus Gabinium iniuſte damnatum diceret.

Vociferabare] Cum Gabinium accuſares. Odioſum verbum, *vociferabare:* quaſi crimen accuſator clamore amplificaret.

Decem millia talentum] Vbi *talentum* ſimpliciter dicitur; de Attico accipi debere, pro locis intelligitur. Atticum autem ſeptingenis vicenis ſcutatis, (vt vocabulis vtar notis, et antiqua recentioribus conferam) aeſtimabatur. qua ratione decem millia talentum ſunt, ſeptuagies centena ducenta ſcutatorum millia: vel, vt communi potius intelligentiae, quam Latini ſermonis elegantiae, ſeruiam, milliones, vt vulgo appellant, ſeptem, et ducenta ſcutatorum millia. quod ſubiecta ſupputatio, Romano ex-

preſſa nummo, confirmat. quae enim ex talentum decem millibus, eadem e ſeſtertium bis millies, et quadringenties, varietate ne minima quidem vlla, ſumma fit.

Promiſſa] Regis nomine. quae vt acciperet Gabinius, ſi quidem, vt dicebat accuſator, auariſſimus erat, Poſtumi, aut cuiusquam omnino exſpectandum ei conſilium non fuit. Reſpondet ad illud: *Dicis, Poſtumi impulſu Gabinium profectum Alexandriam.*

Huic videlicet perblandus] *Huic*, nec ad Poſtumum referri poteſt, a quo non dicebat accuſator, per alium actum eſſe cum Gabinio, vt iret Alexandriam, ſed ipſum ſuaſorem fuiſſe: nimirum, vt ipſe quoque partem aliquam eius pecuniae caperet: quo crimine eum accuſabat: ad Gabinium vero multo minus. diceretur enim id, quod abſurdum eſt: Gabinio videlicet perblandus reperiendus fuit, qui ei perſuaderet, ne tantam pecuniam aſpernaretur: quod nemini, ſiquidem, vt tu vis, auaritiae morbo maxime laborabat, veriſimile videbitur. Locum igitur, vt arbitror, mendoſum, vna detracta litterula, ſic reſtituo: *Hui. videlicet perblandus reperiendus fuit, qui hominem*, etc. Quid ais, Memmi? nunc quidem, impulſu Poſtumi Gabinium Alexandriam profectum: antea vero, cum Gabinium accuſares, decem ei millia talentum eſſe promiſſa. Videlicet, quem tanta pecunia non moueret, eum quisquam ſuo conſilio impelleret. hac igitur culpa Poſtumum oratio tua liberat. *Hui*, admirantis eſt, vel cum ironia dictum.

Ne magnopere contemneret] Neque hic abeſt ironia. poterat enim dicere: *ne contemneret:* ſed eſt in Memmium irriſio: cuius ex oratione colligatur, Gabinium, ſi Poſtumi impulſu profectus Alexandriam ſit, decem millia talentum magnopere contemſiſſe: quem praeſertim auariſſimum eſſe dixerit.

Gloriam] Id enim ſe feciſſe dicebat reipublicae cauſſa, quod claſſem Archelai timeret, quod mare refertum fore praedonum putaret.

Quaeſiuit ſibi] Non vt partem Poſtumo daret.

Negat] Non hoc Memmius obiicit. clamaret enim aduerſus eum veritas ipſa: cum apud omnes conſtet, Poſtumum non in Syriam ad Gabinium, (quorſum enim, cum ad eum reductio regis non attingeret?) ſed Romam eſſe profectum.

P. Lentuli] Ciliciae proconſulis, cui negotium illud ſenatus mandauerat, vt ſcriptae ad eum Ciceronis epiſtolae docent.

Auctoritatem] In eo negotio ſummam.

Et conſilio certo, et ſpe non dubia] Nec temere, nec inani ſpe commotus, ſed quia fore crederet, vt omnino rex auctore Lentulo reduceretur, atque ita creditam regi pecuniam recuperaret. quamquam rex, Alexandria potitus, ingratum ſe praebuit. Vnde illud infra c. 14. *Nudus atque egens fugit e regno.*

Dioecetes] Procurator, et quaſi diſpenſator regius, ἀπὸ τοῦ διοικεῖν. infra c. 10. *Vt ventum eſt Alexandriam ad Auleten, haec vna ratio a rege propoſita Poſtumo eſt ſeruandae pecuniae, ſi curationem, et quaſi diſpenſationem regiam ſuſcepiſſet, id autem facere non poterat, niſi dioecetes: hoc enim nomine vtitur, qui a rege*

regè eſſet conſtitutus. Ex hòc loco ſatis apparet, Aegyptum Graeca lingua vſam eſſe. atque etiam infra c. 13. cum de legatis Alexandrinis Cicero loquatur, Graecos appellat. *Noſtis*, inquit, *inſulſitatem Graecorum.*

Et quidem in cuſtodia etiam fuit regia] Quo tu in munere ſpeciem, honoremque ponis, in eo moleſtia periculumque fuit. eſt enim coniectus in carcerem iuſſu regis. Infra c. 14. *Dominatus eſt*, inquit, *Alexandriae. Immo vero in ſuperbiſſimo dominatu fuit: pertulit ipſe cuſtodiam: vidit in vinculis familiares ſuos: mors ob oculos ſaepe verſata eſt.* Eſt quidam lepor in duobus verbis, *regius*, et, *regia*, primo obiectionem accuſatoris claudente, altero defenſoris confutationem.

Vita eius oblata poenae eſt (Ern. *ablata paene eſt*)] Parum abfuit a poena. tu autem floruiſſe eum gratia apud regem vel credis, cum dioecetem fuiſſe dicis, vel ideo dicis, vt iudices credant.

CAPVT IX.

Platonem] Hiſtoriam Platonis apud Laertium vide, Calliſthenis, infra nominati, apud eundem in Ariſtotelis vita, Plutarchum in Alexandro, Curtium lib. VIII. c. 8. Trogum lib. XII. c. 7. et lib. XV. c. 3. alios.

Aſpide ad corpus admota] Ad manum, ait Laertius, cum eiectus patria, exſularet Alexandriae, regisque in odium ſe incurriſſe intelligeret: cauſſam vide apud Laertium.

Superior ſtultitia] Quod regi grandem pecuniam credidit, non modo poſtquam regno pulſus eſt, ſed antea quoque, cum regnaret. eam pecuniam, rege reſtituto, vt recuperaret, in regnum venit. ſtulte: quid enim ſtultius, quam venire in eum locum, vbi parendum alteri, et ſeruiendum ſit? ſed haec ſtultitia neceſſaria, ſuperior illa voluntaria fuit: itaque hanc ab illa, vnde orta eſt, defendi, atque excuſari, quis non videt?

Sapienter factum] In ea re Poſtumus non modo ſtultitiae culpam vitauit, ſed ſapientiae laudem tulit. quamquam nunc eius factum, quia iudicatur ex euentu, ſtultiſſimum fuiſſe videatur. pertulit enim cuſtodias, et quaecumque regis libido coegit ferre. quod igitur male cecidit, bene conſultum quis putaret?

Tam ſemper ſtulti, quam ſero ſapientis eſt] Fateor eam ſtultitiam fuiſſe, ſed vt eadem tamen ſapientia videri poſſit. Stultus perpetuo videtur, quod in regnum venerit, regisque ſe libidini, ac poteſtati commiſerit, et hanc ſtultitiam ad illam ſuperiorem addiderit: ſed idem ſapiens, quamquam ſero, quod expedire ſe, cum impeditus eſſet antea ſtultitia ſua, conatus ſit. Fuit igitur profectio illa in regnum et ſemper ſtulti, et eadem ſero ſapientis.

Quod neque moueri, neque mutari poteſt] Credidit regi ſuam, amicorumque pecuniam. id mutari non poteſt: ipſe etiam in eo ſe inſaniſſe confitetur.

Contracto] *Contrahere*, hic eſt peccare, vt alibi quoque.

Perpetienda] Quae pertulit in regno.

Ad ſuos] Romam.

 Vindica-

Vindicaret] Tamquam e ſervitute.

Palliatum] Pallio potius, vt Alexandrinum hominem, quam toga, vt Romanum, vſum eſſe.

Temere hunc pecuniam regi credidiſſe] Hoc enim ſemel contracto, reliqua ei, ſi modo ad ſuum peruenire vellet, neceſſaria fuerunt.

Vt et Romae togato eſſe liceret] Vt Romam redire poſſet, et, vt ceteri ciues, toga vti. quod proxime dixit: *Perpetienda illa fuerunt, vt ſe aliquando ad ſuos vindicaret.* Infra vero c. 10. *Poſtumo crimen veſtitus afferet is, in quo ſpes fuit, poſſe ſeſe aliquando ad fortunas ſuas peruenire?*

Si togam retinuiſſet] Niſi dioecetes eſſet, ſeruare ei pecuniam regi creditam non licebat: dioecetis autem nec nomen, nec munus tueri poterat, niſi palliatus eſſet.

CAPVT X.

Deliciarum cauſſa] Non neceſſitatis, quae Poſtumum coegit veſtitum mutare.

Et nobiles adoleſcentes, et quosdam etiam ſenatores, ſummo loco natos] Cum Poſtumus neque nobilis ſit, neque ſenator. Addidit, *ſummo loco natos*, quia ſenatores multi non ſummo loco nati, vt Cicero, et alii: addidit autem, quo magis Poſtumi factum excuſaret.

Non in hortis, aut ſuburbanis ſuis] Vbi liberior, ac ſolutior vitae ratio conceditur.

Oppido] Municipium erat.

Cum mitella] *Mitella* potius, quam *mitra*, dixit, quo magis laſciuiam notaret. eſt autem capitis muliebre tegumentum, non virile. vulgo nunc *cuffiam* vocant.

Chlamydatum] Non togatum, vt in vrbe, ſed laſciuiae cauſſa chlamydatum, vt in bello. nam chlamydem eſſe paludamentum, auctor Nonius. Ad *chlamydatum* autem ſubaudio, *videtis in ſtatua.* alioqui, quo referatur, non eſt.

Illum] Qui, deuicto C. Mario, ſummum imperium obtinuit. Pronomen hoc non niſi ſummorum virorum nominibus additur, vt, *Africanus ille.*

Imperatorem] Non quales poſt C. Caeſarem fuere, ſed quales tunc erant ſtante republica. victoriam enim aliquam adepti, caeſoque iuſto, ac legitimo hoſtium numero, imperatores ab exercitu appellabantur. quem honorem, ſi quis vmquam, L. Sulla iure eſt adeptus, felix in bellica re ſemper: vnde etiam Felicis cognomen.

L. vero Scipionis] Fratris Africani maioris.

Cum crepidis] Cum ſoleis. nam idem ſunt: ſed crepidae Graeci ſermonis, Latini ſoleae ſunt. Gellius lib. XIII. c. 20.

Sed etiam a ſermone] Quo iniquior eſt Memmius, qui criminis loco pallium obiicit Poſtumo, neceſſitatis, non laſciuiae gratia veſtitum mutanti.

Oppreſſus] Repentino Mithridatis edicto, vt omnes vno die ciues Romani necarentur. *Opprimi* dicitur, non modo qui per vim ſuperatur, ſed etiam contra quem praeter eius opinionem aliquid fit, vt hoc loco, et ad Caſſium lib. XV. Fam. epiſt. 16. *Puto te iam ſuppudere, cum haec tertia iam epiſtola ante te oppreſſit,*

ſit, quam tu ſchedulam, aut litteram.

Veſtitus mutatione] Sumto pallio, ſoccis pro calceis: vt Graeco veſtitu falleret eos, quibus, vt omnes plane togatos occiderent, mandatum erat.

Virtutis] Vir innocentiſſimus, cum accuſatus defendere ſe, exemplo Socratis, noluiſſet. damnatus exſulatum abiit Smyrnam. in Bruto c. 30. pro Balbo c. 11.

Conſularis homo] Conſulatum geſſit cum C. Manilio, anno DCXLVIII.

Soccos] Calceamentum et muliebre, et virile. eo ſic vtebantur comoedi, vt cothurno tragoedi.

Ad Auletem] Latine, tibicinem. cognomen Ptolemaei regis, quia fidibus praecipue delectaretur.

Odioſum negotium] Quae obiicere poterat accuſator, ea patronus quaſi cauſſae confidens, obiicit, et idem ſoluit, de regia curatione, de nomine dioecetis, de veſtitu mutato, de praeclara morte vitandae turpitudinis gratia. Artificii non vulgaris eſt, vel praeripere, quae contra dici poſſint, vel iam dicta breuiter confutare. prolixa enim confutatio inde naſci videtur, quod orator laboret, cauſſaeque timeat: breuis certam victoriae ſpem oſtendit.

Vis] Regis imperantis.

Poeta ille noſter] Cuius poema non exſtat: itaque nomen eius ignoratur.

Moreretur, inquies] Pro, mori potius debuit, quam illud munus accipere, palliumque ſuſcipere. Sic lib. III. de Offic. c. 22. *Potius diceret, non eſſe aequam, quia non eſſet vtilis reipublicae.* Pro, dicere debebat. Alibi.

Nam id ſequitur] Quod contra dici poſſit.

Si ſine maximo dedecore] Retorquet argumentum. Mori debuit, quo dedecus effugeret. Immo vero mori, tam impeditis rebus ſuis, ſine dedecore, et quidem maximo, non potuit. ad priorem enim culpam rei familiaris temere proiectae, deſperationis, animique debilitati, et fracti, et fortunae cedentis infamiam addidiſſet. Faciunt hoc non oratores modo, ſed etiam poetae, vt, ad excuſandam vitatae mortis ignominiam, moriendi cauſſae maiorem viuendi cauſſam opponant. Sic in oratione pro Sextio c. 20. *Vnum mihi reſtabat illud, quod forſitan non nemo vir fortis, et acris animi, magnique dixerit, reſtitiſſes, repugnaſſes: mortem pugnans oppetiſſes. De quo te, te, inquam, patria obteſtor, et vos penates, patriique dii, me veſtrarum ſedum, templorumque cauſſa, me propter ſalutem meorum ciuium, quae mihi ſemper fuit mea carior vita, dimicationem caedemque fugiſſe.* Virgilius autem haec de ſe narrantem Aeneam inducit lib. II. v. 431, ſeqq.

Iliaci cineres, et flamma extrema meorum,
Teſtor, in occaſu veſtro, nec tela, nec vllas
Vitauiſſe vices Danaum; et, ſi fata fuiſſent,
Vt caderem, meruiſſe manu.

CAPVT XI.

Nec conſilium ex neceſſitate, nec voluntatem ex vi interpretari] Noli dicere, conſilium fuiſſe, quae

quae neceſſitas fuit; et volentem ea Poſtumum feciſſe, quae vt faceret, vis coegit.

Animaduerte, et dicto pare] Ex tragoedia veteris poetae: ex eadem fortaſſe, quae ſequuntur.

Secundo lumine] Cras. idem attingit lib. VII. ad Attic. epiſt. vlt. *Caeſaris interdicta, ſi te ſecundo lumine hic offendero, reſpuuntur.* Virgilius quoque *lumen* accepit pro die lib. VI. Aen. v. 356.

— *Vix lumine quarto*
Proſpexi Italiam, ſumma ſublimis ab vnda.

Eodem modo *lux*. Pro Milone c. 35. *Centeſima lux eſt haec ab interitu P. Clodii.*

Ex hoc ipſo] Ex adminiſtratione regiae pecuniae.

Ex decumis] Ex decumano regis vectigali.

Imperatorum] Quem locum hic habere poſſit mentio imperatorum, nullo modo poſſum excogitare. *aratorum,* quod ſententia non reſpuit, cum aratorum quoque decumae ſaepe nominentur in Verrinis, libenter reponerem. tritico autem, ex fertilitate Nilo redundante inuecta, Aegyptus abundat.

Vtrum acceſſionem decumae, vt noſtri facere coactores ſolent, centeſima, (Ern. *centeſimae*) *an deceſſionem de ſumma fecerit*] Gabinio, regis iuſſu, cogebatur illa pecunia, nempe decem millia talentum. Poſtumus vnde ſibi ſumſit? nam ſi ex decumis fiunt decem millia talentum, quae Gabinii ſunt: pro Poſtumo quid ſupereſt? Exegit, inquies, centeſimam, noſtrorum coactorum more, praeter illa decem millia talentum Gabinio coacta; ex quibus, cum ei pro reductione regis promiſſa eſſent, detrahi nihil oportuit. Si hoc verum eſt, reſpondet Cicero, tota coacta pecunia vndecim millia talentum fuiſſet, non decem millia: quae ab accuſatore obiecta, iudices, damnato Gabinio, aeſtimarunt. id autem quis verum putabit? nam tantum noui oneris, id eſt, mille talentum, imponi populis, rex non videtur paſſurus fuiſſe. Sin autem Poſtumum in cogenda ſibi pecunia non acceſſionem feciſſe ad decem millia talentum, ſed ex ipſis decem millibus, Gabinio promiſſis, centeſimam ſibi ſumſiſſe dices: cui veriſimile videbitur, Gabinium, hominem, vt tu vis, auariſſimum, tantum pecuniae de promiſſa ſibi ſumma detrahi paſſum eſſe?

Vndecim millia talentum] Tot eſſe conſtat, ſi praeter decumas centeſima praeterea pendatur. vno enim ad decem addito, vndecim fiunt.

Tam graui onere tributorum] Penſione decumarum annua.

Mille talentum acceſſionem eſſe factam] Hoc infra refellunt illa verba: *Nec regis, imponere tantum pati ſuis.*

Eſſe conceſſam] A Gabinio, cuius erat merces pro reductione regis decem millia talentum.

Tantum pati] Tantum noui oneris, tantum vt paterentur.

Aderunt teſtes legati Alexandrini] Contra Poſtumum dicturi, qui antea dixerant pro Gabinio. ſed rex Gabinio, Pompeii gratia, opem ferre cupiuerat: Poſtumo infenſus erat ſuo nomine. Infra c. 14. *Nudus, atque egens fugit e regno.*

Soletne is dicere in eum] Quod ſi nemo ſolet: cur in Poſtumum, qui

quì pecuniam redegit, legati dicant, cum in Gabinium, cui pecunia illa redigebatur, non dixerint?

Age, ſi is, qui non dixit, ſolet] Sed fac ſolere: certe qui reum laudauit, in alium, eiusdem affinem culpae, non ſolet.

Quaſi praeiudicata res] Ex teſtium enim dictis mutari nihil poteſt.

Ad has cauſſas] Quo ea pecunia peruenerit.

CAPVT XII.

Meus familiaris] Apparet C. Memmium ſignificari. cui paullo poſt reſpondet.

Eandem cauſſam] Amicitiam Pompeii, cuius opera Ptolemaeus redierat in regnum, Cicero autem ab exſilio.

Mortales inimicitias] Quae aliquando deſinant, vt cuncta mortalia.

Sempiternas] Vitae aequales.

Cauſſam] Poſtumi, quae nunc agitur. mouit enim me tamquam iuſta: quam tu videris iniuſtam putare, cum eam non propter ipſam, ſed propter amicitiam Pompeii, defendi a me dicis.

Omnium ciuium libertas] In exſtinguendo Catilina, nefarie de republica cogitante.

Non amiciſſimus mihi non Pompeius fuit] Id eſt, inimiciſſimus mihi non fuit. nam particula, *non*, iterata, affirmationem gignit. In hoc Pompeii beneuolentiam captat, cuius animum erga ſe, licet inimiciſſimum amico ſuo Gabinio, numquam eſſe immutatum oſtendit.

Illius auctoritate (Ern. *auctoritati*) *eam dedi veniam, quam debui*] Illo auctore, poſteaquam Gabinio, qui me grauiter conſul laeſerat, ignoui, ſicut debui, auctore Pompeio, principe ciuitatis, et mihi ſumma neceſſitudine coniuncto.

Quidquam ſimulaui] In Gabinium. ſimulaſſem autem, ſi eum a te de repetundis accuſatum, ob eam, quam tu putas, cauſſam, non iudicio, ac veritate adductum, defendiſſem.

Ne cum mea perfidia] Perfidus enim in Gabinium fuiſſem, ſi Vatinium defendiſſem inuitus, contra fidem illi datam: cum illi me fore amiciſſimum Gabinii, vere ſancteque affirmaſſem.

Cui beneficium dediſſem] Pompeium deſignat, cui videtur, cum Gabinio in gratiam redeundo beneficium dediſſe, reconciliationem illam, beneficii loco, petenti.

Non violabam Pompeium] Praeſtitit autem, non violare Pompeium, quam et me ipſum, et illum, fide mea prodita, fallere.

Niſi in rem militarem] Armis enim Gabinius regem reduxit, Archelao pulſo.

Non eſt, inquit, creditum] In iudicio Gabinii: qui laudatus ab illis, tamen damnatus eſt, tamquam acceptis ob reductionem illam decem millibus talentum.

Quid? poſtea creditum? Non] Hic de mendo cur ſuſpicer, duae cauſſae faciunt. vna, quod, *creditum*, locum non habet: quia nondum legati teſtimonium dixerant in Poſtumum, ac ne in iudicium quidem, vt arbitror, venerant. nam ſupra c. 11. *Adderunt teſtes legati Alexandrini.* infra vero: *Nec mihi longius quidquam eſt, iudices, quam videre hominum vultus.* Altera

cauſſa eſt, quod particula, *non*, referri ad accuſatorem nulla ratione poteſt: qui cum accuſaret Poſtumum, affirmabat potius, quam negabat, credendum eſſe legatis in Poſtumum dicentibus. Quare ſuffragante, vt opinor, ſententia, diſtinguerem, ac légerem, hoc modo: *Quid poſtea?* (ſubaudi, *fore putas*) *credetur nunc.* ſubiungitur autem ratio ex perſona accuſatoris: *quia nunc aiunt, quod tum negabant.* Neceſſe eſt enim credi vel negantibus, vel affirmantibus. negantibus in Gabinii iudicio creditum non eſt: itaque iudices eum damnarunt: affirmantibus igitur contra Poſtumum creditur. Hic Cicero ducit argumentum a teſtium inconſtantia. Quid ergo? inquit: iisdem teſtibus in eadem re creditur nunc, quibus creditum antea non ſit? Disputationis autem hic eſt ordo. Accuſator dicit: *Non eſt tum Alexandrinis teſtibus creditum.* Defenſor: *Quid poſtea?* Accuſator: *Creditur nunc.* Defenſor: *Quamobrem?* Accuſator: *Quia nunc aiunt, quod tum negabant.* Defenſor: *Quid ergo? iſta conditio* etc.

Cognoſcimus] In hoc Poſtumi negotio.

Praeſtigiae] Artes obſcurandae veritatis.

Nummorum (Ern. *mimorum*) *argumenta*] Falſa nummorum indicia: cum A. Gabinio non eſſe pecuniam illam a rege datam negauerint, et nunc datam a Gabinio partem eius pecuniae Poſtumo dicant, vt eo, quo accuſatur, crimine damnetur, ex capite legis Iuliae, *quo ea pecunia peruenerit.*

CAPVT XIII.

Nobiscum] Cum ego Gabinium de repetundis defenderem.

Ad haec ſubſellia] Ante vos iudices. Erant ſubſellia iudicum, accuſatorum, defenſorum. Subſellia Pedianus in Diuin. c. 15. non maiora, ſed minora tantum iudicia exercentium fuiſſe, non recte, vt arbitror, exiſtimat. iudicium enim Poſtumi certe inter minora non eſt: et ſubſellia tamen iudicum appellantur.

Quibus ſuperciliis] Quo verius eorum teſtimonium videretur, admirationem ſuperciliis oſtendebant, negantes omnino verum eſſe crimen decem millium talentorum.

Tum temporis, credo, cauſſa] Vt Gabinium adiuuarent. Ironia. quaſi dicat: ſi tunc falſum teſtimonium, tempori ſeruientes, dixerunt: nunc quoque, temporis cauſſa, falſum dicunt: tunc, vt reum Gabinium ſubleuarent: nunc, vt reum Poſtumum premant. Non enim eſt, vt dici poſſit: recte tunc iis creditum non eſt; quia tempori ſeruiebant: recte autem nunc iisdem non creditur; quia tempori non ſeruient, ſed ex animo teſtimonium dicent.

In his iudiciis] Quae fiunt ex eo capite legis Iuliae, *quo ea pecunia peruenerit:* quo capite nunc accuſatus Poſtumus.

Si aut praedes dediſſet] Hac de re vide ſupra c. 4.

Hoc genere iudicii] Quod fit ex eo capite legis Iuliae, *quo ea pecunia peruenerit.*

Redigi ſolere] Tum ſcilicet, cum neque is, qui in illo primo iudicio damnatus eſt; neque ex eius bonis, quanta ſumma litium aeſtima-

aeſtimatarum fuit, populus recipit.

Sicut Gabinius iudicatus eſt] Gabinium ipſe defenderat, eique Pompeii cauſſa amicus erat: propterea non fatetur abſtuliſſe Gabinium a rege pecuniam, ſed ait, *iudicatus eſt.*

Ergo is] Ergo rex dedit Gabinio, Poſtumo autem, quam acceperat, non reddidit. Concinnitas quaedam eſt, et in ſimilibus verbis, *dedit*, *reddidit*, et in ſententia, *dedit ei, a quo non acceperat; a quo autem acceperat, ei non reddidit.* peruerſe igitur et praepoſtere, vt paullo ante dictum eſt, regis creditor accuſatur Poſtumus.

Cum is] Rex.

CAPVT XIV.

Habet] Poſtumus, acceptam a rege.

Oſtentationis, et gloriae] In celanda pecunia: cum oſtentatione potius gloria quaeratur.

Si nihil habuiſſet vmquam] Poſtumus.

Quaeſiſſet] Pro, acquiſiuiſſet.

Duo patrimonia] Vnum a naturali patre Curio, alterum ab adoptiuo, auunculo ſuo, Rabirio acceptum. Infra c. 17.

Dominatus eſt enim, inquit, Alexandriae] Cum dioecetes eſſet regius. quo ſit credibile, pecuniam, antea regi creditam, accepiſſe, ſed celare.

Pertulit ipſe cuſtodiam] Tantum abeſt, vt dominatus Alexandriae ſit, vt cuſtodiam quidem ipſe pertulerit, in vinculis autem viderit familiares ſuos, etc.

At permutata aliquando (Ern. *aliunde*) *pecunia eſt*] Pecuniam Poſtumi traductam eſſe Alexandria Romam, dicebat accuſator.

Puteolis] Aut, *Puteolos*, malim; vt ſit, ductae Alexandria Puteolos: aut intelligendum, ductae Puteolis Romam.

Fallaces quidem, et fucoſae] Aduectae enim illae merces Alexandria, non lucri gratia, ſed ne pecunia pateret ſimul miſſa. obiectio accuſatoris.

Chartis] Chartarum mentio, ſatis oſtendit, Alexandrinas fuiſſe merces illas. nam Alexandriae chartae tum fiebant ex iunco, papyro, et paluſtribus Aegypti, vel quieſcentibus Nili aquis, vbi euagatae ſtagnarent. Plinius lib. XIII. c. 12.

Vna non potuerit parua artata (Ern. *patuit parua*)] Niſi legatur, *patuerit pecunia;* perobſcura mihi quidem ſententia eſt. Ceterae merces, dicebat accuſator, multis nauibus palam delatae, patebant: pecunia vero, vna tantum artata naui, latebat.

Plus ille Puteolanus ſermo (Ern. *Cataplus ille Puteolanus, ſermo*)] Non magna varietate, ſi quis contractam ſcribendi rationem conſideret, lego, *Publicus ille.*

Vectorumque curſus] Qui vehebant, oſtentabantque illas merces.

CAPVT XV.

Hunc Poſtumum] Non dubito, quin, *Poſtumum*, gloſſema ſit: nec dubitabit, opinor, qui, quo modo eum ſupra, infraque Cicero appellet, obſeruabit.

In foro non haberemus] Amiſſo enim equeſtri cenſu, quem ad CCCC milia peruenire oportebat, equeſtrem ſimul ordinem, equitum-

equitumque propria ornamenta, vt clauatam tunicam, amiſiſſet. ita publico carere cogeretur.

Tuetur et ſustinet] Conſeruato illi equeſtri cenſu.

Huic tamen tribuenda eſt maxima] Summa dignitas Poſtumo, vel in afflicta eius fortuna, debetur: cum ex eo de virtute illius non mediocri liceat coniicere, quod Caeſar in tantis rebus, quas in Gallia gerit, hunc tamen, et afflictum, et abſentem, in tanta ſua felicitate, magni ducat.

Maioribus quaſi theatris propoſitae] Illuſtriores, ac notiores.

Paene populares] Vt eas vel quilibet de populo iudicare poſſit.

Iure gentium] Quod, ſine ſcripto iure, commune omnium debet eſſe.

CAPVT XVI.

Patrimonii amplificandi] Cum ſperaret auctum iri a ſe patrimonium, regi pecuniam credidit.

Pendentem corruere] Haec tota ſententia translatis verbis exornatur. Hic olim, pro, *pendentem*, erat, *pudentem*. nos mendum, translatione admoniti, ſustulimus.

Nec illius animi aciem praeſtinguit (Ern. *perſtringit*) *ſplendor ſui nominis*] Solent enim clari, et praepotentes viri quaſi oculos interdum claudere afflictae amicorum fortunae. Ideo ſubiungitur: *In nouo genere bonitatem*, etc.

Nec mentis quaſi luminibus officit altitudo fortunae et gloriae] Translatio ab iis, quarum altitudo lumini officit inferiorum aedium. Proprie lib. III. de Offic. c. 16. *Cum in arce augurium augures acturi eſſent, iuſſiſſentque T. Claudium Centumalum, qui aedes in Coelio monte habebat, demoliri eas, quarum altitudo officeret auſpiciis.* Translate in Bruto c. 17. *Catonis luminibus obſtruxit haec poſteriorum quaſi exaggerata altius oratio.* Non impedit, inquit, ſumma Caeſaris fortuna, et gloria, quo minus ea, quae debet, mens illius cernat, atque proſpiciat.

In nouo genere] In erigendis afflictis, reque, fortuna, fide ſustinendis.

Quaſi ſumtos] De induſtria a maleuolis.

Dies] Qui cognoſcendae, et iudicandae Poſtumi cauſſae tribuentur.

Ad labefactandum illius dignitatem] Quae agitur in amici iudicio.

Aut facile reſtituat] Nouis rebus geſtis.

Quod poſſe ſperet recuperari] Amiſſae enim damnum honeſtatis, quae res eſt, quae ſarcire vmquam poſſit? magis igitur de Poſtumi laborat honeſtate, quam de ſua dignitate.

CAPVT XVII.

Occultat pecuniam Poſtumus] Fatebor, quod obiicitur, occultari pecuniam a Poſtumo, latere apud eum regis diuitias, id eſt, ingentem pecuniae vim, cum fallacibus, fucoſisque mercibus miſſam.

Nummo ſeſtertio ſibi addici velit] Qui ea velit emere vel minima pecunia, minimo pretio? Sic enim veteres loquebantur. Epitome Liuiana lib. LV. *Seſtertio nummo veniit.* Pedianus etiam in Milon. c. 35. bona Milonis,

nis, propter aeris alieni magnitudinem, veniiſſe ait ſemuncia: id eſt, minimo: nam ſemuncia eſt vigeſima quarta pars aſſis. Et Valerius Max. lib. V. c. 2. in funere Hirtii, et Panſae ait eos, qui libitinam exercebant, petiiſſe, vt exſequiarum apparatus ſeſtertio nummo ipſis praebentibus addiceretur. Vitruuius quoque lib. I. c. 4. vbi de Salapia loquitur: *Areas diuiſit, nummoque ſeſtertio ſingulis municipibus mancipio dedit.*

Curii] Dixi iam, duos Poſtumo patres fuiſſe, a quibus etiam duo ei lauta, et copioſa patrimonia relicta ſunt, Curium naturalem, adoptiuum Rabirium, matris fratrem: a quo praenomen, et nomen accepit: vt in adoptionibus mos erat.

Nihil profudiſti, nihil vllam in libidinem contuliſti] Supra c. 16. *Non libidine, non turpibus impenſis cupiditatum, atque iacturis, ſed experientia patrimonii amplificandi labentem excepit.*

Praeconium] Nam in auctione addicuntur a praecone bona.

Hoc etiam optat miſer, vt condemnetur] Non arbitror eum velle de crimine obiecto condemnari: quod in orationis fine deprecatur, ſed tantum, vt, auctione facta bonorum ſuorum, ſolidum ſuum cuique ſoluatur. itaque ſubiicit Cicero: *Nec vos huic, ſi iam obliuiſci veſtrae manſuetudinis volueritis, quidquam praeterea poteſtis eripere.*

Si iam obliuiſci veſtrae manſuetudinis volueritis] Si veſtrae manſuetudinis obliti, condemnare velitis eum illius pecuniae nomine, quam a Gabinio ad eum perueniſſe dixit accuſator. nam, etſi, quantam pecuniam Gabinio datam credidiſtis, tantam ex eius bonis recipi non licuit: non ideo tamen ſequitur, vt, quae pecunia non inuenitur, ad Poſtumum peruenerit. tantumque abeſt, vt haec aduenticia pecunia, de qua reus eſt, ab eo peti debeat, vt nec ea, quam ipſe regi credidit, ei reddita ſit. Quare condemnari, et venire cupit ſua bona, non, vt ex iis redacta pecunia ſoluatur populo, quae non debetur; quandoquidem nihil ex ea Poſtumus accepit, quam Gabinio datam eſſe iudicatum eſt; ſed vt amicis ſuis, a quibus mutuam ſumſit, vt regi crederet, omnino ſatisfiat. laborat enim nulla de re, praeterquam de fide ſua.

In meo caſu] Cum eiectus eſt iniuſtiſſima Clodii rogatione.

Multos] Non enim teſtis vnus ego ſum liberalitatis tuae.

Reductos] Qui non adſunt, ſed alibi alius rem ſuam agit. poſſum igitur teſtes multos excitare, et in iudicium reducere, vt de tua liberalitate teſtimonium dicant.

Patri tuo] Naturali, non adoptiuo.

Magno adiumento] Apparet abſolutum eſſe. abſolutionis autem magnam fuiſſe cauſſam, quod multos in iudicium adduxerit teſtes liberalitatis ſuae.

Nomen equitis Romani] Eques enim Romanus, equeſtrem ei cenſum ſi eripueritis, non erit.

Vſuram huius lucis] Domicilium vrbis Romae. damnatus enim a vobis, ibit in exſilium.

Veſtrum conſpectum] Hoc addidit ad commouendam ex Poſtumi in eos amore miſericordiam

diam. Qui carere, inquit, veſtro conſpectu ſine ſummo dolore non poteſt, cur eum a vobis eiiciendum putetis?

Rectis oculis] Vt aſpicere ſibi hanc vrbem praeſenti, non reſpicere liceat abſenti.

Quod ipſum] Caruiſſet enim publico, equeſtri cenſu amiſſo, niſi C. Caeſar eum illi conſeruaſſet. ſupra c. 15. *Niſi C. Caeſaris ſumma in omnes, incredibilis in hunc eadem liberalitas exſtitiſſet, nos hunc Poſtumum iampridem in foro non haberemus.* Et poſt: *Nihil huic eripi poteſt, praeter hoc ſimulacrum priſtinae dignitatis, quod Caeſar ſolus tuetur et ſuſtinet.*

Fortuna] Et hoc ad mouendam miſericordiam pertinet. multi enim ſua nequitia, ſuisque vitiis bona perdiderunt: quibus miſericordia non debetur. Poſtumo autem non turpes impenſae cupiditatum, atque iacturae, ſed experientia patrimonii amplificandi, damno, atque exitio fuit. quam culpam fortuna ſuſtinet.

Opes] Supra c. 16. *Equitem Romanum, veterem amicum ſuum, labentem excepit, corruere non ſiuit, fulſit, et ſuſtinuit re, fortuna, fide, hodieque ſuſtinet.*

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM
PRO
M. MARCELLO

ARGVMENTVM

M. *Claudius Marcellus, plebeii generis, (nam et Claudii, Pulchrorum, Neronumque cognomine, patricii fuere) nobilis tamen ex maioribus, et ſua virtute clarus, geſto conſulatu cum Ser. Sulpicio Ruſo, iurisconſulto celeberrimo, ciuili bello Pompeium ſecutus eſt: victusque Pharſalica pugna, neque cum iis, qui bellum in Africa renouandum putarunt, ſua conſilia coniunxit, neque ad Caeſarem victorem, impetrandae veniae cauſſa, ſupplex ire voluit: Mitylenas, vrbem a bello, et a belli ſuſpicione remotam, ſe contulit: ibi ſatis diu, nullo reuertendi in patriam ſtudio, commoratus, cum in publica calamitate conſcientia ſe mentis optimae conſolaretur, et in litteris viveret, reditum ei ſenatus a Caeſare impetrauit. de quo beneficio gratiae ſunt a multis actae: Cicero autem, Marcelli amantiſſimus, luculenta, quae exſtat, oratione, et gratias egit, et ita Caeſarem laudauit, vt accedere nihil poſſet. Qua de re non alienum videtur ea recitare, quae ad Sulpicium lib. IV. Fam. epiſt. 4. ſcripſit his verbis:* Fecerat hoc ſenatus, vt, cum a L. Piſone mentio eſſet facta de Marcello, et cum C. Marcellus ſe ad Caeſaris pedes abieciſſet, cunctus conſurgeret, et ad Caeſarem ſupplex accederet. Noli quaerere: ita mihi pulcher hic dies viſus eſt, vt ſpeciem aliquam viderer videre quaſi reuiuiſcentis reipublicae. Itaque cum omnes ante me rogati gratias Caeſari egiſſent, praeter Volcatium: is enim, ſi eo loco eſſet, negauit ſe facturum fuiſſe: ego rogatus, mutaui meum conſilium. Nam ſtatueram, non mehercule inertia, ſed deſiderio priſtinae dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit hoc meum conſilium et Caeſaris magnitudo animi, et ſenatus officium. Itaque pluribus verbis egi Caeſari gratias. *Hic de Marcelli ſumma eloquentia, quia non pertinet ad orationis argumentum, nihil addam. illud omittendum*

non

non videtur, cum in patriam rediret, a P. Magio Chilone, familiari ſuo, interfectum eſſe. de quo Sulpicii ad Ciceronem exſtat epiſtola lib. IV. Fam. 12. Et quamquam propter Marcellum habita oratio ſit: ad conciliandam tamen, et colligendam Caeſaris beneuolentiam digreditur Cicero in eam partem, vt de querela eius, et de ſuſpicione, qui ſe inſidias metuere dixerat, accurate diſputet: ac primum, non eſſe timendum, oſtendat; cum nemo tam ingratus, tamque iniuſtus eſſe poſſit, qui, cuius in anima respublica conſiſtit, et a cuius vita omnium vita pendet, eum exſtinctum velit: deinde et ſuo, et reipublicae nomine hortetur, atque obſecret, vt ſuae vitae conſulat: poſtremo non excubias modo, cuſtodiasque bonorum ciuium pro ſalute illius, verum etiam laterum, et corporum oppoſitas contra vim polliceatur. Habita eſt, Caeſare III. et M. Lepido coſſ. victis iam iterum in Africa cum Iuba rege Pompeianis.

EXPLANATIO

CAPVT I.

D*iuturni ſilentii, P. C,*] Prima orationis verba ad ſenatum, reliqua ad Caeſarem omnia diriguntur. habenda enim ratio fuit ordinis ampliſſimi tum dignitatis gratia, tum etiam, quia, cum ageretur de Marcello, ſupplex ad Caeſarem cunctus acceſſerat, et reditum precibus impetrauerat. *Diuturni ſilentii:* quia perpetuo tacuerat in ſenatu, a quo tempore, impetrata a Caeſare venia, in vrbem redierat.

Non timore aliquo] Captat a Caeſare beneuolentiam, cum ſe non timuiſſe oſtendit, ne, liberius de republica loquens, eum offenderet. in quo clementiam eius, animique magnitudinem declarat. Quod autem hic dicit, *non timore aliquo*, ſcribit ad Sulpicium lib. IV. Fam. epiſt. 4. *non mehercule inertia.* et quod hic ſubiungit, *partim dolore*, ibi, *deſiderio priſtinae dignitatis:* ex quo naſcebatur dolor.

Verecundia] Contra quem enim armis pugnaſſem, eo praeſente in ſenatu verba facere verecundia prohibebat. hodiernus autem dies, Marcello reſtituto, quaſi reuiuiſcens respublica mihi animum reddidit: non ſolum, ne poſthac taceam, verum etiam, vt pro meo ſenſu, quemadmodum antea ſolebam, libere loquar.

Manſuetudinem] Humanitatem. id oſtendunt illa verba pro lege Manilia c. 14. *Humanitate iam tanta eſt, vt difficile dictu ſit, vtrum hoſtes magis virtutem eius pugnantes timuerint, an manſuetudinem victi dilexerint.*

Tam inuſitatam, inauditamque clementiam] Vt ignoſcatur ei primum, qui contra pugnauerit; deinde ei, qui victus ad clementiam victoris confugere noluerit, malueritque in externis locis, quam in patria procul a ſuis vitam ducere.

Modum] Quem enim de medio pro ſumma poteſtate facile poteſt tollere, incolumem eſſe vult.

Sapientiam] In cognoſcenda Marcelli virtute; qua diutius

carere

carere non poſſe rempublicam intelligit.

Ac paene diuinam] Hic non omnino, quod eſt deorum, homini tribuit, ſed ſimilitudinem quandam: alibi tamen humana bona cum diuinis confert, vt lib. II. de Nat. deor. *diuina liberalitas:* pro Milone c. 8. *diuina mente:* lib. I. de Orat. c. 10. *divinus homo in dicendo.*

Auctoritatem] Temporum calamitate ademtam. de qua ſcripſit ad Sulpicium: *Statueram, non mehercule inertia, ſed deſiderio priſtinae dignitatis, in perpetuum tacere.*

Non in eadem eſſe fortuna] Non mecum ſimul patria frui.

In noſtro veteri curriculo] In dicenda de republica ſententia.

Imitatore] Hoc vtitur verbo, quia Marcellus aetate minor.

Distracto] Dolorem ſignificat, ex diremta ſuperiorum temporum coniunctione.

Intellectum eſt enim mihi quidem in multis, et maxime in me ipſo, ſed paullo ante omnibus] Ratio, cur proxime dixerit: *His omnibus ad bene de omni republica ſperandum quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti.* Quod ad me attinet, inquit, iam intellexeram, cum in multis a te reſtitutis, tum in me ipſo maxime, te auctoritatem huius ordinis, dignitatemque reipublicae tuis vel doloribus, vel ſuſpicionibus anteſerre: ſed quod ego aliquanto ante in multis, et in me ipſo, idem hodierno omnes die in ſalute Marcelli intellexerunt. cum enim eum, qui ſe tibi inimicum non modo in bello, ſed etiam, poſtea quam victus eſt, ita eſſe oſtenderit, vt veniam a te petere, et ſe tibi, ſicut multi, credere noluerit; quae pertinacia ſummi index odii videbatur; ſenatui populoque Romano, et reipublicae conceſſeris: plus a te ſenatui, et reipublicae, quam tuis vel doloribus, vel ſuſpicionibus tribui omnes intellexerunt. Hoc ſenſu, cum antea legeretur, *in omnibus*, particulam, *in*, delendam putaui: vt ad illud, *mihi quidem in multis*, referatur hoc, *ſed paullo ante omnibus, cum M. Marcellum ſenatui, populoque Romano et reipublicae conceſſiſti.*

Reipublicae (ab Ern. abeſt)] Quae ſenatum populumque Romanum, praeterea imperium omne complectitur.

Offenſionibus] Iniuriis a Marcello acceptis, praeſertim quod ei ſe, armis iam victus dedere recuſaſſet. quo facto cum acerbior in Caeſarem eſſe, tum de clementia eius, et fide male ſentire videbatur. Eandem rem ſcribit ad Sulpicium his verbis: *Ipſe Caeſar, accuſata acerbitate Marcelli, (ſic enim appellabat) laudataque honorificentiſſime et aequitate tua, et prudentia, repente praeter ſpem dixit, ſe ſenatui roganti de Marcello, ne hominis quidem cauſſa, negaturum.*

Dignitatemque reipublicae] Quae, Marcello, conſulari viro, reſtituto, conſeruari et augeri videretur.

Doloribus] Propter ſuperiorum temporum offenſiones.

Suſpicionibus] Ne, reſtitutis iis, qui contra te pugnaſſent, ipſe tibi ex occulta aliqua coniuratione periculum creares.

Cum in accepto tanta ſit gloria] Gloriam cum ſalute Marcellus a te reſtitutus adipiſcitur: quia, quod in eum rogante ſenatu beneficium contuliſti, virtutis

tutis illius eſſe fructum omnes intelligunt.

Ventura ſit] Quia Marcello nondum cognita res erat. quo enim die Caeſar ſenatui roganti Marcellum conceſſit, eo ipſo die gratias ei Cicero, cum ſententiam ſuo loco rogatus eſt, egit hac oratione.

Atque optimo iure] Auget. poteſt enim aliquid alicui merito contingere, non tamen optimo iure.

Nobilitate] Conteſtata maiorum virtute. Dixi iam, plebeii generis homines, item vt patricios, *nobiles* vocari propter maiorum honores, et magna in rempublicam merita. nam Decii, Domitii, Publilii, Bruti, Metelli, Marcelli, nobiles, et plebeii tamen generis. paullo poſt c. 4. *nobiliſſimam* vocat Marcellorum familiam.

Innocentia] Videtur plus aliquid innocentia ſignificare, quam probitas. nam cum Cicero probitatem iam Marcello tribuerit, rurſus eidem, quaſi priore laude non contentus, innocentiam tribuit.

CAPVT II.

Nullius tantum eſt flumen ingenii] Nullius hominis, non, nullius ingenii. nam quod ſecundo caſu duae ſimul res ponantur, inuſitatum non eſt. Phil. XIV. c. 2. *Ad bellum profectus A. Hirtius: cuius imbecillitatem valetudinis, animi virtus, et ſpes victoriae confirmauit.*

Res tuas geſtas] Diſcat lector, vnde laudandi materiam ſumat. ſumet enim, hoc adductus exemplo, non ex ipſa tantum propoſita re, ſed aliarum quoque rerum, quae magnae putentur, comparatione.

Nec vero diſiunctiſſimas terras citius cuiusquam paſſibus potuiſſe peragrari] Simile illud pro lege Manilia c. 10. *Qui ſaepius cum hoſte conflixit, quam quisquam cum inimico concertauit: plura bella geſſit, quam ceteri legerunt: plures prouincias confecit, quam ceteri concupiuerunt.*

Non dicam curſibus] Nam id mirum non eſſet. opponit curſus paſſibus.

Luſtratae ſunt] Obitae ſunt. nam, *luſtrare*, interdum eſt circuire: vt lib. II. de Nat. deor. c. 20. *Stella Mercurii anno fere vertente ſigniferum luſtrat orbem.* Ibidem c. 64. *Totam licet animis, tamquam oculis, luſtrare terram, mariaque omnia? Luſtrare* autem plus eſt, quam *peragrare*. nam qui peragrat, tranſit: qui luſtrat, ambit: quo plus temporis requiritur.

Sunt alia maiora] Vt clementiae laus.

Maximam vero partem quaſi ſuo iure fortuna ſibi vindicat] Comparationem propriae laudis cum iis rebus, quae a fortuna dantur, ab Iſocrate ſumſit: aut ſimilitudine diuini ingenii in eandem ſententiam incurrit. ille ſic ἐν τῷ παραγραφικῷ: Τῶν μὲν τοιούτων ἔργων, ὅσα μετὰ κινδύνων πέπρακται, τὸ πλεῖσον ἄν τις μέρος τῇ τύχῃ μεταδοίη· τῆς δ' εἰς ἡμᾶς αὐτοὺς μετριότητος οὐδεὶς ἂν ἀλλ' ἢ τὴν ἡμετέραν γνώμην αἰτιάσαιτο.

Nihil ſibi ex iſta laude centurio, nihil praefectus] Hic equitum, ille peditum dux.

Nihil cohors, nihil turma decerpit] *Cohors*, peditum ſexcentorum, auctore apud Gellium lib.

lib. XVI. c. 4. Cincio in libro de re militari: *turma*, equitum triginta.

CAPVT III.

Domuiſti gentes] Locus amplificandi ex comparatione.

Immanitate barbaras] Gallos, Germanos, Britannos.

Multitudine innumerabiles] Hoc ad Gallos maxime pertinet: qui ſaepe in Italiam, cum ſuis capi ſedibus non poſſent, irruperunt.

Omni copiarum genere] Peditatu, iis etiam, vt in Britannia, qui ex eſſedis pugnarent.

Et (*et* abeſt ab Ern.) *naturam, et conditionem, vt vinci poſſent*] Communem omnium gentium naturam, propriam illarum conditionem.

Obſtrepi] Feſtiue: minus enim auditur in ſtrepitu. parum tamen, vt mihi videtur, vſitate, *obſtrepi res videntur.*

Sono] Clangore.

Quae eſt inimica conſilio] Horatius lib. I. epiſt. 2. v. 62.

Ira furor breuis eſt. animum rege: qui, niſi paret,
Imperat: hunc fraenis, hunc tu compeſce catena.

Quae natura inſolens et ſuperba eſt] Ad Sulpicium lib. IV. Fam. epiſt. 4. *Nec id victoris vitio, quo nihil moderatius, ſed ipſius victoriae, quae ciuilibus bellis ſemper eſt inſolens.* Ad Marcellum ibidem epiſt. 9. *Miſerius nihil, quam ipſa victoria: quae etiam ſi ad meliores venit, tamen eos ipſos ferociores, impotentioresque reddit.*

Parietes tibi gratias agere geſtiunt] Dat ſenſum rebus inanimis, poetica licentia: de quo diximus pro lege Manilia c. 12. in eo loco: *Quam celeriter, Cn. Pompeio duce, belli impetus nauigauit.*

Breui tempore] Tacita ad Caeſarem cohortatio pro ſalute bonorum ciuium.

In his maiorum ſuorum, et ſuis ſedibus] Hunc locum vacare mendo, vix mihi quiſquam perſuadebit. qui ſunt enim iſti maiores? ſi parietum: quid abſurdius? quorum igitur? Praeterea, *maiorum ſuorum*, vnde pendet? ſi enim coniungatur cum, *illa auctoritas;* quod poſtulare ſententia videtur: illud per ſe non conſiſtet, *et ſuis ſedibus.* nam particula, *et*, exigit hunc ordinem, *in his ſedibus maiorum ſuorum, et ſuis.* magna ſane perturbatio. niſi ſi quis dicat, cum ſenſus tribuatur parietibus in eo, *gratias tibi agere geſtiunt*, iisdem poſſe tribui, *maiorum ſuorum.*

CAPVT IV.

C. Marcelli] Qui ſe ad Caeſaris pedes abiecerat. Is eſt, qui cum L. Lentulo conſul fuit anno primo ciuilis belli. alter autem C. Marcellus, M. Marcelli frater patruelis, non germanus, vt Suetonius in Iulio c. 29. docet, conſulatum geſſerat anno proximo ſuperiore cum L. Paullo.

Effodit (Ern. *obfudit*)] Acerbo dolore percuſſit: quod eorum gentilem pro ſalute optimi fratris lacrumantem viderem.

Familiam] Non gentem. nam gens in plures familias diuiditur, vt Claudia in Pulchros, Nerones, Marcellos, Cornelia in Scipiones, Lentulos, Sullas, Cinnas, Dolabellas, Merulas.

Gratulationibus] Ob victorias. *Comitatu*] Nemo enim ſolus vincit.

Haec tua iuſtitia] Clementiam, *iuſtitiam* appellat, habita ratione virtutis et dignitatis M. Marcelli: quem ſi Caeſar talem, tantumque virum, carere patria, et in illa miſera fortuna diutius eſſe pateretur, iniuſte faceret.

Lenitas animi] Nondum clementiam nominat: ne Caeſar hoſti peperciſſe videatur, et veterum inimicitiarum memoria renouetur. ſed paullo poſt, cum eam nominari neceſſe eſſet, propter verbum, *occidiſſemus;* dixit, *clementiae tuae iudicio.*

Laudibus] Nam opera non ſunt laudes, ſed monumenta laudum: iuſtitia autem, et lenitas animi laudes vere ſunt.

Vereor vt hoc dicam (Ern. *ne hoc, quod dicam*)] Quod alibi docuimus, (lib. II. Fam. epiſt. 1.) tota ſententia differunt, *vereor vt*, et, *vereor ne*. *Vereor vt*, de re dicitur, quam cupimus contingere, ſed veremur, ne non contingat: vt ad Terentiam lib. XIV. Fam. epiſt. 14. *Sin homo amens diripiendam vrbem daturus eſt, vereor, vt Dolabella ipſe ſatis vobis prodeſſe poſſit. Vereor ne*, de re dicitur, quae ſi eueniat, doleamus; ſed veremur, ne eueniat: vt ad Caecinam lib. VI. Fam. epiſt. 6. *Vereor, ne deſideres officium meum.* Lego igitur hic cum vno Cardinalis Borromaei, et altero Maſſeiorum libro, *vereor, vt hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu poſſit, atque ego ipſe cogitans ſentio.* Nec aliter legit, hunc locum recitans, in Diuin. c. 6. Pedianus. Fuluii Vrſini liber diſſentit in verbis, non tamen in ſententia: habet enim: *Vereor, ne hoc quod dicam, non perinde.* quod idem valet. nam, *ne non*, ſunt pro, *vt*.

Ipſam victoriam viciſſe videris] Durum hoc videri poſſit, niſi antecedentibus leniatur. quo de genere quid ſenſerit Aſconius, oſtendam. nam cum illud in Diuin. c. 6. interpretaretur, *Etiam ſi tacent, ſatis dicunt:* ſubiunxit: *Tale illud eſt:* cum tacent, clamant: *et*, victoriam ipſam viciſſe videris: *et*, philoſophandum eſt, etiam ſi non eſt philoſophandum. *Haec in loco nec ὀξύμωρα, nec κακόζηλα iudicanda ſunt: aut enim inferioribus dictis, aut ſupra poſitis leniuntur: vt eſt illud:* Vereor, vt hoc, quod dicam, perinde intelligi poſſit auditu, atque ego ipſe cogitans ſentio.

Quae illa erat adepta] Fortunas, patriam, vitamque multorum, quae cum victoriae eſſent, victis tamen a te remiſſa et reſtituta ſunt.

Occidiſſemus] Magna vis in hoc verbo. factum enim dicit, quod ipſius victoriae conditione fieri facile potuit. quo plus additur ad Caeſaris laudem, qui conſeruet eos, qui iam occiderant.

Clementiae tuae iudicio] Ne repente, nullo conſilio, Caeſar ad ignoſcendum adductus eſſe videatur, clementiam cum iudicio coniunxit: quod ideo clementia ſit vſus, quia talibus viris, qui ſua dignitate auctoritatem et ſpeciem reipublicae ſuſtinerent, ignoſcendum eſſe iudicarit.

A quo etiam ipſius victoriae conditio visque deuicta eſt] Et hoc ad leniendum illud ſpectat, *ipſam victoriam viciſſe videris.*

CAPVT

CAPVT V.

Quam late pateat] Ne quis illud ad vnum ſpectare Marcellum exiſtimet.

Fato] Non in Caeſarem odio, ſed *fato reipublicae*, et *fato neſcio quo*, et *fato miſero*, *funeſtoque*, nec adducti, ſed *compulſi.* quae omnia mitigant, excuſatione quadam, iram Caeſaris, cum praeſertim ſequatur culpae confeſſio: quam tamen non criminis, ſed erroris humani culpam vocat, ac ne culpam quidem ſimpliciter, ſed aliquam culpam.

A ſcelere certe liberati ſumus] Liberati a Caeſare: qui ſi nos hoſtium loco habuiſſet, non induxiſſet in curiam: induxit: ſcelere igitur liberauit: oſtendit enim, de noſtro facto quid ſentiret.

Nullo deprecante] Auget Caeſaris beneficium, oratorie potius, quam vere: nam gener eius Dolabella deprecatus eſt: vt lib. XI. ad Attic. epiſt. 7. Et ad Marcellum lib. IV. Fam. epiſt. 7. *Nos cura, et dolore proximi ſumus: precibus tardiores, quod ius adeundi, cum ipſi deprecatore eguerimus, non habemus.*

Ignoratione] Quae peccatum excuſat. ignoratione autem cauſſae Caeſaris et Pompeii: cum eam, quam defenderunt, optimam, eam, quam oppugnarunt, peſſimam putant.

Metu] Caeſaris. quem, ſi vinceret, crudelem fore putabant: cum eum eſſe leniſſimum, et clementiſſimum, res ipſa docuerit. infra c. 6. *Non enim tua vlla culpa eſt, ſi te aliqui timuerunt.*

Cupiditate] Honorum, opum, earum rerum, quas qui ſine nouis rebus aſſequi ſe poſſe diffidunt, ciuile bellum excitant.

Crudelitate] Vt occiderent, quos oderant. hac enim ſpe maxime ciuilia arma capiuntur.

Semperque dolui, non modo pacem, ſed orationem etiam ciuium, pacem efflagitantium, (Ern. *flagitantium*) *repudiari*] Tacite Pompeianos, vt bellandi cupidos, accuſat: et Caeſari gratificatur. nec tamen dicit, quod non eſſet. nam ad Sulpicium lib. IV. Fam. epiſt. 1. *incideram*, inquit, *in hominum pugnandi cupidorum inſanias.* Ad Plancium ibidem epiſt. 14. *Qui me, haec praedicentem, atque optime conſulentem ſaluti ſuae, malebant nimium timidum, quam ſatis prudentem exiſtimari.* Ad Varronem lib. IX. epiſt. 6. *Vidi noſtros amicos cupere bellum: hunc autem non tam cupere, quam non timere.* Ad Tironem lib. XVI. epiſt. 11. *Incidi in ipſam flammam ciuilis diſcordiae, vel potius belli: cui cum cuperem mederi, et, vt arbitror, poſſem, cupiditates certorum hominum impedimento mihi fuerunt omnino.*

Priuato officio, non publico] Quia Pompeio debebam: non quia Caeſaris cauſſam condemnarem. Et hoc ad colligendam Caeſaris beneuolentiam.

Prudens et ſciens tamquam ad interitum ruerem voluntarium] Cauſſam ſcribit ad Marcellum lib. IV. epiſt. 7. *Non enim iis rebus pugnabamus, quibus valere poteramus, conſilio, auctoritate, cauſſa, quae erant in nobis ſuperiora, ſed lacertis, et viribus, quibus pares non eramus. Victi ſumus igitur, aut, ſi vinci dignitas non poteſt, fracti certe et abiecti.* Ad Torquatum lib. VI. epiſt. 1. *Dole-*

Dolebam, pilis et gladiis, non conſiliis, neque auctoritatibus noſtris de iure publico disceptari. Ad Caecinam ibidem epiſt. 6. *Vel officio, vel fama bonorum, vel pudore victus, vt in fabulis Amphiaraus, ſic ego prudens et ſciens ad peſtem ante oculos poſitam ſum profectus. Quo in bello nihil aduerſi accidit, non praedicente me. Ruerem:* impulſus accepti beneficii memoria.

Integra re] Ante bellum.

Etiam cum capitis mei periculo] Propter hominum pugnandi cupidorum inſanias.

Caeſaris voluntas de bello] Aliena fuit a bello, ſiquidem eos, qui bellum diſſuaſerunt, conſervat.

Ceteris fuerit iratior] Quibus nondum ignouit, quia ſcit eos auctores belli fuiſſe.

Cum eſſet incertus exitus, et anceps fortuna belli] Apparet, hoc tempore confectum fuiſſe bellum Africanum.

CAPVT VI.

Huius rei] Optimae de pace voluntatis.

Certorum hominum] Qui bellum paci praeferebant. L. Lentulum, L. Domitium Ahenobarbum ſignificat: vt ad Toranium lib. VI. epiſt. 21.

Ipſius victoriae] Etiam ſi Pompeiani viciſſent. Ad Marcellum lib. IV. epiſt. 9. *An tu non videbas mecum ſimul, quam illa crudelis eſſet futura victoria?*

Tua liberalitas] In largienda ſalute.

Non enim iam cauſſae ſunt inter ſe, ſed victoriae comparandae] Non diſtinguo cauſſas, nec, vtra melior fuerit, decerno. de victoriis hoc dico, tuam proeliorum exitu terminatam, illam nimis iracundam futuram fuiſſe.

Gladium vagina vacuum] Pro, *nudum.* nam vagina gladius includitur, non gladio vagina. ſed maluit, *gladium vagina vacuum,* quam *vaginam gladio vacuam:* quod erat frigidius.

Armatis] Caeſarianis.

Otioſis] Qui neutram partem ſequi vellent. Ad Varronem lib. IX. epiſt. 6. *Crudeliter otioſis minabantur: eratque iis et tua inuiſa voluntas, et mea oratio.* Et lib. XI. ad Attic. epiſt. 6. *Omnes, qui in Italia manſerant, hoſtium numero habebantur.*

Quid quisque ſenſiſſet] Etiam ſi optime de republica ſenſiſſet.

Vbi fuiſſet] Si fuiſſet in Italia procul a bello.

Ob aliquod delictum] Non quia perditam rem vellent. vicit enim is eorum beneficio, cuius in clementia, ac ſapientia omnis poſita ſpes ſalutis eſſet.

Felicitati tuae] In bellica re, vbi plurimum fortuna valet.

Donata] Vt propria noſtra ſint.

Commodata] Vt eadem, quae dedit, auferre tamquam ſua poſſit. nam commodata redduntur: donata retinentur.

Aut prauitate] Supra c. 5. *aut crudelitate.*

Specie quadam reipublicae] Ad Torquatum lib. VI. epiſt. 1. *Quoddam nobis officium iuſtum, et pium, et debitum reipublicae noſtraeque dignitati videbamur ſequi.*

Senſerunt] Poſt victoriam a te conſeruati.

CAPVT

CAPVT VII.

Prouidenda eſt] Ne vera ſit. prouidenda autem curis, conſiliisque noſtris.

Numquam tamen verbis extenuabo] Nam ſi extenuarem, cavendi curam imminuerem. cavere autem ideo te volumus, quia, tibi dum caues, nobis caves. a te enim conſeruati, noſtram ſalutem in tua ſalute poſitam exiſtimamus.

In alterutro] Vel nimium cavendo, vel parum.

Nimis timidus] Nimium cavendo.

Parum prudens] Parum cavendo. ſimiliter ad Plancium lib. IV. Fam. epiſt. 14. *Qui me haec praedicentem, atque optime conſulentem ſaluti ſuae, malebant nimium timidum, quam ſatis prudentem, exiſtimari.*

Tam demens] Qui contra tuam ſalutem cogitet?

De tuisne] De iis, qui ciuili bello tuarum partium fuerunt.

An ex eo numero, qui vna tecum fuerunt] Quia confuſe dictum videbatur, *de tuisne?* cum id pertinere ad omnes plane videretur, non modo ad eos, qui pro eo pugnauerant: nunc diſtinguit, et definit, clarius exponens, quod ſubobſcure dixerat. quamquam hoc totum ab artificio ſumtum, vt Caeſaris gratiam aucupetur, cum et ſe, et alios, ab eo conſeruatos, non minus eſſe ſuos demonſtret, quam qui eum ciuili bello ſecuti ſunt.

Huius vitam non anteponat ſuae] Cum dicturus videretur, *inſidias tuae vitae paret*, odioſa verba vitauit, ſermonemque convertit ad mitiorem ſententiam, Caeſaris auribus multo gratiorem. nam ſi furor eſt, quo duce omnia ſumma ſimus adepti, eius vitam noſtrae non anteponere: quanto magis eum vita priuare velle? non igitur credibilis tantus in vllo furor.

At ſi tui] In verbo, *tui*, obſcuritatem iam non timet, cum dixerit, eos a ſe ſignificari, qui vna cum illo fuerant.

Inimici] Qui fuerant in praeſidiis Pompeii.

Sua pertinacia] Quia bellum in Africa renouare, quam ad tuam miſericordiam confugere, maluerunt.

Vt aut nulli ſuperſint de inimicis] Dilemma. De inimicis, aut nulli ſuperſunt, aut aliqui. ſi nulli, nihil timendum: ſin aliqui, cur timeas, cauſſae nihil eſt, cum ii, ſalute a te praeter ſpem accepta, amiciſſimi ſint.

Cum in animis hominum tantae latebrae ſint, (Ern. *et*) *tanti receſſus*] Redit ad illud, quod dixerat: *Quam etſi ſpero eſſe falſam, numquam tamen verbis extenuabo. tua enim cautio, noſtra cautio eſt: et, ſi in alterutro peccandum ſit, malim videri nimis timidus, quam parum prudens.* Primum igitur in eam partem disputauit, non eſſe timendum: deinde alteram aggreditur, quaſi timeatur, ita cauendum. vtraque ſummi amoris index. Quod autem dicit, *in animis hominum tantae latebrae, tanti receſſus:* idem ſcripſit ad M. Brutum epiſt. 1. *Non ſoleo, mi Brute, temere affirmare de altero. eſt enim periculoſum, propter occultas hominum voluntates, multiplicesque naturas.*

Simul enim augebimus diligentiam] In conſeruanda ſalute.

Quis eſt omnium tam ignarus rerum] Ignorationem cum ſtultitia coniunxit. Ignorationis autem duo genera: primum, ſi quis omnium rerum ignarus eſt: alterum, ſi quis eſt, non ille quidem omnium ignarus rerum, verumtamen in republica rudis. ſequitur ſtultitiae vitium: *Tam nihil vmquam nec de ſua, nec de communi ſalute cogitans.* in quo maior eſt vituperatio.

Ex vnius tua] Sermo familiaris et Ciceroni, et Terentio.

Vitam (Ern. *vita*) *pendere omnium*] Hoc refertur ad illud: *Nec de communi ſalute cogitans.*

Vt debeo] Pro tuo ſummo erga me beneficio, cum mihi ſalutem reddideris inſperanti.

Caſus dumtaxat humanos] Quibus vita homini ſaepe ante diem eripitur.

Incertos euentus valetudinis] Factum hoc eſſe dicit Cornelius Tacitus lib. II. Annal. c. 71. in oratione morientis Germanici. quo fortaſſe etiam ſpectauit Virgilius in illo verſu: (lib. IV. Aen. 696.)

Sed quia nec fato, merita nec morte peribat.

Cum respublica immortalis eſſe debeat] Argumentum pro dolore ſuo. Respublica debet immortalis eſſe: deberes tu quoque, cuius in anima respublica ipſa conſiſtit. Tu mortalis: illa, te erepto, quo modo erit immortalis? eſt igitur, cur doleam, non tua magis, quam reipublicae cauſſa.

Anima] Dum anima eſt, vivimus. eſt enim ſpiritus ille, quo ſustinemur atque alimur. vnde, *profundere, agere animam,* pro, *mori.*

Sceleris etiam accedat, inſidiarumque conſenſio] Vt per ſcelus illata morte intereas.

Quem deum] Nedum hominem.

Etiam (*etiam* abeſt ab Ern.) *ſi cupiat*] Non modo ſi velit, verum etiam ſi cupiat.

Reipublicae] Quae tecum ſimul penitus interiret.

CAPVT VIII.

Omnia ſunt excitanda tibi, C. Caeſar, vni] Callide locum eſſe vidit aptum ad commendandam rempublicam. quae ſi eius in anima conſiſtit: vtendum vitae beneficio, operaque danda, vt, dum viuit, eam conſtituat: quod niſi ipſe faciat, praeſtare nemo poſſit. propterea dixit, *vni.* Et ſubiecit paullo poſt: *Quae quidem nunc tibi omnia belli vulnera ſananda ſunt; quibus, praeter te, mederi nemo poteſt. Excitanda* autem, ſubleuanda, tollenda, erigenda.

Quae iacere ſentis] Pulcherrima translatio, pluribus abſoluta verbis, *excitanda, iacere, belli impetu, perculſa, proſtrata.*

Belli ipſius impetu] Non tua voluntate.

Quod neceſſe fuit] Et hic Caeſarem excuſat.

Perculſa atque proſtrata] Superlata verba dicuntur: ideo enim, *proſtrata*, quia perculſa. *Perculſa* autem ab ipſo bello, non a Caeſare.

Conſtituenda iudicia] Nouis legibus: cum veteres parum obſeruentur.

Reuocanda fides] De foro ſublata. nam ſi iudicia iacent, creditae pecuniae non ſoluuntur: qui ſolet exitus eſſe bellorum ciuilium.

viiium. Hoc pendet ex eo, *conſtituenda iudicia.* niſi enim conſtituantur, creditores non ſoluent, ita fides non reuocabitur.

Comprimendae libidines] Lege de matrimonio lata, quam Caeſar tulit.

Propaganda ſoboles] Cum hominum multa millia bellum ciuile ſuſtulerit.

Omnia] Boni mores, et probata maiorum inſtituta.

Defluxerunt (Ern. *fluxerunt*)] Abierunt, praeterierunt: vt ad Paetum lib. IX. Fam. epiſt. 20. *Vbi ſalutatio defluxit, litteris me inuoluo.*

Seueris legibus] Nunc enim, propter belli ciuilis licentiam, delictorum poena non timetur.

Vincienda] Ne dilabi poſthac poſſint. translatio, *dilapſa, defluxerunt, vincienda.*

Non fuit recuſandum in tanto ciuili bello, tanto animorum ardore, et armorum] Mirus eſt in excuſando Caeſare, et ab eo culpa remouenda. *Non fuit recuſandum:* fieri enim aliter non potuit.

Quicumque belli euentus fuiſſet] Etiam ſi Pompeius viciſſet. haec enim non hominum vitia ſunt, ſed bellorum ciuilium. de quo ſtatim: *Multaque vterque dux faceret armatus, quae idem togatus fieri prohibuiſſet.*

Ornamenta dignitatis, et praeſidia ſtabilitatis ſuae] Ornamenta pacis, praeſidia belli: vt pro lege Manilia c. 2. *Aguntur certiſſima populi Romani vectigalia, et maxima: quibus amiſſis, et pacis ornamenta, et ſubſidia belli requiretis.* Orat. II. in Rullum c. 29. *Vnumne fundum pulcherrimum populi Romani, caput veſtrae pecuniae, pacis ornamentum, ſubſidium belli, fundamentum vectigalium, horreum legionum, ſolatium annonae, diſperire patiemini?*

Praeclariſſimam] Summo dignam viro, qui mortem contemnat.

Sapientiſſimam] A maximo conſilio profectam. qui enim ea geſſerit, quae tu geſſiſti; ſuperiore vita contentus erit; vſuram lucis non admodum expetendam putabit.

Naturae] Annos enim, cum tertium conſulatum, collega M. Lepido, geſſit, agebat LV. ſi Suetonio c. 88. credimus.

Gloriae] Cum nihil gerere maius poſſet, quam id, quod geſſit. quamquam poſtea cum Pompeii liberis in Hiſpania magno vitae diſcrimine pugnauit.

Patriae certe parum] Quam ſi ſaluam eſſe vis, agenda ſunt illa ſuperiora: *Conſtituenda iudicia, reuocanda fides, comprimendae libidines, omnia, quae dilapſa iam defluxerunt, ſeueris legibus vincienda ſunt.*

Doctorum hominum] Vt Socratis, qui vitam deprecari ab iniuſtis iudicibus noluit: aut Stoicorum, quibus ipſa per ſe vita iucunda non fuit.

Nimis crebro] Quo ſatis intelligitur, te eadem ſentire, quae dicis.

Audirem] Probarem, verum eſſe dicerem. nam, *audio*, apud comicos, et ipſum Ciceronem aſſentientis eſt.

Si tibi ſoli viueres] In hoc propriam Caeſaris conſuetudinem, in eo, quod ſequitur, *ſi tibi ſoli natus eſſes*, communem omnium conditionem ſignificat, e ſententia Platonis, qui, naſci nos patriae, parentibus, amicis,

cis, in epiſtola ad Dionem ſcripſit.

Nunc] Pro *ſed*, vt in ea pro Archia c. 11. *Nunc inſidet quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes et dies animum gloriae ſtimulis concitat.*

Cum omnium ſalutem ciuium, cunctamque rempublicam res tuae geſtae complexae ſint] Cum propter ea, quae geſſiſti, ad te vnum reducta ſint omnia, et ex tua vnius vita ſalus omnium ciuium, cunctaque respublica pendeat.

Tantum abes a perfectione maximorum operum] Quae ad omnium ſalutem ciuium, cunctamque rempublicam pertinent.

Quae cogitas] Vitat arrogantiae ſuſpicionem: et ait, *quae cogitas*, ne videatur admonere non cogitantem de ſalute reipublicae.

Hic tu] Modus placide obiurgandi, vt ad Lucceium lib. V. Fam. epiſt. 15. *Hic tu ea me abeſſe vrbe miraris, in qua domus nihil delectare poſſit, ſummum ſit odium temporum, hominum, fori, curiae?*

Ne gloriae quidem tuae ſatis eſt] Cum ad eam addere multum poſſis. Ad hanc ſententiam ſpectat illud, quod infra ſubiicitur: *Vide, quaeſo, ne tua diuina virtus admirationis plus ſit habitura, quam gloriae.*

Quamuis ſis ſapiens] Sapiens enim gloriam, quae virtutis fructus eſt, non quaerit, ipſa virtute contentus.

Admirationis] Ob victoriam.

Quam gloriae] Quae non tam in vincendis aduerſariis, quam in ſtabilienda republica conſiſtit.

CAPVT IX.

Hic reſtat actus] Tamquam fabulae: qui debet eſſe vltimo loco perfectiſſimus. qua ſententia ſcripſit ad fratrem lib. I. epiſt. 1. *Illud te ad extremum et oro, et hortor, vt, tamquam poetae boni, et actores induſtrii ſolent, ſic tu in extrema parte, et concluſione muneris, ac negotii tui diligentiſſimus ſis, vt hic tertius annus imperii tui, tamquam tertius actus, perfectiſſimus atque ornatiſſimus fuiſſe videatur.*

Tu in primis] Vt quam diligentiam in conſtituenda republica poſueris, eius diligentiae fructum capias.

Cum ſumma tranquillitate et otio] Nam adhuc tranquillitate Caeſar et otio caruerat, perpetuis bellis, Pharſalico, Alexandrino, Africano vexatus.

In quo eſt aliquid extremum] Diuturnum dici ſpatium non debet, quod ſequenti tempore excipitur, id eſt, quo praeterita voluptas amittitur. itaque, diu te vixiſſe, nunc ne dicas, licet vel naturae ſatis, vel gloriae iam vixeris: tunc dicito, cum ea, quae a te vno respublica poſtulat, abſolueris. tempus enim non prolixo vitae ſpatio, ſed rebus geſtis, et ipſa potiſſimum reipublicae ſalute metiri decet.

Quod cum venerit (Ern. *venit*)] Poſt illud, quod vocamus diu.

Quamquam iſte tuus animus] Correctio: ne ſuperioribus Caeſar offendatur.

Tuebitur] Conſeruabit, ſuſtinebit: vt, *tueri exſpectationem.*

Huic] Futurae vitae, poſteritati.

Inſeruias] Operam des.

Oſten-

Oſtentes] Qualis, quantusque ſis.

Quae miretur] Maximas res in bello geſtas. Hoc refertur ad illud c. 8. *Vide, quaeſo, ne tua diuina virtus admirationis plus ſit habitura, quam gloriae.*

Rhenum] Germanos a te victos.

Oceanum] Britannos.

Nilum] Alexandrinos.

Monumenta] A te exſtructa.

Munera (ab Ern. abeſt)] A te publice data.

Sedem quidem ſtabilem, et domicilium certum non habebit] Habebit autem in hac vrbe, ſi tu eam ſtabilieris tuis conſiliis, et inſtitutis.

Res tuas geſtas] Bellicas.

Fati] Non tuae virtuti tribuent, quod viceris, ſed fato.

Hoc] Belli ciuilis incendium patriae ſalute reſtinctum.

Vt quidam falſo putant] Mori cum corpore animam credentes.

Non pertinebit] Amiſſo ſenſu.

Nunc certe] Dum viuis, et cogitatione ac ſpe futurae gloriae frui potes.

CAPVT X.

Non enim conſiliis ſolum, et ſtudiis] Ne mirere, quod dixerim: *Diuerſae voluntates ciuium fuerunt, distractaeque ſententiae.* non enim hoc ſolum fuit, vt conſiliis, et ſtudiis, ſed illud etiam, vt armis, et caſtris diſſideremus. *Conſiliis*, ad ſententias refertur: *ſtudiis*, ad voluntates. Quoque haec liberior, eo veria dignior confeſſio eſt. ita conſequitur, vt haec tota oratio, mirabili artificio condita, Caeſarem delectet.

Obſcuritas quaedam] Cum non appareret, quid eſſet optimum factu. Excuſatio peccati.

Inter clariſſimos duces] Caeſarem, et Pompeium.

Quid optimum eſſet] Vtrum conueniret magis, tecum eſſe, an cum Pompeio. Hoc ad gratiam Caeſaris. nam ad Rufum lib. V. Fam. epiſt. 19. aliter ſcripſit: *Quid rectum ſit, apparet: quid expediat, obſcurum eſt.*

Quid deceret] Pro geſtis honoribus. nam in caſtris Pompeii, vbi conſules, et reliqui magiſtratus erant, ipſa quoque reſpublica videbatur eſſe.

Quid liceret] Aliis enim cum Pompeio, aliis cum Caeſare propter inimicitias eſſe non licebat.

Perfuncta] Liberata: vt, *perfunctis propria moleſtia*, ad Lucceium lib. V. epiſt. 12. Pro Cluentio c. 41. *Quod ſe perfunctos iam eſſe arbitrantur, cum de reo iudicarunt, negligentius attendunt cetera. Defungor*, idem valet. Virgilius lib. VI. Aen. v. 83.

O tandem magnis pelagi defuncte periclis.

Coelius ad Ciceronem lib. VIII. epiſt. 1. *Hoc mendacio, ſi qua pericula tibi impenderent, vt defungeremur, optaui.*

Qui non fortuna inflammaret odium ſuum] Quod victoriae ſolet eſſe vitium.

Morte] Praeter vnum Fauſtum, L. Sullae filium, et Afranium, et L. Caeſarem iuuenem, victor Caeſar neminem occidit. Suetonius c. 75. *Acie Pharſalica proclamauit, vt ciuibus parceretur: deincepsque nemini non ſuorum, quem vellet, vnum partis aduerſae ſeruare conceſſit: nec vlli*

vlli periiſſe, niſi in proelio reperientur, exceptis dumtaxat Afranio, et Fauſto, et L. Caeſare iuvene: ac ne hos quidem voluntate ipſius interemtos putant: quorum tamen et priores poſt impetratam veniam rebellauerant, et Caeſar, libertis ſeruisque eius ferro, et igni crudelem in modum enectis, beſtias quoque ad munus populi comparatas contrucidauerat. Denique tempore extremo, etiam quibus nondum ignouerat, cunctis in Italiam redire permiſit, magiſtratusque et imperia capere.

Poſita] Statim poſt Pharſalicam pugnam, vt ab ipſo Cicerone, a Marcello, a Laelio, a Varrone.

Erepta ſunt] Iterum in Africa victis.

Ingratus eſt iniuſtusque ciuis] Loquitur de conſeruatis a Caeſare. *Ingratus:* in eum, a quo vitam accepit. *Iniuſtus:* nam, quod vnicuique debetur, iuſtitia tribuit: idquod non facit is, qui, armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum.

Retinet] In ipſa vrbe. Redit ad extenuandam ſuſpicionem Caeſaris. nam admonitus erat a ſuis, vt caueret inſidias.

Armatum] Nocendi cupidum, item vt in bello.

In cauſſa] In eodem ſenſu, eademque mente, qua fuit ante victoriam Caeſaris. non enim debet iam idem ſentire de vetere cauſſa, victus a Caeſare, et ab eodem conſeruatus.

Animam profudit] Qui ſenſit idem, quod antea, vsque ad exitum vitae.

Quae enim pertinacia quibusdam] Recte iudicantibus. Pertinacia, inquit, eſt, in cauſſa animam profundere: ſed quae nobis pertinacia, eadem aliis, male iudicantibus, conſtantia videri poteſt, iis ipſis praeſertim, qui profundere animam in cauſſa malunt, quam priſtinum ſenſum dimittere.

Fracta] Sublata, ſpoliata viribus.

Aequitate] Clementia: quia ſe victor aequum omnibus praebuit, vt nulla iam diſſenſio ſuperſit. Et hoc ad Caeſaris animum cura liberandum pertinet.

Sanitatis] Sanae mentis. multi enim ſana mente ſunt, ſapientes pauci.

Qui haec ſalua eſſe volumus] Quae, niſi te incolumi, ſalua eſſe non poſſunt. ſalus enim reipublicae a tua ſalute pendet.

Et hortamur, et obſecramus] Tantum abeſt, vt remitti a te diligentia quidquam velimus, falſa ſit, vt et cupimus, et ſperamus, tua ſuſpicio: quia tamen tua cautio, noſtra cautio eſt, hortamur, et obſecramus, vt omni ratione tuam vitam ab omni periculo tuearis, atque defendas.

Subeſſe] Latere: vt in epiſtola Planci lib. X. Fam. 18. *Non poſſum non exhorreſcere, ſi quid intra cutem ſubeſt vulneris, quod prius nocere poteſt, quam ſciri, curarique poſſit.*

Laterum noſtrorum oppoſitus, et corporum] Vt ad tuum corpus nulla vis, niſi per corpora noſtra, peruenire poſſit.

CAPVT XI.

Maiores etiam habemus] Plus enim animus comprehendit, quam quod exſequi verbis liceat.

Stantibus omnibus] Stans enim ipſe hoc dicebat, ceteri ſedebant ſenatores. non neceſſe eſt, inquit,

inquit, vt omnes id, quod ego facio, ſtantes dicant; ſolus haec ex eorum voluntate dico.

Praecipue id a me fieri (haec abſunt ab Ern.)] Propter meam in illum ſingularem beneuolentiam.

Laetari omnes] Hoc ad illud refertur, *quod ipſi volant.* nam, quia laetantur; ideo volunt.

Praeterea (Ern. *praeter eum*) *quidem cederem nemini*] Quam ſententiam ſic expreſſit ad M. Marcellum lib. IV. epiſt. 7. *Hic te vnius ſollicitudines, unius etiam multae et aſſiduae lacrumae C. Marcelli, fratris optimi, deprecantur: nos cura et dolore proximi ſumus.* Et ad eundem epiſt. 9. *Mihi ſalus tua tantae curae eſt, vt Marcello, fratri tuo, aut par, aut certe proximus ſim.*

Hoc tempore] Nam ſi, dubia Marcelli ſalute, omnem ſollicitudinem, curam, laborem ſuſtinui: nunc, eo conſeruato, et reipublicae reddito, ſtatuo mearum eſſe partium, vt tibi gratias agam.

Ornato] Quae ornamenta a Caeſare acceperit, oſtendit his verbis in ea pro Ligario c. 3. *Qui ad me ex Aegypto litteras miſit, vt eſſem idem, qui fuiſſem: qui, cum ipſe imperator in toto imperio populi Romani vnus eſſet, eſſe me alterum paſſus eſt: a quo, hoc ipſo C. Panſa mihi nuncium perferente, conceſſos faſces laureatos tenui, quoad tenendos putaui: qui mihi tum denique ſe ſalutem putauit reddere, ſi eam nullis ſpoliatam ornamentis redderet.*

Ad tua in me vnum innumerabilia merita] Vis eſt in ſingulis verbis. primum, *merita*, vocat; quae maiora ſunt, quam ſtudia, officia, beneficia: deinde addit, *innumerabilia:* poſtremo, *in me vnum.* haec augeri non videntur poſſe, augentur tamen ſubiectis verbis, *maximus cumulus acceſſerit.* non enim aliquid, ait, acceſſiſſe, ſed cumulum, nec ſimpliciter cumulum, ſed maximum. Eodem id pertinet, *quod fieri iam poſſe non arbitrabar.* Nec illud ſine iudicio prolatum, *hoc tuo facto.* nam, *hoc tuo merito*, languidius eſſe videbatur, praeſertim cum dixiſſet, *ad tua in me vnum innumerabilia merita;* quae Marcelli ſalute vehementer aucta ſignificat.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM
PRO
Q. LIGARIO

ARGVMENTVM

Ipſa Ciceronis verba argumentum ex magna parte ſuppeditant. ſic enim c. 1. incipit narrare: Q. Ligarius, cum eſſet adhuc nulla belli ſuſpicio, legatus in Africam cum proconſule C. Conſidio profectus eſt: qua in legatione et ciuibus, et ſociis ita ſe probauit, vt decedens Conſidius prouincia, ſatisfacere hominibus non poſſet, ſi quemquam alium prouinciae praefeciſſet. Itaque Q. Ligarius, cum diu recuſans nihil profeciſſet, prouinciam accepit inuitus: cui ſic praefuit in pace, vt et ciuibus, et ſociis gratiſſima eſſet eius integritas et fides. Bellum ſubito exarſit: quod, qui erant in Africa, ante audierunt geri, quam parari. quo audito, partim cupiditate inconſiderata, partim caeco quodam timore, primo ſalutis cauſſa, poſt etiam ſtudii ſui, quaerebant aliquem ducem. tum Ligarius domum ſpectans, et ad ſuos redire cupiens, nullo ſe implicari negotio paſſus eſt. Interim P. Accius Varus, qui praetor Africam obtinuerat, Vticam venit. ad eum ſtatim concurſum eſt. Atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium, ſi illud imperium eſſe potuit, quod ad priuatum, clamore multitudinis imperitae, nullo publico conſilio deferebatur. Itaque Ligarius, qui omne tale negotium cuperet effugere, paullum aduentu Vari conquieuit. *Haec ille. Sed ante Vari aduentum, ſortitus ex ſenatus conſulto Africam prouinciam, initio belli ciuilis, L. Aelius Tubero, Q. Tuberonis accuſatoris pater, ſerius in Africam venit, a Varo iam occupatam. Varo deuicto, cum reliquis Pompeianarum partium ducibus, qui bellum renouauerant, exſul aliquandiu Ligarius procul a patria vixit. quo tempore Q. Tubero, Caeſaris clementia ſimul cum patre reſtitutus, accuſauit eum de vi, cum tamen nihil aliud obiiceret, quam cum in Africa Caeſarianis partibus inimicum fuiſſe. quamquam odii Tuberonis*

nis in Ligarium cauſſam eſſe conſtaret, quod receptus in Africam non eſſet, vel a Ligario iuſſu Vari imperatoris, vt haec oratio ſignificare videtur, vel ab ipſo Varo, vt lib. I. de bell. ciu. c. 31. auctor eſt Caeſar. Defendit Ligarium Cicero tanta vi et animi, et ingenii, vt iratus Ligario Caeſar, ei tamen, eloquentia victus, ignouerit, auctore Plutarcho in Cicerone. Habita oratio eſt iisdem coſſ. quibus ea pro Marcello: quod ipſa declarat c. 12. De die non conſtat: quamquam eruditi, et exquiſitae diligentiae viri habitam credunt ad II. Kal. interkalares, adducti in hanc ſententiam teſtimonio Ciceronis epiſtolae ad Ligarium, lib. VI. Fam. 14. in qua ſunt haec: Cum ad II. Kal. interkalares priores, rogatu fratrum tuorum, veniſſem mane ad Caeſarem, atque omnem adeundi et conueniendi illius indignitatem et moleſtiam pertuliſſem: cum fratres et propinqui tui iacerent ad pedes, et ego eſſem locutus, quae cauſſa, quae tuum tempus poſtulabat: non ſolum ex oratione Caeſaris, quae ſane mollis et liberalis fuit, ſed etiam ex oculis et vultu, ex multis praeterea ſignis, quae facilius perſpicere potui, quam ſcribere, hanc in opinionem diſceſſi, vt mihi tua ſalus dubia non eſſet. *Quae ego verba perpendens, et cum ipſa oratione conferens, diuerſa tempora ſignificari plane video. De Ligarii cauſſa, priuatim intra domeſticos parietes apud Caeſarem acta, licet ex his verbis coniicere:* Cum, rogatu fratrum tuorum, veniſſem ad Caeſarem, atque omnem adeundi et conueniendi illius indignitatem et moleſtiam pertuliſſem. *Quae pertinent ad impetrandum Ligario reditum ex Africa, non ad eum liberandum illo crimine, quo reus factus erat a Tuberone. de quo crimine, non domi Caeſar, ſed in foro tamquam iudex audiebat. inde illa verba c. 5.* Quanto hoc durius, quod nos domi petimus, id a te in foro oppugnari, et in tali miſeria multorum perfugium miſericordiae tollere?

EXPLANATIO

CAPVT I.

Nouum crimen, C. Caeſar, et ante hunc diem inauditum] Totum exordium ironia conditum eſt, ad infirmandam accuſatoris contentionem. qui, quod obiiceret Ligario, hoc vnum attulerat, fuiſſe in Africa in partibus Pompeii. Vidit, et notauit artificium Quinctilianus lib. IV. c. 1. et lib. XI. c. 3. ego, ſingula verba vt oſtendam, in quibus ironia eſt, operam dabo. Prima ſunt, *nouum crimen, et ante hunc diem inauditum.* aut enim crimen nullum eſt, in Africa fuiſſe; aut eiusmodi, vt exſilii poena ſatis ſit; quod autem praeter exſilium Tubero quaerit, et iudicio ac ſententia tua, Caeſar, conſequi vult, id priuati odii, ſummae iniuſtitiae, ſummaeque crudelitatis argumentum eſſe videatur.

Propinquus meus] Affinis, non cognatus: vt infra c. 7. patet. Propinquitatem appellat: ne cum inimico homine diſputare videatur; et vt eo maior orationi fides accedat; quod Ligarii innocentiam, et cauſſae bonitatem propinqui-

pinquitati Tuberonis anteponendam cenſuerit.

Ad te] Cuius maxima poteſtas eſt: quaſi maxima res agatur, et nouum quoddam inauditumque ſua diligentia repererit. huc illud ſpectat, quod paullo poſt per ironiam ſubiicitur: *diligentia inimici inueſtigatum eſt, quod latebat.*

In Africa fuiſſe] Quod cuiusmodi ſit, ex eo liquet, quia tu multis iam, qui et in Pharſalia, et in Africa contra te dimicarunt, vitam tamen, et patriam reddidiſti; aut eis praeter exſilium, nullam poenam impoſuiſti.

C. Panſa] Vibiae gentis, plebeii generis.

Fretus fortaſſe] Perſpicua ironia: quaſi confiteri non eſſet auſus, niſi illa familiaritas, quae eſt ei tecum, animum illi dediſſet.

Auſus eſt] Tamquam de atroci, occultaue re. quis enim negat? aut quis ignorat?

Quo me vertam, neſcio] Quid dicam, non habeo. Fingit, obiecto, et probato nouo crimine, ereptam ſibi facultatem ea dicendi, quae domi commentatus erat.

Paratus enim veneram] Qui neſcire te putarem, in Africa Ligarium fuiſſe, defenſionis meae ſpem in tua ignoratione collocabam: nunc quando crimen hoc Ligarii accuſator ad te detulit, idque C. Panſae teſtimonio probauit; quo me vertam, neſcio.

Cum tu id neque per te ſcires, neque audire aliunde potuiſſes] A contrario ſenſu. nam et per ſe Caeſar id ſcire, et aliunde audire potuit. perſpicua igitur ironia.

Inueſtigatum eſt] Tamquam aliquid occultum: quod tamen et per ſe facile ſcire, et aliunde intelligere potuit.

Vt opinor] Hoc addit, tamquam confiteretur inuitus id, quod negare non poſſet propter Panſae teſtimonium: cum tamen ſignificet, Panſae teſtimonium in re manifeſta, Caeſarique notiſſima neceſſarium non fuiſſe.

Omiſſaque controuerſia] Ad quam paratus veneram.

Omnis oratio ad miſericordiam tuam conferenda eſt] Cum tanti criminis defenſionem nullam inveniam.

Non ſolum (*ſolum* abeſt ab Ern.) *liberationem culpae*] Non ſolum quia iudicaueris eos carere culpa, ſed ſi quos etiam erraſſe iudicaſti. conſeruare enim eum, qui culpam non commiſerit, cuius miſericordiae eſt? eum vero, qui commiſerit, miſericordiae ſummae laus eſt.

Sed errati veniam] Diſtinguit erratum a culpa, vt minuat peccatum ſuum, aliorumque, qui pro Pompeio pugnauerant. *erratum* enim appellat, non culpam. Ad hanc ſententiam pertinet illud pro Marcello c. 5. *Omnes enim, qui ad illa arma fato ſumus neſcio quo reipublicae miſero funeſtoque compulſi, etſi aliqua culpa tenemur erroris humani, a ſcelere certe liberati ſumus.* Quo loco non ſimpliciter *culpam* vocat, *ſed aliquam culpam* et *erroris humani*, in quem homines incidere omnes poſſunt. Ibidem paullo poſt *ignorationem* vocauit, et *metum*. *Non ille*, inquit, *hoſtes induxit in curiam, ſed iudicauit, a plerisque ignoratione potius, et* [illegible] *inani metu, quam cupiditate, aut crudelitate bellum eſſe ſuſceptum.*

Qua

Qua te, Tubero] Aut igitur Ligarii crimen non eſt, in Pompeii partibus fuiſſe: aut, ſi eſt, commune tecum eſt, et cum patre tuo. itaque ſi Ligarii crimen illud non eſt, accuſari eum non oportet: ſi eſt, accuſator eſſe tu certe non debes: niſi ſi te quoque, patremque tuum, ſimul cum eo condemnari vis.

De veſtro delicto] *Delicti* vocabulum graue, *culpae* leuius eſt. confert igitur in Tuberones delictum, in Ligarium culpam.

Vllam culpam] Nam ſi culpa Ligarii eſt, in Africa fuiſſe; minor fit, quia, cum vellet, discedere non potuit: quod infra dicitur.

Cum eſſet adhuc (*adhuc* ab Ern. abeſt) *nulla belli ſuſpicio*] Incipit liberare Ligarium culpa, qui profectus in Africam ſit, non, vt eius accuſator Tubero, exorto ciuili bello, ſed cum adhuc nulla belli ſuſpicio eſſet.

In Africam] Maritimam Africae partem, quae prouincia erat populi Romani.

Cum proconſule (*proconſule* abeſt ab Ern.) *C. Conſidio*] Conſidius hic conſul numquam fuit, et *proconſul* tamen vocatur; quia proconſulari imperio poſt praeturam in Africam iuiſſet. nec pauci praeterea, nullo geſto conſulatu, *proconſules* appellantur.

Ciuibus] In Africa negotiantibus, vt in ceteris prouinciis.

Decedens] Annuo imperio abſoluto.

Hominibus] Vniuerſae prouinciae, et ſociis, et ciuibus.

Quemquam alium] Quaeſtor enim relinqui ſolebat, qui honore legatis praeſtabat. propterea, cum Q. Thermus praeficere legatos] potius, quam quaeſtorem, prouinciae vellet, conſilium improbans, ad eum Cicero lib. II. Fam. epiſt. 18. ſcripſit his verbis: *Mihi magis magisque quotidie de rationibus tuis cogitanti, placet illud meum conſilium, quod initio Ariſtoni noſtro, vt ad me venit, oſtendi: graues te ſuſcepturum inimicitias, ſi adoleſcens potens, et nobilis a te ignominia affectus eſſet. et hercle ſine dubio erit ignominia. habes enim neminem honoris gradu ſuperiorem. Ille autem, vt omittam nobilitatem, hoc ipſo vincit viros optimos, hominesque innocentiſſimos, legatos tuos, quod et quaeſtor eſt, et quaeſtor tuus.*

Integritas et fides] *Integritas*, in omni re: *fides*, in tuenda iuſtitia. iuſtitiae enim fundamentum eſt fides: vt lib. I. de Offic. c. 7.

Exarſit] Proprie de bello, quo tamquam flamma conſumuntur omnia. itaque ad Tironem lib. XVI. Fam. epiſt. 11. *incidi*, inquit, *in ipſam flammam ciuilis discordiae, vel potius belli.*

Quod, qui erant in Africa, ante audierunt geri, quam parari] Non igitur in Africa remanſit Ligarius, vt Caeſaris partes oppugnaret.

Cupiditate inconſiderata] Gerendi belli.

Caeco quodam timore] Timebant Caeſarem, ſed, cur timerent, cauſſae nihil videbant. de qua re dixit pro Marcello c. 5. *falſo, atque inani metu.*

Salutis cauſſa (*cauſſa* abeſt ab Ern.)] Quod a Caeſare timerent.

Studii ſui] Cupiditatis belli gerendi. iterat enim, quod dixerat, *cupiditate inconſiderata.*

Domum ſpectans] Non vt ad bellum iret, ſed vt in patria remaneret.

maneret. quod qui fecere, Caeſar eos amicorum, Pompeius hoſtium numero duxit. auctor Suetonius in Iulio c. 75. et Cicero ipſe in epiſtolis. Gratiam igitur Caeſaris aucupatur, cum dixit, *domum ſpectans, et ad ſuos redire cupiens;* vt ſignificet, eandem illi mentem fuiſſe, quae fuit fratribus eius, qui in patria remanſerunt ciuilibus armis abſtinentes.

Nullo ſe implicari negotio paſſus eſt] Cum dux eſſe poſſet.

P. Accius (Ern. *Atius*) *Varus*] Varus hic cum Sex. Pompeio, et Labieno ex Africana pugna, deuictis Scipione, Pompeii ſocero, et Iuba Mauritaniae rege, in Hiſpaniam profugit: vbi, renouato ſimul cum Pompeii liberis bello, Mundenſi proelio a Caeſare victus interiit. *Accius*, hic ſcribo ex antiquis libris. Attii autem ſunt, quibus Balbi cognomen fuit: et Auguſti mater Attia, M. Attii Balbi filia, ita ſcribitur: de quo diximus Phil. III. c. 6.

Qui praetor Africam obtinuerat] Qui praetoriae prouinciae praeeſſet, et *praetor*, et *propraetor* dicebatur: *proconſul* etiam interdum, vt paullo ante oſtendimus.

Ad eum ſtatim concurſum eſt] Quia iam antea eidem prouinciae praefuerat.

Arripuit imperium] Quo imperio poſtea praefuit legionibus, et cum Iubae regis copiis fudit exercitum C. Curionis.

Nullo publico conſilio] Tubero enim ex ſenatus conſulto ſortitus erat Africam, ſed tardius venit, prouincia iam a Varo occupata. de quo infra c. 7. *Vna eſt profectus cum iis, quorum erat vna cauſſa: tardius iter fecit. Itaque in Africam venit iam occupatam.*

Paullum conquieuit] Non, omnino conquieuit, mutata ſententia, ſed, *paullum conquieuit;* nec ſua ſponte, ſed, *aduentu Vari*, qui et imperium, et faſces repente arripuerat: vt ei tamquam proconſuli parere cogeretur.

CAPVT II.

Omni culpa vacat] Cum et iuerit in prouinciam, nulla ſuſpicione belli; et remanſerit inuitus; et, cum dux quaereretur, nullo ſe tamen implicari negotio ſit paſſus.

Vt ei pacem eſſe expediret] Male enim qui ſe geſſerunt, iis bellum expedit eſſe potius, quam pacem.

Neceſſitatem] Quia, cum decedens Conſidius eum Africae praeponeret, diu recuſans, proficere nihil potuit.

Honeſtam] Quia proconſuli ſuo paruit, praeſertim efflagitante prouincia.

An ille ſi potuiſſet illinc vllo modo euadere] Argumentum a veriſimili. aeque enim vtitur orator veriſimilibus, atque veris.

Ipſa legatio] Ante bellum adminiſtrata.

Deſiderii] Quia fratribus haud libenter careret.

Sollicitudinis] Ortae ex deſiderio, quod erat maximum. non enim omnia deſideria cum ſollicitudine ſunt.

Alienae a te voluntatis] Nedum odii et inimici animi, vt obiicit accuſator.

Cum prodo meam] Meam cauſſam. videor enim prodere, cum in ea voluntate me fuiſſe confiteor,

teor, in qua Ligarium fuiſſe nego, me ſcilicet accuſans, illum excuſans.

O clementiam admirabilem] Propter ſuam confeſſionem dicit, non propter vllam Ligarii culpam: in quo nullum fuiſſe ſignum alienae a Caeſare voluntatis, iam dixit.

Omni laude] Diuidit laudem in tria genera, *praedicationem*, id eſt, vocem; *litteras*, id eſt, ſcripta; *monumenta*, id eſt, ea, quae laudis memoriam quam diutiſſime conſeruant. vt aedificia, ſimulacra, tropaea, arcus, et ſimilia.

M. Cicero] Tertia perſona, quae haec dicat, maiorem habet vim, quam ſi prima eadem dicat.

Nec tuas tacitas cogitationes extimeſcit] Non timet, vt ei tacitus iraſcare.

De alio] De Q. Ligario.

Occurrat] In mentem veniat. poteſt enim tibi in mentem venire, dum Ligarium defendo, me quoque vnum ex iis fuiſſe, qui tuam cauſſam improbauerint.

CAPVT III.

Liberalitatis] Benigni, clementisque animi.

Et ſapientiae] Ne parum conſiderata liberalitas fuiſſe videatur, *ſapientiae* nomen addit. ſic pro Marcello c. 6. *Toties de incredibili liberalitate, toties de ſingulari ſapientia tua cogitabis.*

Oboriatur] Verbum luci accommodatum: pro, ante oculos oriatur: vt pro Rabirio Poſt. c. 14. *Mors ob oculos ſaepe verſata eſt.*

Vt populus hoc Romanus exaudiat] Cauſſa igitur in foro agebatur, non intra domeſticos parietes.

Geſto etiam ex magna parte] Pulſo ex Italia Pompeio. nam in Italia Cicero non ſumſit arma contra Caeſarem. de quo ſic ad Tironem lib. XVI. Fam. epiſt. 12. *Ego adhuc orae maritimae praeſum a Formiis. Nullum maius negotium ſuscipere volui, quo plus apud illum meae litterae, cohortationesque ad pacem valerent.* Ad Caecinam lib. VI. epiſt. 6. *Susceptum bellum eſt, quieſcente me: depulſum ex Italia, manente me, quoad potui.* Et ad ipſum Caeſarem lib. IX. ad Attic. epiſt. 11. *Qui et illi ſemper, et ſenatui, cum primum potui, pacis auctor fui; nec, ſumtis armis, belli vllam partem attigi.*

Nulla vi coactus, iudicio meo (*meo* abeſt ab Ern.)] Quo maior culpa fuit. quam cum non diſſimulat, ſed ingenue fatetur, longe maiorem eſſe Caeſaris clementiam, quam ſuam culpam, ſignificat. quod eſt artificium conciliandae beneuolentiae.

Ante quam vidit] Poſt Pharſalicam pugnam.

Reipublicae reddidit] Rempublicam enim priuatis offenſionibus antepoſuit.

Eſſe me alterum paſſus eſt] Conceſſis faſcibus laureatis, inſignibus imperii.

Hoc ipſo C. Panſa] Qui aderat, vnus fortaſſe ex iudicum numero: vel aderat, vt Caeſaris familiaris. vix enim arbitror Caeſarem in foro, ex praetorum conſuetudine, de vi cum conſilio iudicaſſe. ſic de praeſentibus loquitur in ea pro Deiotaro c. 11. *Hoc Ser. Sulpicio, hoc T. Torquato.* c. 14. *Huic Bleſamio:* et in aliis orationibus.

Nullis ſpoliatam ornamentis] Pro Marcello, in fine: *Omnibus*

 me

me rebus a te non conſeruato ſolum, ſed etiam ornato.

Vide, quaeſo, Tubero, vt, qui de meo facto non dubitem dicere, de Ligarii non audeam confiteri] Senſus eſt: Vide, quaeſo, an veriſimile ſit, non audere me de Ligarii facto confiteri, qui de meo dicere non dubitem. cur igitur non confiteor? quia confiteri non debeo, quod non eſt. ego enim ad ea arma ſum profectus, quae ſumta erant contra Caeſarem: Ligarius autem tum in Africam iuit, cum adhuc belli ſuſpicio nulla eſſet. Conſidio decedente, manſit inuitus. exorto bello, nullo ſe implicari negotio paſſus eſt. id ſupra quoque c. 2. Cicero dicit his verbis: *M. Cicero apud te defendit, alium in ea voluntate non fuiſſe, in qua ſe ipſum confitetur fuiſſe.*

Cum de ſe eadem dicerem] Cum dicerem eum ad ea profectum fuiſſe arma, quae erant ſumta contra Caeſarem.

Induſtriae] In agendis cauſſis.

Gloriae] Quae naſcitur ex induſtria.

Propinquam cognationem] Miror, *cognationem*, appellari, cum dicat infra c. 7. *Militiae contubernales, poſt affines.* ſolet enim aliis in locis affinitas a cognatione diſtingui.

Ingenio ſtudiisque] *Ingenium* naturae bonum eſt; *ſtudia*, voluntatis.

Ad meum aliquem fructum] Talis enim cum ſit, aliquem ex eo fructum ſperare poſſum.

Redundare] Ex eo quod ſupereſt. ſic orat. II. in Rullum c. 1. *Plerique hoc perficiunt, vt tantum maioribus eorum debitum eſſe videatur, vnde etiam, quod poſteris ſolueretur, redundaret.* Nec tantum res ipſae, cum in magna copia ſunt, verum homines quoque, cum abundant rebus, *redundare* dicuntur, vt ad Appium lib. III. epiſt. 10. *Cum tu omnibus vel ornamentis, vel praeſidiis redundares: illi (vt leuiſſime dicam) multa deeſſent.*

Contra ipſum Caeſarem eſt congreſſus armatus] In Pharſalia: quod Ligarius non fecit, qui tantum in Africa fuit, arma non intulit.

Quid enim, Tubero, tuus ille diſtrictus (Ern. *deſtrictus ille tuus*) *in acie Pharſalica gladius agebat*] Hoc loco Caeſaris animum ita Cicero commouit, vt libellos, quos manu tenebat, eiecerit, quaſi ſe victum fateretur. Quinctilianus.

Qui ſenſus erat armorum tuorum] Explanatur ſequentibus verbis, *quae tua mens?* armis autem ſenſum tribuit amplificandi gratia, poëtico more.

Commoueri videtur adoleſcens] Cui ſimilia fortaſſe per aetatem audire nondum licuit.

CAPVT IV.

Quid autem aliud egimus, Tubero] Dat Tuberoni quaſi facultatem reſpirandi, cum eum proprio amplius non vrget crimine, ſed ſuum factum cum illius facto communicat.

Quorum igitur impunitas] Tuberones ſignificat, quibus, Pompeium ſecutis, Caeſar ignouerit. *Impunitas:* cum ipſe Q. Tubero, et pater eius, qui contra te pugnarunt, nulla affecti a te poena ſint.

Patris tui] L. Tuberonis.

Genus hoc cauſſae quod eſſet, non viderit] Non enim vidit, id a ſe agi hac in cauſſa, vt ciuis Romanus,

manus, nullo ſuo crimine, morte multetur. Id oſtenditur ſequentibus verbis.

Vt tu vis] Quia dicis eum contra Caeſarem arma ſumſiſſe.

Prodigiis ſimilia (Ern. *prodigii ſimile*] Quae perquam raro contingunt.

Sed vt necetur] Hoc prodigii ſimile. quis enim ante te contendit, vt ciuis Romanus necaretur?

Leuium Graecorum] Proprie leuitas tributa Graecis hominibus eſt: quos exagitat cum alibi, tum in oratione pro Flacco.

Italia prohibetur] Non modo Romae non eſt, neque cum ſuis viuit, ſed et tota prohibetur Italia.

Vita, vis] Mira vis in numero. ſolet enim Cicero, quae ſunt acerbiora, breuiter concludere: vt illud quoque proximum, *Italia prohibetur, exſulat.*

Apud eum dictatorem] Apud L. Sullam, qui proſcripſit inimicos ſuos.

Praemiis] Proſcripti enim ciues propoſito praemio necabantur. ita, praemii ſpe, multis quaerentibus, pauci necem effugere potuerunt.

Ab hoc (*hoc* abeſt ab Ern.) *eodem*] A C. Caeſare.

Vindicata eſt] Quia Sullanos multos Caeſar occidit, in iis Fauſtum, L. Sullae filium: et quia proſcriptorum a Sulla filiis, contra legem ab eo latam, facultatem reſtituit petendorum magiſtratuum. quo in numero fuit A. Hirtius, auctore Dione lib. XLV.

CAPVT V.

Parum attenditis] Notat imprudentiam et patris, et filii, qui, quod genus hoc cauſſae fuerit, non viderint.

Non videamini] Vos, vt arbitror, Ligarii mortem non quaeritis: quid refert? quaerere tamen videmini, cum ſic agitis. deſidero igitur prudentiam veſtram.

An ne ignoſcatur] An vt patria perpetuo careat? vt perpetuo exſulet? hoc vero ipſa morte multo acerbius, multoque eſt grauius.

Quod nos domi petimus] Vt rem ante oculos ponat, *petimus,* inquit, pro, *petiuimus.* non enim nunc domi petere poterant, cum in foro cauſſa ageretur. itaque ſubiicit paullo poſt: *Si, cum hoc domi faceremus, quod et fecimus, et, vt ſpero, non fruſtra fecimus.*

Precibus, et lacrumis proſtrati (Ern. *ſtrati*) *ad pedes*] Haec mouent ſingula; et cum dici videantur contra Tuberonem, ad ipſum tamen Caeſarem ſpectant: vt eorum precibus, et lacrumis commoueatur, qui proſtrati ad pedes eius, vt ignoſcat Ligario, petunt.

Huius humanitati] Maioribus in culpis cognitae, atque perſpectae.

Pugnabis] Cur tu, cuius ad humanitatem nos confugimus, eum crudelem eſſe vis? captat eodem tempore beneuolentiam Caeſaris, et in odium Tuberonem adducit.

Irrumpes] Vt eum impedias, ne quid proficiat.

Supplicum voce prohibebis] Supplicare nobis per te non licet, cum accuſas eum, cuius pro ſalute ſupplicamus.

Caue te fratrum, pro fratris ſalute obſecrantium, miſereat (Ern. *miſereatur*)] Pro, *obſecrantium miſereat,*

miſereat, ex eorum librorum auctoritate, quos Priſcianus ante mille annos habuit, quibus hodie ſimiles non habemus, lego, *precantium miſereatur.* ſic enim ille lib. VIII. *Miſeret, et, miſeretur, imperſonalia. Cicero pro Ligario:* Cauete fratrum, pro fratris ſalute precantium, miſereatur. *Vnde Terentius in Phorm.* Miſertum eſt.

In tali miſeria multorum] Multis cum Ligario exſulantibus.

Intelligo, quid loquar] Tacite ſignificat, ſocios eius victoriae non aeque lenes eſſe, ipſum autem ſua ſponte, adhortante nemine, lenem eſſe.

Cum etiam de victis reperiantur] Et hic, et in ſequentibus Tuberonem accuſat.

Hominis non eſſet] Homo non eſſet Tubero, ſi in tanto diſcrimine, et periculo ciuis, refellere, et coarguere noſtrum mendacium conaretur.

Si eſſet alicuius] Si concederetur, vt aliquis id faceret, tamen Tuberoni, qui in eadem cauſſa, et fortuna fuiſſet, non concederetur.

Aliud eſt errare Caeſarem nolle] In eo Tuberonis culpa minor eſſet, ſi noſtro mendacio falli, et errare Caeſarem nollet.

Aliud, nolle miſereri] Quod multo eſt iniquius.

Caue ignoſcas] Caue, tamquam a culpa: cum tamen miſericordia ſit virtus, et hominis maxime propria.

Citius] Potius, ſic enim interdum accipitur, vt lib. I. de Offic. c. 18. *Vicinum citius adiuueris in fructibus percipiendis, quam aut fratrem, aut familiarem.* Et Phil. II. c. 11. *Citius dixerim, iactaſſe ſe aliquos.*

Extorquebit] Vt inſitam, et naturalem. vtimur enim hoc verbo de rebus, quae non facile mouentur, vt, *extorquere clauam de manu Herculis.* cuius generis apud Ciceronem plurima.

CAPVT VI.

Scelere] Quaſi ſcelus fuerit, in Africa fuiſſe: cum tu, Caeſar, eos ipſos, qui contra te arma tulerint, ſcelere liberaueris. de quo ſic pro Marcello c. 5. *Omnes enim, qui ad illa arma fato ſumus neſcio quo reipublicae miſero funeſtoque compulſi, etſi aliqua culpa tenemur erroris humani, a ſcelere certe liberati ſumus.*

Vel quod de nullo alio quisquam] Ita locutus eſt.

Vel quod is, qui in eadem cauſſa fuiſſet] Subaudi, *ſcelus tamen appellauit.*

Vel quidnam noui facinoris afferret] Cum ita exorſus eſſet, velle ſe de Q. Ligarii ſcelere dicere. nouum enim facinus exſpectabas: cum tu Ligarium in Africa fuiſſe non ignorares, nec id ſcelus eſſe duceres.

Improuidas] Quid ageretur, ignorantes.

Diuina neceſſitate] Fatum refert ad deos: et, ſi quis *fatum* definire velit, recte dicet hoc exemplo, *diuina neceſſitas eſt.*

Liceat eſſe miſeros] Liceat per te, Tubero, in exſilio, ac miſeria Ligarium viuere: ſed, cum iſto modo agis, non licet: aliquid enim vltra exſilii miſeriam quaeris.

Quamquam hoc victore eſſe non poſſumus] Correctio, propter ſpem clementiae Caeſaris.

Non loquor de nobis] Cum dixerit, *hoc victore eſſe non poſſumus*, loqui viſus eſt de Pompeianis

ianis omnibus: hic diſtinguit, nec de omnibus loqui ſe ſignificat, cum Caeſar multos iam conſeruauerit, ſed de iis, qui occiderunt: quos ei conſeruare, vt ſceleris expertes, non licet.

Fuerint cupidi, fuerint irati] Iuerint ad bellum, quia res nouas cuperent; iuerint, quia tecum inimicitias gererent.

Fuerint pertinaces] Hoc in eos maxime confertur, qui bellum in Africa renouarunt.

Furoris, parricidii] Quae vocabula de patriae hoſtibus vſurpantur: vt exemplis intelligitur.

Cn. Pompeio] Non dubitat Pompeium, praeſente Caeſare, nominare, cum ipſe Caeſar numquam eum, niſi honorificentiſſime appellaret. de quo ad Caecinam lib. VI. Fam. epiſt. 6. *Admirari ſoleo grauitatem, et iuſtitiam, et ſapientiam Caeſaris. numquam, niſi honorificentiſſime, Pompeium appellat. At in eius perſona multa fecit aſperius. Armorum iſta, et victoriae ſunt facta, non Caeſaris.*

Niſi a te contumeliam propulſare] Quod eripi tibi diceres inimicorum iniuria beneficium, a populo Romano datum, id eſt, quod tibi non liceret abſenti alterum conſulatum petere, quemadmodum iuſſerat. Ad Caecinam: *Rationem haberi abſentis, non tam pugnaui, vt liceret, quam vt, quando, ipſo conſule pugnante, populus iuſſerat, haberetur.* Et lib. VIII. ad Attic. epiſt. 3. *Idem tertio conſulatu,* (loquitur de Pompeio) *poſtquam eſſe defenſor reipublicae coepit, contendit, vt decem tribuni plebis ferrent, vt abſentis ratio haberetur.* Et ad ipſum Caeſarem lib. IX. ad Attic. epiſt. 11. *Indicaui, eo bello te violari, contra cuius honorem, populi Romani beneficio conceſſum, inimici atque inuidi niterentur.* Et Caeſar ipſe lib. I. de bell. ciu. c. 9. *Doluiſſe ſe, quod populi Romani beneficium ſibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur, ereptoque ſemeſtri imperio, in vrbem retraheretur, cuius abſentis rationem haberi proximis comitiis populus iuſſiſſet.*

Vt ſuum ius tueretur] Ius populi Romani. multi enim ex iis, qui cum Caeſare militabant, ſuffragium tulerant in illa lege, quae abſenti Caeſari conſulatus petendi poteſtatem dabat.

Cum pacem eſſe cupiebas] Spretas a Pompeio Caeſaris de pace conditiones, hiſtoriae narrant. quod ipſe quoque Cicero non vno loco ſcriptum reliquit.

Si tot ſceleratos incolumi dignitate eſſe voluiſſes] Idem pro Marcello c. 5. *Non ille hoſtes induxit in curiam, ſed iudicauit, a plerisque ignoratione potius, et falſo atque inani metu, quam cupiditate, aut crudelitate bellum eſſe ſusceptum.*

Partim conſiliis, partim ſtudiis] *Conſiliis*, ſententiis: *ſtudiis*, voluntatibus. pro Marcello c. 10. *Diuerſae voluntates ciuium fuerunt, distractaeque ſententiae. non enim conſiliis ſolum, et ſtudiis, ſed armis etiam, et caſtris diſſidebamus.*

A communi vtilitate aberrantibus] Nam in vtraque parte fuerant, qui paci bellum praeferrent. Ad Tironem lib. XVI. epiſt. 11. *Incidi in ipſam flammam ciuilis diſcordiae, vel potius belli: cui cum cuperem mederi, et, vt arbitror, poſſem; cupiditates certorum hominum (nam ex vtraque parte ſunt, qui pugnare cupiant)*

cupiant) *impedimento mihi fuerunt omnino.*

Principum dignitas erat paene par] Caeſarem, et Pompeium ſignificat: et cum dicat, *paene*, relinquit in dubio, vtrius maior dignitas fuerit. nam ſi dixiſſet, *par*, Caeſaris fortaſſe animum offendiſſet: cum dicat, *paene par*, exiſtimare Caeſar poteſt, plus ſibi tribui, quam Pompeio. de iisdem pro Marcello c. 10. *Erat certamen inter clariſſimos duces.*

Non par fortaſſe eorum, qui ſequebantur] Hic certe Pompeianos Caeſarianis dignitate praefert. conſularis enim cum Caeſare, vt arbitror, nemo fuit, cum Pompeio multi, praeter ipſos conſules, et magiſtratus.

Tum dubia] Hominibus, non diis immortalibus: qui cauſſam Caeſaris probare magis viſi ſunt, quod eum vincere voluerunt.

Cognita vero clementia tua] Cui fortaſſe Pompeianorum, ſi viciſſent, ſimilis non fuiſſet.

CAPVT VII.

An vos (Ern. *vobis*) *in Africam non venire*] Vobis, Tubero, facilius fuit in Africam non venire, (quid enim coegit?) quam Ligario exire.

Cum parere ſenatui neceſſe erat] Nondum exorto ciuili bello.

Tunc paruiſtis] Suſcepto bello.

Veſtro generi] Antiquo, et nobili.

Nomini] Aeliorum.

Familiae] Tuberonum.

Diſciplinae] Qua eſtis ad laudem exculti.

Quibus rebus gloriemini in vobis] Vt, cum ſenatui vos paruiſſe gloriemini, Ligarium, quia paruerit, reprehendatis.

Tuberonis] Lucii, non Quinti, eius filii, qui tamquam patris iniuriam vlciſcens, Ligarium accuſauit.

Non adeſſet] In ſenatu.

Se (*ſe* abeſt ab Ern.) *excuſare*] Sibi per morbum in prouinciam exire non licere.

Cum L. Tuberone] Quinti patre.

Militiae] Bello Marſico. quo in bello miles eo anno Cicero fuit, quo tribunus militum Q. Hortenſius: vt in Bruto c. 89.

Etiam ſi aliter ſentiret] Medetur vulneri iam illato. nam ſupra dixerat, *vtrum exiſtimas facilius fuiſſe, Tubero, Ligarium ex Africa, an vos in Africam non venire?*

Ampliſſimi viri] Cn. Pompeii, hortantis, vt iret in Africam, et ſanctiſſimum reipublicae nomen opponentis.

Vel potius paruit] Correctio. nam, *cedere*, voluntatis eſt, *parere*, obſeruantiae.

Cum iis] Cum Pompeianis.

Tardius iter fecit] Propter morbum.

Iam occupatam] A P. Accio Varo.

Vel ira potius] Quia te Africa excluſerit.

Prohibere (*prohibere* abeſt ab Ern.) *illum voluiſſe*] Prohibitum Tuberonem a Varo, cuius erat imperium, non a Ligario, ſcripſit Caeſar lib. I. de bell. ciu. c. 31. *Tubero*, inquit, *cum in Africam veniſſet, inuenit in prouincia cum imperio Accium Varum, qui ad Auximum, vt ſupra demonſtrauimus, amiſſis cohortibus, protinus ex fuga in Africam peruenerat, atque eam ſua ſponte vacuam occupauerat, delectuque habito, duas legiones effecerat, hominum, et locorum notitia, et vſu eius prouinciae nactus aditus ad ea conanda,*

da, quod paucis ante annis ex praetura eam prouinciam obtinuerat. Hic venientem Vticam cum nauibus Tuberonem portu, atque oppido prohibet, neque affectum valetudine filium exponere in terram patitur; ſed, ſublatis anchoris, excedere eo loco cogit.

Vos] Patrem tuum, et te, qui cum eo profectus es.

Omnium prouinciarum arcem] Quod in ea ſummae vires.

Natam ad bellum contra hanc vrbem gerendum] Hoc dicit propter Punica bella.

Aliquem ſe imperatorem eſſe maluiſſe (Ern. *aliquem, maluiſſe*)] Quod in Ligarium Tubero conferebat: cum tamen, vt ſupra c. 1. demonſtratum eſt, penes Varum imperium eſſet, Ligarius autem negotium omne recuſaſſet.

Atque is tamen aliquis Ligarius non fuit] Argute: cum dixerit, *aliquem ſe imperatorem eſſe maluiſſe.* ſimiliter pro Deiotaro c. 13. *Nihil a me arbitror eſſe praetermiſſum, ſed aliquid ad extremam cauſſae partem reſeruatum. Id autem aliquid eſt, te vt plane Deiotaro reconciliet oratio mea.*

Dicebat] Nam re vera non habebat. ſupra c. 1. *Ille non mediocri cupiditate arripuit imperium, ſi illud imperium eſſe potuit, quod ad priuatum, clamore multitudinis imperitae, nullo publico conſilio deferebatur.*

Faſces] Quibus non vtitur extra vrbem, niſi qui imperium habet.

Quoquo modo ſeſe illud habet] Siue imperium Ligarius, ſiue Varus habuerit.

Veſtra] Patris et tua.

CAPVT VIII.

Eum] Ad patrem refertur, non ad filium.

Cuius id eum facere interfuit] Tua enim interfuit, prouinciam tibi Tuberonem tradere.

Eius conſilium] Si tibi traditurus prouinciam fuit.

Grata] Ideo grata fuiſſet, quia vtilis.

Probata] Ideo tibi non probata, quia parum honeſta.

Non tam, vt ne offendam tuas patientiſſimas aures] Non quia verear, ne tuas, quae patientiſſimae ſunt, aures offendam, ſi Tuberonis in tradenda tibi prouincia conſilium reprehendam. Hoc refertur ad illud: *Vide, quid licentiae, Caeſar, nobis tua liberalitas det, vel potius audaciae.*

Quod numquam cogitauit] Non modo non voluit; ſed ne cogitavit quidem.

Huic victoriae] Caeſaris.

Maxime infeſtam] Bellum enim renouauit.

Rex potentiſſimus] Iuba, quem Caeſar cum Scipione deuicerat.

Inimicus huic cauſſae] Cn. Pompeii beneficio, qui patrem eius Hiempſalem, Mauritaniae regem conſtituerat.

Aliena voluntas] Prouincialium.

Conuentus] Ciuium Romanorum, qui Pompeianis partibus fauebant.

Firmi atque magni] *Firmi*, ad opes, *magni*, ad multitudinem, refert.

Cum videam, quid feceritis] Video enim vos, Africa prohibitos, in Graeciam ad Pompeium iuiſſe.

Ad eum] Ad Pompeium.

Cuius auctoritatem ſecuti] Neque hoc artificio vacat. latenter enim id ſignificat: Auctoritas ampliſſimi viri, non cauſſa, vos ad belli ſocietatem adduxit.

Quae eſt ergo (Ern. *haec*) *apud Caeſarem querela*] Queri vobis apud Caeſarem de Ligario non licet, quia vos Africa prohibuerit. id eſt, quia fecerit, ne bellum in Africa contra Caeſarem gerere poſſetis. Cur eum, inquit, apud Caeſarem accuſatis, qui vos contra Caeſarem bellum gerere prohibuit, cum in Africam non recepit?

Etſi (Ern. *etiamſi*) *a Varo, et quibusdam aliis prohibiti eſſetis*] A Ligario, non a Varo prohibiti eſtis: ſed ſi prohibiti eſſetis a Varo, et quibusdam aliis Vari ſimilibus, tunc quoque concederem, vos prouinciam, niſi prohibiti eſſetis, Caeſari tradituros fuiſſe. id enim veriſimilius gloriari videremini: quia Varum Caeſaris inimiciſſimum fuiſſe, et contra ducem eius Curionem pugnaſſe, conſtat: idque de vobis Caeſar libentius audiret.

Confitebor] Vel cum mendacio, ſi vultis.

Tantae laudis occaſione] Occaſione tradendae Caeſari prouinciae. *Laudem* appellat ex perſona Tuberonum, qui videri vellent prouinciam ſe Caeſari tradituros fuiſſe: cum, id eos ne cogitaſſe quidem, perſpicue demonſtret.

CAPVT IX.

Conſtantiam] In tuenda Pompeii cauſſa.

Non commemorarem] Cum ea Tubero ſit vſus contra te.

Conſtantiam dico] Correctio rei parum explicatae. qua figura vſus eſt lib. I. in Verr. c. 17. *Dictum hoc eſt in Cn. Dolabellae iudicio. dictum? etiam aeſtimatum.* Pro Plancio c. 21. *Nihil eſt enim, mihi crede, Laterenſis, de te detractum: detractum dico? ſi mehercules vere, quod accidit, interpretari velis, eſt aliquid etiam de virtute ſignificatum tua.* Et ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Erat hoc mihi dolendum: ſed multo illud magis, quod inimicum meum, meum autem? immo vero legum, iudiciorum, otii, patriae, bonorum omnium, ſic amplexabantur*, etc.

Cum crudelitate eiectus (Ern. *reiectus*)] Simile illud ſupra c. 8. *Prohibiti eſtis in prouincia veſtra pedem ponere, et prohibiti, vt perhibetis, ſumma cum iniuria.*

Ne iratus] Iis partibus, a quibus prohibitus eſſet in prouincia ſua pedem ponere. non enim ideo, a Pompeianis eiectus, ad Caeſarem tranſiit.

Cauſſam illam] Pompeianam.

Quam ſecutus eſſet] Cum in Africam profectus eſt.

Iſta res] Iniuria, a Ligario vobis illata.

Nihil commouiſſet] Cum nullum Pompeius propter iſtam rem alienatae a Ligario voluntatis ſignum dediſſet; non tamen ideo vos minus acriter pro eo pugnaſtis.

In eum locum] In ipſa Pompeii caſtra. nam Cicero, cum in Pharſalia dimicatum eſt, abfuit, Dyrrhachii cum M. Varrone, et M. Catone commoratus. lib. I. de Diuin. c. 32.

Vbi tibi eſſet pereundum] Pro, vbi tibi pereundum putares. id enim erat timendum. quamquam ſecus accidit: nam victus eſt, nec tamen periit.

Vt nunc ſe res habet] Cognita Caeſaris liberalitate, et ſapientia.

Hanc ſalutem] A Caeſare acceptam.

Illi

Illi victoriae] De cuius crudelitate timebamus.

CAPVT X.

Conſtantiae veſtrae] In Pompeiana cauſſa.

Beneficii ſui] Erga vos, quorum conſtantiam non ignorabat. Auget Caeſaris clementiam, et ſimul Tuberones carpit, cum eos non poenitere conſtantiae ſuae dicit.

Si reipublicae] Eius, quae nunc eſt, et Caeſaris conſilio, ac ſapientia gubernatur.

Perſeuerantia] Contra hanc rempublicam.

Occupatus eſſe] Prolixa, et ex multis argumentis depromta defenſione: quam omitto, ſpem omnem reponens vel in humanitate, vel in clementia, vel in miſericordia tua.

Quidquid dixi] Defendendi cauſſa non dixi, ſed ſpectaui ſemper et naturam tuam, et perpetuam ignoſcendi conſuetudinem.

Dum te in foro tenuit] Antequam in Galliam Caeſar proficiſceretur.

Ratio honorum tuorum] Quia magiſtratus in eos a populo conferebantur, quorum agendis in foro cauſſis induſtria probata eſſet.

Si vmquam poſthac] Si poſthac errabit, ſi labetur, ne ignoſcite.

Animo et ſtudio] Licet re non oſtenderit.

Mihi] Qui me confiteor, nulla vi coactum, meo iudicio, ad ea profectum eſſe arma, quae ſumta erant contra te.

CAPVT XI.

Apud te cauſſas rogantium valere plus, quam preces] Idem ſcripſit ad Ampium Balbum lib. VI. Fam. epiſt. 12. *Valent tamen apud Caeſarem non tam ambitioſae rogationes, quam neceſſariae.*

Sabinos] Aut in Sabinis natus erat Ligarius, aut e Sabinis originem ducebat.

Nos, omnes aduerſarios putare, niſi qui nobiſcum eſſent: te omnes, qui contra te non eſſent, tuos] Id etiam Suetonius in Iulio c. 75. ſcriptum reliquit.

Qui tecum fuerunt (Ern. *tecum fuiſſe*)] Ex antecedentibus et ſequentibus intelligitur, *qui tecum fuerunt*, hic dici non de iis, qui eum ſecuti ſunt ad bellum, ſed de Q. Ligarii fratribus, deque eius auunculo T. Broccho, et aliis, ſupra nominatis, qui, ſuſcepto ciuili bello, domi remanere, quam alterutram partem ſequi, maluerunt. nam eos aeque ſuos Caeſar appellabat, atque illos, qui cum eo in bello fuerant. dixit enim ſupra: *Te enim dicere audiebamus, nos omnes aduerſarios putare, niſi qui nobiſcum eſſent: te omnes, qui contra te non eſſent, tuos.* Eos autem ſignificari, qui domi remanſerant, ſequentibus quoque verbis ita conſtat, vt dubitare prorſus nemo poſſit.

His maxime (*maxime* abeſt ab Ern.) *iraſcebamur*] Quia ſcilicet noſtrum conſilium ſecuti non eſſent.

Hos requirebamus] Non, *requirebamus*, vt eos occideremus: ſed, abſentes accuſabamus. quo modo dicitur, *prudentiam tuam requiro:* quia ſcilicet eam non video.

Minabantur] Auget in ſingulis verbis, *iraſcebamur, requirebamus, minabantur.* idem ſcripſit ad Varronem lib. IX. Fam. epiſt. 6. *Extremum malorum omnium eſſe ciuilis belli victoriam:* quam

quam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos veneramus. Crudeliter enim otioſis minabantur: eratque iis et tua inuiſa voluntas, et mea oratio.

Tuis] Iis, qui domi remanſerunt.

Hoc] Omnes, qui contra te non eſſent, tuos fore.

CAPVT XII.

Tecum iudicares fuiſſe] Id eſt, domi remanſiſſe. ſic enim et ſupra c. 11. locutus eſt.

In eadem ſententia] Remânendi in vrbe Roma.

Paene conflatum] Paene ſimul genitum, ita ſimilem, vt ea, quae ſimul conflantur. translatio eſt ex eodem fonte ducta. nam, *ſpirare*, et *flare*, idem ſunt.

Sententias, voluntatesque (Ern. *fortunasque*) *ſequerentur*] Idem ſenſiſſent, idem voluiſſent omnes. ſimiliter pro Marcello c. 10. *Diverſae voluntates ciuium fuerunt, distractaeque ſententiae.*

Tempeſtate] Aduerſa fortuna, quia domum redire non potuit, repentino bello oppreſſus.

Conſilio] Aliena a te voluntate.

Equidem] Hactenus de Caeſaris clementia: nunc de grati animi laude. vt hoc etiam argumenti genere eius animum commoueat.

Animi] Magni animi, qui obliviſcitur iniurias.

Ingenii tui] Sapientiae. quae laudem et fructum ponit in oblivione iniuriarum.

De aliis quibusdam quaeſtoribus] Qui tibi aduerſati ſunt, initio ſcilicet ciuilis belli.

Vt tu eum ſtudioſum (Ern. *tui*)] Aut deeſt, *tui:* aut legendum, *vt tui eum ſtudioſum.*

Vtrisque his] Deprecantibus.

Reipublicae] Quae ſimul cum his omnibus deprecatur.

Noli dubitare] Nihil te remoretur: nulla res, nulla ſuſpicio, nulla ratio tanti apud te ſit, vt a ſimili te laude remoueat.

Miſericordia] Quae nihil eſt aliud, quam bonitas.

Salutem hominibus dando] Deorum enim propria beneficentia eſt: quam cum homines imitantur, deorum ſimiles videri poſſunt.

Quam vt velis] Quae tua laus eſt. nam, *poſſe*, ad fortunam refertur.

Tua certe natura] Ad ignoſcendum, et conſeruandum propenſa.

Te ipſum loqui tecum] Te conſilium capere a te ipſo. ſic ad Curionem lib. II. Fam. epiſt. 7. *Tecum loquere: te adhibe in conſilium: te audi: tibi obtempera. alteri qui melius dare conſilium poſſit, quam tu, non facile inueniri poteſt: tibi vero ipſi certe nemo melius dabit.*

Tantum te (Ern. *ipſum*) *admonebo*] Admonentur homines iis de rebus, quas non cogitant. Admonebo, inquit, te, Caeſar, quod tu fortaſſe non putas, ita Q. Ligarium his omnibus, qui pro eo deprecantur, carum eſſe, vt ſuam ſalutem in illius ſalute poſitam arbitrentur.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
ORATIONEM
PRO
DEIOTARO REGE

ARGVMENTVM

Magnae vires, copiaeque populi Romani, bellica in primis virtute partae: nec minor clementiae, fidei, iuſtitiae, quibus virtutibus parta retinentur, apud omnes gentes opinio, ſamaque fuit. nihil eſſe tam firmum putabatur, quod Romanis armis, potentiaeque non cederet. nulla tam remota gens, nulla tam barbaris moribus, tamue ſuis confidens opibus natio, quae non vim extimeſceret, humanitatemque diligeret, nec praeſidii ſolum, ſed ornamenti etiam in amicitia et ſocietate populi Romani plurimum conſtitueret. Reges ipſi, quorum in terris apud omnes gentes magnum, atque ſanctum nomen eſt, ſuam maieſtatem poſteriorem populi Romani maieſtate ducebant: nec ſibi quisquam, qui ſuis modo fortunis conſultum optime vellet, regnare prius videbatur, quam a ſenatu rex et ſocius eſſet appellatus. Hunc honorem primus, vt arbitror, Syracuſarum rex Hiero, poſt eum Numidiae Maſſaniſa, tum Eumenes, et frater eius Attalus, Aſiae, alii deinde, Nicomedes Bithyniae, Cappadociae Ariobarzanes, Ptolemaeus Apio Cyrenarum, Hiempſal, Iubae pater, Mauritaniae, Ptolemaeus Auletes Aegypti, Deiotarus Galatiae, conſecuti ſunt. Et vt ipſi acceptas interdum a finitimis regibus, aut nationibus iniurias, populi Romani armis vlciſcebantur: ſic eorum copiis, vbi graue bellum vrgeret, populus Romanus vtebatur. quo in officio promtior, fidelior, conſtantior Deiotaro rege, quamdiu vixit, nemo fuit. ille Mithridatico, ille Parthico bello ad extremam vsque ſenectutem pro republica pugnauit. ciuili bello Caeſaris et Pompeii, cum alterutram ſequi partem cogeretur, ſecutus eſt eam, in qua cum et ſenatus paene cunctus, et conſules ipſi, et magiſtratus reliqui eſſent, ipſa quoque ſimul eſſe reſpublica videbatur. inde Caeſar iratus, confecto Alexandrino bello, Pharnace Ponti rege, Mithridatis filio, deuicto, et regni

partem,

partem, et Armeniam ei minorem, a ſenatu antea donatam, ademit. reliqua, propter ſuperiora in rempublicam merita, conceſſit. Quo tempore cum apud eum diuerſaretur, nullam humanitatem, nullum obſequii, officiique genus rege praetermittente; occaſio male animatis erga Deiotarum viſa peridonea eſt criminis confingendi, quaſi Caeſarem quodam die, ſi in balneum iuiſſet, occidere cogitaſſet. nec tamen ſtatim, ſed biennio poſt, abſoluto ſcilicet Hiſpanienſi bello, crimen illud Romam ad Caeſarem detulerunt, libenter auditurum ſperantes, quidquid in eum, a quo ciuilibus armis laeſus eſſet, vere falſoue diceretur. Accuſarunt regem nepos ex filia Caſtor, et a Caſtore corruptus Phidippus medicus, eiusdem regis ſeruus, qui cum legatis Romam venerat: defendit vnus Cicero. Habita videtur oratio Q. Fabio Max. C. Trebonio coſſ. cum Caeſar IV. conſul primis diebus Octobris menſis ex Hiſpania triumphaſſet, depoſitoque conſulatu, Fabium et Trebonium in tres nouiſſimos anni menſes ſuffeciſſet, auctoribus Suetonio in Iulio c. 80. et Dione lib. XLIII.

EXPLANATIO

CAPVT I.

Cum in omnibus cauſſis grauioribus, C. Caeſar, initio dicendi commoueri ſoleam vehementius, quam videtur vel vſus, vel aetas mea poſtulare: tum in hac cauſſa ita me multa perturbant, vt, quantum mea fides ſtudii mihi afferat ad ſalutem regis Deiotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat] Exorditur a timore ſuo, non temere, ſed eo conſilio, vt laboranti vel iuſtitia Caeſaris, vel clementia ſubueniat. timoris autem cauſſas quinque ponit, vnam naturae, cum, initio dicendi omnibus grauioribus cauſſis commoueri ſoleat: alteram a iudicii nouitate ortam, cum pro rege dicat; quod antea numquam contigerit: tertiam ab accuſatorum crudelitate, et indignitate; quorum alter nepos auum in iudicium adduxerit, alter ſeruus in dominum teſtimonium dicat: quartam ab ipſo Caeſare, qui de ſuo periculo iudex audiat: quintam a loci ipſius inſolentia, quod cauſſam omnium grauiſſimam intra domeſticos parietes dicat, non, vbi antea ſolebat, in foro, quo loco magnam dicenti alacritatem populi Romani concurſus afferret. Haec de re: verba perpendamus. *In omnibus cauſſis grauioribus.* Vitioſus enim in leuioribus cauſſis timor eſſet. *Initio dicendi commoueri ſoleam.* Quod, quia pudentis, ingenuique animi ſignum eſt, in confeſſione laudem habet potius, quam vituperationem. propterea cum aduerſus Caecilium de loco Verris accuſandi diſputaret, in Diuin. c. 13. *ego,* inquit, *qui, ſicut omnes ſciunt, in foro iudiciisque ita verſor, vt eiusdem aetatis aut nemo, aut pauci plures cauſſas defenderint; et qui omne tempus, quod mihi ab amicorum negotiis datur, in his ſtudiis, laboribusque conſumam, quo paratior ad vſum forenſem, promtiorque eſſe poſſim: tamen ita deos mihi velim propitios, vt,* cum

cum illius diei mihi venit in mentem, quo die, citato reo, mihi dicendum ſit, non ſolum commoveor animo, ſed etiam toto corpore perhorreſco. Huius timoris cauſſam affert lib. I. de Orat. c. 26. ex perſona L. Craſſi, ita dicentis: *Mihi etiam quique optime dicunt, quique id facillime atque ornatiſſime facere poſſunt, tamen, niſi timide ad dicendum accedunt, et in exordienda oratione perturbantur, paene impudentes videntur, tametſi id accidere non poteſt. Vt enim quisque optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem, variosque euentus orationis, exſpectationemque hominum pertimeſcit. Qui vero nihil poteſt dignum re, dignum nomine oratoris, dignum hominum auribus efficere, atque edere; is mihi, etiam ſi commouetur in dicendo, tamen impudens videtur. Non enim pudendo, ſed non faciendo id, quod non decet, impudentiae nomen effugere debemus. Quem vero non pudet, id quod in plerisque video, hunc ego non reprehenſione ſolum, ſed etiam poena dignum puto. Equidem et in vobis animaduertere ſoleo, et in me ipſo ſaepiſſime experior, vt exalbeſcam in principiis dicendi, et tota mente, atque omnibus artubus contremiſcam. Adoleſcentulus vero ſic in initio accuſationis exanimatus ſum, vt hoc ſummum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuo conſilium dimiſerit, ſimul ac me fractum, ac debilitatum metu viderit. Vſus.* Nam ita natura comparatum, vt noua et inſolita re commoueamur, vſu cognita, et ſaepe tractata non item. *Aetas.* Rudem enim in agendo adoleſcentem commoueri initio dicendi, mirum non eſt: nec ſolum in eo non reprehenditur, verum etiam, vt aetatis ornamentum, probique ſignum ingenii, laudatur pudor. *Multa.* Infra c. 2. explicata, noua omnia, vnde timor oritur. *Mea fides.* Cum Deiotarum defendendum ſusceperim, cui deeſſe non debeo. *Studii.* Plus eſt, quam *voluntatis.* multa enim ſine ſtudio volumus: vbi vero ſtudium, ibi voluntas maxima. *Ad ſalutem regis Deiotari defendendam.* Singula pondus habent. tacite enim hoc dicit. Vnde naſcitur ſtudium meum? non ex leui quapiam re, ſed e ſalute hominis: at cuius hominis? non priuati, ſed regis: at cuius regis? non eius, quem regium modo nomen commendet, ſed eius, qui perpetuis in rempublicam meritis excellit. is enim Deiotarus eſt. Quae te quoque, C. Caeſar, commouere, tuamque mihi, pro rege bene de republica merito dicenti, conciliare beneuolentiam debent. *Facultatis.* Aequare fidem timore imminuta facultas non poteſt. *Detrahat.* Contrarium contrario refert. oppoſita enim, *afferat, detrahat.* in quibus eſt animadvertendum, quod omitterem, ſi doctis tantum ſcriberem: ſed quia rudiorum aliqua interdum habenda ratio eſt, in iis praeſertim, quae ad Latinae linguae proprietatem ſpectant; operae non parco, quaeque fortaſſe multi ſublimia tantum intuentes reſpuant, ad ea me, publicae cauſſa vtilitatis, cum qua nihil confero, non grauate demitto. Quod igitur animaduertendum eſſe dixi, eiusmodi eſt, verba compoſita vel ſuam augere vim, ſi praeponatur *ad*, vt in verbo *afferat*, vel amittere, ſi *de*, vt in *detrahat.*

hat. acceſſus enim in illo, receſſus in hoc eſt. Et, *afferat*, volenti, cum ſignificatione beneuolentiae, dixit: *detrahat*, inuito cum indicio doloris. cupit enim pro ſua fide regi Deiotaro, de capite fortuniſque periclitanti, ſubvenire: quod autem cupit, id veretur vt poſſit, timore facultatem detrahente. Vnicum igitur perfugium Caeſaris aequitas, et ſapientia. Nam haec eo referuntur omnia.

In tuo dumtaxat periculo] Nam ſi qui eſt, qui contra tuam ſalutem aliquid moliatur, aut cogitet, eum, quicumque eſt, in iudicium vocari oportere, numquam negauerim.

Pro perpetuis eius in noſtram rempublicam meritis] Omnibus enim Aſiaticis bellis rempublicam Deiotarus enixe admodum iuuit.

Ne dicam ſceleratum, et impium] In alienos crudelitas, in propinquos proprie ſcelus, et impietas eſt.

Nepos] Ex filia: vt infra c. 7.

Aui ſeruum] Phidippum medicum.

Legatorum] Quos Deiotarus ad Caeſarem miſerat.

Pedibus] Quia, ſeruus cum eſſet, non ſedebat cum legatis, cum quibus venerat, ſed ad eorum pedes iacebat.

Abduxerit] Corruptum praemiis.

Dominum accuſantis] Accuſare dominum, iniquum eſt; dominum abſentem, iniquius; dominum amiciſſimum reipublicae, iniquiſſimum. ſumma igitur eſt accuſantis impudentia.

Os] Qui talis cum ſit, prodire in conſpectum hominum audeat.

Cum verba audiebam] Maioris etiam audaciae ſignum.

De fortunis communibus] Nam ſi tantum ſeruo conceditur; timere a ſeruis noſtris omnes debemus. perturbat igitur me non tam Deiotari, quam commune periculum. Locus communis ad mouendum: vt lib. V. in Verr. c. 46. *Ecquis fuit, quin lacrumaretur? quin ita calamitatem putaret illorum, vt fortunam tamen non alienam, periculum autem commune agi arbitraretur?*

In equuleo] Machinae genus, quo ſerui torquebantur.

CAPVT II.

Arguare] Pro, reus arguatur. exemplum enim ſecundae perſonae ad alias transferri ſolet.

Quid de te ceteros velis iudicare] Velis de te ceteros iudicare, ſapientiſſimum, et aequiſſimum iudicem perinde te eſſe in periculo tuo, ac ſi de cuiuslibet hominis periculo iudicares. Laudat Caeſarem, ſed tacite ſimul admonet, talem vt ſe praebeat, qualem eum eſſe dicit.

In qua oratorum ſtudia niti ſolent] Quam cum oratores intuentur, animos augent, et copioſius, alacriusque dicunt. *Studia:* dicendi, agendarum cauſſarum. *Niti:* ſic lib. I. ad Attic. epiſt. 1. *In quo vno maxime ambitio noſtra nititur.*

Te vnum] Et abſente populo, et te vno iudicante.

Leuiora] Populus enim, qui nunc abeſt, ingenium excitabat.

Diſceptante] Cognoſcente, iudicante. haec eſt enim huius verbi vis, vt ſaepe iam docuimus.

Curiam, forum, caelum] Quorum adſpectum parietes adimunt.

Deorum

Deorum immortalium] Hoc refertur ad illud, *caelum denique teſtarer ipſum.*

Anguſtiora] Ne poſſim, vt vellem, de immortalium deorum, de populi Romani, de ſenatus in regem Deiotarum beneficiis copioſe dicere, ademto adſpectu curiae, fori, caeli.

Quid nunc mihi animi ſit] Quam perturbato animo ſim.

Ad te ipſum referri] Tecum cogitare.

Audiendi diligentia] Ex aequitate orta.

Minuat hanc perturbationem meam] Nam ſi me diligenter, attenteque audieris, timorem deponam.

De accuſatorum ſpe] Vt patronus innocentiae ſuae fama cauſſae actionem magnopere adiuvat: ſic accuſator, ſi is eſt, de quo non bene homines exiſtiment, valde accuſationem debilitat. non alienum eſt igitur, prius quam de accuſatione dicatur, de accuſatoribus ipſis dicere.

CAPVT III.

Quibusdam incommodis et detrimentis] Ademta Galatiae parte, et Armenia minore, quam ei ſenatus antea largitus erat.

Propter offenſionem animi tui] Vitat mentionem belli ciuilis, quo Caeſarem Deiotarus, pro Pompeio pugnans, offenderat.

Sibi amicum] De Caſtore loquitur, non de Phidippo, Deiotari ſeruo. quae enim Caeſari cum ſeruo amicitia eſſe potuit?

Vt in exulcerato animo facile fictum crimen inſideret] Tacite cohortatur Caeſarem ad iuſtitiam, et accuſatores in odium adducit, qui fictum crimen detuliſſent.

Fidem] Quae maxime in iudice requiritur. praeter enim cauſſam ipſam, ſpectare nihil debet.

Conſtantiam] In tuenda iuſtitia. quam virtutem ab ipſo Caeſare laudari ſolere, dixit in ea, pro Ligario c. 9.

Iracundiae] Quam in Deiotarum antea oſtendiſti.

Non (Ern. *non tam*) *in bellis*] Bis firmiorem, intelligendum eſt, vt ait Priſcianus lib. III. ſed ex eius ſententia legendum, *non tam in bellis.* ſimilis autem illa ſententia, quae Trebatium Caeſari commendat, lib. VII. Fam. epiſt. 5. *Totum denique hominem tibi trado de manu, vt aiunt, in manum tuam iſtam, et victoria et fide praeſtantem.*

Renouare voluiſti] Quamquam offenſus ciuili bello.

Arae, focique] Haec tota commemoratio eo pertinet, vt Caeſarem per vetus hoſpitium, per deos penates, per aras focosque obteſtetur, ne Deiotari cauſſam irato animo audiat.

Semel exorari] Cum ſemel igitur te Deiotaro placatum praebueris, nullas in te ſimultatis reliquias timere debemus.

Amici (Ern. *vt amicum*) *officio parum functum*] Veteris hoſpitis. nam dixit, *vetus hoſpitium renouare voluiſti.*

Maximis rebus] Hoſtili odio.

Regem reliquiſti] Regni tamen parte multatum.

Iisdem rebus eſt perturbatus] In errorem eſt adductus. *Iisdem rebus:* quod in Pompeii caſtris, in quibus conſules erant, eſſe respublica videretur. infra c. 4. *Maxime vero perturbatus eſt, vt audiuit conſules ex Italia profugiſſe, omnesque conſulares, (ſic enim nunciabatur) cunctum ſenatum,*

natum, totam Italiam eſſe effuſam.

In media republica nati, ſemperque verſati] Quo minus errare nobis licuit: qui tamen errauimus, vel ignoratione, vel metu.

CAPVT IV.

Conſulibus, praetoribus, tribunis plebis, nobis imperatoribus rempublicam defendendam datam] Quod numquam, niſi extremis reipublicae temporibus, decerni ſolebat. de quo queritur Caeſar lib. I. de bell. ciu. c. 5. *Decurritur*, inquit, *ad illud extremum atque vltimum ſenatus conſultum, quo, niſi paene in ipſo vrbis incendio, atque deſperatione omnium ſalutis, latorum audacia, numquam ante diſceſſum eſt; dent operam conſules, praetores, tribuni plebis, quique proconſules ſunt ad vrbem, ne quid respublica detrimenti capiat.* Idem ad Tironem lib. XVI. epiſt. 11. *Poſteaquam ſenatus conſulibus, praetoribus, tribunis plebis, et nobis, qui proconſules ſumus, negotium dederat, vt curaremus, ne quid respublica detrimenti caperet; numquam maiore in periculo ciuitas fuit: numquam improbi ciues habuerunt paratiorem ducem. Nobis imperatoribus:* qui ad vrbem erant, in quibus Cicero ipſe ex Cilicia reuerſus, ſpe triumphi extra pomerium manens: nec tamen triumphauit, propter ciuile bellum.

Sic enim nunciabatur] Cum re vera non omnes conſulares ex Italia profugiſſent. remanſit enim Ser. Sulpicius, remanſit et Cicero ipſe aliquandiu.

Effuſam] Ad bellum contra te gerendum.

Ad orientem] Ad regnum Deiotari, in oriente poſitum.

Conditionibus tuis] Quas a te concordiae, et pacis ſtudio latas, Pompeius repudiauit.

Certorum hominum] L. Domitii, P. Scipionis, M. Bibuli, M. Catonis: quorum alios ad bellum ſpes rapinarum, alios Caeſaris odium, et priuatae inimicitiae impellebant.

Nos omnes] Quibus tamen ſalutem reddidiſti.

Tu ipſe] Praeſertim poſteaquam ei filiam tuam collocaſti.

CAPVT V.

Ad eum igitur] Talem, tantumque virum, deorum immortalium, ſenatus, populi Romani, tuis etiam beneficiis ornatum. Excuſatio Deiotari, a Pompeii laude ſumta.

Iuſtis, hoſtilibusque bellis] Contra Mithridatem maxime.

Familiaritate] Quia ſimul cum eo in bellis diutiſſime fuerat, cum Caeſare autem hoſpitium, non familiaritas fuit.

Vt ſocius] Qui ſoleret in bellis Pompeii ſocius eſſe.

Ad fugientem] Fugerat enim ex Italia Pompeius.

Spem infinitam] Belli renouandi, quam alii ſunt perſecuti.

Si quid debuerat] In ea cauſſa, in qua conſules, Pompeius ipſe, et ſenatus paene cunctus eſſet.

Si quid neſcierat] Ignoratione deceptus.

Vtilitatibus tuis paruit] Fecit, quidquid vtilitates tuae poſtulabant. eodem verbo vſus eſt ad Plancum lib. XIII. epiſt. 29. *Res familiaris C. Capitonis praeſto fuit, et paruit et temporibus, et fortunae meae. Vtilitates*, pro commo-

commodis accipiuntur. Ad Tironem lib. XVI. epiſt. 3. *Vtilitatibus tuis poſſum carere: te valere, tua cauſſa primum volo, tum mea, mi Tiro.*

Cn. Domitii] Caluini, qui conſul fuerat cum M. Meſſalla. is cum Caeſare, Domitius autem Ahenobarbus cum Pompeio fuit.

Copiis] Dedit illi Deiotarus duas legiones, equitesque centum. Hirtius de bell. Alex. c. 34.

Suſtentauit] Quo tempore Caluinus contra Pharnacem, Ponti regem, Mithridatis filium, pro Caeſare bellum geſſit.

Ille iterum, ille tertio] Semel Alexandrino bello: iterum eo, quod contra Pharnacem geſtum eſt, cui Deiotarus ipſe cum ſuis copiis interfuit: tertio, Africano: de quo ſic infra c. 9. *Secutum eſt bellum Africanum. graves de te rumores ſparſi: qui etiam furioſum illum Coelium excitauerunt. Quo tum erga te rex animo ſuit, qui auctionatus ſit, ſeſeque et filium ſuum exſpoliare maluerit, quam tibi pecuniam non ſubminiſtrare?*

Auctionibus factis] Quo magis eius in te ſtudium patuit, qui, cum pecunia careret, auctiones fecit.

Ad bellum] Contra Pharnacem, cui Deiotarus ipſe interfuit.

Tuumque hoſtem eſſe duxit ſuum] Modus hic loquendi lepore non caret. cui ſimilis ille pro Milone c. 32. *Caeſaris potentiam ſuam potentiam eſſe dicebat.* Et in eadem c. 36. *Quid habeo, quod dicam, quod faciam pro tuis in me meritis, niſi vt eam fortunam, quaecumque erit tua, ducam meam?* Nec diſſimilis ille ad Lentulum lib. I. epiſt. 9. *Meumque inimicum, vnum in ciuitate haberet inimicum.*

Interficere voluiſſe] Quod veriſimile non eſt; cum eum honore ampliſſimo tua liberalitas ornauerit, periculo tua clementia liberauerit.

Furioſiſſimum] Propter eas cauſſas, quae infra narrantur.

Importunitatis] Alieniſſimo tempore exſtinguere te clariſſimum omnis memoriae lumen voluiſſe, quis putet?

Vt haec omittam] Omiſiſſe videtur, quia breuiter dixit. oratoria figura, in qua plura verba locum habent, vt agr. I. c. 7. *Non queror diminutionem vectigalium, non flagitium huius iacturae atque damni: praetermitto illa, quae, nemo eſt, quin grauiſſime, et veriſſime conqueri poſſit: nos caput patrimonii publici, pulcherrimam populi Romani poſſeſſionem, ſubſidium annonae, horreum belli, ſub ſigno clauſtrisque reipublicae poſitum vectigal, ſeruare non potuiſſe: cum denique nos agrum P. Rullo conceſſiſſe, qui ager ipſe per ſeſe et Sullanae dominationi, et Gracchorum largitioni reſtitiſſet. Non dico, ſolum hoc in republica vectigal eſſe, quod, amiſſis aliis, remaneat: intermiſſis, non conquieſcat: in pace niteat, in bello non obſoleſcat: militem ſuſtentet, hoſtem non pertimeſcat. praetermitto omnem hanc orationem, et concioni reſeruo: de periculo ſalutis ac libertatis loquor.*

Contra ſe vnum excitare] Victo enim in Pharſalia Pompeio, quicumque eum ex Aſiaticis, vel regibus, vel populis adiuuerant, Caeſari ſe tradiderunt.

Diſtractus] Diuulſus, regno eiectus, ſi non modo perfectum, ſed

ſed cogitatum a te ſcelus illud finitimae gentes cognouiſſent.

CAPVT VI.

At, credo] Argumentatus eſt a veriſimili, a turpitudine, a damno: nunc a Deiotari ſapientia.

Probitas, mores, conſtantia] Separatae virtutes. poteſt enim aliquis eſſe probus, aſperior tamen in moribus. poteſt rurſus, vt probitate, et moribus excellat, conſtantia tamen carere. probitatem igitur mores condiunt, vtrisque magnum conſtantia ornamentum affert.

Cui porro] Correctio quaedam. quid enim dico probitatem, mores, conſtantiam Deiotari tibi notam eſſe; cum nemo ſit, qui modo populi Romani nomen audiuerit, cui non eadem audita ſint?

Minime ſtulto] Exiguam videtur laudem ſignificare, cum tamen ſummam ſignificet. eſt enim, *minime ſtulto*, pro, ſapientiſſimo. ſimile illud ad Caſſium lib. XII. Fam. epiſt. 4. *Dolabella valde vituperabatur ab hominibus non inſulſis, quod tibi tam cito ſuccederet.* Et pro Cluentio c. 26. *Itaque minime amarus is viſus eſt, qui aliquid ex eius ſermone ſpeculae deguſtarat.*

Ne ſuſpicioſe quidem] Si ab vna parte Deiotari vita, ab altera crimen conſideretur; tantum abeſt, vt veriſimile crimen videatur, vt ne ſuſpicioni quidem locum det.

Cum in caſtellum] Probat illud, quod dixit, *ne ſuſpicioſe quidem.*

Munerare] *Munero*, et *muneror*, idem valent: vt alia quoque verba.

Priusquam accumberes] Priusquam cenares. accumbentes enim cenabant, idque poſt balneum, vt lib. XIII. ad Attic. epiſt. vlt.

Ab ipſo (*ipſo* abeſt ab Ern.) *iſto adoleſcente*] A Caſtore, Deiotari nepote.

Veneni] Quod per medicum miniſtrari facile poſſet.

A conſuetudine criminandi] Cadit enim in medicum veneni ſuſpicio.

Id tibi] Phidippum medicum alloquitur.

At, quam feſtiue crimen contexitur] Deridet inuentum accuſatorum, quod refelli nullo negotio poſſit. Tale illud infra c. 12. *At quam acute collecta crimina.*

Inquit] Accuſator.

Negauiſti] Accuſatoris verba.

Inſpicere] Illa, quibus te Deiotarus munerare conſtituerat.

CAPVT VII.

Dimiſit exercitum] *Exercitum*, ſigmentum accuſatorum deridens, vocat eos, qui collocati erant, vt Caeſarem interficerent.

Magnum fuit] Ironia, pro, nullius negotii fuit. retenti non ſunt: ergo fictum crimen.

Attalus] Aſiae rex, qui moriens populum Romanum heredem inſtituit.

In P. Africanum] Paulli filium.

Vt ſcriptum legimus] In iis libris, quibus caret aetas noſtra.

Vsque ad Numantiam] In Hiſpania, quam vrbem Africanus captam deleuit.

Hominum te intuentium] Qui tum aſſuerunt in eo loco, vbi te Deiotarus muneratus eſt.

Hominis

Hominis grauiſſimi] Deiotari.

Lautum] Cum in balneo lauiſſes.

Distulit] Deiotarus.

In caſtellum] Oppidi pars munitior a Deiotari domo ſeiuncta.

Acta res criminoſe eſt] Fingunt id, quod veriſimile non eſt, mutare locum Caeſarem voluiſſe: quem non mutauit eo die. inde accuſatores crimen in Deiotarum componunt: *criminoſe:* vt ſi verum crimen ſubeſſet.

Vomere poſt cenam] Quod et antiquis vſitatum fuit, et ipſi potiſſimum Caeſari, vt lib. XIII. ad Attic. epiſt. vlt. moris autem erat, vt cum vomere cogitarent, large cenam ſumerent.

Dii te perdant (Ern. *perduint*)] Abſoluta alicuius rei narratione, ſolet orator ad accuſatores, aut ad teſtes, quaſi commotus eorum improbitate, orationem conuertere.

Fatuus et amens] Qui finxeris ea, quae non modo veriſimilia non ſunt, ſed a ſuſpicione quoque ipſa longe abſunt.

Signa aenea] Quae loco non facile mouentur; cum homines e balneo in cubiculum transire facile poſſint. cum non transierint, nimirum tota res fingitur.

Habes crimina inſidiarum] Quae, quam leuia ſint, vides. Eſt enim cum aliqua ironia dictum, *habes crimina inſidiarum.*

Inquit] Phidippus medicus.

Cui feciſſet inſidias] Dictum ex perſona accuſatoris.

Vnus] Pro ſumma rerum omnium poteſtate.

Se vindicare] Se vlciſci.

CAPVT VIII.

In ſpeculis fuiſſe] Occaſionem exſpectaſſe tui opprimendi.

Maiores copias] Ante ciuile bellum cohortes XXX quadragenarias Deiotarus habuit, quas in ſuſpicione Parthici belli ad Ciceronem, Ciliciae proconſulem, cum duobus millibus equitum perduxit. lib. VI. ad Attic. epiſt. 1.

Nunc] Ademta ei regni parte, et Armenia minore.

Ad Coelium (Ern. *Caecilium*) *neſcio quem*] Vt is ducem ſe copiarum Deiotari contra Caeſarem praeberet.

Non quaero] Pluribus verbis non diſputo. attingit enim id, quod omittere ſe dicit. lepida figura, de qua ſupra c. 5.

Non habuiſſe regem, quos mitteret] Praeter eos, qui ire noluiſſent.

In tanta re] Cum de gerendo contra Caeſarem bello cogitaretur.

Cauſſam illam] Pompeianam; in qua ſpes reponi nulla poſſe videretur.

Magnum hominem] Quem belli ducem diligeret.

Is] Deiotarus.

Vel quia non noſſet, vel, ſi noſſet, (Ern. *vel quia noſſet, vel quia non noſſet*) *contemneret*] Duobus modis Coelio detrahit: vno, ſi Deiotarus eum non noſſet, qui Romanos homines optime noſſe ſolitus eſſet: altero, ſi eum ignoraret: quod fieri vix poſſet, ſi magnus quidam homo eſſet Coelius. *Contemneret*, tantam ei rem minime committendam duceret. ſimile illud Phil. II. c. 7. *O miſer, ſiue illa tibi nota non ſunt, nihil enim boni noſti, ſiue ſunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare!* Et in eadem c. 22. *O miſerum te, ſi intelligis, miſeriorem, ſi*

non intelligis, hoc litteris mandari.

Miſiſſe tibi (*tibi* abeſt ab Ern.)] Contra Pharnacem.

Veteres, credo] Eosdem, quos habuerat antea. quos enim praeter eos mittere potuit?

Seruum iudicatum] Cum ſervis militare praeſertim equeſtri loco, non liceret.

CAPVT IX.

Exercitum] Domitii Caluini.

Tibi victori] Confecto Alexandrino bello.

Ad periculum etiam, atque ad aciem] Pontico bello, contra Pharnacem geſto. ſupra c. 5. *Ille corpus ſuum periculo obiecit, tecumque in acie contra Pharnacem fuit, tuumque hoſtem eſſe duxit ſuum.*

Excitauerunt] In Aſia: non dubium eſt eum loqui de Coelio, vel potius de Caecilio. ſic enim vbique reponendum cenſeo: vt ſit Q. Caecilius Baſſus: de quo ſic Phil. XI. c. 13. *Eſt Q. Caecilii Baſſi, priuati illius quidem, ſed fortis, et praeclari viri, robuſtus et victor exercitus.* In epiſt. Caſſii ad Ciceronem lib. XII. Fam. 11. *Legionem, quam Q. Caecilius Baſſus habuit, ad me veniſſe ſcito.* Et ad Cornificium eiusdem libri epiſt. 18. *Quod mihi videor ex tuis litteris intelligere, te nihil commiſſurum eſſe temere, nec ante, quam ſciſſes, quo iſte, neſcio qui, Caecilius Baſſus erumperet, quidquam certe conſtituturum.* Notanda eſt autem hominis ignobilitas, quod vt hic, *Coelium neſcio quem*, ſic de eodem in epiſt. ad Cornificium, *neſcio qui Caecilius Baſſus*, Cicero dixit. Quae pertinent ad eum locum: *Vel quia non noſſet, vel, ſi noſſet, contemneret.* Hanc hiſtoriam Strabo narrat lib. VI. Appianus lib. IV. de bell. ciu. Dio lib. XLVII.

Domitium] Caluinum.

Pereant amici] Quia amicus Domitio eſſet: vt paullo poſt. Graecus verſus, mihi quidem nondum compertus: Latinus quoque cuius poetae ſit, ignorare me fateor. opto feliciores eſſe alios.

Quod ille] Argumentatur a veriſimili.

Furcifer] Iniquus ſeruus, ſervili vocabulo notatus.

Priuata eſt] Non modo ingenuorum, verum etiam libertorum. habet autem frugalitas laudem: quia repellit illa vitia, in quae facile incidit, qui prodigus eſt. notus eſt Piſo ille Frugi, cuius cognomen in poſteros transiit. frugi quoque Decium quendam librarium, id eſt, libertum, Cicero appellat ad Sextium lib. V. Fam. epiſt. 6.

Negotiati ſunt] Redemtis vectigalibus.

Multis ille quidem gradibus officiorum erga rempublicam noſtram ad hoc regium nomen adſcendit] Sic pro Milone c. 35. *Hanc denique eſſe, cuius gradibus etiam homines in caelum videantur adſcendere.* Et in Parad. I. c. 2. *Quibus gradibus Romulus adſcendit in caelum?*

Rationesque] Negotia.

Tetrarcha] Gallograeciae, quae et Galatia dicitur. non enim vniverſae Gallograeciae rex fuit.

Optimus paterfamilias, et diligentiſſimus agricola, et pecuarius haberetur] Tribus modis frugalitatem oſtendit, quam hic laudat, tempori ſeruiens, in epiſtola

ſtola vero ad Dolabellam lib. IX. Fam. 12. ſubaccuſat his verbis: *Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam mecum: quod non putaram. Itaque eam tibi miſi. quam velim ſic legas, vt cauſſam tenuem et inopem, nec ſcriptione magnopere dignam. Sed ego hoſpiti veteri, et amico munusculum mittere volui leuidenſe, craſſo filo, cuiusmodi ipſius ſolent eſſe munera.*

Ea exiſtimatione] Praeclara M. Bruti ſententia in epiſt. 16. *Fateor, duriorem eſſe conditionem ſpectatae virtutis, quam incognitae. Benefacta pro debitis exigimus: quae ſi aliter eueniunt, vt decepti ab his, infeſto animo reprehendimus.* A quo ſenſu non discrepat illud Matii lib. XI. Fam. epiſt. 28. *An, quod adoleſcens praeſtiti, cum etiam errare cum excuſatione poſſem: id nunc, aetate praecipitata, commutem, ac me ipſe retexam?*

CAPVT X.

Admirari ſolebamus] Pharſalico proelio.

Non deponendorum] Deponenda enim fuerant ante bellum.

Sed abiiciendorum] Hoc verbo ſtudium ſuum ſignificat belli finiendi. eodem vſus eſt ad Marcellum lib. IV. epiſt. 7. *Tuum conſilium nemo poteſt non maxime laudare, quod cum ſpe vincendi ſimul abiecisti certandi etiam cupiditatem: oſtendiſtique, ſapientem et bonum ciuem initia belli ciuilis inuitum ſuſcipere, extrema libenter non perſequi.* ſimiliter ad Paetum lib. IX. epiſt. 20. *Omnem noſtram de republica curam, cogitationem de dicenda in ſenatu ſententia, commentationem cauſſarum abiecimus.* Vſurpatur vbique tamquam in odioſa re, cum ſuis compoſitis. Virgilius lib. VI. Aen. v. 836.

Proiice tela manu, ſanguis meus.

Ad meam auctoritatem] Vt arma deponeret, quemadmodum ego depoſui. Aculeus in Caſtoris pertinaciam: quae cum a Caeſaris odio naſceretur, nunc tamen, vt eius vitae maxime ſtudioſus, auum accuſaret, quamquam nec vero crimine, nec veriſimili.

Patri] Pompeianis partibus fauenti.

Veſtra] Id eſt tua; qua contentus vt ſis, niſi auum perdas, impetrare a te non potes.

CAPVT XI.

Quam cuius gener eſſet] Coepit eſſe notus ex affinitate Deiotari regis.

Ingrate et impie] *Ingrate*, in eum, qui ſumma in vos beneficia contulit: *impie*, in hominem vobis propinquitate coniunctiſſimum.

Inimicitias hominum more gerere] Mitius agere, vt in propinquum.

A tanta auctoritate] C. Caeſaris.

Approbata] Quod ſperatis: cum ea, non dicam probanda, ſed punienda omnino ſit.

Nulli, nulli (alterum *nulli* abeſt ab Ern.)] Vis additur, iterato verbo, vt Phil. II. c. 36. *Tu, tu illas faces incendiſti.* Et pro Fonteio c. 7. *Fuit, fuit illis iudicibus diuinum ac ſingulare, iudices, conſilium.* Argumentatur a communi periculo. ſupra c. 1.

Non tam afflictam regiam conditionem dolebam, quam de fortunis communibus extimeſcebam. Praedicit eadem agraria II. c. 24. ad timorem populo Romano inferendum: *Committite*, inquit, *vos nunc, Quirites, his hominibus haec omnia, quos odorari hunc decemuiratum ſuſpicamini: reperietis, partem eſſe eorum, quibus ad habendum, partem, quibus ad conſumendum nihil ſatis eſſe videatur.* Et in ea pro domo c. 14. *Probate genus adoptionis: iam omnium ſacra interierint, quorum cuſtodes vos eſſe debetis; iam patricius nemo relinquetur.* In eadem c. 18. *Date hanc tribuno plebis licentiam, et intuemini paullisper animis iuventutem, et eos maxime, qui imminere iam cupiditate videntur in tribuniciam poteſtatem: collegia medius fidius tribunorum plebis tota reperientur, hoc iure firmato, quae coeant de hominum locupletiſſimorum bonis, praeda praeſertim populari, et ſpe largitionis oblata.* Et in eadem c. 47. *Date de hac religione aditum, pontifices: iam nullum fortunis communibus exitum reperietis.* Bimembris, vt ita dicam, et bipartita ſententia eſt: cuius prima pars indignantis, altera prope minantis eſt.

O tempora] Mutata.

O mores] Iis, qui fuerunt, diſſimiles. Vtrumque probat comparatione Domitii, et Caſtoris.

Cn. Domitius] Pater L. Domitii Ahenobarbi; qui ciuili bello Pompeium ſecutus, acie Pharſalica periit.

Conſulem, cenſorem, pontificem maximum] Conſul cenſorque fuit cum L. Craſſo oratore. Sic in ea pro domo: *Cn. Domitium nos pueri conſulem, cenſorem, pontificem maximum vidimus.*

Etſi inique Caſtorem cum Domitio comparo] Rem ipſam narrat, diſſimilium comparationem excuſat. quod fecit etiam in Piſonem c. 4. nam cum Q. Metelli Celeris, qui conſul deſignatus compitalitios ludos fieri prohibuerat, exemplum attuliſſet; quo magis L. Piſonem, qui eosdem ludos conſul fieri paſſus eſſet, vituperaret, haec interpoſuit: *Facio iniuriam fortiſſimo viro mortuo, qui illum, cui pares paucos haec ciuitas tulit, cum hac importuna bellua conferam.*

Ille inimico ſeruum remiſit, tu ab auo abduxiſti] Ornamentum ex contrariorum collatione quaeſitum. ſimile illud lib. IV. in Verr. c. 52. *Conferte hanc pacem cum illo bello: huius praetoris aduentum cum illius imperatoris victoria: huius cohortem impuram cum illius exercitu inuicto: huius libidines cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditas, ab hoc, qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas.* Occurrunt alia eiusdem generis apud hunc noſtrum vel plurima.

Ad hunc Cn. Domitium] Qui aderat.

Hoc Ser. Sulpicio] Et Sulpicium, et Torquatum, infra nominatum, Cicerone cauſſam agente, affuiſſe crediderim, cum de vtroque dicatur, *hoc*: vt infra c. 14. *huic Bleſamio*: et pro Ligario c. 3. *hoc C. Panſa.*

Clariſſimo viro] Conſul fuerat cum M. Marcello, et in iure ciuili primas obtinebat.

CAPVT

CAPVT XII.

Idcirco in hanc vrbem veniſti] Hac ad accuſatorem apoſtrophe nihil efficacius. nam vt bonus ciuis, conſeruandae cupidus humanitatis vrbanae, in barbarum hominem inuehitur.

At quam acute collecta crimina] Ironia, accuſationem infirmans, vt illud ſupra c. 6. *At quam feſtiue crimen contexitur.*

Bleſamius] Homo Gallograecus, qui Deiotari legatus aderat.

Ad regem, inquit (*inquit* abeſt ab Ern.)] Aut *inquit*, abundat, cum dixerit iam, *Bleſamius, inquit;* aut, propter ea, quae ſunt interpoſita, iteratum eſt.

Scribere ſolebat] Ex vrbe.

Inuidioſe (Ern. *in inuidia eſſe*)] Cum odio ciuitatis.

Statua inter reges poſita, animos hominum vehementer offenſos] Quaſi rex ipſe quoque eſſe vellet. Suetonius in Iulio c. 76. *Praegrauant tamen cetera facta dictaque eius, vt et abuſus dominatione, et iure caeſus exiſtimetur. Non enim honores modo nimios recepit, vt continuum conſulatum, perpetuam dictaturam, praefecturamque morum, inſuper praenomen imperatoris, cognomen patris patriae, ſtatuam inter reges, ſuggeſtum in orcheſtra, ſed et ampliora etiam humano faſtigio decerni ſibi paſſus eſt.*

Plaudi tibi non ſolere] Theatrum ingredienti: quod infenſi animi ſignum videretur.

Sermunculis] Inaniſſimis, a maleuolentia profectis.

Collecta] Ab accuſatore. et, *collecta*, ſtudioſe quaeſita, cum cetera deeſſent.

Senſimus] Mario, Cinna, Sulla dominantibus.

Qui viuit in regno] Pro, viuere conſueuit. tunc enim aderat, Cicerone dicente. *In regno:* vbi tyrannidis potius imaginem aliquam, quam in vrbe Romana, videre poteſt: quae cum ferre conſueuerit, cur tyrannum Caeſarem appellet, in quo tyranni nihil ſimile?

Tropaeis] Qui maiorem illi laudem afferunt, quam vna ſtatua.

Roſtris clarior] Cum regum ſtatuae in Capitolio, non in Roſtris eſſent: vt ex Aſconio in orat. pro Scauro licet intelligere.

Praetermiſſus] A populo.

CAPVT XIII.

Id autem aliquid] Concinna iteratio eiusdem verbi: vt pro Ligario c. 7. *Nam ſi crimen eſt, prohibere illum voluiſſe, non minus magnum eſt, vos Africam, omnium prouinciarum arcem, natam ad bellum contra hanc vrbem gerendum, obtinere voluiſſe, quam aliquem ſe imperatorem eſſe maluiſſe. Atque is tamen aliquis Ligarius non fuit.*

Non enim iam metuo] Tua fretus humanitate, clementia, conſtantia.

Tibi illum ſuccenſere] Propter ademtam regni partem.

Abeſt longiſſime] Minime verum eſt.

Multis] Sociis victoriae tuae.

A Scipione] L. Scipione, Africani maioris fratre.

Quae eſt nunc noſtra prouincia] Ab Attalo, Eumenis fratre, cui populus Romanus, bene de republica merito, Antiocho regi ademtam donauerat, teſtamento legata.

Erroris] Quo lapſus eſt nobiscum ſimul.

Putat] Putaret autem, ſi tu regium illi nomen ademiſſes.

Habere in animo atque virtute] Haec duo coniungit, vt et velle eum res magnas, et praeſtare poſſe ſignificet.

Omnium imperatorum] Qui bellum in Aſia geſſerunt, Sullae, Murenae, Luculli, Pompeii.

Cilicia] Poteſt et P. Seruilium deſignare, qui e Cilicia de Iſauris triumphauit, vnde Iſaurici cognomen: poteſt et ſe ipſum; qui cum Ciliciam proconſul adminiſtraret, Deiotari copiis vſus eſt.

Populi Romani litteris] Aut ego prorſus alucinor: aut hic, *populi Romani*, locum non habet.

Quae vnquam vetuſtas obruet, aut quae tanta delebit obliuio] Temporis vetuſtas, hominum obliuio.

Summa] Summa eſſe bona dixerunt Peripatetici, ſola Stoici.

Amens] Succenſeret enim nulla ratione adductus.

CAPVT XIV.

Tarraconae] Hiſpaniae vrbe.

Huic Bleſamio] Legato praeſenti.

Tuis litteris] Alexandriam miſſis.

In me, et in exercitum meum] Quo tempore Ciliciae praefui.

Qui ſemel a te ſunt (Ern. *ſint*) *liberati timore*] Quorum in numero Deiotarus erat.

Occurrere ipſa ſolet] Impellente natura tua, ad clementiam vehementer propenſa.

Euocata] Translata verba, *commouere*, *occurrere*, *euocata*, eodem ſpectantia.

Propone tibi duos reges] Patrem, et filium.

Quod iracundiae negauiſti] Perdere Deiotarum, licet iratus, noluiſti.

Sanctum] Putantur enim in tutela deorum eſſe reges. vnde illa Caeſaris verba apud Suetonium in oratione, qua amitam mortuam laudauit c. 6. *Quaeſtor Iuliam amitam, vxoremque Corneliam laudauit e more pro Roſtris. Sed in amitae quidem laudatione, de eius ac patris ſui vtraque origine ſic refert: Amitae meae Iuliae maternum genus ab regibus ortum, paternum cum diis immortalibus coniunctum eſt. Nam ab Anco Marcio ſunt Marcii reges, quo nomine fuit mater: a Venere Iulii, cuius gentis familia eſt noſtra. Eſt ergo in genere et ſanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent, et caerimonia deorum, quorum ipſi in poteſtate ſunt reges.*

CAPVT XV.

Tradunt] Ad poenam, ſi modo Deiotarus a te poena dignus exiſtimetur.

Nuper] Reliqui enim duo Bleſamius, et Antigonus ante eos Romam venerant.

Crimini-

Criminibus illis] Ab accuſatore obiectis.

Se ſupponit reum] Non recuſat, vt tu in illum animaduertas, ſi quam in te culpam Deiotarus admiſit.

Aut cum ſummo dedecore] Non eſt diſſimilis illa ſententia in orationis clauſula pro Ligario: *Tantum te admonebo, ſi illi abſenti ſalutem dederis praeſentibus his omnibus te daturum.* Augetur beneficium Caeſaris ex communicatione multorum; vt calamitas, ex communi peſte.

Optare] Vt optent, crudelitas accuſatorum facit: ne ſperare poſſint, clementia tua.

Conſeruare] Vt reges incolumi fama cum ſalute fruantur.

Clementiae tuae] Libentius clementiam implorat, quam iuſtitiam; vel quod ea potiſſimum delectari laude Caeſarem intelligeret; vel quod vereretur, ne memoriam eius temporis aliquam Caeſar ſeruaret, quo Deiotarus contra eum in Pharſalia pro Pompeio pugnauerat. cui vulneri clementia potius, quam iuſtitia, medebatur.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
PHILIPPICAM PRIMAM
IN
M. ANTONIVM

ARGVMENTVM

Interfecto idibus Martiis C. Caeſare, M. Antonius, collega eius in conſulatu, ſibi metuens, non ſolum eo die latuit, verum etiam texit aliquandiu conſilia ſua, ſimulatione ad tempus accommodata. poſtridie idus actum eſt cum eo de communi concordia per conſulares viros. poſt diem tertium, qui fuit XVI. Kal. April. in aedem Telluris conuocato ſenatu, Cicero, quantum in ipſo fuit, iecit fundamenta pacis, discordiarumque memoriam omnem, vetere Athenienſium exemplo, obliuione ſempiterna delendam cenſuit. quo die praeclare de republica locutus Antonius, conſequentibus etiam diebus non dubia ſuae voluntatis argumenta dare viſus eſt. miſſo paruulo filio, pacis obſide, in Capitolium, C. Caſſium ipſe, M. Brutum Lepidus, pontifex max. alii alios ex tyrannoctonis, qui poſt Caeſaris necem, populi, et Antonii maxime conſulis metu, in Capitolium ſe contulerant, cenae adhibuerunt. Sed fictam perſonam ſuſtinere diu nemo poteſt. Cum Caeſarem, quamquam in libera ciuitate, ſingulari poteſtate vſum, funere tamen efferri placuiſſet: qui fons malorum omnium fuit: (ſic enim, tyrannum non fuiſſe, iudicabatur: nam tyrannorum corpora proiiciuntur inhumata) laudauit eum de more Antonius in foro: commemoratisque rebus ab eo geſtis, maximisque erga rempublicam meritis, explicata demum cruenta veſte, in qua caeſus fuerat, multis pugionum ictibus perfoſſa, conuertit orationem ad miſerationem commouendam, populumque iam dolore incenſum, in eam iracundiam, furoremque impulit, vt ſtatim a funere ad domum Bruti, et Caſſii cum facibus accurrerit: vnde aegre repulſus eſt. Brutus, et Caſſius, vitato praeſenti periculo, concitatae multitudinis vim timentes, Antoniique perfidiam iam ſatis experti, Antium, et Lanuuium aufugerunt, eo conſilio, vt inde in prouincias a ſenatu decretas proficiſcerentur. decreuerat

creuerat autem ſenatus, poſtridie quam e Capitolio Caeſaris interfeſtores deſcenderunt, Bruto Cretam, Caſſio Africam, Trebonio Aſiam, Cimbro Bithyniam; D. Bruto Galliam citeriorem, datam a Caeſare antea, confirmauit. Idem tamen, quaſi ad ſanitatem reuocatus, reliquis diebus in Capitolio praeclara ſenatus conſulta fecit, primum illud e Ser. Sulpicii ſententia, ne qua poſt idus Mart. immunitatis tabula, neue cuius beneficii figeretur: deinde, vt dictaturae nomen in perpetuum e republica tolleretur. Lux quaedam oblata videbatur: erecti erant, ſpe libertatis, et otii, bonorum animi: conſtituta reſpublica putabatur. ſed cito ille ſimulationem ſuſtulit, ſuique ſimilis viſus eſt. habito enim Kalendis Iun. ſenatu, non eum, quem antea, de republica ſenſum, nec ſuperiorum dierum actis conſentientem voluntatem oſtendit. nihil deinde ad ſenatum referebat: per populum, id eſt, per infimam, corruptamque plebem, contemta ampliſſimi ordinis auctoritate, agebat omnia. contra ſenatus conſultum, quod ipſe fieri voluerat, tabulas figebat: ciuitatem, immunitatesque dabat: exſules reducebat: eaque ſe facere omnia dicebat ex legibus Caeſaris, aut ex eius commentariis. Tum Cicero, deſperata prorſus, Antonio conſule, libertate, vrbem reliquit, in Graeciam iturus, ea mente, vt Kalendis Ian. quo die Panſa et Hirtius conſulatum inituri erant, adeſſet. nec tamen iter illud abſoluit. nam Leucopetrae aduerſa tempeſtate detentus, ab iis, qui ab vrbe venerant, et concionem accepit Antonii, quam valde probauit; et ea cognouit, vnde reuertendi conſilium cepit. Poſt reuerſionem, de via languens, in ſenatum, qui Kalendis Sept. vt Phil. V. c. 7. legitur, in aede Concordiae habebatur, non venit. quo grauiter commotus Antonius, fabros ſe miſſurum, et domum eius disturbaturum, audiente ſenatu, dixit. Poſtridie, id eſt, IV. nonas Sept. in ſenatum venit, abſente Antonio: et hac oratione, primum expoſuit conſilium profectionis, et reuerſionis ſuae: deinde queſtus eſt grauiter de Antonii heſterna iniuria: tum leges illius reprehendit: poſtremo vtrumque conſulem, abſentem Antonium, praeſentem Dolabellam, quem ſibi, profecturus ad bellum Parthicum, Caeſar ſuffecerat, hortatur, vt veram, ſolidamque gloriam ſequantur; diligi a ſuis ciuibus malint, quam metui; rempublicam omni ratione complectantur. Genus orationis demonſtratiuum eſt: nam in accuſando Antonio potiſſimum verſatur. non enim tam Ciceroni σκοπὸς eſt, vt conſilium exponat profectionis, reuerſionisque ſuae: quamquam id omnino fieri decuit, ne boni ciuis officium deſeruiſſe videretur: quam vt Antonii queratur iniuriam, et eius acta, non modo vt iniuſta, ſed etiam vt Caeſaris actis contraria, reprehendat. Admiſta quaedam videntur, quae ad deliberationem pertineant: vt cum acta Caeſaris, praeſertim leges ab eo latas, defendenda eſſe cenſet, non ferendas autem promulgatas ab Antonio leges, quae Caeſaris actis aduerſentur.

EXPLANA-

EXPLANATIO

CAPVT I.

Reuerſionis meae] Proprie. nam *reuerſio* differt a *reditu*. eſt enim *reditus* eius, qui, quo ſtatuerat, peruenit: *reuerſio* autem èius, quem ex itinere cauſſa aliqua reuocat, àc reducit ad eundem locum, vnde a principio diſceſſerat. quod Ciceroni in Graeciam proficiſcenti contigiſſe, oſtendunt ea, quae infra c. 3. narrantur. propterea, cum hac ipſa de re ad Atticum ſcriberet, lib. XVI. epiſt. 7. *Dii immortales*, inquit, *quam valde ille reditu, vel potius reuerſione mea laetatus*. Hic igitur proprie loquitur, vt dixi: quia reuerſio fuit illa potius, quam reditus. non enim in Graeciam Cicero peruenit. interdum tamen confunduntur, et *reuerſio* capitur pro reditu: vt lib. II. de Fin. c. 31. *Vt omnium ſiderum eodem, vnde profecta ſint, fiat ad vnum tempus reuerſio*. *Reditus* autem pro reuerſione, vt Phil. II. c. 30. *Qui vero Narbone reditus?* non, *quae Narbone reuerſio?* cum tamen reuerſio illa potius Antonii fuerit, quam reditus. profectus enim ab vrbe, vt in Hiſpaniam iret, Narbone dies aliquot manſit, deinde, mutato conſilio, Romam reuertit.

Aliquando] Interfecto Caeſare.

Ad veſtrum conſilium] Quae fuerat in vnius poteſtate.

Auctoritatemque] Nam quae ſenatorum eſſe potuit auctoritas, Caeſare ad ſuum arbitrium omnia reuocante?

In vigilia quadam] Vt in bello fieri ſolet.

Conſulari ac ſenatoria] Erat enim et ſenator, et conſularis. maior autem a conſulari, quam a ſenatore, vigilia, et defendendae reipublicae cura poſtulatur.

Nec vero vsquam diſcedebam] Dixerat, *manendum mihi ſtatuebam*.

Nec a republica deiiciebam oculos] Pergit in translatione. qui enim vigiliae munus, curamque ſuſcipit, is oculos deiicere non debet.

In aedem Telluris] Quo ſenatum Antonius biduo poſt Caeſaris necem vocauit: vt in argumento diximus.

Vetus exemplum] In ſedandis diſcordiis.

Graecum etiam verbum vſurpaui] Vtrum, quo vſus eſt Thraſybulus, cum hortaretur populum Athenienſem, ne ſuperiorum temporum iniurias, quibus aut a triginta primum, aut a decem poſtea tyrannis affectus erat, memoriam retineret; an, quo pſephiſma, in eius ſententiam ſcriptum appellari voluerunt? Thraſybuli verbum fuit, μὴ μνησικακεῖν, pſephiſmatis nomen, ἀμνηστία. diuerſa ſunt omnino, ſed alterum tamen ex altero deriuatum. nam quia, μὴ μνησικακεῖν, probatum eſt: ideo publicis decreta litteris ἀμνηστία eſt. quod ſi conſulimus hiſtoriam, et veterum teſtimonia perſcrutamur: malim credere, Ciceronem ἀμνηστίαν, quod erat nomen pſephiſmati, id eſt, verbum ciuitatis, non Thraſybuli, nominaſſe potius, quam illud, vnde natum eſt pſephiſma, μὴ μνησικακεῖν. atque hoc Aemilii Probi, ſiue Cornelii Nepotis, vt placet nonnullis,

nullis, verba confirmant c. 3. *Praeclarum*, inquit, *hoc quoque Thraſybuli, quod reconciliata pace, cum plurimum in ciuitate poſſet, legem tulit, ne quis anteactarum rerum accuſaretur, neue multaretur: eamque illi legem obliuionis appellarunt.* conſentit Iuſtinus, cum ait lib. V. c. 10. *Ne qua diſſenſio ex ante actis naſceretur, omnes iureiurando obſtringuntur, discordiarum obliuionem fore.* Vterque ἀμνηςίαν non obſcure deſcripſit. Planiſſime autem Valerius lib. IV. c. 1. *Plebiſcitum interpoſuit, ne qua praeteritarum rerum mentio fieret. haec obliuio, quam Athenienſes ἀμνηςίαν vocant, concuſſum, et labantem ciuitatis ſtatum in priſtinum habitum reuocauit.* Et in Cicerone Plutarchus: Κικέρων δὲ πολλὰ πρὸς τὸν καιρὸν διελθὼν, ἔπεισε τὴν σύγκλητον, Ἀθηναίους μιμησαμένην, ἀμνηςίαν τῶν ἐπὶ Καίσαρι ψηφίσασθαι. Idem ἐν τοῖς παραγγέλμασι, οἷόν ἐςι ψήφισμα τὸ τῆς ἀμνηςίας ἐπὶ τοῖς τριάκοντα. Appianus quoque lib. II. de bell. ciu. οὐ γὰρ ἔσεσθαι τὴν εἰρήνην μὴ γενομένης αὐτοῖς ἀμνηςίας. et infra, Κικέρων πολὺ τῆς ἀμνηςίας ἐγκώμιον ἐπέλεγεν. et lib. IV. de Antonio, ὑπερεῖδε τῆς ἄρτι ἐπιψηφισμένης ἀμνηςίας. Accedit Vopiſci minime dubium teſtimonium. *Amneſtia*, inquit in Aureliano c. 39. *etiam ſub eo delictorum publicorum decreta eſt, de exemplo Athenienſium: cuius rei etiam Tullius in Philippicis meminit.* loqui Tullium ait περὶ τῆς ἀμνηςίας, non περὶ τοῦ μὴ μνησικακεῖν: quod verbum Graecis vſitatum ſatis eſt. exemplum habemus apud Xenophontem in extremo ſecundo Ἑλληνικῶν, apud Andocidem ſaepe: apud Dionem lib. XLIV. ſimiliter in Phocione Plutarchus, in Diodoro lib. XIV. in Aeſchine ἐν τῷ τῆς παραπρεσβείας.

Cenſui] Senatus conſultum in eius ſententiam eſſe factum, ait Velleius: idque indicant verba Appiani ſupra recitata, de Antonio: ὑπερεῖδε τῆς ἄρτι ἐπιψηφισμένης ἀμνηςίας. et Velleius lib. II. c. 58. *Illud decreti Athenienſium celeberrimi exemplum, relatum a Cicerone, obliuionis praeteritarum rerum, decreto patrum comprobatum eſt.*

Praeclara tum oratio M. Antonii] Infra c. 13. *Tu autem, M. Antoni, abſentem appello: vnum illum diem, quo in aede Telluris ſenatus fuit, non omnibus iis menſibus, quibus te quidam, multum a me diſſentientes, beatum putant, anteponis? quae fuit oratio tua de concordia? quanto metu, quanta ſollicitudine ciuitas tum a te liberata eſt?* et Phil. II. c. 35. 36. *Poſt diem tertium veni in aedem Telluris, et quidem inuitus, cum omnes aditus armati obſiderent. Qui tibi dies ille, M. Antoni, fuit? Quamquam mihi ſubito inimicus exſtitiſti: tamen me tui miſeret, quod tibi inuideris. Qui tu vir, dii immortales! et quantus fuiſſes, ſi illius diei mentem ſeruare potuiſſes!*

Per liberos eius] Sic Velleius lib. II. c. 58. *Conſul Antonius, velut pacis auctor, liberos ſuos obſides in Capitolium miſit, fidemque deſcendendi tuto interfectoribus Caeſaris dedit.* Vnus tamen Antonii filius ſignificatur. nam infra c. 13. *Reipublicae tuus paruulus filius, in Capitolium a te miſſus, pacis obſes fuit.* et Phil. II. c. 36. *Pacem haberemus, quae erat*

erat facta per obſidem, puerum nobilem, Bambalionis nepotem. Liberos etiam dixit pro lege Manilia c. 12. cum de M. Antonii oratoris filia loqueretur.

Nihil tum] Nunc autem reperiri multa fingit. infra c. 7. *An in commentariolis, et chirographis, et libellis, ſe vno auctore prolatis, ac ne prolatis quidem, ſed tantummodo dictis, acta Caeſaris firma erunt: quae ille in aes incidit, in quo populi iuſſa, perpetuasque leges eſſe voluit, pro nihilo habebuntur?* et Phil. II. c. 38. *Quid ego de commentariis infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar?*

Reſtituti] In commentariis a Caeſare.

Vnum] Sex. Clodium de vi damnatum, Pompeio III. conſule, quod eo auctore P. Clodii, a Milone interfecti, corpus in curiam illatum, ibique crematum eſſet. Pedianus in argumento orationis pro Milone: *Populus, duce Sex. Clodio ſcriba, corpus P. Clodii in curiam intulit, cremauitque ſubſelliis, et tribunalibus, et menſis, et codicibus librariorum. quo igne ipſa quoque curia flagrauit.* Extſtat Antonii conſulis ad Ciceronem epiſtola lib. XIV. ad Attic. epiſt. 13. in qua ſunt haec: *A Caeſare petii, vt Sex. Clodium reſtitueret: impetraui. erat mihi in animo etiam tum, ſic vti beneficio eius, ſi tu conceſſiſſes. quo magis laboro, vt tua voluntate id per me facere nunc liceat.*

Nullae] Quas tamen ipſe poſtea multis dedit. Phil. II. c. 36. *Meminiſti ipſe, de exſulibus, ſcis, de immunitate quid dixeris.* et paullo poſt mutationem oſtendit Antonii: *Inſpectantibus vobis, toto Capitolio tabulae figebantur: neque ſolum ſingulis veniebant immunitates, ſed etiam populis vniverſis.*

Aſſentiri etiam nos Ser. Sulpicio voluit] Narrationis perpetuus ordo non eſt. nam ante hoc ſenatus conſultum Antonius laudauit Caeſarem in funere, populumque ſic dolore et iracundia incendit, vt ad domos Bruti, et Caſſii cum facibus accurrerit. quod ideo praeteriit Cicero, quia non omnia, quae fecerit Antonius, ſed eius tantum recte facta hoc loco ſibi commemoranda ſtatuit. idem in Phil. II. c. 36. cum de paruulo Antonii filio, pacis obſide, in Capitolium miſſo locutus eſſet, ſubiunxit ſtatim de illa funebri laudatione, deque illis concitati ab Antonio populi facibus. Poſtea mentionem fecit huius ſenatus conſulti, ne qua tabula poſt idus Mart. vllius decreti Caeſaris, aut beneficii figeretur. ſtatimque addidit illud: *Optimum vero, quod dictaturae nomen in perpetuum de republica ſuſtuliſti.* Perpetuus igitur earum rerum ordo, quae Caeſaris necem conſecutae ſunt, vel bonum ciuem ſimulante Antonio, vel pro ipſius libidine cuncta adminiſtrante, ex Phil. II. petendus eſt.

Ne qua tabula figeretur] Tamquam ex commentariis Caeſaris hoc ſenatus conſultum Antonius fieri voluit, nec tamen ſeruauit: vt ex Phil. II. proxime demonſtratum eſt.

CAPVT II.

Lux quaedam videbatur oblata] Dicit idem aliis verbis Phil. II. c. 36. ſtatim poſt mentionem

ſublatae

ſublatae dictaturae: *Conſtituta respublica videbatur aliis, mihi vero nullo modo, qui omnia, te gubernante, naufragia metuebam.*

Quod ſaepe iuſtum fuiſſet] Saepe ad ſingularem dictatoris poteſtatem difficillimis temporibus respublica tamquam ad ſalutare remedium confugit.

Caedis] Quae impendebat ab homine audaciſſimo, infimae plebis duce, qui ſe C. Marii, ſepties conſulis, filium ſimulabat. Appianus lib. III. de bell. ciu. epitome lib. CXVI.

Vncus impactus eſt] Vnco tractus in Gemonias ſcalas, et in Tiberim deiectus eſt.

Fugitiuo illi] Humillimae enim ſortis cum eſſet, in Mariam gentem, atque adeo in ipſius C. Marii nomen inuaſerat. verum autem eius nomen, diſſentientibus Valerio lib. IX. c. 15. Appiano, epitome, certum non eſt.

Dolabellae] Cum quo in gratiam eo die rediuit Antonius concordiae cauſſa, quo in aede Telluris ſenatus fuit. infra c. 13.

Iidemque] Et ſcelerati homines de plebe infima, et ſerui.

Buſtum in foro facerent] Caeſari, vti crematus erat in foro, conſtituerent.

Qui illam inſepultam ſepulturam effecerant] Cremauerant enim Caeſaris corpus in foro, vt ait Suetonius c. 84. aridis virgultis, ſubſelliis, ac tribunalibus: cum in campo Martio rogus exſtructus eſſet. *Inſepultam ſepulturam* vocat, vel quia ſeruata cremandi, et ſepeliendi conſuetudo non eſt: vel quia, vt infra c. 6. dicitur, ſepulcrum Caeſaris nusquam exſtaret.

Cum in audaces ſceleratosque ſeruos] In crucem egit, quod erat ſeruile ſupplicium: liberos de rupe Tarpeia deiecit. lib. XIV. ad Attic. epiſt. 15. *O mirificum Dolabellam meum! iam enim dico meum; antea, crede mihi, ſubdubitabam. magnam ἀναθεώρησιν res habet de ſaxo; in crucem; columnam tollere; locum illum ſternendum locare.* Exſtat Ciceronis luculenta ad Dolabellam epiſtola, lib. IX. Fam. 14. qua illum de hoc facto gratulans vehementer laudat. Et ad C. Caſſium lib. XII. epiſt. 1. *Manabat illud malum vrbanum, et ita corroborabatur quotidie, vt ego quidem et vrbi, et otio diffiderem vrbano. Sed ita compreſſum eſt, vt mihi videamur omne iam ad tempus, ab illo dumtaxat ſordidiſſimo periculo, tuti futuri.*

Illius exſecratae columnae] Suetonius c. 85. *Plebs ſolidam columnam, prope viginti pedum, lapidis Numidici, in foro ſtatuit, ſcripſitque:* PARENTI PATRIAE. *Apud eandem longo tempore ſacrificare, votá ſuſcipere, controuerſias quasdam, interpoſito per Caeſarem iureiurando, distrahere perſeuerauit.*

Kal. Iun.] Sollemnes legitimi ſenatus habendi dies fuere, Kalendae, nonae, idus, quod quidem in antiquorum ſcriptis obſeruauerim. ſed, interfecto idibus Mart. Caeſare, ſenatum eo die in poſterum haberi non licuit. Suetonius c. 88. et Dio.

Vt adeſſemus] Phil. II. c. 42. *Kalendis Iun. cum in ſenatum, vt erat conſtitutum, venire vellemus, metu perterriti repente diffugimus.*

Multa et magna] Quae narrantur Phil. II. c. 42.

Et abſente populo, et inuito] Non enim ex perditis ciuibus populus conſtat.

 Conſules

Conſules deſignati] Panſa, et Hirtius.

Patriae liberatores] Brutus, et Caſſius. quos metu plebis, ab Antonio, funebri Caeſaris laudatione concitata, Antium, et Lanuuium aufugiſſe diximus.

Appellabantur (Ern. *appellantur*)] Ab Antonio in concionibus. quorum tamen commodis agrorum aſſignatione, ſenatus caverat.

Ad ſpem nouarum praedarum] Quod cum audiſſent Brutus et Caſſius, ad Antonium ita ſcripſerunt lib. XI. Fam. epiſt. 2. *Petimus a te, facias nos certiores tuae voluntatis in nos: puteſne, nos tutos fore in tanta frequentia veteranorum, quos etiam de reponenda ara cogitare audimus.*

CAPVT III.

Non ſine cauſſa vitauiſſem] Vitauit metu quattuor legionum Antonii, quae erant Brundiſii; lib. XVI. ad Attic. epiſt. 2. et 4.

Venti detuliſſent] Nam eteſiae, quaſi boni ciuis relinquentem officium, proſequi noluerunt. vide lib. XII. ad Cornificium epiſt. 25. et lib. XVI. ad Attic. epiſt. 4.

Municipes Rhegini] Ciues Romani erant, et in tribu ſuffragium ferebant. itaque tribules Cornificii vocat eos Cicero lib. XII. Fam. epiſt. 25. et lib. IV. in Verr. c. 11. *Quam vos Rheginis, quorum ciuitati inuidetis, item incolis veſtris, ciuibus Romanis, oſtendere ſoletis.*

Rem conuenturam] Haec tota res in eadem ad Attic. epiſt. explicatur.

Remiſſis Galliis prouinciis] Auget oratorie. nam vnam Galliam citeriorem, quam poſtea inuaſit, pro Macedonia ei a ſenatu iam decreta, optabat Antonius.

CAPVT IV.

Ad tempus] Iam enim Kalendae Sext. praeterierant: eoque die ſe veniſſe Syracuſas, Cicero dixit.

L. Piſonis] Caeſaris ſoceri.

Oratio] Inuectus eſt in Antonium, nemine aſſentiente. Phil. V. c. 7. *At ille homo vehemens, et violentus, qui hanc conſuetudinem libere dicendi excluderet, (fecerat hoc idem maxima cum laude L. Piſo XXX. diebus ante) inimicitias mihi denunciauit.*

Bruti teſtimonio] Lib. XVI. ad Attic. epiſt. 7. ſic de Bruto: *Maxime dolebat, me Kal. Sext. in ſenatu non fuiſſe. Piſonem ferebat in caelum.* Et ad Caſſium lib. XII. Fam. epiſt. 2. *Ita nec Piſoni, qui in eum primus inuectus eſt, nullo aſſentiente, nec mihi, qui idem triceſimo poſt die feci, nec P. Seruilio, qui me eſt conſecutus, tuto in ſenatum venire licet.*

Si quid mihi humanitus accidiſſet] Si mortuus eſſem, ſi quid mihi, vt homini, contigiſſet. Idem erat, *ſi quid mihi accidiſſet:* vt pro Milone c. 36. *Praeclare vixero, ſi quid mihi acciderit prius, quam hoc tantum mali videro.* Et lib. II. de Inuent. c. 21. *Si quid pupillo accidiſſet.* Quod Graeci dicunt, εἴ τι πάθοιμι.

Multa] Multa violentae mortis genera. vide quae diximus in epiſt. Sulpicii, lib. IV. 12.

Praeter naturam, praeterque fatum] Sumſit a Demoſthene. vide Gellium lib. XIII. c. 1.

Nonnullo

Nonnullo eius officio] Quod eum Antonius, poſt pugnam Pharſalicam, nondum impetrata a Caeſare venia, Brundiſii commorantem, cum interimere iure poſſet, noluit. Phil. II. c. 24. Et Antonius ipſe in epiſtola, qua ſcripſit ad eum de Sex. Clodio lib. XIV. ad Attic. epiſt. 13. *Meo,* inquit, *iure te hoc beneficium rogo. nihil enim non tua cauſſa feci.* vt omittam, quod P. Clodium ſtricto gladio, vt eum occideret, inſecutus erat. quod in oratione pro Milone c. 15. ſcriptum eſt.

CAPVT V.

Heſterno die] Kalendis Sept. vt Phil. V. c. 7.

De ſupplicationibus] Caeſari mortuo decernendis. Phil. V. c. 7.

Non pignoribus] Quae auferri ſolebant ſenatoribus, qui in ſenatum vocati non veniſſent. infra: *Quid eſt vltra pignus, aut multam?*

Mihimet displicerem] Triſtior eſſem.

Venturum] Miſſurum fabros, non venturum eſſe cum fabris, dixit Phil. V. c. 7.

Ex ſenatus ſententia aedificatam domum] Quam P. Clodius tribunus plebis pulſo Cicerone euerterat, eam ſenatus, eodem reſtituto, aedificandam cenſuit, lib. IV. ad Attic. epiſt. 2. Velleius quoque lib. II. c. 45. *cuius,* inquit, *domus quam infeſte a Clodio disiecta erat, tam ſpecioſe a ſenatu reſtituta eſt.*

CAPVT VI.

Parentalia] Quae tuliſſem: vt vero ſupplicationes mortuo ſimul decernerentur, id vero numquam tuliſſem.

Propagauit] Cum eum imitatus tyranno rempublicam M. Brutus liberauerit. Sciendum, a L. Bruto originem non duxiſſe M. Brutum. ille enim patricius, hic plebeii generis: nec ille filios reliquit.

Cum immortalium] Opponit immortales mortuo.

Vt me aduerſus populum Romanum facile poſſem defendere] Non enim mihi poſſet obiicere, mali quidquam reipublicae ex mea ſenteutia contigiſſe. nihil decreuiſſem, quo deorum immortalium ira prouocaretur: non in rempublicam inexpiabiles induci religiones paſſus eſſem.

Si qui accidiſſet grauior reipublicae caſus] Laeſos illo ſenatus conſulto deos immortales, quo parentalia ſupplicationibus Caeſari decreta ſunt, videtur exiſtimare, et ideo grauius aliquid timendum.

Neceſſaria] Dominante Caeſare.

Quorum ſilentio ignoſco] Silentibus propinquis ignoſco, vt L. Caeſari, Antonii auunculo.

Alium alia de cauſſa] Amare dictum in conſulares. nam ſi metu ſiluerunt, eſt id quidem turpe: ſed oritur ſuſpicio turpioris etiam cauſſae, qualis eſſet, male de republica ſentire, Antonio libentius, quam patriae fauere, aut ab eo etiam praemia exſpectare.

CAPVT VII.

Sine aduocatis] Sine militibus; quibus, a quo primum die ſenatum habuit, poſt Caeſaris interitum, vel praeſidii ſui cauſſa, vel vt metum ſenatoribus iniiceret,

ret, eoque facilius, quae vellet, obtineret, curiam circumdare ſolitus eſt. Phil. II. c. 35. *Poſt diem tertium veni in aedem Telluris, et quidem inuitus, cum omnes aditus armati obſiderent.*

Licet ei minus valere] Apparet, hoc die in ſenatum non veniſſe Antonium valetudinis cauſſa. quod infra quoque c. 11. intelligitur ex eo: *Nec erit iuſtior P. C. in ſenatum non veniendi morbi cauſſa, quam mortis.*

Heri] Kalendis Sept.

Quemadmodum ipſe Caeſaris acta defenderet] Si Caeſaris acta, vt ſimulat, probat Antonius: doceat nos, quemadmodum ea defendat. qui enim defendit, cum leges Caeſaris legibus aduerſantes promulgat? at ego, cum ea non probem, defendo tamen pacis, otiique cauſſa.

Se vno auctore prolatis, ac ne prolatis quidem, ſed tantummodo dictis] Phil. V. c. 4. *Regna, ciuitates, immunitates in aes, accepta pecunia, iubebat incidi. Haec ſe ex commentariis Caeſaris, quorum ipſe auctor erat, agere dicebat.*

An, ſi cui quid ille promiſit, id erit fixum] Ἀνανταπόδοτον, niſi fallor, hic eſt. alterum enim membrum omnino requirere ſententia videtur, hoc videlicet, aut ſimile: *Quod autem in aes incidit, id ratum non erit?* Sed, quod hic omittitur; quia ſtatim interponuntur multa, quae ad Caeſaris promiſſa pertineant: id infra aſſumitur ex iis verbis: *Ecquid eſt, quod tam proprie dici poſſit actum eius, qui togatus in republica cum poteſtate, imperioque verſatus ſit, quam lex?*

Quod idem facere non potuit] Idem Caeſar, qui promiſit, efficere tamen non potuit, vt, quidquid promiſit, fixum eſſet. multis enim multa promiſit, quae non fecit.

Vt] Particula exemplum inducens promiſſi non ſeruati.

Reperta ſunt] Ab Antonio, qui reperta ſimulauit, re autem vera non reperit.

Sed ea non muto] Leges Caeſaris, quae proprie ſunt illius acta, cur tollunt?

Praeclara] Si quid ille egit e republica. nam praeclara non ſunt, quaecumque aut egit, aut ab eo acta dicuntur.

Pecunia vtinam ad Opis maneret] In Opis aede ſepties millies H-S, quae ſunt nummo noſtro ducenties decies centena ſcutatorum millia, Caeſar depoſuerat. eam omnem pecuniam Antonius abſtulit partim ſibi, vt aes alienum grande diſſolueret, partim Dolabellae, collegae ſuo, ipſi quoque graui aere alieno obſtricto, partim aliis, quos a tuendae reipublicae cura ad ſuas partes traduxit. Phil. II. c. 37. *Vbi eſt ſepties millies ſeſtertium, quod eſt in tabulis, quae ſunt ad Opis? funeſtae illius quidem pecuniae, ſed tamen, ſi iis, quorum erat, non redderentur, quae nos a tributis poſſet vindicare. Tu autem quadringenties H-S, quod idibus Mart. debuiſti, quonam modo ante Kal. April. debere deſiiſti?* Phil. V. c. 4. *Illa vero diſſipatio pecuniae publicae ferenda nullo modo eſt, per quam ſepties millies falſis perſcriptionibus, donationibusque euertit.* Phil. VII. c. 5. *Cuius vt omittam innumerabilia ſcelera vrbani conſulatus, in quo pecuniam publicam maximam diſſipauit, exſules ſine lege reſtituit,* etc. Velleius

leius lib. II. c. 60. *H-S ſepties millies depoſitum a C. Caeſare ad aedem Opis, occupatum ab Antonio.* Pecuniam ab Antonio Dolabellae datam, ambiguo ioco ſignificat Cicero lib. XIV. ad Attic. epiſt. 18. *O hominem pudentem!* (loquitur de Dolabella) *Kalendis Ian. debuit: adhuc non ſoluit, praeſertim cum ſe maximo aere alieno Faberii manu liberarit, et opem ab eo petierit.*

Cruenta] De bonis caeſorum in acie Pompeianorum exacta, propterea *funeſta pecunia* vocatur. Phil. II. c. 37.

His temporibus neceſſaria] Poſſet enim nos a tributis vindicare. Hoc ipſe Cicero narrat Phil. II. c. 37.

Sed ea ipſa concedo] Chirographa. ſupra: *Sed ea non muto, non moueo.*

Etiam conniueo] Scripta eſſe a Caeſare in commentariis, quae ſcripta non ſint, ſingo me credere.

CAPVT VIII.

Optima etiam republica] Ergo tulit eam Caeſar rerum potitus.

Ne praetoriae prouinciae plus quam annum, neue plus quam biennium, conſulares obtinerentur] Conſularium annua tantum fuerat adminiſtratio: vt diximus in oratione de Prouinciis.

Hac lege ſublata] Hic Antonium non nominat: non enim ipſe legem tulit de prouinciis, ſed a duobus tribunis plebis, quorum vnus fortaſſe fuit Lucius, frater eius, ferri voluit. Phil. V. c. 3. *Tribuni plebis tulerunt de prouinciis contra acta Caeſaris, ille biennium, hic ſexennium.*

De tertia decuria iudicum] In qua homines de plebe iudicabant, in prima ſenatores, in ſecunda equites: quod C. Aurelius Cotta praetor Pompeio II. Craſſo II. coſſ. lege ſanxit: cum antea ſoli ſenatores lege Cornelia L. Sullae iudicarent. Aſconius in Diuin. c. 3. et in Piſon. c. 39.

Aurelia] De qua proxime diximus. Ordo hic eſt. Tulit Cotta de iudiciis primus, alter Pompeius iterum conſul, vt oratio in Piſonem c. 39. docet, tertius Caeſar ciuili bello victor.

Cenſus praefiniebatur] Ampliſſimus, lege Pompeia. infra.

Qui ordines duxerunt] Centuriones.

Qui res iudicant] Pro, qui iudicant. ſic veteres loquebantur. paullo poſt: *Hic eſt legis index, vt ii res in tertia decuria iudicent.* Phil. V. c. 5. *Nec debere eodem tempore Romae, et Athenis res iudicare.* Phil. XI. c. 5. *Quorum res iudicatas irritas fecimus.* Pro Poſtumo c. 7. *Si quis ob rem iudicatam pecuniam cepiſſet.* Coelius ad Ciceronem lib. VIII. Fam. epiſt. 14. *In hac discordia video Cn. Pompeium, ſenatum, quique res iudicant, ſecum habiturum.* Aſconius in Piſon. c. 39.

Iſtos] Quorum cenſus ſuperioribus legibus praefinitur.

Quicumque ordinem duxit] Etiam ſi legitimo cenſu careat.

Quicumque equo meruiſſet] Vt iudicaret, licet ampliſſimo cenſu non eſſet: quo legi oportebat omnes iudices lege Pompeia.

Nemini probaretis] Nemo ſententiam veſtram probaret.

Fortuna] Res familiaris. Pompeius in conſulatu ſecundo promulgauit, vt ex ampliſſimo cenſu, ex

ex centuriis, aliter, quam antea, lecti iudices, aeque tamen ex illis tribus, res iudicarent. Pedianus in Piſon. c. 39.

Dignitas] Quae maxime homines in officio continet.

Manipulares] Qui ordines non duxerint.

Ex legione Alaudarum] Maior turpitudo, quam ſi ex legione Romana lecti eſſent. Alaudae enim Galli transalpini erant, quos Caeſar, victo Pompeio, ciuitate donauit. Phil. V. c. 5. ad augendam turpitudinem dixit: *Et manipulares, et Alaudas iudices.* Suetonius in Iulio c. 24. *Qua fiducia ad legiones, quas a republica acceperat, alias publico, alias priuato ſumtu addidit, vnam etiam ex transalpinis conſcriptam, vocabulo quoque Gallico: Alauda enim appellabatur: quam diſciplina, cultuque Romano inſtitutam, et ornatam, poſtea vniuerſam ciuitate donauit.* Plinius lib. XI. c. 37. *Ab illo galerita appellata quondam, poſtea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat Alauda.* Phil. V. c. 5. et XIII. c. 18.

Aliter enim noſtri negant poſſe ſe ſaluos eſſe] Niſi iudices habeant manipulares. *Noſtri:* amici, et familiares, omnium ſcelerum affines. Loquitur ex perſona Antonii.

Hic enim eſt legis index] Hoc indicat lex, ideo centuriones, et manipulares etiam ad iudicandum vocatos, quia, conſcii ſcelerum ſuorum, libere iudicare non audeant. itaque contumelia potius, quam honore, affecit eos Antonius.

In quo quantus eſt error eorum] Valde in hoc errauit Antonius, cum hanc legem ideo excogitauit, vt amici ſui, omnibus inquinati vitiis, facile poenam vitarent; itaque ſupra dixit: *Aliter enim noſtri negant poſſe ſe ſaluos eſſe:* errauit, inquam, cum hoc putauit Antonius. nam quo ſordidiores erunt iudices, eo ſeueriores in iudicando: vt boni viri videantur, et digni potius prima, et ſecunda decuria, quam tertia.

In turpem] In tertiam.

Iure] Iure coniectus in eam videretur, ſi turpiter iudicaret. iudicabit autem ſeuere, ne iure coniectus in eam videatur.

Coniectus] Ignominioſum verbum: quaſi coniectus probri, et contumeliae cauſſa, non honoris.

CAPVT IX.

Cuius interſit iſtam legem manere] Reis enim de vi, et de maieſtate, qui nec vlli nunc ſunt, nec futuri videntur, opem nullam ferent. nam quae vis armis eſt illata ciuili bello, ea certe numquam in iudicium vocabitur.

At res popularis] Populo grata; quia prouocatio populi poteſtatem auget.

Ad eam ipſam vim reuerti] Quo modo reuertitur ad vim? reuertitur potius ad maieſtatem populi Romani, qua iam laeſa damnatus eſt. itaque, *vim,* arbitror abundare.

Multitudini conductae] Ad quam prouocabitur. id enim ſpectat Antonius, vt in poſterum, nullo iudicii metu, et vim inferre, et minuere maieſtatem liceat.

Ad operas mercenarias] Ad multitudinem conductam.

Quid eſt aliud, hortari (Ern. *adhortari) adoleſcentes*] Vſitatum

tum loquendi genus. Phil. V. c. 2. *Quid eſt aliud, omnia ad bellum ciuile hoſti arma largiri?* Phil. X. c. 2. *Quid eſt aliud, librarium Bruti laudare, non Brutum?* Phil. XII. c. 6. *Quid eſt aliud, non pacem facere, ſed differre bellum?* In Piſonem c. 20. *Quid eſt aliud furere, niſi non cognoſcere homines, non cognoſcere leges, non ſenatum, non ciuitatem?*

Quam autem ad peſtem (Ern. *reipublicae peſtem*)] Vel reipublicae, vel priuatorum hominum.

Legibus Caeſaris] De vi, et de maieſtate.

CAPVT X.

De exſilio reducti a mortuo] Iocoſa, et eadem tamen acerba narratio. mortuorum enim actio nulla eſt: at Caeſar mortuus exſules reduxit: ciuitatem, immunitates dedit. nam Antonius iis de rebus leges protulit, et in Capitolio fixit, vt Caeſaris leges. Phil. II. c. 38. *De exſulibus legem, quam fixiſti, Caeſar tulit?* Phil. V. c. 4. *Reſtituebantur exſules, quaſi lege, ſine lege.*

Prouinciis] Lib. XIV. ad Attic. epiſt. 12. *Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem, a dictatore comitiis latam, qua Siculi ciues Romani: cuius rei, viuo illo, mentio nulla.*

Verum optimo] Antonio: ironia.

Domo prolata] Scripſit ipſe domi ſuae, non in commentariis Caeſaris reperit.

Nos, qui defendimus acta Caeſaris, euertendas putamus (Ern. *putabimus*)] In Antonium confertur hoc. Tu, qui defendis, vt ais, acta Caeſaris, leges eius euertendas putas?

Quae iam latae dicuntur] Non enim re vera latae, promulgatione nulla.

Quaerunt] Putant nonnulli, timendum non eſſe, ne leges malae, cum boni tribuni plebis ſint, ferantur: et paratos eſſe dicunt, qui intercedant, et qui de caelo ſeruent. id enim eſt, quod ait: *Qui rempublicam religione defendant.*

Quas tu mihi, inquit, interceſſiones, quas religiones] Subaudi, *narras.* Antonii verba ſunt, vt illa Verris, in re ſimili lib. IV. c. 39. *Quam mihi religionem narras? quam poenam? quem ſenatum?*

Quibus reipublicae ſalus continetur] In Vatinium c. 7. *Num quem poſt vrbem conditam ſcias tribunum plebis egiſſe cum plebe, cum conſtaret ſeruatum eſſe de caelo?*

Negligimus iſta] Et hoc ex Antonii perſona.

Forum ſepietur] Ne cui ſit aditus, qui velit intercedere, aut obnunciare. Ita tulit Antonius, vt Phil. V. c. 4. docet, legem de iudicibus: eamque legem ſenatus poſtea, tamquam per vim latam, ſuſtulit: vt ex eadem c. 6. et ex Phil. XI. c. 5. cognoſcitur.

Conſules populum iure rogauerunt] Principium hoc erat legum antiquarum. exemplum habemus apud Frontinum de aquae duct. c. 129. *T. Quintius Criſpinus conſul populum iure rogauit, populusque iure ſciuit.*

Hoccine (Ern. *hoc enim*)] Hoc veſtrum: quod ab illo vetere longiſſime diſtat. legem enim vocatis, et in aes incidi iubetis, quae, foro ſepto, omni aditu

 clauſo,

clauſo, armata multitudine in praeſidiis collocata, lata ſit.

Quod eſt amicorum] Itaque mihi iraſci non debetis.

De quibus eſt integrum vobis] Nondum enim latae ſunt.

Demonſtro vitia] Quae iam dixit: *Forum ſepietur: omnes claudentur aditus: armati in praeſidiis multis locis collocabuntur.*

Denuncio vim] Fore praedico, vt eae leges per vim ferantur.

CAPVT XI.

Auorum] Paterni, M. Antonii oratoris; materni, L. Caeſaris, qui cum P. Rutilio Lupo conſul, cum P. Craſſo cenſor fuit.

Auunculi] L. Caeſaris.

Aduerſario Caeſaris] Qui Pompeium ciuili bello ſecutus eſt.

Quod Piſoni ſocero] Cui licuit, quae de republica ſentit, libere dicere, et in ipſum Antonium conſulem inuehi.

Quod cauebimus] Mortem ſcilicet.

Morbi cauſſa] Quae ſi iuſta eſt Antonio non veniendi hodie in ſenatum, non minus iuſta videri poterit, ſi ego non veniam metu mortis.

CAPVT XII.

Nimis creduli] Iocus eſt. nam putabant, quod verum eſſe conſtabat, eos et pecuniam, et opes violentas, et infinitam potentiam ſpectaſſe.

Expiato foro] Euerſa columna, apud quam ſacrificare perditi homines ſolebant. totam hanc rem vide ſupra c. 2.

Gratias boni viri agebant] Quaſi alumnus eſſes diſciplinae meae; meisque praeceptis, et conſiliis obtemperans praeſtantiſſimum te ciuem, et ſingularem conſulem praeberes. Exſtat hac de re ad Dolabellam epiſtola, lib. IX. Fam. 14.

Theatri] In quo gladiatores pugnarunt, ab vrbano praetore M. Bruto dati. infra c. 15.

Propter quas] A te tribuno plebis viuo Caeſare commiſſas. quarum ea maxime perniciosa, quod legem tulit de tabulis nouis.

Tantam dignitatem deponere] Depoſuiſti, cum Antonii pernicioſa reipublicae conſilia ſequi coepiſti.

CAPVT XIII.

In aede Telluris] Biduo poſt Caeſaris necem.

Veterani] Hoc dele, vitii nihil erit in ſententia.

Oblitus auſpiciorum (Ern. *auſpicia*)] Cum tu ipſe, creato comitiis centuriatis conſule Dolabella, obnunciaſti, et, quod ad te attinet, vitioſum conſulem feciſti. Phil. II. c. 33.

Illo primum die] Cum antea propter obnunciationem tuam eſſe conſulem negares.

Collegam tibi eſſe voluiſti] Vt non amplius vitioſum.

Propter vnius M. Manlii ſcelus] Qui contra patriam conſilia iniuerat. quibus patefactis, de rupe Tarpeia deiectus eſt. Liuius lib. VI. c. 20.

Neminem patricium] Nam et plebeii Manlii fuere.

Domeſtici] Latenter auaritiam carpit Fuluiae, Antonii vxoris, quae C. Curionis, et P. Clodii vxor quoque fuerat. in eandem ſic Phil. III. c. 4. *At vero huius*

domi

domi inter quas Sulla pendebatur aurum: numerabatur pecunia: vna in domo omnes, quorum intererat, totum imperium populi Romani nundinabantur. Et Phil. V. c. 4. *Mulier, ſibi felicior, quam viris, auctionem prouinciarum regnorumque faciebat.*

CAPVT XIV.

Illud magis vereor] Ne potentiae potius immoderatae, quam pecuniae cupiditate pecces.

Ipſi illi (Ern. *ipſis illis*)] Atreo, Pelopis filio, Agamemnonis, et Menelai patri. is fratri ſuo Thyeſti, quia ſtupraſſet vxorem ſuam, filium epulandum appoſuit.

Oderint, dum metuant] Apud Accium poetam hoc dicit Atreus.

Pernicioſum fuiſſe] Quia regno pulſus eſt.

Auum tuum] M. Antonium oratorem.

Cum ſumma interfectoris gloria] Totum hoc ad gloriam pertinet eorum, qui Caeſarem occiderant.

CAPVT XV.

Pompeii ſtatuae] Quae fuit in eius theatro, in quo, vt diximus, gladiatores pugnarunt.

Apollinaribus ludis (Ern. *Apollinarium ludorum*)] A C. Antonio praetore datis, nomine abſentis M. Bruti praetoris vrbani: ad quem horum ludorum cura pertinebat.

Accio] Poetae, cuius agebatur fabula, Brutus, inſcripta.

Sexageſimo poſt anno] Quam obierat.

Palmam dari] Rectius fortaſſe, *plauſum dari.*

A ſummis, mediis, infimis] Non modo a popularibus.

Fugiunt] Quia plauſum illum bonis viris dari vident.

Tam caram populo Romano vitam A. Hirtii] Hirtio, conſule deſignato, grauiter aegrotante, populus Romanus, quia ſperaret eum in conſulatu rempublicam defenſurum, pro eius incolumitate vota ſuſcepit. Phil. VII. c. 4. *Aequum, credo, putauit, vitam, quam populi Romani votis retinuiſſet, pro libertate populi Romani in diſcrimen adducere.* Et Phil. X. c. 8. *Quidquid habuit virium, id in eorum libertatem defendendam contulit, quorum votis iudicauit ſe a morte reuocatum.*

Ad aetatem] Annum agebat ſexageſimum tertium: natus enim Caepione, Serrano coſſ.

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
PHILIPPICAM SECVNDAM
IN
M. ANTONIVM

ARGVMENTVM

Habita a Cicerone IV. non Sept. oratione prima in Antonium, ille ſe in villam Tiburtinam contulit, ibique dies ſeptemdecim, quod Ciceroni reſponderet, commentatus eſt. XIII. Kal. Octobr. habito ſenatu, in abſentem Ciceronem, qui ſe tuto adeſſe non poſſe intelligebat, quae cogitauerat, euomuit. ei Cicero hac oratione reſpondit: quo die, ſi quaeritur: eo, dicam, qui quartum diem ludorum Romanorum in circo proximus eſt conſecutus. id Cicero ipſe docet c. 43. his verbis: Neſcis, heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuiſſe? te ipſum autem ad populum tuliſſe, vt quintus praeterea dies Caeſari tribueretur? Cur non ſumus praetextati? *Is igitur dies, vt ex Romano vetere Kalendario liquet, XIII. Kal. Octobr. fuit. quo ipſo die in Ciceronem Antonius eſt inuectus. ita videtur praeſens praeſenti Cicero reſpondiſſe. quod ipſe negat Phil. III. c. 13.* Hunc ego, *inquit*, diem exſpectans, M. Antonii ſcelerata arma vitaui, tum, cum ille in me abſentem inuehens, non intelligebat, ad quod tempus me, et meas vires referuarem. ſi enim illi tum, caedis initium a me quaerenti, reſpondere voluiſſem, nunc reipublicae conſulere non poſſem. *Et Phil. V. c. 7.* Adeſſe, *inquit*, in ſenatu iuſſit ad XIII. Kal. Octobr. ipſe interea ſeptemdecim dies de me in Tiburtino Scipionis declamitauit, ſitim quaerens. haec enim ei cauſſa eſſe ſolet declamandi. Cum is dies, quo me adeſſe iuſſerat, veniſſet, tum vero agmine quadrato in aedem Concordiae venit, atque in me abſentem orationem ex ore impuriſſimo euomuit. quo die, ſi per amicos mihi cupienti in ſenatum venire licuiſſet, caedis initium feciſſet a me. ſic enim ſtatuerat. *Et ad Caſſium lib. XII. epiſt. 2.* Caedem gladiator quaerit, eiusque initium ad XIII. Kal. Octobr. a me ſe facturum putauit. At quam paratus venerat, cum in villa Metelli

telli complures dies commentatus eſſet! *Cum igitur et affuiſſe in ſenatu XIII. Kal. Octobr. et idem non affuiſſe videatur: quaerenda ratio eſt, quomodo pugnantes inter ſe loci conciliari poſſint. Cum ſe non affuiſſe dicit, vere dicit: ſaluti enim conſulendum cenſuit. Rurſus, cum affuiſſe videtur, imago quaedam veritatis, non ipſa veritas, quaeritur: vt, quae oratio domi per otium ſcripta eſt, non in ſenatu habita, in ea legantur illa ipſa, quae Cicero, ſi in ſenatum veniſſet, Antonio reſpondens locutus eſſet. Putemus igitur, id quod res eſt, fictam eſſe hanc orationem, ſed ita legatur tamquam vera. ita omnis dubitatio de die, quo ſit habita, cum habita numquam ſit, auferetur. Genus idem eſt, quod ſuperioris. Purgat ſe primum aduerſus Antonii calumniam, et ita purgat, vt omni eum loco non leviter pungat: deinde ſingulas eius vitae partes, a puerili praetexta exorſus, vehementer exagitat. nam illa breuis adhortatio, vt reſipiſcat, poſtremo loco reſeruata, diffidentis eſt, ab officio boni ciuis erga rempublicam profecta, minima tamen, vel nulla potius cum ſpe coniuncta.*

EXPLANATIO

CAPVT I.

His annis viginti] Anni plane ſunt viginti a Catilinae coniuratione ad hoc tempus, ſi numerandi ſumatur initium ab ipſo conſulatu Ciceronis, finis autem fiat in Antonio conſule.

Mihi poenarum illi plus, quam optarem, dederunt] Caeſi enim ſunt Catilina, et Clodius. lib. II. de Leg. c. 17. *Reprimam iam, et non inſequar longius, eoque minus, quo plus poenarum habeo, quam petiui.*

Mihi vni conſeruatae dedit] Supplicatio ſignificatur, quam ei conſuli, coniuratione Catilinae patefacta, togato ſenatus decreuit. quod antea contigerat nemini. itaque Phil. XIV. c. 8. *Mihi*, inquit, *conſuli ſupplicatio, nullis armis ſumtis, non ob caedem hoſtium, ſed ob conſeruationem ciuium, nouo et inaudito genere decreta eſt.* In epiſtola vero ad Catonem lib. XV. Fam. 4. *Tu idem ſupplicationem mihi decreviſti togato, non, vt multis, republica bene geſta, ſed, vt nemini, republica conſeruata.*

CAPVT II.

Veniſſe] In iudicium, vt familiarem meum defenderem. Iudiciale verbum, vt Phil. VIII. c. 6. *Cum ſuo magno eſſet beneficio, veniſſe eum contra ſe.* Pro Q. Roſcio c. 6. *Quid tu, Saturi, qui contra hunc venis, exiſtimas aliter?* Lib. II. in Verr. c. 43. *Quid ſi omnium mortalium Sthenio nemo inimicior, quam hic C. Claudius, tum ſemper, tum in his ipſis rebus et temporibus fuit? ſi de litteris corruptis contra venit?* Et pro Murena c. 4. *Si turpe exiſtimas, te aduocato, illum ipſum, quem contra veneris, cauſſa cadere.*

Alienum] Cui litiganti fauebat Antonius, obſceni amoris cauſſa. ſequitur enim: *An ego non venirem contra gratiam, non virtutis ſpecie, ſed aetatis flore collectam?*

Iſte]

Iſte] Antonius.

Interceſſoris] Tribuni plebis.

Non iure praetoris (Ern. *praetorio*)] Quod obtineri a praetore non poterat, vt familiari meo fieret iniuria, id a tribuno plebis obtinuit, vt intercederet.

Vt te infimo ordini commendares] Quia confugiſſes ad auxilium tribuni plebis.

Q. Fadii] Bambalionis. Phil. III. c. 6.

C. Curionem] Qui turpiter amavit Antonium: vt infra c. 18.

Expetitum] Conſularem, et clarum rebus geſtis. Ad Catonem: *Sacerdotium cum non difficillime conſequi poſſem, non appetiui. Idem poſt iniuriam acceptam ſtudui qua ornatiſſima ſenatus populique Romani de me iudicia intercedere. Itaque et augur poſtea fieri volui, quod antea neglexeram, et eum honorem, qui a ſenatu tribui rebus bellicis ſolet, neglectum a me olim, nunc mihi expetendum puto.*

Tu nec ſoluendo eras] Non erat, vnde ſolueres id, quod debebas. lib. II. de Offic. c. 22. *In pecuniis creditis occultat ſuum gaudium, ne videatur non fuiſſe ſoluendo.* Sic apud Liuium lib. XXXI. c. 13. *Cum et priuati aequum poſtularent, nec tamen ſoluendo aeri alieno reſpublica eſſet.* Similiter idem lib. II. c. 9. *Vt diuites conferrent, qui oneri ferendo eſſent:* lib. IV. c. 35. *Experiendam rem denique in vno aut altero eſſe, ſitne aliquis plebeius ferendo magno honori.* valet igitur *eſſe*, ſufficere.

Cum in Italia Curio non eſſet] Erat in Aſia quaeſtor: vt ex epiſtolis, quas ad eum Cicero ſcripſit, intelligitur.

Vnam tribum ferre] Vnius tribus ſuffragiis creari. Erat enim eo tempore penes populum ſacerdotum cooptandorum poteſtas Domitia lege.

Sine Curione] Qui tunc tribunus plebis erat, amiciſſimus Antonii, quem turpiter amauerat adoleſcentem. Plutarchus in Antonio.

CAPVT III.

Brundiſii] Quo ſe poſt aciem Pharſalicam, nondum impetrata a Caeſare venia, ſatis temere contulit.

Non occideris] Quod licuiſſe tibi putas iure belli. infra c. 24. *Victor e Theſſalia Brundiſium cum legionibus reuertiſti. ibi me non occidiſti. magnum beneficium. potuiſſe enim fateor.*

Principatum] Poſt pugnam Pharſalicam Italiae praefuit Antonius.

Ire iuſſiſſet] Non iuſſerat Caeſar, ſed Ciceronis genero Dolabellae dixerat, vt ad eum ſcriberet, vt in Italiam quam primum veniret. lib. XI. ad Attic. epiſt. 7.

Numquam] Si beneficium eſt, non adimere vitam, cur Brutus, et Caſſius, et ceteri, qui Caeſarem occiderunt, quibus ille, cum poſſet, vitam non ademerat, tantam ſunt gloriam conſecuti? fit enim ex eo perſpicuum, beneficium illud non fuiſſe, quod eos victor Caeſar non interfeciſſet. nam ſi fuiſſet, gloriam tantam ex eius nece non eſſent adepti.

Turpiſſimo mercatu] Infra c. 14. *Cuius domus quaeſtuoſiſſima eſt falſorum commentariorum et chirographorum officina: agrorum, oppidorum, immunitatum, vectigalium flagitioſiſſimae nundinae.* Et

Et Phil. III. c. 4. *Vna in domo omnes, quorum intererat, totum imperium populi Romani nundinabantur.*

Et de te] Quis enim de ſe ipſo leges fert? quod leges vetabant, Licinia, et Aebutia: vt in agraria II. c. 8.

Cum auſpicia augur] Non auſpicatus eſt, nec auſpiciis paruit, cum leges ferret. quod turpe cuiuis, auguri longe turpius. Phil. V. c. 3. *Quam legem ſe augur dicit tuliſſe, non modo tonante Ioue, ſed prope caeleſti clamore prohibente, hanc dubitabit contra auſpicia latam confiteri?*

Interceſſionem ſuſtuliſſes] Non enim intercedi potuit, cum promulgatae non ſint. promulgabantur enim leges, vt ex eo ſciri poſſet, probandaene, an improbandae eſſent.

Pudica in domo] Non Antonii, ſed Pompeii, in qua habitabat. infra c. 27. *At eiusdem aedes etiam, et hortos. O audaciam immanem! tu ingredi illam domum auſus es? tu illud ſanctiſſimum limen intrare?*

CAPVT IV.

Muſtellae] Infra c. 41. gladiatorum principem vocat. vtrumque nominat Phil. VIII. c. 9.

Inter ſicarios] Cum ſtent in conſpectu ſenatus cum gladiis. quod leges vetant.

Scientiam quaeſtuoſam] Quia chirographa fingis, quaſi a Caeſare ſcripta.

Magiſtro tuo] Sex. Clodio Siculo, vt ait Suetonius de clar. rhet. c. 5.

Tanta mercede] Duobus millibus iugerum agri Leontini. infra c. 17.

Omne autem crimen tuum eſt] Dele *tuum:* concinnior ſententia videbitur. hoc enim ad Attic. dicet: *omne meum crimen eſt in eo, quod de te in his litteris non male exiſtimem*, etc.

Quendam] Sex. Clodium ſcribam, non rhetorem proxime nominatum. extant hae litterae Antonii lib. XIV. ad Attic. epiſt. 13. hoc initio: *Occupationibus eſt factum meis.*

Caeſaris lege reductus] Is eſt, de quo ſic in Phil. I. c. 1. *Num qui exſules reſtituti? vnum aiebat, praeterea neminem.*

Sed videlicet meam gratiam voluiſſet (Ern. *voluit*) *eſſe*] Videtur ideo voluiſſe ad me ſcribere de Sex. Clodio, vt eo mihi beneficio, tamquam permittente me, reſtitutus plurimum Clodius deberet. ſi hoc ſpectauit, ſtulte fecit. tantum enim abeſt, vt beneficium illud meum eſſet, vt ne ipſius quidem eſſe poſſet, lege iam a Caeſare lata.

Lege lata] Nam ſi lege Caeſaris reditum in patriam impetrauerat, Antonii beneficium in eo reſtituendo nullum erat.

CAPVT V.

Alterum ipſe efficiam] Quia magis in rebus verſabitur oratio mea.

Ne ille quidem me vt conſularem] Sic L. Craſſus, orator ille ſummus, conſulem ſibi eſſe negabat L. Craſſum, cui conſularis ipſe non eſſet, lib. III. de Orat.

Ita factus eſt conſul] Factus enim tyranni beneficio, non liberi populi iudicio.

Profiteretur] Improbum profitetur, cum eius conſulatum vituperat.

tuperat, qui ſine ſenatus conſilio, auctoritate, ſententia, nihil egit.

Te fatum, ſicuti C. Curionem, manet] Alii libri: *Tibi fatum ſicuti C. Curioni manet.* quod non repudio. nam et *praeſtolor te*, et *praeſtolor tibi* veteres dicebant.

Quoniam id domi tuae eſt, quod fuit illorum vtrique fatale] Fato praeſcriptum videtur, vt, qui vxorem Fuluiam duçant, omnes immatura morte intereant. ſic primus eius vir Clodius, ſic ſecundus Curio caeſus eſt: tertium te manet idem fatum. infra: *Dum iſtis conſiliis vteris, non potes, mihi crede, eſſe diuturnus. Etenim iſta tua minime auara coniux, quam ego ſine contumelia deſcribo, nimium debet diu populo Romano penſionem tertiam.* Id eſt, mortem tuam: cum duas iam populo Romano ſatis mature ſoluerit, vnam Clodii, alteram Curionis morte. quod enim populo Romano debet, in eo perſoluendo auara eſſe non ſolet. nunc ſolutionem ab ea tam diu differri, iure homines mirantur.

P. Seruilio] Iſaurico, eius patri, qui cum Caeſare conſulatum geſſerat.

D. Silano, L. Murenae] Miror omiſſum eſſe L. Torquatum, quem earum rerum, quas in conſulatu pro patriae ſalute geſſit, participem, adiutoremque ſibi praecipuum fuiſſe, fatetur in oratione pro Sulla c. 12.

M. Catoni] Tribuno plebis deſignato.

Meo beneficio] Quia tyrannide eam Catilinae liberaſſem. lib. I. de Offic. c. 22. *Mihi quidem vir abundans bellicis laudibus, Cn. Pompeius, multis audientibus, hoc tribuit, vt diceret, fruſtra ſe triumphum tertium deportaturum fuiſſe, niſi meo in rempublicam beneficio, vbi triumpharet, eſſet habiturus.*

CAPVT VI.

Qui duo de conſulari (Ern. *e conſularium*) *numero reliqui ſunt*] Conſulares plures, quam duo, viuebant: ſed eos perſequitur, qui conſulares erant ipſo conſule, quorum duo tantum viuebant, L. Cotta, L. Caeſar.

Qui honos] Idem oratione IV. in Catilinam c. 3.

Sororis ſuae virum] P. Lentulum praetorem, qui conſulatum tamen antea geſſerat: ſed eiectus ſenatu a cenſoribus, vt iure magiſtratus in curiam rediret, praeturam petiuit.

Vitricum tuum] Antonii mater Iulia, poſt obitum prioris viri, P. Lentulo nupſit, ei, qui cum Catilina in patriam coniurauit.

Ego alienus] Nulla eum cognatione, aut affinitate attingens. ſic infra c. 16. *In multas pecunias alieniſſimorum hominum, eiectis veris heredibus, tamquam heres eſſet, inuaſit.*

Quorum nobis etiam dies natales audiendi ſunt] Quia, cum Antonium conſulem in forum exſpectamus, audimus eum ideo non deſcendere, quia dat natalicia in hortis.

Hodie non deſcendit Antonius] In forum. nam in collibus nobiliores habitabant. hoc ſenſu verbum, *deſcendere*, ſaepe vſurpat Cicero, vt Phil. VIII. c. 2. *Conſul ſe cum praeſidio deſcenſurum dixit.* Phil. XIV. c. 5. *Scitis, per hos dies creberrimum fuiſſe ſermo-*

ſermonem, me cum faſcibus deſcenſurum. Lib. IV. ad Attic. epiſt. 3. *Cum ſacra via deſcenderem.*

Dat natalicia] Non ſuum natalicium, ſed amicorum ſuorum. dabat enim ipſe, cum ii dare ſolerent, quorum natales erant. proxime, *quorum nobis etiam dies natales audiendi ſunt.*

Tum Phormioni alicui, tum Gnathoni] Paraſitorum nomina apud Terentium: quorum ſimillimis hominibus natalicia dabat Antonius.

Tum etiam (*etiam* abeſt ab Ern.) *Ballioni*] Non modo paraſitis, verum etiam lenonibus. nam Ballio apud Plautum in Pſeudolo leno eſt: de quo in orat. pro Q. Roſcio c. 7. *Ballionem illum improbiſſimum et periuriſſimum lenonem cum agit, agit Chaeream.*

Tam propinquum] Auunculum, L. Caeſarem.

Qui rem ſuam (Ern. *domum*) *nullam habent*] Luſit in vocabulo *res.* cur ad eos, inquit, refers de republica, qui ſuam ipſi rem nullam habent, tuam perdunt?

CAPVT VII.

Pudorem cum pudicitia] *Pudor* eſt animi, *pudicitia* corporis. Tu igitur, Antoni, qui pudicitiam perdideras, parum de pudore laboraſti. qui enim impudicus fuerit, eum impudentem eſſe, quis miretur?

Collocauiſti (Ern. *collocaſti*)] Oratorie, vt augeret odium in Antonium, dixit homines perditiſſimos ab eo cum gladiis in ſenatu collocatos; quos circa ſenatum potius fuiſſe, infra c. 44. oſtendit his verbis: *Cur armatorum corona ſenatus ſeptus eſt?*

Cliuum Capitolinum] Vnde illa Gabinii conſulis vox: *Equites Romanos daturos illius diei poenas, quo, me conſule, cum gladiis in cliuo Capitolino fuiſſent.* Pro Sextio c. 12.

Plenum ſeruorum armatorum fuiſſe] Quod plenum fuerat equitum Romanorum.

Nefaria] Ironia. nam praeclariſſima fuere contra coniuratos.

O miſer (Ern. *miſerum*)] Sententia ſimilis infra c. 22. *O miſerum te, ſi intelligis! miſeriorem, ſi non intelligis.* et Phil. XIII. c. 17. *O miſer cum re, tum hoc ipſo, quod non ſentis, quam miſer ſis!*

Adoleſcens nobilis] *Adoleſcens nobiliſſimus* vocatur in ea pro Milone c. 15. Plebeii erant Antonii, non patricii: ſed nobilitas ex magiſtratibus egregie geſtis, plebeiis quoque tribuitur.

In hoc templo] *In cella Concordiae,* dicit paullo poſt c. 8.

Ducem] Me ſcilicet conſulem.

Doleo a te iam omnibus vitiis eſſe ſuperatum] Modus vituperandi ex comparatione: vt in oratione de Prou. c. 5. *Piſo autem, alio quodam modo, gloriatur, ſe breui tempore perfeciſſe, ne Gabinius vnus omnium nequiſſimus exiſtimaretur.* Feſtiue et illud, nec omnino diſſimiliter, in Vatinium c. 17. *Die dicta ab eo, quem tu vnum improbiorem eſſe, quam te, nonnumquam ſoles confiteri.*

CAPVT VIII.

Ab Ithyreis] Barbaris, ab Ithyra vrbe in Tauro monte.

Non

Non decebat] Hominem iracundum, omnis leporis expertem.

Ab vxore mima] A Cytheride, amica ſua: quam ſecum vel in caſtra ducebat. vnde Virgilius ecl. X. v. 22.

— *Tua cura Lycoris*
Perque niues alium, perque horrida caſtra ſecuta eſt.

Cytheridem ſignificat, vt ait Probus: quae et Volumnia vocabatur, quod eam Volumnius Eutrapelus, antequam Antonius, amauit. vide infra c. 24. et lib. IX. Fam. epiſt. vlt. et apud Plutarchum in Antonio. Vxor erat Fuluia: ſed vxorem appellauit mimam ob aſſiduam conſuetudinem.

Cedant arma togae] Ciceronis verſus de ſe gloriantis oppreſſa coniuratione, irriſus et ab aliis vt elegantia carens. In Piſonem c. 29. 30.

CAPVT IX.

Conſtituta] Non a ſenatu, vt legitur pro Milone c. 5. ſed a Pompeio tertium conſule.

CAPVT X.

Quin Pompeium a Caeſaris coniunctione auocarem] Caeſar enim conſul eodem anno, quo Bibulus, Pompeium ſibi, collocata ei filia ſua, quaſi certo pignore coniunxit.

Prorogaret] In ſecundo conſulatu, lege Trebonia. Plutarchus et alii.

Ratio haberetur] Conſularibus comitiis. priuatus enim Caeſar ad vrbem ire, metu inimicorum ſuorum, non audebat. Suetonius c. 30. Plutarchus, alii.

Ea ſentire] Potentiorem Caeſarem eſſe factum, quam vt respublica ferre poſſet.

Vtinam, Cn. Pompei] Eadem referuntur ad Caecinam lib. VI. Fam. epiſt. 6. *Plurimi ſunt teſtes, me et initio, ne coniungeret ſe cum Caeſare, monuiſſe Pompeium, et poſtea, ne ſeiungeret. coniunctione frangi ſenatus opes, disiunctione ciuile bellum excitari videbam.*

CAPVT XI.

Iactaſſe ſe aliquos] Vt C. Octauium, Lentulum Spintherem, qui poſtea auctore Auguſto oſtentationis, et iactantiae ſuae poenas dedere.

Brutos] Marcum, et Decimum.

Alter] Marcus, qui maternam originem duceret a Seruilio Ahala, a quo magiſtro equitum plebis ſollicitator et perniciofe de republica cogitans Sp. Melius eſt interfectus.

Non modo dominatum] Fuit enim in ea familia, qui necari filium voluerit, quod agrariam legem tribunus plebis tuliſſet, quaſi de regno cogitaret.

Patris] L. Domitii Ahenobarbi; quem in acie Pharſalica a M. Antonio interfectum, infra c. 29. dicit.

Auunculi] M. Catonis Vticenſis: cuius ſororem L. Domitius, alteram M. Bibulus in matrimonio habuit.

Beneficiorum] Quae acceperat a Caeſare.

Caſcas, dicam] Vtrique cognomen Caſcae fuit.

An Ahalas] Seruilii potius Ahalae, quam Caſcae, videntur appellandi: cum Seruilii illius Ahalae, qui Melium occidit, virtutem ſint imitati.

CAPVT XII.

Geſſeram] In conſulatu, contra domeſticos reipublicae hoſtes.

Omnes ergo (Ern. *enim*) *in culpa*] Vt tu quidem ſentis.

Quam velis eſſe cauſſam] Bonam an malam.

CAPVT XIII.

M. Brutus] Cui, quia praetor erat, ab vrbe plus quam decem dies abeſſe non licebat, niſi legibus ſolueretur.

M. Bruti] A quo abſente dabantur.

CAPVT XIV.

Regnum de republica ſustuliſſem] Quod quidem, te viuo, adhuc manet.

Totam fabulam confeciſſem] Quaſi quintus et vltimus fabulae actus defuit, cum tu non ſis eo die, quo Caeſar, interfectus. ſed ego ſi affuiſſem, ad exitum fabulam perduxiſſem. Ad Trebonium lib. X. Fam. epiſt. 28. *Quam vellem ad illas pulcherrimas epulas me idibus Mart. inuitaſſes! reliquiarum nihil haberemus. At nunc cum his tantum eſt negotii, vt veſtrum illud diuinum in rempublicam beneficium nonnullam habeat querelam.*

Tum te a Trebonio vidimus ſevocari] Extra curiam, ſermonis ſimulatione detineri: ne ingreſſus, tamquam ſtudioſiſſimus Caeſaris, qui regium etiam inſigne diadema Lupercalibus ſedenti in Roſtris in ſella aurea, gemente populo Romano, imponere voluiſſet, vna cum ipſo occideretur. Ad Trebonium: *Quod vero a te, viro optimo, ſeductus eſt, tuoque beneficio adhuc viuit haec peſtis: interdum, quod mihi vix fas eſt, tibi ſubiraſcor. Mihi enim negotii plus reliquiſti vni, quam, praeter me, omnibus.*

Caſſianum] L. Caſſius, e ſeueriſſima familia, quaerendum putabat in iudiciis, in quibus de nece hominis quaereretur, cui bono fuiſſet, caedem illam fieri.

Vide, quaeſo, ne haereas] Tibi enim praecipue bono fuit illius interitus, qui nunc regnas: qui tantam illius pecuniam, ad aedem Opis depoſitam, abstuliſti, eaque maximo te aere alieno liberaſti, etc.

Per easdem tabulas] Quibus in tabulis patebat illius pecuniae ſumma, in iisdem finxiſti ſcriptum eſſe, quibus distribuenda eſſet: cum tu arbitratu tuo distribueres, quibus velles. Propterea dixit Phil. V. c. 4. *Septies millies falſis perſcriptionibus, donationibusque auertit.* Rationem diſpenſatae pecuniae perſcripſerat Antonius in iis tabulis, quas ad aedem Opis cum pecunia Caeſar depoſuerat: et ab ipſo Caeſare, aut ab eius ſcriba Faberio, ita ſcriptum dicebat, vt quam ipſe pecuniam auerterat, ea tamquam iuſſu Caeſaris distributa videretur. ideo Phil. V. c. 6. *Direptio eius pecuniae, cuius ratio in aede Opis confecta eſt, hanc tertiam decuriam excogitauit.* Et Phil. VIII. c. 9. *Ne tangantur rationes ad Opis.*

Immunitatum, vectigalium] Ne vectigalia ſoluantur. minuuntur enim vectigalia, cum immunitates

tes dantur. Phil. I. c. 10. *Immunitatibus infinitis ſublata vectigalia a mortuo.*

Nundinae] Phil. III. c. 4. *Vna in domo omnes, quorum intererat, totum imperium populi Romani nundinabantur.* Et infra c. 12. *Earumque rerum omnium domeſticum mercatum inſtituerit.*

CAPVT XV.

Si idem prouidiſſent] Quia non prouiderunt, idcirco bellum paci temere praetulerunt.

At vero Cn. Pompeii voluntatem a me alienabat (Ern. *abalienabat*) *oratio mea*] Hoc quoque Ciceroni obiecerat Antonius.

Sectorem] Cum Pompeii bona in auctione venirent, ſolus ea emere Antonius auſus eſt.

CAPVT XVI.

In vtroque fuiſſe moderatum] Nec ſemper maeſtitiae, nec ſemper iocis deditum fuiſſe.

Negaſti] Vt oſtenderes, quam pauci ſint, a quibus vere diligar.

Nam (Ern. *vtinam*) *hoc tuum*] Malim, *hoc vnum.*

H-S ducenties] Sexcenta ſcutatorum millia ſunt.

Fecit heredem] Ironia: vt Antonium non a Rubrio, ſed a ſeipſo heredem eſſe factum ſignificet, falſo ſcilicet ſuppoſito teſtamento.

Albus aterne (Ern. *aterue*) *fueris*] Sic et Catullus in Caeſarem carm. XCIV.

Nil nimium ſtudeo, Caeſar, tibi velle placere,
Nec ſcire, vtrum ſis albus, an ater homo.

Equitis Romani] Hoc addit, vt a Q. Fuſio ſenatore, Panſae, conſulis deſignati, ſocero, diſtinguat.

Ne meminit quidem (Ern. *ne nomen quidem perſcripſit*)] Suſpectus mihi locus: vel quia verbo, *memini*, numquam in hoc ſenſu, quod ſciam, cum generandi caſu Cicero vſus eſt: vel quia Faernus ipſe *nominat*, non *meminit*, ait eſſe ſcriptum in ſuo peruetere libro; vt maioris fortaſſe modeſtiae fuerit reponere, *Q. Fuſium non nominat.*

Igitur fratrem exheredans, te faciebat heredem] Id eſt: quod igitur, quae ille praedia poſſideret, ſciebas, ideo heres eſſe voluiſti, eadem ſcilicet fraude, qua Q. Rubrii Caſinatis.

Alieniſſimorum] Nullo propinquitatis iure, bona tamen eorum tamquam heres occupauit. ſupra c. 6. *Huius ego alienus conſiliis conſul vſus ſum: tu, ſororis filius ecquid ad eum vmquam de republica retuliſti?*

Non adiſſes] Quia nulla erat.

CAPVT XVII.

Tot dies] Septemdecim. Phil. V. c. 7.

In aliena villa] In Tiburtino Q. Metelli Scipionis, Pompeii Magni ſoceri: qui cum eſſet Corneliae gentis, in Caeciliam transiit, adoptatus a Q. Metello Pio, Numidici filio.

Magiſtrum] Sex. Clodium rhetorem, de quo paullo poſt.

Salſum] Sex. Clodium.

Vt pro tanta mercede nihil ſapere diſceres] Idem ſupra c. 4.

CAPVT XVIII.

Praetextatum] In pueritia, nondum ſumta virili toga.

Eſt

Eſt pietatis plena defenſio] Ironia. nam ſi pius eſſet Antonius, nequitiae ſuae culpam in patrem non conferret.

In quattuordecim] Gradibus in theatro, in quibus equeſtris ordo ſedebat: orcheſtra, id eſt, area theatri, ſenatorum erat. Antonius autem eques Romanus, nondum ſenator erat eo tempore.

Lege Roſcia] Aſconius in Cornel. epitome lib. XCIX. nos in lib. de Leg. c. 3.

Muliebrem togam (Ern. *ſtolam*)] Infames et libertini generis toga, pudicae, et honeſto loco natae ſtola vtebantur. Tibullus ad Sulpiciam lib. IV. eleg. 10. v. 3.

Sit tibi cura togae potior, preſſumque quaſillo
Scortum, quam Serui filia Sulpicii.

Tamquam ſtolam dediſſet] Tamquam vxorem te duceret, nec, amplius te vitam ducere quaeſtu meretricio, pati poſſet.

H-S ſexagies] Centum et octoginta ſcutatorum millia. in Valerio Max. lib. IX. c. 1. mendoſe legitur, *ſexcenties*, pro *ſexagies*.

Interceſſiſſe] Soluturum promiſiſſe. ſic alibi Cicero locutus.

CAPVT XIX.

Quiddam molitus eſt] De ſtupranda eius vxore.

Iter Alexandriam] Anno ſequenti, cum Gabinio proconſule, ad Ptolemaeum regem armis reducendum. Plutarchus.

Contra ſenatus auctoritatem] Nolebat ſenatus, Sibyllae verſibus admonitus, regem cum exercitu reſtitui. ideo ſequitur, *contra religiones.*

In vltimam Galliam] Ad Caeſarem: vt mihi te litteris commendaret. quod ille fecit.

Miſenum] Maritimam villam in Baiano litore.

Cum ſociis] Tui ſimilibus.

Tamquam Siſaponem] Cum probro dictum: quaſi ciuitatem vitiis infamem, et luxu perditam. Siſapo in Hiſpania, vbi minium effodiebatur. Plinius lib. III. c. 1. et XXXIII. c. 7.

CAPVT XX.

Ad parentem tuum (Ern. *tuam*)] Suſpicor hunc locum eſſe mendoſum. nam Antonii pater multo ante perierat: et poſt eius obitum nupſerat Antonii mater Iulia P. Lentulo, qui cum Catilina coniurauit, et in carcere ſtrangulatus eſt. quod ſi tertio nupſiſſet Iulia; non tamen *ad parentem tuum*, ſed *ad vitricum tuum* Cicero dixiſſet: vt Lentulum quoque vitricum Antonii ſupra c. 6. 7. 8. vocauit. legendum igitur, *ad parentem tuam*, crediderim.

Vt mihi ſatisfieri paterer a te] Quia, cum intimus in tribunatu Clodio fuiſſet, aliqua omnino re laeſum ab eo Ciceronem, veriſimile videtur. potuit etiam inimicus eſſe Ciceroni Antonius non tam propter vitrici mortem, a ſenatu decretam, quam ob eius corpus ſepulturae negatum: de quo ſupra c. 7.

Ne loqui quidem ſum te paſſus de gratia] Tantum tribui Caeſaris litteris, vt ſtatim te ſim complexus, verbis mihi a te ſatisfieri non ſim paſſus.

Obſeruatus] *Obſeruare* hic eſt, alicuius inſeruire honori, quibus liceat officiis, domum eundo, deducendo

ducendo et reducendo. ſic ad Gallum lib. VII. Fam. epiſt. 27. *Ego enim te in conſulatu obſervaram.*

Quamquam] Sententia poſtulat, *quoniam.* ſubiicitur enim cauſſa, cur eum non ſit adhortatus.

Ad Caeſarem cucurriſti] Vt ei quaeſtor eſſes in Gallia. infra c. 29. *Cuius tu imperatoris quaeſtor fueras.*

Viri tui] C. Curionis, qui tribunus plebis anno ſuperiore fuerat. Virum appellat Antonii, quia vſus erat eo tamquam muliere, atque adeo tamquam coniuge: vnde ſupra c. 18. *Sed cito Curio interuenit, qui te a meretricio quaeſtu abduxit, et, tamquam ſtolam dediſſet, in matrimonio ſtabili, et certo locauit.*

Similis eſſes] Improbitate, et conſiliis a communi ſalute auerſis.

CAPVT XXI.

Si ſana mente eſſet] Si parere ſenatui vellet, exercitumque et prouinciam dimittere. ad Tironem lib. XVI. epiſt. 11.

Ceruicesque ſuas ei ſubiecit ſecuri] Suo ſcelere condemnandum ſenatui ſe tradidit.

Minoribus in peccatis occiderunt] Hoſtes a ſenatu iudicati ſunt, cum eorum culpa leuior eſſet, quam tua.

Quod in hoſtem togatum decerni eſt ſolitum more maiorum] Id ſcilicet: *Darent operam conſules, praetores, tribuni plebis, ne quid respublica detrimenti caperet.* ad Tironem lib. XVI. epiſt. 11. in oratione pro Deiotaro c. 4. Caeſar autem lib. I. de bell. ciu. c. 5. *Tribuni plebis de ſua ſalute ſeptimo die cogitare coguntur.*

CAPVT XXII.

O miſerum te, ſi intelligis, miſeriorem, ſi non intelligis] Similiter ſupra c. 7. *O miſerum, ſiue illa tibi nota non ſunt; nihil enim boni noſti; ſiue ſunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare!* Figura non diſſimilis illa pro Deiotaro c. 8. *Quem profecto is, qui optime noſtros homines nouit, vel quia non noſſet, vel ſi noſſet, contemneret.*

Tres exercitus] Vnum in Theſſalia, alterum in Africa, tertium in Hiſpania.

Afflixit Antonius] Ornamentum ex repetitione eiusdem verbi ſententiam claudentis. Phil. I. c. 10. *De exſilio reducti a mortuo: ciuitas data non ſolum ſingulis, ſed nationibus, et prouinciis vniuerſis a mortuo: immunitatibus infinitis ſublata vectigalia a mortuo.* Agr. II. c. 9. *Quis legem tulit? Rullus. Quis maiorem partem populi ſuffragiis priuauit? Rullus. Quis comitiis praefuit? Rullus.* Pro Milone c. 22. *Quis eos poſtulauit? Appius. quis produxit? Appius. vnde? ab Appio.*

Scelus in ſcelere] Nam et multos, exſilio dignos, reduxit; et patruum tamen ſuum C. Antonium non reduxit. primum igitur ſcelus eſt, damnatos reſtituere: alterum, de patruo mentionem nullam facere, et miſericordem in alienos eſſe, in ſuos non eſſe.

CAPVT XXIII.

Reſtituit] An vt ludere cum eo poſſet? quaſi vero ludere cum condemnato non liceret. quid enim impediret? nam Denticulae, quamquam lege non reſtituto, in vrbe

vrbe tamen licebat eſſe, tribuno plebis Antonio.

Perdiderat] Ipſe Antonius.

Beneficio legis] Vt, quod perdiderat, accepta a Denticula pecunia diſſolueret: nam aes alienum alea contraxerat.

Populo Romano] Cum legem de reſtituendo Denticula ferres.

Nihil id quidem ad rem] Quamuis bonus vir eſſet, ac republica dignus: quid tamen refert? non enim ideo reſtituendus. nam res iudicatas reſcindi non oportet. verumtamen, ſi ita eſſet, id eſt, ſi bonus ille vir eſſet, ac republica dignus, ignoſcerem, reſtituendum cenſerem. quoniam, condemnatum eſſe, pro nihilo eſt; quoniam crimen ipſum aleae, quo damnatus eſt, leue ducitur.

Studium ſuum] Ludendi alea: quod lex tamen vetat.

Veſtrae ſcientiae] Vos enim plura ſcitis, quam erunt illa, quae ipſe exponam.

CAPVT XXIV.

Vehebatur in eſſedo] Muliebri mollitie.

Tribunus plebis] Quem minime decebat.

Lictores laureati] Lictoribus, vt ait Plutarchus in Quaeſt. Rom. c. 81. tribuni plebis non vtebantur. ſed opinor ius vtendi lictoribus, iisque laureatis, Antonio datum a Caeſare, vrbe Roma potito. Laureatis autem vtebantur, qui ex aliqua victoria imperatores appellati erant.

Aperta lectica] Quaſi flagitium nullum eſſet, meretricem inter lictores cerni, ſequente tribuno plebis.

Mima] Cytheris: de qua ſupra c. 8. *Aliquid enim ſalis ab vxore mima trahere potuiſti.*

Volumniam] Quod eam Volumnius Eutrapelus, Antonii familiaris, amaret. lib. IX. Fam. epiſt. vlt.

Lubrica] Vereor enim, ne, ſi reprehendam ea, quae tu in bello egiſti, veteranos offendam.

Fuit felix] Sed omittatur bellum illud, in quo tu nimium felix fuiſti.

Veteranis cautum eſſe volumus] Commodis veteranorum conſuli ſenatus, concordiae cauſſa, volebat. vnde illud Phil. I. c. 2. *Veterani, qui appellabantur, quibus hic ordo diligentiſſime cauerat.*

Secuti ſunt] Ducem ſuum Caeſarem.

Per tuas contumelias] Quibus affectus a te ſum poſt illud beneficium.

Sic tueri, vt tuebar] Tanti facere, quanti faciebam.

Praeſertim cum te haec auditurum videres] Hoc videtur dicere: Miror per tuas contumelias non licuiſſe mihi beneficium illud ſic animo et memoria colere, vt colebam: praeſertim cum fore videres, vt audires a me, quae meritus es. tu me nouis iniuriis veteris beneficii memoriam abiicere coegiſti.

CAPVT XXV.

Magiſter equitum] Dictator enim Caeſar erat.

Equos] Quibus magiſter equitum vtebatur.

Vectigales Sergio mimo tradere] Vt ex iis quaeſtum faceret.

 Repenti-

Repentinus heres] Quorum bona in auctione emerat, heres eorum eſſe videbatur.

CAPVT XXVI.

Iſto loco natus] Nobilem enim virum ſectorem eſſe non decet. ſed tu hoc non contentus, non modo ſector, ſed ſector etiam Cn. Pompeii eſſe voluiſti.

CAPVT XXVII.

Perſona de mimo] Vt mimus perſonam mutat, modo hunc agens, modo illum: ſic tu fortunam mutaſti, ex egente repente diues factus.

Luxurioſi hominis] Pompeii.

Si fuit animal] Vt eſt in fabulis.

Conchyliatis] Glauci coloris.

Periſtromatis] Stragula veſte pretioſa.

Aedes etiam et hortos] Tenet.

CAPVT XXVIII.

Illam ſuam] Mimam, vt infra.

Suas res ſibi habere iuſſit ex duodecim tabulis] Cum qua divortium fit, ea ſuas ſibi res habere ex duodecim tabulis iubetur. loquitur de mima tamquam de vxore. et ſupra c. 8. aliquid eum ſalis ab vxore mima trahere poſſe dixit.

Claues ademit] Et hoc diuortii ſignum. claues enim dabantur vxoribus domum ingredientibus: eaedem, cum diuortium fieret, adimebantur. Tertullianus in exhortatione ad caſtitatem: *Scio, quibus excuſationibus coloremus inſatiabilem carnis cupiditatem, ex quibus neceſſitates adminiculorum deſcendunt; adminiſtrandam familiam, regendos loculos, claues cuſtodiendas, lanificium diſpenſandum, victum procurandum.* Ambroſius in epiſt. ad Syagrium Veronenſem epiſcopum: *Mulier offenſa claues remiſit, domum reuertit.*

Earum partium] Caeſaris.

Ad ipſas tuas partes] Partes enim tuae vere ſunt: quando quidem opera tua natum, conflatum, ſusceptum eſt ciuile bellum.

CAPVT XXIX.

Propter libidines] Quae te in vrbe retinebant.

Teſtamento, vt dicebas ipſe, (Ern. *ipſe dicebas*) *filius*] Proba lectio, vitioſa tamen a Faerno iudicata. *teſtamento filius*, a ſermone Latino nihil habet alienum: *teſtamenti filius*, cur Faernus maluerit, aduerſante praeſertim eo, quo vſus eſt, vetere libro, valde miror. amauit ille, vt opinor, perpetuitatem ſimilitudinis in caſibus. quod quam leue ſit, quantoque momenti plus habeat Latinae linguae norma, iudicandum aliis relinquo.

Pro domo, pro hortis] Cn. Pompeii, ab haſta emtis.

Ego ad illum belli ciuilis cauſſam attuli] Praeclara inductio, Caeſari ſua merita exprobrantis Antonii: quae tamen tota ad ipſius Antonii dedecus redundat.

Tabula] Qua proſcripſit Antonius res ſuas; vt, auctione facta, ſolueret Caeſari, quod debebat.

Is, qui auctionaretur] Ipſe Antonius.

Heredes L. Rubrii] Repetentes ab Antonio bona Rubrii, quae per fraudem tamquam heres occupauerat.

Decreto Caeſaris] Apud quem de auctione illa queſti erant, cum dicerent,

dicerent, velle nonnulla Antonium vendere pro ſuis, quae ſua non eſſent, ſed ad ipſos tamquam L. Rubrii veros heredes attinerent.

In Hiſpaniam] Contra Pompeii liberos, quos ad Mundam dubia pugna vicit.

Ne tum quidem ſequeris] In Africam ſecutus non eras. eſto. ſaltem ſecutus eſſes in Hiſpaniam. ne hoc quidem facis.

Rudem] Indicem libertatis virgam impolitam: qua donati gladiatores, pugnare amplius non cogebantur. ea vero donabantur, qui ſaepe iam praeclare pugnaſſent. Mordet igitur Antonium, qui, tamquam bonus gladiator, accepta rude ſibi iam non eſſe pugnandum pro Caeſare conſtitueret.

CAPVT XXX.

In ſuis partibus] In partibus Caeſaris, quas contra Pompeium ſecutus erat.

Id eſt, in ſuis fortunis] Suas fortunas omnes a ciuili bello petebat.

Tam timidus] Qui Caeſarem nec in Africam, nec in Hiſpaniam, niſi ſero admodum, ſequi voluerit. quamquam in Hiſpaniam non peruenit, ſed Narbone conſtitit, indeque non multo poſt Romam rediit. infra.

Tuto] Quod a latronibus, aut a Pompeianis ſibi in itinere timeret.

Vt ait] Significat, excuſationem illam Antonii, quod in Hiſpaniam non perueniſſet, falſam, et commenticiam fuiſſe: nam re vera in Hiſpaniam ire noluiſſe. *Vt ait:* vt ipſe commentus eſt.

Nollem] Nollem, affuiſſet. pugnauit enim contra rempublicam.

A primo] Quod pro Caeſare maluerit, quam pro republica dimicare.

Conſtantia] Qui, quam ſemel cauſſam ſusceperat, eam defenderit vsque ad extremum. ita vitium aliqua tamen laude corrigitur. Antonius autem dupliciter peccat, primum in cauſſa ſuſcipienda, deinde in eadem defendenda.

Calceis] Calcei, forenſe pedum indumentum: ſoleae, domeſticum.

Gallicis] Caſtrenſe pedum calceamentum.

Lacerna] Humiliorum, quibus toga deeſſet, veſtis. Cicero lib. IV. ad Attic. epiſt. 3. Suetonius in Auguſto c. 40.

CAPVT XXXI.

Ciſio] Vehiculi genere celerrimo, duarum rotarum.

Ad eam] Ad vxorem Fulviam.

Te catamitum] Impudicum. Feſtus: *Catamitum pro Ganymede dixerunt, qui fuit Iouis concubinus.*

L. Plancus] Ad quem ſunt Ciceronis epiſtolae lib. X. Fam.

Praedes ſuos (Ern. *tuos*) *venderet*] Ne Plancus, cui videtur Caeſar in Hiſpaniam proficiſcens hoc mandaſſe, vt, ſi Antonius intra dies illos, quos ei ad ſolvendum prorogauerat, non ſolviſſet, bona praedum venderet. Veteres libri, *tuos*, mendoſe: niſi ſi pro, *habuit*, ſupra legatur, *habuiſti.* ſed mutatio minor, ſi, *tuos*, conuertatur in, *ſuos.*

Dicacem] Ex ambiguo ſenſu illorum verborum, *rei tuae cauſſa:* quod referri etiam ad concubitum poteſt.

CAPVT XXXII.

Proficiſceretur] Ad bellum Parthicum.

Vt comitia auſpiciis vel impedire, vel vitiare poſſet] *Impedire*, ne fierent: *vitiare*, iam facta.

Nos enim] Qui augures ſumus.

Nunciationem ſolum habemus] Nunciant augures, et impediunt, ſi vel tonantem Iouem audierint, vel fulgentem viderint: ſpectionem autem non habent, id eſt, de caelo non ſeruant: ea enim ſpectio eſt. at magiſtratus et nunciationem habent, vt augures; et ſpectionem, qua augures carent. lib. III. de Leg. c. 3. *Omnes magiſtratus auſpicium, iudiciumque habento.*

Aut id facturum eſſe, quod fecit] Vitiaturum, poſteaquam facta eſſent. infra c. 33. *Confecto negotio, bonus augur,* ALIO DIE, *inquit.*

Diuinare poteſt] Si diuinare nemo poteſt, quid vitii futurum ſit in auſpiciis: cur tu multis ante menſibus dixiſti, aut prohibiturum te auſpiciis Dolabellae comitia, ne fierent, aut facta infirmaturum: quod feciſti.

Niſi qui de caelo ſeruare conſtituit] Qui enim magiſtratus de caelo ſeruare conſtituerat, vt impedimento eſſet, quo minus lex aliqua ferretur: (nam comitiis magiſtratuum ſeruare de caelo leges vetabant, aut ita concedebant, ſi prius, quam comitia haberentur, non vbi habita iam eſſent, is, qui de caelo ſeruauerat, obnunciaret) poterat praedicere, aut proſcribere, vel multis ante diebus, et quo die, et per quot dies de caelo ſeruaturus eſſet. quo diuinare videbatur, fore vitium in auſpiciis: ita legem eo die vel per eos dies ferri non poſſe. Hac diuinatione vſus eſt Milo tribunus plebis, cum impedire vellet aedilicia comitia. proſcripſit enim, ſe per omnes dies comitiales de caelo ſeruaturum. lib. IV. ad Attic. epiſt. 3.

Quod neque licet comitiis per leges] Comitia magiſtratuum ſignificat. nam et legum comitia dicebantur. conſules, vbi comitia creandis magiſtratibus habere vellent, cauebant ab hoc genere impedimenti, propoſito edicto, ne quis per eos dies auſpicari vellet. Gellius lib. XIII. c. 15.

Priusquam habeantur, debet nunciare] Quod Milonem feciſſe, eadem illa docet epiſtola.

CAPVT XXXIII.

Comitiorum dies] Quae Caeſar conſul, vt ſibi Dolabellam ſurrogaret, ante idus Mart. habuit. nam idibus Mart. occiſus eſt.

Sortitio praerogatiuae] Centuriae, quae, vt ait Cicero lib. II. de Diuin. c. 40. omen quoddam erat comitiorum. qui enim illam tuliſſet, ei ceterae centuriae magiſtratum deferebant.

Quieſcit] Silet Antonius: non impedit comitia.

Renunciatur] Conſul Dolabella, praerogatiuae ſuffragiis.

Prima claſſis vocatur] Quinque claſſibus diſtributus populus Romanus in campum Martium ad comitia veniebat. quot autem centuriae ſingulis eſſent in claſſibus,

bus, Liuius et Dionyſius docent: hic autem exponere, quaeque illi ſcripta reliquerunt, recitare, noſtri inſtituti non eſt.

Deinde, vt aſſolet, ſuffragia] Suſpicor, hoc poſt ea, quae proxime ſequuntur, verba transferri oportere: vt legatur hoc modo: *Tum ſecunda claſſis. deinde, vt aſſolet, ſuffragia.* id eſt, reliquae claſſes, vt aſſolet, aut ſaltem tertia vocatur. fere enim vltra tertiam neceſſaria ſuffragatio non erat.

Citius ſunt facta, quam dixi] Populi ſtudium erga Dolabellam declarat.

Alio die] Verba auguris comitia vitiantis. lib. II. de Leg. c. 12. *Quid maius eſt, ſi de iure quaerimus, quam poſſe a ſummis imperiis, et ſummis poteſtatibus comitia tollere? concilia vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? quid grauius, quam rem ſuſceptam dirimi, ſi vnus augur,* ALIO DIE, *dixerit?*

Quid videras? quid ſenſeras? quid audieras] Tamquam augur, vt vitiare comitia poſſes?

Nec enim te de caelo ſeruaſſe dixiſti] Tamquam conſulem. et ſi ſeruaſſes, non habitis comitiis, ſed priusquam haberentur, nunciare debuiſti.

Prouideras] Supra c. 32. *Quisquamne diuinare poteſt, quid vitii in auſpiciis futurum ſit, niſi qui de caelo ſeruare conſtituit?* At tu de caelo te non ſeruaſſe confiteris: quo modo igitur diuinaſti, et auſpiciorum vitium tanto ante prouidiſti?

Ementitus es auſpicia] Nihil enim videras, nihil ſenſeras, nihil audieras.

Obſtrinxiſti populum Romanum religione] Te enim obnunciante, conſulem facere Dolabellam non potuit. cum vero fecerit, et Dolabella tamquam conſul agat, religione quadam teneri videtur, ſed, vt ſpero, tua potius, quam reipublicae calamitate: tu enim auſpicia ementitus es.

Augur auguri, conſul conſuli obnunciaſti (Ern. *nunciaſti*)] Caeſari, qui augur et conſul erat.

Ne acta Dolabellae videar conuellere] Conuelluntur enim, et infirmantur, cum eum dico tua obnunciatione vitioſum conſulem eſſe factum.

Ad noſtrum collegium] Vt nos augures, ratane ſint, an infirma Dolabellae conſulis acta, iudicemus. quid enim de tua illa obnunciatione ſtatuendum nobis ſit, valere ſcilicet debeat, necne, conſiderabimus.

Rurſus, cum voles, ſaluis auſpiciis creatus] Reconciliatus enim poſt Caeſaris interitum Dolabellae Antonius, vt collegam ſuum, verumque conſulem, non vt ſua obnunciatione vitioſum, complexus eſt. Phil. I. c. 13. *Tuum collegam, depoſitis inimicitiis, oblitus auſpiciorum a te ipſo augure populo Romano nunciatorum, illo primum die collegam tibi eſſe voluiſti.*

Si nihil eſt] Probare ſtudet, aut numquam vitioſum, aut vitioſum ſemper eſſe conſulem Dolabellam: cum Antonius, dum ei fuit inimicus, vitioſum eſſe, reconciliatus, non eſſe vitioſum dixerit.

Confitere] Saluis auſpiciis creatum eſſe conſulem Dolabellam.

Ea quae ſit] Dicturus fuit, ergo vitioſus conſul Dolabella: ſed orationem alio conuertit, vt

vnum vexet Antonium, Dolabellae parcat.

Augur a collega requiro] Inſcitiam notat Antonii: putat enim eum, quae ſit vis in illis verbis, ignorare.

Ad Lupercalia veniamus] Celebritas in honorem Panis XV. Kal. Mart. Luperci autem nudi per vrbem currebant: inter quos Antonius conſul magno ſuo dedecore, eſſe voluit.

CAPVT XXXIV.

In porticu Minucia] In qua vomuit, cum concionaretur. ſupra c. 25.

Turpitudinis tantae] Cum Lupercus diadema Caeſari, quod regum inſigne erat, imponere conatus es.

Sedebat in Roſtris collega tuus] Vt honore frueretur, a ſenatu decreto. nam Lupercos, vt ait Suetonius c. 76. ei tamquam deo ſenatus decreuerat.

Amictus toga purpurea, in ſella aurea] Hoc primum die Caeſar cum veſte purpurea proceſſit, et in ſella aurea ſedit: eoque die immolanti ſignificata mors eſt. ea de re Ciceronis haec exſtant verba lib. I. de Diuin. c. 52. *Quod ne dubitare poſſimus, maximo eſt argumento, quod paullo ante interitum Caeſaris contigit. qui cum immolaret illo die, quo primum in ſella aurea ſedit, et cum purpurea veſte proceſſit, in extis bouis opimi cor non fuit.*

Coronatus] Laurea corona, qua, propter caluitium, libenter vtebatur. Suetonius c. 45.

Ita eras Lupercus] Vt Lupercus inſane aliquid committere poteras, vt conſul certe non debebas.

Diadema oſtendis] Plutarchus in Caeſare, et in Antonio, Appianus lib. II. de bell. ciu. Dio lib. XLIV.

Vt ſeruires] Id eſt, vt ille ſibi diadema imponi pateretur, et rex eſſe vellet, vnique ſeruirent ciues vniuerſi.

Nudus] Lupercus concionem habuit.

Virorum ſummorum gloriam] Cum Caeſarem, qui diadema reiecit, occiderint, Antonio, qui impoſuit, pepercerint.

Non ſolum de die, ſed etiam in diem] *De die*, luce, palam, omnibus videntibus: *in diem*, rapto ſingulis diebus. quod vtrumque turpiſſimum.

Caſſius, Melius, M. Manlius] De regno cogitantes. infra c. 44. et Liuius, Dionyſius, alii.

CAPVT XXXV.

In ſenatu acturus] Vt, de Antonii obnunciatione quid ſentiret, ſenatus audiret.

Paratum] Ad reſpondendum.

Quibus tamen parere neceſſe erat] Quia tu conſul eras: et quamquam ementita, valere tamen volebas.

Dicturum] Ne conſulatu Dolabella priuaretur.

Sustulit illum diem fortuna reipublicae (Ern. *populi Romani*)] Quia Caeſar eſt interfectus: itaque de auſpiciis eo die agi non potuit.

Tuum de auſpiciis iudicium] Actionem illam de auſpiciis eo die ſuſtulit Caeſaris interitus: tu tamen de tuis ipſe auſpiciis iudicare potuiſti, et ſtatuere ementita fuiſſe, ſicuti fuerunt.

Sed incidi in id tempus] Facta mentione Caeſaris interitus, metum,

tum, fugamque Antonii, qui, abiectis conſularibus inſignibus, eo die latuit, recordatus eſt; et occaſionem inde ſumſit finiendae auſpiciorum narrationis, in qua fortaſſe deeſſe iam oratio poterat, vt ad alia Antonii ſcelera transiret.

Si ſanus eſſes] Si recte de republica ſentires.

Poſt diem tertium veni in aedem Telluris] Vide in principio Phil. I.

Quod tibi inuideris] Quod te ipſe mutaueris. mutationem enim cupit inuidia.

CAPVT XXXVI.

Puerum nobilem] Filium tuum, nobilem illum quidem ex paterno genere, ſed matre natum M. Fadii Bambalionis, libertini hominis filia.

M. Bambalionis] Hic eſt, quem huius orationis initio Q. Fadium vocauit. vtrobique igitur ſit idem praenomen, aut hic Q. aut ibi M. Bambalioni cognomen eſſe additum ab haeſitantia linguae et ſtupore cordis, dicit in Phil. III. c. 6.

Si funus illud fuit] Phil. I. c. 2. vocat *inſepultam ſepulturam.*

Laudatio, miſeratio, cohortatio] Laudauit Caeſarem: miſerationem in populo commouit: cohortatus eſt in extremo, vt Caeſaris interfectores perſequerentur.

Illas faces] Cum quibus ſtatim plebs a funere ad domos Bruti, et Caſſii cucurrit.

Semiuſtulatus] Non, dicit, *combuſtus*, ſed *ſemiuſtulatus:* vt eum rogo caruiſſe oſtendat. quaſi id ei, qui tamquam tyrannus carere debuit honore ſepulturae, iure ac merito contigerit. ſic de Clodio, pro Milone c. 13. *Tu P. Clodii cruentum cadauer eieciſti domo, tu in publicum eieciſti, tu ſpoliatum imaginibus, exſequiis, pompa, laudatione, infeliciſſimis lignis ſemiuſtulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquiſti.*

In noſtras domos] Oratorie amplificat. non enim ad Ciceronis, aliorumue optimatum, ſed ad Bruti tantum, Caſſiique domos, vnde repulſa eſt, faces attulit illa multitudo.

De exſulibus] Cum vnum a Caeſare reſtitutum, immunitates vero nullas datas, dixiſti. Phil. I. c. 1.

Toto Capitolio] Plurimae igitur.

Tabulae figebantur] Contra ſenatus conſultum.

Prouinciis totis] Lib. XIV. ad Attic. epiſt. 12. *Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem, a dictatore comitiis latam, qua Siculi ciues Romani: cuius rei, viuo illo, mentio nulla.* Phil. I. c. 10. *Ciuitas data non ſolum ſingulis, ſed nationibus, et prouinciis vniuerſis a mortuo.*

Neque vectigalia ſolum] Sublata immunitatibus infinitis. Phil. I. c. 10. et in hac ſupra c. 14.

CAPVT XXXVII.

Quod eſt (*eſt* ab Ern. abeſt) *in tabulis*] A Caeſare ſcriptum. Phil. I. c. 7. et VII. c. 5.

Quorum erat] Erat eorum, qui pro Pompeio contra Caeſarem pugnarant.

A tributis] Non quae imponi ſolita eſſent, (nam Paulli Aemilii praeda Macedonica populum Romanum tributo liberauerat, vt

eſt

eſt apud Plinium lib. XXXIII. c. 3. et Plutarchum in vita Aemilii Paulli) ſed quae iam neceſſitas exigeret. impoſita enim ſunt anno ſequenti, caeſis Panſa et Hirtio, vt lib. XII. Fam. epiſt. vlt.

Quadringenties H-S] Duodecies centena ſcutatorum millia.

Quod idibus Mart. debuiſti] Id quod ex feneratorum tabulis conſtat: idibus enim vſura ſoluebatur. Horatius epod. II. v. 67.

Haec vbi locutus fenerator Alfius,
Iam iam futurus ruſticus,
Omnem redegit idibus pecuniam.

Quae a tuis (Ern. *diuerſis*) *emebantur*] Pro, *de tuis*. vendebat enim, non emebat. Antonii vxor Fuluia: quam praecipue Cicero ſignificat; vt ſupra bis, et Phil. III. c. 4. et 12.

Egregium] Ironia.

De rege Deiotaro] Cui tetrarchiam, et Armeniam, quas ei Caeſar, quia Pompeium in bello ſecutus erat, ademerat, Antonius tamquam ex commentariis Caeſaris, lege reſtituit. Lib. XIV. ad Attic. epiſt. 12. *Quid? Deiotari noſtri cauſſa non ſimilis? dignus ille quidem omni regno, ſed non per Fuluiam.*

Compellarat] De pecunia Caeſar Deiotarum, cum eius domi eſſet, Pharnace deuicto Romam reuertens.

Computarat] Non abeſt mendi ſuſpicio.

H-S centies] Trecenta ſcutatorum millia.

In gynaeceo] Id eſt, cum Fulvia. nam gynaeceum locus erat in aedibus, vbi mulieres habitabant.

Ne iſte quidem] Fortaſſe Sex. Clodius ſcriba, quem ab exſilio reduxerat.

Per quem haec agis] Interfuiſſe videtur Sex. Clodius, cum Fuluia venderet.

Auctorem odimus, acta defendimus] Phil. XIII. c. 1. *Nam quid ego de proximo dicam? cuius acta defendimus, auctorem ipſum iure caeſum fatemur.* Caeſarem dicit: et *auctorem*, accepit, pro, actorem, vt Salluſtius quoque in Catil. c. 3. *Tametſi haudquaquam par gloria ſequatur ſcriptorem, et auctorem rerum.*

CAPVT XXXVIII.

Gladiatorum] Qui pugnaturi ſint, cum aliquis populo munus det.

Liberantur] Faernus ex vno antiquo libro addit, *vectigalibus:* Ferrarius abeſſe dicit ab iis, quibus vtebatur, omnibus libris: et inducendum cenſuit, adductis e Cicerone tribus, aut quattuor teſtimoniis, in quibus, *liberare,* ſine, *vectigalibus*, ponitur: vt gloſſema eſſe potuerit. quod mihi quidem videtur.

Poſt M. Brutum proconſulem] Cui poſt interitum Caeſaris decreta fuerat a ſenatu: quod Phil. I. in argumento diximus.

Poſt M. Bruti deceſſum] Cum Caeſar ante Bruti deceſſum periiſſet, nihil autem, eo viuo, ad Brutum Creta pertineret. *Deceſſum*, quia deceſſerat ab vrbe: vt iret in prouinciam. Sic Coelius epiſt. 1. lib. VIII. *Quod tibi decedenti pollicitus ſum.*

De exſulibus legem, quam fixiſti, Caeſar tulit] De hac Antonii audacia ita ſaepe iam dixi, vt lectori

lectori toties iteratam narrationem faſtidio fore putem.

Nullius] Tua lege reſtituti.

Inquinatos (Ern. *aequatos*)] Quia improbis a te reſtitutis, omnium, qua redierint, ſimilis cauſſa videbitur; cum Caeſar diſſimilem iudicaſſet, qui non omnes reſtituendos cenſuerit.

In loco patrui] C. Antonii, qui exſulabat, de maieſtate, et de vi damnatus. quod oſtendimus interrogatione in Vatinium c. 11.

Riſus hominum, et querelas] Cum eum non modo abſentem, ſed etiam exſulem petere cenſuram volueris. *Riſus*, ob nouitatem: *querelas*, ob talem virum, patruum tuum, a te deluſum.

Siniſtrum fulmen nunciabat] Vt augur, non vt magiſtratus: nam ad magiſtratum ſpectio tantum, id eſt, ſeruare de caelo, quod ſupra c. 32. docui, pertinebat.

In ſeptemuiratu] Cum diuidendo militibus agro Campano, et Leontino ſeptemuiros, omiſſo patruo, praefeciſti. Phil. VI. c. 5. VIII. c. 9.

Interuenit enim] Addendum poſt verbum, *nunciabat?* vt ſit ordo: interuenit ſiniſtrum fulmen, quod tribunus plebis ad impedienda comitia nunciauit. Lib. II. de Diuin. c. 35. *Fulmen ſiniſtrum auſpicium optimum habemus ad omnes res, praeterquam ad comitia.*

Metuiſti, credo] Non metuiſti, et ei ſeptemuiratum negaſti.

Eieciſti] Poſtea Fuluiam duxit vxorem. ad quam verba pertinent, quae ſequuntur.

Alia conditione quaeſita, et ante perſpecta (Ern. *proſpecta*)] Ambigua ſignificatio: vnde nobis elicienda veritas eſt. Ex ipſis enim verbis hoc videtur effici poſſe: alia tibi coniuge per conditionem quaeſita, et ante perſpecta. ſed, vt arbitror, aliud eſt, quo Cicero ſpectauerit: quod quale ſit, oſtendam. Inuenio apud veteres vſurpari ſolitum hoc loquendi genus, *conditiones quaerere,* de iis, qui mulieres ad concubitum appetentes, prius vel ipſi, vel per amicos inſpiciebant, quales eſſent, num candor in corpore, num laeuitas, num ſucciplenae, denique num appetentis libidini reſponderent, vt eas ne acciperent, aut admitterent, niſi prius hoc tamquam experimentum cepiſſent. id, vt dixi, vocabant, *conditiones quaerere.* itaque exprobrauit Antonius Auguſto id, quod Suetonius in Auguſto c. 69. litteris prodidit, *conditiones quaeſitas per amicos, qui matresfamilias, et adultas aetate virgines denudarent, atque perſpicerent, tamquam Thoranio mangone vendente.* Et quod apud eundem Suetonium in Iulio c. 27. ſcriptum eſt: *Ad retinendam Pompeii neceſſitudinem, ac voluntatem, Octauiam, ſororis ſuae neptem, quae C. Marcello nupta erat, conditionem ei detulit:* facta ſcilicet inſpiciendi poteſtate, vt, niſi probatam, non acciperet. Arnobius quoque, ſcriptor in primis eruditus et reconditarum rerum notitia refertus, lib. IV. aduerſus gentes, *Dei vxores*, inquit, *ducunt conditionibus ante quaeſitis.* Sic de Fauſtina quaerente ſibi conditiones in viris, vt cum iis, quorum conditiones probaſſet, concumberet, dixit Capitolinus in Antonio Philoſopho c. 19. *Multi ferunt, Commodum omnino ex adulterio natum: ſiquidem Fauſtinam, ſatis conſtat, apud Caietam*

tam conditiones ſibi et nauticas, et gladiatorias elegiſſe. Et Lampridius in Heliogabalo c. 5. *Romae denique nihil egit aliud, niſi vt emiſſarios haberet, qui ei bene vaſatos* (ſic enim lego, non, *naſatos*) *perquirerent, eosque ad aulam perducerent, vt eorum conditionibus frui poſſet.* Nec multo poſt c. 8. *Lauacrum publicum in aedibus aulicis fecit, ſimul et palam populo exhibuit, vt ex eo conditiones bene vaſatorum hominum colligeret.* Nec alio ſenſu accipiendum illud pro Coelio c. 15. *Habes hortos ad Tiberim, ac diligenter eo loco praeparaſti, quo omnis iuuentus natandi cauſſa venit. hinc licet conditiones quotidie legas.* Quibus adductus exemplis *quaeſita*, et *perſpecta*, ad conditionem malo, quam ad mulierem referre: vt ſit: quaeſiuiſti, et ante perſpexiſti aliam conditionem, non contentus ea, quam in ſorore tua iam perſpexeras. Iam enim conſtat, conditionem eſſe partem corporis, quam vel in muliere vir, vel in viro mulier, explendae libidinis cauſſa quaerit, et qua inuenta fruitur.

Sedente patruo] Hic mihi, quod aiunt, tenebrae ſunt. non enim video, quo modo C. Antonius Kalendis Ian. viuo Caeſare in ſenatu eſſe potuerit: cum eum poſt Caeſaris interitum, id eſt, poſt latam ab Antonio de exſulibus legem, exſulare, ex iis verbis intelligatur: *Cur eos habes in loco patrui? de quo ferre, cum de reliquis ferres, noluiſti.*

CAPVT XXXIX.

Quae tua fuit cognitio] Cur tu noua Caeſaris acta profers? ad te non pertinet iſta cognitio. cum conſilio ſenatorum cognoſci oportebat. id enim placuerat.

Cum etiam Capuam coloniam deducere conatus es] Quo tamen deducere non liceret, cum eo deducta iam eſſet lege Iulia.

Quemadmodum illinc abieris] A Campanis reiectus, nouam coloniam recuſantibus.

Paene non abieris] Scimus enim parum abfuiſſe, quin occidereris.

Vt aliquando illud, paene, tollatur] Paene occiſus es: vtinam re vera occidaris, et illud, *paene*, tollatur.

Eximebatur] Iulia lege. Suetonius in Iulio c. 20.

Militibus] Pro republica pugnantibus. at tu non militibus, ſed compranſoribus tuis, et compotoribus diuidebas.

Infligi magnum reipublicae vulnus] Quia de vectigalibus eximebatur.

De agro Leontino] Qui eſt in Sicilia.

In populi Romani patrimonio] Phil. III. c. 9. *En, cur magiſter eius ex oratore arator factus ſit, et poſſideat in agro publico populi Romani campi Leontini duo millia iugerum immunia.*

Grandiferae (Ern. *grandi foenore*)] Admodum feraces maximorum fructuum. vnde lib. III. in Verr. c. 18. *caput rei frumentariae* Leontinus campus vocatur.

Sanaſſet (Ern. *ſanum feciſſet*)] Ab inſania vindicaſſet.

Rhetori] Sex. Clodio. ſupra c. 17. *Duo millia iugerum campi Leontini Sex. Clodio rhetori aſſignaſti, et quidem immunia, vt pro tanta mercede nihil ſapere diſceres.*

CAPVT

CAPVT XL.

Vt vexillum tolleres] Quod fieri ſolebat in colonia deducenda.

Circumduceres] In ſtatuendis coloniae finibus. quod ipſum vſitatum et ſollemne.

Florentis coloniae] Capuam lege Iulia deductae. Suetonius in Iulio c. 81. Velleius lib. II. c. 44. alii.

M. Varronis] Cuius exſtant libri de re ruſt. et de ling. Lat.

Et ſi ab haſta] Si tu fundum Varronis Caſinatem ab haſta emiſti: nihil dico: valere haſtam debere concedam, valere tabulas auctionarias, in quas, quod cuique venditur, referri ſolet. ſed emiſſe te ab haſta, quo teſte vmquam probabis.

Modo Caeſaris] Iocatur in tabularum nomine, et ab auctionariis ad eas transit, in quibus pecunia ad aedem Opis depoſita a Caeſare patebat: quae ſi valerent, Antonius eius a ſe diſſipatae pecuniae rationem reddere cogeretur.

Non tuae] In quibus distributam a te ex commentariis Caeſaris vniuerſam illam pecuniam, perſcripſiſti. verae igitur valeant, falſae reiiciantur.

Quibus debuiſti] Tabulae ſcilicet feneratorum, in quibus patet, debuiſſe te H-S quadringenties idibus Mart.

Non quibus tu te liberauiſti] Non illae, in quibus rationem diſpenſatae pecuniae confeciſti, et falſis nominibus aere alieno te ipſum liberaſti.

Iam intelliges] Intelliges, quod a nobis haſtae Caeſaris conceditur, ex qua nihil mutamus, concordiae cauſſa, id a nobis confidentiae, temeritatique tuae non concedi. eiicieris enim ſtatim ex illo fundo, et ex illa villa, temere, et confidenter nimis occupata.

CAPVT XLI.

Ab hora tertia] Cum hora nona initium eſſet cenae.

Quam diſpari domino] Ad illum verſum reſpexit,

> *O domus antiqua, heu, quam*
> *diſpari dominare domino!*

lib. I. de Offic. c. 39.

Obſoleſiebant (Ern. *obſolebant*)] Deformabantur, inquinabantur inſignia dignitatis. id eſt: Salutationis officium in homine turpiſſimo dignitatem non habebat, dignitatis et honoris inſigne non erat.

Cum eſſent deuii] Stultius igitur, quam Aquinates.

Tamquam ſi eſſet conſul] Negat Cicero conſulem eſſe, qui vt conſul nihil agat.

Muſtellam, et Laconem] Gloſſema fortaſſe. nomina enim duorum Anagninorum defuiſſe, ex eo licet ſuſpicari, quod quaerenti Attico, qui eſſent Anagnini, reſpondet Cicero lib. XVI. epiſt. 11. *Anagnini ſunt Muſtella ταξιάρχης, et Laco, qui plurimum bibit.*

Baſilum] Iuuenalis ſat. X. v. 222.

Quot Baſilus ſocios. —

CAPVT XLII.

Buſtum in foro euertit] Phil. I. c. 2. *Iidemque buſtum in foro facerent.*

Metum credo valuiſſe, et arma] Excuſat Dolabellam, qui non metu armorum Antonii, ſed vt ſupra Phil. I. c. 7. oſtendi, pecunia

pecunia corruptus, Antonio ſe coniunxerat.

De caelo] *In caelo ſum*, dicebant, pro, felix ſum. *de caelo* igitur *detrahere*, valet, maxima felicitate priuare.

Motu perterriti] Supra c. 39. *Quas Kal. Iun. exſpectaſti? an eas, ad quas te, peragratis veteranorum coloniis, ſtipatum armis retuliſti?*

Leges Caeſaris euertit] De prouinciis, de vi, de maieſtate, de iudiciis. Phil. I. c. 9. 10.

Numerum annorum prouinciis prorogauit] Praetoriis annum, conſularibus biennium Caeſar dederat, vt Phil. I. c. 8. Antonius lege tribunicia, vt in Phil. V. c. 3. oſtenditur, praetoriis biennium, conſularibus ſexennium dedit.

In hortos Pompeii] Suburbanos, quos tunc Antonius tenebat ab haſta emtos.

In villam Scipionis] In Tiburte, ipſam quoque ab haſta emtam, in qua ſeptemdecim dies, quae in Ciceronem in ſenatu diceret, commentatus eſt. Phil. V. c. 7.

CAPVT XLIII.

Quem is maiorem honorem conſecutus erat] A ſenatu. Suetonius in Iulio c. 76. *Ampliora humano faſtigio ſibi decerni paſſus eſt: ſedem auream in curia, et pro tribunali, thenſam et ferculum Circenſi pompa, templa, aras, ſimulacra iuxta deos, puluinar, flaminem, Lupercos, appellationem menſis e ſuo nomine.*

Eſt ergo flamen, vt Ioui, vt Marti, vt Quirino, ſic Diuo Iulio M. Antonius] Eodem ſenatus decreto, quo illa Caeſari tributa ſunt.

Cur non inaugurare] Augur iam erat Antonius: hic de flamine ſermo eſt. videtur autem mos fuiſſe, vt flamines quoque ab auguribus inaugurarentur. nam ſequitur: *Collegae ſumus.*

Siue quod mortui] Nam ſi mortuus, quo modo deus?

Heri] XIV. Kal. Oct.

Cur non ſumus praetextati] Nondum tributus erat ille dies Caeſari; tributum poſtea, veteres dierum faſti demonſtrant.

Supplicationes addendo] Quaſi deus Caeſar fuiſſet. quod queritur Cicero in Phil. I. c. 5.

Diem] Quo ſupplicationes illae fiunt.

Puluinaria noluiſti] Noluiſti, quae deorum immortalium ſunt, in eum conferre? tolle igitur et ſupplicationes.

Hominis ſimplicis] Qui de tegendo pectore non labores. Irriſio.

Pectus vidimus] Lupercus enim concionatus eſt. ſupra c. 34. *O praeclaram illam eloquentiam tuam, cum es nudus concionatus!*

CAPVT XLIV.

Cur me tui ſatellites cum gladiis audiunt] Non audierunt. nam, vt in argumento oſtendimus, non dixit haec Cicero, ſed ſcripſit. mos tamen Antonii notatur, armatorum corona ſenatum circumdantis. in epiſtola quoque ad Plancum, lib. X. Fam. 2. non venire ſe in ſenatum, oſtendit, his verbis: *Meum ſtudium honori tuo pro neceſſitudine noſtra non defuiſſet, ſi aut tuto in ſenatum, aut honeſte venire potuiſſem. Sed nec ſine periculo quiſquam libere de republica ſentiens verſari poteſt in ſumma impunitate*

punitate gladiorum: nec noſtrae dignitatis videtur eſſe, ibi ſententiam de republica dicere, vbi me et melius et propius audiant armati, quam ſenatores. Et ad Caſſium lib. XII. epiſt. 2. *Intelligit populus Romanus, tres eſſe conſulares, qui, quia, quae de republica bene ſenſerint, libere locuti ſunt, tuto in ſenatum venire non poſſint.*

Cur valuae Concordiae non patent] Idem Phil. V. c. 7.

Penſionem tertiam] Mortem tuam: cum duas iam perſoluerit, interfectis eius viris, P. Clodio, et C. Curione. non debebit illa certe diu, cum minime auara ſit. Supra c. 5. *Quis autem meum conſulatum, praeter P. Clodium, qui vituperaret, inuentus eſt? cuius quidem te fatum, ſicuti C. Curionem, manet: quoniam id domi tuae eſt, quod fuit illorum vtrique fatale.*

Vlta eſt] Tyranni nece.

Nondum recuperauit] Paullo apertius ad Caſſium lib. XII. epiſt. 1. *Adhuc vlta ſuas iniurias eſt per vos, interitu tyranni: nihil amplius. Ornamenta vero ſua quae recuperauit? an quod ei mortuo paret, quem viuum ferre non poterat? cuius aera refigere debebamus, eius etiam chirographa defendimus?*

Adoleſcentes] Brutum, et Caſſium, qui cedebant, otio conſulentes.

Immortalitatem] Nominis.

CAPVT XLV.

Confer cum nummatione tua] Actio eſt in verbo, *nummatione,* quaſi dicat: confer cum iſta tanta pecunia, quae ad te, vxoremque tuam quotidie congeritur.

CAPVT XLVI.

Satis eſſe] Vel ſi fructus praeterea nullus conſequatur.

Beneficio gratum] Pro eo, quod patriae debemus.

Repraeſentari] Maturius afferri.

Quod iam diu parturit] Parturit autem interitum tuum.

Hoc ipſo in templo] Concordiae. ſupra c. 8. *Cum in hac cella Concordiae, o dii immortales! in qua, me conſule, ſalutares ſententiae dictae ſunt, quibus ad hanc diem viximus, cum gladiis homines collocati ſtent.* Et rurſus c. 44. *Cur me tui ſatellites cum gladiis audiunt? cur valuae Concordiae non patent?*

Negaui poſſe mortem immaturam eſſe conſulari] Orat. IV. in Catil. c. 2. *Si quid obtigerit, aequo animo paratoque moriar. neque enim turpis mors forti viro poteſt accidere, neque immatura conſulari, nec miſera ſapienti.*

Adeptus ſum] Hoc ad honores pertinet.

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
PHILIPPICAM TERTIAM
IN
M. ANTONIVM

ARGVMENTVM

Poſt Caeſaris necem decreuit ſenatus conſulares prouincias, Antonio Macedoniam, Dolabellae Syriam. ſed Antonius, occaſionem quaerens reipublicae perturbandae, Galliam citeriorem ſibi mandari cupiebat. quod cum a ſenatu non impetraret, qui eam prouinciam D. Bruto, iam antea ab ipſo Caeſare datam, poſt eius interitum confirmauerat, tulit ad populum, et obtinuit, vt citeriorem Galliam regeret: vnde ſe cum exercitu ad vrbem, Caeſaris exemplo, facile venturum ſperabat. nam Macedonia, terra marique disiuncta, nouis conſiliis parum opportuna videbatur. Hac mente Brundiſium iuit ad VII. id. Octobr. profectus obuiam legionibus Macedonicis quattuor, quas ſibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad vrbem adducere, et in ceruicibus bonorum collocare. Sic enim ſcripſit Cicero ad Cornificium lib. XII. Fam. epiſt. 23. Cum eum ſequi multi recuſarent, praeſertim ex legione Martia, iracundia percitus, trucidari Sueſſae primum, deinde Brundiſii quamplurimos iuſſit. qua de re ſic in Phil. XIII. c. 8. vt alia mittam exempla: Prorupit ſubito Brundiſium, vt inde agmine quadrato ad vrbem accederet: lautiſſimum oppidum, nunc municipium, honeſtiſſimorum quondam colonorum, Sueſſam, fortiſſimorum militum ſanguine impleuit: Brundiſii, in ſinu, non modo auariſſimae, ſed etiam crudeliſſimae vxoris, delectos Martiae legionis centuriones trucidauit. inde ſe quo furore, quo ardore ad vrbem, id eſt, ad caedem optimi cuiusque, rapiebat! Quo tempore dii immortales ipſi praeſidium improuiſum nec opinantibus nobis obtulerunt. Caeſaris enim incredibilis ac diuina virtus latronis impetus crudeles ac furibundos retardauit. *Redeuntem a Brundiſio Antonium legio Martia reliquit. ille, tribus legionibus Tiburi collocatis, vrbem eſt ingreſſus: vocato in Capitolium ſenatu, cum de abalienata legione-*

legione Quarta, et Octauiani copiis adiuncta, nuncius ei eſſet allatus, propere ſenatum dimiſit, et ad occupandam Galliam citeriorem, quam D. Brutus obtinebat, cum duabus legionibus magna celeritate contendit. Interea cum noui tribuni plebis, qui IV. id. Dec. magiſtratum inibant, XIII. Kal. Ian. ſenatum conuocaſſent, deque praeſidio conſulum deſignatorum retuliſſent, vt ſenatum tuto Kalendis Ian. habere poſſent: Cicero, laudata tribunorum mente, totam rempublicam complexus, haec cenſuit: res eas, quas Caeſar adoleſcens priuato conſilio geſſerat, aut gereret, publica confirmandas auctoritate; legiones, quae, relicto Antonio, ad rempublicam defendendam ſe contulerant, laudandas, eisque ſpem praemiorum decreto ſenatus oſtendendam; D. Brutum, qui ſe irruenti in Galliam Antonio obiecerat, ipſamque Galliam, quae reſiſteret, debita laude ornandam; prouincias ab iisdem, qui eas obtinerent, obtinendas eſſe ex lege Iulia, quoad ex ſenatus conſulto cuique eorum ſucceſſum eſſet; iisque de rebus ad ſenatum a nouis conſulibus primo quoque tempore eſſe referendum. Aſſenſit ſenatus, et in eius ſententiam ſenatus conſultum factum eſt. Habita eſt haec oratio XIII. Kal. Ian. profecto in Galliam Antonio, vt cognoſcitur ex Phil. VI. c. 1. et lib. XI. Fam. epiſt. 5. et lib. XII. epiſt. 25.

EXPLANATIO

CAPVT I.

Quotidie] Poſt profectionem ſcilicet Antonii. Phil. V. c. 11. *Vt primum poſt diſceſſum latronis, vel potius deſperatam fugam, libere ſenatus haberi potuit; ſemper flagitaui, vt conuocaremur.*

Exſpectantur Kal. Ian.] Vt eo die noui conſules de republica referant.

Adſunt] Propinquae ſunt.

Longum eſt imparatis] Aeque nobis obeſſe poteſt, ſi ſimus, vt nunc quidem ſumus, imparati, ac ſi longum eſſet.

Ex vrbe fugit Antonius] Nam fugae ſimilis fuit illius in Galliam profectio. Infra c. 10. *Quae vero profectio poſtea? quod iter paludati? quae vitatio oculorum, lucis, vrbis, fori? quam miſera fuga? quam foeda? quam turpis?* Et Phil. XIII. c. 9. *Egreſſus eſt non viis, ſed tramitibus, paludatus: eoque die ipſo innumerabilia ſenatus conſulta fecit: quae quidem omnia citius delata, quam ſcripta ſunt. Ex eo non iter, ſed curſus, et fuga in Galliam.*

Priuatis conſiliis] Caeſaris Octauiani, atque etiam D. Bruti: de quibus infra c. 6. *Nam ſi ille conſul: fuſtuarium meruerunt legiones, quae conſulem reliquerunt; ſceleratus Caeſar, Brutus nefarius: qui contra conſulem priuato conſilio exercitus comparauerunt.* Et ad ipſum Brutum, lib. XI. Fam. epiſt. 7.

CAPVT II.

Paene potius puer] Annos natus XIX. vt ſcripſit Velleius lib. II. c. 61. ad rempublicam defendendam, Antoniique conatus reprimendos Octauianus acceſſit.

Cumque eius a Brundiſio crudelis, et peſtifer reditus timeretur] Hoc Caeſaris beneficium ſaepe Cicero ſingulari cum eius laude commemorat, vt Phil. IV. c. 2. V. c. 8. XIII. c. 9. et ad Cornificium lib. XII. epiſt. 25. ita ſcripſit: *Puer egregius praeſidium ſibi primum et nobis; deinde ſummae reipublicae comparavit: qui niſi fuiſſet, Antonii reditus a Brundiſio peſtis patriae fuiſſet.*

Patrimoniumque ſuum effudit] Quid mirum? cum in ſingulos milites pro menſtruo ſtipendio quingentos denarios, qui ſcutati ſexaginta ſunt, erogauerit, veteranos autem, qui eum ſecuti ſunt, tria millia fuiſſe, ex lib. XVI. ad Attic. epiſt. 8. cognoſcitur. ita ſumtus menſtruus fuit, ſcutatorum centum octuaginta millia. in epiſt. ad Attic. *Veteranos, quiqui Caſilinis, et Calatiae ſunt, perduxit ad ſuam ſententiam. nec mirum: quingenos denarios dat: cogitat reliquas colonias obire.* Velleius lib. II. c. 61. *Primum a Calatia, mox a Caſilino veteranos exciuit paternos. Quorum exemplum ſecuti alii, breui in formam iuſti coiere exercitus.*

In hoſpitis tectis] Rationem hoſpitii nullam habuit: Iouem Hoſpitalem contemſit.

Fortiſſimos viros] Milites, qui ducem Antonium recuſarent. trecentos fuiſſe, dicit paullo poſt c. 4. eandem crudelitatem exprobrat Phil. IV. c. 2. et V. c. 8. et XIII. c. 8.

Ante pedes eius] Phil. XIII. c. 8. in ſinu vxoris trucidatos, oratorie dicit.

Nec enim fieri potuit aliter] Non enim publico conſilio Caeſar arma ſumſit. res autem celeritatem poſtulabat. itaque neceſſe fuit, vt ipſe, priuato conſilio exercitu comparato, rempublicam defenderet.

Hodierno die] XIII. Kal. Ian. vt ad D. Brutum lib. XI. Fam. epiſt. 5. et ad Cornificium, lib. XII. epiſt. 25.

Illius beneficio] Abſentem enim Antonium non timemus. vt abſit autem, Caeſaris virtute factum eſt. audito enim nuncio de Quarta legione, ſtatim diſceſſit. infra c. 9.

CAPVT III.

Longo interuallo] Nam adhuc per Antonium non licuit.

Quis enim vnus fortior] Fortem vnum inueniri, facile eſt: vniuerſam legionem, in primis difficile. quo maior laus Martiae legionis. Phil. II. c. 21. ſimiliter locutus: *Tu vnus adoleſcens vniuerſum ordinem decernere de ſalute reipublicae prohibuiſti.* Et pro domo c. 32. *Tu vnus peſtifer ciuis eum reſtitutum negas eſſe ciuem, quem eiectum vniuerſus ſenatus non modo ciuem, ſed etiam egregium ciuem ſemper putauit?* Simile illud pro Sextio c. 57. *Nec vnus in quemquam vmquam gratior, quam in me vniuerſi.*

Aut fortiorum virorum, aut amiciorum reipublicae (Ern. *populo Romano*) *ciuium*] Quid vitii poſſit eſſe in his verbis, aut cur pro, *fortiorum*, *fortium*, pro, *amiciorum*, *amicorum*, reponi debeat, quod Faerno placuit, non ſane diſpicio. nec vero, quam ille conſtructionem probauit, ſuaeque correctionis praecipuam, vt video, cauſſam habuit, ea mihi videtur eiusmodi,

modi, vt probari iure poſſit. neminem enim ex iis, quibus primae Latini ſermonis deferuntur, ita locutum video, *fideliorem fortium virorum*, pro, maiore erga fortes viros fide; aut omnino cum, *fidelis*, generandi caſum coniunxiſſe.

Ciui (Ern *ciue*) *optimo*] Sic Ciceronem ſcripſiſſe, auctor eſt Priſcianus lib. VII. ſic etiam legitur in vetuſtiſſimis libris.

Perſecuta eſt] Sic Phil. IV. c. 2. de eadem legione locutus eſt.

CAPVT IV.

Recens edictum D. Bruti] Cuius etiam mentio fit lib. XI. Fam. epiſt. 6.

Quem ipſe ementitis auſpiciis vitioſum fecerat] Tota res exponitur Phil. II. c. 33.

Quaſilla] Ciſtulas muliebres.

Nundinabantur] De his nundinis ſupra Phil. II. c. 14. diximus.

Sacrificiis ſollemnibus] Conſules in prouincias profecturi, et ſacrificia prius faciebant, et vota nuncupabant; quae, cum rediiſſent, bene geſta republica ſolvebant.

Quae numquam ſolueret] Non enim ei, quae cogitat, proſpere ſuccedent.

CAPVT V.

Priuato praeſertim conſilio] Non enim ei ſenatus mandauit, auctorue fuit, vt conſulem Antonium Gallia prohiberet.

Quid, eo mortuo, conſequi ipſe cuperet] Quod in alio regnum probabat, id a ſe ipſo expeti ſignificabat.

Tribuni plebis] Poſt Antonii profectionem, qui profectus eſt IV. Kal. Dec. vt infra c. 8. 9. dicitur, magiſtratum iniere tribuni plebis. erat autem eis primus magiſtratus dies, vt Dionyſius docet, IV. id. Dec. nec tamen ante XIII. Kal. Ian. quo die habita haec oratio eſt, ſenatum vocarunt. Propterea, cum quadam querela, ſic exorſus eſt Cicero: *Serius omnino, P. C. quam tempus reipublicae poſtulabat, aliquando tamen conuocati ſumus, quod flagitabam equidem quotidie.* Et Phil. V. c. 11.

De praeſidio] Conſulum deſignatorum, et ſenatus, vt Kalendis Ian. et ipſi conſules, et ſenatus omnis tuto in curiam venire poſſit.

Retuliſtis] Omnes quidem, ſed principe M. Seruilio, retulerunt: vt Phil. IV. in extremo.

Intra muros Antonii ſcelus, audaciamque verſari] Licet abſente Antonio, ab eius tamen amicis, id eſt, a perditis ciuibus, qui ſunt in vrbe, timendum eſſe.

CAPVT VI.

Ducibus] Caeſari, et D. Bruto, qui priuato conſilio exercitus contra conſulem comparauerunt. Supra c. 1. et infra.

Depromta ex recordatione impudicitiae, et ſtuprorum ſuorum] Phil. XIII. c. 9. *Quem tum ille demens laedere ſe putabat edictis, ignorans, quaecumque falſo is diceret in ſanctiſſimum adoleſcentem, ea vere recidere in memoriam pueritiae ſuae.*

Conſul factus eſſet] Praetor enim fuit, et Macedoniam poſt praeturam adminiſtrauit. Suetonius in Auguſto c. 4. *Decedens Macedonia, prius quam profiteri ſe candidatum conſulatus poſſet, morte*

morte obiit repentina. Lib. I. ad Q. Fr. epiſt. 1. *Adiungenda etiam eſt facilitas in audiendo, lenitas in discernendo, in ſatisfaciendo. ac disputando diligentia. His rebus nuper Cn. Octauius iucundiſſimus fuit.* Et epiſt. 2. *Mediocri me dolore putas affici, cum audiam, qua ſit exiſtimatione Virgilius, qua tuus vicinus Cn. Octauius?*

Aricina mater] Atia M. Atii Balbi ex Iulia, ſorore Caeſaris, filia, quae poſt obitum Cn. Octavii L. Marcio Philippo nupſit, et cum eo tum viuebat. Miror autem Aricinam Atiam eſſe dictam, cum nec ipſa, nec pater eius Balbus Ariciae natus eſſet. fuit enim, Suetonio teſte in Auguſto c. 4. paterna ſtirpe Aricinus.

Paene finitimum] Abeſt enim ab vrbe viginti millibus paſſuum.

Voconiae] Voconia lex de mulierum hereditatibus fuit: ſancitum eſt enim ea lege, ne quis cenſus, id eſt, pecunioſus, heredem relinqueret filiam.

Scatiniae] Tribunicia lex Scatinia contra ſtupratores puerorum, et eos, qui muliebria paterentur. in epiſt. Coelii lib. VIII. Fam. 12. *Inſolentiſſimi homines, ſummis Circenſibus ludis meis, poſtulandum me lege Scatinia curant.* Suetonius in Domitiano c. 8. *Quosdam ex vtroque ordine lege Scatinia condemnauit.*

Tuſculanam] Quam tu duxiſti, M. Fadii, libertini hominis, filiam. Phil. II. c. 2.

Bonae feminae] Cum probro potius, quam cum laude dictum: vt ironiae mos eſt. ideo ſequitur: *locupletis quidem certe:* id eſt, ſi minus bonae, ſaltem locupletis. quod tu ſpectaſti, cum eam vxorem duxiſti.

Homo nullo numero] Tum quia libertinus, tum quia lingua impeditus, corde ſtupidus.

Qui propter haeſitantiam linguae, ſtuporemque cordis] Bambalio dictus ἀπὸ τοῦ βαμβάλειν, quod eſt, τοῖς χείλεσι τρέμειν. et βάμβαλον Phryges pudendam corporis partem vocant. quae legimus apud Heſychium.

Ex contumelia] Eſt enim contumelia, ſi quis appelletur Bambalio: quia ſimul vitium illius appellatur.

At auus nobilis] Cum ſequatur Tuditani mentio, neceſſe eſt, hoc referri ad alteram vxorem Antonii Fuluiam, cuius maternus auus fuit Sempronius Tuditanus, auctore Aſconio in argumento orat. pro Milone.

Tuditanus nempe ille] Cum deriſione. quis enim nobilem dixerit eum, qui cum palla et cothurnis nummos populo de Roſtris ſpargere ſolebat? Valerius Max. lib. VII. c. 8. *Quam certae, quam etiam notae inſaniae Tuditanus, vtpote qui populo nummos ſparſerit, togamque velut tragicam veſtem in foro trahens, maximo cum hominum riſu conſpectus fuerit, ac multa his conſentanea fecerit.*

Cum palla, et cothurnis] Tribus cauſſis Tuditani ſtultitiam arguit: prima, quod in foro proceſſerit cum palla, quo veſtimenti genere ſenatores non vtebantur: altera, quod cum cothurnis, cum ſenatorum calcei lunati eſſent: tertia, quod nummos populo de Roſtris, tamquam pecuniae contemtor, ſpargere ſolebat. nam ideo ſequitur: *Vellem*

lem hanc contemtionem pecuniae ſuis reliquiſſet. quod in Fuluiam coniicitur, Tuditani neptem, quae erat auariſſima. ad illam enim pertinet, quod ſupra c. 4. dicitur: *At vero huius domi inter quaſilla pendebatur aurum.* nam quaſillum calatus muliebris eſt. Et Phil. XIII. c. 8. *Brundiſii in ſinu non modo auariſſimae, ſed etiam crudeliſſimae vxoris delectos Martiae legionis centuriones trucidauit.* et ad eandem ſpectat illud lib. XIV. ad Attic. epiſt. 12. *Quid? Deiotari noſtri cauſſa non ſimilis? dignus ille quidem omni regno, ſed non per Fuluiam.*

Habetis (Ern. *haberetis*) *nobilitatem generis glorioſam*] Ironia. Tu, qui obiicis ignobilitatem C. Caeſaris filio, quam habes domi tuae nobilitatem generis? cum prima tua vxor Fadia libertini hominis filia fuerit, altera vero et auariſſima ſit, et auum eum habuerit, cuius notiſſima dementia eſt.

Iulia (Ern. *Aricina*) *natus*] Octauianus non Iulia, ſorore Caeſaris, ſed eius filia natus eſt Atia. quare non hoc de ipſo, ſed de matre dictum. nec moueor, quod, *natus*, ad matrem potius, quam ad feminam, pertinere videatur. commune enim eſt, *Iulia natus*, pro, qui Iulia natus ſit. Qui conuenit, inquit, vt muliere nati nobiliſſima, ignobiles videantur?

Eodem materno genere] Diximus iam, Antonii matrem Iuliam fuiſſe, L. Caeſaris, conſularis viri, ſororem.

Ex libertini filia] Ex Fadia, Bambalionis filia.

Liberos] Eum, quem pacis obſidem in Capitolium miſit. Phil. II. c. 36.

Aricinam vxorem] Atiam.

Aricinae filiam] Octauiam, Octauiani ſororem, ex qua genuit Marcellum illum, cuius immaturam mortem deplorat Virgilius lib. VI. Aen. v. 869, ſeqq.

CAPVT VII.

Compellat edicto] Carpit eum, et vituperat.

Laedat, an laudet] Plane hic intelligitur, *laedere*, pro vituperare, vſurpari ſolere: cum opponantur, *laedat*, *laudet*: vt pro Fonteio c. 11. *Cum laedat nemo bonus, laudent omnes veſtri ciues, atque ſocii.*

Quaſi imitari velit] Me, in hominibus improbis poena afficiendis. non enim illa verba, *optimis ciuibus*, erant in edicto Antonii, ſed addita ſunt a Cicerone, tamquam interprete mentis, ac voluntatis eius: cum is communiter ciuibus illis, qui ſibi non paruiſſent, minatus eſſet idem ſupplicium, quod Cicero conſul de Catilinae ſociis ſumſerat.

Inuidiam aliquam] Odium aliquod.

CAPVT VIII.

In ante diem IV. Kal.] Pro, *in diem IV. Kal.* vtroque enim modo eundem diem veteres notabant: vt alibi docuimus.

Per Gallorum cuniculum] Occulte, quaſi per Gallorum cuniculum, cum in Capitolium noctu per cuniculum aſcendentes proditi ſunt ab anſeribus.

Immemores dignitatis ſuae] Non enim eos in ſenatum venire decuit.

Is enim erat dies] Quo non debuit ſenatus vocari; ſed in eum distulit Antonius. ex eo die, quo primum edixerat, vt adeſſet ſenatus, id eſt, ex VIII. Kal. Dec. quem obire neglexit, vino, atque epulis retentus.

Ea fama] Dicebatur enim, vocari ſenatum ab Antonio, vt referret de Caeſare. Phil. XIII. c. 9. *Inde ad vrbem curſus: ſenatus in Capitolium: parata de circumſcribendo adoleſcente ſententia conſularis.*

CAPVT IX.

Magiſter eius] Sex. Clodius, de quo Phil. II. c. 17.

Mercede publica] Ex agro publico ſumta. Phil. II. c. 17.

L. Caſſio] Fratri C. Caſſii, qui Caeſarem occiderat. lib. XII. Fam. epiſt. 2. et lib. XIV. ad Attic. epiſt. 2.

Ne intercederent] Vt tribuni plebis.

De cuius honore extraordinario] Vere dicit. nam poſtea Lepidum ornatum eſſe ſummis honoribus a ſenatu, indicat epiſtola ad eum, lib. X. Fam. 27.

De legione Quarta] Quae ſe cum Caeſaris exercitu coniunxerat.

De ſupplicatione] M. Lepidi: cui poſtea triumphum quoque abſenti decreuerunt. Phil. XIII. c. 4.

Per diſceſſionem] Celeritatis videlicet cauſſa. nam ſi ſententiae rogarentur, ſerius confecta res eſſet.

Cum id factum eſſet antea numquam] Rogari enim ſententias mos fuit in ſupplicatione decernenda: quod oſtendit epiſtola Coelii lib. VIII. Fam. 11.

CAPVT X.

Veſpertina] Si veſpertina, non praeclara, ſed turpia, et irrita. non enim poſt horam decimam referri vlla de re licuit. auctor Seneca de Tranquillitate animi c. 15. et ſenatus conſulta, vel ante ortum ſolis, vel poſt occaſum facta, irrita fuiſſe, docet.

Prouinciarum religioſa ſortitio] Senatus conſultum eo die fecit, vt prouinciarum ſortitio fieret: quae facta eſt: ſed prouincias ii, quibus obtigerant, recuſarunt, irritum arbitrantes ſenatus conſultum veſpertinum. *Religioſa:* cum ironia: id eſt, minime religioſa, quae propere facta ſit, et veſpertino ſenatus conſulto.

Diuina vero opportunitas] Iocatur: id eſt, minime diuina, ſed vitio et arte facta, vt, quae cuique apta eſſet, ea cuique obueniret. *Diuina* ſunt, quae forte contingunt, quaſi diuinitus tributa: at, cum ea cuique obueniunt, quae cuique videntur apta, quis in eo ſortem diuinam agnoſcat?

Conſulum] Deſignatorum, qui hoc die, vel abſente Antonio, metu tamen illius amicorum non aderant. Phil. V. c. 11.

L. Philippus] Octauiani vitricus.

Patre] Oratore ſummo, conſulari, et cenſorio.

Sors diuina] Et hic iocatur in ſortem vitio factam.

M. Antonius] Opinor ei obtigiſſe, quam optauerat, citeriorem

rem Galliam, ipſam quoque in ſortem coniectam.

C. Caluiſius Africam] Quam regebat Cornificius. ad quem ſcribens Cicero lib. XII. Fam. epiſt. 25. *nec vero*, inquit, *poſtea deſtiti labefactare eum, qui ſumma cum tua iniuria contumeliaque reipublicae prouinciam abſens obtinebat.* Quo loco Caluiſium hunc ſignificat.

Hiſpaniam] Vlteriorem, cui praefuerat ad eum diem Aſinius Pollio. nam citerior cum vlteriore Gallia tradita erat antea M. Lepido.

Non habeo, quid ſuſpicer] Miror, Iccio, et Caſſio, ciuibus optimis, nec amicis Antonii, quippe cum Q. Caſſius Caii frater fuerit, has prouincias obueniſſe. itaque diſſimiles in his puto ſortes fuiſſe. illae ſuperiores diuinae fuerant, id eſt, vitio factae: (ſic enim accipiendum) hae duae minus diuinae, id eſt, recte factae. eſt enim, vt in illis, item in his interpretandum a contrario ſenſu, vt argutia ſimilem principio finem habeat.

CAPVT XI.

O C. Caeſar, (adoleſcentem appello)] Sic ad populum C. Carbo in Orat. c. 63. *O M. Druſe, (patrem appello) tu dicere ſolebas*, etc. Similiter pro domo c. 43. *O Q. Catule, (patrem appellem, an filium?)*

Conſeruator] Ante Caeſaris dominationem.

Cum autem id facere non poſſem] Armis Caeſaris oppreſſa republica.

Hanc vero taeterrimam belluam quis ferre poſſet] Tuli Caeſarem, Antonium quis ferat? fuit in illo ingenium, ratio, memoria, litterae, cura, cogitatio, diligentia: (hanc ei laudem Phil. II. c. 45. Cicero tribuit) in Antonio quid eſt, praeter libidinem, crudelitatem, petulantiam?

Quae tamen ipſa non tulimus] Iugum enim ſeruitutis, occiſo tyranno, deiecimus.

CAPVT XII.

Nemini poſſet] Nemini iure poſſet.

Ex funere] Cum Caeſarem funebri laudans oratione, populum cum facibus impulit ad domos Caſſii, et Bruti.

Duobus, aut tribus ſenatus conſultis bene, et e republica factis] Vno, ne qua poſt idus Mart. immunitatis tabula, neue cuius beneficii figeretur: altero, vt dictaturae nomen in perpetuum de republica tolleretur. tertium ſenatus conſultum fortaſſe fuit illud, quod in aede Telluris, quo primum die poſt Caeſaris necem ſenatus habitus eſt, in ſententiam Ciceronis factum, vt omnis diſcordiarum memoria obliuione ſempiterna deleretur. Phil. I. c. 1. et II. c. 36.

Virtute legionum] Martiae, et Quartae.

Mutilatum ducit exercitum] Ex duabus enim legionibus, quae cum illo remanſerant, (has Galba ſecundam, et trigeſimam quintam nominat in epiſt. ad Ciceronem lib. X. Fam. 30.) milites multi ad Caeſarem ſe contulerunt.

Vacillante] Infirma, tironum videlicet.

Lucium fratrem] Natu minimum ex tribus. fuerat autem tri-

bunus plebis eodem anno, quo et conſul Marcus, et praetor Caius.

Ex Myrmillone] Ex gladiatore. Gladiatorum nomina fuere, Retiarii, Myrmillones, Thraces, Secutores. Pugnauerat Lucius in Aſia Myrmillo cum Thrace. haec enim duo genera componi ſolere, oſtendit ille verſus Auſonii:

Quis Myrmilloni componitur
aequimanus? Thrax.

Phil. V. c. 7. VI. c. 4. 5. VII. c. 6.

CAPVT XIII.

Videtis refertum forum] Patebant igitur valuae templi, in quo ſenatus habebatur: quae non patuerant praeſente Antonio. vnde Phil. II. c. 44. *Cur valuae Concordiae non patent?*

Longo interuallo frequentes] Nam frequentes non affuerant, habente ſenatum Antonio, armorum illius metu.

In me abſentem inuehens] XIII. Kal. Oct. quo die non affuiſſe Ciceronem, ſed ita Philippicam ſecundam ſcripſiſſe, tamquam ſi adeſſet, praeſensque praeſenti reſponderet, iam oſtendimus.

Caedis initium a me quaerenti] Phil. V. c. 7. *Quo die, ſi per amicos mihi cupienti in ſenatum venire licuiſſet, caedis initium feciſſet a me. ſic enim ſtatuerat. cum autem ſemel gladium ſcelere imbuiſſet, nulla res ei finem caedendi, niſi defatigatio et ſatietas, attuliſſet.* Et ad Caſſium lib. XII. Fam. epiſt. 2. *Caedem gladiator quaerit, eiusque initium ad XIII. Kal. Oct. a me ſe facturum putauit.*

Vrbi Caeſarem, Brutum Galliae] Propoſita firmiſſimi praeſidii ſpe, ſenatorum animos ad ſtudium tuendae libertatis excitat.

CAPVT XIV.

Ampliſſimi orbis terrae conſilii principes vos eſſe, aliquando recordamini] Argumentatur a dignitate.

Conſilium veſtrum non deeſſe reipublicae] A conſtantia, et fide.

Non modo crudelem, ſuperbamque dominationem] A miſerrima ſeruitute.

Sed ignominioſam etiam, et flagitioſam] A dedecore.

Quod gladiatores nobiles faciunt] Ab exemplo.

Nos principes orbis terrarum, gentiumque omnium] Quod ſerui faciunt, (nam gladiatores erant ſerui) quanto magis, qui principes orbis terrarum ſumus, id nos facere debemus? Argumentum a minori.

Pro caritate reipublicae] Pro ea caritate, quam omnes reipublicae debent.

Seruitutis recordatio] Contraria contrariis propinqua magis apparent. ideo iucundius bonum eſt, antecedente malo, quam ſi perpetuum fuiſſet. hoc et Virgilius vidit, cum dixit lib. I. Aen. v. 203.

Forſan et haec olim meminiſſe
iuuabit.

CAPVT XV.

L. Planco] Qui praeerat Galliae vlteriori. Phil. V. c. 2.

Conſulibus deſignatis] A Caeſare, qui conſules in biennium deſignauit, Hirtium, et Panſam in

in annum ſequentem, poſt eos D. Brutum, et L. Plancum.

A ceteris, qui prouincias obtinent] Ita Cornificio, amico ſuo, Africae adminiſtrationem confirmauit. qua de re ſic ad ipſum ſcripſit lib. XII. Fam. epiſt. 25. *Ego, mi Cornifici, quo die primum in ſpem libertatis ingreſſus ſum, et, cunctantibus ceteris ad XIII. Kal. Ian. fundamenta ieci reipublicae; eo ipſo die prouidi multum, atque habui rationem dignitatis tuae. Mihi enim eſt aſſenſus ſenatus de obtinendis prouinciis.*

Ex lege Iulia] De prouinciis. Phil. I. c. 8. et V. c. 3.

Quoad ex ſenatus conſulto cuique eorum ſucceſſum ſit] Hoc ſenatus conſulto ſortitio illa prouinciarum, ab Antonio facta, tollebatur; et eorum, qui prouincias obtinebant, ſtudia erga rempublicam conſeruabantur.

Conſilio] Non minima ad laudem acceſſio. nam in adoleſcente et opera, et virtus facile, conſilium non facile reperitur.

Populique Romani libertatem] Subaudiri neceſſe eſt, *defendendam:* quod apparet e ſequentibus verbis, *ſenatus auctoritatem, populique Romani libertatem defendat.*

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
PHILIPPICAM QVARTAM
IN
M. ANTONIVM

ARGVMENTVM

Exponit in concione, quae acta ſint in ſenatu: Caeſarem, et D. Brutum effert laudibus: populum ad libertatem recuperandam cohortatur, beneque de republica ſperare iubet.

EXPLANATIO

In hac oratione difficilia, aut ambigua perquam pauca occurrent: itaque breuitatem ſequar ex inſtituto meo: ne, quod tempus ad loca tantum impedita, atque obſcura nobis eſſe conferendum ſtatuimus, eius temere iactura fiat in expeditis, atque apertis.

CAPVT I.

Animus mihi quidem numquam deſuit] Hoc pertinet ad alacritatem, nunc primum, facta temporum mutatione, exortam.

Nunc facere non poſſem] Me enim occidiſſet Antonius. Phil. III. c. 13. *Si enim illi tum, caedis tantum a me quaerenti, reſpondere voluiſſem, nunc reipublicae conſulere non poſſem.*

Sed re] Probabit hoc paullo poſt.

Nunc vero multo ſum erectior] Clamorem ſuſtulit populus, vbi Antonium re hoſtem eſſe iudicatum cognouit. quo clamore animum ſibi additum Cicero dicit.

Laudo, laudo vos, Quirites] Audito Caeſaris nomine, laetitiae ſuae ſignum populus conſentiens clamore dedit.

Vel pueri potius] Tacitus lib. XIII. Annal. c. 6. Vellejus lib. II. c. 61. annum aetatis XIX. ei hoc tempore definiunt.

Immortalitatis] Eiusmodi, vt numquam interitura memoria videatur.

Nomen

Nomen (Ern. *non*) *aetatis*] Ad... lcentem enim, vel puerum potius, eo nominando, oſtendimus.

Hoc inſperatum omnibus conſilium, incognitum certe, ceperit] Phil. III. c. 2. dixit: *Nec poſtulantibus, nec cogitantibus, nec optantibus quidem nobis.*

CAPVT II.

Referretur] A nouis conſulibus.

Huius Martiae legionis] Quis, *Martiae*, ſuperuacaneum eſſe non videt?

Perſecuta eſt] Pro, ad eum ſe contulit. ſic locutus Phil. III. c. 3.

CAPVT III.

Quae te reliquerunt] Si Tacito lib. I. Annal. c. 10. credimus, a Caeſare corruptae.

Arceſſitae] Brundiſio. Phil. VI. c. 2. *Ad quem legatos? ad eumne, qui, pecunia publica diſſipata atque effuſa, per vim et contra auſpicia impoſitis populo Romano legibus, fugata concione, obſeſſo ſenatu, ad opprimendam rempublicam Brundiſio legiones arceſſierit?*

Vt oſtenditis] Vna omnium voce.

CAPVT IV.

Negat hoc] Eſſe conſulem Antonium.

Quamuis impii nefariique ſint, ſicut ſunt] Concinnus loquendi modus: vt Phil. I. c. 15. *Satis erat, probatum illum eſſe populo Romano. vt eſt.* Et Phil. II. c. 28. *Neceſſe eſt, quamuis ſis, vt es, violentus, et furens, cum tibi obiecta ſit ſpecies ſingularis viri, perterritum te de ſomno excitari, furere etiam ſaepe vigilantem.*

Bonorum donatio] Viuo Caeſare, cui bellum gerenti operam nauauerant.

Agrorum] In Campania maxime.

Haſta] Auctio de Pompeianorum bonis.

Vrbem ſe diuiſurum eſſe promiſit] Phil. XIII. c. 9. *Ingreſſus vrbem eſt, quo comitatu, vel potius agmine? cum dextra, ſiniſtra, gemente populo Romano, minaretur dominis, notaret domos, diuiſurum ſe vrbem, palam ſuis polliceretur.*

Ita ſunt aperte denunciata] De quibus prodigiis, atque portentis, nulla, quod ſciam, docet hiſtoria.

CAPVT V.

Vniuerſam Italiam] In qua debellanda plus conſumtum eſt temporis, quam in reliquo terrarum orbe. Italia vero ad imperium adiuncta, exteris gentibus formidabilis potentia Romanorum fuit.

Carthaginem exciderunt, Numantiam euerterunt] Vtramque Scipio Aemilianus.

Potentiſſimos reges] Perſeum Macedoniae, Antiochum Aſiae, Mithridatem Ponti regem.

Bellicoſiſſimas gentes] Hiſpanos, et Gallos.

CAPVT VI.

Cum eo hoſte res erat] Quocumque hoſte.

Si res ita tuliſſet] Vt agendum eſſet de pace, et foedere. ſed ideo res non tulit, quia viciſſ...s.

Cum

Cum Spartaco] Seruorum duce: quo victo, M. Craſſus, myrtea corona, ouans in Albano monte triumphauit. nota ſatis hiſtoria.

Gloriari ſolet] Oratorie. fingit enim, quod credi poſſit: quia talem ſe contra patriam, et libertatem, qualem olim Catilina, praeberet Antonius.

Amiſit] Cum eum duae legiones reliquerint.

Diligentia mea] Qui coniurationem patefeci, et occurri, quantum in me fuit, naſcentibus malis.

Senatus auctoritate] Qui, hoſte Catilina iudicato, de comprehenſis coniuratis vltimum ſumendum eſſe ſupplicium cenſuit.

Veſtro ſtudio] Erga rempublicam a domeſticis hoſtibus defendendam.

Et virtute] Qui contra Catilinam, duce C. Antonio conſule, pro patria feliciter pugnaſtis.

Sine ſcelere] Si quid praetermitterem erga vos, qui me ſummis honoribus nouum hominem, et a me ipſo ortum, affeciſtis; plane me ſceleſtum, ac nefarium eſſe confiterer. Phil. VI. c. 6. *Quid enim non debeo vobis, Quirites, quem vos, a ſe ortum, hominibus nobiliſſimis omnibus honoribus praetuliſtis?* Similiter locutus eſt ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Facis tu quidem abundantia quadam amoris, vt etiam grata ſint ea, quae praetermitti ſine nefario ſcelere non poſſunt.*

Referente hoc M. Seruilio] Relationis principe. nam, vt opinor, omnes tribuni plebis retulerunt. et ſequitur, *collegisque eius*.

Me auctore, et principe] *Cunctantibus ceteris*, dixit ad Cornificium lib. XII. epiſt. 25.

Exarſimus] Summam libertatis cupiditatem aptiore verbo declarare non potuit.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
PHILIPPICAM QVINTAM
IN
M. ANTONIVM

ARGVMENTVM

Obſidente Mutinam Antonio, non modo ſine ſenatus auctoritate, ſed inuito etiam ſenatu, qui Galliam citeriorem D. Bruto, iam antea a Caeſare datam, poſt eius necem confirmauerat, noui conſules, Panſa, et Hirtius, Kalendis Ian. primo conſulatus die, conuocato de more ſenatu, non modo de Mutinae obſidione, ſed omnino de tota republica, deque honoribus, et praemiis bene de republica meritorum, ac merentium, de quibus XIII. Kal. ſenatus conſultum factum erat, retulerunt. Quod ad Mutinam attinuit, cenſuit is, qui ſententiam primus rogatus eſt, mittendos ad Antonium legatos, qui agerent cum eo, vt ab eius vrbis obſidione deſiſteret. Cicero autem, ſuo loco rogatus, turpe, et indignum dicit eſſe ſenatus ac populi Romani maieſtate, ad eum legatos de pace mittere, de quo ante paucos dies, tamquam de hoſte, grauiſſima, et ſeueriſſima iudicia idem ſenatus fecerit. decreuerat enim XIII. Kal. Ian. quo die habitam eſſe tertiam orationem diximus, vt de honoribus Caeſaris, et Bruti, qui rempublicam priuato conſilio defendendam ſusceperant, deque praemiis Martiae, et Quartae legionum, quae, Antonio relicto, ad Caeſarem ſe contulerant, primo quoque tempore noui conſules referrent. Deinde vehementer incubuit Cicero, vt hoſtis iudicaretur Antonius, et ea decernerentur de honoribus, et praemiis, quae ſenatus ex nouorum conſulum relatione decerni ſibi placere oſtenderat. Senatus eo die nihil decreuit, ſed triduo poſt, mittendos omnino, cenſuit, qui Antonio nunciarent, ne conſulem deſignatum oppugnaret, ne Mutinam obſideret, ne prouinciam depopularetur, ne delectus haberet, eſſet in ſenatus, populique Romani poteſtate. quae in concione Cicero expoſuit, vt in Phil. VI. c. 1.

EXPLANA-

EXPLANATIO

CAPVT I.

Cum maxime conſilio noſtro ſubuenire communi ſaluti oporteret] Saepe queritur, profecto ab vrbe Antonio, vt Galliam inuaderet, non ſtatim ſenatum eſſe habitum, cum res communis, et publica ſalus ageretur. profectus enim eſt ab vrbe Antonius III. Kal. Dec. vt Phil. III. c. 8. 9. docet; ſenatus autem non ante XIII. Kal. Ian. habitus eſt, vt ex Phil. VI. c. 1. et duabus epiſtolis ad Brutum, et Cornificium, ſupra oſtendimus.

Qui ita locuti ſunt] Eum in rempublicam animum, eamque defendendae libertatis cupiditatem oſtenderunt, vt, ſi quid tarditate amiſimus, id ſtudio, cura, celeritate ſarcire velle videantur.

Qui primus rogatus eſt] Nihil minus ab initio cogitaui, quam vt eorum, qui Ciceronis orationes explanandas ſusceperunt, opiniones refellerem: infinitum enim quiddam eſſet: hic tamen, oblitus inſtituti mei, temeritatem eorum cogor oſtendere, quod, nullo Ciceronis teſtimonio, nulla ſuffragante hiſtoria, L. Piſonem hunc eſſe confirmarunt, qui primus rogatus eſt. quod ſi diligenter hos Philippicarum libros euoluiſſent, non hunc eſſe L. Piſonem, ſed Q. Fuſium Calenum facile cognouiſſent. nam Phil. X. c. 1. ſunt haec: *Quae eſt iſta tua ratio, Calene? quae mens? qui numquam poſt Kal. Ian. idem ſenſeris, quod is, qui te ſententiam primum rogat?* Cur autem eum primum rogare maluerit Panſa conſul, quam de conſularibus quemuis alium, affinitas effecit. erat enim Caleni gener Panſa. teſtis oratio octaua, in qua c. 6. ſcriptum ſic eſt: *Satis multa cum Fuſio, ac ſine odio omnia, nihil ſine dolore. Credo autem, qui generi querelam moderate ferat, aequo animo laturum amici.* ſic Caeſar conſul, collocata Pompeio filia, primum eum rogare ſententiam coepit, cum Craſſum ſoleret, eſſetque conſuetudo, vt, quem ordinem interrogandi ſententias conſul Kalendis Ian. inſtituiſſet, eum toto anno conſeruaret.

Nudius tertius decimus] XIII. Kal. Ian. cum noui tribuni plebis ſenatum conuocaſſent, et de conſulum deſignatorum, ac ſenatus praeſidio retuliſſent. Phil. III. c. 10.

CAPVT II.

In colonias] Caſilinum. Phil. II. c. 40.

Decreuiſtis] Phil. III. c. 15.

Cotylam] L. Varium Cotylam, aedilicium, qui tum affuit in ſenatu, poſtea profectus eſt Mutinam ad Antonium, eumque legatum ad ſenatum Antonius remiſit: vt Phil. VIII. c. 8. 10.

Etiam conſulares] Conſulatum geſſerat Calenus cum Vatinio.

Omnes] Omnes, qui ſunt in ſenatu, conſulares.

Aliquem] Conſularem.

Pecuniam infinitam] Quam ei conſularis ille decreturus eſſe, et cum pecunia equitatum, quantum vellet, putabatur.

Sit patria (Ern. *patriae*) *prius*] Sit amica tibi prius, vt eſſe debet, patria.

CAPVT

CAPVT III.

Agrorum ſuis latronibus condonandi] Pro, *condonandorum*: vt in Vatinium c. 15. *Prouinciae decernendi poteſtatem*: pro, *decernendae*.

Dubitate, quid agatis] Indignatio. quis enim, tanto propoſito periculo, dubitet?

Ille paludes] Suetonius in Iulio c. 44. *Siccare Pontinas paludes: emittere Fucinum lacum: viam munire a mari ſupero per Apennini dorſum ad Tiberim vsque. — Talia agentem, atque meditantem mors praeuenit.*

Siccare] Vt augeret patrimonium populi Romani.

Italiam] Oratorie, pro, Italiae partem.

L. Antonio] Principem locum inter ſeptemuiros obtinenti.

Hanc legem] De agris a L. Antonio diuidendis.

Per auſpicia ferri potuit] Infra: *Ioue tonante, cum populo agi nefas eſſe, quis ignorat?* Et poſt: *Quae porro illa tonitrua? quae tempeſtas?*

Verecundus] Minime verecundus.

Sine collegis] Agit, et interpretatur.

Contra acta Caeſaris] Ille enim tulerat, vt praetoriae prouinciae ne plus, quam annum, conſulares ne plus, quam biennium, obtinerentur. Antonio autem conſule duo tribuni plebis lege lata, praetoriis biennium, conſularibus ſexennium, ex ipſius Antonii ſententia dederunt.

Vbi lex Caecilia, et Didia] Quae ſunt de tempore ferendarum legum, easque patere populo promulgatas per trinas nundinas iubent.

Vbi poenae] Iis irrogatae, qui legitimum promulgationis tempus non ſeruaſſent. In libro noſtro de Legibus c. 16.

In forum inſinuandi] Omnes enim aditus Antonius clauſerat, ne cui obnunciare, aut intercedere liceret. Reprehenditur, vt per vim lata lex de diuidendis agris a ſeptemuiris: quam poſtea ſustulit ſenatus. Phil. VI. c. 5. et XI. c. 6. *Inſinuandi*, nullo adiuncto caſu: vt ad Nigidium lib. IV. Fam. epiſt. 13. *In ipſius conſuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clauſit, inſinuabo.* Lib. I. de Orat. c. 20. *Idque cum argumentis docuerat, quod ita nati eſſemus, vt et blandiri, et ſuppliciter inſinuare iis, a quibus eſſet petendum, et aduerſarios minaciter terrere poſſemus, et rem geſtam exponere, et id, quod intenderemus, confirmare, et id, quod contra diceretur, refellere, et ad extremum deprecari aliquid, et conqueri.* Et lib. III. in Verr. c. 68. *Videtis, vt moneat Apronium? quibus rebus ac muneribus inſinuet in familiaritatem Metelli?*

Quae porro illa tonitrua? quae tempeſtas] Haec acciderunt, cum Antonius de tertia iudicum decuria legem ferret. Infra c. 6. *Em cauſſam, cur lex tam egregia, tamque praeclara, maximo imbri, tempeſtate, ventis, procellis, turbinibus, inter fulmina, et tonitrua ferretur.* Hanc igitur legem hic Cicero ſignificat.

Nihilne ad auſpicia bonus augur arbitratus eſt pertinere] Ea lex, quam cum vitioſo collega tulit, ſine carere vitio, et ſaluis auſpiciis videtur eſſe lata?

CAPVT IV.

Nos fortaſſe erimus interpretes] Phil. II. c. 33. *Nolo plura, ne acta Dolabellae videar conuellere: quae, neceſſe eſt, aliquando ad noſtrum collegium deferantur.*

Num etiam armorum interpretes quaerimus] Certe quaerendi non ſunt. leges enim illas per vim latas eſſe conſtat.

Deue dictatura in perpetuum tollenda] Sustulit eam ſenatus conſulto, non lege: vt Phil. I. c. 1. demonſtrat, niſi ſi legem ex ſenatus conſulto tulit.

Septies millies] Diximus Phil. I. c. 7. in eo loco: *Pecunia vtinam ad Opis maneret.*

Falſis perſcriptionibus] In tabulis, quae erant ad Opis, quantum cuique pecuniae Caeſar dari voluiſſet, perſcripſit, cum id non eſſet in commentariis Caeſaris, eaque pecunia collegam ſuum Dolabellam corrupit: vt lib. XIV. ad Attic. epiſt. 18. lib. vero XII. Fam. epiſt. 1. *Pecuniae maximae deſcribuntur.*

Mulier] Vxor eius Fuluia.

Quam viris] Diximus iam, occiſos eſſe duos eius viros, Clodium, et Curionem.

Referebat] Ad eos, a quibus pecuniam acceperat.

Obſignabantur] Ab iis, qui emebant, vt a Deiotari legatis. Phil. II. c. 37.

Numquam (Ern. *tamquam*) *facta*] De quibus conſultus numquam ſenatus erat.

Ad aerarium] Senatus conſulta primum in ſenatu ſcribebantur, deinde in aes incidebantur, tum in Capitolio figebantur, poſtremo ad aerarium deferebantur. et quod de ſenatus conſultis, idem de legibus dico: vt ipſo auctore Cicerone cognoſcitur. Phil. III. c. 12. *Falſas leges C. Caeſaris nomine, et falſa decreta in aes incidenda, et in Capitolio figenda curauerit.* Phil. XII. c. 5. *Senatus conſulta falſa delata ab eo iudicauimus.* Phil. XIII. c. 9. *Eoque die ipſo innumerabilia ſenatus conſulta fecit: quae quidem omnia citius delata, quam ſcripta ſunt.*

Falſae tabulae] Leges, tamquam a Caeſare latae. lib. XIV. ad Attic. epiſt. 12.

CAPVT V.

Legem etiam (Ern. *etiam legem*) *iudiciariam*] Vide Phil. I. c. 8.

Homo caſtus atque integer] Qui nihil vitii pati poſſet in iudiciis. Sed ex iis, quos iudices legit, quam ſit caſtus, atque integer, quam grauis auctor iuris, et iudiciorum, licet intelligere.

Manipulares, et Alaudas] Phil. I. c. 8. dixit, *manipulares ex legione Alaudarum.* nunc auget turpitudinem, cum addit, *et Alaudas*, id eſt, et manipulares, et Gallicae gentis.

Aleatores] Curium.

Graecos] Cydam, et Lyſiadem.

Fac (Ern. *ita*) *non eſſe*] Audaciſſimum, et perditiſſimum.

Ex iudicum genere et forma] Ex eo genere, eaque forma iudicum, qua oportet eſſe, id eſt, vt leges, moresque nouerit.

Delectus autem, et notatio iudicum] Tantum abeſt, vt Graeci iudices legantur, vt ex noſtris ciuibus delectus habeatur, et notentur, id eſt, ſeligantur, qui praecipue ad iudicandi munus apti videntur eſſe.

Phae-

Phaedri] Philoſophi Epicurei. lib. XIII. Fam. epiſt. 1.

Palliati] Athenis.

Togati] Romae.

Antiquiſſimas leges] Quae vetant, qui Areopagita ſit, in alia ciuitate iudicem eſſe.

Alleget] Vt agat cauſſam ſuam.

Athenienſes] Lyſiades igitur miſericors.

Periculum fortunae faciat] In alea, et talis. notiſſimum aleatorem fuiſſe dicit Aſconius in orat. in toga candida, et in hunc a Calvo ſcriptum eſſe verſiculum illum: *Et talis Curius pereruditus.*

Excuſabuntur] Si citati non reſponderint.

CAPVT VI.

Em (Ern. *en*) *cauſſam*] Sic libri ſcripti, non, *en*, vt infra c. 12. *Em, ad quem legatos mittamus: cui bellum moremur inferre.* Et lib. XIII. Fam. epiſt. 15. *Em, hic ille eſt, de illis maxime, qui irridere, atque obiurgare me ſoliti ſunt, quod me non tecum, praeſertim cum abs te honorificentiſſime inuitarer, coniungerem.*

Maximo imbri, tempeſtate] Supra c. 3. *Quae porro illa tonitrua? quae tempeſtas? vt, ſi auſpicia M. Antonium non mouerent, ſuſtinere tamen eum, ac ferre poſſe tantam vim tempeſtatis, imbris, ac turbinum, mirum videretur.* Et Phil. I. c. 8.

Ratio in aede Opis confecta eſt] Ab Antonio, ipſius arbitratu: ne ratio tabularum ab ipſius diuiſione diſcreparet. diuiſerat enim, quibus ipſe voluerat, pecuniam illam, ad aedem Opis a Caeſare depoſitam. Huc pertinet illud, quod eſt in Phil. VIII. c. 9. *Ne tangantur rationes ad Opis*, id eſt, ne ſepties millies recuperetur.

Illud os] Deſiderari videtur aliquid, nec tamen deeſt: omittit enim verbum indignatio.

Nunc vero cur abrogandas cenſeam] Abrogari ſolent rogatae: non rogatas autem quorſum attinet abrogari?

Barbari ſagittarii] Ithyrei. de quibus Phil. II. c. 8.

Lecticae] Scutis refertae.

CAPVT VII.

Carcerem fieri] Latrones enim, et ſicarii ſunt in carcere collocandi.

Opertis valuis Concordiae] Phil. II. c. 44. *Cur valuae Concordiae non patent?*

Fabros ſe miſſurum] Hac de re Phil. I. c. 5.

De ſupplicatione] Ad mortui Caeſaris honorem. Phil. I. c. 5.

Locutus ſum de republica] Prima Philippica ſignificatur habita IV. non. Sept. de qua ad Cornificium lib. XII. Fam. epiſt. 25. *In ſumma reliquorum ſeruitute liber vnus fui. Sic ſum in Antonium inuectus, vt ille non ferret, omnemque ſuum vinolentum furorem in me vnum effunderet.*

Hanc conſuetudinem libere dicendi] Inductam a L. Piſone Kalendis Sext. vt infra: et Phil. I. c. 4. et lib. XII. Fam. epiſt. 2.

XXX diebus ante] A Kalendis Sext. ad IV. non. Sept. quo die primam Philippicam habitam eſſe diximus, dies interiecti numerantur XXXI. Cicero, XXX, dixit, vnius diei ratione neglecta. nam in ſupputatione temporis non ſubtiliter eum examinare ſolitum eſſe, Pedianus quoque obſeruauit in Piſon. c. 2.

Septemdecim dies] Si ſpatium interpoſitum ſpectatur, a IV. non. Sept. ad XIII. Kal. Oct. dies ſunt ſexdecim dumtaxat.

In Tiburtino Scipionis] In villa Scipionis Metelli, qui ſocer fuit Pompeii Magni.

Declamitauit] Ad Caſſium lib. XII. epiſt. 2. dixit, *commentatus eſſet:* ſed hic maluit, *declamitauit*, vt adderet *ſitim quaerens:* declamando enim, non commentando ſitis quaeritur. ita notare voluit Antonii vinolentiam.

Agmine quadrato] Hoc pertinet ad excuſationem ſuam, quia vocatus in ſenatum non venerit.

Gladiator Aſiaticus] Quia cum familiari ſuo, tamquam Myrmillo gladiator cum Thrace gladiatore, in Aſia depugnauerat.

Myrmillo] Genus gladiatorum. Phil. III. c. 12. *Ex Myrmillone dux.* Phil. VI. c. 5. *Mylaſis Myrmillo Thracem iugulauit.* Phil. VII. c. 6. *Myrmillo in Aſia depugnauit. cum ornaſſet Trecidicis comitem, et familiarem ſuum, illum miſerum fugientem iugulauit: luculentam tamen ipſe plagam accepit, vt declarat cicatrix.*

Mylaſis depugnauit (Ern. *depugnarat*)] Pro, fortiter pugnavit. Laudare videtur Lucium, ſed vituperat: occidit enim ſine cauſſa comitem, et familiarem ſuum. Mylaſa, neutri generis, vt Artaxata, Tigranocerta, Ecbatana, Comana, Alabanda, Hieroſolyma. vrbs Aſiae fuit in Caria, in qua natum eſſe Mauſolum regem, cui mortuo Mauſoleum illud fama celebratum vxor Artemiſia condidit, ibique patrem eius habitaſſe Hecatomnum, ipſum autem Mauſolum Halicarnaſſum ſibi ſedem delegiſſe, et quia natura vrbs munita, et quia portu inſtructa, Strabo lib. XIV. auctor eſt. Egregie inſtructam fuiſſe candido marmore ob vicinas lapidicinas idem tradidit. Direptam a Labieno, idem, et Dio lib. XLVIII. Vnam ex quattuor vrbibus, quas Phocioni Athenienſi Magnus Alexander dono detulit, nominat Plutarchus: Mylaſis antiquiſſimum fuiſſe Carii Iouis templum, commune Myſis quoque et Lydis, tamquam Carum fratribus, docent Herodotus, Strabo, Stephanus. Illud addit Herodotus, Parthos aliquando a Mylaſio duce conciſos eſſe. Liberam vrbem, id eſt, quae ſuis legibus viueret, nec ſtipendium Romanis penderet, Plinius lib. V. c. 29. appellat. In Graecis libris, Μύλασσα gemina S, in Cicerone *Mylaſis*, vnica ſcriptum eſt, et *Mylaſii*, ad Thermum lib. XIII. Fam. epiſt. 56.

Suum in illa gladiatoria pugna multum profuderat] Plagam enim ab eo, quem occidit, luculentam accepit. Apte reſpondent: *ſuum profuderat, noſtrum ſitiebat.*

Priuato] Ei, cuius agri diuiderentur.

Poſſeſſor] Vetus poſſeſſor.

Leges] A M. Antonio latas.

Irritas feceritis] Tamquam per vim, et contra auſpicia latas.

CAPVT VIII.

Pro aede Caſtoris] In aede Caſtoris. Lib. III. Fam. epiſt. 8. *Idque pro tribunali, cum aliquid ageretur, et nonnullis in conuiviis intelligi potuiſſet.* Caeſar lib. VI. de bell Gall. c. 3. *Hac re pro ſuggeſtu pronunciata.*

Sallu-

Salluſtius in Iug. c. 94. *Numidae pro muro dies noctesque agitare: maledicere Romanis, ac Mario vecordiam obiectare.* Liuius lib. XXXVIII. c. 23. *Laudati pro concione omnes ſunt.*

Quid erat aliud, niſi denunciare populo Romano ſeruitutem] Vſitatius Ciceroni: *Quid erat aliud, denunciare populo Romano ſeruitutem?* ſic locutus Phil. I. c. 9. *Quid eſt aliud, hortari adoleſcentes, vt turbulenti, vt ſeditioſi, vt pernicioſi ciues velint eſſe?* Et Phil. II. c. 4. *Quid eſt aliud, tollere e vita vitae ſocietatem, quam tollere amicorum colloquia abſentium?* Locum quidem interdum habet, *niſi*, ſed in fine ſententiae, vt in Piſonem c. 20. *Quid eſt aliud furere, niſi non cognoſcere homines, non cognoſcere leges, non ſenatum, non ciuitatem?* Et in Catone c. 2. *Quid eſt aliud, gigantum more cum dijs bellare, niſi naturae repugnare?*

Exercitum maximum] Quattuor legiones, Martiam, Quartam, quae ad Caeſarem adoleſcentem poſtea transierunt, Secundam, Trigeſimamquintam. Profectus eſt ab vrbe Antonius, vt ad eas legiones iret, VII. id. Oct. de quo ſic ad Cornificium lib. XII. Fam epiſt. 23. *Ad VII. id. Oct. Brundiſium erat, profectus obuiam legionibus Macedonicis quattuor, quas ſibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad vrbem adducere, et in ceruicibus noſtris collocare.* Macedonicae vocabantur, quia Caeſar eas, iturus in Parthos, in Macedonia locauerat. inde Brundiſium eas Antonius conſul poſt Caeſaris necem arceſſierat.

Qui autem delectus centurionum] Delegit eos ad necem, quos bene de republica ſentire cognouerat. quod et hic ſtatim ſubiungitur, et Phil. XIII. c. 8. ſic exponitur: *Brundiſii in ſinu non modo auariſſimae, ſed etiam crudeliſſimae vxoris delectos Martiae legionis centuriones trucidauit.* Alios tamen, praeter centuriones, occidit, ſi verum eſt, quod ait Cicero Phil. III. c. 4. *Brundiſii trecentos fortiſſimos viros, ciuesque optimos trucidauit.* trecenti enim centuriones non modo in Martia, ſed nec in omnibus illis quattuor, ac ne in aliis quidem multis legionibus eſſe potuerunt.

Concupiſſet] Vt eorum bona ſuis comitibus, compotoribusque diuideret.

Deſcripſit] Diuiſit. ſic ad Caſſium lib. XII. epiſt. 1. *Pecuniae maximae deſcribuntur.*

Approbatione auctoritatis meae] Auctor Caeſari Cicero fuit, vt, conuocatis veteranis militibus, rempublicam contra perditos Antonii conatus defenderet. de quo ſic in epiſt. 10. ad M. Brutum: *Nullo praeſidio quateſeci Antonium: contraque eius arma nefanda praeſidia, quae oblata ſunt, Caeſaris conſilio, et auctoritate firmaui.* Et ad eundem epiſt. 15. *Tantum dico, Caeſarem hunc adoleſcentem, per quem adhuc ſumus, ſi verum fateri volumus, fluxiſſe ex fonte conſiliorum meorum.* Et ad Cornificium lib. XII. epiſt. 25. *Quem ego ructantem, et nauſeantem conieci in Caeſaris Octauiani plagas.*

Incitatos latronis impetus retardauit] Phil. III. c. 2. dixit: *Niſi vnus adoleſcens illius furentis impetus, crudeliſſimosque conatus*

natus cohibuiſſet. Et Phil. XIII. c. 9. *Caeſaris incredibilis, ac diuina virtus latronis impetus crudeles ac furibundos retardauit.*

CAPVT IX.

Quo ille nuncio audito] De Quarta legione. de quo ſic Phil. III. c. 9. *Cum de republica relaturus fuiſſet, allato nuncio de legione Quarta, mente concidit.* Et Phil. XIII. c. 9. *Affertur ei de Quarta nuncius. quo perculſus abiecit conſilium referendi ad ſenatum de Caeſare.*

Sollemnibus] Quae fieri ſolent a conſule in prouinciam proficiſcente.

Neque votis nuncupatis] Miror hoc dici: cum Phil. III. c. 4. vota Antonium nuncupaſſe, ſatis conſtet. ipſa verba recitabo: *Neglectis ſacrificiis ſollemnibus, ante lucem vota ea, quae numquam ſolueret, nuncupauit.* Nec tamen pugnantia loqui Ciceronem crediderim: ſed vota nuncupata ideo fortaſſe negat, quia contra morem ſint ante lucem nuncupata.

Non profectus eſt, ſed profugit paludatus] Phil. III. c. 10. *Quae vero profectio poſtea? quod iter paludati? quae vitatio oculorum, lucis, vrbis, fori? quam miſera fuga? quam foeda, quam turpis?* Et Phil. XIII. c. 9. *Egreſſus eſt non viis, ſed tramitibus, paludatus.*

In prouinciam] Citeriorem Galliam.

Firmiſſimorum] Fide.

Conſulem deſignatum] Viuo Caeſare, collega L. Planco.

Ciuem non ſibi, ſed nobis, et reipublicae natum] Phil. III. c. 4. *O ciuem natum reipublicae, memorem ſui nominis, imitatoremque maiorum!* Phil. IV. c. 3. *Eſt enim quaſi deorum immortalium beneficio, et munere datum reipublicae Brutorum genus, et nomen, ad libertatem populi Romani vel conſtituendam, vel recuperandam.*

Dii boni] Modo laetantis eſt, modo indignantis: hic non obſcura indignatio eſt.

CAPVT X.

Recedat a Mutina] Exponit per obiectionem mandata legatorum: et reſpondet: *Non eſt verbis rogandus, cogendus eſt armis.*

P. Valerium Flaccum, et Q. Baebium Tampilum] Nota hiſtoria ex Liuio lib. XXI. c. 6. et aliis.

CAPVT XI.

Decretis eum veſtris concidiſtis] Quae decreta ſint, cognoſce ex Phil. III. c. 15. et IV. c. 2.

Sed hoc minus vereor] Quia legatis non parebit.

Quae magis timeam (Ern. *ob quae magis numquam* etc.)] Magis timeo, ne a Mutina non diſcedat.

Peregre depugnarit (Ern. *depugnauit*)] In Aſia Myrmillo cum Thrace. ſupra c. 7.

Familiam ducit] Princeps eorum eſt, per quos ei ad ſanitatem redire non licet. *Familiam ducere,* eſt, principem locum obtinere. lib. VII. Fam. epiſt. 5. et lib. IV. de Fin. c. 16.

Quo die primum conuocati ſumus] XIII. Kal. Ian. quo die tertiam Philippicam habuit.

Cum deſignati conſules non adeſſent] Metu, licet abſente Antonio. verebantur enim, ne intra muros etiam Antonii ſcelus, et audacia,

audacia, vel ipſo abſente, verſaretur: vt eſt ſupra c. 1. *Querelam,* inquit, *praeteritorum dierum ſuſtulit oratio conſulum.*

CAPVT XII.

Praeter Galliam totam (Ern. *tota*)] Non excipit Galliam, ſed addit.

Alteri victi ſunt] Pompeiani.

A Panſa, et Hirtio] Quos fuiſſe Caeſari amicitia, vetuſtate, conſuetudine coniunctiſſimos, nemo neſcit.

Ad cuiusque opinionem distributae] Magni eſt apud me, et eſſe debet apud omnes, veterum librorum auctoritas: verumtamen ſic ab his omnibus, hoc quidem in loco, diſſentire cogor, vt coniectura mea vehementer delecter, quippe quae nec ab antiquis litterarum veſtigiis diſcedat longius, et mentem Ciceronis, niſi fallor, attingat. quis enim non videt, ſententiam effici meliorem, ſi legatur, *optionem,* quam ſi, *opinionem?* cum praeſertim ſequentium verborum, quae ex Antonii recitantur epiſtola, teſtimonio comprobetur: *Quid concupiſcas, tu videris: quod concupiueris, certe habebis.* Haec quidem *optio* eſt, non *opinio*, vt etiam paullo poſt: *Libidini cuiusque nos ita addixit.* itaque, ſuffragante ſententia, *optionem*, retineo libenter, vt ſincerum: *opinionem*, opinione mea deprauatum, reiiciendum puto.

Em (Ern. *en*) *ad quem legatos mittamus*] Cum indignatione, et dolore; vt ſupra c. 6. *Em cauſſam, cur lex tam egregia, tamque praeclara, maximo imbri, tempeſtate, ventis, procellis, turbinibus, inter fulmina, et tonitrua ferretur.*

Qui ne ſorti quidem fortunas noſtras deſtituit] Ferrarius legit, *deſtinauit:* Faernus *deſtituit.* ego Faernum ſequor in correctione potius, quam in ſententia. nam quibus ex Liuio vſus eſt exemplis, vno lib. II. c. 12. de Mucio Scaevola, *ante tribunal regis deſtitutus:* altero lib. XXVII. c. 13. de Marcello in fugaces milites animaduertente, *diſtrictis gladiis discinctos deſtituit;* ea cur adduxerit, non video. eſt enim diuerſa ſignificatio. in Liuio, *deſtitutus,* valet, *conſtitutus: deſtituit, conſtituit:* quo modo dixit C. Gracchus apud Gellium lib. X. c. 3. *Palus deſtitutus eſt in foro.* apud Nonium Naeuius, *in alto nauem iubet deſtitui ancoris.* apud eundem Caecilius, *deſtituit omnes ſeruos ad menſam ante ſe.* Plautus in Rud. act. III. ſc. 5. v. 43.

Ita duo deſtituit ſigna hic cum clauis ſenex.

Quibus omnibus in locis eandem huiusce verbi vim ac notionem eſſe facile perſpicitur. at in Cicerone, *ſorti fortunas deſtituere,* quis aliud eſſe neget? aliud, inquam, et ſenſu, et ipſo quoque genere loquendi. hoc enim, noſtras ne ſorti quidem reliquit, vt id cuiusque eſſet, quod ſorte contigiſſet: ſed eas ad cuiusque optionem iam distribuit, vt, quod quisque concupiſcat, id habeat. quo magis patet, hoc bellum non ex diſſenſione partium, ſed ex nefaria ſpe perditiſſimorum ciuium excitatum. Vt igitur *ſorti libidinem* Cicero oppoſuit: ſic ad ſortem, *deſtituit*, adiunxit, ad libidinem, *addixit;* quaſi ſuum beneficium eſſe vellet Antonius, non

non fortis: nam qui addicit, ipſe tradit; qui deſtituit, quodam modo negligit.

Ne quid reſpublica detrimenti accipiat] Numquam hoc ſenatus, niſi difficillimis reipublicae temporibus, decernere ſolitus eſt, et cum decernebat, ſummum imperium conſulibus dabat; neque decretum hoc vmquam video, quin ſtatim ad arma, vt in praeſenti reipublicae diſcrimine, ventum ſit. Decretum Opimio conſule: quamprimum C. Gracchus tribunus plebis eſt interfectus. Decretum Cicerone conſule: comprenſi ilico, et in carcere necati, qui contra patriam cum Catilina coniurauerant. quare exponenda vim eius ſenatus conſulti Salluſtius in Cat. c. 29. oſtendit his verbis: *Cicero rem ad ſenatum refert, iam antea vulgi rumoribus exagitatam. Itaque, quod plerumque in atroci negotio ſolet, ſenatus decreuit, vt darent operam conſules, ne quid respublica detrimenti caperet. Ea poteſtas per ſenatum more Romano magiſtratui maxima permittitur: exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis ſocios, atque ciues, domi militiaeque imperium, atque iudicium ſummum habere. aliter, ſine populi iuſſu, nulli earum rerum conſuli ius eſt.* Decretum idem eſt L. Lentulo, C. Marcello coſſ. anno primo belli ciuilis Pompeiani: quod queritur Caeſar lib. I. de bell. ciu. c. 5. *Decurritur*, inquit, *ad illud extremum, atque vltimum ſenatus conſultum, quo, niſi paene in ipſo vrbis incendio, atque deſperatione omnium ſalutis, latorum audacia numquam ante diſceſſum eſt: dent operam conſules, praetores, tribuni plebis, quique proconſules ſunt ad vrbem, ne quid respublica detrimenti capiat.*

Quoad (Ern. *quod*) *retuliſtis*] Quatenus retuliſtis, ad omnia, quae retuliſtis.

CAPVT XIII.

Qui ordo in ſententiis rogandis more maiorum ſeruari ſolet] Conſules enim deſignati ſententias primi rogabantur, eorumque prior, qui priore loco deſignatus erat.

Cuius vt ſuperiora omittam] Facinus illud, quo patriam tyranno liberauit: quod probatur quidem a bonis omnibus, nondum tamen publice laudatur.

Huius ipſius temporis] Quo Galliam ab Antonii nefario impetu defendit.

In illam vltimam Galliam] Ferociorem, cui praeerat L. Plancus.

CAPVT XIV.

M. Lepido] Citerioris Hiſpaniae proconſuli, in quam tamen nondum peruenerat, ſed in Gallia Narbonenſi, cognita reipublicae perturbatione, morabatur.

Cum bellum ciuile maximum eſſet] Poſt interitum Caeſaris, pugnante Sex. Pompeio in Hiſpania cum Caeſaris praetoribus.

Sapientia etiam (Ern. *eius*) *id potius exſtingui, quam armis et ferro rem in diſcrimen adducere*] Duas Lepidi virtutes, quae armis, et ferro, quaſi contraria contrariis, opponantur, nominari neceſſe eſt. vna memoratur, ſapientia: altera deeſt, eius locum mendoſo verbo, *etiam*, occupante. quid igitur cum ſapientia coniungemus? quid, niſi humanita-

manitatem? et eo magis, quod infra c. 15. in eadem re vtramque Cicero coniungit. *Quod periculoſiſſimum*, inquit, *ciuile bellum, maximumque humanitate, et ſapientia ſua M. Lepidus ad pacem concordiamque conuertit.* Poſtulat igitur ſententia; quamquam hic nihil affirmare auſim, ope deſtitutus veterum librorum, liberiore praeſertim coniectura; ſed certe poſtulare ſententia videtur, vt legatur, *ſapientia, et humanitate id potius exſtingui.*

Incolumes haberemus] Perierat enim Cnaeus in Luſitania, pugna victus a Caeſare ad Mundam.

Pietas] Quod, vt patrem interfectum vlciſcerentur, bellum in Hiſpania renouarunt.

Cum Sex. Pompeium reſtituit ciuitati] Auctor fuit, vt, pace facta, Sex. Pompeius in patriam reſtitueretur, eique pro paternis bonis, a Caeſare ademtis, et ad haſtam venditis, darentur, vt ait lib. III. de bell. ciu. Appianus, Atticarum drachmarum quinque millia myriades. quae ſumma cum praeſertim Pompeii Magni diuitias nemo vt immenſas extulerit, modum excedere videtur. ſuſpicor mendoſum eſſe locum: idemque putauit interpres, qui diuerſam a Graecis verbis ſententiam induxit: et, quod Graeco redundat, ita ipſe reſtrinxit ac minuit, vt in contrarium, mea quidem ſententia, vitium incurrat.

CAPVT XV.

Statuam equeſtrem] Quae decreta eſt ei a ſenatu cum inſcriptione praeclara. Phil. XIII. c. 4.

Nec vero cuiquam, poſſumus commemorare, hunc honorem a ſenatu tributum indicio ſenatus ſoluto, et libero] Tributus erat L. Sullae, et C. Caeſari, ſed dominantibus: vni Cn. Pompeio a libero ſenatu: quod miror a Cicerone praetermiſſum. nam Velleius lib. II. c. 61. de Caeſare Octauiano ita ſcripſit: *Eum ſenatus honoratum equeſtri ſtatua, quae hodieque in Roſtris poſita aetatem eius ſcriptura indicat, qui honor non alii per trecentos annos, quam L. Sullae, et Cn. Pompeio, et C. Caeſari contigerat, propraetore, vna cum conſulibus deſignatis Hirtio et Panſa, bellum cum Antonio gerere iuſſit.* ſed de Cn. Pompeii ſtatua non adducor vt Velleio potius, quam Ciceroni, credam: cum praeſertim errare eum videam et in ſtatuae tempore, et in propraetoris imperio, et in bello demandato. haec enim decreta ſunt, Panſa et Hirtio non, vt ipſe ait, deſignatis conſulibus, ſed magiſtratum gerentibus. quod ex Phil. III. c. 15. et IV. c. 2. colligitur: ex quibus patet, decretum a ſenatu, vt de Caeſaris honore a nouis conſulibus Panſa, et Hirtio, vbi primum magiſtratum iniſſent, ad ſenatum referretur.

CAPVT XVI.

Subuenit enim reipublicae] Contra Marianas partes. nam Pompeius a Sulla ſtetit.

Aetate multo robuſtior] Annos natus viginti tres. ſic enim et Velleius lib. II. c. 29. et Plutarchus in eius vita memoriae prodidit.

Militum ducem quaerentium ſtudio paratior] Voluntariorum militum ex Piceno, quod in clientela fuerat parentis eius, firmum exercitum priuatis opibus contraxit.

traxit. Velleius lib. II. c. 29. epitome lib. LXXXV. Plutarchus in Pompeio, Appianus lib. I. de bell. ciu.

In alio genere belli] Cum non omnibus ea, quae gerebat, probarentur.

Tot municipiorum] Quae Marium adiuuerant. quibus victor Sulla ius ciuitatis, et agros ademit.

Diis hominibusque] Coniunguntur cum hominibus dii in re vehementer approbata, vt lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 4. *Vatinium arbitratu noſtro concidimus, diis hominibusque plaudentibus.*

Antonii amicis] Veteranis militibus, et legionibus Martia, Quarta.

Sine quo res militaris adminiſtrari, teneri exercitus, bellum geri non poteſt] Eadem excuſatione vſus eſt, cum ſcriberet ad M. Brutum, Caeſaris honori, quia filius eius eſſet, quem ipſe occiderat, non fauentem, epiſt. 15. *Decreui,* inquit, *imperium: quod quamquam videbatur illi aetati honorificum, tamen erat exercitum habenti neceſſarium. quid enim eſt ſine imperio exercitus?*

Illa quaeramus] Ad Caeſaris honorem.

Quae vix hodierno die conſequemur] Quae vix hodie inueniemus. hodierno die vix licebit ea nobis inuenire, et conſequi, quae ad hunc ornandum adoleſcentem, pro ſummo eius erga nos merito, quaerere debemus.

CAPVT XVII.

Pontifex] Pontifex max. erat Lepidus: ſed *pontifex* dicitur, id eſt, augur, ſicuti ſuerat pater eius.

Rulli] Q. Fabius Rullus, qui conſul quinquies fuit, de Samnitibus, Etruſcisque triumphauit, auus eius, qui Hannibalem patientia, et cunctatione fregit.

Decii] P. Decius Mus, qui conſul quater fuit, et in vltimo conſulatu bello Gallico ſe deuouit.

Coruini] M. Valerius, qui ſexies conſul fuit, primumque conſulatum, annos natus viginti tres, adeptus eſt. ſaepe triumphauit.

Flamininus] Quintius, qui de Philippo Macedoniae rege triumphauit.

Conſules facti] Omnes ante latam legem de tempore magiſtratuum, quam tulit Villius Annalis. inde cognomen aſſecutus Liuius lib. XL. c. 44.

Ab ineunte aetate] Ab anno aetatis decimoſexto, profecto contra Byzantios patre Philippo. vide Plutarchum in eius vita. ſic paullo ante: *C. Caeſar ineunte aetate docuit.*

Tertio, et trigeſimo anno] Menſem vnum Iuſtinus lib. XII. c. 16. addit.

Decem annis minor, quam conſularis] Gerere conſulatum ante quadrageſimum tertium aetatis annum, per leges non licebit.

CAPVT XVIII.

Ne verendum quidem eſt] Non modo credere non debemus, eum, noſtris elatum honoribus, in ſenatus populique Romani poteſtate non futurum: ſed ne vereri quidem licet, ne continere ſe non poſſit, aut moderari in imperio a nobis dato.

Cum reſpectum ad ſenatum, et ad bonos non haberet] Cum ad ſenatum, bonosque non reſpiceret. Phil. X. c. 4. *Qui ab illo abducit*

abducit exercitum, et reſpectum pulcherrimum, et praeſidium firmiſſimum adimit reipublicae. In epiſt. 1. ad M. Brutum a Germ. rep. et ed. *Ex me illud eſt, quod te velim habere cognitum, meum quidem animum in aciem eſſe; neque reſpectum vllum quaerere, niſi me vtilitas ciuitatis forte conuerterit.* Id eſt, neque aliam praeterea in partem reſpicit. Caeſar lib. I. de bell. ciu. c. 1. *Sin Caeſarem reſpiciant, atque eius gratiam ſequantur, vt ſuperioribus fecerint temporibus, ſe ſibi conſilium capturum.*

Quibusdam] Interfectoribus patris eius.

Omnium, atque factorum (Ern. *omnium factorum*)] Sententia requirit, *conſiliorum omnium.*

Promitto, recipio, ſpondeo] Expreſſit haec ab eo vel odium in Antonium, vel ſtudium erga rempublicam. promittere autem de altero, praeſertim de adoleſcente, perpetuam in recta laudabilique ratione voluntatem, cuius prudentiae fuerit, haud ita multo poſt Cicero ipſe ſenſit. ſcripſit enim ad M. Brutum epiſt. 18. *Maximo, cum haec ſcribebam, afficiebar dolore, quod, cum me pro adoleſcentulo, ac paene puero respublica accepiſſet vadem, vix videbar, quod promiſeram, praeſtare poſſe.*

CAPVT XIX.

Satis eſt nominari] In hoc honor eſt. magiſtratus ei nunc quidem non tribuitur.

Caeſaris pontificis] Videtur deeſſe, *voluntatem ſecuti ſint.*

Vacationem eſſe] Extra tumultum Gallicum, Italicumque. hoc enim deeſſe, aut ſubaudiri certe arbitror oportere. ſic et infra loquitur.

Poſſideretur] Ab iis, quibus Antonius poſtea dediſſet.

Diuideretur] Pulſis, qui contra legem Iuliam poſſiderent.

De agro Campano] Quem Antonius compranſoribus, et colluſoribus ſuis diuiſerat. Phil. II. c. 39.

De legione ſecunda, trigeſima quinta] Quae cum Antonio de quattuor Macedonicis remanſerant: ex iis tamen ipſis milites multi ad Panſam, Hirtiumque conſules venerant. propterea dixit Phil. III. c. 12. *In Galliam mutilatum ducit exercitum.*

Easque legiones] Martiam, et Quartam.

Quae tempus et neceſſitas flagitat] Flagitat autem, vt delectus habeatur, copiaeque ad Mutinam obſidione liberandam, Antoniumque opprimendum primo quoque tempore deducantur.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
PHILIPPICAM SEXTAM
IN
M. ANTONIVM

ARGVMENTVM

Proxima ſuperior oratio Kalendis Ian. habita eſt. quo die nihil ſenatus decreuit: ſatis tamen eius voluntas de Antonio hoſte iudicando, quod Cicero cenſuerat, perſpicua fuit. poſtridie, ne diſceſſio fieret; quae ſi facta eſſet, Ciceronis in ſententiam ſenatores multis partibus plures ituri videbantur; interceſſit Saluius tribunus plebis. de honoribus tamen Caeſaris, deque ſtatua in Roſtris ei ponenda, quod cenſuiſſe L. Philippum ſcripſit Cicero ad M. Brutum epiſt. 15. et vt ſententiam conſulari loco diceret, cum de praetorio loco Cicero ſuaſiſſet; conſulatumque decem annis ante, quam per leges liceret, petere poſſet; quod P. Seruilio placuiſſe, ad eundem Brutum Cicero ſcripſit; vtique cum Panſa, et Hirtio coſſ. bellum Antonio inferret, niſi ex Gallia diſcederet; et ſimul de laude D. Bruto tribuenda, quia priuato conſilio, exercitu comparato, Antonium Gallia prohibuiſſet, ſenatus conſultum eſſe factum, Appianus lib. III. de bell. ciu. et Dio lib. XLVI. prodiderunt. Iidem, poſt diem tertium, qui fuit III. non. Ian. decretos eſſe ad Antonium legatos, confirmant. mihi tamen, pridie non. potius, decretos eſſe, coniectura oritur ex eo, quia ſuam ſententiam per triduum valuiſſe Cicero dicit. quod ſi ita eſt: quarto menſis die ſenatus conſultum illud eſſe factum, cogimur credere. Venit igitur pridie non. ſenatu dimiſſo, in concionem Cicero, productus ab Appuleio tribuno plebis, et ſenatus voluntatem de mittendis legatis expoſuit. de qua legatione quid ipſe ſentiat, et quid auguretur, hac oratione multis verbis oſtendit. Clauſula poſtremo vtitur ea, qua ſolet, vt et ſuum omne ſtudium, conſilium, laborem in tuenda republica polliceatur; et populum Romanum ad ſeruitutem repellendam, libertatemque retinendam cohortetur.

EXPLANA-

EXPLANATIO

CAPVT I.

A*udita vobis eſſe arbitror, Quirites*] Oſtendit hic locus, apertis valuis eius templi, in quo ſenatus haberetur, potuiſſe populum audire, quae in ſenatu dicerentur, quaeque cuiusque ſententia eſſet. ſed quia non vniuerſus populus audire poterat, ideo in forum profectus Cicero, de Roſtris in concione maxima, quid a ſenatu decretum eſſet, expoſuit.

Agitata] Per triduum, cum alii aliter ſentirent.

Mora eſt allata bello] Mora viginti dierum, vt eſt in extrema oratione. id enim legatis erat ſpatium eundi Mutinam ad Antonium, et redeundi.

Non cauſſa ſublata] Non eſt effectum, vt bellum eſſe non poſſit: quamquam ideo legati mittantur, vt belli cauſſa tollatur. ſed quia video fore, vt Antonius non pareat; ideo dico, mittendis legatis moram allatam eſſe bello, cauſſam autem belli ſublatam non eſſe.

Quod XIII. Kal. Ian. ſenatus, me auctore, decreuit] Quid Cicero XIII. Kal. Ian. cenſuerit, quidque ſenatus decreuerit, quia patet ex Phil. III. c. 15. et IV. c. 2. narrandi laborem ſine cauſſa non ſuſcipiam.

Iterum] Conſeruatam antea, cum Catilinae coniurationem patefecit, atque oppreſſit.

Conclamaſtis (Ern. *conclamaſſetis*)] Habita quarta Philippica.

Multis nefariis rebus ante commiſſis] Quae narrantur Phil. I. et II.

Neſcio qua obiecta re] Res ea quae fuerit, quia ſenatus dignitatis rationem habet, ſignificandum non putat. fuit enim, vt ex Appiano lib. III. de bell. ciu. cognoſcitur, matris Antonii, vxoris, filii, amicorum nocturna deprecatio.

Per legatos] Ii fuere L. Piſo, L. Philippus, Ser. Sulpicius, conſulares omnes.

CAPVT II.

Pecunia publica] Quae erat ad Opis.

Legiones] Quattuor Macedonicas.

Arceſſerit (Ern. *arceſſierit*)] Phil. IV. c. 3. *Laudantur exquiſitiſſimis verbis legiones, quae te reliquerunt, quae a te arceſſitae ſunt.* Idem igitur valent, *accerſere*, et *arceſſere*.

Paruerit] Cum ea domi rerum omnium quaſi mercatum inſtituerit, inuito ſenatu populoque Romano.

CAPVT III.

CC mill.] Idem Phil. VII. in extremo.

Triumphare] De inalpinis. lib. XI. Fam epiſt. 4.

Primus] Quia conſul deſignatus, collega L. Planco. primi autem, quod iam dixi, conſules deſignati ſententias rogabantur.

Magiſtratum] Conſulatum.

CAPVT IV.

L. Trebellius] Qui tribunus plebis ferenti legem de tabulis nouis tribuno plebis Dolabellae aduerſa-

aduerſatus erat. Plutarchus in Antonio.

T. Plancus] Burſa, frater L. Planci conſulis deſignati. eum de vi, ob incenſam in funere P. Clodii curiam, lege Pompeia damnatum Caeſar dictator reſtituerat. inimiciſſimus Ciceroni fuit. lib. VII. Fam. epiſt. 2. et Pedianus in argumento orationis pro Milone.

Se coniecit in turbam] Romam redeuntium victore Caeſare.

Sic contemnit] M. Antonius Plancum.

Tamquam ſi illi aqua et igni interdictum ſit] Tamquam ſi exſul ſit, eiusque reſtitutio rata eſſe non debeat.

Oderat tum] Quo tempore propter magnitudinem aeris alieni tabulas nouas ipſe quoque Antonius expetebat.

O fides] An fidem Trebellius ſeruat, cum tamen a fide cognomen deduxerit? fidei patronus, et creditorum fuerat Trebellius, cum aduerſaretur Dolabellae, de tabulis nouis legem ferenti. Phil. XIII. c. 12. *Fidei patronus, fraudator creditorum Trebellius.* cognomen hoc nusquam nominatur.

Plauſus ille] Ei a populo datus, tamquam creditorum, id eſt, fidei patrono.

In triumpho] Numquam Trebellius triumphauit: ſed cum triumphantem honoris cauſſa proſequeretur, ei populus, tamquam ciui optimo, plauſum dederat.

Ludis] Ingredientes in theatrum bonos ciues plauſu, improbos excipere ſibilo ſolitus eſt.

Aedilitas] Gradum honoris Trebellius ſupra aedilitatem non aſcenderat. nominatur enim, quod in eo ſummum fuit.

Non caſu] Qui enim conſilio, non caſu, recte facit, is non immutatur, ſed ſui ſemper ſimilis eſt. lib. V. Fam. epiſt. 2. *Huius ego temeritati ſi virtute, atque animo non reſtitiſſem: quis eſſet, qui me in conſulatu non caſu potius exiſtimaret, quam conſilio, fortem fuiſſe?*

Nequitia eſt, ſcelus eſt] Reſpicit ad illud: *Quae poteſt eſſe maior fides, quam fraudare creditores?* haec vero non fides eſt, ſed nequitia, et ſcelus.

CAPVT V.

Patrono] *L. Antonio*, non dubito, quin fuerit in ea inſcriptione: aut ſupra ſtatuam fuit, *L. Antonius:* vt ſatis deinde fuerit, omiſſo nomine, ſubſcribere, *quinque et triginta tribus patrono.*

Q. Tremulli (Ern. *Tremuli*)] Sic lego, non *Tremellii.* eſt enim hic *Q. Marcius Tremullus*, litteris non dubiis ita ſcriptus in faſtis Capitolinis.

Mylaſis mirmillo] Idem Phil. III. c. 12. V. c. 7. VII. c. 6.

Ab equitibus Romanis equo publico] Equeſtris ordo conſtabat ex iis, qui equo publico, id eſt, publice dato, mererent. dabat autem cenſor, vt ex Liuio lib. XXXIX. c. 19. perſpicuum fit. Hi *equites Romani* ſoli vocabantur. et his cenſus praefinitus erat, CCCC millia: quae niſi poſſiderent, ordinem, et ornamenta equitum Romanorum propria amittebant. qui vero mererent equo ſuo, non publico, ii non erant equeſtris ordinis, nec in centuriis

centuriis equitum ad comitia centuriata coibant, nec *equites Romani*, ſed *equites* tantum dicebantur.

Statuerunt] Statuam poſuerunt: de qua Phil. VII. c. 6.

Qui in exercitu Caeſaris duobus (Ern. *exercitibus duobus*) *fuerunt*] Hieronymus Ferrarius, ingenio, iudicio, diligentia excellens, ait eſſe in aliquot antiquis libris, *exercitibus*. in omnibus autem eſt, *duobus*. vt obſcura iam ſententia eſſe non poſſit: duo autem Caeſaris exercitus ii ſint, quorum altero Caeſar Gallico bello, altero autem ciuili vſus eſt. Tribuni militares ſingulis in legionibus quattuor fuere. Polybius lib. VI. c. 17.

Semurium] Placet, quod iudicabat Ferrarius, *Remuriam*, legendum. Remurinum enim agrum nominat Feſtus, Remuriam Victor de regionibus vrbis, Remorium Plutarchus in Romulo: vnde tam *Remorium*, quam *Remurium*, legi poſſit.

Septemuirum acta ſuſtulimus] Legem illam Antonii de diuiſione agrorum per vim latam iudicantes.

Iacent beneficia Nuculae] Irrita ſunt diuiſoris agrorum Nuculae beneficia. Phil. XI. c. 6. *Duos collegas Antoniorum, et Dolabellae, Nuculam, et Lentonem, Italiae diuiſores lege ea, quam ſenatus per vim latam iudicauit.*

Non habebant] Vnde impenſam facerent, vt homines egeſtate perditi, qui latronum more in diem viuerent.

Palmaris] Quae excellit inter alias, quae ferre palmam videtur. Lib. I. de Nat. deor. c. 8. *Illa palmaris quidem ſententia.* Terentius Eun. act. V. ſc. 4. v. 8.

Id vero eſt, quod ego mihi puto palmarium.

Iani medii patrono] Videtur haec ſtatua a feneratoribus poſita. ad medium enim Ianum conſidebant. vicus erat Iani nomine, a propinquo, vt arbitror, Iani templo: cuius in foro Boario poſiti extremae partes, *ſummus Ianus, imus Ianus*, media *medius Ianus* vocabatur. Horatius lib. I. epiſt. 1. v. 53.

O ciues, ciues, quaerenda pecunia primum eſt,
Virtus poſt nummos: haec Ianus ſummus ab imo
Perdocet: haec recinunt iuuenes dictata, ſenesque.

Idem lib. II. Serm. ſat. 3. v. 18.

— *Poſtquam omnis res mea Ianum*
Ad medium fracta eſt; aliena negotia curo,
Excuſſus propriis. —

Cicero lib. II. de Offic. c. 25. *A quibusdam optimis viris, ad medium Ianum ſedentibus.* Malo autem legere cum antiquo libro templi Vaticani, quem Faernus hoc in loco neglexit: *a Iano medio*: vt ſubaudiatur, haec ſtatua poſita eſt. et, *a medio Iano*, ab iis, qui ad medium Ianum ſedent.

CAPVT VI.

Etiam ſi melius aliquid (Ern. *aliud*) *fuit*] Melius fuit, Antonium hoſtem iudicare, et ei ſtatim bellum inferre.

Viginti

Viginti diebus] Quos in itinere, et reditu legati ponent.

Moleſtiam deuorate] Transfertur hoc verbum ad ea etiam, quae non placent, vt in Bruto c. 67. *Is* (M. Piſo) *laborem, quaſi curſum forenſem, diutius non tulit, quod et corpore erat infirmo, et hominum ineptias ac ſtultitias, quae deuorandae nobis ſunt, non ferebat.*

A ſe ortum] Non a maioribus, vt homines nobiliſſimi, quibus me tamen in mandandis honoribus praetuliſtis. vide initium Agrariae ſecundae.

In foro] In agendis cauſſis.

Cum improbis (Ern. *impiis*) *ciuibus*] Catilina, Clodio, Antonio, iam inde a conſulatu, quem ante annos viginti geſſerat.

CAPVT VII.

Plus paene, quam potero] Eniti non modo pro viribus, verum etiam ſupra vires, amoris argumentum eſt maximi. hac ſignificatione interdum vſus eſt Cicero, vt ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 8. *Cetera, quae ad te pertinebunt, cum etiam plus contenderimus, quam poſſumus, minus tamen faciemus, quam debemus.* Simile illud ad Marcellum lib. IV. epiſt. 8. *Reliquum eſt, vt tibi me in omni re eum praebeam praeſtemque, vt ad omnia, quae tui velint, ita adſim praeſto, vt me non ſolum omnia debere tua cauſſa, quae poſſum, ſed ea quoque, quae non poſſum, putent.*

Fatalis caſus] Caeſaris dominatio.

Pietate] Erga patriam.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
PHILIPPICAM SEPTIMAM
IN
M. ANTONIVM

ARGVMENTVM

Amicos Antonii, pacem bello in ſermonibus anteponentes, eo conſilio, vt in reditu legatorum Antonii reſponſa mitius acciperentur, et ſenatorum animi, ſententia Ciceronis irritati, ad clementiam, ac manſuetudinem traducerentur, accuſat, vt Antonii amantiores, quam reipublicae. de pace autem non eſſe cogitandum cenſet, vel quia turpis, vel quia cum periculo, vel quia liberis ciuibus cum hoſte libertatis Antonio nulla prorſus eſſe poſſit. Senatum extremo loco, Panſamque conſulem hortatur, vt ad ſtudium tuendae reipublicae, nihil ab Antonio ſincerum exſpectantes, quemadmodum coeperit, incumbat.

EXPLANATIO

CAPVT I.

De Appia via] Inſtauranda.

De Moneta] Vel de templo Iunonis Monetae reficiendo, vel etiam de puriore cudenda moneta, eiusque pretio conſtituendo.

Conſul] Panſa: nam Hirtius Mutinam verſus cum exercitu profectus erat: vt infra c. 4.

De Lupercis] Quorum dies feſtus aduentabat. Sodales enim Luperci, ad honorem dei Panis antiquitus inſtituti, Februario menſe vrbem nudi percurrebant. aliqua, opinor, de re, quae ad eius dei celebritatem pertineret, Lupercorum nomine tribunus plebis referebat.

Animus aberrat a ſententia] Praeſertim cum P. Seruilius, ante Ciceronem rogatus, quibus de rebus conſul retulerat, ea iam dixiſſet, quae Ciceroni probabantur: itaque aſſenſus eſt ei in extrema oratione.

Illam vltimam poſtulare] Quod falſum non fuit. nam in reſponſis Antonii, quae legati retulerunt, hoc fuiſſe, ex Phil. VIII. c. 9. intelligitur.

Sed etiam nationes] Aptiſſima enim ad renouandum, inſtruendumque bellum prouincia erat. Phil. XIII. c. 18.

Niſi modeſti (Ern. *modeſtum*)] *Modeſte*, videtur rectius.

Quoniam Caius, *frater eius*, (*eius* abeſt ab Ern.) *eſt inde reuocatus*] Ratio contra Antonium, quaſi pro Antonio tamen εἰρωνικῶς adducta. cur eam prouinciam, vnde fratrem eius reuocauimus, omnino ſuam vocat? Reuocauit ſenatus ex Macedonia C. Antonium, decreta poſt necem Caeſaris M. Antonio, vt ea prouincia M. Bruto pateret.

Iidem] Qui ſuperiora illa, ſtudentes Antonio, dicunt.

Bellicum me ceciniſſe] Ciues ad pugnam vocantem.

Nequam eſt homo ille, atque confidens] Amicorum Antonii verba.

CAPVT II.

Illi loquuntur] In Q. Fufium Calenum.

Quondam] Cum tribunus plebis eſſet, Milonemque reum propter Clodii necem oppugnaret.

Ab optimo ciuitatis ſtatu] Ab Optimatum cauſſa, non quod re vera populo ſtuduerint. nam ſi id eſſet; nunc in ea cauſſa, quae eſt populo gratiſſima, cum populo conſentirent.

CAPVT III.

Modo] XIII. Kal. Ian. quo die tertiam orationem Cicero habuit.

Non verbo, ſed re] Phil. IV. c. 1. *Hodierno die, Quirites, fundamenta iacta ſunt reliquarum actionum. nam eſt hoſtis a ſenatu nondum verbo appellatus, ſed re iam iudicatus Antonius.*

Multis decretis] Quae facta ſunt XIII. Kal. Ian. et poſtridie, aut certe poſt diem tertium, de honoribus praemiisque eorum, qui contra Antonium rempublicam defenderent. Phil. III. c. 15. et V. c. 19.

CAPVT IV.

Meus collega] In auguratu.

Qua imbecillitate] Diu, et grauiter aegrotauerat.

Vitam, quam populi Romani votis retinuiſſet] Aegrotante Hirtio, populus Romanus pro illius ſalute vota fecit. Phil. I. c. 15. *Num etiam hoc contemnitis, quod ſenſiſtis, tam caram populo Romano vitam A. Hirtii fuiſſe?* Et Phil. X. c. 8.

Conſuli] Panſae: nam Hirtius aberat.

Meam ſententiam] Qua ſuadebam, vt hoſtis iudicaretur Antonius.

Legiones] Antonii.

Legatos] Quos mittent, non quos miſerint. nam Cotyla venit in vrbem cum Piſone, Philippoque legatis ab Antonio redeuntibus. Phil. VIII. c. 10.

CAPVT

CAPVT V.

Nimium diu] Caeſare dominante.

Pecuniam publicam] Quae erat ad Opis.

Maximam] Septies millies.

Diſſipauit] Phil. II. c. 14. *Qui maximo te aere alieno ad aedem Opis liberaſti: qui per easdem tabulas innumerabilem pecuniam diſſipaſti.* Phil. V. c. 4. *Illa vero diſſipatio pecuniae publicae ferenda nullo modo eſt, per quam ſepties millies falſis perſcriptionibus, donationibusque auertit.*

Exſules ſine lege reſtituit] Hoc, et quae ſequuntur, ne toties eadem iterentur a nobis, cognoſce ex Phil. II. c. 36.

Maioris partis hominum magis] Deeſſe aliquid nonnulli putarunt: mihi nihil requirere ſententia videtur.

CAPVT VI.

Egone Caium quidem] Quamquam fratribus nequitia et crudelitate inferiorem.

Eſt enim patronus] Deridet Lucium, quattuor ſtatuis, ei in foro poſitis, inſolentem, et ſuperbum.

Sua lege] Quam tulit in tribunatu plebis anno ſuperiore, Caeſare viuo.

Qua cum C. Caeſare magiſtratus partitus eſt] Legem tulit, vt, qui magiſtratus populi ſuffragiis quotannis creari ſolerent, eos in biennium Caeſar, ad Parthicum bellum iturus, deſignare poſſet. itaque conſules deſignavit in annum ſequentem Panſam, et Hirtium, in alterum D. Brutum, L. Plancum. Impetraſſe videtur a Caeſare lator legis Lucius, vt partem magiſtratuum amicis ſuis daret. quod Cicero contumelioſis verbis Lucio, tamquam de tribubus, et centuriis, a quibus vtrisque ſtatua honoratus fuerat, male merito, exprobrat.

Suffragium ſuſtulit] In biennium, deſignatis a Caeſare Lucii lege magiſtratibus. Erant autem et tributa comitia, minoribus creandis magiſtratibus; et centuriata maioribus.

Eosdem] Qui ei ſtatuam poſuerunt.

In agros] Quos ſeptemuir M. Antonii fratris lege diuiſit.

Quis vmquam omnes tribus] Aeque habuit in ſua poteſtate? hoc enim ſubaudiri neceſſe eſt.

Futura ſit] Si, pace facta, in vrbem redierit.

Vt interdum etiam M. Antonius] De quo dixit ad Caſſium lib. XII. Fam. epiſt. 2. *Caedem enim gladiator quaerit.*

Myrmillo] Phil. III. c. 12. V. c. 7. VI. c. 4. 5.

Ornaſſet] Inſtruxiſſet.

Threcidicis] Gladiatoriis armis eorum, qui Thraces vocabantur. Feſtus

Rurſus] Nunc enim eos ad arma exciuit. Phil. III. c. 12. *Cum vna legione, et ea vacillante, Lucium fratrem exſpectat.*

Sollicitabit] Vt contra rempublicam arma capiant.

Agrarios] Quibus ipſe agros diuiſit.

CAPVT VIII.

Qui in Gallia delectus habent] Iuſſu M. Antonii, vt ex Phil VIII. c. 9. conſtat. nam in Italia de-

lectus habebatur, iuſſu Panſae conſulis. itaque ad Caſſium lib. XII. epiſt. 5. *Magnas Romae Panſa copias ex delectu Italiae compararat.*

Bis] Cum quartam, et quintam orationem habuit ad Quirites.

CAPVT IX.

Magna pax] Ironia.

A qua excluſus] Retineo, *excluſus*: quamquam, *expulſus*, habeat vetus liber. nam Ciceronem de eadem Gallia ita video locutum Phil. VIII. c. 2. *Quam igitur municipiis et coloniis ad excludendum Antonium auctoritatem damus?*

Millia paſſuum ducenta] Phil. VI. c. 3.

Apparatum] Copiarum. ad Caſſium lib. XII. epiſt. 5. *Erat Claternae noſter Hirtius: ad forum Cornelium Caeſar: vterque cum firmo exercitu: magnasque Romae Panſa copias ex delectu Italiae compararat.*

Quibus de rebus refers] Retulerat de Appia via, et de moneta.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
PHILIPPICAM OCTAVAM
IN
M. ANTONIVM

ARGVMENTVM

Mortuo in legatione Ser. Sulpicio, L. Piſo, et L. Philippus intolerabilia ab Antonio ad ſenatum poſtulata retulerunt. tum ſenatus bellum indixit Antonio, ſed in ſenatus conſulto nonnullorum ſuaſu tumultum appellare maluit, quam bellum. id Cicero reprehendit, quaſi leniore ſenatu, quam in eum oporteret eſſe, qui ei non pareret, Mutinamque nihilo ſegnius poſt auditam legationem, quam antea, oppugnaret. Deinde cum Caleno, adhuc de pace agente, pacisque commoda commemorante, et Maſſilienſium commoda oppugnante, acerbe queritur: et ſimul eos accuſat, qui mittendos iterum ad Antonium legatos cenſuerant. Piſonem, et Philippum increpat, qui mandata Antonii, tamquam eius legati, non tamquam a ſenatu miſſi, retuliſſent. Reprehendit ſenatores Antonio fauentes. Decernendum cenſet, vt iis, qui cum Antonio ſint, poteſtas detur ad ſanitatem redeundi ante idus Mart. primas: bene merentibus gratiae referantur: proficiſcendi ad Antonium, excepto eius legato Q. Vario Cotyla, nemini facultas concedatur.

EXPLANATIO

CAPVT I.

Confuſius] Minus conſiderate, quam decuit a conſule, praeſertim eo, quem te ad eam diem praebueras.

Ea virtus fuiſſet] In bello decernendo.

In diſceſſione] Diſceſſit in eam partem Panſa, cui tumultum potius, quam bellum, vocari placebat: eumque ſenatus pars maior ſecuta eſt.

Quam ſententia] Senſit enim idem, quod Cicero, Antonium bello perſequendum: ſed acerbitatem

tatem rei, lenitate verbi mitigandam putauit.

Propinquitatem] Nam Antonii mater ei ſoror erat.

In ſororis viro] Lentulo, qui, Cicerone conſule, cum aliis coniuratis in carcere, ſenatus iuſſu, ſtrangulatus eſt.

Bello Italico (*Italico* abeſt ab Ern.)] Delendum videtur, *Italico*, vt ſententiae repugnans. iam enim dixit, tumultum Italicum, quia domeſticus, vocari, non bellum. in tumultu autem, ſiue ſit Gallicus, ſiue Italicus, vacationes non valent, in bello valent.

CAPVT II.

Nolimus (Ern. *nolumus*)] Placeat nobis, bellum quod eſt, bellum non videri: quid ſequetur? municipiis, et coloniis ad excludendum Antonium auctoritas nulla dabitur; quae dabitur maxima, ſi bellum, ſicut eſt, ita videbitur.

Sine vi, ſine multa] Quod interdum ſolet. cogebantur enim ire ad militiam vel per vim, vel quia, ſi minus irent, multabantur. id accidet, inquit Cicero, ſi bellum non videbitur: ſin videbitur, ibunt in militiam ſtudio, et voluntate, non vi, et multa coacti.

Quae poteſt pax eſſe certior] A contrario ſenſu: vt infra.

Conſulem] Hirtium. Phil. VII. c. 4.

Claterna] Oppidum fuit prope viam Aemiliam, inter Bononiam, et forum Cornelii, vbi nunc eiusdem nominis flumen excurrit.

Conſuli] Hirtio.

Deſignatum] D. Brutum.

Deſcenſurum] In forum. ſic locutus Phil. XIV. c. 5. *Scitis enim, per hos dies creberrimum fuiſſe ſermonem, me prid. id. Quint. qui dies hodie eſt, cum faſcibus deſcenſurum.* Habitabant eo tempore nobiles Romani omnes in montibus.

Cum Sulpicio] Oratore, quem Cicero loquentem induxit in libris de oratore.

De iure legum] Cum alias leges contra Sullam Sulpicius tribunus plebis, fautor Marianarum partium, tulit, tum eam, vt Mithridatici belli cura, ademta Sullae, cui tradita fuerat, Mario mandaretur: qua lege Sulla, in vrbem reuerſus, Sulpicium occidit, Marium expulit.

Cinna] Marianus, qui conſul quater fuit.

De nouorum ciuium ſuffragiis] Vt in omnibus tribubus libertini ſuffragium ferrent, cum antea in quattuor tantum vrbanis ferre ſoliti eſſent. his Cinna, inimicus otii, perturbare rempublicam cupiens, fauebat, collega eius Octauius aduerſabatur.

Cum Mario] C. Marii, ſepties conſulis, filio, vt ait Velleius lib. II. c. 26.

Carbone] Tertium conſule, cum Mario iuniore.

Ne dominarentur indigni] Optimatibus enim inimica erat factio Mariana.

Clariſſimorum hominum] C. Marius iunior conſul, mortuo iam patre, Cinna interemto, L. Licinio Damaſippo praetori, vt apud Velleium lib. II. c. 26. et in epitome lib. LXXXVI. et Ciceronis lib. IX. Fam. epiſt. 21. non Bruto, vt ait Appianus lib. I. de bell. ciu. mandauit, vt ſenatu, velut ex alia cauſſa, conuocato,

cato, interficeret eos, qui optimatum cauſſae, id eſt, L. Sullae, fauere putarentur. interfecti ſunt conſulares duo, L. Domitius Ahenobarbus, Q. Mucius Scaeuola pontifex max praetorius, C. Carbo, conſulis frater, aedilicius, P. Antiſtius, et cetera fere nobilitas omnis. Antea quoque viri clariſſimi Cn. Octauius conſul, L. Cornelius Merula, flamen Dialis, qui, abrogato Cinnae conſulatu, in eius locum ſuffectus erat, et Q. Catulus, qui cum C. Mario ſeniore, bello Cimbrico, conſul fuerat, et M. Antonius orator, conſularis, triumphalis, cenſorius, P. Craſſus, conſularis, L. Caeſar, conſularis, cenſorius, eiusque frater, aedilicius, C. Caeſar Strabo, a L. Cinna, et C. Mario ſeniore necati fuerant. Potuit igitur Cicero vtramque caedem ſignificare, cum in vtraque principes optimatum fuerint.

Puniretur] Sic locutus pro Milone c. 13. *Cuius tu inimiciſſimum multo crudelius etiam punitus es, quam erat humanitatis meae poſtulare.*

De proximo bello ciuili] Pompeiano.

Ignoro cauſſam] Ciliciam enim tunc adminiſtrabat, cum ortum eſt ciuile bellum. ad Sulpicium lib. IV. Fam. epiſt. 1. *Rudis eſſe videbar in cauſſa.*

CAPVT III.

Saxae] Q. Decidium Saxam ſignificat. Phil. XIII. c. 13. et Caeſar lib. I. de bell. ciu. c. 66.

Homines agreſtes] Quos minime decet Baianas aquas, vrbanorum ac nobilium hominum proprias, cogitare. vnde illud lib. I. ad Attic. epiſt. 16. *Quid homini Arpinati cum aquis calidis?*

Haſtam ſemper videre cupiunt ii, qui noſtris bonis imminent] Eadem ſententia lib. II. de Offic. c. 8. *Nec vero vmquam bellorum ciuilium ſemen, et cauſſa deerit, dum homines perditi haſtam illam cruentam et meminerint, et ſperabunt.*

Scelerum] Quae ſuis promittit Antonius.

CAPVT IV.

Antea profuit] Quia tibi Caeſaris dominatio fructum attulerit.

De illo homine] De Caeſare.

Queri] Cum acta eius omnia non probares.

Honeſta oratio] Sumtum ex Andria Terentii act. I. ſc. 1. v. 113.

Quae ſeſe in ignem iniicere voluit, prohibui,
Seruaui. honeſta oratio eſt. —

Lib. II. de Offic. c. 20. *Vulgo loquuntur, ſe in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam ſequi. honeſta oratio eſt.* Male alii, *ratio.* nam, *oratio,* refertur ad verbum, quod loquentem oſtendit, in omnibus exemplis, vbi ſubiungitur, *honeſta oratio.*

Quod L. Opimius] Hoc ſenatus contra C. Gracchum, Tiberii fratrem, pernicioſas reipublicae leges in tribunatu ferentem, decreuit.

Opimius armis] Occidit enim C. Gracchum, et alios cum eo ſentientes.

Q. Metellum] Qui propraetor ex Macedonia de Andriſco triumphauit.

Quattuor filii conſulares] Omnes triumphales, Balearicus, Capra-

Caprarius, Dalmaticus, et is, qui de Sardis triumphauit.

CAPVT V.

Te vidiſſe plus, quam me] Perſpicua ironia. Defenſum a Caleno Clodium, cum de inceſtu accuſatus eſt, narrat Pedianus pro Milone c. 6.

CAPVT VI.

Tres] Diximus legatos ad Antonium a ſenatu miſſos eſſe L. Piſonem, L. Philippum, Ser. Sulpicium.

Cum ſuo magno eſſet beneficio] Cum a ſe magnum Antonius beneficium accepiſſet. Notandum loquendi genus, quod perquam rarum eſt. vſus eo Cicero eſt ad Curium lib. VII. Fam. epiſt. 30. alibi nusquam, quod quidem obſeruauerim. *Acilius*, inquit, *qui in Graeciam cum legionibus miſſus eſt, maximo meo beneficio eſt. bis enim eſt a me iudicio capitis, rebus ſaluis, defenſus.*

Veniſſe eum contra ſe] In iudicium, contra rem ſuam. ſic enim locutus eſt Phil. II. c. 2. *Contra rem ſuam me, neſcio quando, veniſſe, queſtus eſt.* Et alibi. Haec autem verba ſatis conſtat cum affirmatione dici, nec ad verbum, *negat*, referri poſſe. vis enim eſt in eodem verbo negandi ſimul, et affirmandi, vt etiam in, *nemo*, et, *noli*. de quo diximus in oratione pro Quintio c. 26.

Vide, quanta caritas ſit patriae] Si quis locum perpendat, non dubito quin, *videte*, legendum eſſe mecum ſentiat.

Oppugnabis] Oppugnabat eorum commoda. nam in ſenatu actum eſſe, vt iis redderentur ademta a Caeſare, facile eſt intelligere ex iis Antonii verbis, quae recitantur Phil. XIII. c. 15. *Maſſilienſibus iure belli ademta reddituros vos, pollicemini.*

Per quem lata eſt vrbs ea] Captarum vrbium ſimulacra in triumphi pompa ferebantur. Maſſiliae caſum iisdem deplorat verbis lib. II. de Offic. c. 8. *Ad exemplum amiſſi imperii portari in triumpho Maſſiliam vidimus, et ea vrbe triumphari, ſine qua numquam noſtri imperatores ex transalpinis bellis triumpharunt.*

Generi] Panſae conſulis: qui propterea primum eum ſententiam rogabat. Phil. V. c. 1. et X. c. 1.

Querelam] Quia ſtudioſior Antonii, quam reipublicae videretur eſſe.

CAPVT VII.

A principibus] A conſularibus.

CAPVT VIII.

C. Popillius] Hiſtoriam Liuius narrat lib. XLIV. c. 19. ſeqq.

Non ab eo mandata accipienda ſunt] Vt ab Antonio Piſo et Philippus acceperunt.

Totus repudiandus] Sic locutus lib. IX. ad Attic. epiſt. 2. *Repudiari ſe totum, magis etiam, quam olim in vigintiuiratu, putabit.*

Cotylam] L. Varium Cotylam. infra c. 11.

Iuſſu Antonii] Conſulis.

Loris ceciderunt] Res eadem Phil. XIII. c. 12.

Vtramque prouinciam] Vtramque Galliam.

CAPVT IX.

Chirographorum, et commentariorum] Caeſaris: in quibus fingebat

fingebat Antonius eſſe multa, quae non erant.

Decreta] Tamquam ex chirographis, et commentariis Caeſaris.

Si, quod accepit, habet qui vendidit] Si habet ipſe pecuniam, quam ab emtoribus accepit: quid laborat de iis, qui emerunt?

Ne tangantur rationes ad Opis] Ne quid immutaretur in iis tabulis, in quibus diſſipatae ab Antonio pecuniae confecta ab ipſo ratio extabat. diſſipauerat autem ſepties millies. quam Caeſar pecuniam depoſuerat. Huc illud ſpectat, quod eſt in Phil. V. c. 6. *Scelerum magnitudo, conſcientia maleficiorum, direptio eius pecuniae, cuius ratio in aede Opis confecta eſt, hanc tertiam decuriam excogitauit.*

Recuperetur] Ab Antonio diſſipatum. Phil. V. c. 4. *Illa vero diſſipatio pecuniae publicae ferenda nullo modo eſt, per quam ſepties millies falſis perſcriptionibus donationibusque auertit.*

Ne fraudi ſit ſeptemuiris] Ne noceat, et ne ſit irrita agrorum diuiſio.

Nucula] Septemuir. Phil. VI. c. 5. et XI. c. 6.

Tantas clientelas] Quantas ſibi agrorum diuiſione pepererat.

Contra legem (Ern. *leges*)] De agris diuidendis, ab ipſo Antonio conſule latam. opinor enim ita ſeptemuiros fuiſſe Muſtelam, et Tironem, vt Nuculam, et Lentonem, de quibus Phil. XI. c. 6. Collegas enim ſuos videtur agnoſcere, cum ſubiungit: *Muſtelae, et Tironi proſpicit: de ſe nihil laborat.*

De ſe nihil laborat] Quia ſe ipſum non nominat, ſed loquitur de iis, qui ſecum ſunt. ideo laborare de ſe non videtur, fretus videlicet conſcientia: quid enim commiſit vmquam? quod intulit Cicero per ironiam.

Pecuniam publicam] Significatur illud ſepties millies, quod diſſipauerat Antonius.

Secum habuit armatos] In vrbe, cum eſſet conſul.

De iis] De Muſtela et Tirone. nam ſi manet ſua lex iudiciaria, abſoluentur omnes quamuis nocentiſſimi.

A Cyda, Lyſiade, Curio] Primo Cretenſi, altero Athenienſi, tertio aleatore notiſſimo. Phil. V. c. 5.

Otioſus videlicet eſſe mauult] Cum togatam remittit, eam vero poſtulat, quae multo bellicoſior eſt. Phil. VII. c. 1. *Alii, remittere eum nobis Galliam citeriorem: illam vltimam poſtulare: praeclare: ex qua non legiones ſolum, ſed etiam nationes ad vrbem conetur adducere.* Et Phil. XIII. c. 18. vocat eam Cicero prouinciam aptiſſimam ad renouandum, inſtruendumque bellum.

Ex delectu ſuo] De quo Phil. VII. c. 8. *Quid ii, qui Mutinam circumſedent? qui in Gallia delectus habent?*

Huius comitiis, Caius frater (eius eſt enim (Ern. *iam*) *annus*) *iam repulſam tulit*] Sic libri antiquiores, et recte, omnibus tamen ad hanc diem paullo obſcurior ſententia, mendi ſuſpicionem attulit, interpretatio noſtra, niſi fallor, lucem reſtituet. Annus, quo C. Antonius, Marci frater, conſulatum petiturus erat, eum fuiſſe conſtat, qui hunc ſequebatur. fuerat enim praetor anno proximo ſuperiore. inter praeturam autem et conſulatum, quod iam nemo neſcit, biennium intererat.

intererat. ſed M. Antonius futurum auguratur, vt repulſam ferat. cur? quia, cum dixerit, *M. Brutus, C. Caſſius conſules*, diuinare videtur, quo anno Caius petet, non ipſum, ſed eos, quos conſules nominat, deſignatum iri. petent enim eodem, quo Caius, anno: cum praeturam ſimul omnes eodem anno geſſerint. *Huius comitiis:* non quae ipſe habebit, ſed ea, quibus deſignare conſules videtur, cum Brutum, et Caſſium conſules nominauerit. *Eius eſt enim annus:* is, quo primum conſularia comitia habebuntur: haberi autem hoc anno non poſſunt, deſignatis iam a Caeſare conſulibus in annum ſequentem D. Bruto, L. Planco: habebuntur igitur poſt annum ſequentem, id eſt, Bruto, et Planco coſſ. cum nulli poſt eos deſignati conſules a Caeſare ſint. *Iam repulſam tulit:* ante quam habeantur comitia, repulſam tulit iudicio, et augurio Marci fratris, Brutum, et Caſſium conſules appellantis: qui ſi deſignantur, C. Antonius excluditur.

Lex Caeſaris] Quae conſulares prouincias vltra biennium vetat obtineri. Phil. I. c. 8.

CAPVT X.

Haec tu mandata] Ad Caſſium lib. XII. Fam. epiſt. 4. *Nihil foedius Philippo et Piſone legatis, nihil flagitioſius; qui cum eſſent miſſi, vt Antonio ex ſenatus ſententia certas res nunciarent; cum ille earum rerum nulli paruiſſet, vltro ab illo ad nos intolerabilia poſtulata retulerunt.* Dio lib. XLVI.

Sapientia quadam, credo] Ironia. aliam enim cauſſam ſignificat, vt ſtudium in Antonium, et ſenſum in tuenda libertate non optimum. ſubiungit autem, vt ſe diſſimilem illorum oſtendat, *quod ego non poſſem.* Iſta, inquit, ſapientia, quae vos nimium iraſci non patitur, carere me confiteor.

Cotylae] L. Vario Cotylae, qui legatus Antonii ad ſenatum venit.

Etiam ſeducere] Sermonis cauſſa, nec minima de re. ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Quoniam quidam nobiles homines, et de me optime meriti, nimis amarent inimicum meum, meque inſpectante ſaepe eum in ſenatu modo ſeuere ſeducerent, modo familiariter atque hilare amplexarentur.*

Alicuius conſtantiae] Se ipſum deſignat.

Augurem] Fuit enim eodem tempore Q. Scaeuola pontifex max. De hoc augure tantum illud dicam, generum fuiſſe C. Laelii Sapientis, ſocerum L. Craſſi oratoris. nominatur in principio libri de amicitia.

Bello Marſico] A Marſis ortum. tribus nominibus appellatum, Marſicum, Italicum, Sociale.

CAPVT XI.

Sexennio poſt] Sexto denique anno poſt ortum ciuile bellum, a conſulatu Marcelli, et Lentuli, quo anno Caeſar vrbe Roma potitus eſt, ad Panſae, et Hirtii conſulatum.

Idus Martias primas] Eum diem, qui primus iduum nomine appellabitur.

L. Varium] Cotylam, Antonii legatum.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

PHILIPPICAM NONAM

IN

M. ANTONIVM

ARGVMENTVM

Referente Panſa conſule de honore Ser. Sulpicii, qui legatus ad Antonium cum Piſone, et Philippo miſſus, prope caſtra quidem peruenerat, ſed ante, quam ſenatus mandata exponeret, obierat; P. Seruilius, ſententiam rogatus, decernendum ei publice ſepulcrum cenſuit, ſtatuam non cenſuit: quod ſtatuae decerni ſolerent iis, qui in ipſa legatione eſſent interfecti, non quibus mortem caſus attuliſſet. Poſt eum Cicero rogatus, honorem ſepulcri Sulpicio non ademit, ſed eum omnino ſtatua ornandum eſſe cenſuit, ea potiſſimum ratione vſus, quod, cum ad Antonium graui affectus morbo ſit profectus, non ei caſus, verum ipſa legatio mortem attuliſſe videatur, atque in hanc ſententiam grauiter, ornate, copioſe diſputat. Senatus conſultum in eius ſententiam factum eſſe ex eo perſpicitur, quia Pomponius L. 2. §. 43. D. de origine iuris exſtare pro Roſtris Auguſti ſtatuam illam auctor eſt.

EXPLANATIO

CAPVT II.

Lar Tolumnius] Hiſtoria apud Liuium lib. IV. c. 17.

Cn. Octauii] Plinius lib. XXXIV. c. 6.

Ad tantae familiae memoriam] Gens Octauia manebat, ſed ea familia, quae ab Octauio illo in legatione interfecto originem ducebat, prorſus omnis interierat: vt eius memoriam ſola ſtatua conſeruaret. differt autem a familia gens: poteſt enim familias multas gens vna complecti, vt in Cornelia Scipiones, Lentuli, Sullae, Cinnae, Dolabellae, alii praeterea fuere.

Tullo

Tullo Cluuio] In his nominibus nonnihil differunt Liuius, et Plinius.

CAPVT IV.

Re magis] Ipſa macie, et imbecillitate.

Cuius ipſe auctor fuiſſet] Vt ad Antonium legati mitterentur.

CAPVT V.

Illa, memoria vitae glorioſae] Illa, quae geſſit in omni vita.

CAPVT VI.

Inſolentiam] Sumtus nimios. eodem ſenſu ad Paetum lib. IX. Fam. epiſt. 20. *In Epicuri nos aduerſarii noſtri caſtra coniecimus: nec tamen ad hanc inſolentiam: ſed ad illam tuam lautitiam.* Ad eandem intemperantiam refero illud lib. III. in Verr. c. 44. *Nihil de luxuria Apronii loquor, nihil de inſolentia.* Nec dubito, quin de ſumtu immoderato dictum ſit in ea pro Roſcio Amerino c. 8. *Qui in ſua re fuiſſet egentiſſimus, erat, vt ſit, inſolens in aliena.*

Sepulturae] *Sepultura* differt a *ſepulcro.* eſt enim honor ille, qui ſepeliendo mortuo tribuitur. Phil. I. c. 2. *Qui illam inſepultam ſepulturam effecerant.* Quo loco ſepulturam ſepulcro caruiſſe dicit.

Sin id tribuit Ser. Sulpicio] Quaſi quiddam honorificentius, quam tributum erat Cn. Octavio.

CAPVT VII.

Lemonia] Pro, *ex Lemonia tribu.* ſic enim Pedianus interpretatur illud act. I. in Verr. c. 8. *C. Verrem Romilia:* et addit, ciues omnes Romanos in aliqua tribu cenſeri ſolitos, et ab ea interdum indicari. Cuius exſtant conſuetudinis exempla permulta. Lemonia igitur Sulpicii tribus fuit: de qua et de ceteris omnibus alibi copioſe diximus.

Prope caſtra] Supra c. 3. *Cuius cum aduentu maxime perturbatus eſſet Antonius.*

Maximo reipublicae tempore (Erh. *in maximo reipublicae munere*)] Quod proxime dixit, *difficillimo*, et lib. III. de Leg. c. 19. *Eſt autem boni auguris, meminiſſe, maximis reipublicae temporibus praeſto eſſe debere.* Nec tamen diſplicet, quod libri nonnulli veteres habent: *In maximo reipublicae munere*, id eſt, legatione. nam cum paullo ante dictum ſit, *difficillimo reipublicae tempore*; cur idem iteretur?

Quod is ob rempublicam mortem obierit] Mihi non ſatis conſtat, ſintne Ciceronis haec verba, an ab aliquo addita, tamquam gloſſema ſequentium.

De funeribus] De ſumtu funerum.

Remittere] Vt in Sulpicii funus erogari plus liceat, quam edicto permittatur.

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
PHILIPPICAM DECIMAM
IN
M. ANTONIVM

ARGVMENTVM

Agit gratias Panſae, quia, litteris M. Bruti acceptis, ſenatum ſtatim vocauit. Queritur cum Caleno, quod vtrumque Brutum aeque non probare videatur, qui rempublicam defendant; Antonium autem, qui oppugnet, probet idem vel maxime. Commemorat ea, quae M. Brutus in Graecia geſſerat: et ab eo nihil turbulentum, nihil non vtile reipublicae timendum eſſe confirmat. Suadet, vt, quae M. Brutus egerit priuato conſilio, publica auctoritate, vt idem ei tribuatur, quod D. Bruto, et C. Caeſari, comprobentur. Cenſet etiam, Q. Hortenſio, Macedoniae proconſuli, qui Brutum in comparando exercitu adiuuerat, confirmandam eſſe prouinciae adminiſtrationem, quoad ei ex ſenatus conſulto ſucceſſum eſſet.

EXPLANATIO

CAPVT I.

Gaudio et gratulatione] Vt gauderemus reipublicae cauſſa, gratularemur Bruto, qui res maximas geſſiſſet.

Frueremur] Legendis Bruti litteris.

Vſus es] Cum laude Bruti.

Ante me] Immo ante omnes. nam ante Ciceronem et P. Seruilius rogabatur: vt patet ex Phil. VII. c. 9. et IX. c. 1. 6.

Is, qui te ſententiam primum rogat] Panſa conſul, Caleni gener. Phil. V. c. 1. et VIII. c. 6.

Cur numquam] Alii, *cur*, delent, et pro, *fuit*, legunt. *fuerit*. mihi ſententia non videtur hanc ſententiam ferre poſſe. vnde enim. *fuerit*. pendebit?

Quod (Ern. *vt*) *vnus*] Cum veteribus libris ita lego. ſaepe enim, *quod*,

quod, pro, *vt*, Ciceronem dixiſſe, alibi docuimus.

Fortuna tua] Nouis enim rebus delectantur ii, qui fortuna parum proſpera vtuntur.

CAPVT II.

Summus honoris gradus] Erat enim conſularis.

CAPVT III.

Quid tibi, quod ſibi quisque velit, non relinquetur] Nihil in te erit, quod omnes non probent: omnia relinquentur, hoc vno detracto, quae ſibi quisque expetat.

Genero tuo] Panſa conſule. ſupra.

Ampliſſimi honoris nomen obtinebis] Tunc eris vere conſularis.

Legiones abducis a Bruto] Quia ſine ſenatus conſulto eas comparaſſet.

C. (C. ab Ern. abeſt) *Antonii ſcelere*] Occupare enim Macedoniam cogitabat, quam ſortitus erat. vide Phil. III. c. 10. infra quoque c. 4. *ſcelus* appellat eiusdem C. Antonii.

Qui diadema impoſuerint] Caeſari. is autem fuit M. Antonius conſul. Phil. II. c. 34.

Regni nomen ſustulerint] Rege ſublato.

Tantam in iniuria] Loquitur de M. Bruto: qui cum eſſet praetor vrbanus, in vrbe tuto eſſe non potuit.

Ius non dixit] Ius dicebant praetores duo, vrbanus, et peregrinus: reliqui de criminibus quaerebant.

Recuperaſſet] Tyranno ſublato.

Praeſidio Italiae cunctae] In epiſt. 15. ad M. Brutum: *Vos fortaſſe ſapientius exceſſiſtis vrbe ea, quam liberaratis: Italiae ſua vobis ſtudia profitenti remiſiſtis.*

Apollinares ludos] Qui ad curam praetoris vrbani pertinebant. Phil. II. c. 13. *Cur ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore celebrati?*

CAPVT IV.

Luculli] Eius filii, qui Mithridatem Tigranemque deuicit.

Propinqui ſui] Natus enim erat Catonis Vticenſis filia: et eiusdem Catonis filiam Brutus in matrimonio habebat.

Eundem vidi poſtea Veliae] Phil. I. c. 4.

Vt me puderet in eam vrbem redire, ex qua illi abirent] Phil. I. c. 4. *Turpe mihi ipſi videbatur, in eam vrbem me audere reverti, ex qua Brutus excederet: et ibi velle tuto eſſe, vbi ille non poſſet.* Et in epiſt. 10. ad M. Brutum: *Dolebam, in eam me vrbem ire, quam tu fugeres, qui eam liberauiſſes.*

Initio audiſtis] Cum primam orationem habui.

Eſtis experti] Rediiſſe enim eo me conſilio cognouiſtis, vt rempublicam defenderem.

Quod qui ab illo abducit exercitum] *Quod*, pro, *ſed*, vt ad Terentiam lib. XIV. Fam. epiſt. 4. *Quod vtinam minus vitae cupidi fuiſſemus!* Et Terentius in Andr. act. I. ſc. 5. v. 54.

Quod ego te per hanc dextram
oro, et ingenium tuum.

Reſpectum] Non relinquit reipublicae, quo reſpiciat. Phil. V. c. 18.

c. 18. *Cum reſpectum ad ſenatum, et ad bonos non haberet.* Phil. XI. c. 11. *Non vt ex ea acie reſpectum haberemus, ſed vt ipſa acies ſubſidium haberet etiam transmarinum.* Hunc locum alii aliter et diſtinguunt, et legunt: a quibus diſſentio.

CAPVT V.

Tria tenet oppida toto in orbe terrarum: habet inimiciſſimam Galliam] Tenebat Bononiam, Regium Lepidi, Parmam. id cognoſcitur ex lib. XII. Fam. epiſt. 5. ad Caſſium, in qua ſic eſt: *Praeter Bononiam, Regium Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus, ſtudioſiſſimam reipublicae. Tuos etiam clientes Transpadanos mirifice coniunctos cum cauſſa habebamus.*

A prima ora Graeciae vsque ad Aegyptum] Idem ſcripſit ad Caſſium lib. XII. Fam. epiſt. 5.

Prohiberetur] Senatus conſulto, vt infra c. 6.

Caeſaris (ab Ern. abeſt)] Locum hoc nomen hic non habet. non enim C. Antonii in Graecia, ſed Marci in Italia, redeuntis a Brundiſio, conatum Caeſar compreſſit. nec tamen illa verba, *incredibilis ac diuina virtus*, convenire in Brutum videntur: de quo ſtatim ſequitur, *quae virtus?* niſi ſi ferociorem in Graecia C. Antonium futurum fuiſſe exiſtimemus, niſi Marci fratris impetum Caeſar in Italia repreſſiſſet.

Caducae] Quas occupauit, tamquam ad eum pertinerent. *Caducae* autem *hereditates* dicebantur, cum heres non exſtabat. quod cum accideret, ad fiſcum deuoluebantur.

Apollonia] Et Apollonia, et Dyrrhachium erant in Macedonia, quam regebat Q. Hortenſius. Illyrico autem Vatinius praeerat.

CAPVT VI.

Filio meo] Quem Brutus Athenis ſecum abduxit, eoque legato vſus eſt. Plutarchus in Bruto.

Paterni maternique generis] *Paterni*, a L. Bruto, qui reges eiecit: *materni*, a Seruilio Ahala, qui regnum appetentem Sp. Melium ſua manu interfecit. Livius, Cicero, alii.

CAPVT VII.

In pace iacere] Cum Antii, Lanuuii, Veliae moraretur.

Quo minus ab eo rem illam dicebant fieri debuiſſe] Inire Decimum conſilia de Caeſaris nece eo minus dicebant debuiſſe, quia Caeſar in eum ſumma beneficia contuliſſet, quem etiam ſcripſit in ſecundis heredibus. Suetonius in Iulio c. 83.

Ii, (Ern. *hi*) *credo*] Minime ii quidem, qui acta Caeſaris euerti velint: quae M. Antonius, quantum in ipſo fuit, ſuis legibus euertit.

Cauſſam veteranorum prodi] Spem fallere veteranorum, qui confirmationem agrorum, quos eis Caeſar pater aſſignauerat, a ſenatu exſpectabant.

CAPVT VIII.

Quorum votis] Pro ſalute Hirtii aegrotantis vota fecerat populus Romanus. Phil. I. c. 15. et VII. c. 4.

Cum

Cum iſtis ipſis veteranis] Quibus M. Bruti nomen ſuſpectum eſſe dicunt.

Illi] Panſa, et Hirtius, Caeſaris, donec vixit, amiciſſimi: et eius filius Octauianus.

Scilicet hoc] Suſpectum veteranis eſſe poſſe M. Bruti exercitum.

Negligit] Negligere hoc videretur, ſi, quae Caeſar egit, ea rata eſſe non curaret.

Laturus eſt] Tulit. nam Phil. XIII. c. 15. ſunt haec: *Nos ſuſtulimus, an contra, lege comitiis centuriatis lata, ſanximus?*

CAPVT IX.

Non ſunt enim, credo, innumerabiles] Id eſt, ſunt innumerabiles.

Nemo eſt] Et hic a contrario ſenſu accipiendum, pro, nemo eſt, qui non excitetur.

Ecquodnam principium putatis libertatis capeſſendae] Quod libertatis capeſſendae initium cogitatis? Hic ego nihil deſidero: alii de mendo ſuſpicantur.

CAPVT X.

Sed ea nulla eſt omnino ſervienti] Pro, ſed in libertate eſt, in ſeruitute autem nulla. correctionem, vt arbitror, locus non requirit.

Eo magis ea fugienda videretur] Hoc dicit: immortalitatem fugerem cum ſeruitute coniunctam.

Ne omnium mortalium turpiſſimus eſſet M. Antonius] Similis figura in Vatinium c. 17. *Die dicta ab eo, quem tu vnum improbiorem eſſe, quam te, nonnumquam ſoles confiteri.* Et illa de prouinciis c. 5. *Piſo gloriatur, ſe breui tempore perfeciſſe, ne Gabinius vnus omnium nequiſſimus exiſtimaretur.*

Cum tabulis nouis] Quas tribunus plebis oderat: legem enim de iis Dolabellae tribuno plebis ferenti acerrime eſt aduerſatus: nunc idem eas cupit, qui ſe intelligat aere alieno liberari alia ratione non poſſe. Phil. VI. c. 4.

T. Plancus] Burſa: de quo diximus Phil. VI. c. 4.

Reſtituti] A Caeſare, cum lege Pompeia de vi damnati exſularent.

Auertit] Traduxit a Caeſaris actis ad acta Antonii defendenda.

Infinita poſſeſſio] Ab Antonio data.

CAPVT XI.

Quid patientia proficere poſſit (Ern. *poſſet*)] Satis diu tempus in locis vrbis propinquis contriuit, id ſpectans, vt res vrbanae conſtituerentur, ſuumque ius, et ſuam dignitatem reſpublica recuperaret: vbi vidit M. Antonium legiones ad vrbem, Brundiſio arceſſitas, adduxiſſe, et omnia per vim agere, tunc in Graeciam traiecit, vi et armis contra vim, et arma vtendum putauit.

Me auctore] Cum habuit Philippicam tertiam.

Equitatus] Quem abduxit Dolabellae. Phil. XI. c. 12. quamquam eum abductum Dolabellae a Lentulo, Caſſioque traditum, ſcripſit ipſe Lentulus ad Ciceronem lib. XII. Fam. epiſt. 14.

De

De M. Appuleio] Is eſt, de quo ſic ad Ciceronem ſcripſit Brutus epiſt. 7. *Appuleium tu tua auctoritate ſuſtinere debes. Sed Appuleius in ſua epiſtola celebrabitur.* Et Phil. XIII. c. 16. *Appuleiana pecunia Brutum ſubornaſtis.*

Q. Caepione] Adoptatus a Seruiliae matris fratre M. Brutus, praenomen, nomen, cognomen ab eo ſumſit. Cicero nomen omittit.

Proconſule] Cretam illi ſenatus, Caſſio Africam, ſtatim poſt Caeſaris necem, decreuerat. etſi neuter in ſuam prouinciam, quod vtraque comparandis exercitibus, quibus ad liberandam rempublicam opus erat, parum apta videretur, profectus eſt: Brutus in Macedoniam, Caſſius in Syriam iuit: breuique legionum firmiſſima praeſidia equitatus, et auxiliorum copias maximas, vel ducibus ereptas, vel iis ſua ſponte tradentibus, compararunt. Phil. XI. c. 12. *Non igitur Brutus exſpectauit decreta noſtra, cum ſtudia noſſet. neque enim eſt in prouinciam ſuam Cretam profectus: in Macedoniam alienam aduolauit: omnia ſua putauit, quae vos veſtra eſſe velletis: legiones conſcripſit nouas, excepit veteres: equitatum ad ſe abduxit Dolabellae.*

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
PHILIPPICAM VNDECIMAM
IN
M. ANTONIVM

ARGVMENTVM

Obtinente Aſiam prouinciam C. Trebonio, decretam a ſenatu poſt Caeſaris interitum, Dolabella, in Syriam, Antonii ſibi lege traditam, proficiſcens, cum Trebonio familiariſſime collocutus, eumque ſummae beneuolentiae ſimulatione complexus, incautum Smyrnae oppreſſit, atque interfecit, et Aſiam vniuerſam occupauit. hoc nuncio Romam perlato, ſenatus hoſtem Dolabellam iudicauit, belloque perſequendum cenſuit: ſed cum, eius belli cura, non ſatis conſtaret, cui mandanda videretur, cum alii aliter ſentirent; Cicero, deplorata prius Trebonii morte, imperatorem omnino C. Caſſium, qui Dolabellam terra, marique perſequeretur, eſſe deligendum cenſuit. in quam ſententiam vt ſenatus conſultum eſſe factum exiſtimem, his Velleii verbis lib. II. c. 62. adducor: Bruto Caſſioque prouinciae, quas iam ipſi ſine vllo ſenatus conſulto occupauerant, decretae.

EXPLANATIO

CAPVT I.

Vel maerore potius] Plus eſt *maeror*, quam *dolor*. poteſt enim eſſe dolor ſine maerore, maeror ſine dolore non poteſt. comes igitur maximi doloris maeror eſt.

Ineſt tamen aliquid] Contraria contrariis miſcet interdum Cicero cum lepore, et elegantia. Magno, inquit, in dolore ineſt tamen aliquid, quod reipublicae profuturum putem. Similiter lib. I. ad Attic. epiſt. 17. *In iſta incommoditate alienati illius animi, et offenſi, illud ineſt tamen commodi.* Et lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 15. *Se effecturum, vt ego in medio dolore, ac deſiderio tui, te,*

te, cum a me abeſſes, potiſſimum ſecum eſſe laetarer. Et ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 9. *Te autem etſi mallem in meis rebus expertum, quam etiam in tuis: tamen in moleſtia gaudeo, eandem fidem cognoſcere hominum non ita magna mercede, quam ego maximo dolore cognoram.*

Alter] Dolabella.

Quod optabat] Optabat necem Trebonii, poſſeſſionem Aſiae.

De altero] De Antonio: qui Galliam citeriorem, vt inde impetum contra rempublicam faceret, occupare cogitabat.

Inter ipſos odium] Vide Phil. II. c. 32.

Bellumque] Contentionem. bellum enim inter ipſos non fuit.

Romae iam ſuscepta] Caede ciuium.

Hunc] Antonium. nam de Dolabella dixit, *ille*.

Naturae poenam] *Poenam*, abundare Faernus recte putat.

CAPVT II.

Si vt in Syriam (Ern. *cui in Syriam*)] Si ob eam cauſſam in Aſiam irrupit, vt inde in Syriam proficiſceretur: ire in Aſiam non oportuit: patebat enim in Syriam via certa, nec longa. quod ſi Aſiam adire voluit: quid opus fuit, legionem praetermittere? Hunc locum non recte alii diſtinxerunt.

Et (*et* ab Ern. abeſt) *certa, neque longa*] *Neque*, modo antecedit, vt lib. X. Fam. epiſt. 1. *Nec miror, et gaudeo:* modo ſequitur, vt hic, et paullo poſt c. 3. *Mihi quidem et ille perueniſſe videtur, quoad progredi potuerit feri hominis amentia, neque Antonius vllius ſupplicii adhibendi, ſi poteſtatem habeat, vllam eſt partem relicturus.*

Cum legione] Ei ab Antonio tradita. Appianus lib. III. de bell. ciu.

Octauio] M. Octauio, Dolabellae legato. Dio lib. XLVII.

Falſi indices] Cum ſequatur, *in amore ſimulato*, delendum, *falſi*, vt verbum ſuperuacaneum, non ſine cauſſa Faernus exiſtimabat.

Qui ciuis etiam tum ſpeciem haberet] Nondum enim hoſtile quidquam aperte geſſerat.

Alio bello] Quod geritur ad Mutinam.

Contra hoc iugum] Antonii, et Dolabellae. *iugum*, appellat, quia pares in ſcelere. ſupra c. 1. *Ecce tibi geminum in ſcelere par.*

CAPVT III.

Equuleum] Genus tormenti, Chriſtianorum martyrum exemplo ſatis notum.

CAPVT IV.

Aliquando fuit meus] Vel quia gener, vel quia ſummo, etiam poſt Tulliae diuortium, amore coniunctus. lib. XIV. ad Attic. epiſt. 15. *O mirificum Dolabellam meum! iam enim dico meum: antea, crede mihi, ſubdubitabam.*

CAPVT V.

Re certe noluit] Qui enim praetor vrbanus eſſe poteſt, cum ab vrbe diſceſſerit?

Damnationem] De ambitu, ex petitione praeturae, defendente Cicerone. lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 3.

Petit] Hoc anno non petebat: (non enim, vt ſupra Phil. VIII. c. 9. oſtendi, habebantur comitia) ſed anno ſequenti petiturum ſe profitebatur.

Soluatur legibus] Vt, omiſſa praetura, petere conſulatum poſſit.

Leges eum non tenent] Antonii enim exemplo leges omnes contemnit.

Propter eximiam, credo, dignitatem] Magna vero dignitas eius hominis, qui quinquies vocatus in iudicium ſit.

Sexta palma vrbana] Si ſextum accuſabitur, non facile abſoluetur. *Vrbana:* quia nunc abeſt: ſed in vrbem ſi redierit, accuſabitur.

Etiam in gladiatore] Vt gladiatores non ſemper vincunt, ſic Vopiſcus non ſemper abſoluetur.

Illi debuerunt] A contrario ſenſu: pro, *minime debuerunt.*

Qui tamen nunc nihil aliud agere videtur] Ita ſe gerit, vt, qui eum iudices olim lege Pompeia damnarunt, eos recte iudicauiſſe, nobis oſtendat.

Quorum res iudicatas irritas fecimus] Caeſarem notat, qui damnatos lege Pompeia omnes, excepto Milone, reſtituit. id confirmatur ſequentibus verbis: *Sunt alii in iisdem caſtris honeſte condemnati, turpiter reſtituti.*

Caſtrorum antea metator, nunc, vt ſperat, vrbis] Phil. XIV. c. 4. *Quam iam peritus metator et callidus, decempeda ſua Saxa diviſerat.*

Vt haberent reliquorum nutriculas praediorum] Vt agri Campani fertilitate alerent reliqua praedia, quae ciuilibus in malis acceperant.

CAPVT VI.

Collegas] In ſeptemuiratu. Fuere enim ſeptemuiri, M. Antonius, L. Antonius, Dolabella, Nucula, Lento, Muſtela, Tiro. quod ex his orationibus perſpicuum fit.

Quam ſenatus per vim latam iudicauit] Phil. VI. c. 5. *Septemuirum acta ſuſtulimus. Iacent beneficia Nuculae: friget patronus Antonius.*

P. Decii] Phil. XIII. c. 13.

Maiorum ſuorum] Qui ſe pro republica deuouerant. nota hiſtoria.

Aliena] Quae de Pompeianorum bonis, vendente Caeſare, ab haſta emerat.

Vltae] Quia tribunus plebis debitorum cauſſam oppugnauerat, cum ferenti legem de tabulis nouis Dolabellae reſiſteret. Phil. VI. c. 4.

Vindicem] Proſcripta Trebellii bona vidimus. ea tabula vlciſci videtur tabulas nouas, quibus aduerſatus erat. tabulam enim poſuit, qui tabulas nouas oppugnauerat.

De Planco (Ern. *L. Planco*)] T. Planco Burſa. Phil. VI. c. 4.

Aquila] Pontius Aquila, vnus ex percuſſoribus Caeſaris, qui periit in Mutinenſi proelio: vt in Aſinii epiſtola, lib. X. Fam. 33.

Crure fracto] Phil. XIII. c. 12.

Ne huc redire potuiſſet] Cum eſt a Caeſare reſtitutus.

Graeco verbo] Abundare hoc arbitror.

CAPVT

CAPVT VII.

Gladiatorio generi mortis addictus] Caede delectatur, ad eam, ſicuti gladiatores, videtur eſſe natus.

Alteram] L. Caeſaris, qui bellum contra Dolabellam extra ordinem P. Seruilio, lege ad populum lata, mandandum eſſe cenſuit. infra c. 10.

Alienam his temporibus] Vt conſules, Dolabellae perſequendi cauſſa, Aſiam, et Syriam ſortiantur.

Huius Sapientis] Duo C. Laelii fuere, pater, et filius; pater Africani maioris amicitia clarus; filius, minoris, cui, Sapienti cognomen fuit: vt in libro de Amicitia c. 1.

Philippi] Macedoniae regis, quem T. Flamininus deuicit.

CAPVT VIII.

Flacco] L. Valerio Flacco.

Pro conſulibus] Eadem res in ſuaſione legis Maniliae c. 21. narratur. vt alia mittam exempla.

Haec comitia] Quibus ferri ad populum de bello contra Dolabellam extra ordinem mandando, L. Caeſari placet.

Clariſſimo viro] P. Seruilio, conſulari, Iſaurici filio.

Aſſenſus ero (Ern. *aſſenſero*)] Eleganter, pro, *ſi aſſenſus ero:* et quod ſequitur, *negaro*, pro, *ſi negaro.* multo enim venuſtius omittitur, quam additur particula, *ſi.* eadem figura Phil. XIII. c. 11. *Receſſeris: vndique omnes inſequentur. manſeris: haerebis.* Et lib. V. in Verr. c. 65. *Cognoſceret hominem: aliquid de ſummo ſupplicio remitteres: ignoraret: tum, ſi ita tibi videretur, hoc iuris in omnes conſtitueres, vt, qui neque tibi notus eſſet, neque cognitorem locupletem daret, quamuis ciuis Romanus eſſet, in crucem tolleretur.* Et apud Terentium in Heaut. act. I. ſc. 1. v. 26.

Vel me monere hoc, vel percontari puta.
Rectum eſt, ego vt faciam: non eſt, te vt deterream.

Ambitionem induxero in curiam] Alii enim viri conſulares idem petent. Hoc explanatur iis verbis, *ne vnusquisque noſtrum praeteritus eſſe videatur.*

Quod ſi comitia placet in ſenatu haberi (Ern. *habere*)] Si placet, contra Dolabellam a ſenatu bellum decerni.

Cur comitiis (Ern. *committis*) *Caeſar*] Cur comitiis hoc agendum putas? alterutrum enim ſequetur, vt aut Seruilius repulſam tuliſſe, aut nos, ei dignitate pares, praeteriti eſſe videamur.

CAPVT IX.

Decertatio] Aſſidua deliberatio. nam a *decerno* ſit *decerto.*

Suſpicioni crimen] Si conſules, omiſſa D. Bruti liberandi cura, in Aſiam, et Syriam proficiſcentur, non iam ſuſpicio, quae nunc eſt, de eorum animo erga Decimum, ſed crimen videbitur: quaſi contra Dolabellam iuerint, quia Decimo, propter Caeſaris necem irati, opem ferre noluerint.

Inuidiae materiam] Cauſſam iis inuidendi. infra c. 10. *Adde ſermones hominum, adde ſuſpiciones, adde inuidiam.*

Vt liberato Bruto] Bellum Dolabellae inferant.

CAPVT X.

Prouinciam depoſui] Conſul prouinciam Galliam in concione depoſuit, vt Catilinae coniurationem opprimeret. in Piſonem c. 2. et lib. V. Fam. epiſt. 2.

Brutum] Decimum, qui obſidebatur Mutinae.

Mittent] Conſules.

Aliquem de ſuo numero] Aliquem conſularem.

Non habet] Seruilio digniorem.

Ipſe] Seruilius: qui munus illud recuſauerat, dixeratque nemini dandum, ne a ſenatu quidem. ſupra c. 9. *Quis poteſt refragari non modo non petenti, verum etiam recuſanti?*

Vnius iudicio] Conſulis. refertur enim ad illud: *At mittent aliquem de ſuo numero.*

CAPVT XI.

Sicut multa] Cum Ferrario libenter legerem, *ſicut multi conſulem alterum, amboſue.* multi enim ſic de conſulibus decernebant, nec aliter Cicero ipſe in hac Phil. et V. c. 19. VIII. c. 11. XIV. c. 14.

Colligaſſemus in Graecia] Senatus conſulto, vt Phil. X. c. 11.

Non vt ex ea acie reſpectum haberemus] Non vt, propter exercitum Bruti, propinquum Italiae, remoueremus animos a Mutina, et in aliam partem reſpiceremus; ſed vt exercitibus, quos habemus in Italia, paratum etiam eſſet ſubſidium transmarinum.

Tenet Apolloniam] Vrbem Epicuri: quam relinquere coactus, quod Apolloniatas Bruto fauere intelligeret, Buthrotum ſe contulit: nec multo poſt a Ciceronis filio pugna victus eſt. Plutarchus in Bruto.

Byllidem] Byllidem in Illyrico, Amantiam in Macedonia.

Aliquot cohortes] Septem, vt Phil. X. c. 6. Hic Cicero numerum non ponit, quia vires auget Antonii, vt oſtendat, neceſſe eſſe Brutum in Graecia morari, non in Syriam mitti. quod ſi ſeptem cohortes nominaſſet, exiguitas illa copiarum non eſſe timendum ab Antonio ſignificaſſet: ideoque Brutum in Syriam mitti poſſe.

Atque illa ora Italiae] Propterea Phil. X. c. 11. cenſuit, vt M. Brutus cum ſuis copiis quam proxime Italiam eſſet.

Tamdiu morari] In Graecia, nec traiicere in Italiam. itaque de Brundiſio, deque illa Italiae ora, ne ab illo opprimatur, prouidendum.

Manicas] Quibus brachia muniuntur.

Obſidionis metum] Vere: nam obſidionem Apolloniae non ſuſtinuit, et Buthrotum ſe contulit.

Confecerit] Antonium deuicerit, vt ab eo minime timendum ſit.

Iam notus] Bruti, quia prope Italiam.

Auditus] Quia longe diſtat. iam enim erat Caſſius in Syria.

CAPVT XII.

Alienam] Q. Hortenſii, vt copias cogeret. non enim, *alienam*, interpretor, C. Antonii, ex illa

illa ſortitione, quae facta eſt, M. Antonio conſule: (Phil. III. c. 10.) nam ei poſtea ſenatus conſulto eſt ademta. quod Phil. X. c. 6. oſtenditur iis verbis: *Qui iam aut captus eſt, quod dii dent: aut certe, homo verecundus, in Macedoniam non accedit, ne contra ſenatus conſultum feciſſe videatur.* Sortitio igitur illa irrita fuit, cum ſenatus conſulta a M. Antonio facta ſenatus falſa iudicauerit, legesque ſtatuerit per vim, et contra auſpicia latas, nec iis populum teneri. Phil. XII. c. 5.

Equitatum ad ſe abduxit Dolabellae] Lentulus ad Ciceronem ſcripſit, ſe abduxiſſe equitatum Dolabellae, eumque Caſſio, non Bruto, tradidiſſe, lib. XII. Fam. epiſt. 14.

Parricidio] Trebonii nece.

Alienam prouinciam, ſi homines legibus ſcriptis vterentur] Significat, a M. Antonio conſule, aut ab aliquo tribuno plebis latam eſſe legem de Syria Dolabellae tradenda. quo tempore ſimul eſſe latum exiſtimo, vt citeriorem Galliam Antonius adminiſtraret.

Iudicati ſint] Audita morte Trebonii.

Criſpo] Appianus lib. IV. de bell. ciu.

Legato] Dolabellae: vt infra c. 13. Quattuor autem legatos habuit Dolabella, hunc Allienum, M. Octauium, de quo ſupra c. 2. Sex. Marium, C. Titium, de quibus in epiſt. Lentuli, lib. XII. 15.

Exercitus accipere] Accepit, et ab Allieno quidem quattuor legiones, ex Aegypto eductas. vide epiſt. Caſſii lib. XII. 11.

CAPVT XIII.

Quem videtis] Qui, nullis inſtructus copiis, eo tamen ex Italia profectus conſilio ſit, vt prohiberet Syria Dolabellam. ſupra c. 12. *Quid? C. Caſſius, pari magnitudine animi et conſilii praeditus, nonne eo ex Italia conſilio profectus eſt, vt prohiberet Syria Dolabellam?* Ferrarius malebat, *vidiſtis:* vt referretur ad idus Mart. mihi, *videtis,* non diſplicet: vt de re praeſenti dicatur. in quo moueor etiam conſenſu omnium veterum librorum.

Priuati illius quidem] De Baſſo copioſe Appianus lib. IV. de bell. ciu.

Victor exercitus] Quia repulerat legiones Murci. Appianus. Caſſius autem ad Ciceronem lib. XII. epiſt. 12. ita ſcripſit: *Murci et Criſpi, imperatorum, dignitatem, quantum eſt in te, tuere. Nam Baſſus miſere noluit mihi legionem tradere. Quod niſi milites, inuito eo, legatos ad me miſiſſent, clauſam Apameam tenuiſſet, quoad vi eſſet expugnata.*

Noſtro more] Armatura Romana. lib. VI. ad Attic. epiſt. 1. *Mihi cum Deiotaro conuenit, vt ille in meis caſtris eſſet cum ſuis copiis omnibus. habet autem cohortes quadringenarias, noſtra armatura, triginta; equitum duo millia.*

Sulla, Murena, Seruilius, Lucullus] De Mithridate Sulla, Murena, Lucullus, de Iſauris, vnde cognomen accepit, Seruilius triumphauit. omnes Deiotari copiis vſi ſunt.

CAPVT XIV.

Magnas ille res geſſit] M. Craſſi quaeſtor in Syria: quo interfecto, Parthos in Syriam irruentes fudit. ad Coelium lib. II. Fam. epiſt. 10. *Caſſius noſter, quod mihi magnae voluptati fuit, feliciter ab Antiochia hoſtem reiecerat.*

Singularem laudem] In Caeſare occidendo.

Poſtquam beneficia Caeſaris comederunt] Ad egeſtatem nequitia, luxuque redacti, nouas res quaerunt, vt iterum famem explere poſſint. Qui vero Caeſaris beneficia conſeruarunt, ii cum republica conſentiunt. Phil. XIII. c. 2. *Huc accedunt Alaudae, ceterique veterani, qui, ſuis rebus exhauſtis, beneficiis Caeſaris deuoratis, noſtras fortunas concupiuerunt.* Et Phil. XIV. c. 10. *Quae conſtituta ex veteranis, docuit illo proelio, militibus iis, qui Caeſaris beneficia ſeruaſſent, ſenatus, populique Romani carum nomen eſſe.* Ad D. Brutum, lib. XI. epiſt. 21. *Segulium negligamus, qui res nouas quaerit: non quo veterem comederit: nullam enim habuit: ſed hanc ipſam recentem nouam deuorauit.*

Saxae ſe, et Caphoni tradiderunt] Phil. X. c. 10. *Sollicitant homines imperitos Saxae, et Caphones.*

CAPVT XV.

Illis] Qui cum Caeſare patre militarunt.

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

PHILIPPICAM DVODECIMAM

IN

M. ANTONIVM

ARGVMENTVM

Retulerat Panſa conſul de legatis iterum ad Antonium de pace mittendis: legati decreti erant P. Seruilius, et ipſe Cicero. Legationem non modo ſuperuacaneam eſſe, cum ab Antonio pacem ſperare non liceat, ſed inutilem etiam, ac turpem, multis argumentis Cicero docet: quod ſi rurſus agendum de pace cum Antonio ſit, minime tamen omnium ſe legatum deligi oportere: nec tamen in ea re vitae ſuae maiorem, quam reipublicae, quam ſemper defenderit, rationem habere velle.

EXPLANATIO

CAPVT I.

Erraui] Cum Piſoni, et Caleno, legatis, ſpem pacis afferentibus, credidi.

Noſſe aliquod eius vulnus] Quo vulnere ad honeſtam pacem deſcendere cogeretur.

Alterum] Calenum, Antonii procuratorem: vt infra c. 7.

Alter] Piſo.

Grauiſſimorum] Contra Antonium: quae commemorantur Phil. VII. c. 3. 4.

Amici] Antonii.

Afflictam maeſtitia] Ob aliquod, nobis ignotum, Antonii vulnus.

Quorum in vultu habitant oculi mei] A quibus oculos numquam remoueo.

Scire ſe] Nouum aliquod incommodum Antonii, quo ipſi adducti ſint, vt pacis mentionem facerent.

Implicatos] Soluti enim non ſumus, cum de pace iterum agi coeptum ſit, et conſtituta legatio.

CAPVT II.

D. Bruti ſalus] Cuius cauſſa, loquentibus de pace aures dabam.

Neſcio] Verbum Caleni.

Quamquam] Hoc voluit dicere: quamquam ne tum quidem audiendus eſſet.

Aut concedenda vna cum dignitate libertas] Aut amittenda nobis, et dignitas, et libertas eſt.

At non eſt integrum] Impedita gerendi belli cogitatio eſt, legatione conſtituta.

Poſteriores cogitationes] *Αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι*, verſus eſt Euripidis in Hippolyto Coronato.

A noſtris] A domeſticis. illa enim: *Maeſtam domum offendi, coniugem, liberos:* ad Seruilium pertinent, qui cum Cicerone legatus erat conſtitutus.

Praeſtantiſſimi viri] Seruilii, qui ſententiam rogabatur ante Ciceronem; vt ſupra.

Suscepiſſem] Hactenus verba Seruilii ſunt.

Quam reprehendatur] Quod ſpe pacis, duorum conſularium oratione adducti, legationem probauerimus.

CAPVT III.

E manibus eſt ereptus Antonius] Phil. II. c. 39. *Quemadmodum illinc abieris, vel potius paene non abieris, ſcimus.*

Martium] Gloſſema arbitror fuiſſe.

Ex duobus] Exercitum Hirtii ſignificat, cum Caeſaris exercitu coniunctum.

Luſtratus] Luſtrari, id eſt, expiari exercitus mos fuit, prius quam in expeditionem educerentur.

CAPVT IV.

Quondam] Ciues Romani cum non erant.

Communicata cum iis (Ern. *his*) *republica*] Data eis ciuitate cum ſuffragio.

CAPVT V.

Delata] Ad aerarium.

Eae tabulae] Legum, fixae ab Antonio in Capitolio.

CAPVT VI.

Quid eſt aliud] Saepe hoc loquendi genus vſurpat Cicero. Phil. I. c. 9. II. c. 4. X. c. 2.

Noſtri ordinis] Senatorii.

Ne Tirones quidem Numiſios] Tironem Numiſium, Muſtelam Tamiſium appellat Phil. II. c. 4.

Seiosue (Ern. *Saxasue*)] Suſpicor de mendo. nam Seius hic nusquam alibi nominatur. quid, ſi pro, *Seios*, *Saxas*, reponamus? Saxae enim, et Caphonis crebra mentio.

CAPVT VII.

Ad id conſilium] Eorum, qui aderunt in conſilio, nobis cum Antonio de pace agentibus. infra c. 12. *Quae cum agam in conſilio, nonnullis, vt arbitror, repugnantibus, nonne metuendum eſt, vt imperita militum multitudo per me pacem diſtineri putet?*

Conceſſum] Antonio.

Princeps ſagorum] Sumendorum; cum tamen vti toga poſſem tamquam conſularis. Phil. VIII. in extremo.

Quaſi viciſſent] Quod bellum differretur, aut etiam, quibus vellet Antonius conditionibus, futura pax eſſet.

Me

Me iniquum eierabant] Ciceronem legatum amici Antonii, vt iniquum, eierabant, id eſt, recuſabant. ſic lib. III. in Verr. c. 60. *Negotiatores putant eſſe turpe, id forum ſibi iniquum eiurare, vbi negotientur. Praetor prouinciam ſuam totam ſibi iniquam eiurat.* Et lib. II. de Orat. c. 70. *Cum ei M. Flaccus multis probris obiectis P. Mucium iudicem tuliſſet,* Eiero, *inquit,* iniquus eſt. *Cum eſſet admurmuratum,* Ah! *inquit,* P. C. non ego mihi illum iniquum eiero, verum omnibus. Et ad Paetum lib. IX. Fam. epiſt. 16. *Tu autem, quod mihi bonam copiam eiures, nihil eſt.* Et Varro lib. VI. de ling. Lat.

Quibus gerundus mos eſt] His ego libenter ſatisfaciam, legatione depoſita.

Liberales eſſe coepimus] Mittendis iterum legatis.

CAPVT VIII.

Ad haec Antoniana ſaxa] Egregia translatio. nam vt ex naufragio multi ad ſaxa proiecti ſeruantur: ſic Petiſſius, conſumto patrimonio, ad Antonium, tamquam ex naufragio ad ſaxa, ſe contulit.

Municipii mei] Arpinatum.

Myrmillo] Gladiator. Phil. III. c. 12. V. c. 7. VII. c. 6.

Collega] In ſeptemuiratu. Phil. XI. c. 6.

Aquilae] Centurionis nomen, qui primum pilum duceret. centuriones autem primipili ordines ducebant inter triarios, qui collocabantur in tertia acie, tamquam omnium fortiſſimi.

Primipili] Vel ſubaudiendum, *centurioni:* dixit enim Cicero lib. V. ad Attic. epiſt. 20. *Cohortem primam totam perdidit, centurionemque primipili, nobilem ſui generis, Aſinium Dentonem.* Et Caeſar lib. III. de bell. Gall. c. 5. *P. Sextius Baculus, primipili centurio.* Vel legendum, *primipilo*, vnico verbo; vt Caeſar lib. II. de bell. Gall. c. 25. *Primipilo P. Sextio Baculo.*

Ne Aquilam quidem ipſam] Iocatur in ambiguo *Aquilae* vocabulo, et a centurione ad alitem tranſit.

Duo (Ern. *duos*) *praetores*] Cenſorinum, de quo Phil. XI. c. 5. et Ventidium, Antonio coniunctiſſimum. vtrumque etiam ſimul nominat Phil. XIII. c. 2.

Deſignatos] A Caeſare. magiſtratus enim omnes in biennium deſignauit.

Modo ſine cruciatu, atque tormentis] Quibus ipſe Trebonium affecit.

Ne quid arrogantius videar dicere] Ne dicam: ne quid nocere poſſent reipublicae, quod arroganter fortaſſe dictum videretur.

CAPVT IX.

Peruenerint ad eum, qui mihi fuit propoſitus, exitum] Erat ei propoſita Bruti ſalus.

Etruriam diſcriminat Caſſia] Diuidit Etruriam. nam Aurelia propius mare ſuperum eſt, neque diſcriminat Etruriam, ſed terminat a maritima parte. Caſſia vero, auctore Antonio, ab vrbe ducit in Vulſinios. inde, Senis a ſiniſtra relictis. Arretium, inde Florentiam, Piſtorium, Lucam, quod erat Cisalpinae Galliae primum oppidum.

Vno capite] Nece ſine tormentis.

Praeſidia

Praeſidia habeo (Ern. *habebo*)] Ironia.

CAPVT X.

Si ſic (*ſic* abeſt ab Ern.) *licebit*] Cum hac libertate, et dignitate.

Oderint] Faernus ex ingenio, *ſuderint*. probo.

Vigeſimus annus eſt] A conſulatu. Eadem querela vſus eſt initio Phil. II.

Itaque ipſi] Rectius opinor, *atque ipſi*.

Circumſeſſus (Ern. *circumſeptus*)] Clodianis temporibus: cum decertare nolui, ſed vrbe ceſſi, ne mea cauſſa cum improbis boni pugnarent. Malim, quod Faerno placuit, *circumſeptus*. nam, *circumſeſſus*, non valet, munitus, ſed, ab inimicis circumuentus.

Non culpae reprehenſionem] Quam ego relinquerem, ſi meam vitam temere proiicerem.

Luci] Antique, pro *luce*.

CAPVT XI.

Cn. Pompeius] Magni pater.

Catone (Ern. *Scatone*)] Velleius lib. II. c. 16. et Appianus lib. I. de bell. ciu.

Scipione] Conſule.

Cum alter] Sulla, qui nobilitatem ciuium armis defendebat.

De ſuffragiis] Populi, quibus non admiſceri libertinos, ſed in quattuor tantum vrbanis tribubus, vt antea, ſuffragium ferre, Sulla volebat: Mariani contra, ſuffragii lationem eis eſſe in omnibus XXXV. tribubus.

De iure ciuitatis] De ciuitate ſociis danda.

Legis (Ern. *leges*)] Quam iis de rebus, vt diſcordiarum cauſſa tolleretur, ferri oporteret.

Non tenuit omnino colloquium illud fidem] Quia Scipionis exercitus, a Sulla corruptus, ducem ſuum reliquit: quem tamen Sulla, cum poſſet interficere, dimiſit incolumem. Epitome lib. LXXXV. Plutarchus in Sulla.

CAPVT XII.

Ergo erimus in caſtris] Nam extra, tutum non eſt.

Legationem confero (Ern. *confecero*)] Quae in legatione agam, vobis expono.

Decem legatis] Qui mittebantur, vt victis gentibus leges darent, eaque regio, quae redacta armis eſſet in populi Romani poteſtatem, prouinciae formam acciperet. Nobis, inquit, non idem, quod illis, permiſſum eſt: ſed noſtra ſententia nihil conſtituere, ad ſenatum reiicere omnia debemus.

Mors autem neceſſitatem habeat fati] Tunc moriamur, cum vitae finem attulerit fatum, quod vitare licet nemini.

Vt leuiſſime dicam] Poſſem dicere: *reiicit*, *odit*, vtpote quae damnum potius, quam fructum afferet: ſed hoc tantum dico: *non deſiderat*, quaſi minime neceſſariam.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
PHILIPPICAM TERTIAMDECIMAM
IN
M. ANTONIVM

ARGVMENTVM

Sententia de mittendis iterum legatis iam abiecta, pacem laudat, ſed eam cum Antonio negat vllam eſſe poſſe. Recitat, et interpretatur Antonii litteras ad Hirtium, Caeſaremque miſſas. Seruilii ſententiam probat de mandatis, litterisque M. Lepidi, ad pacem cohortantis. Sex. Pompeium, quod ſuam, eorumque, quos ſecum haberet, operam ſenatui, populoque Romano pollicitus eſſet, vel eo ſenatus conſulto, quod in Seruilii ſententiam de Lepidi litteris fieret, vel proprio laudandum eſſe cenſet. Et haec abſente Panſa conſule, qui ad collegam Hirtium, et Caeſarem cum iis copiis, quas ipſe ex delectu compararat, profectus erat.

EXPLANATIO

CAPVT I.

Alter Marius] C. Marii filius.

De proximo] Qui ciuile bellum optauit. Caeſarem ſignificat.

Auctorem ipſum iure caeſum fatemur (Ern. *cum ipſum iure caeſum fateamur*)] Phil. II. c. 37. *Ille vir fuit: nos quidem contemnendi, qui auctorem odimus, acta defendimus.*

CAPVT II.

Munatio] T. Munatio Planco Burſa, de quo Phil. VI. c. 4. X. c. 10. XI. c. 6. et in hac.

Barbas Caſſios] Hic Barba Caſſius nominatur lib. XIII. ad Attic. epiſt. vlt.

Eutrapelum] Volumnium, ad quem ſunt epiſtolae duae (32. 33.) lib. VII. Fam.

Seminarium iudicum decuria tertia (Ern. *tertiae decuriae*)] Vide Phil. I. c. 8.

O fidam

O fidam dexteram] Cur pacem ab ea dextera fidam ſperemus, qua plurimos ille ciues trucidauit?

CAPVT III.

Collegam] Dolabellam.

Cum licebit] Niſi quid eos prohibeat.

Vt poſſint (Ern. *tantum enim poſſunt:*) *fortunae culpam non extimeſcere*] Vt poſſint certam ſibi victoriam polliceri.

Vix videntur haec poſſe ſeiungi] Qui enim fortis, idem ſapiens: qui ſapiens, idem fortis.

Parendum eſt enim] Sapientiae praeceptis.

Tamquam pignora iniuriae] Tamquam ea, quae ſi malis retinere, quam libertatem, iniuſte facias. proiice igitur, ne ſint cauſſae, et tamquam pignora iniuriae.

CAPVT IV.

Imperator iterum] Sic ipſe duas epiſtolas (34. 35.) inſcripſit lib. X. Fam. quamquam Phil. V. c. 15. *imperator* ſimpliciter vocatur.

Ad pacem adhortatur] Ad Lepidum ita ſcripſit Cicero lib. X. Fam. epiſt. 27. *Sapientius, meo quidem iudicio, facies, ſi te in iſtam pacificationem non interpones, quae neque ſenatui, neque populo, neque cuiquam bono probatur.*

Magnum Pompeium] Sextum, Magni filium. Phil. V. c. 15.

Ei honores decreui] Statuam equeſtrem inauratam, in Roſtris collocandam. Phil. V. c. 15.

Fratris] L. Aemilii Paulli, qui nouam baſilicam in foro exſtruxerat, veterem maiorum ſuorum inſtaurarat. lib. IV. ad Attic. epiſt. 16. Plutarchus in vita Aemilii Paulli.

Vxor] M. Bruti ſoror.

Silentio] Sine bello.

CAPVT V.

Inimicus victor] Caeſar.

Sed hanc] *Sed*, locum non habet, et ortum eſt fortaſſe per errorem ex antecedente ſyllaba.

De Falerno] Fundo Cn. Pompeii, quem Antonius poetae cuidam, qui Anſer vocabatur, eratque cum ipſo Antonio in caſtris, dono dedit. Seruius in Virgilii ecl. IX. v. 36.

Plures] Qui Pompeii bona tenent.

Illud ſepties millies] Quod a Caeſare ad Opis depoſitum Antonius abſtulit.

Adoleſcenti] Sex. Pompeio.

Spopondiſtis] Non, ſpopondiſtis illud ſepties millies adoleſcenti: ſed, quod vos eſſe facturos adoleſcenti ſpopondiſtis. refertur enim ad illud, *ita deſcribite.*

Populus Romanus] Creabit augurem Sextum in locum patris. Hoc tempore ſacerdotia populi ſuffragiis mandabantur.

Vt, quod a patre accepi, filio reddam] Me enim augurem pater eius nominauit. Phil. II. c. 2.

CAPVT VI.

Legati] Miſſi a ſenatu ad Sextum.

Veteranorum] Qui cum Octauiano Mutinam profecti erant: quibus odioſum fuiſſe Pompeii nomen, veriſimile videtur.

CAPVT VII.

Alienis exemplis] C. Caeſaris, qui rempublicam occupauit. Vide, ne malle videaris alienos imitari, quam tuos.

Quat-

Quattuor conſules] Panſam, et Hirtium, gerentes magiſtratum: Brutum, et Plancum, deſignatos.

CAPVT VIII.

Lupercalibus] Idem narrat Phil. V. c. 14.

Nunc municipium] Rectius videtur, *municipum*.

Trucidauit] De hac Antonii crudelitate Phil. III. c. 2.

CAPVT IX.

Recidere in memoriam pueritiae ſuae] Phil. III. c. 6. *In Caeſarem vt maledicta congeſſit, depromta ex recordatione impudicitiae et ſtuprorum ſuorum?*

De circumſcribendo] Vt Caeſar adoleſcens hoſtis iudicaretur. Phil. V. c. 9.

Delata] Ad aerarium. Phil. V. c. 4. *Senatus conſulta numquam facta ad aerarium deferebantur.* Phil. XII. c. 5. *Senatus conſulta falſa delata ab eo iudicauimus.*

Quam ſcripta] Scribi ſolebant in ſenatu, vt ſupra diximus, deinde ad aerarium deferri. Antonius, qui abire properaret, ita celeriter ea ſenatus conſulta ad aerarium detulit, vt delata citius, quam ſcripta viderentur.

CAPVT X.

Anni vertentis] Vertentem annum decem menſium fuiſſe, Varro, Suetonius in Iulio c. 40. Cenſorinus c. 20. alii prodiderunt.

Seduxit] Ad Trebonium, lib. X. Fam. epiſt. 28. *Quod vero a te, viro optimo, ſeductus eſt, tuoque beneficio adhuc viuit haec peſtis: interdum, quod mihi vix fas eſt, tibi ſubiraſcor.*

Ex Fadia] Libertini hominis filia. Phil. II. c. 2. et III. c. 6.

CAPVT XI.

Mentum, mentemque] Παράγραμμα Graeci vocant, cum vnius litterae mutatione ſententiae lepos acquiritur. infra c. 12. *Homo diruptus dirutusque.*

Puerum appellat, quem non modo virum, ſed etiam fortiſſimum virum ſenſit, et ſentiet] Modus amplificandi, vt pro domo c. 32. *Et tu vnus peſtifer ciuis, eum reſtitutum negas eſſe ciuem, quem eiectum vniuerſus ſenatus non modo ciuem, ſed etiam egregium ciuem ſemper putauit?* Orat. II. in Rullum c. 31. *Totus ager Campanus colitur et poſſidetur a plebe, et a plebe optima et modeſtiſſima.*

Si quis acutior] A contrario ſenſu. minime enim acutus, qui alterum ita obſideat, vt obſideatur ipſe, neque ſe ab obſidione, ſi cupiat, poſſit explicare.

Vt priora] Quae pro iis feciſtis, qui me oderunt, atque inſequuntur, cupidum vlciſcendae Caeſaris necis.

CAPVT XII.

Duo praetores] Cenſorinus, et Ventidius: quos paullo ante, vt inter amicos Antonii ceteris omnibus dignitate praeſtantes, nominauit.

Aliquid] Ex beneficiis Caeſaris.

Philadelphus Annius] Libenter diſtinguerem: vt duo ſint. infra c. 13. Exitii frater Philadelphus appellatur. qui ſi frater germanus, aut patruelis fuit; non Anniae gentis, ſed Exitiae fuerit, neceſſe eſt. Annius autem,

tem, qui cum Antonio fuit, non Philadelphi, ſed Cimbri cognomine vſus eſt. vide Phil. XI. c. 6.

Innocens] Minime innocens.

Gallius] Fuit in Antonii partibus M. Gallius, Suetonio in Tiberio c. 6. et Appiano lib. III. de bell. ciu. auctoribus.

Laterum, et vocis meae] Quis non videt, haec ad Beſtiam, non ad Coricum, eſſe referenda? accuſatus eſt enim Beſtia de ambitu, defenſusque a Cicerone: vt lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 3. Damnatum exiſtimo ex iis verbis Phil. XI. c. 5. *Quam abſurdum, qui praetor fieri non potuerit, eum petere conſulatum? niſi forte damnationem pro praetura putat.* Omnino verbum aliquod, et fortaſſe, *teſtis*, deſiderari crediderim: vt ſit: *Laterum, et vocis meae teſtis Beſtia.*

Fidei patronus] De Trebellio dictum: qui cum, oppugnanda lege de tabulis nouis, quam Dolabella tribunus plebis ferebat, fidei ſe patronum profeſſus eſſet, poſtea creditores ipſe fraudauit. Phil. VI. c. 4. *O fides: hoc enim puto Trebellium ſumſiſſe cognomen. quae poteſt eſſe maior fides, quam fraudare creditores? domo profugere? propter aes alienum ire ad arma?*

Diruptus, dirutusque] Παράγραμμα, vt ſupra c. 11. *mentum, mentemque. Diruptus:* morbo haerniae. *Dirutus:* aere alieno. Lib. V. in Verr. c. 13. *Aere dirutus eſt.*

Cotyla Varius] *Hominem aedilicium* Cotylam vocat Phil. VIII. c. 8.

Deliciarum cauſſa] Vt ei delicias faceret. Iniuriam Antonii quaſi ſtudium in Cotylam nominat. idem Phil. VIII. c. 8.

Populi Romani] Qui ſtatuam ei poſuit. Phil. VI. c. 5.

In porta] Quae Hoſtilia dicebatur. iure igitur quodam ſuo in porta nomen ſuum inſcripſit.

Imperatorem ſuum] Caeſarem adoleſcentem, aut D. Brutum potius, quam Hirtium.

Temperantem] Aquam temperant balneatores. balneator autem fuerat Viſeius. quem cum latronem Cicero appellaſſet; quaſi probrum emendare cupiens, ſubiunxit: *quem tamen temperantem.* vt laudem temperantiae conferre in eum videatur: cum ignobilitatem, vitaeque ſordes obiiciat.

Alii tribunicii] Tribunus plebis fuit Plancus, quo anno Clodius a Milone occiſus eſt: auctorque fuit, vt Clodii corpus in curia plebs cremaret: quo incendio curia quoque ipſa conflagrauit: eo crimine lege Pompeia de vi damnatum Caeſar reſtituit. Phil. X. c. 10. XI. c. 6.

Aquilae fertur acceptum] Qui eum, crure fracto, Polentia expulit. Phil. XI. c. 6.

CAPVT XIII.

Muribus] *Mus*, Deciae gentis cognomen fuit. Liuius lib. VII. c. 21. lib. VIII. c. 3. lib. X. c. 7. et 9. Frontinus de aquae ductibus c. 5. Faſti Capitolini.

Caeſaris munere] Qui eum exſulem reſtituit, fortaſſe etiam in ſenatum allegit.

Saxam vero Decidium] Nominatur et ſupra ſaepe, et a Caeſare lib. I. de bell. ciu. c. 66. et ab Appiano in Syriaco.

Ex vltimis gentibus] *Ex vltima Celtiberia*, dixit Phil. XI. c. 5. *Accedit*, inquit, *Saxa, neſcio quis, quem nobis Caeſar ex vltima Celtiberia*

tiberia tribunum plebis dedit, caſtrorum antea metator, nunc, vt ſperat, vrbis.

Alter] *Alter*, de duobus dici conſtat: erant autem duo Safernae fratres, quos nominat is, qui bellum Caeſaris Africanum compoſuit, c. IC. eorum alter Antonium in Galliam ſecutus eſt.

Vt in eorum praenominibus errem] Ideo iis non vtitur. ſolis enim Coelio, et Planco addit praenomina.

Mutauit calceos] Calcei ſenatorii differebant a communibus.

Neminem tam maledicum offendi]. Quem laudare videtur, vituperat, ioci et argutiae cauſſam quaerens ex Antonii ſenatu. Maledici homines detrahunt: ſed Aledius is vir eſt, vt neminem tam maledicum inuenerim, qui negaret Antonii ſenatu dignum eſſe. qualis autem Antonii ſenatus eſſet, mentio eorum, qui cum eo erant in iisdem caſtris, perſpicue demonſtrauit.

Decem fuimus conſulares] Vndecim cum ipſo infra c. 14. nominantur.

In ceteris] Conſularibus, qui erant in ſenatu Pompeiano.

CAPVT XIV.

Duos conſules] C. Marcellum, L. Lentulum, Pompeii comites, vrbem primum, deinde Italiam relinquentis.

CAPVT XV.

Varo bis capto] Sex. Quintilio Varo, quem Caeſar ſemel Corfinii ceperat, iterum, opinor, in Africa, deuicto Scipione. nam in Africa fuit cum Accio Varo, quo tempore C. Curio cum exercitu caeſus eſt: nec fortaſſe poſt illam victoriam ex Africa diſceſſit, donec, renouato in ea prouincia bello, duce Pompeii ſocero Scipione, Caeſar, traiectis eo copiis, eadem fortuna vſus, aduerſarios deuicit.

Cum Caio fratre] Ita nobiscum queritur, quaſi cum ſui ſimillimo Caio fratre litiget: auctoritatis, dignitatisque noſtrae rationem nullam habet.

Caſcam] Seruilium Caſcam, vnum e Caeſaris percuſſoribus.

Vt Marullum, vt Caeſetium] Tribunos plebis: quos Caeſar a republica remouerat, quia, cum ſtatuae ſuae coronam lauream faſcia candida praeligatam neſcio quis e turba impoſuiſſet, faſciam detrahi, hominemque duci in vincula iuſſiſſent. Suetonius in Iulio c. 79. Plutarchus in Caeſare, Appianus lib. II. de bell. ciu. Dio lib. XLIV.

Vt neque idem hoc] Ne accidere poſſet id, quod acciderat Marullo, et Caeſetio, quos Caeſar poteſtate priuauerat.

Conſecuti ſumus] Caeſarem enim occidit.

Vectigalia Iuliana Lupercis ademiſtis] Lupercis vectigal Caeſar dederat, eo mortuo, ſenatus ademit. vtrum autem vectigal illud omnibus Lupercis, an iis tantum, quos ad eius honorem decretos eſſe Suetonius, et Dio narrant, Caeſar conſtituerit, exploratum non habeo. tantum illud conſtat, Iuliana vectigalia recte dici, quia ſint a Iulio Caeſare data. recitat enim Nonius haec verba Ciceronis ex epiſtola ad Caeſarem iuniorem: *Cum conſtet, Caeſarem Lupercis id vectigal dediſſe.*

Illius diei] De Antonio conſule Luperco diadema Caeſari imponente,

ponente, deque eius ad populum concione, vide Phil. II. c. 34.

Deductas lege] Lege Caeſaris, ipſo viuo.

Lege comitiis centuriatis lata] A Panſa conſule, vt omnia Caeſaris acta, non coloniae tantum ab eo deductae, rata eſſent. Phil. X. c. 8. *Scilicet hoc Panſa aut non videt, (hebeti enim ingenio eſt) aut negligit. quae enim Caeſar egit, ea rata eſſe non curat: de quibus confirmandis et ſanciendis legem comitiis centuriatis ex auctoritate noſtra laturus eſt.*

Tamen eos, qui erant perditi] Qui te ſecuti ſunt.

In eumque locum deduxeris] Non, quod ad Mutinam deducti eſſent: ſed in eum locum, id eſt, in eum errorem: quo modo dixit Coelius ad Ciceronem lib. VIII. Fam. epiſt. 16. *Etiam atque etiam, Cicero, cogita, ne te tuosque omnes funditus euertas: ne te ſciens, prudensque eo demittas, vnde exitum vides nullum eſſe.*

Ademta] A Caeſare, bello victis.

Facilis] Iniuſtum fuiſſe bellum illud ſignificat. cur autem, quod iniuſtum bellum fuit, eo bello ademta victis non reddantur? facilis haec quidem disputatio, ſed omittatur, quia non neceſſaria.

CAPVT XVI.

Non debemus illam Hirtii legem putare] Sed Caeſaris, cuius eam iuſſu tulerit Hirtius praetor.

Brutum] Marcum. Phil. X. c. 11. *De M. Appuleio ſeparatim cenſeo referendum: cui teſtis eſt per litteras M. Brutus, eum principem fuiſſe ad conatum exercitus comparandi.*

Securi percuſſos] Fortaſſe a M. Bruto, qui erat in Graecia: et hi Graeculi vocantur.

Ser. Galbam] Vnum ex iis, qui Caeſarem occiderunt, Sulpiciae gentis, proauum, teſte Suetonio in Galba c. 3. Galbae imperatoris. eius exſtat lib. X. ad Ciceronem epiſtola (30.) de proelio ad Mutinam commiſſo.

Eodem pugione] Quo Caeſarem percuſſit.

Contraxiſtis] Hirtium alloquitur, et Caeſarem, ſed Caeſarem praecipue, qui veteranos contraxerat, et ad quem legio Martia, et Quarta transierat.

Quaeſtoris ſui] Quaeſtor Caeſaris Antonius fuerat in Gallia. Phil. II. c. 20.

Imperatoris] Dux eorum ciuili bello fuerat Antonius: cui Pharſalica etiam pugna ſiniſtrum cornu Caeſar praebuit.

Commilitonum ſuorum] Eorum veteranorum, qui mecum ſunt.

Ignorabant (Ern. *nec ſciebant*) *veterani*] Neſciebant videlicet, armari ſe contra tuos perditos conatus reipublicae cauſſa. Haec omnia cum ironia potius, meo quidem iudicio, quam cum interrogatione, ſunt pronuncianda.

CAPVT XVII.

O miſer cum re, tum hoc ipſo, quod non ſentis, quam miſer ſis] Similiter Phil. II. c. 7. *O miſerum, ſiue illa tibi nota non ſunt, nihil enim boni noſti, ſiue ſunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare!* Et in eadem infra c. 22. *O miſerum te, ſi intelligis! miſeriorem, ſi non intelligis, hoc litteris mandari, hoc memoriae prodi.*

Quibus adhuc omnia integra ſunt] Nondum enim contra me in

in aciem deſcenderunt: licet iis, vtram velint, partem adhuc ſequi. Refellit hoc Cicero, et oſtendit, iis, qui Antonium tanto ſtudio, conſenſuque reliquerint, integra iam omnia non eſſe: vnum quidem illud vere integrum iis eſſe, vt ipſum Antonium oppugnare incipiant, quem iam transeuntes ad Caeſarem offenderint. Sic enim lego, non vt alii, *defenderint*. quod ad D. Brutum referri non poteſt: quem veterani armis defendere nondum coeperant. nondum enim Mutinam peruenerant. infra c. 19. *Quod ſpectaculum adhuc ipſa fortuna vitauit.*

Aſſentationibus] Senatus.

Venenatis muneribus] Honoribus, qui exitio vobis erunt.

Imperatorem] D. Brutum.

Reliquerunt] Ironia.

Non Dolabella prius imperatori ſuo] Non prius Dolabella imperatori ſuo Caeſari Trebonii nece parentaſſet, quam Antonius eidem Caeſari, collegae ſuo, D. Bruto interfecto.

Conditiones] Quae Phil. VIII. c. 8. 9. exponuntur.

Putare] Hoc abundat, cum dixerit, *credere*.

CAPVT XVIII.

Cum turpiſſimis reipublicae ſordibus] Cum ſummo reipublicae dedecore. hoc enim dici arbitror.

Priuati] Quo maior iniquitas. propterea Phil. V. c. 19. ita cenſuit Cicero: *Vti C. Panſa, A. Hirtius, conſules, alter, amboue rationem agri habeant, qui ſine iniuria priuatorum diuidi poſſit.*

Decempedator] Decempeda agros metiebantur, et diuidebant. Phil. XIV. c. 4. *Quam iam peritus metator, et callidus decempeda ſua Saxa diuiſerat.*

Perſequimur (Ern. *perſequamur*)] Nihil muto. eſt enim ex Antonii verbis deducta ſententia.

Silentio] Satis eſt, non laudari eos, qui pulcherrimum illud facinus conſciuerunt.

CAPVT XIX.

Laniſta Cicerone] Quaſi ciues ita inter ſe committeret: vt laniſta gladiatores, eorum magiſter.

O praeclarum lucrum] Lucrum nobis eſſe non poteſt victore te. cuius tanta crudelitas eſt, vt eorum beata mors futura ſit, qui e vita exceſſerint ſine tormentis.

Lupercalibus] Quo die tu illum diademate impoſito, quantum in te fuit, regem conſtituiſti. Phil. II. c. 34. III. c. 5.

Flaminium cur reliquiſti] Legimus Phil. II. c. 43. flaminem Caeſaris, quem ſenatus ei tamquam deo decreuit, M. Antonium fuiſſe. legimus et Phil. XI. c. 8. cum L. Valerius Flaccus conſul idemque flamen Martialis, ad bellum iturus eſſet, P. Craſſum, eius collegam, qui pontifex max. erat, ei multam dixiſſe, ſi a ſacris diſceſſiſſet, flaminemque pontifici iuſſu populi paruiſſe. Cur tu igitur, inquit Cicero, flaminio Caeſaris relicto, ad bellum profectus es?

Sedibus ſuis] Agris a Caeſare aſſignatis. hoc ad conciliandos ſibi veteranorum omnium animos: cum re vera de iis tantum laboraret, qui cum ipſo erant.

Metuam numquam] Numquam fore credam ſocium furoris tui. aut nobiſcum erit, aut quieſcet. Vel, *metuam numquam*, quia non is eſt, qui nocere poſſe videatur.

Reuocare te a furore Lepidus voluit] Cum de pace egit.

Propter tuam diuinam pietatem] Quaſi tibi nouum verbum ab ea virtute liceat deducere, qua tu praeter ceteros excellis.

Plancum] L. Plancum, conſulem deſignatum, qui Galliam vlteriorem regebat. Phil. V. c. 2.

CAPVT XX.

Vos potius] Vos Caeſariani. nam Hirtium, et Caeſarem adoleſcentem alloquitur.

Praecipias, licet, gaudia] Antonii verba ad aliam ſententiam Cicero conuertit. ille ſcripſerat: *Praecipio gaudia ſuppliciorum veſtrorum.* Hoc Cicero non confirmat: male enim ominaretur Hirtio, et Caeſari: ſed eum praecipere gaudia vult, quia cum vniuerſa republica, non cum Pompeianis, vt ille ſignificauerat, bellum gerat: quo victus, aequiore animo, et maiore conſolatione moriatur.

C. Panſam] Ergo Panſa ab vrbe diſceſſerat, vt ſe cum Hirtio, et Caeſare coniungeret.

Patrias] Patris ſui, a Decimo interfecti.

CAPVT XXI.

Bene me nouit] Ipſum enim cum P. Seruilio ſenatus legatum delegerat.

Bellum quo veniat] Putat me non iturum eſſe, quo bellum erat. in quo bene me nouit.

Exemplo Dolabellae] Qui per ſummum ſcelus, ſummamque perfidiam Trebonium proconſulem occidit.

Flamma] Miſceatur.

Vnde Antoniorum nec facta, nec nomen audiat] Sumſit a vetere poeta, vt ad Curium lib. VII. Fam. epiſt. 30. *Hinc ipſe euolare cupio, et aliquo peruenire, vbi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam.*

Eiectos] Quia metu Caeſaris Octauiani, ad quem duae iam legiones, Martia, et Quarta, tranſierant, vrbem reliquit Antonius.

Retentos] Quia Mutinenſi obſidione implicatus, diſcedere ſine periculo non poteſt. ſupra c. 9. *Eique in Galliam penetranti Decimus ſe Brutus obiecit: qui ſe totius belli fluctibus circumiri, quam illum aut regredi, aut progredi maluit, Mutinamque illi exſultanti tamquam frenos furoris iniecit.*

Quos ſecum haberet] Hic malim, *habet:* et infra, *pollicitus eſt.*

Cum hoc ſenatus conſulto] De litteris Lepidi.

PAVLLI

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
PHILIPPICAM QVARTAMDECIMAM
IN
M. ANTONIVM

ARGVMENTVM

Allatis de proelio ad Mutinam commiſſo, Antonioque victo litteris conſulum, et Caeſaris, M. Cornutus, praetor vrbanus, qui conſulare munus, abſentibus conſulibus, more maiorum ſuſtinebat, cum ſenatum vocaſſet, easque litteras recitaſſet, ſententias rogauit. quid alii cenſuerint, qui ante Ciceronem rogati ſunt, obſcurum eſt: vnus tamen ex iis, redeundum, ſagis depoſitis, ad togas, idemque fortaſſe, decernendam conſulibus, et Caeſari ſupplicationem, cenſuit. Sententia vero Ciceronis haec fuit: non eſſe mutandum veſtitum, niſi D. Bruto, cuius cauſſa ſaga ſumta eſſent, liberato: Antonium, quique vna eſſent, hoſtes iudicandos: ſupplicationem quinquaginta dierum communiter tribus ducibus decernendam: milites eos, qui pro republica pugnantes interierunt, monumento quam ampliſſimo cohoneſtandos, quaeque iis praemia ſenatus promiſerat, ea parentibus, liberis, coniugibus, fratribus eorum perſoluenda.

EXPLANATIO

CAPVT II.

Tum (Ern. *a*) *primis peſtibus rempublicam liberaſſet*] Particula, *tum*, ſatis mihi videtur otioſa: et malim reponere, *cum*, conſentientibus aliquot antiquis libris: vt ita legatur, et diſtinguatur: *Caeſar cum exercitu per ſe comparato, cum primis peſtibus rempublicam liberaſſet, ne quid*, etc. *Primas peſtes* vocat, Antonii reditum a Brundiſio.

CAPVT III.

Sanguine] Militum Antonii.

Vel madefacti potius] Minus eſt, *madefacti*, quam, *imbuti*.

 correctio-

correctione vſus eſt, vt legionum gladios nondum ſatiatos eſſe oſtenderet hoſtium ſanguine.

Clariſſimus vir] Qui ſupplicationem decreuerat, P. Seruilius, vt infra c. 4.

Internecini] Capitalis, exitioſi, in quo non, vtri vincant, ſed vtri ſint, agitur: ſalus ipſa petitur, non imperium, aut gloria.

Quattuor conſulibus] Panſae, et Hirtio, conſulatum gerentibus: Bruto, et Planco, conſulibus deſignatis.

Quamquam ruit ipſe ſuis cladibus] Quamquam, quas nobis denunciat clades, iis ipſe ruit. Faernus aliter: non diſputo quam recte: tantum dico, non libenter me facere, vt, cum antiquis libris congruente ſententia, mutationem quaeram.

Quod nulla barbaria poſſit (Ern. *poſſet*) *agnoſcere*] Quod ipſis etiam barbaris nimium crudele videatur. Vſitatum loquendi genus.

Hic ipſe Iuppiter] Cuius in templo ſenatus habebatur. infra c. 10. *Hoſtes nefarios, huic Iovi maximo, ceterisque deorum immortalium templis, vrbis tectis, libertati populi Romani, noſtrae vitae ſanguinique imminentes, proſtrauit, fudit, occidit.*

Crudeliſſimis exemplis interemit] Iis tormentis excruciatos, quae exemplo eſſe poſſint. Terentius in Eun. act. V. ſc. 6. v. 21.

— *Vterque in te exempla edent.*

Caeſar lib. I. de bell. Gall. c. 31. *In eos omnia exempla cruciatusque edere.*

Proludium (Ern. *propudium*)] Aſſentior Ferrario, *propudium*, non *proludium*, probanti.

CAPVT IV.

Peritus metator] Caſtrorum. Phil. XI. c. 5. *Accedit Saxa, neſcio quis, quem nobis Caeſar ex vltima Celtiberia tribunum plebis dedit, caſtrorum antea metator, nunc, vt ſperat, vrbis.*

Quid hoc biduo timuerimus] Rumore de Antonii victoria ab eius amicis diſſipato.

Haec a quibus timebantur, eos hoſtes appellare dubitamus? grauius ſi quis attulerit nomen, libenter aſſentiar] Ex inopia nominis rei magnitudo demonſtratur, vt lib. V. in Verr. c. 66. *Verbo ſatis digno tam nefaria res appellari nullo modo poteſt.* Orat. II. in Rullum c. 14. *Verbum mihi deeſt, Quirites, cum ego hanc poteſtatem regiam appello. ſed profecto maior eſt quaedam.*

CAPVT V.

Hac conſuetudine, quae increbuit] Intelligitur, apud maiores diuerſam conſuetudinem fuiſſe, nempe imperatorem non appellari ſolitum, qui mille tantum, duoue hoſtium millia occidiſſet.

Huius vrbis liberatores] Panſa, Hirtius, Caeſar.

Iniuriae dolor] Quae ſignificetur iniuria, ſequentibus verbis oſtenditur.

Per idus Quintiles] Hic dies, quo ſenatus propter conſulum, Caeſarisque litteras habitus eſt, fuit XI. Kal. Mai. vt ex epiſt. 3. ad

ad M. Brutum liquet: ſcripſit enim ad eum Cicero, nuncium victoriae XII. Kal. Mai. allatum eſſe. poſtridie autem ſenatus fuit. qui poteſt igitur locum habere mentio Quintilis menſis? hoc Ferrarius cum vidiſſet, opem a coniectura quaeſiuit, et pro, *per idus Quint.* legendum putauit *pridie Vinalia:* nam Vinalia fuere X. Kal. Mai. Acute Ferrarius: nec ego diſſentio: quamquam non omnis eiusmodi coniectura eſt, vt ſcopum veritatis attingat.

Deſcenſurum] In forum, nam in collibus habitabant. ſic Horatius lib. III. Carm. ode 1. v. 10.

— *Hic generoſior*
Deſcendat in campum petitor.

Aliquemne in peius (Ern. *in aliquem credo hoc gladiatorem*)] Hic mihi tenebrae ſunt: nec quae Ciceronis mens fuerit, nec qua progrediar ad emendandum via, ſatis liquet. Faerni liberior, quam deceat, coniectura fuit: legebat enim: *Credo hoc in aliquem impium, in gladiatorem*, etc.

CAPVT VI.

Ad illam curiam] Hoſtiliam, quae erat, vt ait Varro lib. IV. de ling. Lat. ante Roſtra.

Viribus potius ſuis] Viribus impiorum ciuium infelicem: perdidit enim eos, quorum olim opera ſimul cum P. Clodii corpore cremata fuerat. ſignificat eorum calamitatem, qui cum ſeditionis duces fuiſſent, plebemque ad cremandum in Curia Clodii corpus impuliſſent, quo igne ſimul ipſa curia flagrauit, eo crimine in exſilium miſſi ſunt. ii fuerunt praecipue T. Plancus, Q. Pompeius, Sex. Clodius.

Fons aperietur] Fontem huius ſceleris virum conſularem, virtuti et gloriae Ciceronis inuidentem, ea, quae ſequuntur, oſtendunt: eaque non in quemquam magis, quam in Q. Fuſium Calenum, Antonii procuratorem, defenſoremque perpetuum, ſuſpicio cadit.

Craſſus] L. Craſſus, orator ſummus.

CAPVT VII.

Optatius] Quam vt me vincas.

Malis ſententiis vinci non poſſum] Quia non contenderim: male enim de republica ſentire, meum non eſt. bonis autem ſententiis ſi vincar, in quibus contendam ne vincar: me quidem non accidet inuito. a quo enim fructum respublica maiorem capiet, ei principatum libenter concedam.

Ante diem XIII. Kal. Ian.] Quo die tertiam Philippicam habuit, referentibus nouis tribunis plebis de praeſidio conſulum deſignatorum.

Principem reuocandae libertatis fuiſſe] Non enim de praeſidio ſolum conſulum deſignatorum, ſed de tota etiam republica ſententiam dixit. vere igitur libertatis reuocandae princeps fuit. quod etiam gloriatur ad Cornificium lib. XII. Fam. epiſt. 25. his verbis: *Ego, mi Cornifici, quo die primum in ſpem libertatis ingreſſus ſum, et cunctantibus ceteris, ad XIII. Kal. Ian. fundamenta ieci reipublicae, eo ipſo die prouidi multum, atque habui rationem dignitatis tuae.*

Conſules deſignati] Cum de ſententiis loquatur, quas a Kal. Ian. dixit, miror, cur *deſignati conſules* Panſa et Hirtius vocentur: ac vereor, ne verbum, *deſignati*, additum ex inſcitia ſit interpretis imperiti.

CAPVT VIII.

De numero ſententiarum ſuſtulerunt] Diſceſſionem enim in eam facere noluerunt.

Collega] Conſulatum ſecundum cum Seruilio Caeſar geſſit, quo anno Pompeium vicit in Pharſalica.

Nam mihi conſuli ſupplicatio] Hanc ſupplicationem togato Ciceroni, Catilina vrbe pulſo, ſociis eius in vrbe comprehenſis, decreuit M. Cato: vt ad eum ſcripſit Cicero lib. XV. Fam. epiſt. 4.

Quod, praeter Gabinium, contigit nemini] In oratione de prouinciis c. 6. *Quae enim homini, in quo aliquis ſi non famae pudor, at ſupplicii timor eſt, grauior poena accidere potuit, quam non credi litteris iis, quae rem bene geſtam in bello nunciarent? Hoc ſtatuit ſenatus, cum frequens ſupplicationem Gabinio denegauit*, etc. Lib. II. ad Q. Fr. epiſt. 8. *Idibus Maiis ſenatus frequens diuinus fuit in ſupplicatione Gabinio deneganda. Adiurat Procilius hoc nemini accidiſſe.*

CAPVT IX.

Quod ergo ille re] Quod Panſa, Hirtius, Caeſar re iudicauerunt: quia tamquam cum hoſtibus pugnarunt.

Honoris ampliſſimi] Conſulatus.

Deorum beneficio reipublicae procreatum] Phil. III. c. 2. *Qua peſte rempublicam priuato conſilio (nec enim fieri potuit aliter) Caeſar liberauit. qui niſi in hac republica natus eſſet, rempublicam ſcelere Antonii nullam haberemus.*

A membris et viſceribus auertit] Morte enim ipſa contentus non fuiſſet Antonius: prius vnumquemque omni crudelitatis genere cruciaſſet. Mortem Cicero ſignificat, cum dicit, *a iugulis*. tormenta, cum ſubiungit, *a membris, et viſceribus.*

Legione Martia] Quam ei, quo tutius in caſtra venire poſſet, obuiam Hirtius miſerat. ſic enim Galba ad Ciceronem ſcripſit lib. X. Fam. epiſt. 30.

Cuius ſi acerrimum impetum cohibere (Ern. *Panſa*) *potuiſſet*] Idem Galba ſcripſit hoc: *Cum equites Antonii apparuiſſent, contineri neque legio Martia, neque cohortes praetoriae potuerunt: quas ſequi coepimus coacti, quando eas retinere non poteramus.*

CAPVT X.

Duas legiones] Viginti cohortes.

Conſtituta ex veteranis] Quos Caeſar adoleſcens collegerat.

Qui Caeſaris beneficia ſeruaſſent] Nam qui ea comederant, rerum nouarum ſtudio tenebantur. Phil. XI. c. 14. et XIII. c. 2.

Cum tribus Antonii legionibus] Secunda, quarta, trigeſima quinta: quarum primas duas in epiſtola ſua Galba nominat, quartam vero Aſinius Pollio lib. X. Fam. epiſt. 33. nam quinta Antonii

tonii proelio non interfuit: vt idem Pollio.

Huic Ioui maximo] Cuius in templo ſenatus habebatur. ſupra c. 3. *Quaeque eſſet facturus in hac vrbe, niſi eum hic ipſe Iuppiter ab hoc templo, atque his moenibus repuliſſet,. declarauit in Parmenſium calamitate.*

Spem nominis eius] Vt aliquando ob victoriam imperator appellaretur.

Noſtri decreti] Quo imperium ei detulimus.

Caſtra multarum legionum] Quae multarum legionum praeſidio indigebant: quibus tutandis opus eſſe multis legionibus videbatur.

CAPVT XI.

Ipſa ſententia] Omnino neceſſarium hoc non eſt, nec tamen, vt Faerno placuit, delendum videtur: cum praeſertim paullo poſt c. 14. idem dixerit: *Sed vt aliquando ſententia complectar, ita cenſeo.*

Hodierno ſenatus conſulto] Quo ſupplicationes L dierum tribus ducibus decernimus.

Honorem coniungi] Cum honore ſupplicationum, qui ducibus defertur.

Quibus ſenatus fides praeſtatur] Vt de ſolutione non dubitent. praeſtatur autem et ſuperiore ſenatus conſulto, quo promiſimus, et hoc hodierno, quo promiſſa renouantur. Ad Lentulum lib. I. Fam. epiſt. 7. *Placebat illud, vt, ſi rex amicis tuis, qui pecunias ei crediſſent, fidem ſuam praeſtitiſſet; et auxiliis eum tuis, et copiis adiuuares.*

Quorum alterum] Monumentum ampliſſimum.

Alterum] Vt quae ipſis promiſſa fuerant, ea parentibus, liberis, coniugibus eorum tribuantur.

CAPVT XII.

Pignerari] Sibi quaſi ſuos aſſumere. nam in acie fortiſſimi quique moriuntur.

CAPVT XIV.

Legiones tironum] Quattuor, vt ſcripſit Galba, quas ex delectu Italiae conſul Panſa comparauerat.

M. Cornutus] De quo lib. X. Fam. epiſt. 12.

Sine vlla retractatione] Sine vlla detrectatione: cum nihil ſe ipſi reuocarent, nulla dubitatione conſiſterent. Tuſc. V. c. 29. *Veterem Academiam hortari videbare, vt ſine retractatione libere dicere auderent, ſapientes eſſe ſemper beatiſſimos,*

Faciundumque (*que* ab Ern. abeſt) *curent*] Sic Ferrarius et recte: nam verbum, *curent*, omnino ſententia requirit. ſic Phil. IX. c. 7. *Quantique locauerint, tantam pecuniam redemtori attribuendam ſoluendamque curent.* Nec vero, quin, *quaeſt. vrb.* id eſt, *quaeſtoribus vrbanis*, addendum ſit, dubito. niſi enim addatur, quo referetur, *iubeant?* certe cura eius dandae, attribuendae, ſoluendae pecuniae ad quaeſtores vrbanos pertinebat: quod Phil. IX. c. 7. in Sulpicii monumento cognoſcitur. antiqua vero ſcriptura cum alii pro, *curent*, ſcripſiſſent, *querent*, alii

alii pro, *quaeſtores vrbanos, q. vrb.* vtrumque ſimul implicauit ex litterarum ſimilitudine, effecitque, vt alterum quaſi ſupervacaneum omitteretur: cum ſit vtrumque neceſſarium. nam et illud, *locandum, faciendumque,* ſuum verbum deſiderat, nec vllum niſi, *curent,* addi poteſt, cum ex conſuetudine Latini ſermonis, tum etiam ex ipſis antiquis litteris, *q. vrbem:* et quaeſtorum vrbanorum in eroganda pecunia publica quam ſit vſitata mentio, ſexcentis intelligitur exemplis.

Vtque] Malim, *vtique*, magis enim redolet antiquitatem. nam Phil. IX. c. 7. *Vtique C. Panſa, A. Hirtius, conſules.* Et ibidem infra: *Vtique locum ſepulcro in campo Eſquilino.* Et in ſenatus conſulto, quod Coelius ad Ciceronem miſit, lib. VIII. Fam. epiſt. 8. *Vtique eius rei cauſſa per dies comitiales ſenatum haberent.* Eodemque modo in reliquis ſenatus conſultis, quae apud Frontinum leguntur. Iam ſcriptor antiquus L. Piſo apud Gellium lib. VI. c. 9. *ſellam,* inquit, *curulem iuſſit ſibi afferri, eam in limine appoſuit, ne quis illorum exire poſſet; vtique ii omnes inuiti viderent ſeſe in ſella curuli ſedentem.*

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM

Numerus paginam, litterae a b *columnas denotant:*

A

A, abſoluendi nota in iudiciis, 69 a 116 a 838 a
Ab, loco *pro*, 73 b
Abiicere, vbique tamquam in odioſa re vſurpatur, 919 b
Abit res ab aliquo, quid ſignificet, 175 a 228 b
Abſcindi, quae dicantur, 784 b
Accenſi erant liberti, 62 b 162 b
Accerſere, et *arceſſere* idem valent, 989 b
P. Accius Varus Mundenſi proelio a Caeſare victus interiit, 898 a
Accommodare, et *accommodatio*, 235 b
Accuſabat prior is, qui breuiorem ad inquirendum diem poſtulaverat, 135 a
Accuſatio decet adoleſcentes potius, quam viros, 99 a ſequebatur nominis delationem, 109 a accuſationes quae laudentur, 103 b
Accuſator priore loco dicere debet, 9 a eius non eſt confutatio, 854 ab eo fides et diligentia poſtulantur, 152 b in eo ſimul cum eloquentia requiritur integritas, 108 a ſi is eſt, de quo non bene homines exiſtiment, valde accuſationem debilitat, 913 a
Acerbum, et *graue*, quid differant, 102 b
Acroama, quid, 251 b 535 a 716 a
Acta, quid, 271 b 281 a
Actio, et *formula*, ſunt idem, 468 a 472 b *actiones*, formularum libri, *ibid.* actiones aliae iurisconſultorum, aliae praetorum, 307 a actionum humanarum initia vnde proficiſcantur, 348 b
Actus vltimus fabulae debet eſſe perfectiſſimus, 890 b
Ad Iuturnae, omiſſo nomine, *templum*, vſitatum loquendi genus, 362 a
Addicti, qui dicerentur, 93 a
Adipiſci, cum patiendi ſignificatione, 205 b
Admirationis oſtendendae modus, 280 b
Admonere, creditoris verbum, 32 b pro, in animos hominum inducere, quod alioqui non cogitaretur, 70 b
Adoleſcens, qui homines aetate grandes laudat, arroganter facit, et ſibi potius detrahit, 93 b in eo laudatur maxime caſtitas, et pudor, 710 a in eo et opera, et virtus facile, conſilium non facile reperitur, 971 b adoleſcentes, virili toga ſumta, in forum ſe, ad oratores audiendos, conferebant, 265 a ad iurisconſultos cur ventitare ſolerent, 554 b *ſeq.* adoleſcentes probos blanditiae, laſciuarum mulierum propriae, non decent, 139 b *ſeq.*

Adopta-

Adoptare, pro, adſciſcere, deligere, 126 a
Adoptati in aliena ſacra transibant, 572 a vetus nomen in *anus* producebant, 688 b
Adſciſcere, et *ſegregare*, opponuntur, 523 b
Adſpirare, quid ſignificet, 51 a 114 a
Aduerbium, pro nomine, 821 b
Aduerſaria, quae, 86 a
Adulari, cum accuſandi caſu, 832 b
Aduocare, quid, 352 a
Aduocati, qui dicantur, 27 b 88 a 352 a 364 b 464 b
Aduocatio, quid, 719 a
Aedes ſacrae ad curam praetoris vrbani pertinebant, 137 a non omnes templa apud veteres fuere, 677 b aedes Felicitatis, 258 a Honoris, et Virtutis, 257 b 717 a Matris magnae, 600 a
Aediles curules quot creati, 623 a b 809 a eorum munera, 151 b comitium ornare ſolebant, 159 a b ludos, et munera gladiatoria populo dabant, 691 b ludos omnes ſollemnes, praeter Apollinares, publica impenſa, curabant, 717 b
Aedilitas curulis quando peteretur, 718 a 830 b
Aegyptus Graeca lingua vtebatur, 869 a tritico abundat ex fertilitate Nilo redundante inuecta, 872 a Aegypti regem cum exercitu reſtitui, Sibyllae verſus vetabant, 821 b
M'Aemilius Lepidus, 361 b
Aequimelium, 584 b
Aequitas ſaepe largitur, quod ius negat, 476 b
Aeraria ratio, alia aliis temporibus, 15 b
Aeraria Romae quot, et quae, 183 a b 230 b *ſeq.* 607 b *ſeq.*
Aes, pro aſſibus, vſitata locutio, 91 a Corinthium et Deliacum, 79 b Cyprium, 18 b
Aeſopus, hiſtrio, in agendis fabulis grauiter animo commouebatur, 718 b primas in tragoediis ferebat, 721 b
Aeſtas ſumma, quid, 264 b 271 b
Aetas puerilis lubrica, 281 a b *ab ineunte aetate*, quid ſignificet, 317 a 986 b
Aetoli a quo deuicti, 474 a
Affectare iter, vel *viam*, quid, 383 b
Affectus, quid ſignificet, 781 b
Afflare auram, quid ſignificet, 156 a
Afflictus, plus, quam *euerſus*, 636 b
Africae maritima pars prouincia populi Romani, 897 a
Africanus maior vbi mortuus, et ſepultus, 536 a b minor ſemper intelligendus, cum nihil additur, 187 a 532 b
Ager reficit, rectius, quam, *efficit*, 222 a 228 a agri colonis gratis diuidebantur, 417 b
Agere, et *dicere*, quid differant, 317 a *agere cum populo*, quid, *ibid.* nefas erat, cum de caelo ſeruaretur, 691 a 725 a *agere lege*, quid, 191 a 314 a 468 a quando liceret, *ibid.* b
Ageſilaus, Spartanorum rex, 532 a
Agitare, pro, accuſare, 340 a
Alaudae, Galli transalpini, a Caeſare, victo Pompeio, ciuitate donati, 934 a
T. Albutius, Sardiniae propraetor, 128 b 831 a
Alcmaeon, 70 a 602 a
Alea, quid dicatur, 530 b
Alexander, Aegypti rex, 381 a b *ſeq.*
Alexander Magnus cur Achilli inuiderit, 539 a

Alio die, verba auguris comitia vitiantis, 953 a
Aliquiſpiam, et *aliquisquam*, vnde deducantur, 678 b
Aliter, pro, male, 28 b
Allegationes, pro, interceſſiones, 158 b
Allienus, gemina *l* ſcribendum, 124 a
Allobroges, clientes Fabiorum, 298 a eorum indicio coniuratio Catilinae patefacta, 453 a
Amator, vel cum vitio, vel ſine vitio dicitur, 228 a
Ambitus ſi quis aliquem accuſaſſet, et damnaſſet, quale praemium ferret, 805 a
Amentia vitii plus habet, quam *audacia*, 135 b
Amica, de muliere turpiter accipitur, 766 a
Ἀμνηςία, 926 b *ſeq.*
Amphiaraus, 249 a
Ampliatio non neceſſaria, ſed in poteſtate iudicum fuit, 154 a
Amplificatio, vel ſimplex, vel duplex, 105 b *ſeq.* amplificationes notatae, 186 a 190 b 197 b *ſeq.* 203 a 245 b 320 a 430 b 538 a 883 a 1023 b
Ἀνακόλουθον, 674 b
Ἀνανταπόδοτον, 932 a
Andromacha, Accii fabula, 719 b
Anima, quid, 888 a pro, ſpiritus, 226 a *animam agere, profundere*, pro, mori, 90 a 888 a
Animaduerſio, pro ſtudiis accipitur, 533 a
Animus, ac *voluntas*, ſeparatim ponuntur, et coniunguntur, 291 b animus plus comprehendit, quam quod exſequi verbis liceat, 892 b eius partes multae, 541 a b *animo non adeſſe*, quid ſignificet, 306 b
Annulo aureo quibus vti liceret, 80 a vtebantur ad obſignandas tabulas, 232 b eo donati equites Romani ſtatim fiebant, licet a cenſoribus nondum lecti, 234 b
Annus vertens quot menſium, 1023 a *annos natus*, et *annum agit*, proprie Latine dicitur, 343 b
Anſa, quid, 651 a *anſam retinere*, quid ſignificet, 304 b
Anſeribus cibaria publice locabantur in Capitolio, 69 a
Ante diem IV Kal. idem valet, quod *IV Kal.* 20 a 47 a 967 b
Antiochus Magnus, Aſiae rex, 675 a ei victo conditiones pacis quae datae, 474 b
Antiqui homines, qui, 65 b
Antiquitatem praeſtare noſtris temporibus, ſemper exiſtimamus, 637 b
P. Antiſtius, Priamo comparatus, 74 b
Antonii plebeii, non patricii, 943 b
C. Antonius particeps Catilinae coniurationis, 639 a b 642 a 774 a b a M. Coelio de maieſtate, a Q. Maximo de repetundis accuſatus, 490 a 642 b 752 b *ſeq.*
M. Antonius, oratoris filius, 126 b *ſeq.* 184 a 754 a
M. Antonius, quaeſtor Caeſaris in Gallia, 1026 b ei Pharſalica pugna ſiniſtrum cornu Caeſar praebuit, *ibid.* Pompeii bona in auctione ſolus emere auſus, 946 a Lupercus diadema Caeſari imponere conatus, 954 a abiectis conſularibus inſignibus, eo die latuit, quo Caeſar interiit, 955 a laudauit Caeſarem in funere, 928 b poſt Caeſaris interitum Dolabellae reconciliatus, 929 a 953 b flamen Caeſaris, 1027 b
Apollonidenſes, populi Romani ſocii, 499 a

Apoſtro-

Apoſtrophe poſt narrationem vti vel ad reum, vel ad iudices, vel ad quemuis, artis oratoriae eſt, 163 a b 191 b apoſtrophis maxime excellit Cicero, 163 b 847 a
Apparitores, qui, 62 b
Appellare, verbum creditoris, 31 a 422 b
Applaudi bonis, et publicam cauſſam ſtudioſe tuentibus in publicis ſpectaculis maxime ſolebat, 715 a
Apponere, quid ſignificet, 175 a 186 a 220 b 275 a
Aquae pluuiae quibus modis noceant, 468 a
Aquila, primi pili centurio, 1019 a
Aquila, ſignum legionis, 446 a
C. Aquillius Gallus, iurisconſultus, 5 b *ſeq.*
M' Aquillii duo, 130 a 262 a 298 b 323 a
Ara legum, pro ſanctiſſimis legibus, 184 a ad aram qui confugiunt, ſeruantur, 553 a b
Arbiter honorarius, 83 a
Arbitria, quae, 5 b pro, praemia, 556 b 584 a 813 b *ſeq.* in arbitriis non accipitur a praetore formula, 14 b *arbitrium pro ſocio*, cur dicatur, *ibid.* a
Arbores infelices quae, 431 b
Archelaus, Comanorum ſacerdos, 867 a
Archias, Lucullorum beneficio ciuitatem adeptus, a quo praenomen acceperit, 521 b
Areopagita in alia ciuitate iudex eſſe non poteſt, 979 a
Argentaria inter quaeſtuarias artes Romae paullo minus turpis, 659 b
Argentum factum, et *ſignatum*, quid, 269 b
Argumentum, pro ratione, et cauſſa, 196 a 199 a pro fabula, 258 a argumenta ex loco etiam ducuntur, 842 b
Ariobarzanes rex, pater et filius, 319 a 323 a 779 a
Ariſteus, Bacchi filius, 260 a
Ariſtidi vni contigit, vt iuſtus appellaretur, 737 a
Ariſtippus voluptatem ad corpus tantum retulit, 768 b
Ariſtoteles et Plato in animorum immortalitate an conſentiant, 669 a
Arretinis ius Romanae ciuitatis lege Sullae ademtum, 313 b
Articulus temporis, 18 a
Artificii non vulgaris eſt, vel praeripere, quae contra dici poſſint, vel iam dicta breuiter confutare, 871 a
As, quid, qua nota ſignatus, et quae eius partes, 18 a b *ſeq.* totam hereditatem oſtendit, 304 b
Aſconius Pedianus notatus, 21 b 58 b *ſeq.* 105 a 110 a 113 a 124 a 144 a 145 a 150 a 154 a 157 b *ſeq.* 159 a 175 a 180 a 359 a 672 b 677 a 843 a 874 b
Aſia, pro Cilicia, 104 b 134 a 155 b 160 a 167 a 209 b 247 a
Aſſequi, cum patiendi ſignificatione, 205 b
At, et ſimpliciter, et cum, *vero*, ornatus cauſſa vſurpatur, 344 b
Athamas, Thebarum rex, 820 b
Athenienſes eum, qui ceteros aliqua re anteiret, teſtula damnatum eiiciebant, 737 a
Atque etiam, rei nouitatem initio ſententiae ſignificant, 179 b
Atreus Iouis pronepos, quid de eo poetae fingant, quid hiſtoriae narrent, 624 b

Atria Licinia quae, 14 a
Attalus, Aſiae rex, moriens populum Romanum heredem inſtituit, 675 b 916 b
Attentus, valet interdum, qui rem domeſticam egregie curat, 12 b *ſeq.*
Attia, Octauiani mater, 786 b 966 a
Attingere, pro explicare, oſtendere, 308 b verbum proprium timentis, et diffidentis, 339 b
Attius potius, quam *Accius*, vel *Atius*, ſcribendum, 353 b
T. Attius Piſaurenſis, *ibid.*
Auaritiae notandae modus, Ciceroni familiaris, 126 b 190 a 216 b 243 b 250 b
Auctor, qui dicatur, 306 a 738 b 795 a pro, actor, 956 b
Auctoritas, in quibus ſit, 696 a priuati hominis, 682 a 684 b *ſeq.* pro iure vſucapionis, 309 a 597 b in imperatore requiritur, 328 a b
Audacia, proprie de malis rebus, 104 a
Audio, apud comicos et Ciceronem aſſentientis, 889 b
Auferendi caſus, omiſſa praepoſitione *cum*, 447 b
Auferre, pro impetrare, 19 b
Augetur res, et demonſtratur maxime nominibus multiplicatis, idque translatis potius, quam propriis, 738 b
Augures nunciationem habent, non ſpectionem, 952 a
Aurelium tribunal vbi, 657 b
M. Aurelius Cotta, terra, marique a Mithridate victus, 474 b
L. Aurius, 345 b
Aurum coronarium, quale fuerit, 386 a
Auſpicatus locus, qui, 431 a
Auſpicia et augures, et magiſtratus habent, 748 a patriciorum tantum erant, 643 b *ſeq.* ſunt inter religiones, 674 a eorum duo genera, 657 a
Autumedon, auriga Achillis, 75 b

B

B, pro *V*, ſcribi ſolebat, 339 a
Ballio, leno, 89 b 94 a 943 a
Bambalio, vnde dictus, 966 b
M. Bambalio, 955 a
Barbam alendi, et radendi triplex mos, 470 a 648 a 766 a barbam et capillum alere, in luctu quoque moris erat, 397 a
Beati, qui appellentur, 701 b
Beneficentia, deorum propria, 908 b
Beneficia, quae dicerentur, 530 a b *beneficio alicuius eſſe*, loquendi genus perquam rarum, 1000 a
Beſtia de ambitu accuſatus, a Cicerone defenſus, 1024 a
Beſtiarii, qui, 731 b
Bleſamius, Gallograecus, Deiotari legatus, 921 a
Boethus, ſculptor, 247 b
Bonitas, pro negligentia quadam, 89 b
Boni viri, et *minus idonei*, opponuntur, 306 a
Bonum iucundius, antecedente malo, quam ſi perpetuum fuiſſet, 970 b
Brachium dextrum, ſumta virili toga, modeſtiae cauſſa cohibebatur, 761 a
Brogitarus, Deiotari regis gener, 674 a
Brutus, Accii tragoedia, 721 b
M. Brutus, iuriſconſultus, accuſationibus deditus, 298 a 370 a
M. Brutus, qui Caeſarem occidit, non duxit originem a L. Bruto, qui reges eiecit, 931 b

Bulla

Bulla infantibus in collo appendebatur, ingenuis aurea, libertinis ſcortea, 170b 178b
Buſtum, quid, 813a
Byzantiorum vrbs libera, 194b 778b

C

C, condemnationis nota in iudiciis, 69a 838b
Q. Caecilius Niger, Siculus, Verris quaeſtor, 103a
Caecina, Liciniae gentis, 301a
Caecum, patiendi ſignificatione, 404a
Cn. et Q. Caepiones fratres, 296a
Caeſar originem ſuae gentis ad Venerem referebat, 748b *ſeq.* maxime apud populum gratia valebat, 788a Clodium quare ad plebem traduxerit, 644ab 788a eum cur a ſe alienare noluerit, 664b ei ſupplicatio maior, quam ceteris, decreta, 783a victor neminem occidit, praeter Fauſtum, L. Sullae filium, et Afranium, et L. Caeſarem iuuenem, 891b proſcriptorum a Sulla filiis, contra legem ab eo latam, facultatem reſtituit petendorum magiſtratuum, 901a Pompeium numquam, niſi honorificentiſſime, appellauit, 903a in aede Opis ſepties millies H-S depoſuerat, quam pecuniam omnem abſtulit Antonius, 932b vbi habitauerit, 844b laurea corona, propter caluitium, libenter vtebatur, 954a
Caeſoninus, cognomen patris Piſonis, 812a
Calamiſtrum quid, 646ab
Calatini, e gente Atilia fuerunt, 687a
Calcei, forenſe pedum indumentum, 603b 771a 951b ſenatorii qui, 839b
Calere, pro, ſermonibus peruulgari, 624a
M. Calidius, 557b
Caluentius, L. Piſonis maternus auus, 812a
Calumnia, quid, 688b *ſeq.*
Calumniari, quid, 43a 558b
Camers, Camerinus, Camarinenſis, vnde dicti, 513a 803a Camertium duae cohortes a Mario ciuitate donatae, 802b
Campani quando ciues Romani facti, 815b eorum ſuperbia, 420b
Campeſtre, veſtitus hiemalis, 761a
Canere, verbum de futura praedicentibus vſurpatum, 668b *ſeq.* *canere intus*, quid, 160a 412b
Canes alitos fuiſſe in Capitolio, nulla traditur hiſtoria, 69a crura quando iis ſuffringerentur, *ibid.* *canes*, Verris domeſtici dicti, 173a 212b 249a 282b
Cannenſis pugna, per ſimilitudinem dicta, 74a
Capeſſere rempublicam, quid, 773b
Capitali in cauſſa populum, centuriatim coactum, iudicem eſſe oportebat, 664a
Capua colonia quando facta, 640b Capuae duumuiri, 815a
Caput, pro, exiſtimatio, 28a pro, ciuitas, 635b *caput*, et *fortunas* Cicero ſaepe coniungit, 679b
C. Carbo, 268b
Cn. Carbo, 149b *ſeq.*
Carmen, quid, 412a
C. Caſſius Longinus, 624ab
L. Caſſius, ſcopulus reorum, ob nimiam ſeueritatem, dictus, 59b virgines Veſtales omnes nimia aſperitate damnauit, 73a
Caſſia-

Caſſianum illud, *cui bono fuerit*, 59 b *ſeq.* 165 b 226 b 840 a 945 b *Caſſiani iudices*, 73 b 226 b

L. Caſſius Longinus, 454 b 512 a.

Caſte, integreque, quo ſenſu dicatur, 317 b

Caſtoris templum vbi, 173 b 292 b

Caſtra mouere, pro discedere, 249 a

Caſtus, pro, purus, integer, 88 b 89 b 94 a 168 a 174 b

Caſu ſecundo duas ſimul res poni, non inuſitatum, 882 a

Catamitus, pro, impudicus, 951 b

Catenae non afferebantur in iudicium, 476 b

Catilina quoties, et quando accuſatus, 435 *ſeq.* a P. Clodio repetundarum accuſatus, eoque praeuaricante abſolutus, 814 b quoties conſulatum petierit, 436 447 a quoties coniurauerit, 437

C. Cato, 234 a

M. Cato Cenſorius, Sapiens dictus, 290 a deorum mentionem facere ſolitus in omnibus orationum ſuarum prooemiis, 121 a

M. Cato Salonianus, pater Catonis Vticenſis, 526 a 537 b

M. Cato ſua ſententia Milonem palam abſoluit, 843 a

Catulus Graecas diſciplinas videtur nouiſſe, 525 a

Catus, pro, cautus, prudens, 469 a

Cauere, proprie dicuntur iurisconſulti, 311 a 467 a

Cauſſa a *ratione* quid differat, 99 b *cauſſam dicere*, de reis vſurpatur, 59 b *cauſſa cadere*, eſt litem perdere, 465 a *cum cauſſa*, et *per cauſſam*, pro, per ſpeciem, 569 a 772 a b

Celebrare, pro frequentare, 487 b 718 b

Celebris, et *deſertus*, opponuntur, 487 b 524 a 718 b

Cenabant accumbentes, idque poſt balneum, 755 a 916 b

Cenſeri cenſus dicitur, pro fieri, 502 a

Cenſores, magiſtri morum vocati, 108 a locabant publica opera, 175 b Aſiaticos agros, 210 b in municipiis quoque erant, 348 b cum aliquem damnabant, cauſſas, cur damnarent, ſubſcribebant, 367 a

Cenſoria lex, quid, 174 a 211 b 267 b cenſoriae tabulae vbi cuſtodirentur, 845 b

Cenſus primae claſſis, 480 b ſenatorius, 40 b 200 a equeſtris, 93 b 234 a b 480 b 611 a 709 a b 990 b cenſu ſenatorio et equeſtri amiſſo, nec ſenator, nec eques Romanus quisquam eſſe poterat, 180 a

Cenſus, per legem Voconiam, filiam heredem inſtituere non poteſt, 169 a b

Centuriatus, ordo militiae, 331 b *ſeq.*

Centurio primus, idem, qui primi pili, 800 b centuriones triariorum quo modo dicti, 801 a

Cephaledium, 200 a

Cera, et creta in obſignandis litteris veteres vtebantur, 252 b cera discolor corrupti iudicis fidem faciebat corruptori, 115 b 143 b *in ima cera*, quid denotet, 348 b

Cereris ſimulacrum, 293 a

Cernere hereditatem, pro adire, 504 b

Certare, in laudando, et in vituperando a Cicerone vſurpatur, 254 a 779 a 796 a

Chaldaei ſiderum obſeruatione, quid

quid cuique euenturum, et quo quisque fato natus eſſet, praedicebant, 468 b
Chartae Alexandriae vnde fierent, 875 b
Charybdis, 282 b
Chlamys, paludamentum eſt, 870 b
Chorus, pro, comitatus, 478 b
Cicero, habita oratione pro Roſcio Amerino, qua cauſſa in Graeciam, et Aſiam profectus, 55 a 346 b an in vrbe primum, deinde in Sicilia quaeſturam geſſerit, et an duobus praetoribus in prouincia quaeſtor fuerit, 99 b *ſeq.* quam diu exſulauerit, 672 a 808 ad ferendum de eius reditu ſuffragium Italia vniuerſa conuocata a ſenatu, 723 b *ſeq.* de eo reſtituendo quinque ſenatus conſulta facta, 724 a b cum ab exſilio rediit, a porta Capena in Capitolium, ad agendas Ioui Opt. Max. gratias, recta profectus, 742 b cum Gabinio, auctoritate Pompeii, in gratiam rediit, 866 b in Italia non ſumſit arma contra Caeſarem, 899 b cum in Pharſalia dimicatum eſt, abfuit, 906 b vehementer incubuit, vt hoſtis iudicaretur a ſenatu M. Antonius, 975 tres generos habuit, 672 b 752 a eius vxor ad tabulam Valeriam ducta, 672 b eius libertas loquendi, 11 a eius mos computandi, 489 b *ſeq.* 809 b 979 b criminis oſtendendi, ante quam rem ipſam exponat, 126 b ei perorandi locus in cauſſis dari ſolitus, 376 b 465 a 636 a 795 a ei proprium paene, ac perpetuum, vt, quas cauſſas defendit, earum euentum ad publicam vtilitatem pertinere, demonſtret, 634 b ei vſitatum, quod primo cognomen omiſerit, ſolum ſubiicere, 586 b initio orationis animo commouebatur, 121 a 351 a b 910 b *ſeq.* apte nominibus nomina coniungit, ex eo, quod cuiusque natura fert, 742 a magiſtri perſonam interdum ſuſcipit, ad irridendum aduerſarium, 117 b 314 a quae ſunt acerbiora, breuiter ſolet concludere, 901 a ſubtiliorem hiſtoriae rationem ſaepe negligit, 602 b interdum ex parte totum intelligit, 104 a Latinam linguam non verbis tantum locupletauit, ſed rebus etiam vehementer auxit, 316 non ſine cauſſa copioſus, 637 a in eo otioſa eſſe multa imperiti putant, 738 a eius mirum ingenium in lepore dictorum, 355 b eius oratio translationum quaſi luminibus ſplendet, 682 a in verſum interdum deſinit, 712 b 820 a eius artificium in oratione, 24 b in transitu ad aliam rem quaerendo, 114 b *ſeq.* 266 b eius Philippica ſecunda in M. Antonium ſcripta, non habita, 939
Circes potio, 128 a
Circi Romae tres, Maximus, Flaminius, et Neronis, 656 b
Circum, quid indicet, 22 a *circum pedes*, 166 a
Circumſcribere, pro, decipere, 90 a 350 a pro, condemnare, 848 a *circumſcribi*, qui proprie dicantur, 449 a
Circumſcriptio, de adoleſcentibus, 350 a
Circumſcriptor qui, *ibid.*
Ciſium, genus vehiculi, 64 b 951 b
M. Ciſpius, 689 b
Citharoedi nobiliores, quam auletae, 473 a

Citius,

Citius, pro, potius, 815 b 902 a

Ciues ingenui, praeſertim nobiliores, habitabant in collibus, 99 a 696 b 942 b 998 b ciues Romani facti Romana cognomina non ſumebant, ſed tantum praenomina, et nomina, 185 b praeter publicanos, multi negotiabantur in Gallia, 294 b hoſpites erant non modo privatorum hominum, ſed oppidorum etiam, ac ciuitatum, 641 a alii magiſtratibus, alii militiae, alii mechanicis artibus operam dederunt, 658 b omnes in aliqua tribu cenſeri ſoliti, et ab ea interdum indicari, 1004 b iis vno perduellionis crimine adimi vita poterat, 428 a 635 b *ciuis Romanus ſum*, nobilis ſermo, 598 a ciuem Romanum indicta cauſſa condemnari, leges vetabant, 664 a ciuis nouus reliquos minus amat, 349 b ciuis optimi, et optimi viri non eadem virtus, 635 b *ciui*, pro, *ciue*, 654 b 965 a

Ciuitas Ciceronis tempore quo modo data, 523 b ciuitatem Romanam tribus modis furari poterant, 795 a b ciuitatis ademtio, capitis imminutio, 796 a

Claterna, oppidum vbi ſitum, 998 a

Q. Claudia, 767 a

Ap. Claudius Caecus diſſuaſit Pyrrhi pacem, 585 b

Ap. Claudius Sabinus, 736 b

C. Claudius, 243 b *ſeq.*

M. Claudius Marcellus primus docuit, Hannibalem poſſe vinci, 333 b 537 b

Clementiae eſt, aliquid permittere, nimium, animi diſſoluti, 441 b

Κλίμαξ, 844 a 846 b *ſeq.*

Clodia impudicitiae nomine peſſime audiebat, 760 a ſimulacrum Veneris auro exornatum habere in ſacrario ſuo dicebatur, 769 b *Palatina Medea* a Cicerone cur vocata, 763 a *quadrantaria Clytemneſtra* a Coelio cur appellata, 771 b

P. Clodius cur *Appuleia* vocetur, 662 a cur ſacerdos appelletur, 585 a 597 a 830 b de inceſtu accuſatus obtinuit, ne ſuam cauſſam ſenatus iudicaret, 585 a a Caleno defenſus, 1000 a tres ſorores ſtuprauit, 584 a 645 a a Milone accuſatus, quod caedem cum gladiatoribus in foro feciſſet, 689 b quare aedem Nympharum incenderit, 693 b 845 a ſenator fuit, ante quam plebeius fieret, 718 a templum Libertatis in euerſa Ciceronis domo quare exaedificarit, 584 b 721 b *ſeq.*

Sex. Clodius *Clodianus canis* cur a Cicerone vocetur, 810 b homo ſeditioſiſſimus, 730 a b cunnilingus, 571 a 575 a 775 a leges P. Clodii ſua ſcriptione adiuuabat, 730 a 840 a de vi damnatus, a Caeſare, deprecante Antonio, reſtitutus, 928 a

Cluentii cognomen *Habitus*, an *Auitus*, 339 a quot veneficii crimina ei obiecta, 339 b 342 a b

Coauctio annonae, quid, 235 b

C. Coelius Caldus, 290 b *ſeq.*

Coemtio, quid, 471 a 504 a

Cogitata ſuſcipiuntur, ſuſcepta aguntur, 397 b

Cognatio, pro affinitate, 900 a

Cognitor a *procuratore* quo modo differat, 109 b *ſeq.* *cognitor viduarum* qui, 304 a

Cognitus, et *ſpectatus* quo modo differant, 109 b

Cognomina, a nominibus deducta, in *ius*, a cognominibus, in *enus* deſinunt, 376 b
Cognoſcere, praetores de criminibus dicebantur, 55 b
Cohors peditum erat ſexcentorum, 882 b *cohors praetoria* quae, 7 b 156 b
Collegia, quid, quando inſtituta, et e quibus hominibus conſtarent, 658 a b *ſeq.* vetera, a ſenatu antea ſublata, Clodius reſtituit, et noua quaedam conſtituit, 560 a 658 a
Colligere ſe, quid, 391 b
Collybus, quid, 233 a
Coloniarum diuerſa genera, et iura, 268 b cum vexillo deducebantur, 418 a 959 a iis duumviri praeerant, 648 b noua in veterem, auſpicato deductam, dum eſſet incolumis, deduci non poterat, 414 b coloniae duodecim lege M. Licinii in Italia deductae, 314 b
Colonorum propria, et abſoluta laus, 641 a
Comitia quae dicantur, 687 b *ſeq.* 689 a 706 a 952 b centuriata, curiata, tributa, 401 b non habebantur in campo ſine auſpiciis, 463 a bina de magiſtratibus, 140 a 395 a 401 a b *ſeq.* 621 b centuriatis maiores, tributis minores magiſtratus creabantur, 265 b 621 b 995 b centuriatis populus Romanus de vno perduellionis crimine, de ceteris tributis iudicabat, 151 a b conſularia habebat conſul priore loco creatus, 463 b aedilicia poſt conſularia, praetoriaque ſiebant, 139 b
Comitiatus maximus, pro centuriatis comitiis, 679 b
Commemorare, longiorem orationem ſignificat, quam *dicere*, 9 a 14 b
Committere, pro incipere, 59 a *committere multam*, vel *poenam*, quid, 362 b 496 b *commiſſa hereditas* quae, 154 b 190 a 496 b *commiſſa hypotheca* quae, *ibid.*
Commode, pro, humane, 216 b pro recte, 424 a
Commodus, pro, humanus, 212 a *commodum eſt*, pro libet, 150 b 161 b 170 b 189 a 191 a 213 b 231 a 240 b 384 b 404 a b 422 a 492 b 499 a 554 a
Commune Siciliae, 198 b 201 b 202 b *ſeq.*
Comoedi et *hiſtriones* dicuntur, 91 b
Comparatio ad reprehendendum, obiurgandum, irridendum, et cohortandum Ciceroni familiaris, 272 a b *ſeq.* 322 a b 758 a 943 b
Comperendinatio, quid, 142 a
Comperendinatum adimere, 153 b
Compitaliorum dies incertus, 810 a b
Conari, et *conatus*, de re, quam non aſſequimur, 515 b 830 a
Concertare quid, 329 a
Concilium quid, 553 b 655 b
Concionem habere, priuato non licebat, niſi a magiſtratu produceretur, 706 a
Conclaue, qualis locus, 70 a
Concluſionum ratio, et diuiſio, 707 a b *ſeq.*
Concoquere, pro ſtatuere, 93 b
Concurſio, de quibus dicatur, 163 a
Condemnandi verbum in formulis ſubauditur, 215 b *ſeq.*
Conditiones legere, et *quaerere*, quid, 767 b 957 b *ſeq.*
Condonari, grauius, quam *permitti*, 406 a
Confeſſio facti non vitatur in ea re, quae patriae ſalutem attulit, 845 a

Conficere, exitum rei ſignificat, 329 a
Confirmare aequitatem, quid, 12 b
Confirmator pecuniae, qui, 355 b *venditionis*, *ibid.*
Confligere, et *conflictari*, quid, 34 a 303 a 329 a
Confuſio ſuffragiorum, quid, 478 a
Coniungendae, et continuandae ex diuerſis rebus orationis modus, 255 a
Coniurati Catilinae ſupplicio affecti quot, et qui, 455 b
Conquiſitores, qui, 844 b
Conſcientia, pro ſcientia, notitia, 440 a 861 a
Conſecratio non erat ſine ſacrificio, 588 b
Conſeneſcere, ex quibus rebus dicamur, 710 b
Conſilium, quid proprie vocetur, 689 a *conſilium publicum*, pro ſenatus, 82 a 389 a 419 a 429 b 666 a 700 b
Conſtantia in bona cauſſa dicitur, 695 a
Conſueſcere, pro rem habere, 264 b
Conſul quibus modis armatus, 422 b quem ordinem interrogandi ſententias in ſenatu Kal. Ian. inſtituiſſet, eum toto anno conſeruabat, 976 b conſules ante annum vrbis CCCXC ius dicebant inter ciues, 10 b quando magiſtratum inirent, 687 a eorum inſignia quae, 646 a locabant publica opera, 175 b in prouincias profecturi et ſacrificia prius faciebant, et vota nuncupabant, 965 a deſignati primo loco ſententiam dicebant, 459 b 597 a 684 b 984 b 989 b
Conſulatus ſummus honor, 622 a 646 a cum petere, et gerere qua aetate liceret, 394 b 986 b
Conſulere licet, qui dicere ſolerent, 471 b
Contemnere minus, quam *deſpicere*, 172 a
Contendere, maiorem vim habet, quam, *petere*, 56 a pro, comparare, conferre, 331 b 421 a
Contentio, pro, comparatio, 613 a
Contrahere, quid, 857 b pro, peccare, 869 b
Contraria contrariis miſcet interdum Cicero cum lepore, et elegantia, 464 a b 920 a 1010 a b *ſeq.*
Contremere, in animalia conuenit, 682 a
Contubernales qui, 774 a
Contumacia, contrarium *humilitati*, 209 a
Conuenire in matrimonium, quid ſit, 504 a
Conuentus, in prouinciis quis appelletur, 274 a b 282 a in praefecturis quid, 640 b
Conuicium, pro multis vocibus, 718 b pro, aſſidua moleſtaque petitio, 347 b
Copia, pro, multitudo hominum, 690 b
Copula omiſſa, vis orationis maior eſt, 162 a
Corinthia et Deliaca vaſa, 79 b 196 a 205 a 243 a
Cornelii patricii non cremabantur, ſed eorum corpora terrae mandabantur, 537 a
Cornicum oculos configere, quid, 468 b 496 a
Corona, frequentia populi ad iudicium cur vocetur, 215 a 719 a
Correctio rei parum explicatae, 672 a 906 a b
Corrigere ad frugem, pro, vt frugi ſit, 765 a

Corroborare, quam vim habeat, 81 a *corroborare ſe*, 761 a
C. Cotta, 408 b
L. Cotta, 130 a 298 b
Cotys, nomen Thraciae regum, 829 b
Crabra aqua, 425 b
Craſſi agri qui, 499 b
L. Craſſi nimia triumphandi cupiditas, 825 a
L. Craſſus orator exalbeſcere ſolitus in principiis dicendi, 121 a eius pudor, 297 a
P. Craſſus, 614 b 670 a
Credimus cognita re potius, quam audita, 332 a
Creditoris ius in debitorem, qui iudicatum non ſolueret, 495 b
Crepidae, et *ſoleae* idem ſunt, 870 b
Creſcere, pro, in honoris locum altiorem adſcendere, 73 a
Creta inſula a litteris abhorrens, 628 a
Cretenſes male animati erga populum Romanum, 194 b
Crimina grauiora, quam *peccata*, 192 a crimina de vi, et de maieſtate, nulla interpoſita mora, extra ordinem diebus etiam feſtis iudicabantur, 596 a *crimen inter ſicarios*, aut *de ſicariis*, non *ſicariatus*, dicebant, 345 a
Crocota, quid, 603 a
Crodunum, 295 b
Crudelitas in alienos, in propinquos proprie *ſcelus*, et *impietas*, 912 a *crudelitas domeſtica*, quae, 82 b
Cuiatis, pro *cuias*, 804 a
Cuiuscuiusmodi, et *cuicuimodi*, pro, qualiscumque, 275 a 764 a
Cum, tum: cum, tum etiam: cum, tum vero: tum, tum: tum, tum etiam: quam vim habeant, 100 b
Cupa, vas vnde dictum, 827 a
Cupiditas, verbum medium, 104 a
Curiata lex imperium, et rei militari neceſſaria dabat, 400 b quinam eam ferrent, 401 a
C. Curio turpiter amauit M. Antonium, 940 a 948 a
Curius, notiſſimus aleator, 979 a
M' Curius Dentatus, 510 a
Cybea, 245 a 269 a
Cytheris mima, a M. Antonio amata, 944 a 949 b

D

Damnati non praeficiuntur publicis muneribus, 799 b
Damni iniuria, formulae verba, 91 b 94 b
De, pro, *a*, 56 a 186 b pro, *poſt*, 176 b
Decempeda agros metiebantur, et diuidebant, 1027 a
Decem primi, 65 b 203 a b
Decemuirale collegium, quod, 256 b decemuiri de libertate iudicabant, 313 b
Decernere, pro contendere, periclitari, 8 b *decernere*, ſenatus, *iubere*, populus dicitur, 822 a
Decertatio, quid ſignificet, 1013 b
Decumani, vnde vocati, 106 b 119 a 324 b
Decuria, quid, 362 b *decurias ſcribere*, quid, 212 b
Decuriare, quid, 569 a 621 a 660 a
Decuriones, qui, 420 b 640 b
Dedere, quam vim habeat, 39 a 57 b
Dedicare in cenſu, antiqua locutio, 501 b
Deductio moribus in fundum quo modo facta, 302 a
Defendere, et *propugnare*, non idem omnino ſunt, 738 a b
Defenſio, quae ab officio naſcitur, grata iudicibus, 520 a
Defluere, pro abire, praeterire, 889 a

Defungi,

Defungi, pro liberari, 891 b
Deiotari regis in populum Romanum merita, 909 912 a apud Caeſarem accuſatus, quod eum occidere cogitaſſet, 910 ei cum Caeſare hoſpitium, non familiaritas, 914 b ante ciuile bellum cohortes XXX quadringenarias habuit, 917 b
Delationem dare, eſt confirmare, 125 a
Delicatus, pro, luxui deditus, 467 a
Delictum, plus, quam, *culpa*, 897 a
Delitus, pro, *deletus*, 176 b
Demetrii libellus περὶ ἑρμηνείας, 682 b
Denarius qualis nummus, et num ab eo drachma differat, 17 a b 56 b 296 a *ad denarium ſoluere*, quid ſignificet, 17 a
Denunciare, pro praedicere, 345 b
Depontani ſenes qui, 75 b
Deprecari, pro, alienare, a ſeque remouere, 94 a
Derogare, vel *abrogare fidem*, pro minuere, 45 b
Deſcendere in forum, et *in campum*, quare dicatur, 99 a 342 b *ſeq.* 481 b 515 a 696 b 942 b *ſeq.* 998 b
Deſcribere, pro diuidere, 415 b 981 b pro deſignare, 517 a
Deſeruire, quam vim habeat, 241 b
Deſes, qui, 651 a
Deſperatus homo, qui, 656 b
Deſpicere plus, quam *contemnere*, 172 a
Deſtituere, pro conſtituere, 983 b
Deſultorii, qui, 481 a
Deterrere, ſaepe in bonam partem accipitur, pro diſſuadere, ac dehortari, 15 b
Detrahere de caelo, quid valeat, 960 a
Deuorare, transfertur ad ea etiam, quae non placent, 992 a
Deuouere ſe, 544 a
Dianium, Hiſpaniae oppidum, 282 b
Dibapho praetexebatur augurum toga, 740 b
Dicacitas in praecone fertur, atque adeo delectat, in aliis odium excitat, 13 b
Dicam ſcribere alicui, vel *impingere*, quid ſignificet, 190 a b *dicas ſortiri*, pro, iudices, *ibid.*
Dicere, pro iudicare, *ibid. dicere dicta*, vſitatum, 628 a
Dicis cauſſa, quid ſignificet, 252 a 470 a
Dictatoris ad poteſtatem difficillimis temporibus reſpublica, tamquam ad ſalutare remedium, confugit, 929 a dictatores in municipiis quibusdam erant, 839 b
Dies ciuilis, et naturalis, quo modo differant, 22 b ciuilis quot horarum, 346 a diebus faſtis omnibus quidem lege agere, non omnibus tamen cum populo agere licebat, 657 a b diebus comitialibus agi cum populo licebat, 725 b *dies*, pro tempore, 320 a *dies*, pro *diei*, 653 b *diem dicere*, proprium tribunorum plebis, 129 b 596 a 841 a
Digito ſublato licebantur, 175 a 212 a
Digniſſimus, in malam partem, 248 b 730 b 811 a
Dignitas, proprie ſenatoribus tribuitur, ad equites tamen interdum transfertur, 204 b 760 a tribuitur populo Romano, 414 a
Dii boni, modo laetantis, modo indignantis, 982 b *diis hominibusque inuitis*, et *diis hominibusque*

nibusque approbantibus, opponuntur, 149 a 986 a
Dio, legationis Alexandrinae princeps, 762 b 764 a
Diocli, pro, *Dioclis*, 264 a
Dioecetes, qui, 868 b
Dionyſia, ſaltatricula, 90 a
Dipondium quid, 19 a
Direptio, lenius verbum, quam, *expugnatio*, 159 b
Diribere, pro distribuere, 832 a
Diribitor, pro, distributor, 817 b
Dirimi ſuffragia, quando dicantur, 612 a
Discedere, exitum rei indicat, 39 a 130 b *ſeq.*
Disceptare, quid valeat, 291 b *ſeq.* 340 a 912 b
Disceptatio quae proprie, 357 b 359 a 404 b 407 b 424 b 664 a
Disceptator, qui, 390 b
Disceſſio in ſenatus conſultis faciendis, aut improbandis fieri ſolita, 260 b
Diuaricari, quid ſignificet, 255 b
Diuelli, vim ſignificat, 849 b
Diuina quae ſint, 968 b quando ad humana per ſimilitudinem transferantur, 565 a
Diuinare pertinet ad ſapientem, 856 a
Diuinatio, cur Ciceronis oratio dicatur, 96
Diuinitus, pro praeclare, 565 a
Diuiſores, 139 b
Diuitiae, ambigua quaedam bona, 857 a
Diuortium cum qua fit, ea ſuas ſibi res habere ex duodecim tabulis iubetur, 950 a eius ſignum quale, *ibid.*
Doctrina tum a libris, tum a viva hominum voce comparatur, 669 a omnis petebatur a Graecis litteris, cum Latina lingua nondum exculta diſciplinis eſſet, 710 b
Domitii duobus tantum praenominibus vſi, Cneo, et Lucio, 712 a
Cn. Domitius Ahenobarbus, 129 a 398 b
Donum, et *munus* diſtinctionis gratia coniunguntur, interdum confunduntur, 354 b 534 a
Drachma, Graecus nummus, 17 b 56 b drachmas Atticas pro Romanis denariis accipere, Graecis vſitatum, 493 b
M. Druſi duo, 863 a
Duareni, iurisconſulti, laus, 252 a
Dubitatio ſaepe veritatem parit, 348 a
Ducere, quo ſenſu dicatur, 188 a b 193 b
Duces Romani quos bello ſuperaſſent, in clientelam accipiebant, 100 b
P. Duillius primus de Poenis navalem triumphum egit, 625 a
Duumuiri, in colonia qui, 640 b

E

Ecbatana, caput Medici imperii, 321 a
Edicti praetorii formulae, 26 a *edictum translatitium*, quid, 171 a
Effigies, quid ſignificet, 541 a
Effingere, pro exprimere, 690 a
Egeſtate laborantes quibus verbis Latine et eleganter appellentur, 702 a
Eierare iniquum, pro recuſare, 227 a 1019 a
Eius ea lege nihil rogatum, legum clauſula, 313 a
Eiusmodi, quando vſurpetur, 67 b 156 b aduerbialiter poſitum pro, *ſic*, 179 b 761 b *ſeq.*
Elocare, quid, 498 b
Eloquens quis, 688 b
Em, pro, *en*, cum indignatione, 979 a 983 a

Emble-

Emblema quid, 248 b
Embolium quid, 716 b
Emergere ſe, antique dictum, 606 b
En, cum indignatione, 166 b 268 a 278 a
Eniti non modo pro viribus, verum etiam ſupra vires, amoris maximi argumentum, 992 b
Q. Ennius Africano maiori carus, 536 a cuius beneficio ciuis Romanus factus, 537 b M. Fulvium ad bellum Aetolicum ſecutus, 782 a
Epicurus voluptatem ad animum quoque retulit, 768 b deos aiebat negligere mortalia, 824 a
Epulum publicum ſine ſacrificio non dabatur, 754 b epuli dies, feſtus, *ibid.*
Eques, et *eques Romanus*, quo modo differant, 40 a b 864 b *ſeq.* 990 b *ſeq.* equitum ornamenta, nomina, et centuriae, 40 b *ſeq.* 480 b eques eſſe non poterat, qui pronepos ciuis Romani non eſſet, 63 b eques Romanus qui erat, is ſi nondum in ſenatum peruenerat, ordinis equeſtris eſſe dicebatur, 709 a
Equeſtris dignitatis, ordinis, ac cenſus ratio, 40 a b *equeſtri loco nati*, et *equeſtri loco eſſe*, qui dicerentur, 40 b 465 b equeſtris ordo in quattuordecim gradibus ſedebat, 947 a
L. Equitius Ti. Gracchi filium ſe ſimulabat, 433 a 686 a b 703 b *ſeq.*
Equuleus quid, 912 b 1011 b *equulei*, quid ſignificent, 249 b
Erechthei regis filiae, 669 a b
Eripere, quam vim habeat, 288 b
Errare ſapientis non eſt, 482 a
Erratum a *culpa* differt, 896 b
Erumpere, et *erumpere ſe*, veteres dicebant, 606 b
Eſſe, valet ſufficere, 940 a *eſt mihi aliquid cum aliquo*, loquendi modus quid ſignificet, 280 b *ſeq.*
Etiam, pro, tamen, 213 b adverbium aſſentiendi, 482 a affirmandi vim habet, 625 b
Et vero, venuſtum loquendi genus, 235 a 491 a
E veſtigio, et *in veſtigio*, pro ſtatim, 94 b
Euhyus, cognomen Bacchi, 498 a
Euripus, 475 a
Exaggerandi cauſſa ſaepe fingit orator inopem ſe verborum eſſe, quae rei vim, ac naturam exprimant, 242 b *ſeq.* exaggerandi modus per ſimilitudinem, 52 a 195 b
Exagitare, pro accuſare, 340 a
Exardere, proprie de bello, 897 b
Excedere ex pueris, quis dicatur, 523 b
Excellere, verbum commune tam in malis rebus, quam in bonis, 27 a
Exceptiones interdictis addi ſolitae, 305 a b
Excitari, ad ea, quae aedificantur, ſolet accommodari, 636 b
Exempla, quid ſignificent, 1030 a
Exercitus luſtrari mos fuit, prius quam in expeditionem educerentur, 1018 a *in exercitu*, et *apud exercitum eſſe*, qui dicerentur, 251 a 530 a
Eximius, pro, exceptus, 126 a
Exordia oratoribus in genere demonſtratiuo libera, in aliis non item, 632 exordium in ancipiti cauſſa vnde ſumatur, 633
Expedire, plus, quam *transigere*, minus, quam *abſoluere*, 121 b
Experiri, verbum iudiciale, 31 a
Exploſorum primus ordo, quid ſignificet, 233 b

Exſecratio, pro iureiurando omnium ſanctiſſimo nonnumquam ſumitur, 274 b
Extorquere, de rebus, quae non facile mouentur, 902 b

F

Q. Fabius Maximus Verrucoſſus, 857 a
Fabricari, Cicero dixit pro, *fabricare*, 840 b
C. Fabricius Luſcinus, 410 a
Facere, cum auferendi, interdum etiam dandi caſu, 158 a b 165 a 203 a 306 b *ſeq.* 414 a 654 b pro perſequi 227 a pro peccare, 310 b pro ſacra facere, 488 a *facere cum aliquo*, et *ab aliquo*, et *contra aliquem*, 5 a *facere*, ſequente *vt*, modus loquendi, 140 a 153 a 184 b *facere pro populo*, quid, 581 b
Facetus, ſi ſolum ponatur, caret ignominia, ſed fit ignominioſum, addito verbo, *ſcurra*, 13 a
Facile patior, loquendi modus quid ſignificet, 259 b
Factus, quo modo dicatur, 258 a
Faernus in Cicerone finem verſus vitare voluit, 819 b amavit perpetuitatem ſimilitudinis in caſibus, 950 b
Familia, pro ſeruis, 78 b 166 a 349 a 513 a 840 b *familiae herciſcundae*, quid, 304 b *familiam ducere*, quid, 982 b
Familiaris dignitas, pro familiarum, 516 a
Faſciis albis, non purpureis, crura viri tegebant, 603 b
Faſti dies olim ignoti, a Cn. Flavio publicati, 468 b
Fateri, quale verbum, 108 a patiendi ſignificatione veteribus vſitatum, 408 a
Fatum quid, 902 b
Fauces macelli, locus parum honeſtus 22 a
Faucibus premi, quid, 357 b
Fauor, Ciceronis aetate nouum, nec antea vſitatum, 715 b
Fauſta, Milonis vxor, male audiit impudicitiae nomine, 839 b
Februarius menſis legationibus audiendis dari ſolitus, 165 a 194 a
Felicitas in imperatore conſideratur, 299 b 328 b vnde pendeat, 333 b
Felix, Sullae cognomen, 65 a
Fercula quid, 824 b
Ferrarius, Hier. 901 a
Ferri, quam vim habeat, 536 a *ferri ad populum*, non *referri*, dicitur, 369 b
Feſtiuus, pro, amabilis, 230 a
Fidelis, cum generandi caſu non coniungitur, 965 a
Fides concidiſſe, quando dicatur, 325 b fides propriè defenſoris, officium amici, 487 a fidem non praeſtare, flagitium, 101 a
Fiduciam accipere, et *committere*, quid, 496 b *ſeq.*
Fiduciaria mancipatio quae, *ibid.*
Figere trabali clauo, quid, 268 a
Filios paruulos ad eliciendam miſericordiam rei in iudicium adducere ſolebant, 637 b
Finitores qui, 404 a 405 b
Flagitare, quid, 14 b plus, quam *poſcere*, 85 b
Flamines ab auguribus inaugurabantur, 960 b
Flaminius, gentis nomen, *Flamininus*, Quintiae cognomen, 824 a
C. Flauius Fimbria, 290 b
Formula a praetore data iudici et arbitro, 86 b
Fortunae poteſtas quae, 328 b fortuna mala qui vtuntur, res nouas quaerunt, 485 a *fortunae rota*, vt iuueniliter, ſine decoro et grauitate a Cicerone dictum, reprehenditur, 814 a

Fretum,

Fretum quid 475 a *fretu*, pro *freto*, 206 b 286 b
Frugalitas libertorum, et plebeiorum hominum propria laus, 162 b 174 b 918 b
Frugi, proprie de ſeruo dicitur, ſed ad probitatem ſaepe transfertur, 350 b *frugi homines* qui, 650 b
Frumentum, generale nomen frugum omnium, 221 a aeſtimatum 210 b decumanum, *ibid.* 235 a emtum, 210 b hornotinum 214 b *Siculum*, quid ſignificet, 217 b
Fuluia, P. Clodii, C. Curionis, et M. Antonii vxor, 936 b 942 a 961 a 978 a
M. Fuluius Nobilior, 539 b
Funeſtare, quid, 431 a
Furcifer, ſeruile vocabulum, 918 b
L. Furius Philus, 210 a 482 a b 532 b
Furor, de patriae hoſtibus vſurpatur, 903 a

G

A. Gabinii conſulis mollities, et luxuria, 646 a b cur *Semiramis* a Cicerone appelletur, 779 a ei ſaltare exprobratum, 813 a e prouincia reuerſus quibus de criminibus accuſatus 852
Gades, Poenorum colonia, 799 b
Ser. Galba, 1026 b
Galli a *Gallicano* diſcrimen, 345 b Galli Braccati, Sagati, Togati, 298 a 822 b
Gallonius, prodigus, 51 b
Gaurus mons, 404 b
Gellius nutricula ſeditioſorum, 745 a
Geminantur verba amplificandi gratia, 845 a
Geminatio verbi, praepoſita ſecundo loco negatione, ſuauitate quadam aures afficit, 638 a
Gens a *familia* differt, 883 b 1003 b gentium Romanarum nomina in *ius*, quaedam in *ienus* deſinunt, 23 b
Genus, latius patet, quam *familia*, 487 b
Gerundium antiquo loquendi modo vſurpatum, 285 b *ſeq.* 756 a b 977 a
Gladiatores palmis poſt victoriam corobanantur, 61 a rudes in armis exercebantur a laniſtis in ludo, 640 a cum in arena pugnantes populo non ſatisfecerant, laniſta eorum magiſter ceruicem dare iuſſos interficiebat, 692 a in foro dabantur, 715 a ex equis pugnabant, 723 a eorum genera quae, 731 b 970 a *gladiator buſtuarius* qui, 813 a
Gladius vagina vacuus, pro, nudus, 886 b
C. Glaucia, 606 a
P. Globulus, 500 b *ſeq.*
Gloria quid, 848 b
Gracchus, et Quintiae gentis, et Semproniae cognomen, 686 a
Graecia, quae proprie vocetur, 579 b Graecia magna, 528 a
Graeculorum inanis oſtentatio a Cicerone deriſa, 722 b
Graecus mos in potionibus, 161 b *ſeq.* Graeca leuitas in quaerendis oculorum oblectamentis, 259 a Graeci comites animi cauſſa, non rei gerendae, ducebantur, 843 a Graecis hominibus leuitas proprie tributa, 901 a Graecas artes quando Italia cognouerit, 524 a
Gratia, et *gratioſus*, cum vituperatione, 139 b *ſeq.* 763 b
Grex oratorum, quo ſenſu dicatur, 124 b
Gubernare, de nauigantibus proprie, de rempublicam adminiſtrantibus μεταφορικῶς, dicitur, 701 b

701 b *ad gubernacula reipublicae ſedere*, translatio vſitata Ciceroni, 68 a b
Gynaeceum quid, 956 a

H

Habere, pro habitare, 273 a
Habitare, pro diu manere, 422 b
Hadrianus, praetor Africae, 162 a 274 a
Haſta, auctionis ſignum, 384 a *haſtas abiicere*, qui dicantur, 477 a
Hereditas ſacrorum cum bonorum hereditate veniebat, 244 a hereditates ciuium Romanorum adire peregrinis legibus non licebat, 313 a *hereditates caducae*, quae, 1007 a
Hic, aduerbium, admirationem indicat, 280 b cum indignatione, 527 a 890 a
Hic, pronomen, de praeſentibus, 899 b 920 b
Hiempſal, Mauritaniae rex, 385 b 747 b *ſeq.*
Hirtio, conſule deſignato, grauiter aegrotante, populus Romanus pro eius incolumitate vota ſuscepit, 937 b 994 b 1007 b
Hiſpani, et Luſitani, nationes bellicoſiſſimae, 329 b
Hiſtriones quando exſibilarentur, 233 b boni argento donari ſoliti, 248 a tribu mouebantur, et ſtipendiis repellebantur, 528 a cum fabulas agerent, numeroſo cantu recitabant, 718 a eos cogebat populus, quae ſemel dicta placuerant, ſaepius eadem iterare, 720 a
Homero Smyrnaei, tamquam ciui ſuo, templum condiderunt, 543 b
Homo a *viro* diſtinctus, 35 b *homo*, ſententiae initio ſaepe vſurpatur, 161 b 173 b hominem homini natura conciliat, 476 b homines non differunt inter ſe genere, ſed animo et voluntate, 291 b eorum tria genera, 192 b
Honorat is, qui moritur, eum, cui aliquid legat, 15 a 304 a
Honoris cauſſa nomino, loquendi modus quando vſitatus, 56 a b
Horarum apud veteres ratio, 22 a b *ſeq.* 191 a b 346 a
Q. Hortenſius, in foro ſumma cum laude verſatus, 7 a partitionibus vtebatur, 30 a propter eloquentiam rex cauſſarum dictus, 123 b id agebat, vt nocentes rei ipſo patrono abſoluerentur, 143 b eius geſtus plus habebat artis, quam deceret, 90 a 122 b 215 a cognationi et neceſſitudini plus interdum, quam iuſtitiae, tribuebat, 289 a
Hoſtiae maiores, et minores quae, 420 a
Hoſtilianae actiones quae, 472 b
Hoſtium in numero aliquem ducere, pro extremo ſupplicio afficere, 270 a 278 a
Hotomani, Franc. laus, 690 a
Hui, admirantis, vel cum ironia dictum, 868 a
Humana bona cum diuinis Cicero confert, 881 a
Humanitas cuiuis homini a quouis homine quare debeatur, 53 a *humanitas* quo ſenſu accipiatur, et quas diſciplinas comprehendat, 522 a 523 a 754 a

I

Iacere, et *ſtare*, antitheta, 679 a
Ianus ſummus, *imus*, *medius*, 991 b
Ibi, ad rem ſpectat, 15 a b
Id adeo, genus loquendi Ciceroni familiare, 357 a b

Idibus vſuras creditae pecuniae ſoluere mos erat, 444 a 956 a
Idiotae, qui, 710 a
Ieſus Chriſtus appellarine debeat *ſeruator*, an *ſaluator*, 202 b
Ignorationis duo genera, 888 a
Ignotus, pro eo, qui ignorat, 152 a b 760 b
Ille, pronomen, quando vſurpetur, 736 a 870 b
Imago latius patet, quam *ſtatua*, 540 b 766 b imagines maiorum, qui curules magiſtratus geſſiſſent, in atriis ſeruabantur cum inſcriptione praenominis, nominis, cognominis, 393 b 684 b in funere geſtari ſolebant, 840 b 865 a b
Imbecillus, et *debilis* differunt, 651 b
Imbibere, quid denotet, 24 a
Immanis, plus, quam *ingens*, 221 b
Imperatores, ſtante republica, qui appellarentur, 870 b bis appellabantur, 780 b
Imperatoriae virtutes quae, 327 a b *ſeq.*
Imperium quibus daretur, 865 a in vrbe habere non licebat, 144 a 271 a
Impius, et *ingratus*, quo modo differant, 549 a
Impreſſio, pro impetus, 504 a
Improbi natura, a nocentibus diſtincti, 701 a
Improbitatis ſummae deſcriptio, 104 a
Improuiſus, et *repentinus* quo modo differant, 409 a
Imprudentia, pro inſcientia, 400 b
In, cum accuſandi caſu, loco auferendi, 19 b *ſeq.* 129 a 274 a 330 a et laudandi vim habet, et vituperandi, 539 b *in hoc tempore*, partem temporis ſignificat, 5 a
Inanimis rebus cum ſenſus tribuitur, quid exſiſtat, 31 a 331 a 883 a b 900 b
Incautus, qui, 229 b
Incenſus, qui, 314 b
Incolae, qui dicantur, 258 b
Incolumis opponitur *damnato*, 343 a
Increbeſcere, quid, 184 a
Inculcare, quid, 229 b
Indignatio, 71 b 178 b *ſeq.* poſt narrationem, 166 b 268 a 344 a 346 a 350 b 442 b 741 b 917 a
Indoles non modo in pueris et adoleſcentibus, ſed etiam in viris pro virtute eſſe dicitur, 230 a 768 a
Inducere, quid ſignificet, 169 b 413 a
Induciomarus, 297 b
Inducere ſe, vſitatus loquendi modus quid ſignificet, 270 b 285 b
Iners, qui, 651 a
Inertia plus habet vituperationis, quam *deſidia*, *ibid.*
Inferre, hoſtile verbum, 418 a pro inducere in rationes, 495 b
Infeſtum plus, quam *inimicum*, 12 b patiendi ſignificatione, 66 b 416 b 431 a 609 b 760 b 778 a
Informare, quid ſignificet, 523 b
Infortuna, vnico verbo, vſitatum, 819 b
Infractus, pro, fractus, 580 b
Infulae, ornamenti genus, 384 a
Ingenium, naturae bonum, non voluntatis et induſtriae, 332 b ſine induſtria non cognoſcitur, 759 b
Ingenuus, qui, 62 a b *ſeqq.*
Ingreſſus non exſpectatae ſententiae Ciceroni vſitatus 119 b
Iniicere, verbum temeritatis, 569 a
Inimicitiae mortales, et *ſempiternae*, quae, 873 a
Inimicum plus, quam *contrarium*, 12 b

Iniqui,

Iniqui, pro, obtrectatores, 289 a
Iniquitas et *iniuria*, 11 a
Inire viam, et *redire viam*, quid, 469 b
Iniurioſius minus, quam *iniurioſe*, 322 b
Innocentes quoque in iudicium vocabantur, 862 b
Innocentia antecellit reliquis virtutibus, 331 b videtur plus aliquid ſignificare, quam *probitas*, 882 a
Inopia rei familiaris maximum ad praeclare agendum impedimentum, 701 a
Inſanae ſubſtructiones, quae, 842 b
Inſania libidinum, de quo dicatur, 515 b
Inſanire, quid ſignificet, 190 a 242 a b
Inſepulta ſepultura, quae, 929 a
Inſinuare, nullo adiuncto caſu, 229 b 977 b
Inſolens, quid valeat, 65 a
Inſolentia, pro, ſumtus nimii, 1004 a
Inſtituere, pro decernere, 192 b
Inſula duplex, maior, et minor, 762 a inſulae erant in vrbe a ceteris aedificiis disiunctae, 846 a
Integer, pro, probus, 415 a
Interamnites, ab Interamnio, *Interamnates*, ab Interamna, 842 a
Intercedere, ſenatus quando dicatur, 191 a
Inter Falcarios, vicus Romae cur ita dictus, 512 b
Intermori, quid, 837 b
Internecinum bellum, quod, 1030 a
Interpolare, quid, 180 b
Interpretandi et corrigendi ratio optima, 727 a
Interpretis officium quod, 706 b interpretes erant apparitores, 62 b
Interpungendi mos apud veteres, 468 a
Interrogatio, oratio in Vatinium cur dicta, 743. 755 b
Inuidia, quid, 81 b ſaepe multos magis, quam culpa afflixit, 860 a
Iouius, Io. Maria, 803 a
Ipſi anni, pro, integri, 186 b
Ire in conſilium, quid denotet, 352 a ire ad militiam cogebantur vel per vim, vel multa, 998 a
Irrepere, quo ſenſu vſurpetur, 529 a b
Irridendi genus, monitoris et amici partes ſumere, 120 a
Is, pronomen, indicantis eſt, 70 b
Italia ad imperium adiuncta, exteris gentibus potentia Romanorum formidabilis, 973 b vniuerſa quando municipiorum iura poſſidere coeperit, 723 b Italiae oppida cuncta vel municipia, vel coloniae, vel praefecturae, 453 b *Italia*, oratorie, pro, Italiae pars, 977 a
Italici belli tempus, cauſſa, et nomina, 527 a
Itane eſt? itane? itane vero? itane tandem? indignantis notae, turpis et iniquae rei narrationem aut ſequentes, aut antecedentes, 31 a b 157 b 371 a
Iudex, et *arbiter*, apud Ciceronem confunduntur, 471 a 496 a iudex *grauis*, et *leuis* qui, 107 b iudex remittendi poteſtatem non habet, 87 a iudex quaeſtionis differt a praetore quaeſtionis, 58 a b 181 a 359 a 372 a iudicis appellatio initio orationis quid valeat, 5 a eius ſumendi poteſtas penes reum, 28 b in eo maxime requiritur fides, 913 b iudices a praetore quo modo darentur, 5 b a praetore dati non ius dicunt,

ſed iudicant, ex formula praetoris, 29 b cauſſa vtrimque perorata, in conſilium ibant, 30 a iurati ſententiam ferebant, 134 b 143 b 154 b 359 a 636 a 763 b qui de conſtituendo accuſatore iudicabant, iidem poſtea de reo iudicare conſueuerunt, 96 a b *iudices ſelecti* qui, 617 a iudicum tres decuriae, 933 b

Iudicia quando etiam *arbitria* vocarentur, 5 b *publica* quae, 97 b *ſeq.* 522 a non attinebant ad praetorem vrbanum, 179 b in foro fiebant, 59 b 97 a 769 a in baſilicis, 735 a a Sulla equitibus ademta, 55 a 97 a ex tribus ordinibus conſtabant, ſenatorio, equeſtri, plebeio, 652 b de ſicariis ciuili bello intermiſſa, a Sulla reſtituta, 58 a 59 a *iudicium priuatum*, quod, 522 a in iudicio vbi de re aliqua contenditur, quid magni referat, 4 a b *iudicium pati*, vel *accipere*, quid ſignificet, 41 b 42 b *iudicium dare*, pro iudices, 127 a 199 a *in iudicium habere*, locutio parum vſitata, 94 a *iudicio perfundere*, quid ſignificet, 72 a

Iugum, quid, 212 a b

C. Iulius Strabo, 129 a

Iuno Soſpita, 488 a

Iupiter Hoſpitalis, 198 a Imperator, 258 b Ioui Statori cur templum Romulus exſtruxerit, 443 a b

Iurare in litem, quid, 85 b

Iureconſultus, an *iuriſconſultus* ſcribi debeat, 469 a

Ius, pertinet ad praetorem, non ad iudices, 29 b 40 a 47 a ciuile a praetorio diuerſum, 170 a 307 a ſummum, 303 b varium, 310 b ſcriptum breue, et minime obſcurum, 472 a controuerſum, *ibid.* b *naturae*, et *ciuile* vt differant, 697 b *ſeq.* ius gentium commune omnium debet eſſe, 876 a *ius*, pro conditione, 278 a *ius Latii habere*, aliud, quam, *Romanae ciuitatis*, 803 a *ex iure manu conſertum*, pro, ad litigandum, 469 a

Iuſtitiae fundamentum, fides, 897 b

M. Iuuentius Laterenſis, 752 a b

L

Labefactare, quid, 352 b

Laberius mimis excelluit, 772 a

Labores cum *periculis* ſaepe Cicero coniungit, 290 a b

Lacerna, quid, 951 b

Laedere, et *laudare* opponuntur, 89 a 98 b *ſeq.* 198 b 298 a 967 b

C. Laelii duo, vterque Sapiens dictus, 229 b 410 a b 482 a 1013 a

Laeſtrigones, 282 b

Lamentatio epilogis maxime accommodata, 278 b 487 a

L. Lamia, princeps equeſtris ordinis, edicto Gabinii conſulis cur relegatus, 814 b *ſeq.*

Laniſta, quis, 78 a 816 a b

Latere, cum dandi caſu apud Ciceronem ſingulare, nec cum accuſandi caſu crebro reperitur, 444 b

Latii terminus qui, 528 a b

Laudandi materia vnde ſumatur, 882 a b laudandi modus Ciceroni familiaris, 46 a b ex comparatione, 329 a

Laus in tria genera diuiſa, praedicationem, litteras, monumenta, 899 a laus magna, vbi famam res ipſa vincit, 524 a

Lautia, quae, 466 b

Lecti cubiculares, et tricliniares, 253 a

Lecticarii,

Lecticarii, qui, 79 b
Legare ab aliquo, modus loquendi, 347 a
Legationes liberae ſenatoribus dabantur, 504 b ſenatus conſulto dabantur, 680 a earum cauſſae, 384 b
Legatus imperium habebat, et lictoribus vtebatur, 160 b praefecto antecellit honore, 226 a legatus potius, quam quaeſtor, praeeſſe claſſi debuit, 281 b legati imperium in prouinciis non habebant, 723 b qui in prouincias ibant, legatos, quos ſecum adducerent, a ſenatu petere conſueuerant, 656 a legatorum et tribunorum plebis corpora putabantur ſacroſancta, 323 a
Leges cur promulgarentur, 941 a et ſine ſenatus conſulto, et contra ſenatus voluntatem ferebantur, 618 a in templis ferebantur, 660 a non a ſenatu, ſed a populo ſanciebantur, 620 b aereis tabulis incidebantur, 456 a 582 b 828 a vbi ſeruarentur, 456 a eas ſuadere, aut diſſuadere, ante quam ferrentur, non modo magiſtratibus, verum etiam priuatis hominibus licebat, 653 b 706 b 751 a b in iis quaedam ex naturali iure, quaedam ex eo, quod ciuium ſententia comprobauit, ſcripta, 698 a legum antiquarum principium quale, 935 b poſteriores quaeque duriores, 154 b legibus ſeruire, libertas, 413 b lex vel auſpiciis, et interceſſione impeditur, vel ſuffragiis antiquatur, 691 a quando a ſe ipſa infirmetur, 688 a eius impediendae duo genera, obnunciatio, et interceſſio, 691 a *lex*, pro pactione, 174 a pro comitiis, 401 b *legem ferre*, et *abrogare*, contraria, 464 a lex Acilia, de repetundis, 145 a 154 a b Aebutia, 399 b Aelia, 553 b 657 b 674 a 713 b 749 b 811 a lex L. Antonii, de magiſtratibus, a Caeſare deſignandis, 995 a b Aurelia 84 97 a 131 b 133 b 181 b 204 b 240 a 353 b 368 b 370 b 433 b 522 a 617 a 619 a 760 b 861 b 933 b Caecilia et Didia, 574 a 578 a b 732 b *ſeq.* 977 a Calpurnia, de ambitu, 477 b 516 a de repetundis, 112 b 154 a b Clodiae, 656 b *ſeq.* 728 b 790 a b Cornelia, de proſcriptis, 78 b *ſeq.* 172 b 809 b de iudiciis, 195 a 352 a 356 a b 371 a 617 a 933 b de repetundis, 112 b 153 b 154 b 859 b teſtamentaria, 170 a nummaria, *ibid.* tribunicia, 179 b de veneficiis, 339 b 372 a de praetoribus, 171 b Domitia, 398 a b 763 a Falcidia, 169 b frumentaria, 705 a Fufia, 553 b 657 b 674 a 749 b 811 a Furia, 169 b lex L. Gellii, et Cn. Cornelii, vt ciues Romani eſſent ii, quos Cn. Pompeius imperator ciuitate donaſſet, 793 Hieronica, 189 a Iulia, de ciuitate, 528 b 529 a de repetundis, 754 b 824 b 851 859 b Laetoria, 98 a Licinia, 399 b agraria, 704 b *ſeq.* de ſodalitiis, 609 616 a 618 a Licinia Iunia, 733 a b 755 b Licinia et Mucia, 387 a 803 a 805 a Lutatia, 838 a Manilia, de ſuffragiorum confuſione, 478 a Memmia, 69 a 756 a Papiae, de ciuitate, 386 b 528 b *ſeq.* 804 a Plautia Papiria, de ciuitate, 526 b 528 a b 529 a Plautia, de vi priuata, 838 a Pompeia, tribunicia, 144 a 149 a iudiciaria,

iudiciaria, 831 a C. Pompilii, pro debitoribus, 93 a Porcia, 285 a 431 b 432 a 447 a b 459 b Remmia, 68 b Roſcia, 476 a 715 b Sacratae, 574 b 644 a 679 a 790 b Scatinia, 966 a Sempronia, de iure ciuium Romanorum, 285 a 396 b 432 a 447 a b de iudiciis, 396 b de prouinciis, *ibid.* 776 781 b 806 a Seruilia, de iudiciis, 370 b de repetundis, 154 a b 804 a 859 b 866 a Tabellariae leges, 395 a 704 b Tullia, de ambitu, 464 a 487 a b 509 b 516 a 756 b Valeria, 78 b *ſeq.* Vatinia, de alternis conſiliis reiiciendis, 752 b de legatis deligendis, 756 a quae Caeſari citeriorem Galliam cum Illyrico dederat, 785 a b Villia, 394 b 986 b Voconia, 169 b 966 a

Legio tria genera peditum continebat, 800 b legiones Macedonicae quae, 981 a

Leontinum, 213 b *ſeq.* 216 b

Libella, et *as*, idem valent, materia differunt, 19 a 86 b 186 b *ſeq.*

Liberalitas, vocabulum generale, 187 a b

Liberi, de vno tantum dicuntur, 330 b 347 a 785 a 927 b *ſeq.* 967 a

Liberi populi, qui, 238 a

Libertas tacita, quae, 395 a libertatis imminutae ius ad populum Romanum pertinet, 151 a

Liberti, et *libertini*, qui, 62 a b *ſeqq.* liberti praenomen et nomen accipiebant a patrono, 57 a libertini ex infima plebe fuerunt, 711 a

C. Licinius Geta, 367 b

C. Licinius Macer, 430 a

Lictores erant liberti, 62 b 162 a lictoribus laureatis vtebantur, ex aliqua victoria imperatores appellati, 949 a

Ligurrire, quid, 233 a

Litis aeſtimatio in cauſſa repetundarum damnationem ſequitur, 366 b *ſeq.* 859 a *litem dare*, pro iudicare, decernere, 85 b *litem conteſtari*, quid, 91 b 94 b

Litterae, pro eo, quod ſcriptum eſt in rationibus, 232 a pro eo, quod ſcribitur teſtimonii, memoriaeque cauſſa, 274 b *litterae publicae*, quae, 418 b *litteris imponere*, quid, 500 b *litteris parcere*, quid, 246 b *a litteris non alienus*, ambigue, 193 b

M. Liuius Druſus, 434 a 526 a 615 a 750 b 838 b 863 a b *ſeq.*

Locus, pro, dignitas, 81 b 145 a 173 a 349 b 373 b 545 a 548 a pro, occaſio, 288 a 844 b locus ad oſtendendam cauſſae iniquitatem, per quandam rei et aduerſarii contentionem inductus, 44 b *loca publica*, et *religioſa*, quae, 699 a loci communes quo modo ab interprete explicandi, 327 a *loco dicere, loco inſanire*, vetus locutio, 692 a

Λόγος ἠθηκός, 734 a

Loqui ſecum, quid, 908 b

Lucani error, 183 b 230 b

Luci, antique pro *luce*, 1020 a

L. Lucilius, iuriſconſultus, 37 b

L. Lucullus quibus ornatus laudibus a Cicerone, 327 b quo anno triumphauerit, 475 b villam praeclaram habuit in Tuſculano, 698 b eius et Pompeii inimicitiarum origo vnde fluxerit, 675 b

Xxx Ludi

Ludi in theatro dabantur, 715 a eos etiam principes viri ſpectare conſueuerant, 545 a eos ſpectabant ſedentes in theatri gradibus, 718 a eos ſpectare in orcheſtra quibus licuerit, 369 a 947 a Apollinares quis dederit, 475 b 476 a 717 b 937 b 1006 b ludi Plebeii, Romani, Victoriae, Votiui, 141 ab ludi magni, qui et Romani dicebantur, a quibus darentur, 810 a *ludorum magiſtri*, qui vocarentur, 740 b *ſeq.* praetexta vti ſoliti, 810 b

Ludii, qui, 716 a

Lupercalia, quae, 954 a

Luperci a quo, et in cuius honorem inſtituti, 764 b 993 ab

Luſtrare plus, quam *peragrare*, 882 b interdum eſt, circuire, *ibid.*

Luteus, pro, hebes ac tardus, 213 b *luteum negotium*, quid ſignificet, *ibid.* 247 b

Lux, et *lumen*, pro, dies, 849 a 872 a

Luxuries differt a *libidine*, 821 b

M

Mactare, pro placare, 748 a

Maecenas, quo modo ſcribi debeat in prima ſyllaba, et cuius gentis fuerit, 373 ab

Maereri, paſſiue, 694 a

Maeror corporis, *dolor* animi, 683 b plus, quam, *dolor*, 1010 a

Magiſtratus curules qui, 373 b non omnes faſces habebant, 864 b patricii, et plebeii qui, 401 b 573 a omnes poſtremo, excepto interrege, plebi communicati, 17 b in quos a populo conferrentur, 907 a eorum inſignia quae, 373 b magiſtratum gerenti moleſtus eſſe, priuatae rei cauſſa, nemo poterat, 647 a magiſtratum alium petere non poteſt, qui gerit, nec, qui abeſt, niſi ſoluatur legibus, 422 a magiſtratus et nunciationem habent, et ſpectionem, 952 a

Magiſtri, qui venditioni bonorum praeſunt, 36 b

Magnitudo rei ex nominis inopia demonſtratur, 1030 b

Magnus, et *amplus*, vt differant, 636 b

Maieſtas, populo Romano tribuitur, 414 a maieſtas publica laeditur, cum homo priuatus domi ſuae duces hoſtium tenet, 151 a

Male agere, quis dicatur, 34 b 37 a 49 b *male vendere*, quid, 240 b

Maleficus, generale nomen, interdum vnius criminis proprium, 209 a

Mallius, pro, *Manlius*, ſaepe ſcribendum, 61 b

Malo, cum *potius*, 114 b

Mancipes, qui, 232 b 571 a 575 b

Mancipii ius, quid, 311 a 597 b

Mandati iudicium turpe, 77 ab

Manilianae actiones, quae, 472 b

Manlii nobiles, et patricii, Mallii ignobiles, et plebeii, 61 b 442 a 611 ab

L. Manlius Acidinus, 410 a

M. Manlius, 510 b

T. Manlius Torquatus, 511 a

Manubiae, quae, 386 a

Manumiſſionum tria genera, 432 a

Marcellea, quae, 192 a

C. Marcelli duo, 883 b

C. Marcellus, iudex in cauſſa Verris, 110 b *ſeq.*

C. Marcellus Aeſerninus, 111 a

M. Marcellus, Aeſernini pater, 37 b *ſeq.* 112 a 174 a

M. Marcellus ciuili bello Pompeium

ium ſecutus, 879 a P. Magio Chilone interfectus, 880
C. Marius belli Iugurthini gloriam multis praeclaris factis Metello debitam intercepit, 661 b conſeruator patriae, *ibid.* ſemper ex hoſtibus reipublicae victoriam retulit, *ibid.* quas res in vnoquoque conſulatu geſſerit, 662 a ignorauit Graecas litteras, 537 b *ſeq.* eius monumentum, 717 a
Maſſiliam Romani exſules in exſilium ibant, 450 b
Maſſo, cognomen Papiriae gentis patriciae, 804 b
Maſtruca, Sardorum veſtis, 780 b
Q. Maximus Eburnus, 475 b
Medicina Romanis non erat in numero artium liberalium, 350 a
Medimni menſura, 216 a
Mediolanum, caput Inſubriae regionis, 825 a
Megaleſia, quae, 599 a 600 a
C. Memmii duo, 755 b 858 b
Menia columna, 125 b 347 b 722 a
Mens liberalis in muliere non laudatur, 769 b
Mercaturam exercere, ſenatoribus non licebat, 411 a
Mereri, pro ſoluere, et impendere, 259 b
Meſſana, vrbs, *Mamertina*, ciuitas vocata, 184 b *ſeq.* 206 a
Metaphora non repente, et cum impetu irrumpit, ſed pedetentum, et placide in orationem ingreditur, 667 b per oppoſitionem, ab Ariſtotele laudata, 679 a quando perfecta, 688 a metaphorae duorum generum in eadem periodo damnantur, *ibid.*
Q. Metelli verſus in Naeuium, 289 b *ſeq.*
Metellorum familia nobiliſſima, 214 b 727 b
Q. Metellus Creticus, 194 b 331 a 484 a 490 b 526 b 823 a
Q. Metellus Macedonicus, 474 a eius porticus, 258 a
Q. Metellus Nepos inimicitias, quas cum Cicerone exercuerat, reipublicae remiſit, 687 a b
Q. Metellus Numidicus, Metellorum omnium praeſtantiſſimus, 238 b 727 a b
Q. Metellus Pius, a P. Scipione adoptatus, 722 a
Mihi, ornatus cauſſa, 450 a
Miles aere dirutus, qui, 265 b *infrequens*, qui, *ibid.* a
Militaris rei ſcientia quo modo parari poſſit, 327 a b
Milo cur damnatus, 833 ei erepta poteſtas Clodii accuſandi, 791 b
Miltiades accuſatus, et damnatus, in vinculis diem obiit, 737 a
Milyas, ciuitas Pamphyliae, 167 a
Mimus differt a fabula, 772 a
Mina, quid, 17 a
Mineruae ſimulacrum a Cicerone in templo Iouis Capitolini collocatum, et conſecratum, 592 a b
Minime ſtultus, pro, ſapientiſſimus, 916 a
Miſenum, maritima villa in Baiano litore, 947 b
Miſer, pro afflictus, et calamitoſus, 158 a
Miſeratio plurimum valet in epilogis, et vnde maxime commoueatur, 51 b 81 b eius commouendae partes nonnumquam ſubit patronus ipſe, 850 b
Mithridates quibus cognominibus ab Aſiaticis ornatus, 498 a
Mitra, quid, 603 a 870 a b
Mitylenae, oppidum in Lesbo inſula, 404 b

Moderari, pro, regere, 319 b vitii correctionem ſignificat, 640 a
Modo, pro temperate, 24 b
Moenia, pro extremis aedificiis, 274 a
Moleſtiam conſequi, an Latinum, 200 b
Moliri, quid ſignificet, 273 b
Monedula aurum et argentum auide furatur, 500 b
Monumentum, quid, 577 b
Morbus, de animo, 242 a
Mortis vitatae ignominiam vt excuſent non oratores modo, ſed etiam poetae, moriendi cauſſae maiorem viuendi cauſſam opponunt, 871 b *mortem obire*, locutio poetis et oratoribus aeque communis, 692 b
Mortuorum corpora cremari, Romae mos, 53 b
Mos maiorum optimis reipublicae temporibus valuit vt lex, 687 b *moribus agere*, quid, 696 b
Mouere, pro auferre, 494 b
Mucia, quae, 192 a
Q. Mucius Scaeuola, pontifex max. 67 a 127 b 187 a 238 a 308 b 614 b
Mulieres in tutorum poteſtate, 310 b 470 a 500 a
Multum, aduerbii loco, pro valde, 426 a
Mummius cur Achaici cognomen adeptus, 474 a
T. Munatius Plancus Burſa, tribunus plebis, quare *ambuſtus* a Cicerone vocetur, 837 b eum de vi lege Pompeia damnatum Caeſar dictator reſtituit, 990 a
Mundus, quid ſignificet, 608 b
Munero, et *muneror*, idem valent, 916 a
Municipes, qui, 60 b
Municipia, vnde dicta, 60 a ſeorum triplex conditio diuerſis temporibus, *ibid.* quae ſuis legibus viuerent, 797 b iis quattuoruiri praeerant, 648 b
Munus, pro eo, quod aratores pendunt, 237 a de quibus proprie dicatur, 722 a
Murena, an *Muraena* ſcribendum, 463 a
Mus, Deciae gentis cognomen, 1024 b
Muſica ars cur Romae contemta, 473 a 528 a
Mylaſa, 980 a b
Myoparo, quid, 164 b

N

Naeuii poetae dictum in Metellos, 214 b 289 b
Nam, interdum vim habet affirmandi, non probandi, 173 b *ſeq.* 194 a 236 a b
Narrationum in orationibus quot genera, 342 a narrationis initium Ciceroni vſitatum, 12 b 126 b 172 b 343 a
Natio, latius patet, quam *gens*, 671 a
L. Natta, pontifex, 483 b
Neapolitani quando ciues Romani facti, 524 b 529 a
Nec, pro non, 15 a
Necatus, pro, vexatus, 848 a
Neceſſarius, pro, affinis, 289 a
Neceſſitudo, pro, affinitas, 289 a plus, quam *amicitia*, 318 b
Neſarius, quis, 195 a b
Negantium particularum vis, 286 b neganti copulae affirmantem ſubiungere ſolet Cicero, 6 b
Nego, non ſemper negat, ſed etiam affirmat, 48 b
Negotiari quibus liceret, 199 b 250 a 325 b
Negotium, continet maius quiddam, quam *res*, 543 a *negotium*

tium faceſſere alicui, pro, reum facere, 260 a
Nemo, modo negat, modo affirmat, habita ratione compoſitionis, 48 a b 86 a 496 a
Nepotes, qui, 233 b
Neque, modo antecedit, modo ſequitur, 1011 a *neque enim erant obſcura*, *neque enim erant occulta*, et ſimilia, frequens Ciceroni loquendi modus, 350 a 395 b 666 a
Nerui populi Romani qui, 406 a
Nexus, quis diceretur, 464 a *nexi ius*, quod, 597 b
Nicaeae duae, 628 a
L. Ninnius, tribunus plebis, retulit ad ſenatum de reditu Ciceronis, 653 a
Niſi, negandi vim habet, 72 b 79 b *niſi forte*, et affirmantis, et negantis, 163 a 185 b 201 b *niſi ſi*, negantis, interdum dubitantis, 72 b *niſi vero*, negat, *ibid.*
Nitedula, vel *nitela*, muris exigui genus, rubri coloris, 686 b
N. L. nota iudicum in cauſſa dubia, cum non liqueret, 69 a
Nobiles, qui vocarentur, 27 a 650 a 882 a
Nobilitas valet plurimum ad opinionem hominum excitandam, 650 a eius commune malum arrogantia, et ſuperbia, 138 b
Nolo, non ſemper negat, ſed etiam affirmat, 48 b
Nomen, pro familia veteres vſurpabant, 650 a 687 a pro cognomine poſitum, 650 a *nomina*, pro debitoribus, 264 a pro, praenomen, nomen, cognomen, 687 a 692 b nominum in ſimilitudine quidam lepor, 368 a
Nomenclator, qui, 485 a
Non, particula repetita venuſtatem habet, 602 a affirmationem gignit, 873 a *non modo*, pro nedum, 164 a 260 a *non nimis*, quid ſignificet, 130 b
Notae iuriſconſultorum quae, 469 a
Notus opponitur *nobili*, 138 b pro eo, qui nouit, 152 a b 760 a in malam partem, pro, corruptus, 399 b 765 b
Nouum, et *iniquum*, quo modo differant, 26 b
Nuda prouincia, pro exhauſta, deſpoliata, 260 a
Nullus, pro, numquam vllus, 142 b
Numeri iucunditatem quaerit Cicero, 5 a *in numerum*, quid, 245 a b
Nummus, et *ſeſtertius*, idem, 56 b *nummus ſeſtertius*, pro minima pecunia, 876 b *ſeq.*
Nunc, pro ſed, Graeco more, 39 a 473 a 540 a 890 a
Nuper, de patrum aetate, 335 a

O

Obiectio per ironiam inducitur duobus modis, vel cum, *at enim*, vel cum, *at credo*, 137 b *ſeq.*
Oboriri, verbum luci accommodatum, 899 a
Obſeruare, pro, alicuius honori inſeruire, 947 b *ſeq.*
Obſoletus, pro, communis, vſitatus, 276 b
Obſtrepi res videntur, parum vſitate, 883 a
Occupare pecuniam, quid ſignificet, 165 b 318 b 496 a b *occupatus*, obſcurae diligentiae ſignificationem habet, 468 a
Octauianus Caeſar, annos natus XIX priuato conſilio contra M. Antonium arma ſumſit, 963 b ei auum argentarium M. Antonius et Caſſius Parmenſis exprobrare ſoliti, 659 b
Oculi ſenſus omnium praeſtantiſſimus,

ſimus, 768 b oculorum flagrantia in meretricibus cernitur, 769 a
Odium, quid, 346 a
Offendere, interdum patiendi ſignificationem habet, 161 a b 850 a
Ὁμοιοτέλευτον, 721 a 835 b
Opera, pro actiones, Latini ſermonis elegantia reſpuit, 575 a b
Operae pretium eſt, pro, alienum non eſt, 69 b *operas dare*, quid ſignificet, 621 a
Opes, quid, 713 b 855 b *opibus valere*, quis dicatur, 713 b
L. Opimius quare, et a quo damnatus, 735 a b
Opinans, participium, ſemper cum, *nec*, numquam cum, *non*, Cicero coniungit, 513 b
Oppianicus multis veneficii criminibus a Cluentio accuſatus, 344 b *ſeq.*
Opprimi, qui dicatur, 870 b
Orare, et *rogare*, quo modo differant, 102 a b
Oratio requirit prudentiam ac mentem, 566 b quae ſimilitudinem verſus habet, vitioſa, 820 a orationum genera quae, 852
Orator quo modo in iis verſetur, quae ſunt extra cauſſam, 14 b *ſeq.* fingit a ſe praeteriri, quae leuiora ſunt, aut etiam ignorantur, 136 a eius definitio, et munus, 351 a amat integrum numerum, 441 a b iudicibus, et populo quando deſit, 660, b aeque vtitur veriſimilibus, atque veris, 898 b in eo quae requirantur, 852 oratores augere culpam in inimicis, in iis, quos defendere, ſibique conciliare ſtudent, imminuere ſolent, 644 b res ad perſonas varie ſolent, vt cauſſa fert, accommodare, 730 b quod in ſententia magis valet ad mouendum, id in extremo collocare conſueuerunt, 738 b
Oratoriae artis eſt, cauſſam odii a priuata iniuria remouere, et ad publica delicta transferre, 595 b quod obiici nobis ab aduerſario poteſt, id praeripere, et aut argumento refellere, aut excuſando eleuare, 667 numero vti multitudinis pro ſingulari, 691 b oratoriae calliditatis eſt, tribuere ſermonem aduerſariis contra ſe ipſos, 38 a 134 b
Orbis terrarum maior et nobilior pars imperio populi Romani tenebatur, 681 b
Orcheſtra quid, 780 a b ſenatorum erat in theatro, 947 a
Ordine, pro ſapienter, 24 b
Oreſtes, 70 a 602 a
Ornare, pro inſtruere, 124 a 321 a 401 a 486 b 995 b
Os, ſimpliciter dictum, pro impudentia ſumitur, 822 b 826 a *os duriſſimum*, pro ſumma impudentia, 46 a
Oſtendere, valet ſpem verbis afferre, 101 a
Oſtienſis quaeſtura cui obtigerat, is rei frumentariae praeerat, 662 b *ſeq.*
Ouantium corona myrtea, 823 a
Ouidii laus, 256 a

P

Paeti, Luc. laus, 420 a
Palaeſtrae erant quoque in aedibus priuatis, 292 b
Palatina tribus ſtudioſa perditorum ciuium, 714 a b
M. Palicanus, 196 b
Palma lemniſcata ceteris nobilior, 75 b palmis gladiatores poſt victoriam coronabantur, 61 a

61 a 75 b *palmae,* pro caedes, 61 a 73 a
Palmaris, 991 ab
Panchreſtum, quid, 228 b
Pañtagathi, Octau. laus, 711 a
L. Papirius Potamo, 118 a 226 b 229 a 250 a
Παράγραμμα, 56 a 675 b 1023 b 1024 a
Paret, verbum in formulis, 127 ab 187 b 215 b 217 a
Parici quaeſtores, qui, 16 b
Parricidium ſcelere grauius, 286 b de patriae hoſtibus vſurpatur, 903 a
Partes primas, ſecundas, tertias, agere quis dicatur, 124 b
Partim, aduerbium, pro nomine, 821 b
Pater filio ſatis idoneus eſt officii iudex, 512 b *pater patratus*, qui, 314 b
Patronorum numerus, et agendi ordo, 123 b *ſeq.* patronus innocentiae ſuae fama cauſſae actionem magnopere adiuuat, 913 a patronos ſibi ciues ſubiectae vrbes deligebant, quem quaeque maxime probabat, 640 b
Patrui, acres et aſperi obiurgatores, 764 b
Peccatu, pro *peccato*, 206 b 286 b
Pecuarii, vnde vocati, 106 b 324 b 409 b
Peculiare, quid, 213 b
Peculium, quid, 166 b
Pecuniae nomen vnde ortum, 18 a *pecunia*, pro bonis omnibus, 57 a 65 a 81 b *pecunia attributa*, quae, 156 a pecunia certa petitur ad iudicem, incerta ad arbitrum, 86 b *pecuniam expenſam ferre*, quid, 84 a
Pegaſus vnde ortus, 47 a
Peloris 263 a
Pendere, transfertur ad animum, et vſurpatur in rebus dubiis, 411 a
Per ludum, et *per negligentiam*, quid, 291 a *per ſe*, pro ſua ſponte, 89 b
Perditus homo, qui, 656 b
Perductores, qui, 155 b
Perduellionis crimen inter crimina maieſtatis maximum, et grauiſſimum, 428 a 431 a 609 616 a eo damnatorum ſupplicium quale, 431 a 432 a in eo iudicio accuſator poteſtatem habuiſſe videtur praeſcribendi temporis rei defendendi, 429 b illud a Cicerone ſublatum, 432 a b
Perfunctus, pro, liberatus, 891 b
Pergamus, Aſiae caput, 497 b
Peripetaſmata Attalica, 246 b
Periſtylum, quid, 587 a
Pernicies, an *pernicii*, generandi caſu Cicero dixerit, 79 a
Perorandi locus ex patronis dabatur eloquentiori, 123 b *ſeq.*
M. Perperna, 85 a 89 b 283 b
Perſequi aliquem, pro conferre ſe ad aliquem, 965 a 973 a
Perſonae alienae loquentis inductio, 113 a b ſecundae exemplum ad alias transferri ſolet, 912 b
Perſtringi, ad offenſiones animi transfertur, 411 b
Pertendere plus, quam *conferre*, 797 a
Pertinacia, in mala cauſſa dicitur, 695 a
Petitio, pro petendi facultas, 170 b
M. Petreius, 642 a
Phaedrus, philoſophus Epicureus, 979 a
Phalaris, tyrannus Agrigentinus, 828 a
L. Philippus, orator, 8 b 583 a
Philippum, vltimum Macedoniae

niae regem, quis deuicerit, 474 a
Philodemus poeta, 827 a
Philomelum, 235 b
Pinarii et Potitii a quo ſacra didicerint, 587 a
Piratae capti ſecuri feriebantur, 271 a
C. Piſo, Ciceronis gener, 812 a
L. Piſo, 299 a
L. Piſo, cur Caeſoninus Caluentius dictus, 554 b 778 b matrem habuit homine Gallo natam, 650 b in adoleſcentia etiam ſeuerus, 827 a Caeſaris ſocer, 733 b duumvir Capuae, 815 a indoctus Epicureus, 651 a ei vitioſus fuit oculus, 811 a cur barbam aleret, 813 b inuectus in M. Antonium, nemine aſſentiente, 930 b
Pius, qui, 549 a
Planus, Graecum verbum, quid denotet, 356 a
Plebiſcitum, quid, 402 a
Plebs vrbana, et ruſtica quae, 581 b
L. Plotius, rhetor, 535 a
Plutarchi *ἀνιςορησία*, 641 b error, 364 b 677 a
Poeta differt ab oratore, 521 b poeta ſummus quid a natura ſumat, quid eruditione conſequatur, 522 b poetam Ariſtoteles negat eſſe, qui non fingit, 326 b poetae cur *ſancti* ab Ennio dicti, 533 b canebant ſuos verſus non ſolum in coetu familiari, ſed etiam in foro, audiente populo, 525 b
Cn. Pompeius primus eques Romanus triumphauit, 335 a b cum faſciis cretatis vteretur, a Cicerone carpitur, 603 b de tribus orbis terrarum partibus triumphauit, 681 b 724 b 796 a duumuir Capuae, 815 a pulſo Cicerone, aliquandiu in publicum prodire non auſus, metu Clodii, 812 b cum Clodio in gratiam cur redierit, 839 a cur Ptolemaei regis amicus, 867 a eius domus vbi ſita, 605 b eius ſtatua vbi, 937 a
Q. Pompeius, 290 a 296 b 465 b
Pontificatus, pro pontificum ſcientia, 598 a
Pontifices max. a quibus crearentur, 398 a
Populare, quid, 215 a
Populatus, patiendi ſignificatione, 100 b
Populus Romanus ob quas cauſſas bellum inferre ſolitus, 675 a in magiſtratu mandando iudicium ſuum oſtendit, 705 b quinque claſſibus diſtributus, in campum Martium ad comitia veniebat, 952 b populus, cum in theatrum populares ciues ingrediebantur, ad beneuolentiam ſignificandam, plauſum dabat, *ibid.* 715 b apertis valuis eius templi, in quo ſenatus haberetur, audire potuit, quae in ſenatu dicerentur, 989 a *populus*, pro, ea multitudo, quae ſenatui et optimatibus aduerſatur, 704 b eius ſenſus vnde cognoſcatur, 714 b *ſeq.* eum cur *fluctus* vocet Cicero, 768 b *populus fundus fieri*, quando dicatur, 791 797 b 801 b
Portitores, vnde vocati, 106 b 324 b 409 b
Poſſe vincre, vſitatus loquendi modus, 67 a
Poſſideri bona ex edicto praetoris iure poſſunt, ſi nemo ſatisdet, 48 a
Poſtea, pro poſtremo, 313 a
Poſt illa, pro poſtea, 169 b
Poſtliminio ciuitatem amittere qui diceretur, 798 b

Poſtremi homines, qui, 80 a
Poſtue ea, antique, pro, *poſtea-ve*, 169 b
Poſtulare idem, quod reum deferre, 108 b *ſeq.*
Poſtulatio, quid valeat, 598 b 601 a
Poſtumi, qui dicerentur, 855 a
Poteſtas, de magiſtratu dicitur, 682 a
Praecipitare, quid valeat, 605 b
Praecipitem deiicere, quid, 255 a
Praecones erant apparitores, 62 b
Praeda, quid, 386 a ex hoſtibus parta geſtari ſolebat in triumpho, 784 a
Praedes, et *praedia*, quid, 175 b *praedes litis vindiciarum*, qui, 171 a
Praeditus, tam de malis, quam de bonis rebus vſurpatur, 104 b
Praefecturae ſuis legibus vtebantur, 453 b non habebant ius ſuffragii, 613 b iis a populo, aut praetore miſſi ciues Romani praeerant, 648 b
Praefectus tribuno militum antecellit honore, 226 a
Praeiudicium, quid, 110 a b praeiudicia multum habent ponderis ad eorum damnationem, qui propter eadem crimina in iudicium vocati ſunt, 365 b
Praeneſtina colonia quo tempore deducta, 442 a
Praeripere cauſſam alicui, quid ſignificet, 125 b
Praerogatiuae centuriae, et tribus, 140 a praerogatiua centuria omen comitiorum, 476 a 952 b
Praeſens tempus, pro futuro, 239 b
Praeſertim quod, eleganter pro, *in eo quod*, 494 a
Praeſtare alienum factum, quis dicatur, 662 b
Praeſtigiae, quae, 874 a
Praeſtolari, cum accuſandi, et dandi caſu vſurpatur, 446 a 942 a
Praeterire, quid, 417 a
Praetexta quot hominum genera vterentur, 739 b *ſeq.* ea feminae ante quam nuberent, mares ante annum XVII vtebantur, 170 b magiſtratuum toga, 712 a eius color, 741 a
Praetor, vnde dictus, 174 b praetorum numerus, poteſtas, inſignia in vrbe, et in prouinciis, 10 a b *ſeq.* *praetor primus*, cur ſic dictus, 318 a 401 a *praetor Romanus*, et *peregrinus*, qui, 26 a praetores duo, vrbanus et peregrinus, ius dicebant, ceteri quaerebant, 522 a 765 b praetor vrbanus initio magiſtratus edictum, quod in annua iurisdictione ſeruaret, componere ſolebat, 169 a praetores dabant iudices, iurisque formumulam, 90 a 187 b locabant publica opera, 175 b praetores quot lictoribus in vrbe, et in prouinciis vterentur, 330 a 420 a praetor non iudicat, ſed quaerit de crimine, 58 a eius non eſt, in publicam perſonam animaduertere, ſed populi Romani, 159 b *praetor*, pro, proconſul, 191 a 225 b *praetor*, et *propraetor* dicebatur, qui praetoriae prouinciae praeeſſet, 898 a
Praetura erat maior magiſtratus, 318 a eam licuit petere, aedilitate omiſſa, 712 a qui ſenator non eſſet, ei petere non licebat, 250 b praetura vrbana quaeſtuoſa, 169 a
Pretium conficere, quid, 36 b
Primipili centurio, ſummus ordo inter pedites legionarios, 800 b

Primus homo, pro, primarius, 285 a
Princeps equeſtris ordinis, quis, 130 a *iuuentutis*, laus adoleſcentibus tribui ſolita, 174 b *ſenatus*, quis, 130 a 663 a idem fere princeps ciuitatis, *ibid.*
Priuilegium, quid, 559 b 679 a
Pro, et, *ante*, et, *in* ſignificat, 657 b 744 b 811 b 980 b *ſeq.*
Proagorus, 255 a
Proconſules, propraetores quoque vocati, 238 b 897 a 898 a
Procuratio, quid, 608 b
Procurator, qui, 309 b a *cognitore* quo modo differat, 109 b *ſeq.*
Producere minus, quam *adducere*, 422 a b
Profligare, plus, quam, *incipere*, minus, quam, *conficere*, 785 a
Profligatus interdum plus, quam *perditus*, 136 a
Prohibere, pro, non cogere, 75 a
Πρόληψις quid, 97 a
Prooemia vnde ducantur, 834 a
Propola, qui, 827 a
Proſcribere, pro, vendere, 422 a *proſcribi* qui dicantur, 668 a
Proſcripti ciues propoſito praemio necabantur, 668 a 901 a eorum colla quare ſecarentur, 72 a eorum liberi petendorum magiſtratuum poteſtate a Sulla priuati, 82 a 283 b ne in integrum reſtituerentur, Cicero conſul reſtitit, 218 b
Proſcriptio bonorum quo modo fieret, 36 b et res auctionantis, et diem auctionis nominabat, 15 a eius nomen odioſum, 730 a
Proſequi, quis dicatur, 448 a
Προσωποποιΐα, 726 b proſopopoeiis Cicero redundat, 445 a
Proſpicere, et *perſpicere*, quid differant, 506 a
Proterui qui, 765 a
Prouinciae conſulares, et praetoriae quae, 10 b annuae, 102 a primum ſenatus conſulto dabantur, deinde lege curiata, 680 a in iis mandandis maior populi poteſtas, quam ſenatus, 661 b in eas ituri ſortiebantur, aut comparabant inter ſe, 786 a
Prouocatio ad populum erat a quocumque magiſtratu, 403 b a Sulla ſublata, 142 b
Prytaneum, 257 b
Pſeudophilippum quis deuicerit, 474 a
Ptolemaeus, rex Alexandrinus, honorem ſocietatis et amicitiae populi Romani quando obtinuerit, 194 b *Auletes* cur ſit dictus, 381 b 405 a 473 a 871 a pulſus a ſuis ciuibus Romam ſe contulit, vt a ſenatu, populoque Romano reſtitueretur, 762 b a Gabinio reſtitutus, 821 b
Ptolemaeus, Cypri rex, accepto de lege Clodia nuncio, ipſe ſibi, veneno ſumto, mortem intulit, 674 b
Ptolemaeus, Cyrenarum rex, 407 a
Publicae res non cuiuis de populo notae, 319 a
Publicani equeſtris ordinis, 213 a 746 b 779 a eorum tria genera, aratores, pecuarii, portitores, 295 a 747 b eorum magiſter, et pro magiſtro, 203 b
Publius mimis excellebat, 772 a
Pudor, et *pudicitia* quo modo differant, 209 b 343 b 602 b 943 a pudor adoleſcentiam in primis decet, 473 b
Pueri, dicuntur ſerui, 22 a
Pullarii, qui, 403 a
Puluinar erat in ſacris et religioſis locis, 601 a

Punctum,

Punctum, pro, ſuffragium, 483 a 623 a
Puniri, pro *punire*, Cicero dixit, 840 b 999 a
M. Pupius Piſo, 490 b 611 a
Puteal Libonis, 646 b
Pyrrhus quo tempore contra Romanos bellum geſſerit, et quis de eo triumphauerit, 474 a

Q

Quadragies, pro, quater decies, vnico verbo veteres dicebant, 168 b
Quadrantem balneator ab iis, qui lavarent, mercedis loco accipere ſolebat, 771 b
Quadruplatores, qui, 116 b 185 b
Quaedam virtus, *quaedam eloquentia*, cum laudamus, non dicimus, ſed, *ſumma quaedam virtus*, *eximia quaedam eloquentia*, 726 a
Quaeſitor, qui, 522 a eius nomen vnde, 58 a *quaeſitor*, ac *index* diuerſi, 73 b 181 a b *quaeſitor*, et *praetor* ſaepe idem, 352 a
Quaeſtio, vnde, 522 a *quaeſtio nova*, quae, 694 b
Quaeſtorum etymon, numerus, munus, iurisdictio, et quaeſtio, 16 a b lege Sullae erant viginti, 747 b lictoribus non vtebantur in vrbe, ſed in provinciis, 16 b 184 b 630 a acceptae ab aerario pecuniae rationem referre cogebantur, 156 b locabant publica opera, 175 b eorum rei frumentariae cura, 239 a quaeſtores deſignati, cui quisque muneri in magiſtratu praeeſſet, ſortiebantur, 638 b 747 b ſortiebantur prouincias, 625 b imperium in prouinciis non habebant, 723 b quaeſtor in provincia non poteſt vltra annum eſſe, niſi poteſtas prorogetur, 100 a legato antecellit honore, 226 a 630 a 830 b 897 a eius cum praetore coniunctio liberorum neceſſitudini proxima, 121 b *ſeq.* 129 a relinqui ſolebat, decedente e prouincia proconſule, 897 a
Quaeſtorii agri, qui, 404 a
Quaeſtura primus gradus honoris, 17 a 156 a quando peteretur, 638 b innocentur geſta conciliat animos prouincialium, 103 a
Quantum aequius melius, formula a praetore arbitro dato, 86 b
Quaſillum, quid, 965 a 967 a
Quem per, poetice, pro, *per quem*, 417 a
Qui, pro, *quo*, antique, 768 a
Qui ſunt, *fuerunt*, *erunt*, vſitata ſententia vel laudantis, vel vituperantis, 548 a
Quid, modus transeundi ad aliam rem, 348 a *quid cenſes*, locutio ſaepe a Cicerone vſurpata, 67 b *ſeq.* *quid eius ſit*, praeciſa locutio, quid valeat, 270 a *quid ergo eſt*, pro, cur igitur ita ſe res habet, 8 b *quid eſt aliud*, modus reprehendendi cum quadam iracundia Ciceroni familiaris, 68 b 173 b 820 b 934 b *ſeq.* 981 a 1018 b *quid hominis ſit*, maiorem contemtum ſignificat, quam, *quis homo ſit*, 200 b
Quieti ab *otioſis* quid differant, 415 a
Quinarii permutatio, 17 a
Quinctilianus diligens Ciceronis obſeruator, et artis rhetoricae magiſter optimus, 835 b
Quis non modo, pro, *quis*, *non dico*, locutio Ciceroni vſitata, 706 a

Quis-

Quiſquam dubitabit, pro, dubitandum non eſt, 332 b
Quiſquis, pro quiſque, Ciceroni et Lucretio vſitatum, 247 a b 297 a 351 b
Quod, pro, *ſed*, 171 b 193 b 260 b 775 b 1006 b pro, *vt*, *ibid.* a ſine mendi dubitatione a Cicerone vſurpatum, 839 a *quod contra contendi*, pro, *cum contra contenderim*, loquendi modus, 50 b
Quom, pro *cum*, olim ſcribebant, 629 b
Quo modo nunc intendit, *quo modo nunc eſt*, et ſimilia, quid valeant, 50 b *ſeq.*

R

Ratio a *cauſſa* quo modo differat, 99 b eius vocabuli vis intelligi magis, quam exprimi poteſt, 151 b *rationem ſuam ducere*, quid, 173 a
Recipere, plus, quam *promittere*, 281 b
Recognoſcere, quid, 797 a
Recolere, quid, 531 a 559 b
Recte vendere, pro care, 240 b
Recuperatores, qui, et cur ita vocati, 5 b
Redire ad res, quid, 558 b
Rediuia, qualis morbus, 79 a
Redundare, non tantum res ipſae, cum in magna copia ſunt, verum homines quoque, cum redundant rebus, dicuntur, 900 b
Referre, pro contra afferre, 34 a 312 a *referre ſimpliciter ſententiam*, quid, 549 b *referri in aerarios*, quid, 367 b
Referuere, quid, 88 b
Reficere, pro, reddere, 222 a b 620 b *ſeq.*
Reges in tutela deorum eſſe putantur, 922 b non a populo, ſed a ſenatu appellabantur, 674 b reges et ſocii a ſenatu Romano appellati qui, 909
Reiectio iudicum ſortitionem ſequebatur, 138 b 617 a vtrimque fiebat, 136 a 212 b 227 b primum a reo, deinde ab accuſatore, 152 a
Religionis antiquae exemplar, quis dicatur, 306 b religioni nemo praeerat, qui ſenator non eſſet, 565 a *religionis* nomine ſignificantur Sibyllae verſus, 822 a
Remurinus ager, 991 a
Renunciare deciſionem, quid, 175 a
Repetitio eiusdem verbi quibus modis vſurpetur, et quam vim habeat, 70 b 101 a 116 b *ſeq.* 120 b 133 a 149 b 205 b 277 a b 288 b 297 a 320 a 330 a 361 a 409 b 417 b 832 b 844 b 919 b ornamentum ex repetitione eiusdem verbi ſententiam claudentis, 52 a 843 b 948 b
Repetundarum lege qui tenerentur, 220 b 240 b 363 a 365 a b 860 b 861 b 865 b repetundarum crimen an capitale, 367 a
Reprehenſio ex comparatione acrior, 272 a b
Repromittere, plus, quam *promittere*, 549 b
Res iudicare, pro iudicare, modus loquendi Ciceroni vſitatus, 107 b 140 b 204 b 289 a 468 a 471 a 933 b *res eſſe in vadimonium*, quando dicatur, 20 a *res prolatae*, quae, 471 b
Reſiduae pecuniae, quae, 360 a b
Reſiſtere, quibus dicamur, 422 b
Reſpectare, quid ſignificet, 621 a
Reſpectum habere ad aliquem, pro reſpicere, 986 b *ſeq.*
Reſpirare non ſinere aliquem, quid ſignificet, 32 b
Reſpondere, iurisconſultorum, 466 b *ſeq.*

Reſpu-

Reſpublica plus, quam *ciuitas*, 636 a
Reſpuendi per contemtum ea, quae contra dicantur, modus, 255 a
Reſtat illud, modus loquendi, iniqua, indignaque de re cum ſtomacho vſurpatus, 29 a b
Reſtipulari, idem, quod *ſtipulari*, 92 a
Reſtituiſſe ſe, litigatores quando dicerent, 305 b *ſeq.* 309 a 312 a b
Retinere, pro conſeruare, reſtituere, 629 b
Retractatio, pro, detrectatio, 1033 b
Reuerſio differt a *reditu*, interdum tamen confunduntur, 926 a
Reus, qui dicatur, 11 b *reum facere*, idem, quod *reum deferre*, 108 b rei cauſſa quodam modo ſubleuatur, cum aduerſariorum deprimitur, 693 b rei ad eliciendam miſericordiam inculti, et ſordida veſte induti ad iudicium veniebant, 739 a
Rhedae vocabulo an ſolus Cicero vſus, 840 a
Rhegia columna, quae, 647 b
Rhegini ciues Romani, 246 b 284 b 524 b 930 a
Ridiculum quaerere in re turpi, a rhetoribus laudatur, 680 a
Robus, et *robuſtus*, quo ſenſu accipiantur, 81 a
Rogare, et *orare*, quo modo differant, 102 a b
Roma praeſidium, ac perfugium omnium gentium, 389 a
Roſcius, princeps in arte hiſtrionica, 933 a *geſtum agere ſpectante Roſcio, impudentis eſt*, adagium, 88 b
Rudiae, Apuliae oppidum, 537 b
Rudis, quid, 951 a
P. Rupilius, 191 a
Ruſtici, qui, 539 a
P. Rutilius Rufus, 78 a 298 b 831 b

S

C. Sacerdos, 169 a
Sacerdotes a quibus crearentur, 398 a 739 b 763 a
Sacerdotia maturius dari ſolita, quam magiſtratus, 739 b ſenatoribus deferebantur potius, quam equitibus, 864 b
Sacramentum, quid, 313 b *ſacramento contendere*, quid, 845 b
Sacrificium ſine ſupplicatione non erat, 754 b ſacrificia prius faciebant conſules in prouincias profecturi, 965 a
Sacrorum priuatorum apud Romanos conſeruatio, 470 b eorum extinguendorum cauſſa, quae ratio a iurisconſultis excogitata, 471 a
Salapia, oppidum Apuliae, 414 a
Saltandi ſtudium Romae turpe, 554 b 813 a
Salubritas quid a *ſalute* differat, 473 a
Salus, 225 b 296 a
Sanctiones duobus modis ſacroſanctae, 800 a
Sanguis, et *vita*, oratorie pro fama et honeſtate, 32 b
Sapiens gloriam, quae virtutis fructus eſt, non quaerit, ipſa virtute contentus, 890 a eum tenere virtutes omnes, Stoici affirmabant, 794 b *ſeq.*
Sartorum tectorum exigendorum cura ad cenſores pertinuit, 168 b
Satisdare quis debeat, 25 a *ſatisdare damni infecti*, quid, 176 b
Satisfacere, pro, excuſare ſe, 190 b *ſeq.* 226 a

Satisfactionem accipere, pro excuſationem probare, *ibid.*
Scaphia, quae, 248 b
Scapula, cognomen Quintiae gentis, 15 b
M. Scaurus, 238 a 475 a 526 a eius conſtantia, 145 a 296 b 433 b 475 b 577 a 663 a 702 b
Scelus late patet, et in multis criminibus eſt, 104 a 195 a grauius, quam *facinus*, 276 b 286 b ſcelera, et flagitia impellunt homines in malas opiniones, tamquam in poenam, 566 b
Scenicam artem agere, probro fuit, 46 b
Scilicet, ironice, 529 b 581 b
L. Scipio, 157 a b
L. Scipio Aſiaticus, 638 a
P. Scipio, 71 a
P. Scipio Metellus, 588 b
P. Scipio Naſica, 598 b *ſeq.*
Sciſcere, quid, 615 b
Scribae apparitores, 233 a de plebe homines erant, 63 a 178 a b
Scribere, iurisconſulti quando dicantur, 467 a
Scriptura, quid, 106 b 203 b *ſeq.* 324 b *ſeq.*
Scripturarii, qui, 325 a
Scurrae, qui dicantur, 663 a ſcurrae facilius, quam patri familias, diuitem fieri, 38 a
Scylla canibus ſuccincta, 282 b
Secare, et *caedere*, idem, 72 a
Sector, qui, 72 a 160 a
Secus, pro male, 28 a 368 a
Sed autem, ornatus cauſſa vſurpatur, 344 a
Sedere, ſaepe de iudicibus vſurpatur, 860 a
Segeſta, 272 a
Sella curuli qui vterentur, 458 b *ſeq.*
Semitae quo modo a *viis* differant, 420 b
Semuncia, quid, 18 b 877 a
Senatores, qui dicti, 374 a qui eſſe poſſent, 700 b *ſeq.* ante creatos cenſores a populo legebantur, 734 a multi ex municipiis erant, 760 b eorum inſignia quae, 369 a 373 b qui in ſenatum vocati non veniſſent, iis pignora auferri ſolebant, 931 a cum binis lictoribus liberas legationes obibant, 11 a lege Sullae ſoli iudicarunt, 55 a ſenatori quam diu vellet, dicere licebat, 196 b ei nec habere, nec mercari trans mare quidquam licuit, 267 a
Senatorius ordo ciuitatis ſummus, 864 b non auferebat ordinis equeſtris inſignia, 709 a ſenatoria aetas quot annorum, 55 b 199 b ſenatoria tunica latus clauus dicebatur, 40 b 252 a 449 a *ſenatorio loco nati*, et *equeſtri loco eſſe*, qui dicerentur, 40 b
Senatum quibus nominibus appellet Cicero, 666 a cur *portum* vocet, 786 b ſenatus habendi dies ſollemnes, 929 b *ſenati*, generandi caſu, 113 b *ſenatus auctoritas*, quae, 405 a 689 a 838 a
Senatus conſulta vel ante ortum, vel poſt occaſum ſolis facta, irrita, 968 b primum in ſenatu ſcribebantur, deinde in aes incidebantur, tum in Capitolio figebantur, poſtremo ad aerarium deferebantur, 978 a b ſenatus conſulto ſcribendo ſi quis adeſſet, maximum amorem in eum, cuius de honore agebatur, prae ſe ferebat, 783 b *ſeq.* ſenatus conſultum extremis reipublicae temporibus factum, 914 a 984 a *ſenatus conſultum intercedit*, quid ſignificet, 191 a

Seplaſia, Capuae platea, in qua vnguenta veniebant, 649 a 815 a
Sepulcra non in vrbibus erant, ſed in agris, 65 a
Sepultura differt a *ſepulcro*, 1004 a
Sequius, pro *ſecius*, 28 b
Seruare, et *ſalutem dare*, quid differant, 202 b ſeruare de caelo, quibus, et quando liceret, 391 a 573 a 748 b 790 a 952 a b de caelo qui ſeruaſſet, vel ſi nihil ſenſiſſet aduerſum, tamen obnunciabat, 693 a
Serui nonnulli et vicarios habent, et peculium, 166 b 219 b
C. Seruilius Glaucia, 153 b
P. Seruilius Iſauricus, 383 b 490 b 726 a 777 b 823 a
Seruilius lacus, 74 a
Seſtertii nomen vnde, 19 a eius permutatio, 17 a *ſeſtertiis duobus*, et *ſeſtertium duobus*, differunt, 118 b *ſeq.*
Sexceni, pro, *ſexcenteni*, analogiae ratio poſtulat, 269 b
Sextula, quid, 304 b
Si, particula, eleganti et veteribus vſitata figura abundat, 286 a interdum affirmandi vim habet, 542 b multo venuſtius omittitur, quam additur, 1013 a b *ſi dii volent*, precantis, non dubitantis, 229 b *ſi diis placet*, loquendi modus quid ſignificet, 76 a b 818 a *ſi quid mihi acciderit*, et *ſi quid humanitus mihi acciderit*, quid ſignificet, 850 a 930 b *ſi ſapis*, admonentis, non obiurgantis, 15 a
Sibilo populus odium indicabat, 715 b
Sibyllinos libros quando Romani conſulerent, 598 a
Sicci, qui dicantur, 382 a b
Siciliae ciuitates quattuor generum, 211 a
Siculi et Graeca, et Latina lingua vtebantur, ſed vtraque mendoſa, 120 b 283 a eorum acumen ingenii, 117 b *ſeq.* 211 b
Sigillatim, a *ſingula*, 221 a
Sigillatus, quid, 247 b
Signa militaria ex argento erant, 446 a
Sigonii, Car. laus, 708 b
M. Silanus, 129 b
Similibus verbis vis additur ſententiae, 49 b
Simulacrum, quid ſignificet, 540 b
Siparium, quid, 780 b
Sipontum, oppidum Apuliae, 414 a
Siſapo, Hiſpaniae vrbs, 947 b
Siſtere, dicitur ſimpliciter, et coniunčte, 23 a *ſiſti iudicio*, paſſive dicitur, *ibid.*
Siti, qui dicantur, 53 b
Siue adeo, modus loquendi, 221 b
Socci, quid, 871 a
Sociale bellum quale, 419 b eo litterarum ſtudia intermiſſa, 524 b
Sociorum tria genera, 106 a 259 b eorum cauſſa iudicium de pecuniis repetundis conſtitutum, 109 b 112 b eorum querelas audit ſenatus, crimina vero iudicibus committit, 279 b ſocii a ſtipendiariis qua ratione diſtinguantur, 106 a 798 a 830 b *ſocii Latini*, *ſocii et Latini*, *ſocii Latini nominis*, *ſocii et Latini nominis*, dicebant veteres, 654 b exire vrbe quoties iuſſi, *ibid.*
Sodalitas, honeſtum vocabulum, *ſodalitium*, non honeſtum, 618 a ſodalitates Romae honeſtae, legibusque conceſſae, 445 b 481 a 659 b ad honorem alicuius dei inſtitutae, 764 b

Sodalitium, inter ambitus crimina grauiſſimum, 609 616 a
Solarium, quid, 38 b *ſeq.*
Soleae, domeſticum pedum indumentum, 273 b 951 b iis mulieres in publico vtebantur, 603 b
Soluere ab aliquo, loquendi modus, 304 b 347 a
Solus, plus videtur eſſe, quam *vnus*, 666 b 832 a
Sortis coniunctio diuina, 122 a 128 b *ſorti aliquid deſtituere*, 983 a
Sortitio et ſubſortitio iudicum, 138 b 143 a 359 a 617 a b
Soter, quid ſignificet, 202 a b
Sparus, quale telum, 579 b *ſeq.*
Spectatio pecuniae, quid, 233 a
Spero, pro metuo, 58 a
Spirare, et *flare*, idem, 908 a
Spiritus, pro contentionibus, 163 a
Splendor, proprie equitibus tribuitur, 204 b 760 a
Sponſionem facere, quis diceretur, 171 a ſponſione actor laceſſere dicebatur, 86 b *ex ſponſu*, apud veteres quid, 28 b *ſeq.*
Squalor, perculſi animi ſignum, 683 b
Stans, pro, incolumis, 866 b
Statores, apparitores, 62 b
Statuae plures eorum, qui pro republica mortem obierant, in Roſtris erant, 692 b
Status generalis cauſſarum duas in partes diſtribuitur, 632
Stilo ſcribebatur in ceratis tabulis, 233 a
Stipendiarii deteriore ſunt conditione, quam foederati, 798 a
Stipulationum duo genera, in lite, et extra litem, 87 a b
Stola vtebantur pudicae, et honeſto loco natae mulieres, 947 a
Stragula veſtis, quae, 269 b
Strophium, quid, 603 b
Studium, honeſtum vocabulum flagitioſae rei, 242 a plus, quam *voluntas*, 911 b
Suauiari in gratulationibus mos eſt, 711 a
Subeſſe, pro latere, 892 b
Subire, cum dandi caſu, 122 a
Subſcriptores, qui, et quis eorum numerus, 122 b
Subſellia trina, iudicum, reorum, accuſatorum, 92 b 124 a 874 b magiſtratuum minorum, 59 b
Subtilitas orationis quae, 794 a
Subtiliter, et *acute*, non idem ſunt, *ibid.*
Suburbana prouincia, pro, admodum propinqua, 216 b
Succurrere, pro ſuccedere, 319 a
Suffragium ferre nemini poſt annos LX licebat, more maiorum, 75 b in vrbana tribu ignominioſum, 805 a
Sulla victor et rempublicam, et iudicia reſtituit, 58 a quo anno primum dictaturam geſſerit, 320 b primus ex Corneliis patriciis cremari voluit, 537 a
Sulpicia gens patricia, 465 b
C. Sulpicius Gallus, aſtrologiae peritiſſimus, triumphauit de Liguribus, 482 b
Ser. Sulpicius Galba a L. Libone, tribuno plebis, accuſatus, 481 b
Ser. Sulpicius, legatus ad Antonium miſſus, in legatione interiit, 1003 quid ei ſenatus decreuerit, *ibid.*
Superbiſſimus delectus, qui, 778 a
Superlatiuus cum negandi particula in vituperatione, et laudatione quid efficiat, 130 a 190 a
Superſtes, pro, praeſens, 469 b
Supplicatio ordinaria dierum quinque, 782 b in ea decernenda rogari ſententias mos fuit, 968 a b ſupplicationes non

non ſolum pro re in bello proſpere geſta, ſed in honeſtandis etiam funeribus a ſenatu decerni ſolitae, 754 b
Supplicium commune, quid, 149 a
Supplicum ſimilitudinem quandam prae ſe ferunt, qui culpam fatentur, 855 a
Sustentare, pro, morari, 459 b
Sustinere, pro, retinere, 639 b
Syngrapha, quid, 165 b vtriusque manu facta creditori cauebat, *ibid.*
Σωτὴρ, quo modo Latine exprimendum, 202 b

T

Tabellae, pro, litterae, 454 b *ſeq.* tabellae iudicum tribus inſcriptae litteris, A, C, N. L, 69 a in ciſta conſtitutae, 115 b vrnis ſeruabantur, 756 a
Tabula Sextia, 22 a Valeria, 750 a *tabulae* ab *aduerſariis* quid differant, 86 a
Tabularium, quid, et vbi fuerit, 527 a b
Taeter opponitur *claro*, 648 a
Talentum Atticum in Latinis monumentis ſignificatur, cum nihil additur, 56 a 867 b
Tantum, minuit, non auget, 324 a b *tanti eſt*, modus loquendi, 89 b 247 a 249 b 446 a 450 b
Tarentini, quando ciues Romani facti, 524 b
Tegere, pro, defendere, excipere, 408 b
Tela, pro argumentis cauſſae, 9 b
Temenites, et fons Syracuſis dictus, et montis vertex, et Apollinis cognomen, 257 b
Templum, quid, 591 a 677 b *templum* Roſtra vocabantur, 240 a 337 a 677 b *ſeq.* 745 b
Tempus, pro aduerſo tempore, 571 b *tempora*, pro, calamitates, 629 b 850 a
Tenere, pro obtinere, 713 a *tenere odium*, vſitatius, quam *retinere*, 584 a *tenere terram*, quid, 599 b
Tenſarum orbitae pompam ferentes, 179 a
Tenuis, pro, pauper, 61 b *ſeq.* 73 b
M. Terentius Lucullus, 161 a 186 b
Teſtamento filius, an a ſermone Latino alienum, 950 b
Teſtes, quos accuſator produxerat, vt ab reo interrogarentur, mos erat, 284 a licet iurati, nihil tamen affirmabant, arbitrari ſe dicebant, 297 b minus idonei qui, 306 a
Teſtificari, quid, 23 a
Teſtimonium a iuratis dicebatur, 165 a 491 a 745 a eius denunciandi poteſtas reo non dabatur, 77 a
Theanum duplex, alterum in Apulia, alterum in Campania, 376 b 418 a
Theomnaſtus, 261 a
Theophanes Mitylenaeus, ſcriptor rerum Pompeii, 535 b 805 b
Theoractus, 261 a
Thraſimenus lacus, 74 a
Thyeſtes, Ennii tragoedia, 819 a
Tibi, de quocumque dictum, 13 b cum indignatione, 79 b
Tibicen in ſacris praecinere ſolitus, 420 a
Toga ſoli ciues Romani vtebantur, 284 b infames et libertini generis mulieres, 947 a virilis quo anno ſumeretur, 525 a 739 b
Togata, comoedia a togatis perſonis acta, 718 a
Togati, pro ciuibus Romanis, 79 b 203 b 284 b

Toreumata, quae, 248 b 837 a
Tractare, quid ſignificet, 523 b
Transigere, minus, quam *expedire*, 121 b
Translata, quid, 682 b eorum vis in oratione, 32 a plus habent iucunditatis, ac plus etiam ad ſignificandum valent, quam propria, 682 a b eidem rei multa poſſunt inſeruire, 738 b
Translationes dum nimis amamus, maxime cauendum, ne in allegoriae vitium incidamus, 835 a
L. Trebellius, 989 b *ſeq.*
C. Trebonius, Aſiam prouinciam obtinens, a Dolabella Smyrnae interfectus, 1010
Tribunalia praetorum, 59 b
Tribunatus militum honor, non magiſtratus, 638 b tribunatus plebis homini patricio mandari non poterat, 644 a eo geſto, petebant aedilitatem, praeturam, conſulatum, cenſuram, 637 b
Tribuni militum quot in ſingulis legionibus, 501 a 862 a 991 a eorum quot genera, 625 b 638 b tribuni plebis quare initio creati, 41 b 282 a quando magiſtratum inirent, 140 b 378 397 a 641 b *ſeq.* 677 a 686 a 965 b iudicibus, male iudicantibus, diem ad populum dicere poterant, 107 a ius dicebant in baſilicis, 244 a iis poteſtas capiendi alios magiſtratus a Sulla ademta, a C. Cotta reſtituta, ademtum et ius legum ferendarum, intercedendi relicto, 106 b *ſeq.* 144 a 361 a 404 a eorum interceſſio a Clodio ſublata quae, 657 a tribunis plebis pluribus legem ferentibus, vnus princeps erat, a quo nomen perlata lex accipiebat, 396 b lictoribus non vtebantur, 949 a tribuno plebis intercedi a collega leges non vetabant, 691 b *ſeq.* alterius tribuni acta poterat reſcindere, 694 a b patricios aduocandi ius non habet, 748 b
Tribuum numerus, ratio, et nomina, 21 a b tribus nomen quibus addi ſolitum, 20 b *ſeq.* 197 a tribus ſunt partes populi, 399 a ex omni populo deligebantur, 619 b aliae aliis nobiliores, 398 a tribum ſuam non ferre, in honoris petitione, candidato erat ignominiae maximae, 714 a tribuum mutationem omnibus non modo ingenuis, verum libertinis quoque Ap. Claudius cenſor conceſſit, *ibid.* b
Tricies, pro ter decies, veteres dicebant, 168 b
Triclinium, pro lectis in triclinio poni ſolitis, 484 b triclinia, 205 b 253 a
Triptolemus inuenit aratrum et agriculturam, 498 a
Triſtis, pro ſeuerus, aſper, 608 b 764 b
Triumphabat nemo, qui imperium a populo non accepiſſet, 865 a triumphantes vno tantum triumphi die imperium in vrbe habebant, 271 a
Triumphalis porta Romae, 822 b
Trulla, 253 b
Tueri, pro conſeruare, 890 b
Tunica, et toga Romani vtebantur, 648 a tunicae ſenatoriae a plebeiis quibus rebus differrent, 648 a b tunica equeſtris minores habebat clauos, quam ſenatoria, 774 b
Turma erat equitum triginta, 883 a
Naeuius Turpio, 186 a 219 b

Tyran-

Tyrannorum corpora proiiciuntur inhumata, 924

Tyrus, Phoeniciae vrbs, 405 a

V

Vacationes in bello valent, in tumultu, ſiue ſit Gallicus, ſive Italicus, non valent, 299 b 998 a

Vacci prata, quae áppellata, 584 b

Valerianus, Pier. 784 b

Valerii Meſſallae et Flacci, 81 a

Valerius Max. inſcitiae aut negligentiae condemnatus, 537 a

Valuae templi, in quo ſenatus habebatur, patebant, 970 a

Vanus, pro, mendax, 23 b

Varietas vt in pictura, ſic in oratione placet, 707 b

L. Varius Cotylas, legatus Antonii ad ſenatum, 976 b

C. Varro Viſellius, 787 a

Vas, qui, 830 a

Vaſarium, quid, *ibid.*

Vaſtare, quid, 670 a

Vaſtum, pro inani a veteribus vſurpatum, 672 a

Vaſtus locus, qui dicatur, *ibid.*

Vaticinari, pro, alucinari, 651 b

Vatinius fuit in Sergia tribu, 713 b *ſeq.* 757 a contemtis auſpiciis, leges, quas voluit, pertulit, 713 a b vt ſua flagitia ſceleraque excuſaret, C. Caeſare conſule auctore, quaecumque egerat, egiſſe dicebat, 748 a eius ſtrumae, 731 a 745 b

Vectigal, vnde exigeretur, 106 a b 324 b vectigalia quid commodi afferant, 319 b vectigalium ſocietates equitum Romanorum omnes erant, 655 b *vectigalia Iuliana*, quae, 1025 b

Vei, pro *vi*, veteribus ſcribebatur, 422 a

Veliſicari, 391 b

Vel quod eſt, modus loquendi in augenda re vſurpatus, 495 a

Venerii, qui, 127 a 216 a *Venerius homo*, quis, 186 b 196 b 282 a

Venire contra aliquem, proprie de litibus, 88 b 197 a 465 a 939 b 1000 a

Verba ſimiliter incipientia leporem habent, 32 a compoſita vel ſuam augent vim, ſi praeponatur, *ad*, vel amittunt, ſi, *de*, 911 b verborum in nulla lingua copia eſt tanta, res vt omnes ſuis certis ac propriis vocabulis exprimantur, 308 b verborum aucupia iurisconſultorum propria, 310 a

Vereor vt, et *vereor ne*, quando veteres dicerent, 408 b 884 a

Veritas, pro aequitate et iuſtitia, 8 a 11 b 134 a

Vero, ornatus cauſſa vſurpatur, 344 a affirmantis aduerbium, veteribus vſitatum, 411 b auget, 477 b

Verres, Corneliae gentis, 96 138 a 162 a ad Sullanas partes transfugit, 156 a Verris ambiguum nomen, 128 a eius etymon, 252 b eius nomen quare ſemper omittat Cicero, *ibid.* orationes in eum quo anno ſcriptae, 529 b *Verrea*, quae, 246 a *Verrinum ius*, ſenſu ambiguo, 172 a

Verſatus, aſſiduitatem quandam indicat, 98 b

Verſuram facere, quid, 206 a 294 a b

Verum, vſurpatur pro, aequum, 8 a 35 b 357 a 405 a b 484 a

Verumtamen, vſitatum verbum ſuperioribus iterandis, 173 b 187 b 209 a

Veſtales virgines hoc priuilegio fruebantur, vt gladiatores ſpectare poſſent, 484 a
Veſtibulum templi pars, 684 a
Veſtis nomine quae comprehenſa, 185 b obſoleta quae, 390 a atra, maeroris indicium, 629 a
Veteranorum commodis, poſt Caeſaris necem, conſuli ſenatus, concordiae cauſſa, volebat, 949 b
Veterator, qui, 306 b
Veteres homines, qui, 141 a
Veto, intercedentis vox, 547 a
L. Vettius Caeſarem inter Catilinae ſocios nominauit, 751 a
Via Aurelia, 449 a 1019 b Caſſia, *ibid.* militaris latior, quam ceterae, 778 a
Viatores, erant apparitores, 62 b
Vicies, pro bis decies veteres dicebant, 168 a
Victoriae in iudicio ſpes duabus maxime rebus nititur, 4 b victoriae inſignia, quae, 320 b victoria et virtus coniuncta, 681 a b *victoriam vincere*, 884 b
Victoriati valor, 296 a
Video, aſſentientis verbum, 270 b *vide modo*, monentis eſt, 122 a *videte*, cohortatio quaedam liberior ex auctoritate dicentis, 325 b *videre videor*, de re futura, et praeſenti dicitur, 121 b *videre*, pro ferre, 344 a *videri*, verbo in condemnatione quare vſi iudices, vt, *feciſſe videri*, 196 a 263 b *ſeq.* 832 a
Vindiciae, quae, 845 b *vindiciarum lis*, quid, 171 a
Violare, verbum de ſacris rebus vſurpari ſolitum, 198 a
Vir ab *homine* diſtinctus, 35 b *vir*, et *ciuis*, ſimul vſurpat Cicero, cum laudat, 695 a 708 b
Virtus, pro probitate, et animi praeſtantia, 343 b 351 b imperatoris duplicis generis, 327 b *ſeq.* virtus perfecta eſt in agendo, et intelligendo, 694 b
Vis, ſignificat potentiam, 8 a 11 b *vis diuina*, et *mens humana* opponuntur, 79 b vis non omnis capitalis, 680 a
Viuo videntique funus ducitur, adagium, 36 b 533 b
Vltimae nationes, vel *terrae*, quo ſenſu dicantur, 113 a
Vltro, quid ſignificet, 45 a
Vnde petitur, pro debitor, modus loquendi, 469 a b
Vocem vendere, turpiſſimum, 13 a b
Volaterrani agris, et iure Romanae ciuitatis a Sulla priuati, 77 a 313 a b
Volitare, quid ſignificet, 635 b
Voluſienus, an *Voluſenus*, ſcribendum, 376 b
Vomere poſt cenam, antiquis vſitatum, 917 a
Vrbanus, Ciceronis aetate nouum, nec antea vſitatum 715 b
Vrbium captarum ſimulacra in triumphi pompa ferebantur, 1000 b
Vrſinus, Fulu. 534 b 690 a
Vſurpare, quid, 285 b
Vſus, quid, 504 a vſu res et acquiruntur, et amittuntur, *ibid.*
Vt, pro vbi, vel poſtquam, 148 b iteratum apud Ciceronem ſaepe reperitur, 251 b 629 b 797 b
Vter, pro *alteruter*, 213 b
Vtilitates, pro commodis, 914 b *ſeq.*
Vtique, in ſenatus conſultis vſitatum, 1034 a b

Vtrum

Vtrum mihi difficile eſt dicere, loquendi modus, 238 b
Vulgae, 297 b
Vulnus, pro, vitium, 761 b *vulnera*, pro damno, quod cauſſae argumentis infertur, 9 b
Vultum ſubire, de quibus vſurpetur, 52 b
Vultures inter infauſti ominis animalia numerantur, 686 a
Vulturius, pro raptore et praedatore, 818 a

X

Xeniae balneae, 771 a

EMEN-

E M E N D A N D A

Pag. 60 a lin. 33. pro munucipiis, leg. municipiis
— 63 b — 2. pro eius, leg. ciuis
— 93 b — 25. pro qui, leg. quia
— 103 a — 8. pro priuincia, leg. prouincia
— 123 a — 23. pro ſimis, leg. ſimus
— 138 a — 15. pro vſo, leg. vſu
— 155 b — 44. pro atquae, leg. atque
— 298 a — 12. pro brahatosque, leg. braccatosque
— — — 15. pro brachas, leg. braccas
— 366 a — 13. pro affigi, leg. affligi
— 395 a — 20. pro regit, leg. tegit
— 434 a — 21. pro Poctius, leg. Porcius
— 441 a — 27. pro hoc, leg. hac
— 503 a — 40. pro luco, leg. loco
— 505 b — · ro ſurperuacuum, leg. ſuperuacaneum
— 533 b — 3 pro ſone, leg. Ione
— 541 b — 23. pro quae, leg. duae
— 545 b — 41. pro cenſecrauit, leg. conſecrauit
— 612 a — vlt. pro menda, leg. mendo
— 617 a — 36. pro curia, leg. decuria
— 667 b — 4. pro tuliſſent, leg. fuiſſent
— 675 a — 9. pro fieri, leg. feriri
— 676 b — 11. pro publicatam, leg. publicata
— 682 b — 42. pro disiuncta, leg. disiuncte
— 805 b — 18. pro Mytilenaeus, leg. Mitylenaeus
— 807 a — 20. pro Miſcinium, leg. Meſcinium
— 809 b — 7. pro propo, leg. prope
— 860 b — 14. pro Gabinii, leg. Rabirii
— — — 15. pro vt, leg. et
— 862 a — 34. pro quereretur, leg. quaereretur
— 880 — 12. pro oppoſitas, leg oppoſitus
— 917 b — 2. pro quadragenarias, leg. quadringenarias
— 940 a — 20. pro qua, leg. quam
— 957 b — 45. pro Antonio, leg. Antonino

Nachricht.

Das hier beygedruckte Titelblatt des zweyten Bandes gehört zur 489ſten Seite, und es iſt daher der Bogen ſo gedruckt worden, daß er von einander geſchnitten werden kann. Wenn man aber den Commentar in Einen Band binden läßt; ſo kann man bey der fortlaufenden Seitenzahl dieſes Titelblatt gar weglaſſen.

LL
C5684ny
.Ym

Cicero, Marcus Tullius. 23250
Orationes
Manutius, Paulus
Commentarius in M. Tullii Ciceronis
orationes; ed. by Richter.

DATE | NAME OF BORROWER

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 13 16 04 12 002 0